


43
6 H
13





# STEPHANI BALUZII
## TUTELENSIS
## MISCELLANEA
NOVO ORDINE DIGESTA

ET NON PAUCIS INEDITIS MONUMENTIS

OPPORTUNISQUE ANIMADVERSIONIBUS AUCTA

OPERA AC STUDIO

JOANNIS DOMINICI MANSI LUCENSIS.

## Tomus Tertius

*Continens Monumenta Diplomatica & Epistolaria.*





LUCÆ MDCCLXII.

Apud VINCENTIUM JUNCTINIUM.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

SUMPTIBUS JOANNIS RICCOMINI.





# ELENCHUS

*Eorum, quæ in hoc tertio Tomo continentur.*

Inno-

EPI-

# EPISTOLÆ MISCELLANEÆ



Charta

# CLUNIACENSIA VARIA.



VA-

# VARIA DE HUGONE

## EPISCOPO DIENSI, ET ARCHIEPISCOPO LUGDUNENSI, SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO.



Charta

Hen-

APPEN-

# A P P E N D I X
## M O N U M E N T O R U M
*DIPLOMATICORUM ET EPISTOLARIUM*
## JOANNIS DOMINICI MANSI
*C. M. D. L.*

## EPISTOLÆ PONTIFICUM ROMANORUM.



Ejusdem

DE

# DE CONCILIO BASILEENSI

## MONUMENTA NONNULLA.



Gaspa-

Ad

STE-

# STEPHANI BALUZII MISCELLANEA DIPLOMATICA ET EPISTOLARIA.

# ROMANORUM PONTIFICUM EPISTOLÆ.

## FRAGMENTA EPISTOLARUM GELASII PAPÆ PRIMI.

Ex L. V. Miscell. Baluzii pag. 459.



ELASIUS Papa. Quid novae aedificationi antiqua Ecclesiarum poterit praejudicare divisio, cum in ea non futura sed quae erant praesentia finirentur. Nunc autem ad hanc basilicam quae delicanda est illud debet summa intentione disquiri, quis, idest, cujus civitatis, ex eadem re, ante quam basilica quae nuper fabricata est fundaretur baptizaverit incolas, aut ad cujus consignationem sub annua devotione convenerint. Non enim terminis aut locis aliquibus convenit diffiniri, sed illud facere dioecesim quod superius continetur, ut constet commanentes a quo fuerint lavacri regeneratione purgati. Et ideo, fratres carissimi, amotis ambagibus, & omni circuitione submota, hoc vos modis omnibus convenit investigare, ut ille maxime ad consecrationem vocetur cui per hunc modum quem praescripsimus debere permitti noveritis. In ceteris etiam Ecclesiis quas post constitutum quod gestis sanctae memoriae Leonis Papae in synodo nuper relectis in his locis quae distincta sunt per subreptionem * abvitumnis Episcopo constiterit consecratas haec eadem & requirenda & sunt modis omnibus ordinanda, ita tamen ut documentum quod superius diximus in omni constitutione servetur; quia quicquid supplosis petitionibus claruerit postulatum, id in irritum merito tanti praesulis erit contemplatione deducendum.

* Locus corruptus.

Gelasius in decretis. Dulcio defensori. Experientia tua praesenti admonitione suscepta filiis nostris viris magnificis Æmiliano magistro militum, & Constantino judici, & Ampelio ex nostra exhortatione dicere non omittat. Ecce, sicut magnitudinis vestrae desiderium postulavit, sine mora aliqua & sine ullo dispendio, ita ut nec ipsas dare ecclesiasticis officiis consuetudines sineremus, Anastasium Diaconem Lucerinae civitati ordinavimus sacerdotem. Propterea nunc magnificentia vestra ejusdem Episcopi vel Ecclesiae Lucerinae utilitatibus in universis quae sunt necessaria libenter impendat, & competentia vigilantiae suae tribuat Christiana devotione solatia.

Stephano Episcopo Gelasius. Oportuerat Antistiam, quae direxit petitorium, in desiderata sibi pudicitia permanere, quia non facile contemnere debuit quod facile prius credidit postulandum. Pertractato enim & maturato consilio juventutem suam vel ea quae petitorio debuit aestimare, nec contra electionem viduitatis indictae suffragia postmodum & occasiones rumpendae quaerere castitatis. Sed quia mutabilem mentis errorem ferendae culpae cupiditate temeravit, & maritum potius incontinentiae suae, quod nullis prohibetur legibus, exquisivit, supradictam processioni solitae noveris esse reddendam, & ut accessus Ecclesiae & * ministeriorum sacra communione potiatur.

* mysteriorum.

## EPISTOLÆ PAPÆ VIGILII.

ITem epistola Papae Vigilii quam fecit ante menses VI. tempore quo violentiam pertulit in basilica sancti Petri Apostoli in Ormisda, in qua a communione suspendit * Punantem Episcopum Constantinopolitanum vel omnes Episcopos partis Graeciarum qui praevaricationi vel pravo errori consenserant Theodori quondam Episcopi Cappadociae civitatis, qui depositus est de episcopatu suo simulque damnatus sub anathematis vinculo; sed usque nunc non est proposita charta ipsa propter pietatem & Dei amorem, quia nullum vult perdere peccatorem.

* Mennam.

Sed jam vobis Papa. Cognovit diabolum per eundem Theodorum cotidie majora iniquitatum suarum fracna laxare. Proposuit primitus charta contestationis quae in capite legitur. Sed ubi nulla correctio poenitentiae subsecuta est, sed magis major crevit violentiarum acerbitas, ita ut iniquissima praesumptione sub gravi discrimine abstraherentur sanctissimi viri Pelagius & Tullianus Diacones de basilica beatissimae martyris Euphemiae in Chalchedonem, ubi sanctus Papa caesus est, & diversorum sacerdotum turba conclusa, tunc demum diversorum basilicas in civitate regia & in locis celeberrimis proposita est charta damnationis praefati Theodori vel excommunicationis Episcoporum diversorum huic errori consentientibus. Quae charta tamen ante praeteritis mensis facta est, ut dictum, in basilica beati Apostoli Petri in Ormisda, sicut textus lectionis subter ostendit. Ideo istas vobis chartas transmittimus ut cognoscatis quae sunt acta de beatissi-

tissimo Papa vel de talibus Episcopis seu de Diaconibus & reliquis ministris ipsius contestantis suos ante conspectum ut ipsas chartas in provincia vobiscum deferatis & cunctis innotescatis. Vos sciatis, & Deus sine dixeritis & in die judicii mecum essitis rationem facturi ante tribunal Christi. Et ne forte Theodorus, qui pridem Caesareae Cappadociae fuit Episcopus, & nunc a nobis victus & praesens damnatus est, malitia & fraude quae cunctis innotuit ad simulationem fidei nostrae iniquitatis suae aculeos atque arma convertat, breviter dicimus nos illam fidem tenere, praedicare, atque defendere quae ab Apostolis tradita & a sanctis patribus apud Nicaeam sub Constantino piae memoriae Principe congregatis in symbolo exposita est, & Constantinopolim CL. sancti Patres in ipso symbolo exprimentes latius declararunt, necnon ea quae apud Ephesinam primam synodum contra impiissimum Nestorium congregata est, cui sanctae memoriae Caelestinus decessor noster & Cyrillus Alexandrinae Pontifex Ecclesiae praesederunt, super his etiam ea quae apud Chalcedonem a DCXXX. patribus nostris sub Marciano Imperatore definita sunt. Nihil adicimus his quae de fide a memoratis quatuor Conciliis bene constituta sunt, nihil penitus subtrahentes; sed cuncta inviolabiliter per Dei gratiam custodimus, & anathematizamus omnes haereticos qui contra hos sapuerunt vel sapiunt, idest, Arrium, Macedonium, Eunomium, & omnes qui errori eorum consenserint atque consentiunt, anathematizantes etiam Paulum Samosatenum, Photinum, Bonosum, atque Nestorium, & quicunque illorum blasphemiis aut praebent aut praebuerint aliquando consensum. Item anathematizamus Valentinum, Manichaeum, Apollinarem, atque Eutychem, simulque Dioscorum, & omnes qui erroribus eorum usque in die mortis suae implicati manserunt. Sed & si quos haereticos nominatim omisimus & in cujuslibet erroris morbum polluti usque ad finem exitum permanserint condemnamus, abicimus, atque respuimus. Illa vero dogmata quæ solam fidem catholicam quæ in suprascriptis quatuor synodis ab Apostolis tradita & usque ad se custoditam nobis tradidisse noscuntur inviolabiliter operante gratia Domini custodimus, confitentes nos de sacramento incarnationis Domini Dei nostri Jesu Christi secundum intellectum memoratum patrum & beatissimi decessoris nostri Leonis, ut breviter dicamus, hoc sapuisse vel sapere, verbum ac filium Dei, qui intemporaliter atque ineffabiliter ex patre natus est sine matre, & est patri atque spiritui sancto æqualis & consubstantialis atque coæternus, cum venisset plenitudo temporis, pro salute humani generis descendisse in utero virginis, a patris gloria minime recedendo, & sine conversione sua in carne etiam hominem factum, natum esse matris virginis integritate reservata, quippe qui superveniente spiritu sancto & virtute altissimi obumbrante sine homine patre conceptus, unus idemque filius Dei patris & filius hominis matris. Neque enim adsumpta humana natura coæternitas facta est, sed sancta trinitas mansit trinitas adsumpcione carnis singulari verbo Domini ineffabiliter conservans unius personæ sibi substantiæ Dei & hominis veritate; quoniam post incarnationem verbi ac Dei non eum tantummodo dicimus Deum nec tantummodo hominem, sed Deum perfectum, & eumdem ipsum hominem perfectum, unum filium Dei, quem ex duabus & in duabus naturis inseparabiliter confuseque unitis agnoscimus passibilem carne & eundem ipsum impassibilem deitate, consubstancialem patri secundum divinitatem, & consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque sorde peccati. Datum VIIII. Kal. Septembris imperante Domino Justiniano perpetuo Augusto anno XXV. post consulatum Basilii V. C. anno X.

Post epistolam Joannis Episcopi Ravennatensis ad sanctum Gregorium quæ incipit *Reverentissimus conservus meus Castorius &c.* sequitur in MS.

## *EXEMPLUM PRÆCEPTI.*

Dilectissimo fratri Petro Johannes. Convenire novimus rationi ut eos amictu pallii decoremus quos in illis civitatibus divina inspirante misericordia sacerdotii honor inluminat in quibus hoc etiam illis qui præteritis temporibus fuere Pontifices ab apostolica sede esse constat indultum. Ideoque caritati tuæ usum pallii, sicut decessores tui habuisse noscuntur, præsenti auctoritate concedimus, atque ea omnia circa honoris tui privilegium volumus permanere quæ anterioribus temporibus Ecclesiæ tuæ constat esse servata, ut nihil prorsus de privilegiis ejus doleas deminutum. *Et subscriptio domni Papæ.* Deus te incolumem custodiat. x. Kal. Octobris, imperante domno * Justiniano Augusto. * Justino.

## *FRAGMENTA EPISTOLARUM*

### *Pelagii Papæ primi.*

*Pelagius Agnello Ravennati.* Fraternitati tuæ injungimus ut eligas talem virum in Presbyterum qui fixus in religione, & bonus in moribus, & in resistendo adversariis efficax possit existere, & dirigas ad sanctum virum gloriosum Johannem Patricium, hoc ei ante omnia præcipiens ut nullum alıud præter meum & tuum nominet nomen inter sacra mysteria.

*Idem Marcello Episcopo Senoniensi.* Caritati tuæ quae observare debeat significare curavimus, id est, ut Valentino clerico, cui mulier cum alio ante velata, non tamen ei nupta, sed virgo permanens, post mortem ejus cum quo velata erat sponso conjugali est copula sociata, quia interim velamen acceperit, nullum in promovendo generetur obstaculum, quia nihil est, quantum ad hunc articulum pertinet, quod ei de canonicis obviet constitutis. *Et post pauca.* Pari etiam auctoritate mandamus ut & de monasteriis probatæ vitæ monachos debeas ad sacratos ordines promovendos eligere, eo duntaxat moderamine custodito ut neque monasteria ab optimis personis ex toto vacuata reddantur, neque Ecclesiæ remaneant sine sacerdotibus destitutæ.

*Pelagius Iohanni Episcopo Larinato.* Nostræ auctoritatis præceptionibus libenter duximus annuendum, decernentes & præsenti dilectioni tuæ auctoritate mandantes ut de monasteriis in Lucania & Samnio constitutis possessionibusque eorum, omni penitus sive consortium tuorum sive cujuslibet laici potestate submota, sed nec tuæ quoque caritati, quantum ad privata compendia pertinet, aliqua permissa licentia, sola sacerdotalis cura pro utilitatibus prædictorum monasteriorum gubernandis possessionibusque eorum quæ sunt profutura disponas, ut nihil in his, sicut præfati sumus, privatis compendiis vendicando, ea tantum quæ ipsis monasteriis utilitatibusque eorum tam in dispositione congregationum quam in cultura possessionum ad ea pertinentium necessaria esse perspexeris competenter exerceas & diligenti studio peragere non prætermittas, omni quibuslibet laicis, sive in præfatis monasteriis, sive in possessionibus eorum, quicquam gerendi vel disponendi interdicta licentia. Vide S. Gregor. lib 12. epist. 30.

*Pelagius Juliano Episcopo * Cingulano.* Iterata frequenter jussione præcipimus ut non hæc negligenter, sed omnia fideliter & strenue agas, nec in aliquo gravari patiaris Ecclesiam. Nam & de mancipiis memor esto, quia istud tibi jussimus ut viros qui forte gynicæo utiles esse possunt concedas illis, ita tamen ut pro artificii ipsorum merito in agricolis compensentur Ecclesiæ. Nec enim ejusdem æstimationis est artifex & ministerialis puer contra rusticum vel colonum. Ita ergo illa quæ domni ipsorum sunt utilia concede ut tu compensationem de agricolis non remittas. Vide ergo * ne tales des homines qui vel continere casas vel colere possint, & illos tollas qui * at

* Juliani Episcopi Cingulani mentio habetur in sententia Papæ Vigilii adversus Rusticum & Sebastianum.
De Paulino Aquilejensi vide Pelag. epist. 5.

inn-

inutiles sunt. *Et post alia*. Nam de rusticis, & qui possunt conductores vel coloni esse, si capillum relaxaveris, nulla erit ratio quæ me circa te placare prævaleat. *Et infra*.. Ext. universa quæ neglexeris necesse est compensari.

*Pelagius Papa Joanni magistro militum*. Paterno vos salutantes affectu petimus ut, si prodesse catholicæ paci contenditis, Paulinum Forosimproniensem pseudoepiscopum ad nos sub digna custodia dirigatis. Satis enim turpe est ut vestram vivacitatem illic positam illudere glorietur, & nec comprimi a vobis nec detineri posse ad suam superbiam jactet. Nolite ergo inultam & in vestris prorumpentem injuriis contumaciam vagari permittere, sed præfatum pseudoepiscopum vestrorum hominum sollicitudine detentum ad nos, sicut dictum est, dirigere festinate.

# FRAGMENTA

## *Epistolarum Pelagii II.*

PElagius II. Papa. Synodorum congregandarum auctoritas apostolicæ sedi privata commissa est potestate, nec ullam synodum generalem ratam esse legimus quæ ejus non fuerit auctoritate congregata vel fulta. Hæc auctoritas testatur canonica, hæc historia ecclesiastica roborat, hæc sancti patres confirmant.

*Pelagius Eucarpo Episcopo Messanensi*. Caritatem illam qua dilectionem tuam semper amavimus omnia superare secundum Apostolum credimus & nullum sanctitati tuæ laborem pro ecclesiastico statu onerosum existere. Scit fraternitas tua quia pro peccatis nostris omnes quæ sua quærunt, non quæ Jesu Christi. Hæc ideo praelibavimus quia tibi rursus Catinensis Ecclesiae visitationem injungimus, cujus Episcopum de hac luce transisse suscepta cleri relatione didicimus. Mox ergo dilectio tua ad supradictam Catinensem Ecclesiam pergat, & hominem de clero qui nec uxorem habeat nec filios nec crimen aliquod canonibus inimicum eligi cum auxilio Dei compellat atque suadeat, & statim eum ad urbem Romam cum decreto & testificatione relationis tuae transmitte. *Vide Gratianum dist.* 61. *cap.* 17. Catinensis.

*Pelagius Papa clero Catinensis Ecclesiæ*. Talia quidem jamdudum ad fratrem & coepiscopum nostrum Eucarpum de visitatione Catinensis Ecclesiae scripta direximus &c. *ut to. V. Concilior. pag.* 955. *& apud Gratianum* 8. *q.* 3. *cap.* 1. Talia.

*Idem*. Fraternitatis tuae relatione suscepta, ejus latorem secundas quidem nuptias expertum non fuisse didicimus, castitatem tamen eum priori non servasse conjugio designasti. Et quamvis multa sint quae in hujusmodi casibus observari jubeat subtilitatis auctoritas, tamen quia defectus temporum nostrorum, quibus non solum merita sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram, & aetas istius de quo agitur futurae incontinentiae suspicionem auferre dignoscitur, ut ad diaconatus possit ordinem provehi, temporum condescendentes, ut dictum est, defectui, concessisse nos noveris, ita tamen ut de moribus & vita vel actu ipsius tu in diem judicii ante tribunal illud terribile reddas communi domino rationem: quia sic praeterita prae angustia temporis mitigamus ut caute atque sollicite futuris excessibus obviemus. Propter quod jubemus Micinam ancillam, de qua se post uxoris transitum habere confessus est filios, neque cum ipso manere liceat, & cuicunque monasterio continentiam professura tua dispositione tradatur, ut meliori forte ad quod promovetur officium sub bonæ possit famæ merito ministrare, nec aliqua opinionis ejus maculandæ relinquatur occasio.

Vide Gratianum dist. 34. cap. 7. *Fraternitatis*.

## EPISTOLA HADRIANI PAPÆ I.

### *Ad Fulradum & Maginarium*.

HAdrianus Episcopus servus servorum Dei dilectissimis Fulrado Archipresbytero seu Maginario Abbati. Si extraneis ignotisque personis apostolica suffragia irrogantur, quanto elegantius agitur qui sanctæ nostræ Ecclesiae pariter fideliterque servitia crebro exhibentibus ecclesiastica prædia collocemus. Igitur quia postulatis a nobis quatenus hospitale intus venerabilem basilicam domini & fautoris nostri beati principis Apostolorum Petri situm post oratorium sancti Leonis Confessoris atque Pontificis euntibus ad sanctum Andream manu dextra juris venerabilis basilicæ existentem vobis ad tenendum emissa præceptione concedere deberemus, inclinati precibus vestris per hujus praecepti seriem suprascriptum hospitale in integro a praesenti quinta indictione diebus vitae vestrae vobis concedimus detinendum, ita sane ut a vobis singulis quibusque indictionibus pensionis nomine rationibus ecclesiasticis, id est, venerabili basilicæ beati Petri, unum auri solidum difficultate postposita persolvatis, omnemque qua indiget fabrica melioratione ac defensione prædictum hospitale indifferenter vos sine dubio procurantes efficiatur, nullaque praeterea ad dandam annue pensionem a vobis mora proveniat, sed ultro actionariis sanctae nostrae Ecclesiae, id est, basilicae beati Petri Apostoli, apto tempore persolvatur. Nam si aliter, quod absit, a vobis provenerit de suprascripta fabricae melioratione ac defensione necnon & persolvenda annua pensione, statuimus fore invalidam hanc nostram praeceptionem. Post vero obitum vestrum memoratum hospitale, ut superius legitur, ad jus sanctae nostrae id est jamdictae basilicae beati Petri Apostoli nihilominus revertatur. Scriptum per manum Theodori Notarii & Scriniarii in mense Novembrio, indictione suprascripta quinta. Bene valete. Data Kal. Decembris regnante Domino & salvatore nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat cum Deo patre omnipotente & spiritu sancto per immortalia saecula, anno pontificatus nostri in sacratissima beati Apostoli Petri, sub die Deo propitio decimo, indictione quinta.

Ex L. VII. Misc. 811. pag. 140.

An. 781.

Vide epist. Stephani II. ad Fulradum to. 1. Concilior. Galliae, pag. 38.

### *Cujusdam Papæ, fortassis ejusdem Hadriani, bulla de concessione fundi Apaniani*.

QUotiens illa a nobis tribui sperantur quae rationi incunctanter conveniant, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ideoque quia postulasti a nobis quatinus fundum Apanianum cum domo sua & vinea posita via Flaminia XIII. plus minus miliaribus ab urbe Roma, quae tenuit per emunitionem Sergius Presbyter & Vestararius noster, qui fundus existit ex corpore patrimonii Tusciae juris sanctae Romanae cui Deo auctore deservimus Ecclesiae, hac vobis emissa praeceptione ad tenendum concedere deberemus, inclinati itaque precibus vestris, per hujus praecepti seriem supradictum fundum cum domu & vinea & omnibus ei pertinentibus in integro a praesenti VIII. indictione diebus vitae vestrae vobis concedimus detinendum, ita sane ut a vobis singulis quibusque indictionibus pensionis nomine rationibus ecclesiasticis III. auri solidos difficultate postposita persolvantur, omnemque qua indigent meliorationem ac defensionem praedictus fundus, & vinea seu domus indifferenter a vobis sine dubio * procurantur efficiant, nullaque praeterea ad dandum annuae pensionis a vobis mora proveniat, sed ultro actionariis sanctae nostrae Ecclesiae apto tempore persolvatur. Nam si aliter, quod absit, a vobis provenerit de suprascripta melioratione defensione, & annua pensione, statuimus fore invalidam hanc nostram praeceptionem. Post obitum vero vestrum me-

* f. Procurentur & fiant.

moratus fundus ad jus sanctae nostrae Ecclesiae, cujus est proprietas, in integro revertatur. Datum Idibus Aprilis indictione VIII. anno Domini ill.

## GREGORII PAPÆ QUARTI

*Epistola ad Episcopos & alios Dei fideles per Galliam constitutos, de dignitate & privilegiis monasterii Floriacensis.*

Ex L. II. Misc. Bal. pag. 143.

Anno Christi 834.

Vide Theganum cap 42.

GRegorius Episcopus servus servorum Dei omnibus Episcopis atque aliis Dei fidelibus per Galliam constitutis. Quoniam ex apostolica successione sollicitudinem omnibus Ecclesiis debemus impendere, sic cupimus generali consulere necessitati ut etiam quorumcunque singulares causas sine fastidio cognoscamus. Igitur cum propter multiplices Ecclesiae Dei curas Gallicanam adeuntes regionem ad gloriosum devenissemus Imperatorem Hludovicum, inter alia suggessit auctoritati nostrae idem serenissimus Augustus, & venerabilis partium vestrarum Abbas ex cœnobio quod nominatur Floriacus in pago Aurelianensi, quod idem monasterium quidam religiosus Abbas Leodebodus nomine monachis extruxerit in honorem Dei & sanctae genitricis Mariae necnon beati principis Apostolorum Petri, quodque revelatione divina per monachos ejusdem loci a Capuana provincia corpus illuc sancti Benedicti fuerit allatum, ibique reverenter humatum, sicut manifestissima constat historia. Nam propter stabilimentum monasticae religionis piae memoriae Imperator Karolus pater ejus per praeceptum suae auctoritatis eidem loco multa contulit, & ab aliis collata testamento firmavit. Unde postulavit idem amabilis Deo Princeps supra memoratus praefatus Abbas ad reprimendam quorundam cupiditatem privilegium nostrae auctoritatis eidem monasterio conferri. Quapropter constituimus, cum consilio omnium qui adsunt Episcoporum, quatinus possessiones & res ejusdem monasterii mobiles sive immobiles, quae nunc datae sunt, vel in futurum a religiosis dabuntur, sine ulla inquietudine perpetualiter teneant atque possideant. Nullus deinceps Episcopus, Dux, Comes, Vicecomes, Vicarius, Telonearius, Actionarius, vel magna parvaque persona audeat ipsum monasterium vel res ad ipsum pertinentes inquietare, homines sine voluntate Abbatis distringere, vel quicquid fiscus exigere poterat aliquo modo praeripere. Addimus etiam, ut quia venerabilis pater Benedictus monachorum legislator & dominus, dux est religionis monasticae, sit etiam qui eidem cœnobio praefuerit primus inter Abbates Galliae; nec aliquis de ordine sacerdotali, Archiepiscopus scilicet, Episcopus, aut Clericus, eum inquietare nec sine voluntate ipsius ad idem monasterium venire aut aliquam ordinationem facere vel Missas celebrare praesumat; ut omni tempore quieti & securi absque omni molestia vel controversia monachi in eodem monasterio Deo deservire possint. Abbas vero qui ordinandus ibi est, cum electione fratrum, propter vitæ meritum & honestatem morum, & non propter turpia lucra seu per pecuniam eligatur, & absque ulla calumnia, a quocunque Episcopo, prout sibi placuerit, benedicatur. De sacerdotibus vero aut Diaconibus ordinandis id observetur quod in regula praecipitur, ne saltem aliquis Episcopus subjectionem ab eis requirat quos ordinavit, nec unquam officio dignos ordinare differat.

Regula S. Bened. c. 62.

Denique si contigerit ut Abbas accusetur de criminalibus causis, non unius Episcopi judicio determinetur sententia, sed provincialis Concilii expectetur censura. Aut si forte maluerit appellare sedem apostolicam, res ad Romani Pontificis differatur audientiam. Et quotiescunque necessitas urget, cum venire Romam modis omnibus liceat. Solvendi & ligandi potestatem in viros & feminas sui ordinis habeat. Si vero Abbas vel monachus de eodem monasterio ad clericatus ordinem promotus fuerit, non illic habeat ulterius potestatem remorandi aut aliquid faciendi. Quia vero de eodem monasterio monachi exigente culpa communione priventur, ejus dioceseos diversa loca adeunt, & communionem sine aliqua reservatione percipiunt, presbyteris districtius interdicere necesse est ut facere de cætero non præsumant: quia & regularis ordo dissolvitur, & perditionis ex hoc materia ministratur. Quod si peccatis habitatorum terrae exigentibus anathema ad eos pervenerit, vel privilegium eidem monasterio indulsimus ut fratres ejusdem congregationis peragant divinum officium in omnibus absoluti. Visum quoque nobis est ut hanc licentiam eidem tribuamus, quatinus fratres qui in quibusdam cœnobiis gemunt quod vivere regulariter nequeant, si voluerint, studio meliorandae vitae, ad ipsum ducem monachorum divertere, permittatur eis tamdiu in ipso coenobio degere, si contenti fuerint uti monastica consuetudine, quousque in suis monasteriis videatur ordo redire. Permittimus etiam ut si alicujus de ipsis fratribus onerosa conversatio fuerit, ipse potius cum suo detrimento discedat quam alios inquinet. Haec igitur omnia, quae hujus praecepti decretique nostri pagina continet, tam eidem Abbati quam cunctis qui in eo quo est ordine locoque successerint, vel quorum interesse poterit, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero Regum, sacerdotum, judicum, atque secularium personarum hanc constitutionis nostrae paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate carest, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & nisi vel illa quae ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna poenitentia illicita acta defleverit, a sacratissimo corpore & sanguine Domini Dei redemptoris Jesu Christi alienus sub anathematis interdictione fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Scriptum per manus Theodori Notarii & Scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, & Indictione * VII. * XII.

## FORMOSI PAPÆ

*Epistola ad Bernonem Abbatem Gigniacensem de privilegiis ejusdem monasterii.*

Ex L. II. Misc. Bal. pag. 159.

Anno Christi 896.

FOrmosus servus servorum Dei Bernoni religioso ac venerabili Abbati cœnobitarum sito territorio Lugdunensi, quod in honore beati Petri Apostolorum principis constructum esse dinoscitur in loco qui Gigniacus perhibetur, ac in eodem venerabili monasterio in perpetuum. Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere & poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum pretium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur properans ipse Berno venerabilis Abbas ad beatorum Apostolorum limina, nostramque adiens apostolicam praesentiam, retulisti nobis ipsum memoratum coenobium a te tuoque consobrino nomine Laifino de propriis rebus vestris duntaxat in honore sancti Petri constructum atque dicatum existere, & ut ab omnibus immutilatum servetur, per testamenti paginam, quod nobis servandum contulistis, eidem beato Petro caelestis regni clavigero nobisque per Dei gratiam Vicario obtulistis ad sempiternum vobis remedium conferendum. Ideo suggessistis nostro apostolatui ut apostolici nostri privilegii illud sanctione muniremus. Quapropter quod statuistis devote admittentes, petitionemque vestram ratam arbitrantes, inclinare precibus vestris per hujus praeceptionis seriem prae-

praedictum venerabile coenobium cum cellis, seu casis, terris, vineis, casalibus, fundis, pratis, silvis, una cum colonis & colonabus, necnon & cellulam quae vocatur Balma, cum adjacentiis suis, omnia & in omnibus quae tam a gloriosis Regibus quam ab aliis Deum timentibus inibi data vel praecepta sunt, vel deinceps Domino adjuvante donanda erunt, hac praesenti tertiadecima Indictione apostolica auctoritate confirmamus, munimus, & in perpetuum sub jure & ditione atque potestate beati Petri Apostoli & nostra confirmatum stabilimus, ita scilicet ut nulli homini quamlibet dignitatem fulcito licitum sit aut etiam de ipsis donatoribus quamcunque vim aut aliquam oppressionem ibidem inferre aut res donatas vel amodo devote donandas quoquo modo auferre. potius autem firmum & ab omnibus immutilatum custodiatur ad jus & protectione beati Petri Apostolorum principis. Si autem, quod humanum est, Abbas praedicti coenobii obierit, congregatio ipsius monasterii ex se ipsis secundum Deum & regulam beati Benedicti, quem idoneum praeviderint, concordi voto habeat semper eligendi & secundum morem in Abbatem sibi praeficiendi. De decimis autem questi estis, eo quod de propriis vestris a vobis persolvi quaerantur. Quod si ita se res habet, hoc ne fiat interdicimus; maxime cum scriptum sit ne sacerdotes decimas dare cogantur. Quisquis autem, quod non optamus, tam ex ipsis donatoribus quam ex aliis temerario ausu de donatis rebus vel donandis aliquid auferre praesumpserit, sive quamlibet (calumniam) eidem monasterio ipsiusve monachis ingerere tentaverit, & contra hoc nostrum apostolicum privilegium agere non formidaverit, sciat se anathematis vinculis innodandum, &, nisi resipuerit, a regno Dei alienandum. Qui autem verus custos & observator hujus pii nostri statuti extiterit, benedictionem & gratiam a Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Sergii Scriniarii sanctae Romanae Ecclesiae, in mense Novembrio, Indictione suprascripta, per manum Stephani Cancellarii sanctae sedis apostolicae, imperante Domino piissimo Augusto Arnulfo a Deo coronato. Benevalete.

## EPISTOLA LEONIS VIII. PAPÆ

*de privilegiis abbatiæ Montis majoris.*

Ex L. iv. Misc Bal. pag. 418.

Circa an. 964.

LEo Episcopus servus servorum Dei, Mauringo religioso Presbytero & monacho atque Abbati venerabilis monasterii beati Petri Apostolorum Principis, quod situm est territorio Provinciae in locoque Montemajore, & per te in eodem venerabili monasterio successoribus tuis in perpetuum. Si semper sunt concedenda quae piis desideriis congruunt, quanto potissimum ea quae pro divini cultus praerogativa noscuntur, non sunt omnino anneganda, quae sunt a largitoribus non solum poscenda, sed vi caritatis procuidubio exigenda. Igitur quia petiit a nobis tua religiositas quatinus confirmaremus vobis & vestro monasterio in honorem videlicet beati Petri Apostoli (fundato,) quod situm est in Monte qui major (dicitur,) pro voto & amore dilectissimi & carissimi filii nostri Imperatoris cum summa reverentia nominandi Ottonis & Adalaisae carissimae Imperatricis conjugi ejus filiae carissimae nostrae spirituali, ut privilegium sedis apostolicae largiamur, ipso namque monasterio in integro cum Ecclesiis suis, terris & silvis, fundis & casalibus, cum servis & ancillis, & monasterium desertum antiquumque Horiuc cum omnibus adjacentiis vel pertinentiis suis, necnon & villa quae Tunneto cum servos & ancillas, vineis seu terris, cum omnem dationem & publicam functionem, quae sita est in comitatu Bedarese, pariter & cellam sancti Honorati in integro cum omnibus sibi pertinentibus, sitam in comitatu Aquense, ubi dicitur Rocca fraudosa, & sunt in comitatu Tolonensi; castrum qui nuncupatur septem furnos cum omnibus appendiciis suis; id est, villis, salinariis, piscationes, salinas quae vocant Eras, & omnia ibidem pertinentia, & sunt in comitatu Arelatensi; terra sancti Petri in castro Fossis, vallem quae nominatur sancti Petri ab ipsis Ecclesiis, in primis sancti Petri, sancti Martini, sancti Juliani, sancti Genelii, sancti Hermetis; & in ponte vaso uno qui Venroso vocatur; & in comitatu Avenionense, in villa quae vocatur Casus, sunt mansi octo & Ecclesia disrupta cum servis & ancillis; & in comitatu Regensi curtem quae nominatur Criselgis, cum servis & ancillis, sive etiam & aliis locis quae a priscis temporibus in eodem monasterio a Christianissimis hominibus conlata fuerunt, vel quae amodo in antea conceduntur, per hunc nostrum apostolicum privilegium vobis vestrisque successoribus in perpetuum confirmamus; quatinus sub jurisdicione sanctae nostrae, cui Deo auctore præsidemus, Ecclesiae constitutum, nullius Ecclesiae jurisdicioni submittatur, præstante praenominato monasterio sanctae nostrae Ecclesiae pro luminaris solidos quatuor. Quod si propter longinquitatem itineris aut forsitan inimicorum discrimen, aut propter regni diffidium, superius nominatam pensionem quotannis solvere non potueritis, liceat vobis post tertium aut quartum annum de præteritis annis omnem simul pensionem nobis nostræque Ecclesiae persolvere. Pro qua re piis votis faventes ac nostra auctoritate id quod a tua religione exposcitur effectui mancipamus; & ideo omnem cujuslibet Ecclesiae sacerdotem infra praefati Monasterii ditionem qualibet auctoritate, nisi ab Abbate monasterii fuerit invitatus, Missarum sollemnitatem celebrare omnino probibemus, statuentes atque promulgantes apostolica auctoritate sub interminatione futuri judicii nulli licere nostrorum successorum Pontificum vel aliae cuilibet magnae parvaeque personæ, tam Dux, sive Marchio, aut Comes, sive tam gastaldus, vel cujuscunque dignitatis praeditus sit homo, haec quae a nobis intemione decreta sunt privilegia pia in quoquam convellere, potius firma stabilitate inconvulsa manere definimus, atque anathematis vinculo, nisi resipuerit, perpetuis temporibus observanda. Qui vero pio intuitu custos & observator hujus nostri privilegii, praecepti, confirmationis paginam in omnibus extiterit, benedictionis gratiam a retributore omnium bonorum Deo consequi mereatur & vitae aeternae particeps efficiatur. Cura ergo tuae sit monasterii fratres quo praes egregiis moribus ac vita inreprehensibili exornare, ut profecto juxta id quod subjectos apostolicis privilegiis maluit inconcusse dotando, desideret potius & anhelet inviolabili caelestis affluentiae munere diurnis disciplinae precibus decorandos. Sit profecto communis & sincera vita, sit sobria communionis sinceritas; ut quibus mundus est mortuus ac sepultus, per incentiva contentionis vitia minime suscitetur; quia incassum quis & frustra laborare cognoscitur si superbiae vitiorum auctrici colla submittere sentiatur. Sit excelsa in Deo humilitas, quia per hanc electi arcem caelestium munerum possederunt. Sit igitur ante oculos mentis & corporis traditionum regula, quam sancti quidam tradiderunt patroni, ut unusquisque praelatus noverit qualiter debeat imperare subjectis; ne dum aspera & non unicuique servari aptissima videntur imponi, atque ad contemptum prorumpant de imperantis indiscretione subjecti. Sit itaque moderata vivacitas, sit sollicitudinis supereminens in fratribus serenitas; ut dum regulariter omnes qui se Deo integerrime conferunt per obedientiae lineam bene servientes temporalia, ad gaudia caelestis patriae perveniat sempiterna. Et hæc quidem quae ad sollicitudinem pertinent dixisse sufficiunt. Ante omnia vero redemptoris nostri misericordiam cum ingemiscimus, redemptionem nostram expectantes enixius cum singulis gentibus expectamus, ut ea quae pietas flagitat, fragilitas humanae conditionis sufficienter atque confidenter

ter

ter de ſui auctoris ſuffragatione adimpleat. Seriptum per manus . . . . . . *Cetera deſunt.*

---

## GREGORII V. PAPÆ

### *Epiſtola de privilegiis Abbatiae Montismajoris.*

Ex L. IV. Miſc. Bal. pag 432.

an. 998.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Convenit apoſtolico moderamini pia religione pollentibus benivola compaſſione ſuccurrere & poſcentium animis alacri devotione impertiri aſſenſum. Ex hoc enim lucri potiſſimum praemium a conditore omnium Deo promeremur, cum venerabilia loca ordinata ad meliorem fuerint ſine dubio ſtatum perducta. Igitur ob hoc univerſitati pateat credentium quoniam abbatiam in honore ſanctae Dei genitricis ſemperque virginis Mariae Dominae noſtrae & ſancti Petri in Monte Majoris conſtitutam per hujus noſtrae auctoritatis privilegium integerrime corroboramus & confirmamus in perpetuo, cum omnibus videlicet Eccleſiis, oraculis, curtibus, maſſariciis ad ipſam reſpicientibus quae ab aliquibus fideliſſimis Chriſtianis eidem ſancto monaſterio conceſſa ſunt, vel quae etiam per aliqua munimina ad eundem pium locum pertinere videntur, eo ſcilicet ordine ut monachi ipſius coenobii ſimul cum Abbate qui pro tempore fuerint, praetaxatas Eccleſias, oracula, cortes, maſſaricios, ſervus, ancillas, aldiones & aldianas, ſine alicujus majoris vel minoris perſonae contradictione habeant, teneant & poſſideant, atque in eorum uſum ac ſumtum prout melius praeviderint diſtribuant, noſtra apoſtolica auctoritate concedente. Inſuper etiam ex noſtro dono noſtra apoſtolica auctoritate in uſu & ſalario praefati venerabilis monaſterii in perpetuum concedimus & confirmamus, caſtrum videlicet in integrum qui vocatur Bidnino cum territorio ibidem pertinente & cum omnibus adjacentiis, vel pertinentiis ſuis quae Iſmido per donationis cartulam Domino Deo & ſancto Petro ſub jure noſtrae ſanctae Romanae Eccleſiae donavit, ea videlicet ratione ut poſt diem obitus ſui & de tres filiis ſuis nominative, Bermundus ſcilicet, Faraldus, & Lotgerius, totum ipſum caſtrum noſtrum in poteſtate de monachis ex ſupradicti monaſterii devenirent, & quamdiu vixerint ipſi ſupradicti tres filiis ſuis medietatem de ſupradicto caſtro teneant & poſſideant. Mortuo vero uno portionem illius ad monaſterium revertat, & ita proſequentibus quando aliis obierint, ſimiliter portionis illorum in ſancto monaſterio revertatur. Cenſu vero pro jure ſancti Petri, ſicut ipſe Iſmido conſtituit, infra quinque annos tres libras olibani monachi ad altare ſancti Petri perſolvant. Haec omnia ſupradicta loca cum omnibus eorum pertinentiis per hujus noſtri privilegii auctoritatem monachis ipſius monaſterii tenenda & poſſidenda concedimus in perpetuo, ita ut nullus Dux, neque nullus Epiſcopus, neque Princeps, neque Marchio, neque qualibet magna parvaque perſona de praefatis omnibus rebus quae inibi pertinere videntur audeant moleſtare vel inquietare, necnon ſub divini judicii promulgatione, & confirmatione, & anathematis interdictione corroborantes decernimus ut nullus Epiſcopus ſeu quilibet ſacerdotum in eodem venerabili coenobio pro aliqua ordinatione ſive conſecratione Presbyterorum vel Diaconorum, Miſſarumque celebratione, niſi ab Abbate ejuſdem loci invitatus fuerit, venire ad agendum praeſumat; ſed liceat monachis ipſius loci cujuſcumque voluerint ordinationis gradum ſuſcipere ubicumque voluerint. Abbates namque qui conſecrandi erunt de ipſa congregatione cum conſilio fratrum communiter eligantur, & ad eum conſecrandum quemcumque voluerint Epiſcopum advocent. Si quis autem temerario auſu, quod fieri non credimus, contra hujus noſtrae apoſtolicae confirmationis ſeriem venire aut agere temptaverit, ſciat ſe Domini noſtri Apoſtolorum principis Petri anathematis vinculo innodandum, & cum diabolo & ejus * atrocis pompis atque cum Juda traditore Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in aeternum ignem concremandum, ſimulque in voraginem tartareoſque chaos demerſum cum impiis deficiendum. Qui vero cuſtos & obſervator hujus noſtri privilegii extiterit, benedictionis gratiam & vitam aeternam a Domino conſequatur. Seriptum per manum Petri Notarii & ſcriniarii ſanctae Romanae Eccleſiae in menſe Aprilis, & Indictione undecima.

* foclis.

---

## GREGORII PAPÆ VII.

### EPISTOLÆ QUINQUE.

### *Privilegium pro Eccleſia S. Hilarii Pictavienſis.*

Ex L. VII. Miſc. Bal. pag. 123.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Canonicis ſancti Hilarii Pictavienſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Igitur ob reverentiam beati Hilarii confeſſoris, cujus corpus in eadem Eccleſia requieſcit, cujuſque doctrinae ſplendor non ſolum de Gallicanis partibus erroris tenebras expulit, verum etiam univerſali refulgens lumen contulit Eccleſiae, inclinati veſtris precibus, praefatam beati Hilarii Eccleſiam a Francorum Regibus & Aquitaniae Principibus conſtructam, eorumque praediis ac donis ditatam, in protectione ac tuitione ſedis apoſtolicae ſpecialiter ſuſcipimus, hujus privilegium auctoritatis noſtrae decreto indulgentes. Deinde ſtatuimus ut quaecumque bona praefata beati Hilarii Eccleſia ex donatione praedictorum Regum & Principum juſte poſſidet, ſive in futurum juſtis modis poterit adipiſci, vobis perenni tempore & ſine inquietudine aliqua illibata permaneant, adjicientes ne quiſquam deinceps Archiepiſcopus aut Epiſcopus beati Hilarii Eccleſiam aut ipſius Canonicos aut clericos excommunicare aut interdicere praeſumat, ſed omnis eorum cauſa gravior ex apoſtolicae ſedis judicio pendeat. Chriſma vero, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſive baſilicarum, ordinationes Canonicorum & clericorum, a quocunque malueritis catholico ſuſcipiatis antiſtite. Ad hoc adjicimus ut eadem beati Hilarii Eccleſia ſoli Romanae Eccleſiae ſubdita permaneat, & de tanta ſemper libertate atque auctoritate gaudeat. Ad indicium autem perceptae hujus a Romana Eccleſia libertatis per annos ſingulos unam auri unciam Lateranenſi palatio perſolvat. Si quis autem Archiepiſcopus, Epiſcopus, aut qualibet perſona hujus noſtri privilegii paginam agnoſcens, contra eam temere venire praeſumpſerit, ſi quae male facta fuerint non emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, & in extremo examine diſtrictae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem illi loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem praemia aeterna pacis inveniant. Datum Laterani x. Kal. Maii per manum Petri ſanctae Romanae Eccleſiae Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarii, primo anno pontificatus Domini VII. Gregorii Papae, indictione XI.

### *Epiſtola ad Canonicos Eccleſiæ Belvacenſis.*

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus ſanctae Dei Belvacenſis Eccleſiae filiis benedictionem apoſtolicae ſedis. Quoniam audivimus vos perfecte redintegratos cum dilectiſſimo filio & coëpiſcopo noſtro patre veſtro Widone, gaudemus, & ne quid ſeditionis ulterius fiat petimus & interdicimus. Sciatis etiam quoniam quicquid cum Lanzelino geſtum eſt, noſtra voluntate geſtum eſt, multum renitente & reclamante Domno filio & coëpiſcopo Wi-

Vide Gregor. VII. lib. 2. epiſtol. 8.

Widone, etiam aliquid gravius & acerbius in nos obloqui praesumente. Sed Ecclesiae vestrae nobis commissae commodo prospicientes, & excommunicationem a se factam rumpentes, quae inconsultius acta fuerat, eundem coëpiscopum nostrum absolvimus, & Militi pro quo vobis & Ecclesiae vestrae & patri vestro minus fidelis erat redonavimus Unde obnixe petimus & praecipimus ne super hoc minus benivoli coëpiscopo nostro patri vestro fueritis. Veritatem enim loquor vobis, quoniam nec voluit nec consensit. Valete filii mei.

### *Epistola ad Germanos.*

An. 1074. GRegorius Episcopus servus servorum Dei omnibus clericis & laicis in regno Teutonicorum constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Audivimus quod quidam Episcoporum apud vos commorantium, aut Sacerdotes, & Diaconi, & Subdiaconi mulieribus commisceantur aut consentiant aut negligant. His præcipimus vos nullo modo obedire vel illorum præceptis consentire, sicut ipsi apostolicæ sedis præceptis non obediunt neque auctoritati sanctorum patrum consentiunt. Testante divina scriptura, facientes & consentientes par poena complectitur. Sciunt namque Archiepiscopi & Episcopi terrae vestrae, quod omnibus fidelibus notum esse debet, quoniam in sacris canonibus prohibitum est ut hi qui per simoniacam haeresim, hoc est, interventu pretii, ad aliquem sacrorum ordinum gradum vel officium promoti sunt, nullum in sancta Ecclesia ulterius ministrandi locum habeant, nec illi qui in crimine fornicationis jacent Missas celebrare aut secundum inferiorem ordinem ministrare altari debeant. *Et infra*: Quapropter ad omnes de quorum fide & devotione confidimus nunc convertimur, rogantes vos & apostolica auctoritate commonentes ut quicquid Episcopi dehinc loquantur aut taceant, vos officium eorum quos aut simoniace promotos & ordinatos aut in crimine fornicationis jacentes cognoveritis, nullatenus recipiatis.

### *Ad Henricum Episcopum Leodicensem.*

An. 1079. PErvenit ad nos te fratrem & coëpiscopum nostrum Henricum Leodicensem Episcopum ad Apostolorum limina venientem ab Arnulpho Comite rebus tuis te expoliatum, & ad nequitiae augmentum gladiis jurare compulsum quod ablata nunquam repeteres, & hujus tanti sceleris a nobis sibi veniam impetrares. Cognita itaque contumelia tibi immo beato Petro illata, valde doluimus, asserentes fraternitatem tuam nullis juramenti vinculis posse teneri, quae tam nefandissime coacta juraverit. Unde & apostolica te auctoritate absolvimus, ut non tuae vel alicujus conscientiae * ab hoc videaris innexus. Insuper etiam eadem freti potestate, ne hoc in exemplum caeteris improbis audendi pejora sit futurum, fratri nostro Virdunensi Episcopo & aliis illius patriae beati Petri fidelibus summopere praecepimus ut eum ut tyrannum & Christianae religionis enucleatorem impugnent & armis tam carnalibus quam spiritualibus undique & ubique quantum possunt, nisi digne satisfecerit, insequantur. Volumus itaque ut praefatus Episcopus prius quoscunque potest Episcopos & reliquos sacerdotes sibi adjungat & illum Dei inimicum ad dignam satisfactionem convocet. Quod si digne poenitere & ablata restituere noluerit, datis sibi xv. dierum induciis, introitu Ecclesiae priverur, & praefato modo injuria beati Petri vindicetur usque ad satisfactionem.

Vid Gre. gor vii lib 7 epist 13. 14.

* ob

Vide Gregor vii lib 7 epist 13. 14.

An. 1083. GRegorius Episcopus servus servorum Dei R. venerabili sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali & Abbati Massiliensi salutem & Apostolicam benedictionem. Pervenit ad nos quod monachos illos qui Ecclesiam sancti Saturnini non sine licentia proprii Abbatis acceperant, ac deinde compellente eos jussu majoris Abbatis Cluniacentis eandem dimiserant, tua fraternitas illos postea quam satisfacientes exierint excommunicavit. Quod si ita est, non parum de prudentia tua miramur. Unde volumus atque praecipimus ut tam illos ab excommunicationis vinculo solvas quam & de caetero ne tam leviter in religiosos viros hujusmodi sententiam feras summopere cavere procures. Quid est enim aliud quam auctoritati derogari indiscrete vel temere in quasque honestas personas auctoritatis licentia uti? Quod ut de futuro vigilanter attendas sollicitèque provideas, iterum iterumque monemus.

Vide Gregor. 7. lib. 9 ep. 29. Vide etiam Catellum in Memoriis hev. occit. pag. 873. 874. & in historia Comitum Tolosanor. pag. 126.

### *Epistola Willelmi Regis Anglorum ad Papam Gregorium VII.*

An. 1076. EXcellentissimo sanctae Ecclesiae Pastori Gregorio gratia Dei Anglorum Rex & Dux Normannorum Willelmus salutem cum amicitia. Hubertus Legatus tuus, religiose Pater, ad me veniens ex tua parte me admonuit quatenus tibi & successoribus tuis fidelitatem facerem, & de pecunia quam antecessores mei ad Romanam Ecclesiam mittere solebant, melius cogitarem. Unum admisi, alterum non admisi. Fidelitatem facere nolui nec volo; quia nec ego promisi, nec antecessores meos antecessoribus tuis id fecisse comperio. Pecunia, tribus ferme annis, in Galliis me agente, negligenter collecta est. Nunc vero divina misericordia me in regnum meum reverso, quod collectum est per praefatum Legatum mittitur, & quod reliquum est per Legatos Lanfranci Archiepiscopi fidelis nostri cum opportunum fuerit transmittetur. Orate pro nobis & pro salute regni nostri, quia antecessores vestros dileximus & vos prae omnibus sincere diligere & obedienter audire desideramus.

Vide Gregor. vii. lib. 4. epist. 17.

### *Epistola B. Comitis Arelatensis ad Gregorium VII. Papam.*

An. 1081. SUmmo Pontifici & universali Papae G. Arelatensis Comes B. prosperari in omnibus & aeternae perfrui beatitudinis munere cum caeli civibus. Sublimissime Domine & princeps totius orbis terrae, si bene valetis, gratulor valde; si autem, quod absit, aliter, conturbor vehementissime. Ego enim sum vestri servus, & de injustitia quam hactenus passus estis ab iniquo judice ita sum afflictus quasi corpore & mente flagellis maximis verberatus. De caetero, Pater sanctissime, mando tibi qualiter Bermundus Abbas sancti Petri Montismajoris ab abbatia expulsus sit juste, & qualiter iste susceperit quem tibi mitto, Guillelmus nomine. Ille erat tanti namque flagitii & tantae impudicitiae quod puderet me alicui honesto viro dicere. Sed unum e pluribus nequeo tacere. Sodomitica quippe libido ultra modum in eum regnabat, & inde ab ullo vivente corripi non poterat. Ego quoque & monachi supradicti loci detestabilem hujusmodi rem agnoscentes nequivimus diu pati; sed consilio invicem habito, adivimus Archipraesulem Lugdunensis urbis, qui ei benedictionem tribuerat Abbatis, & ejus consilio atque judicio abbatiam quam ab Archiepiscopo Arelatensi a te anathemate percusso acceperat amisit, & hic qui nunc praeest paulo memorati Pontificis decreto regulariter subrogatus est ei, atque benedictionem ab eodem suscepit. Nunc ergo supplex imploro tui clementiam ut propria manu abbatiam a te suscipiat, & privilegia

Vide Gregor. vii lib. 6 epist 31. & lib. 9. epist. 6.

gia olim loco illi, qui est tuae ditionis, a patribus indulta corrobores manu propria, & novum sibi privilegium tui ea parte attribuas. Noscis enim quemadmodum dereliquerim Dei & sancti P. & Ri. ac tui pro amore omnes episcopatus & abbatias. Et nolo ut haec, quae semper mansit libera, cuilibet viventi nisi sancto Petro & tibi subjaceat. Valete.

## LITTERÆ

*Papæ Victoris Alberto Episcopo Virdunensi.*

Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 465.

VIctor Episcopus servus servorum Dei venerabili in Christo fratri Alberto Virdunensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Justa postulantium desideria celeri sunt effectu prosequenda. De discretione & prudentia personae tuae, venerabilis in Christo frater, plurimum confidentes, petitioni tuae, quam pro absolutione Ecclesiae sancti Michaelis ab apostolicae sedis clementia postulasti, grato tibi assensu annuere decrevimus. Inde est quod auctoritate apostolica liberam tibi potestatem absolvendi jamdictam Ecclesiam, quam ex praecepto praedecessoris nostri bonae recordationis Adriani clausisti, concedimus, & eis qui in eadem Ecclesia divinis invigilant servitiis officia sua tam Abbati quam monachis ex integro reddas. Ita tamen ut transactio illa quae inter monasterium sancti Michaelis & Ecclesiam sancti Dionysii pro bono pacis, praesente utraque parte, assistente etiam venerabili fratre nostro Cathalaunensi Episcopo, per te rationabiliter facta est, firma & illibata permaneat. Decernimus enim utriusque Ecclesiae paci sic providere ut omni contentione sopita, neutra de cetero super hoc laborare compellatur. Datum Papiae XIIII. Kal. Martii.

## URBANI PAPÆ II.

*Epistola ad suffraganeos Ecclesiæ Arelatensis.*

Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 129.

URbanus Episcopus servus servorum Dei suffraganeis Ecclesiae Arelatensis salutem & apostolicam benedictionem. Illa omnia sacramenta quae adversus Ecclesiae justitiam atque religionem confrater Guibilinus Archiepiscopus vester invitus & omnibus modis coactus jurasse cognoscitur, quia, ut prædiximus, Deo & Ecclesiae constitutionibus adversantur, decreti nostri auctoritate (irrita) omnino esse censemus & Arelatensi Ecclesiae annuente Domino perpetuo permanere decernimus. Eos autem qui praedictum virum captum gladiis & membrorum detruncationibus perterrentes nefandis sacramentis ausi sunt implicare, infames in perpetuum esse sancimus, & nisi congruam pœnitentiam egerint a Christi corpore & sanguine atque ab Ecclesiarum introitu segregamus.

*Ejusdem Urbani Papæ epistola ad Bernardum Archiepiscopum Toletanum.*

URbanus Episcopus servus servorum Dei dilecto fratri & coëpiscopo Bernardo Toletano salutem & apostolicam benedictionem. Litterarum præsentium lator ad nos veniens ab exorcista usque ad sacerdotium nullum ordinem se accepisse confessus est. Quod audientes plurimum mirati sumus. Et quia ejus persona nobis ignota sine litteris & sine ullis indiciis nostro se præsentavit conspectui, eum strenuitati tuæ remisimus, praecipientes ut causam ejus diligenter inquiras; & si quod refert verum esse constiterit, a sacerdotio male & inordinate accepto, indicta quam dignam duxeris pœnitentia, per annum cessare jubebis. Anno vero transacto, si ejus vita & conversatio talis visa fuerit & alia non impediunt ut honore digna sit tanto, omnes ordines quos non accepit cum ipso pariter presbyteratu, siquidem presbyteratum gratis assumpserit; illi restituas.

*Ejusdem Urbani Papæ epistola ad Villelmum Archiepiscopum Rothomagensem.*

URbanus Episcopus servus servorum Dei Willelmo dilecto fratri Rothomagensi Archiepiscopo & Canonicis sancti Mellonis de Ponte Isarae & habitatoribus ejusdem castri salutem & apostolicam benedictionem. Significatum nobis est quia prohibetis monachos Beccenses qui sunt in Ecclesia sancti Petri de Ponte Isarae pulsare signa sua ad horas secundum ordinem suum. Quod, nisi vobis parceremus, quam irreligiosum & inhumanum sit & de qua radice procedat detegeremus. Paterna igitur monitione & praesenti auctoritate præcipimus ne ulterius hanc prohibitionem faciatis aut fieri permittatis, sed illos secundum ordinem monachicum & signa pulsare & per omnia ordinem suum servare absque omni impedimento concedatis. Data trans Tiberim III. Kal. Augusti.

## PRIVILEGIUM URBANI PAPÆ II.

*de Ecclesia Gratianopolitana.*

URbanus Episcopus servus servorum Dei carissimo fratri Hugoni Gratianopolitano Episcopo ejusque legitimis successoribus in perpetuum. Potestatem ligandi atque solvendi in cælis & in terra beato Petro ejusque successoribus auctore Deo principaliter traditam illis Ecclesia verbis agnoscit quibus Petrum est Dominus allocutus: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Ipsi quoque & propriae firmitas & alienae fidei confirmatio eodem Domino auctore praestatur, cum ad eum dicitur: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua Petre. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos, qui, licet indigni, Petri residemus in loco, prava corrigere, recta firmare, & in omni Ecclesia ad interni arbitrium judicis sic disponenda disponere ut de vultu ejus judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem. Tuis igitur, dilectissime in Christo frater Hugo Gratianopolitane Episcope, justis petitionibus annuentes, tibi tuisque legitimis successoribus Gratianopolitanum episcopatum regendum, disponendum, & jure perpetuo possidendum præsentis decreti pagina confirmamus, salva in omnibus Romanae Ecclesiae auctoritate. Constituimus ergo ne ulli omnino hominum qualibet subreptionis astutia liceat vestri episcopatus possessiones invadere, minuere, vel auferre, aut episcopatus vestri decimas sine vestra concessione subripere aut subreptas tenere, neque vestri juris Ecclesias per manum laicam obtinere; sed omnia quae juste hactenus vestra possedit Ecclesia, sive in futurum Domino adjuvante juste atque canonice poterit adipisci, in tua tuorumque successorum manu integra semper & illibata permaneant. Præterea Ecclesiam sancti Donati in archiepiscopatu Viennensi sitam, quam a tyrannica potestate auctoritate episcopali adjuvante Domino extorsisti, tibi tuisque successoribus regendam, disponendam, ac jure perpetuo possidendam hujus auctoritate privilegii confirmamus, constituentes ne ulli successorum tuorum liceat eandem Ecclesiam alicui personae vel Ecclesiæ gratis pretiove concedere, sed semper incommutabiliter cum omnibus ad ipsam pertinentibus in Gratianopolitani Episcopi potestate & possessione permaneat. Quia vero perversa quo-

Ex Lib. II. Misc. Bal. pag. 177.

quorundam praesumptio inolevit ut defunctis Episcopis res ecclesiasticae pervadantur, auctoritate apostolica prohibemus ut cum vitae tuae tuorumve successorum terminus contigerit, Ecclesiae vestrae res & possessiones diripere nemo praesumat, sed cuncta libera & inconcussa in Canonicorum potestate persistant, illi ex integro conservanda qui eis canonice Episcopus ordinabitur. Porro sanctorum canonum decreta ubique inviolabiliter conservari cupientes, constituimus atque censemus ut interdictos a vobis aut excommunicatos in communionem recipere aut mortuos sepulturae tradere nemo praesumat. Vestra sane, carissime frater, intentio erit gregi commisso curam vigilanter impendere & Romanae Ecclesiae decreta inviolabiliter observare; quatenus multiplicato laborum fructu, ad vitam valeatis perpetuam pervenire. Sane si quis in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vicecomes, aut judex, aut persona quaelibet magna vel parva, potens aut impotens, hujus nostri privilegii paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus si non satisfactione congrua emendaverit, a Christi Ecclesia eum auctoritate potestatis apostolicae segregamus. Conservantibus autem pax a Deo, misericordia praesentibus ac futuris seculis conservetur. Amen, Amen, Amen. Scriptum per manum Gregorii Scriniarii atque Notarii sacri palatii. Datum Romae per manum Johannis sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis anno dominicae incarnationis millesimo XCI. Indictione XIII. pontificatus domni Vrbani Papae II. anno III. die Kalend. Aprilis.

## EPISTOLA URBANI II. PAPÆ

*Ad Petrum Praepositum & Canonicos Ecclesiae Ruthenensis.*

An. 1099. URbanus Episcopus servus servorum Dei Petro Praeposito & ejus fratribus in Ecclesia Ruthenensi canonicam vitam professis, eorumque successoribus in eadem religione permansuris in perpetuum. Piae postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri; quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur vos, o filii carissimi, per divinam gratiam aspirati, mores vestros sub regularis vitae disciplina coercere & communiter secundum sanctorum patrum institutionem omnipotenti Domino deservire proposuistis, nos votis vestris paterno congratulamur affectu. Unde etiam petitioni vestrae benignitate debita impertimur assensum. Vitae namque canonicae ordinem, quem professi estis, praesentis privilegii auctoritate firmamus; & ne cui post professionem exhibitam proprium quid habere, neve sine Praepositi vel congregationis licentia de claustro discedere liceat, interdicimus. Quod si discesserit, & commonitus redire contempserit, tibi tuisque successoribus facultas sit ejusmodi ubilibet a suis officiis interdicere; interdictum vero nullus Episcoporum Abbatumve suscipiat, quandiu scilicet illic canonici ordinis tenor Domino praestante viguerit. Vobis itaque vestrisque successoribus in eadem religione permansuris ea omnia perpetuo possidenda sancimus quae in praesentiarum pro communis victus sustentatione possidere videmini, Ecclesiam videlicet sancti Salvatoris de Veirieiras, & Ecclesiam sancti Petri de Colnac, & Ecclesiam sancti Geraldi de Salas, universas praeterea paratas sive symbolas, quas synodos vocant, tam Ecclesiarum jam dictarum quam ex ceteris Ecclesiis quas Ruthenensis Ecclesiae Antistites, Petrus quondam Berengarii, Poncius Stephani, Raymundus Frotardi, & Ademarus, qui in praesentiarum eidem Ruthenensi Ecclesiae praesidet, vobis in sumptus vestium concesserunt. Praeposituram quoque dignariam Ruthenensis parrochiae, archidiaconiam, oblationes quoque vestrae matricis Ecclesiae, quas dono praefati Ademari confratris nostri & coepiscopi possidetis, vestrae communitatis usibus confirmamus, & quodcunque deinceps vos aut successores vestri concessione Pontificum aut liberalitate Principum vel oblatione fidelium juste atque canonice poteritis adipisci. Ut autem omnipotenti Deo quietius deservire & canonici ordinis disciplinam districtius observare possitis, cimiterium vobis apud matrem Ecclesiam, ubi communiter vivitis, juxta praefati fratris nostri Ademari vestri Episcopi petitionem habere concedimus, in quo fratrum vestrorum sive parrochianorum, quibus viventibus mysteria divina ministratis, deficientium corpora tumulentur. Si qua sane ecclesiastica secularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatinus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum judicem praemia aeternae pacis inveniant.

Scriptum per manum Petri Notarii regionarii sacri Palatii. Datum Romae apud sanctum Petrum per manum Johannis sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis II. Idus Maii, Indictione VII. incarnationis dominicae anno MXCIX. Pontificatus autem Domini Urbani Papae secundi duodecimo.

## PASCHALIS PAPÆ II.

*Epistola ad Abbatem & monachos monasterii Beccensis.*

PAschalis Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Willelmo Abbati & universae congregationi Beccensis monasterii salutem & apostolicam benedictionem. Apostolicae sedis dignitas exigit per universas Dei Ecclesias recta disponere & quae ab aliis recte disposita sunt confirmare. Significastis siquidem nobis venerabiles fratres Willelmum Rothomagensem, Ivonem Carnotensem, Gofridum Parisiensem Episcopos singulas in parrochiis suis Ecclesias vestro monasterio in salarium contulisse, videlicet in Rothomagensi Ecclesiam sancti Petri de Ponte Isarae, in Carnotensi Ecclesiam sancti Nigasii de Mellento, in Parisiensi Ecclesiam sanctae Honorinae de Confluentio. Et nos igitur quieti vestrae in posterum providentes, easdem Ecclesias vobis vestrisque successoribus confirmamus, ut sicut ab eisdem Episcopis dispositum est, semper in vestri monasterii possessione permaneant. Si quis autem temerario ausu easdem Ecclesias a monasterii vestri corpore distrahere ac separare praesumpserit, beati Petri gladio & apostolicae ipsius Ecclesiae ultione plectatur. Data Lateranis II. Idus Aprilis anno ab incarnatione Domini MCIII. indictione X. Ex L. VII. Miscel. Bal. pag. 131.

*Ejusdem Papa Paschalis epistola ad Robertum Episcopum Coventranum.*

PAschalis Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Roberto Conventrano Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Per Petri Apostoli discipulum successorem Anacletum Petri Apostoli praeceptum habemus ne in villis sive castellis aut modicis civitatibus ordinentur Episcopi. Ab eodem etiam Pontifice vel posterioribus patribus constitutum est ut sacerdotes ad quamcumque consti-

tuti fuerint Ecclesiam, in ea vitae suae diebus debeant perdurare. Hujus nos justitiae ratione commoniti, carissime frater & coëpiscope Roberte, providendum duximus ne tua vel successorum tuorum cathedra in posterum fluctuet; quia & Lichefeldensis locus & Cestrensis villa, ubi praedecessoribus tuis vel tibi hactenus sedes fuerunt, pro exiguitate ac paupertate sui episcopalis dignitatis solium non merentur. Statuimus ergo ut apud Conventriam deinceps tam tibi quam successoribus tuis in perpetuum episcopalis cathedra conservetur. Porro monachi qui apud eumdem locum beatae Mariae monasterio conversantur semper sub tua seu successorum tuorum obedientia maneant & in ipsa episcopali Ecclesia divinorum officiorum debita peragant, prout in Cantuariensi Ecclesia per beatum quondam Augustinum novimus institutum & sanctissimi patris ac praedecessoris nostri Gregorii Doctoris Ecclesiae catholicae assertione sancitum: nec cuiquam omnino successorum tuorum liceat monasticae disciplinae viros ab ipsa Ecclesia removere aut eis possessiones aut bona caetera auferre quae ab egregiae memoriae Leobrico Comite ipsius coenobii fundatore vel aliis fidelibus ad monachorum sumptus oblata & comparata sunt vel in futurum offerri Domino disponente contigerit. Ad haec adjicientes decrevimus ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temere aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione conversa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua sane ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatinus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum judicem praemia aeternae pacis inveniant. Scriptum per manum Reynarii scriniarii sacri palatii. Ego Paschalis catholicae Ecclesiae Episcopus. Datum Laterani per manum Joannis sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis XIIII. Kal. Maji, indictione decima; dominicae incarnationis anno Domini MCIIII. pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papae III.

---

*Ejusdem Papae Paschalis epistola ad monachos sancti Ægidii.*

PAschalis Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis monasterii sancti Ægidii monachis salutem & apostolicam benedictionem. Monachorum status a saeculo omnino divisus est ut cohaereant Deo. Aliis enim licet & Deo servire & saeculum non relinquere. Monachis autem nec corpora licet nec voluntatem habere in propria potestate, ut in eis illud dominicum impleatur: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me*. Unde dilectionem vestram litteris praesentibus commonemus ut omni nisu omnique studio divinae dilectioni vos artius astringatis, & postpositis vanitatibus saeculi, pleno mentis affectu Dei semper faciem inquiratis. Propter quod opportunum vobis est ut sicut a prioribus vestris dispositum est, Cluniacensis ordinis districtionem efficacius teneatis; ne si aliter feceritis, & hominum detractionibus pateatis, & apostolicae sedis indignationem gravius incurratis. Cluniacensis enim monasterii ordo multis locis per Dei gratiam religionis amplioris lumen infudit. Data Beneventi III. Kal. Julii.

*Ejusdem Papae Paschalis epistola ad Willelmum Archiepiscopum Rothomagensem.*

PAschalis Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Willelmo Rothomagensi Archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. Turoldum Bajocensem Episcopum in proximis Kalendis Octobribus pro causae suae definitione ante confratrem nostrum Lugdunensem Episcopum venire praecepimus. Caeterum quia eum necdum revestitum audivimus, inducias ei usque in Pascha proximum prorogavimus. Tunc autem ante confratrem nostrum Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum vice nostra causa eadem penitus finiatur, nobis plenius intimanda, aut ante praesentiam nostram una cum adversariis suis Episcopus ipse conveniat. Data Salerni III. Kal. Aprilis.

---

*Ejusdem Papae Paschalis epistola ad Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem.*

PAschalis Episcopus servus servorum Dei Anselmo Cantuariensi fratri & coepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. Suavissimas dilectionis tuae suscepimus litteras caritatis calamo scriptas. Neque enim cartae aliud calamus indidit quam quod ex fonte caritatis intinxit. In his reverentiam devotionis tuae complectimur, & perpendentes fidei tuae robur & piae sollicitudinis instantiam, exultamus, quia, gratia Dei tibi praestante auxilium, te nec minae concutiunt nec promissa sustollunt. Dolemus autem quia cum fratres nostros Legatos Regis Anglorum benigne suscepissemus, quae nec diximus eis nec cogitavimus redeuntes ad propria retulerunt. Audivimus enim eos dixisse quia si Rex in aliis bene ageret, nos investituras Ecclesiarum nec prohibere nec factas excommunicare, & quod ideo nolebamus cartae committere, ne sub hac occasione & caeteri Principes in nos inclamarent. Unde Jesum, qui renes & corda scrutatur, in animam nostram testem inducimus, si ex quo hujus sanctae sedis curam coepimus gerere, hoc immane scelus vel descendit in mentem, & hoc a nobis Deus avertat ut est & non subrependo nos inficiat, & aliud habeamus ore promptum, aliud cordi reconditum, cum contra mendaces per Prophetam imprecetur dicens: *disperdat Dominus universa labia dolosa*. Si vero nostro silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis & impietatis radice pollui, qua ratione possemus apud internum judicem excusari, cum Dominus sub specie sacerdotum dicat Prophetae: *speculatorem te dedi domui Israel*. Non bene custodit urbem qui in specula positus, dum non obsistit, eam hostibus diripiendam exponit. Si ergo virgam pastoralitatis signum, si anulum fidei signaculum tradit laica manus, quid in Ecclesia Pontifices agunt? Ecclesiae honor atteritur, solvitur disciplinae vigor, omnis religio Christiana conculcatur, si quod novimus solis sacerdotibus deberi, laica patiamur temeritate praesumi. Non est laicorum Ecclesiam tradere, nec filiorum matrem adulterio maculare. Jure igitur privandus est patrimonio qui matrem polluit adulterio, nec meretur ecclesiasticae benedictionis consortium qui eam impia infestatione insequitur. Laicorum enim est Ecclesiam tueri, non tradere. Ozias quidem cum illicitum sibi sacerdotium vendicaret, lepra percussus est. Filii quoque Aaron, quia alienum ignem imposuerunt, igne divino consumpti sunt. Alienum est enim ab Ecclesia & a sacris canonibus est inhibitum ne principes & saeculares viri investituras non solum non dare, sed nec electioni ipsorum se audeant violenter inserere. In septima quippe synodo, ut nosti, scriptum est: *Sancta & universalis synodus definivit neminem laicorum principum vel potentium semet inserere electioni vel promotioni Episcoporum*; Si ergo filii Aaron, quia ignem alienum intulerunt, corporali-

taliter puniti ſunt, iſti, qui a laicis, a quibus alienum eſt, Eccleſias ſuſcipiunt, ſpirituali gladio feriuntur. Epiſcopos autem qui veritatem in mendacio provocarunt ipſa veritate, quae Deus eſt, in medium introducta a beati Petri gratia & a noſtra ſocietate excludimus donec Romanae Eccleſiae ſatisfaciant & reatus ſui pondus agnoſcant. Quicumque vero intra praedictas inducias inveſtituras ſeu conſecrationem acceperunt a conſortio fratrum & ordinatores & ordinatos alienos habemus, nec eis ad excuſationem deceptio ſufficit, quia Propheta ab alio Propheta nec ideo mortem evaſit. Rogamus interea caritatem tuam nos tuis ſanctis precibus commendare, ut quanto propius ad Dominum paſſibus virtutum acceleras, nobis orationum tuarum manus extendas. Omnipotens Deus, qui te hujus ſtadii invitavit ad curſum, felici conſummatione perducat ad praemium.

---

## PASCHALIS II. PAPÆ

*Epiſtola ad Clericos Eccleſiæ Pariſienſis, qua eis commendat eorum Epiſcopum Galonem.*

Ex L. II. Miſc. Bal. pag. 182. PAſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum dilectis filiis Pariſienſis Eccleſiae Clericis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Et nobis & vobis gaudendum eſt, quia poſt multa quae veſtrae Eccleſiae contigerunt adverſa, Dei vos miſericordia reſpexit. Perſonam ſiquidem idoneam & ſacris canonibus congruentem ad veſtrae Eccleſiae gubernationem ſua vobis benignitate conceſſit. Ipſum igitur ad vos redeuntem litterarum commendatione proſequimur, rogantes ut eum plena affectione diligatis, plena humilitate veneremini. Confidimus enim eum diſciplinae eccleſiaſticae futurum eſſe cuſtodem & ſalutis veſtrae ſollicitum proviſorem. Huic ſedulis officiis obedite, & gratiam vobis in eo conciliate caeleſtem. Hunc ad recuperanda Eccleſiae bona, quae praedeceſſorum illius tempore tam in perſonis quam in praediis diſtracta dicuntur, communibus adjuvate praeſidiis. Ad quam cauſam annuente Domino ſtrenue peragendam noſtrae auctoritatis ei vicem conceſſimus; quatenus ſi Epiſcopi, aut quorum parrochiani bona ipſa diripiunt, aut quorum in parrochiis bona eadem habentur, aut nolunt aut deſides ſunt Eccleſiae veſtrae juſtitiam facere, ipſe vel interdicendi vel excommunicandi eos, niſi ſatisfecerint, habeat facultatem. Illud ſane quod apud quoſdam Clericorum fieri audivimus, ut videlicet majores praebendarii a minoribus hominia ſuſcipiant, & huic cohibendum praecipimus, & litteris praeſentibus ne fiat ulterius interdicimus. In hujuſmodi ſiquidem conciliatione & notatur ambitio, & gravius videtur Eccleſiae ſcandalum generari. De coenobio ſancti Eligii quid agendum ſit, ejus proviſioni commiſimus. Dicitur enim & loco importuniſſimo ſitum, & inhabitantium deſidia tam infamiae quam aerumnae vehementer expoſitum. Datum Laterani VIII. Idus Aprilis.

Anno 1105.

Vir clariſſimus Lucas Dacherius edidit in tomo III. Spicilegii pag. 126. litteras Paſchalis II. ad Daimbertum Archiepiſcopum Senonenſem quibus ei commendat Epiſcopum Pariſienſem noviter a ſe conſecratum. Putavit ille intelligenda hæc eſſe de Fulcone. Verum ex epiſtolis 144. & 146. Ivonis Epiſcopi Carnotenſis, tum etiam ex ea Paſchalis epiſtola quam nos heic edidimus, in qua agitur de monaſterio ſancti Eligij, manifeſtum eſt & illam Dacherij & noſtram explicandas eſſe de Galone Epiſcopo Pariſienſi.



## PASCHALIS II. EPISTOLA

*De monaſterio Semichenſi in Hungaria, ad Hugonem Abbatem monaſterii ſancti Ægidii in Septimania.*

PAſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Hugoni Abbati monaſterii ſancti Ægidii quod in valle Flaviana ſitum eſt ejuſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum. Religioſis deſideriis dignum eſt facilem praebere conſenſum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Latislavus ſiquidem bonae memoriae Hungarorum Rex ad honorem Dei & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in memoriam ſancti confeſſoris Ægidii Semichenſem fundavit Eccleſiam, & eam per manum Odilonis felicis memoriae praedeceſſoris veſtri monaſterio beati Ægidii, cui auctore Deo praeſides, obtulit; ubi & ejus corpus venerabile requieſcit. Hanc nimirum oblationem pro animarum ſalute perpetratam nos largiente Deo apoſtolicae ſedis auctoritate firmamus, cui veſtrum Flavianae vallis coenobium ab eodem ſancto Ægidio in * ſalarium datum agnoſcitur. Igitur ſupradicti Regis deliberationem praeſenti decreto ſancimus, ut quicunque Semichenſis Abbas fuerit, Abbati monaſterii veſtri, quod in valle Flaviana a ſancto Ægidio conſtructum diximus, obedientiam profiteatur & perſeveranter obſervet, negotia quae monaſterio acciderint, Regis conſilio terminentur, & nullus praeter Regem ſuper res Eccleſiae judicare praeſumat. Porro monaſterii Eccleſia cum atrio ſuo ea ſemper libertate potiatur ut illic refugientes nullum perſonarum ſive rerum praejudicium patiantur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem monaſterium temere perturbare aut ejus poſſeſſiones auferre, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia quae ab eodem Latislavo Rege vel aliis fidelibus de jure proprio data ſunt, aut in futurum Domino largiente illic dari contigerit, firma ſemper & integra conſerventur, ſalva canonica reverentia dioceſani Epiſcopi, eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura. Si quis igitur decreti hujus tenore cognito vel Semichenſem cellam a veſtri monaſterii ſubjectione ſubtrahere, vel eandem cellam bonis ſuis temere privare tentaverit, ſecundo tertiove commonitus ſi non ſatisfactione congrua praeſumptionem illicitam emendare curaverit, a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu alienus exiſtat, atque in extremo examine diſtrictae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem haec ſtatuta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; quatinus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

* alodium

Ego Paſchalis catholicae Eccleſiae Epiſcopus.

Ego Bruno Signinus Epiſcopus.

Ego Landulfus Cardinalis Presbyter.

Datum Parmae per manum Johannis ſanctae Romanae Eccleſiae Diaconi Cardinalis & Bibliothecarii quarto nonas Novembris, Indictione quinta decima, anno dominicae incarnationis milleſimo centeſimo ſexto, pontificatus autem Domini Paſchalis ſecundi Papae octavo.

---

## PASCHALIS II. PAPÆ

*Epiſtola qua pondus apoſtolicæ Auctoritatis addit ſuperioribus Ludovici litteris.*

PAſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Galoni & Capitulo Pariſienſis Eccleſiae ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sicut ex relatione veſtra & ex litteris regiis intelleximus, Pariſien- Ex L. II. Miſc. Bal. pag. 148. An. 1113.

risiensis Ecclesia magnum hactenus rerum suarum patiebatur incommodum, pro eo quod ipsius Ecclesiae famuli, qui apud vos servi vulgo improprie nuncupantur, in forensibus & civilibus causis vel placitis adversus liberos homines nullatenus admitterentur in testimonium. Cui rei dilectus filius noster Ludovicus Francorum Rex pro utilitate ecclesiastica ita consulendum arbitratus est ut Episcoporum ac procerum consilio & assensu institueret Parisiensis Ecclesiae famulos in omnibus causis, placitis, & negotiis adversus omnes homines tam liberos quam servos liberam & perfectam habere testificandi & bellandi licentiam, ita ut nemo eorum testimonio pro ecclesiasticae servitutis occasione calumniam inferat. Nos itaque petitionem vestram rationabilem perpendentes, id ipsum pro ecclesiasticae utilitatis & justitiae intuitu decreti nostri assertione firmamus. Neque enim aequum est ecclesiasticam familiam iisdem conditionibus coërceri quibus servi secularium hominum coërcentur. Sicut igitur praenominatus Francorum Rex regia benignitate instituit, ita nos Ecclesiae vestrae familiam, quae sub Episcopi seu Canonicorum jure consistit, hac nostrae auctoritatis concessione donamus ut in forensibus & civilibus causis vel placitis adversus quaslibet seculares personas in testimonium efficaciter admittatur, nec propter ecclesiasticae clientelae obnoxietatem, si alia non impediunt, eorum testimonium refutetur.

*Ego Paschalis catholicae Ecclesiae Episcopus subscripsi.*

Datum Beneventi per manum Johannis sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii IX. Kalendas Februarii, Indictione sexta, incar-
MCXIII. nationis dominicae anno * MCXIV. pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papae anno XIV.

## EJUSDEM PASCHALIS

*Epistola ad Joannem Priorem Ecclesiae beati Petri de Valeriis in Septimania.*

Anno 1114. PAschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Johanni Priori Ecclesiae beati Petri de Valeriis ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Apostolicae sedis auctoritate debitoque compellimur pro universarum Ecclesiarum statu satagere, & earum maxime quae sedi eidem tamquam jure proprio subjectae sunt, quieti auxiliante Domino providere. Eapropter, fili carissime Johannes, petitionibus tuis non immerito duximus annuendum, ut Ecclesiam sancti Petri de Valeriis, cui per nostram institutionem Deo auctore praesides, apostolicae sedis privilegio muniremus. Is siquidem locus, licet incultus ac solitarius, cum ex traditione veteri beati Petri nomine haberetur insignis, a possessoribus loci, dominis videlicet Rainardo Amati & filiis ejus Bernardo & Ermengaudo, per manus Framaldi apostolicae Ecclesiae Presbyteri in jus ac possessionem sedis apostolicae traditus est, ac deinceps multorum fidelium collationibus ampliatus. Ipsum itaque locum ab omnium mortalium potestate, invasione, oppressione, ac gravamine liberum semper manere decernimus, sicut in praesenti octava indictione suis finibus ambitur, scilicet ab ipso colle super Guaidam, inde super Montem Rotundum, & super initium vallis leporariae, inde ad alodium de Bochet, & usque ad ipsum Portellum, inde ad Pertusatas & ad Guaitam, & super Embriciatas, super campum Ardonis & super Malam Celatam usque ad mare. Quicquid itaque infra hos fines continetur, cultum sive incultum, sive pascua, piscariae, stagna, salinae, cum decimis & primiciis seu aliis pertinentiis suis, totum integrum ac illibatum in usus praefatae Ecclesiae beati Petri ac servorum Dei ibidem degentium conservetur. Quicquid praeterea in praesenti octava indictione eadem Ecclesia legitime possidet, vel in futurum largiente Deo, concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Laicos sane seu Clericos seculariter viventes ad conversionem suscipere nullius Episcopi vel Praepositi contradictio vos inhibeat. Sepulturam vero ejusdem loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum qui illic sepeliri deliberaverint devotioni & extremae voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. Ad haec adicimus ut nulli Episcoporum facultas sit locum ipsum interdictioni vel excommunicationi subicere vel aliquos ab ejus officiis & oblationibus prohibere, ut fratres iidem Romanae libertatis gratia potientes omnipotentis Dei servitiis licentius vacare praevaleant. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, ordinationes Clericorum qui ad sacros sunt ordines promovendi, ab Episcopo in cujus dioceci estis accipietis; si quidem gratiam atque communionem apostolicae sedis habuerit, & si ea gratis & sine pravitate voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum quem malueritis adire antistitem & ab eo consecrationum sacramenta suscipere; qui apostolicae sedis fultus auctoritate quae postulatur indulgeat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Ad indicium autem perceptae a Romana Ecclesia libertatis solidos quinque denariorum Lucensium quot annis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica quaelibet secularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

*Ego Paschalis catholicae Ecclesiae Episcopus.*

Datum Laterani per manum Johannis sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii quarto nonas Decembris, Indictione octava, incarnationis dominicae anno millesimo centesimo decimo quarto, pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papae decimo sexto.

## GREGORII PAPÆ VIII.

*Seu potius Burdini epistola ad Henricum V. Imperatorem.*

G. Episcopus servus servorum Dei, dilectissimo filio H. Romanorum Imperatori semper augusto salutem & apostolicam benedictionem. Postre- Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 167.
mae litterae quae per nostrum pedites vestri magnificentia transmisit imperii plurimum, serenissime fili, dulcedinis habuere, sed intus duobus clasu vel utilitatis omnino nihil, onustae quidem floribus, spem maximam promittentes, sed majori fructu divina desperatione praebentes una nuntios afferebatur transmittendo a curia quia XIIII. K. Novemb. celebrari debuit, altera quae Marchionibus multis comminationibus invitatos ad auxilium nostrum pollicebatur venturos. Porro venit ad nos Warnerus cum LXX. pene militibus; qui fere per dies XV. nobiscum commoratus, sumpto pretio Judae Scarioth sine licentia recedens plus nobis contulit debilitatis quam virium nostris abstulit inimicis, nos praesens potius impe-

impedivit quam praesens vel absens nostris nocuerit adversariis. Fredericus autem postquam curandi per adventum praesensit a nobis recedens nihil apud nos dignum memoria reliquit. De procurando incerti eramus quid facile * conaretur, cum litteris frequenter vocatus & nuntiis nil boni respondisset & suis potius quam nostris inhiare commodis videretur. de quo plurimi fidelium accumabant quam vestra velit moderatio designare. Exitus rerum satis intentionem cordium demonstrabit. Sed quaerit nodum in scirpo. Quae fides sperat in illo cujus nunquam habuit dilectionem. In hoc potissimum neque vobis non etiam inutile quod, ut credimus, vestra putat serenitas nos de parte vestra aliquod habere subsidium, cum nobis plus omnibus hostibus obfuerunt quos juvisse aestimatis. Inde nobis pericula, tot angustiae, quot & quanta scribere nequimus & non putamus evadere auxiliorum pecunia. Confundo tempora, in graviora dilabimur juxta proverbium vulgi, Expectando transit temporis nescis quando. Dicite quae tanta saevitia unde mansuetudini talis potuit impietas accidere, quia sic nostri voluistis oblivisci nec in tantis manus porrigere periculis, ut mirentur omnes qui noverunt & nos ipsi quoque criminentur inimici aut aliud vos tractare atque aliud lingua proferre unde terror fidelibus & hostibus audaciae fomenta parentur. Testis nostrae est altissimus conscientiae, cujus intuitus omnium secretorum rimatur arcana, quia pro veritate Dei, & defensione justitiae, clementissime fili, quo nihil est vobis sub sole carius, illa patimur quae intoleranda videntur, ne locum victoriae haereticorum superstitio rapiat aut veritas mendacio succumbat, vel sanctorum patrum auctoritas destruatur, aut vestri dignitas Imperii, quam ad * una manus Ecclesiae Deus instituit, in nihillum . . . . . . .

* facere

* juvamen

*Reliqua desiderantur.*

## CALLISTI II. PAPÆ

### *Epistola ad Berengarium Abbatem monasterii Crassensis in Septimania.*

Ex Lo. H. Misc. Bal. pag. 192.

An. 1119.

CAlixtus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Berengario Crassensis monasterii Abbati salutem & apostolicam benedictionem. Et justitiae ratio & rationis ordo nos admonet & compellit Ecclesiarum destitutioni paterna sollicitudine providere, illarum maxime quae specialiter ad sedem videntur apostolicam pertinere. Siquidem beati Petri de Valeriis Ecclesia, quae sanctae Romanae Ecclesiae juris est, interius exteriusque attrita & tam in spiritualibus quam etiam in temporalibus plurimum diminuta est. Eapropter nos eidem loco affectione debita providentes, tibi, dilecte in Christo fili Berengari Abbas, tuisque successoribus sub censu annuo duorum aureorum regendum disponendumque committimus cum omnibus ad ipsum pertinentibus & cum omni libertate atque immunitate quam ei Dominus praedecessor noster sanctae memoriae Paschalis Papa per privilegii sui paginam concessisse dinoscitur, quandiu videlicet vos apostolicae sedis communionem & gratiam habueritis, & in monasterio vestro monastici ordinis disciplina Domino praestante viguerit. Confidimus enim de omnipotentis Dei misericordia & religione vestra quia per industriam vestram locus ille in religionis statum reduci & in temporalibus etiam debeat per Dei gratiam augmentari. Vestra igitur interest & in Romanae deinceps Ecclesiae obedientia & servitio devotius & enixius permanere & de loci ipsius incremento ita sollicitudinem gerere ut largiente Deo hac semper babeamini gratia digniores. Si qua sane persona temere, quod absit, nostrae huic commissioni obviare tentaverit, honoris & officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi praesumptionem suam digna satisfactione correxerit.

Ego Calixtus catholicae Ecclesiae Episcopus.
Ego Johannes Presbyter Cardinalis de Titulo sancti Grisogoni.
Ego Petrus Diaconus Cardinalis sanctorum Cosmae & Damiani.

Datum apud sanctum Theodardum per manum Grisogoni sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii XIII. Kalendas Augusti, Indictione XII. dominicae incarnationis anno MCXIX. pontificatus autem Domini Calixti secundi Papae anno primo.

### *Ejusdem Epistola ad illustrem feminam Jussolinam & filios ejus, ejusdem argumenti cum superiore.*

CAlixtus Episcopus servus servorum Dei dilectae filiae Jussolinae illustri feminae & filiis ejus Petro Sicardi & Rainardo de Perignano salutem & apostolicam benedictionem. Gratias omnipotenti Deo & nobilitati vestrae referimus quod beati Petri de Valeriis Ecclesiam, quae Romanae Ecclesiae juris est, tamquam boni patroni & juvistis hactenus & fovistis. Rogamus autem ut id ipsum deinceps melius per Dei gratiam faciatis. Nos enim destructioni ejusdem loci affectione debita condolentes, eum dilecto filio nostro Berengario Crassensi Abbati & successoribus ejus regendum disponendumque commisimus cum omnibus honoribus & possessionibus suis & cum omni libertate & immunitate, sicut in Domini praedecessoris nostri sanctae memoriae Paschalis Papae privilegio continetur. Confidimus enim de omnipotentis Dei misericordia quia per ejus industriam locus idem tam in spiritualibus quam in temporalibus etiam poterit restaurari. Iterum ergo dilectionem vestram rogamus, & vobis in peccatorum vestrorum remissionem injungimus, ut secundum datam divinitus facultatem praedictam Ecclesiam juvare amplius & sustentare curetis. Si quis autem adversus hanc commissionem nostram agere tentaverit, vos eundem locum protectionis vestrae auxilio defendatis. Omnipotens Dominus beatorum Apostolorum Petri & Pauli precibus vos, quae ei placita sunt operantes, ab omnibus peccatis absolvat, & ad vitam perducat aeternam. Amen. Datum apud sanctum Theodardum XIII. Kalendas Augusti, Indictione XII. A. 1119.

### *Ejusdem Callisti Bulla de privilegiis monasterii sanctæ Mariæ Josaphat in diœcesi Carnotensi.*

CAlixtus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Girardo Abbati monasterii sanctae Mariae Josaphat juxta Leugas in Carnotensi videlicet parrochia siti, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem praebere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Proinde nos, dilecte in Christo fili Giralde Abbas, tam tuis quam venerabilis fratris nostri Gaufridi Carnotensis Episcopi petitionibus annuentes, beatae Mariae monasterium, cui Deo auctore praesides, in apostolicae sedis tutelam excipimus, & contra pravorum hominum nequitiam auctoritatis nostrae privilegio communimus. Statuimus enim ut quaecunque bona, quascunque possessiones idem coenobium in praesenti legitime possidet, sive in futurum largiente Deo juste ac canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Ecclesiam scilicet sancti Martini de Operatorio, & Ecclesiam sancti Arnulfi, cum decimis & terra quam dedit Gosleinus de Leugis. Nulli ergo omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel temerariis vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur A. 1119.

tur

tur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva nimirum Carnotensis Episcopi canonica reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem praemia æternae pacis inveniant. Amen.

*Ego Calixtus catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*

Datum Remis per manum Grisogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, Kal. Novembris, Indictione XII. incarnationis dominicæ anno MCXIX. pontificatus autem Domini Calisti II. Papæ anno primo.

*Ejusdem Epistola ad Marbodum Episcopum Redonensem.*

An. 1120. CAlixtus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Marbodo Redonensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Prudentiae tuae gratias agimus quod datam super Abbatem sancti Melanii & monachos pro contumacia sua excommunicationis sententiam firmiter hactenus observasti. Rogamus autem & praecipimus ut & deinceps id ipsum facias, donec Canonicis secundum mandatum nostrum plenarie revestitis, Abbas ipse cum monachis & cum Canonicorum testificatione ad nos veniat, & de contemptu nostro Ecclesiae judicio satisfaciat. Data Viennae Nonis Februarij.

*Ejusdem Callisti Papæ epistola ad Girbertum Episcopum & Canonicos Parisienses.*

An. (1123. CAlixtus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Girberto Episcopo & Canonicis Parisiensis Ecclesiae salutem & apostolicam benedictionem. Apostolicae administrationis debito provocamur suam Ecclesiis dignitatem & justitiam conservare. Quapropter vestram matricem beatae Mariae Ecclesiam in suae dignitatis statu volumus per Dei gratiam permanere. Pro praesentis scripti stabilitate statuimus ut omnes & Clerici & Abbates ad sedem Parisiensem pertinentes tibi, carissime frater Girberte Episcope, & successoribus tuis debitam obedientiam & reverentiam semper exhibeant. Illud etiam juxta sanctorum canonum censuram decernimus, ut si aliquis Ecclesiae Parisiensis Canonicus ad episcopatus fuerit honorem promotus, & alterius Ecclesiae gubernacula beneficiaque susceperit, illius de qua assumptus est privetur Ecclesiae canonica.

Datum Laterani V. Kalendas Aprilis, Indictione prima.

## EPISTOLA
## CALISTI II. PAPÆ

*Ad Ludovicum VI. Regem Francorum.*

Ex L. VII. Misc. Baluz. pag. 137. CAlixtus Episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Ludovico illustri & glorioso Francorum Regi salutem & apostolicam benedictionem. Venientem ad nos cum litteris tuis venerabilem fratrem nostrum Robertum Attrebatensem Episcopum pro dilectione tua & sui ordinis reverentia paternae caritatis affectu suscepimus, quem de jure Attrebatensis parrochiae confratri nostro Burchardo Cameracensi Episcopo, qui adversus eum in generali Concilio proclamationem fecerat, responsurum constitutum die ad nostram vocaveramus praesentiam, eumque praefixo termino se nostro praesentaret conspectui, per quasdam nobis est litteras nuntiatum Cameracensem Episcopum ad nos pro executione sui negotii venientem ab Imperatore usque ad mutuum quod cum eo sumus habituri colloquium fuisse detentum, ideoque in alterius partis absentia eandem causam discutere certis rationibus non valuimus. Quocirca eum ad Ecclesiam suam cum gratia nostra remisimus. In colloquio autem illo bonum quod operante Domino operati fuerimus tibi tanquam dilectissimo nostro & Ecclesiae filio significare curabimus. Uxorem tuam Adelaidem Reginam dilectam neptem nostram & filios tuos carissimos nepotes nostros Philippum, Ludovicum, Henricum per te salutamus & benedictionis beati Petri & nostrae participes fieri desideramus. Data Laterani XI. Kalend. Martii.

## INNOCENTII II. PAPÆ

*Epistola ad Abbatem & monachos Beccenses.*

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Letardo Abbati & monachis Beccensis monasterii salutem & apostolicam benedictionem. Quotiens illud a nobis petitur quod rationi & honestati convenire cognoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ideoque venerabilis fratris nostri Rotrodi Ebroicensis Episcopi precibus inclinati, Ecclesiam sanctae trinitatis de Bellomonte cum omnibus quae tam ex dono Rogerii de Bellomonte & Roberti filii sui & Galeranni quoque Comitis quam aliorum Dei fidelium in praesentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum justis modis praestante Domino poterit adipisci, quemadmodum ab eodem fratre nostro consensu Galeranni Comitis Melienti vobis rationabiliter concessa est, confirmamus & praesenti scripti pagina communimus. Salvis praebendis Canonicorum superstitum, qui ante hoc tempus in ipsa Ecclesia ordinati sunt. Si quis autem hujus nostrae constitutionis & confirmationis paginam sciens contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonitus si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, indignationem Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Data Lateranis VI. Kal. Martii.

*Ejusdem Papae Innocentii epistola ad eosdem.*

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis L. Abbati & fratribus Beccensis monasterii salutem & apostolicam benedictionem. Super his quae de vestra religione & honestate ad nostram audientiam perferuntur omnipotentem Dominum collaudamus, vestraeque devotioni plurimum congaudemus. Expedit igitur ut quanto periculosiora tempora instare noscuntur, tanto propensius divinae majestatis clementiam imploretis, quatinus Ecclesiae suae diutinis afflictionibus fatigatae pacem conferre dignetur & fideles atque catholicos a suis laboribus relevare. Non enim ambigimus quin Christus in navi dormiens vestris & aliorum religiosorum vocibus velociter excitetur & post procellas ac turbines magna tranquillitas subsequatur. Hoc autem scitote, quoniam monasterium atque collegium vestrum af-

fectio-

fectione paterna diligimus & pro commiſſo nobis officio in quibus neceſſarium fuerit volumus confovere. Pro libro ſane a veſtra devotione nobis tranſmiſſo multimodas vobis gratias referimus. Data Piſis VII. Idus Auguſti.

## INNOCENTII II. PAPÆ

*Epiſtola ad Ulgerium Epiſcopum Andegavenſem, de confirmatione poſſeſſionum & privilegiorum Eccleſiæ Andegavenſis.*

Ex L. II. Miſc. Bal. pag. 198.

An. 1131.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Ulgerio Andegavenſi Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. In eminenti apoſtolicae ſedis ſpecula diſponente Domino conſtituti, ex injuncto nobis a Deo apoſtolatus officio religioſos viros debemus diligere & eorum loca ſanctae Romanae Eccleſiae munimine defenſare. Æquum etenim ac rationabile eſt ut quos erga beatum Petrum & nos ipſos in opportunitatibus fideles & devotos eſſe cognoſcimus, eos & a pravorum hominum nequitia tueamur & in ſuis petitionibus clementer exaudire curemus. Proinde, venerabilis frater Ulgeri Epiſcope, vir ſiquidem prudens ac religionis amator, tuis juſtis poſtulationibus aſſenſum praebentes, Andegavenſem Eccleſiam, cui Deo auctore praeeſſe dinoſceris, praeſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes ut quaecunque poſſeſſiones quaecunque bona in praeſentiarum ad eandem Eccleſiam juſte & canonice pertinere noſcuntur, aut in futurum largitione Regum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis auxiliante Domino poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant: in quibus haec propriis nominibus annotanda ſubjunximus. Eccleſiam videlicet beati Johannis Baptiſtae quae in Andegavis civitatis ſuburbio ſita eſt, quam nimirum illuſtris vir Gaufridus Comes junior tibi reddidit, ut videlicet tam tu quam ſucceſſores tui jus pleniſſimum dominii & Abbatis ſtatuendi in ea Canonicos, & tam in praebendis quam in aliis omnibus rebus ad ipſam pertinentibus diſponendi facultatem liberam habeatis. Prohibemus autem ne quis praebendam aut decanatum ipſius Eccleſiae, uſque dum perſona de medio ſublata fuerit, donet alicui vel promittat. Deteſtabiles vero illas & homicidii reas expectationes & ſucceſſiones damnamus, nec qualibet perſona tale donum vel promiſſum ſuſcipere vel Capitulum concedere audeat. Hoc quoque penitus admonemus, ne quiſquam laicus jus aliquod in eadem Eccleſia vel in aliqua ipſius Eccleſiae praebenda praeſumat expetere vel aliquid redditnum ejus expetere. Porro Eccleſias & villas Chureii & Solonae cum omnibus ſuis appendiciis, quemadmodum a nobili viro Roberto de Buſenciaco tibi & Eccleſiae tuae ſunt traditae ac conceſſae, apoſtolica auctoritate firmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat praedictam Eccleſiam temere perturbare aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus moleſtiis fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus profutura. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſaecularisve perſona, hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei ac Domini redemptoris Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatinus fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem praemia aeternae pacis inveniant.

Ego Innocentius catholicae Eccleſiae Epiſcopus SS. Datum Remis per manum Haymirici ſanctae Romanae Eccleſiae Diaconi Cardinalis & Cancellarii IV. Kal. Novembris, Indictione X. incarnationis dominicae anno MCXXXI. pontificatus vero Domini Innocentii Papae ſecundi anno ſecundo.

## ULGERII EPISCOPI ANDEGAVENSIS

*Relatio ad Innocentium II. Papam pro monaſterio Rotenſi adverſus monachos Vindocinenſes,*

UNice Pater orbis & Domine. Caritas & pietas nos impellunt ut reſpondeamus pro Johanne paupere & pro loco ſuo pauperrimo, quos Vindocinenſis Abbas & monachi aptitudine ſuae affinitatis & mole facultatum ſuarum, quas ipſi habent nimias, moliuntur ſuffocare, Domine mi Papa Innocenti. Cum pauper iſte tandem ad nos defeſſis alis pervenerit, nullum praemiſit, nullum ſecum adduxit, nullum qui ſequeretur ex condicto expectat vel expectavit. Solus eſt, impotens & pauper eſt. Solus a multis impetitur; impotens a potentibus, pauper a divitibus circumdatur. Anxiatus eſt in eo ſpiritus ejus. Ideo ſuccurrere ei deſidero; quia non eſt liberi nec Chriſtiani hominis, non ſubvenire oppreſſo. Iſte quidem ſervus veſter & fidelis pro poſſe ſuo, Canonicus eſt regularis Eccleſiae ſanctae Mariae de Boſco, quæ inter ſanctas habetur ſanctiſſima, ſed inter pauperes cognoſcitur eſſe pauperrima. Hinc, inquam, pauper filius ejus, pro paupere matre ſtatim pugnaturus, orat & ſupplicat pedibus majeſtatis veſtrae, & nos cum illo & pro illo oramus & ſupplicamus quatinus aures capitis veſtri & cordis dignemini convertere ad reſponſa ſuae defenſionis. Neque enim eſt nobis animus ſerenitatem & reverentiam veſtrae gravitatis otioſis ſermonibus detinere. Tullio & Tullianis ſit ſua rhetorica. Sed puram veritatem, quae eum liberabit, & ea tantum quae ſibi ad hoc negotium ſint neceſſaria, ſimpliciter & ſuccincte vobis & curiae veſtrae praeſenti propoſuimus intimare.

II. Nobilis quidam de noſtratibus aedificavit duas Eccleſias, unam in abbatiam regularium Canonicorum, qui ex tunc in ea uſque modo devotiſſime Deo deſervierunt; alteram vero in Capellam & in oratorium ſibi & ſuae propriae familiae conſtruxit. Et hanc ipſam inter aedificandum dicitur, & recognoſcitur ab adverſario, illi regulari Eccleſiae, de qua ante diximus, contuliſſe. Haec autem Capella nihil omnino de reditu juris parrochialis poſſidebat. Sed permittentibus illis regularibus Canonicis quos jam commemoravimus, ille idem Dominus Capellanos ſuos, quos feodatos habebat & habuerat jam antea multo tempore, aſſignavit ei, ut inibi more canonico celebrarent divinum officium in honorem Dei & piiſſimi Nicolai: quorum poſſeſſiones erant in cenſivis, in agriculturis, in vendis forenſibus, in furnis, in molendinis, & in his quae fuerant excerpta de dominicatura & de menſa ipſius Domini; quae licenter poſſet dediſſe alicui ſuorum militi ſive clienti, ſi placuiſſet, aut mimo, aut hiſtrioni, ſi leviter agere voluiſſet. Vide infra pag. 16.

Poſtmodum vero filius filii illius intelligens illam regularem Eccleſiam plus nimis indigere, quia ſita eſt in terra ſterili, in locis paluſtribus atque ſilveſtribus, unde ipſa Eccleſia de Boſco nominatur, ad perficiendum hoc quod ſuus anteceſſor inceperat animum intendit, & ad ſupplementum inopiae victus & veſtitus pauperum fratrum, Capellam quam ſaepe replicamus cum tota capellania jam multotiens nominatae abbatiae dedit. Verum ut hoc ſuum deſiderium recto itinere incederet & debito ordine cederet, quicquid dominationis, quicquid poteſtatis in eam habuit, totum id penitus refutavit & poſuit in manu Domini mei Rainaldi venerabilis ante Andegavenſis

Epi-

Epifcopi & modo Remenfis Archiepifcopi, affectuofe depofcens quatinus hoc fuum depofitum illi regulari monafterio quod multotiens revolnimus tam redderet quam donaret.

III. Sane Dominus meus ille Epifcopus, valde congratulatus ante de tanto incremento illius indigentis Ecclefiae, ficut fufcepit de manu illius nobilis, fic inveftivit illam pauperem abbatiolam de ifta Capella in manibus Albini Abbatis, tradendo ei claves illius Capellae, tradendo ei cordas fignorum ejus, necnon & chartam conftitutionis ejufdem, infuper & libros, & fi qua funt alia. Hoc autem conceflerunt Capellani fervitio ipfius Capellae attitulati, & fe ipfos & fuas capellanias, five mavis dicere praebendas, in manu Abbatis & difpofitione ejus reddi-
Vide infra pag. 18.
derunt. Hoc conceffit Archipresbyter loci illius Rainaldus, & nofter Decanus Normannus, & noftrum Capitulum, quorum illa Capella cenfualis erat. Et hoc conceffi ego Ulgerius, qui en tempore indignus adminiftrabam officium archidiaconatus, hac conditione, ut numerus fervientium non diminueretur.

IV. Et ut hoc totum opus perfectiffimam confummationem fortiretur, ipfum Abbatem Albinum deftinavit idem Dominus meus Epifcopus ad Dominum noftrum Papam benedictum Pafchalem, orans & fupplicans ei ut dexteram dignationis fuae huic eleemofynae imponeret, & hanc Capellam illi abbatiae, de qua nobis eft fermo, daret & concederet & apoftolica auctoritate confirmaret. Qui de more fuae benignitatis tam dignis petitionibus, tam juftis precibus inclinatus, rogata conceffit, & per apoftolica fcripta, quae gratiffima nobis in medium attulimus, & vobis, videre videte illa, oftendimus & offerimus, hanc Capellam illi abbatiae confirmavit, &
Vide infra pag. 18.
Albinum & focios ejus fatis & fuper fatis laetos, laetiffima fit anima ejus, ad propria remifit.

V. Ea illa autem die Abbas fanctae Mariae de Bofco tenuit illam Capellam, non ut in fuam, fed vere fuam, & habuit & obtinuit pleniffimum jus in ea Abbatis & domini, cantando in ea privatim & publice pro velle fuo, cantando in feftis & in profeftis diebus; & obeunte vel abeunte aliquo de Capellanis illius Capellae, Abbas in loco vacuo & jure fuo fubftituit quem elegit, fecularem quem voluit, & regularem quem placuit. Tenuit autem illa abbatia & poffedit hanc Capellam, ut de antiqua donatione taceamus, in temporibus Domini noftri Papae Pafchalis, quoad ipfe fupervixit, & in diebus Domini noftri Papae Caliati nobiliffimi, & in diebus dulciffimi Domini mei Papae Honorii, & in diebus veftris Innocenti reverendiffime.

VI. Ufque ad hoc momentum urbani & periti oratores non detrahebant nobis, eo quod auditis adverfariorum argumentis, ftatim non in ea involavimus, & ad fuccidenda ea non feftinavimus. Per hanc enim viam rei geftae narrationis liberius & compendiofius pedetentim ad illa accedemus, & ea ipfa maxime in quibus adverfarii plus confidunt, inutilia & futilia effe oftendemus, & ariete rationis diruemus, aut quafi quid habent vigoris & jurium magis ex noftra parte quam ex parte adverfariorum ftare probabimus.

VII. Abbas Vindocinenfis intendit in abbatiam fanctae Mariae de Bofco & in hanc pauperem filiam ejus hoc modo. Injufte tenetis capellam fancti Nicolai de Credone, & injufte nobis aufertis eam. Johannis eft depulfio. Nec eam vobis aufferimus, aut injufte eam tenemus. Noftra enim eft ratione juris & longitudine quietae poffeffionis. Abbas Vindocinenfis ad probationem partis fuae adduxit quod Rainaldus Remenfis Archiepifcopus, qui ante erat Andegavenfis Epifcopus, & Gilbertus Turonenfis Archiepifcopus, adhibitis fibi Ildeberto Cenomanenfi Epifcopo & aliis fapientibus, adjudicaverunt Ecclefiae Vindocinenfi inveftituram Capellae fancti Nicolai, & quod Papa Caliatus necnon Dominus nofter Innocentius & Petrus Leonis in tempore fuae legationis idipfum confirmaverant. Infuper aftruit Abbas Vindocinenfis quod Ganftidum fuum anteceflorem Rainaldus dominus nofter Andegavenfis Epifcopus de illa Capella inveftierat judicio, & judicii & inveftiturae teftes literas figillatas ei fecerat, & quod illa Capella infra parrochiam fancti Clementis, quae fua eft, facta fit.

VIII. Johannes hic omnia haec infirmat. Illud quod judicium vel adjudicationem vocatis, fi inoffenfa majeftate Domini mei Remenfis Archiepifcopi poteft dici, non fuit nec debet dici judicium, fed potius praejudicium five peregrinum judicium; aut juftum judicium non fuit, quia non fuit factum apud eum quem debuit, nec per eos quos debuit, nec eo modo quo debuit, nec eo loco, nec eo tempore, neque circa hos circa quos decuit. Apud eum apud quem debuit non fuit factum. Apud Papam duntaxat debuit judicari, non apud quemcunque alium, de re ifta quam magnificandus Pafchalis Papa dederat, quam conceflerat, quam litteris & figillo fuae auctoritatis confirmaverat. Per illos per quos debuit non fuit factum: quia in primis per Papam, & poft ipfum, per Cardinales fuos, & per eos quos admififfet, & non per alios, debuit fieri. Unde nec per Turonenfem Archiepifcopum nec per Cenomannenfem Epifcopum debuit fieri. Infuper autem adhuc dicunt Turonenfem Archiepifcopum adjudicaffe monachis illam infamem inveftituram, immo inverfuram. Refpondemus caufam non adveniffe ad ipfum Archiepifcopum, nec delatam fuiffe ad ipfum, fed ipfum veniffe ad caufam hortatu & ducatu Vindocinenfis Abbatis, qui de fello fancti Mauricii infecto ipfum Archiepifcopum extraxit, & Andegavi fumptibus a Turoni abduxit, & ut fuum caufidicum pridie quam caufa tractaretur, & quantocunque tempore ante Andegavi fuit, eum Abbas procuravit, & ab hofpitio Abbatis ad caufam cum Abbate venit, & a caufa ad hofpitium Abbatis cum Abbate rediit. Tunc temporis quicquid fcivit & potuit ad opus Abbatis Vindocinenfis, & fecit & potuit. Et ideo nobia fufpectus fuit. Eo modo quo debuit factum non fuit: quia feftum fancti Bartholomaei tranfierat quando Epifcopus diem ad agendum, videlicet craftinum ab initante tunc fefto, praefixit. Illi autem quos Epifcopus vocabat ad caufam, caufati funt brevitatem hujus termini & duritiam Credonenfis domini, qui eis faepius fua auferebat, & aliquando Canonicum a fe captum nifi redemptum abire non permittebat. Dictum etiam fuit ab illis quod illa Capella, pro qua ad caufam vocabantur, abbatiae de Bofco erat. Ad caufam equidem venirent die conftituto; fed caufam non ingrederentur, nifi prius judicaretur fi caufae illae fufficientes effent ad impetrandum fibi falvum terminum & commodiorem. In illo termino cum utraque pars conveniffet, & Abbas Vindocinenfis quaereret judicium de jamdicta Capella, refpondit pars adverfa fe caufam illam non ingredi, nifi prius fit judicatum fi caufae fuperius dictae fufficientes effent, ne eo die ratione poffent cogi ad placitandum, ficut & in pofitione iftius termini ipfi determinaverant. Infuper non fuerunt vocati fecundo nec tertio. Eo loco quo debuit factum non fuit; quia nec ante Papam. Nec in loco juffionis factum fuit: quia illi Clerici qui impetebantur, inducias fex menfium ad agendum de vita fua, fcilicet de praebendis fuis, de ufufructu quarum in fervitio Dei vivere debebant, & fervitio quarum ordinati erant, obtinere non potuerunt. Circa illos circa quos decuit factum non fuit: quia circa Abbatem & circa Canonicos regulares fanctae Mariae de Bofco factum non fuit, quorum tantum erat & proprietas & poffeffio faepiffime jam praefatae Capellae datae & confirmatae per Andegavenfem Epifcopum, per Archidiaconum, per Archipresbyterum, per Decanum & Capitulum fancti Mauricii, per Capellanos illius Capellae quae nobis eft in ore, & ad cumulum, per Dominum noftrum Papam magnificum & mirificum Pafchalem, cujus auctoritas fupergreditur & excedit longe omnes donationes & confirmationes aliorum.

Unde

Unde nos confisi de summi judicis misericordia & vestra, similiter de Dei & nostra & horum pauperum justitia, confidenter dicimus, quandoquidem isti regulares Canonici non fuerunt vocati ad causam nec judicati, illud quod hic judicium nominatur, circa hos circa quos decuit factum non fuit, nec illos regulares debere damnari, nec propter hoc a causa praecipitari, etiamsi illi seculares Capellani, cum ipsi essent Vicarii praedictorum regularium & officiales eorum & . . . . . . & instrumentum, pro culpa sua & pro defectu suo a causa exciderunt. Immo nos affirmare credimus quod si argumenta adversarii efficacia essent, ad removendos seculares Capellanos valerent, regularibus autem non obessent, sed prodessent, cum secularium depositio regularium esset admissio, & cum regularium ipsorum sit, & non alterius personae, in locum ipsius Capellae vacuum intrare, & vel sibi retinere, vel alii quem eligent dare.

IX. Ad hoc quod dicunt adversarii, Dominum Andegavensem Episcopum investituram fecisse Gaufrido Vindocinensi Abbati de Capella post hoc judicium, respondemus quod investitura ex tali judicio non est approbanda, & nos desiderare & desiderando orare apostolicam dignitatem & ejus sanctae curiae auctoritatem ut judicent utrum investitura apud talem, & per tales, tali modo, tali loco, tali tempore, circa tales, facta & judicata, investitura debeat esse vel dici, vel inversura, cum a Papa & a curia ejus nulla nisi canonica fuerit sic admittenda nec pro investitura habenda, & cum illud quod vocant investituram, in logis tantum & vocalis esset, non realis, neque materialis, & magis praeceps & festinata quam excogitata.

X. Ad hoc autem quod adversarii dicunt, Rainaldum Episcopum Andegavensem investivisse Gaufridum Abbatem Vindocinensem de Capella per clavem ipsius Capellae, respondemus quod huic argumento, immo arguto & arguendo mendacio, obviat, & quod multis Clericis & plurimis laicis patet Albericum sacerdotem in memorata clave extracta de baltheo & sua propria insuper & viginti libris promissis Abbati Vindocinensi redemisse filium suum Paganum monachum ab intolerabili jugo Vindocinensis monasterii, & cum redemptum reddidisse abbatiae sancti Albini.

XI. Quod autem dicunt Andegavensem Episcopum fecisse chartam eis in testimonium judicii & investiturae, magis videtur eis officere quam proficere, quia non fuit composita per eum qui ante erat magister scholarum; cum in Andegavensi Ecclesia nulla charta de rebus ad Andegavensem pertinentibus soleat recipi, nisi a magistro scholarum dictata & laudata fuerit. Addimus quod charta illa non continet priores nostrae Ecclesiae: quibus quaecunque charta caret non tantum perdit auctoritatem, sed etiam meretur calumniam.

XII. Contra hoc quod asserunt Dominum Calixtum Papam & vos & Dominum Petrum Leonis confirmasse tale judicium & talem investituram, non est mirum si ista confirmavistis, qui nullum super hoc ratiocinantem audiebatis. Verum Romana Ecclesia illius discretionis semper debet esse ut si aliquis ab ea falsitatem inducendo, vel veritatem tacendo, alicujus rei confirmationem injustam obtinuerit, agnita veritate, tali occasione nulli rem suam debet auferre. Dominus Gaufridus Abbas, qui multum prudens & multum litteratus & multum eloquens fuit, satis o-
Vide infra pag. 116. stendit quod in his rationibus non multum confidebat, nec multum urgebant, qui Turonis, ubi vos & Abbas & nos vobiscum eramus, de Capella ista nullum clamorem protulit; similiter nec in celeberrimo Remensi Concilio, ubi Archiepiscopus Remensis fuit, cui isti innituntur, & ubi nos vobiscum fuimus, super hoc quod isti clamant, clamorem sive querelam ad aurem sanctitatis vestrae detulit. Ad ultimum, isti regulares, qui modo possident, parati sunt comprobare Capellam illam jam a triginta annis vel a quadraginta fuisse datam Ecclesiae sanctae Mariae de Bosco, sine reclamatione legitima sibi facta.

XIII. Nunc autem, Reverendissime Pater, pervolate partem adversariorum & nostram, & conferte auctores auctoribus, assensores assensoribus, modos modis, loca locis, tempora temporibus, impetitores impetitis, & quod etiam per nos non rogati faceretis, recte judicantes, saepissime jam commemoratae abbatiae de Bosco hoc suum satis parvum solatium adjudicate. Quod si apud vestram sublimitatem oratio nostrae parvitatis nullius fuerit, commoveant viscera vestra paupertas hujus fratris & Ecclesiae suae pauperis humilitas: quia vos estis sustentator pauperum, & pater orphanorum, & advocatus eorum. Vos estis judex judicum terrae. Sententia vestra definit universas. Acceptio personarum non fuit apud Christum, nec debet esse apud vos Vicarium ejus. Vestrum est bene posita confirmare. Amodo sollicitudinem causae pauperis istius & fratrum suorum in sinum clementiæ vestræ projicio. Amodo curam hujus pauperis Johannis & aliorum fratrum suorum habeatis. Quia, Domine, tibi derelictus est pauper. Orphanorum, non dicam eris, sed sis adjutor.

---

## INNOCENTII II. PAPÆ

*Epistola ad Robertum Abbatem sanctæ Mariæ de Rota in diœcesi Andegavensi.*

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Roberto Abbati sanctae Mariae de Ro- A. 1136.
ta ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Religiosis desideriis facilem praebere debemus assensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Quocirca, dilecte in Domino fili Roberte Abbas, venerabilis fratris nostri Ulgerii Andegavensis Episcopi, religiosi utique, prudentis, ac discreti viri, certisque experimentis in catholica fide probati, postulationibus annuentes, Ecclesiam beatae Mariae de Bosco, cui Deo auctore praeesse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, eamque praesentis privilegii pagina communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum beati Augustini regulam ibidem est Deo propitio institutus, in eodem loco perpetuis temporibus inviolabiliter conservetur. Quaecunque praeterea bona, quascunque possessiones eadem Ecclesia in praesentiarum juste & canonice possidet, quaecunque etiam in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis largiente Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata serventur; in quibus haec propriis nominibus duximus exprimenda. Ecclesiam videlicet sanctae Mariae de Liurcio, Ecclesiam sanctae Mariae de Camazeio cum Capellis suis, scilicet sancti Petri & sancti Leonardi, Ecclesiam sancti Salvatoris, Ecclesiam sancti Germani de Daona, Ecclesiam sancti Petri de Vaus, Ecclesiam sanctae Mariae de Arisel, Ecclesiam sancti Bomiri de Fonte cooperto, Ecclesiam sancti Petri de Bremio, Ecclesiam sanctae Mariae de Roalderia, Ecclesiam sancti Germani, Ecclesiam sanctae Mariae Villaepoitus, Ecclesiam sancti Petri de Chanceio, Capellam sanctae Mariae de Portu Sonoiia, Capellam sanctae Mariae de Peston, Capellam sancti Johannis de Longo-Alneto, Capellam sanctae crucis de Cancellis, Capellam sanctae Mariae Magdalenae Breliengaudi, Capellam sancti Lamberti, Capellam sancti Dionysii de Molendini Blochet. Concedimus etiam vobis dationem trium praebendarum in Ecclesia sancti Nicolai Credonensis tribus honestis Clericis; qui nimirum, post susceptum a vobis beneficium, Andegavensi Episcopo, remota exactionis molestia, praesententur. Defuncto quoque aliquo eorum, quaelibet earundem praebendarum in ma-

nn vestra malo studio minime tenentur, sed absque frustratoria dilatione a vobis honesto Clerico praebeatur. Et quoniam idem locus frequentationi religiosorum virorum incongruus esse cognoscitur, vobis ibidem habitare non liceat; sed potius, sicut statutum est, in eodem loco sex Canonici statuantur. Mensura vero olei quae eidem Ecclesiae a vobis annualiter praestabatur, ulterius non detur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit vestiam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione concessa sunt usibus profutura. Salva siquidem Andecavensis Episcopi debita justitia & reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hujus nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, excommunicationi subjaceat. Conservantes autem eidem loco quae sua sunt, omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus gratiam consequantur. Amen, Amen, Amen. Benevaleta.

Ego Innocentius catholicae Ecclesiae Episcopus subscripsi.

Ego Guillelmus Praenestinus Episcopus subscripsi.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi subscripsi.

Ego Ulgerius dictus Andecavensis Episcopus subscripsi.

Ego Guido Cardinalis sancti Adriani subscripsi.

Ego Vasallus Diaconus Cardinalis sancti Eustachii subscripsi.

Ego Grisogonus Diaconus Cardinalis sanctae Mariae in Porticu subscripsi.

Ego Lititredus Presbyter Cardinalis Tit. Vestinae subscripsi.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis Tituli sanctorum Johannis & Pauli subscripsi.

Ego Guido indignus sacerdos.

Ego Gregorius Cardinalis Presbyter Tituli sanctae Priscae subscripsi.

Data Pisis per manum Aimerici S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarii VIII. Kalendas Februarii, Indictione XIII. incarnationis dominicae anno MCXXXVI. pontificatus Domni Innocentii Papae II. anno sexto.

---

Visum est hoc loco addere chartam de primo dono Ecclesiæ sancti Nicolai de Credone, & bullam Paschalis II. qua eandem monasterio Rotensi confirmat, quod utriusque scripti mentio supra pag 19 fiat in relatione Ulgerii Episcopi Andegavensis. Addidimus etiam chartam qua ejusdem monasterii initia continentur, & eam quae agit de confirmatione ab Urbano II facta in Concilio Turonensi Hinc enim explicabuntur quae de primordiis hujus Ecclesiæ & de judicio Turonensi dicuntur pag. 15. & 17.

### *De primo dono Ecclesiae sancti Nicolai de Credone.*

Ego Albinus Abbas & Conventus sanctae Mariae de Rota munimine & testimonio hujus paginae notum coaetaneis nostris & omnibus successoris esse curavimus Hugonem de Credone Capellam sancti Nicolai, quae est in Credonensi oppido, cum pertinentiis ejus in manu Raginaldi Andecavensis Episcopi ad hoc posuisse ut ipse Rainaldus eam cum ipsis pertinentiis Ecclesiae nostrae & nobis donaret in perpetuum habendam, & ipsum Rainaldum nobis eam & Ecclesiae nostrae dedisse. Sane id concessit Ulgerius, qui tunc erat Archidiaconus, & Rainaldus Archipresbyter. Concesserunt etiam Clerici praefatae Ecclesiae, Albericus, Theobaudus, Rainaldus, Guarinus, Teobaudus, Guillelmus, Calepinus, Petrus. Ipsum firmatum fuit in Capitulo sancti Mauritii Andegavensis, consedentibus & concedentibus quorum nomina subscripta sunt. Normannus Decanus Andecavensis audivit & concessit. Richardus, Normannus Archidiaconus, Grafio, Gnibertus, Guillelmus, Obertus, Haimericus, Ulgerius, & alii. Huc donum & hanc concessionem fecit stabilius & firmius auctoritas Paschalis Papae, qui litteris & sigillo suo Ecclesiae de Bosco ei deservientibus fratribus & deservituris cum suis pertinentiis possidendam constituit.

---

### *Privilegium de eodem dono sancti Nicolai.*

PAschalis Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Albino Abbati & Canonicis sanctae Mariae de Bosco salutem & apostolicam benedictionem. Quia vos ad videndum Deum vacare cognovimus, nos juxta petitionem vestram quieti vestrae benignius providemus. Eapropter Capellam illam beati Nicolai quam in castello Credonis per manum Rainaldi Andecavensis Episcopi suscepistis, nos vobis per decreti praesentis paginam confirmamus, quam videlicet idem Rainaldus Episcopus de Hugonis Credonensis potestate receperat. Sicut ergo ab eo vobis concessa & tradita est, ita vobis in perpetuum quietam & integram cum omnibus appendiciis suis manere censemus. Salvo nimirum censu annuo solidorum decem, qui matrici Ecclesiae beati Mauritii persolvendi sunt. Universa enim praedia & dona quae supradicti Hugonis avus Rainaldus eidem Capellae de suo jure obtulit & scripti assertione contradidit, quaeque ab ipsius Rainaldi filio Mauritio collata sunt, quieta vobis & integra in perpetuum manere sancimus. Data Beneventi II. Non. Aprilis, Indictione decima. An. 1117.

---

## FUNDATIO ECCLESIÆ

### *Sanctæ Mariæ de Rota.*

DUm divina pietas quotidie nos admonet dicens, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula*, idcirco ego Raginaldus Roberti Burgundi filius pro Dei omnipotentis amore, & pro retributione animae meæ, ut pius Dominus eripere me dignetur a perpetua morte, pro anima patris ac matris, necnon & uxoris meæ, quoddam boscum meum Credonensi castro proximum ad ædificandam ibi Ecclesiam beatae & gloriosae virginis Mariae de jure meo in jus Canonicorum sub beati Augustini regula in eadem Ecclesia degentium perpetuo transfundo ita solidum & a consuetudinibus omnibus exceptum qualiter a Fulcone Andegavensi Comite juniori solidum & quietum illud usque in praesentem diem tenui & teneo; ea siquidem conditione ut nullus alius ordo intra praefatam Ecclesiam aut in praesenti aut in futuro præter Canonicorum canonice illic habitantium admittatur. Ut autem hoc donum meum inviolabilem obtineat firmitatem, notum facio præsentibus & posteris meis hanc investitionem Andegavis factam esse supradictae Ecclesiae & ejusdem loci fratribus in camera & in domni Gaufridi Episcopi praesentia, vidente & concedente Mauricio & Henrico & Roberto filiis meis. Et ut hæc donatio rata & inviolabilis perpetuo subsistat, manu propria subterscripsi. Data Andegavis III. Idus Februarii, in crastino dedicationis basilicæ beati Nicolai.

In nomine Domini, ego Hugo Lugdunensis Archiepiscopus subscripsi.

Signum Raginaldi Credonensis.

Ego Gaufridus Andegavensis Episcopus rogatus concessi.

Si-

Signum Amati. Ego Amatus gratia Dei Burdegalensis Archiepiscopus & sanctae Romanae Ecclesiae Legatus laudo & confirmo.

Signum Ivonis Carnotensis Episcopi.

Signum Hoelli sanctae Cenomanensis Ecclesiae Episcopi.

Ego Gualterus gratia Dei Albanensis Ecclesiae Episcopus subscripsi.

Signum Guarneri Archidiaconi.

Concessit etiam Raginaldus Credonensis & Mauritius filius ejus supradictae Ecclesiae & loci fratribus quidquid de fevo suo in quocunque loco amplius emerint, seu quicquid eidem Ecclesiae attribuetur de rebus ad suum dominium pertinentibus, teste Matthaeo Suhardi filio & Radulpho de Pochoneria hominibus suis. Datum anno Domini MLXXXXIII.

Facta igitur hac concessione a Raginaldo Credonensi, firmata est haec charta in superiori camera Gaufridi Andegavensis Episcopi junioris per impositionem manus Urbani II. Papae & per beati Petri auctoritatem pridie Idus Februarii in primo anno ordinationis Gaufridi junioris Episcopi, in nono ordinationis Urbani praedicti Papae, ipso Gaufrido juniori Episcopo vidente & laudante, laudante Episcopo Signensi, Teuthione, Alberto, Rangerio Cardinalibus videntibus & laudantibus. Affuerunt etiam de Clericis Papae, Emorrandus de Sessuns, Milo sancti Albini monachus. De Clericis Andegavensis Episcopi, Willelmus de sancto Laudo, Goffridus Widonis filius. De Clericis in praefata Ecclesia sub regula degentibus, Robertus & Quintinus, & duo Hervei, & alii duo.

Signum Aldeberti Primatis Bituricensis.

Ego Wido gratia Dei Viennensium Archiepiscopus subscripsi.

Ego Geraldus Morinorum Episcopus subscripsi.

Signum Renerii Canonici Malleonensis.

Ego Rangerius Cardinalis suscripsi.

Signum Fulconis Andegavensis Comitis.

His audientibus, Clarembaldo de Rupeforti, & Hieronymo fratre ejus, & Goffrido Fulcredo, & Hugone de Pocejo.

Haec secunda sanctio facta est Turonensi Concilio, Apostolico viro Missam devotissime celebrante, XII. Kalendas Aprilis, luna existente XXII. anno MXCVI. incarnati verbi, Philippo Rege Francorum imperium tenente.

Signum magistri Mainegaudi.

Signum Guillelmi electi de Claromonte.

Signum Raginaldi Andegavensis junioris Episcopi.

Signum Radulphi Archiepiscopi Turonensis.

## EUGENII III.

*Epistola ad Petrum Regensem, & Bertrandum Forojuliensem Episcopos.*

Ex L. II. Misc. Bal. pag. 222. EUgenius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus P. Regensi & B. Forojuliensi Episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Barioleusis Ecclesia beati Petri juris existit, & ad ejus proprietatem & defensionem specialiter pertinet.

An. 1145. Unde nobis est injuncta necessitas ipsam & alias sibi pertinentes diligere & fovere, & nullam eis injuriam vel molestiam irrogare. Quocirca per apostolica vobis scripta mandamus atque praecipimus quatenus nullas novas exactiones, neque receptiones, vel pastus, vel alia inconsueta in Ecclesiis quas in vestris episcopatibus possidet imponatis, nec ab eorum Presbyteris exigatis; sed eas in ea libertate libere dimittatis in qua praedecessorum vestrorum Augerii videlicet & Berengarii temporibus extitisse noscuntur. Presbyteros autem sive Clericos vobis subditos, qui excommunicatos in cimiterio scienter sepeliunt, tamdiu a susceptis ordinibus suspendimus



donec de tam gravi praesumptione satisfacturi nostro se conspectui repraesentent. Vos autem tamen nostram suspensionem eis annuncietis, & observari firmiter faciatis. Datum Viterbii VI. Kal. Novembris.

## EUGENII PAPÆ III.

*Epistolæ duæ ad Abbatem & monachos Beccenses.*

EUgenius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Letardo Abbati Beccensi ejusque fratribus Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 140 salutem & apostolicam benedictionem. Officii nostri nos hortatur auctoritas ut quos erga sanctam Romanam Ecclesiam & nos ipsos devotiores esse cognoscimus propensius diligamus & suam eis justitiam sedis apostolicae munimine confirmemus. Hujus rei gratia, dilecti in Domino filii, venerabilis fratris nostri Rotrodi Ebroicensis Episcopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus gratum impertimur assensum, & possessionem Ecclesiae sanctae trinitatis de Bellomonte cum omnibus pertinentiis suis a venerabili fratre nostro H. Rothomagensi Archiepiscopo canonice vobis adjudicatam auctoritate vobis apostolica confirmamus & praesentis scripti munimine roboramus. Salvis nimirum praebendis Canonicorum superstitum. Si quis autem hanc nostrae confirmationis paginam sciens contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonitus si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, atque indignationem Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus incurrat. Data Viterbii IIII. Idus Decembris.

EUgenius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Letardo Abbati & monachis Beccensibus salutem & apostolicam benedictionem. Quando inter religiosas personas de terrenis rebus controversia nascitur, ita sacerdotali est sollicitudine finienda ut crescere non possit ex more contentio. Quod nos intelligentes, controversiam quae inter vos & Robertum Priorem & Canonicos sanctae Fridelvvidae de Oxenefordia super Ecclesia de Bellomonte & omnibus ejus pertinentiis diu agitata est hoc modo terminavimus, & hac transactione penitus litem decisimus. Praedictus siquidem Robertus & Canonici toti prorsus querelae & juri quod se in eadem Ecclesia de Bellomonte & pertinentiis suis habere contendebant vobis in perpetuum renunciaverunt & ea in manu nostra libere refutaverunt. Unde a vobis per manum nostram similiter villam quae dicitur Edivetona cum omni decima dominii ejusdem villae rusticorum de ipso tantum fundo percipiendis in suum perpetuum dominium receperunt cum omnibus pertinentiis suis in pascuis & pratis, bosco & plano, & molendinis; salvo vobis universo jure reliquo parrochiali & tertia garba decimae rusticorum ejusdem villae, quae ad Ecclesiam de Hundrefort, in cujus parrochia ipsa villa est, proprie spectat; ita videlicet ut in ipsa villa Ecclesiam vel capellam nunquam in posterum Canonici construere valeant. Quia igitur nostri officii est ea quae pro religiosorum quiete praecipue per nos ipsos statuta sunt in sua stabilitate firmare, eandem decisionem sive compositionem sedis apostolicae auctoritate firmamus & ab utraque parte firmiter observari praecipimus. Data Parisius VI. Kal. Jun.

## ALEXANDRI III. PAPÆ

*Epistolæ duæ pro Ecclesia Albiensi.*

Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 466.
An. 1165.

ALexander Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis monachis Aureliacensibus salutem & apostolicam benedictionem. Causam quae inter vos & venerabilem fratrem nostrum Episcopum & Canonicos Albienses super Ecclesia Viancii & super aliis quibusdam Ecclesiis necnon & super aliis quibusdam querelis quas adversus vos habent agitari dinoscitur venerabilibus fratribus nostris Ruthenensi & Caturcensi Episcopis commisimus audiendam & appellatione remota fine congruo terminandam. Quocirca per apostolica vobis scripta mandamus quatenus cum ab eis propter hoc fueritis evocati, eorum praesentiam adeatis, & quicquid inter vos exinde judicaverint sine appellatione suscipiatis firmiter & servetis. Datum apud Montempesulanum Kal. Augusti.

Alexander Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Ruthenensi & Caturcensi Episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Causam quae inter venerabilem fratrem nostrum Episcopum & Canonicos Albienses & monachos Aureliacenses super Ecclesia Viancii & super quibusdam aliis Ecclesiis necnon super aliis quibusdam querelis quas adversus se habent agitari dinoscitur discretioni vestrae, de qua plene confidimus, audiendam committimus, & remoto appellationis obstaculo fine congruo terminandam. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus, cum exinde fueritis requisiti, utramque partem ante vestram praesentiam convocetis, & rationibus hinc inde auditis plenius & cognitis, eandem causam mediante justitia sine appellationis remedio decidatis. Datum apud Montempesulanum Kal. Augusti.

---

*EPISTOLA*

## INNOCENTII III.

*De eadem re.*

Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 467.
An. 1204.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Ruthenensi Episcopo, & dilectis filiis Praeposito de Montesalvio & Priori sancti Antonini Ruthenensis dioecesis, salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum capituli sanctae Ecclesiae Albigensis gravem accepimus quaestionem quod cum Ecclesiam beatae Marcianae canonice fuerint assecuti, Canonici beati Salvii Albiensis pensionem viginti solidorum, quam ab eadem Ecclesia nomine procurationis percipere consueverunt, augmentare volentes, ipsos tam super hoc quam super Ecclesia memorata contra justitiam molestare praesumunt. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus dictis Canonicis ut ab indebita eorum molestatione desistant, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis; nullis litteris veritati & justitiae praejudicantibus a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, tu ea, frater Episcope, cum eorum altero nihilominus exequaris. Datum Ferentini XI. Kal. Junii, pontificatus nostri anno VI.

---

## PELAGII CARDINALIS

*Tituli sanctæ Caciliæ epistola ejusdem argumenti ad Guillelmum Episcopum Albiensem.*

VEnerabili in Christo fratri G. Dei gratia Albiensi Episcopo P. eadem gratia tituli sanctae Caeciliae Presbyter Cardinalis, salutem & sincerae dilectionis affectum. Intelligentes quod Canonici Albiensis sedis adquitierunt Ecclesiam beatae Marcianae a quibusdam laicis, qui non consueverunt dare pro refectione quam debebant Canonicis beati Salvii nisi viginti solidos, & iidem Canonici modo petant refectionem sibi & omnibus quos secum ducunt, per quod Albiensis Ecclesia plurimum dicitur gravari, dignum videtur & rationi consentaneum ut intendatis quod viginti solidos recipiant a Canonicis sicut a laicis recipere consueverunt. Rogamus ergo dilectionem vestram, de qua plenam spem & fiduciam tenemus, quatinus Albiensem Ecclesiam, quam nostram reputamus, quia ad honorem beatae Caeciliae est constructa, gravari non permittatis, sed ut praefati Canonici sint contenti nisi viginti solidis, taliter operam detis ut vobis gratiarum actiones referre teneamur. Nos enim & capitulum Ecclesiae nostrae ipsos in nostris orationibus recipimus, & eorum negotiis, quae velut nostra reputamus, modis omnibus cum Deo & honestate volumus adesse.

---

EPISTOLÆ DUÆ

## ALEXANDRI III. PAPÆ

*Pro Guinardo Comite Ruscinonensi.*

Ex L. II. Miscel. Ba. pag. 227.
An. 1165.

ALexander Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro G. Comiti de Rossilione salutem & apostolicam benedictionem. Nobiles & illustres personae quanto se beato Petro & nobis majori devotione subiiciunt, tanto eas Romana Ecclesia arctiori consuevit caritate diligere & in justitiis & honoribus suis propensius confovere. Eapropter tuae devotionis obtentu, & dilecti filii nobilis viri Trencavel avunculi tui precibus inclinati, terram quae te hereditario jure contingit, nulla tibi quaestione ab adultera vel ejus filio facta, tibi auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli unquam viro vel feminae liceat tibi paternam hereditatem contra justitiam auferre vel illicite perturbare. Si quis autem hoc temere attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Montempessulanum XIV. Kal. Septembris.

### ALIA.

ALexander Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Pontio Narbonensi & Hug. Tarraconensi Archiepiscopis, Helenensi quoque & Gerundensi Episcopis, salutem & apostolicam benedictionem. Suggestum nobis est & certa quasi relatione monstratum quod pater nobilis viri G. Comitis de Rossilione, legitima uxore dimissa, sibi aliam per adulterium copulavit. Unde tam ipse quam ejus adultera anathematis meruerunt vinculis innodari; &, sicut credimus, antecessor noster bonae memoriae Eugenius Papa prohibuit ne filii qui ex adultera susciperentur, in paternam succederent hereditatem. Ceterum quoniam secundum legum statuta filius est quem legitimae nuptiae demonstrant, nec filius sed spurius dicitur qui de adulterio nascitur, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus ne illi jure successionis vel adultera aliquid de suprascripta hereditate ratione donationis propter nuptias sibi vindicent, districtius prohibeatis, & hoc fieri nullatenus permittatis, & si quis eidem G. super hoc injuriam vel molestiam inferre praesumpserit, cum ad nos inde querela pervenerit, debitam de eo & plenam justitiam faciatis. Datum apud Montempessulanum XIV. Kal. Septembris.

ALE-

## ALEXANDRI III.

*Epistola ad Decanum & Capitulum Ecclesiae Parisiensis, de residentia Canonicorum forinsecorum.*

Ex L. II. Misc. Bal. pag. 333.

An. 1170.

ALexander Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis B. Decano & Capitulo Parisiensi salutem & apostolicam benedictionem. Ea quae ad incrementum Ecclesiarum & venustatis spectant decorem, juxta officii nostri debitum studiosius prosequi volumus, & iis promptam curam & diligentiam adhibere optamus quae ad vestrum & Ecclesiae vestrae cognoscimus pertinere profectum. Ex litteris autem quas nobis devotio vestra transmisit evidenter accepimus quod quia quidam vestrum alienis insistentes negotiis, raro Ecclesiae vestrae sui praesentiam exhibebant, & ceteri eandem licentiam absentandi se velint habere, communi consilio illos Canonicorum vestrorum forinsecos ordinastis qui per medietatem anni in Ecclesiae vestrae servitio assidui non fuerint, ita tamen quod circa quatuor marcas argenti de praebenda sua annuatim recipiant, eis exceptis qui in servitio nostro vel Regis Francorum permanserint, & hoc sub anathematis interpositione firmastis. Unde nos paci, quieti, & utilitati vestrae, sicut diximus, paterna meditatione providere volentes, praescriptam institutionem, sicut a majori & saniori parte Capituli facta est, ratam & firmam habemus, & ne quorumlibet valeat praesumptione mutari, eam auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tusculani II. Idus Decembris.

---

## CÆLESTINI III. PAPÆ

*Epistola ad Capitulum Narbonense, qua confirmat translationem Berengarii Episcopi Ilerdensis ad Metropolim Narbonensem.*

Ex L. II. Misc. Bal. pag. 341.

An. 1191.

Vide Innoc. III lib. III. epist. 68.

CÆlestinus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Capitulo Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Quod Episcoporum mutationes utilitatis vel necessitatis causa possint auctoritate apostolica licite fieri tam canonum statuta quam antiqua sanctorum patrum exempla manifestius protestantur. Etenim beatus Petrus, magister noster & princeps, de Antiochia Romam translatus est, ut ibi magis proficeret. Eusebius quoque Alexandriam, Felix Ephesum pro eadem causa fuit hujus almae sedis auctoritate translatus. Hac itaque ratione considerationis & aliarum plurium mutationum exemplis inducti, nimirum respicientes ad utilitatem Narbonensis Ecclesiae & necessitatem temporis, quo in vestris partibus haeresum & sectarum studia diversa guerrarumque conflictus solito amplius invaluisse dicuntur, inspecta etiam idoneitate personae in quam laudabiliter convenistis, licet ab initio contradictores aliqui obstitissent, de communi tamen fratrum consilio electionem quam de venerabili fratre nostro Berengario Episcopo Ilerdensi fecistis ratam habemus, & auctoritate apostolica confirmantes, ipsum vobis concedimus in pastorem. Mandamus itaque vobis atque praecipimus quatenus deinceps ei debitum honorem & obedientiam tamquam spirituali patri vestro appellatione remota tam hilariter quam humiliter impendatis, & ita erga eum vos exhibere curetis ut & ipse, sicut pater sollicitus, de regimine vestro debeat commendari, & vos tanquam devotos filios de obedientia eidem exhibita digna laudum praedicatio prosequatur. Credimus siquidem & speramus quod qui in abbatia & episcopatu se gessit utiliter & honeste, in archiepiscopatu opitulante Domino ea poterit operari quae & in temporalibus Ecclesiae vestrae proficient & in spiritualibus correctionem atque meliorationem divina cooperante virtute praestabunt. Datum Romae apud sanctum Petrum XI. Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno primo.

---

## INGEBURGIS REGINÆ FRANCORUM

*Epistola ad Cælestinum III. Papam.*

Ex L. I. Misc. Bal. pag. 422.

An. 1196.

Vide Rigord ann. 1195. & 1196.

INopinati doloris anxietas me compellit exordium vobis proponere dolorosum, in gemitu cordis vestro apostolatui mea gravamina flebiliter enarrare. Jam enim triennium est elapsum quod Rex Franciae me in aetate nubili desponsavit & mihi, prout naturalis ordo requirit, debitum reddidit maritale. Postmodum vero instigatione diabolica & quorundam malitiosorum Principum persuasione seductus filiam Ducis S. superinduxit & retinet pro uxore: me vero in quodam castello incarcerari praecepit, ubi sic proscripta dego quod ad caelum levare oculos non audeo neque possum. Nullam allegat praeterea parentelam nullamve causam alicujus excessus pro quo ab illo debeam separari: sed facit de voluntate decretum, de pertinacia legem & de voluptate furorem. Doleo quidem, & non tristari non possum, qui panem comedo cum dolore & potum cum lacrymis assidue permiscere compellor, & non pro me tantum, sed etiam pro Rege, qui . . . . . . . . orthodoxae fidei, Christianis & universis de regno suo exemplum tribuit malignandi. Proh dolor! spernere vestrae sanctitatis litteras non formidat, audire Cardinalium jussa recusat, Archiepiscoporum & Praesulum dicta contemnit, & admonitiones religiosorum quorumlibet aspernatur. Ego autem quid dicam & quid faciam ex toto ignoro, quoniam innumerabilibus angustiis circumvenior. Unde nisi vestra misericordia mihi misereri dignetur, morti succumbam in proximo temporali.

---

## FORMA

*in qua consulit Dominus Papa de divortio celebrando.*

Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 245.

DOminus Papa consulit, ut utramque causam prætendat, scilicet causam affinitatis & maleficii. Unde si in causa affinitatis Regina testes producere noluerit, Domino Papae placebit. Sed si voluerit producere testes, non poterit ei denegare. Nec propter hoc timeat Dominus Rex, quia illos testes faciet Papa recipi per suum procuratorem. Nec caussetur Rex moram, quia modo major mora est propter timorem. In causa maleficii sic parcit Dominus Papa Domino Regi, quia si Rex in animam suam jurare fecerit quod Reginam cognoscere tentavit & non cognovit, & ob aliam causam eam principaliter exosam non habet, credetur Regi, si Regina non juret se fuisse cognitam, & quod non juret Dominus Papa credit eam de facili posse induci. Unde si Rex timet quod contra eum feratur sententia de praedictis, poterit differri ne feratur sententia. Et tunc Rex erit in eo puncto in quo modo est. Unum quid est in quo Dominus Papa non posset parcere Domino Regi, quin tentaret iterum eam cognoscere, quia hujusmodi maleficia per orationes abolentur.

*BUL-*

*BULLA*

## INNOCENTII PAPÆ III.

*De consecratione Fulconis Episcopi Tolosani.*

Ex L. VI. Misc Bal. pag. 458. INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archiepiscopo & dilectis filiis Capitulo Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum constet Tolosanam Ecclesiam ad jurisdictionem Narbonensis Ecclesiae jure metropolitico pertinere, licet dilecti filii Abbas Cisterciensis & magister Petrus de Castronovo ac frater Radulfus apostolicae sedis Legati electionem de Tolosano Episcopo canonice factam admiserint, & eum a venerabili fratre nostro Arelatensi Archiepiscopo fecerint consecrari, nolumus tamen omnino quod propter hoc possit in posterum Narbonensi Ecclesiae praejudicium generari quin Ecclesia Tolosana eidem Ecclesiæ Narbonensi tanquam metropoli suae debitum honorem impendat & reverentiam exhibeat consuetam. Nos igitur super hoc indemnitati Ecclesiae vestrae in futurum cavere volentes præsentes litteras in tuitionis vestrae subsidium vobis duximus concedendas. Datum Romae apud sanctum Petrum V. Idus Maii pontificatus nostri anno nono.

An 1206.

## HONORII III. PAPÆ

*Epistola ad Raymundum Rogerium Comitem Fuxensem.*

Ex L. XI. Misc Bal. pag 252. HOnorius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro R. Comiti Fuxensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum olim a dilecto filio nostro Petro Tituli sancti Laurentii in

An. 1216. Damaso Presbytero Cardinali tunc apostolicæ sedis Legato absolutionis beneficium accepisti, eidem inter alia juramento præstito promisisti quod super his pro quibus excommunicatus extiteras apostolicis deberes parere mandatis; & ob hoc castrum Fuxi assignari fecisti eidem, tuis custodiendum expensis. Præterea pro Rogerio Bernardi filio & Rogerio de Comengia nepote tuis, ut mandatis apostolicis obedirent, eidem Cardinali castrum obligasti prædictum. Propter quod idem castrum auctoritate sedis apostolicæ fuit hactenus custoditum. Nuper autem per proprios nuntios ad sedem apostolicam destinatos a nobis instantissime postulasti ut dictum castrum tibi restitui faceremus. Licet vero a nonnullis nobis suggestum fuerit quod tu, postquam castrum recuperaveris sæpedictum, negotium pacis & fidei perturbabis, quia tamen huc usque præfati Cardinalis dispositionibus & apostolicis mandatis humiliter paruisti, nec volumus quod Ecclesia Romana valeat a quoquam de fide non servata redargui, cum etiam manus nostra non sit abbreviata, quo minus te refrænare possimus si quod non credimus, nostris praesumeres obviare mandatis, venerabili fratri nostro Magalonensi Episcopo & dilecto filio Priori Fontis frigidi Narbonensis diocesis damus nostris litteris in mandatis ut a te, filio, & nepote tuis praedictis recipiant sufficientem juratoriam & fidejussoriam cautionem quod negotium pacis & fidei non turbetis, immo pacis formam servetis in illis partibus institutam, & recipiant etiam super hoc litteras vestras patentes, in quibus contineatur expresse quod si contra facere tentaretis, supradictum castrum incideret in Ecclesiæ Romanæ commissum, Abbati sancti Tiberii, qui castrum prædictum hactenus custodivit, in quindecim milibus solidorum Melgoriensium pro expensarum parte quas in custodia ipsius castri fecisse dinoscitur faciant a te solvi, quibus rite peractus, idem castrum, sublato cujuslibet donationis, contradictionis, & appellationis obstaculo, faciant tibi reddi, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Cum igitur in praedictis benignitatem sedis apostolicae sis expertus, nobilitatem tuam rogamus attentius & monemus, praesentium tibi auctoritate sub debito dudum a te praestiti juramenti districte præcipiendo mandantes quatinus negotium pacis & fidei de cetero non impugnes, sed pacem observes in illis partibus institutam, & illud idem per jamdictos filium nepotemque tuos facias pro posse tuo firmiter observari; ita quod propter hoc gratiam divinam & nostram valeas plenius promereri. Alioquin tanto amplius aggravaremus super te manus nostras quanto manifestius cognosceremus in hac parte per te nobis illusum. Datum Romae apud sanctum Petrum sexto Idus Decembris, pontificatus nostri anno primo.

*Ejusdem Epistola ad Amalricum Comitem Tolosanum.*

HOnorius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Amalrico Comiti Tolosano salutem & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum, & vota quae a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Sane in registris bonae memoriae Innocentii Papae praedecessoris nostri perspeximus contineri quod ipse Biterrensem, Carcassonensem, & Albiensem civitates, ac alias haereticorum terras quas Dominus tradidit in manibus inclitae recordationis patris tui ac exercitus Christiani, eidem patri tuo, cui principes ejusdem exercitus cum consilio Legatorum apostolicae sedis illas regendas commiserant, necdum heredibus ejus in fide catholica & devotione sedis apostolicae permanentibus confirmavit, principalium dominorum & aliorum, si quibus forte competit, jure salvo, exceptis haereticis & fautoribus, credentibus, defensoribus, & receptatoribus eorumdem, eodem patre tuo tres denarios per singulas domos ejusdem terrae annualiter Romanae Ecclesiae promittente ad indicium quod terras ipsas in devotione apostolicae sedis & sancta religione conservare de cetero disponebat, idem praedecessor noster statuit in Concilio generali ut terra quam cruce signati obtinuerunt adversus haereticos, credentes, fautores, & receptatores eorum, cum Montealbano atque Tolosa dimitteretur atque concederetur, salvo catholicorum per omnia jure virorum, mulierum, & Ecclesiarum, Comiti memorato, ut ab illis teneret a quibus est de jure tenenda. Nos tuis justis precibus inclinati, terras quas ipsi patri tuo & heredibus ejus dictus praedecessor noster noscitur confirmasse, ad ejus exemplar tibi ac heredibus tuis auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Quod vero de aliis concedendis & dimittendis eidem patri tuo ordinavit in Concilio generali, circa te ac heredes suos habere decernimus robur perpetuae firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani tertio Nonas Junii, pontificatus nostri anno quarto. A. 1220.

*Ejusdem Epistola ad Ludovicum VIII. Francorum Regem.*

HOnorius Episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Ludovico illustri Regi Franciae salutem & apostolicam benedictionem. A. 1223.

Cum

Cum Reges & Principes Christiani propter Ecclesiam matrem suam, ex qua specialiter nati sunt, & quam a Christo, ut eam temporibus suis foveant, suscepere fovendam, Deo tenentur reddere rationem, grave nimis debes gerere ac indignum quod intra terminos regni tui, videlicet in partibus Albigensibus, haeretici manifeste ac intrepide impugnant Ecclesiam, fidem Christianam evacuant, & dilacerant ipsum Christum. Certe Nabuchodonosor Rex

Dan. 3.

decrevit, dicens: *Quicunque locutus fuerit blasphemiam in Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, in interitu erunt, & domus eorum in dispersione.* Si ergo taliter fuit Rex alienigena, ne deberet Deus Israel blasphemari, commotus, tu Regum Christianissime, devotissimorum Principum successor & heres, cum quo devotio Christiana convaluit, evacuari fidem nostram, lacerari Christum, & Ecclesiam dissipari a talibus patieris? Denique si potestates seculi & rectores raptores persequuntur & fures, tu, qui regni solium obtines, terram tuam haereticis, qui animas pretiosiores cunctis substantiis furantur & rapiunt, non purgabis? Sane praeceptum a Domino

Deuter. 13.

legitur: *Si audieris in una ex civitatibus quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare illic dicentes: Eamus, & serviamus diis alienis quos non nostis, pones illos in ore gladii & igne civitatem incendes.* Nimirum etsi pro immensis in hoc seculo beneficiis Deo, a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, tenearis in multis, ad hoc tamen illi reputare te debes fortius obligatum ut pro ipso in fidei subversores, a quibus blasphematur, animosus insurgas, & pro catholica puritate, quam de partibus illis attendentes daemoniorum doctrinis ejecisse noscuntur, viriliter te opponas. Porro non absque dolore cordis & gravi mentis amaritudine recolere possumus quod cum ad stirpandum inde pestem haereticam multis sit personarum & rerum dispendiis laboratum, pene omnia in confusionem antiquam, populi Christiani peccatis exigentibus, sunt reducta, & ille qui felicibus invidet actibus, sic armavit in Antichristi praeambulos partes suas ut diffundentibus illis intrepide ac latius pravi dogmatis sui virus, verendum est plurimum ne ipsorum veneno regnum tuum in fide ac devotione prae aliis radicatum, cui Dominus benedixit, inficiant, & ex hoc contra totam Ecclesiam, tamquam in principalem partem concussam, nova persecutio excitetur. Multo ergo desiderio expectantes ut per te catholicorum Principum successorem impiis eorum conatibus celeriter obvietur, ne illud modicum terrae, quod adhuc tenent Catholici, amittatur, & pestis hujusmodi regnum Franciae maculet, cui jam aperte suos extendendo laqueos appropinquat, celsitudinem regiam monemus, rogamus, & obsecramus in Domino quatenus zelo, ut decet, fidei & devotionis accensus, oblatis Deo tuae coronationis primitiis, causam hujusmodi, quae Christi est, tibi, per quem post Deum posse felicius agi aestimatur, assumas, pro certo sciturus quod super hoc licet multum Romana Ecclesia laboraverit, non solum spirituale, sed temporale auxilium in personis & rebus quod potuit impendendo, nihilominus tamen parati sumus adhuc & laborem assumere & consilium & auxilium impertiri. Cum autem hoc negotium summae pietatis se ingerat, & ex eo videatur agi etiam causa tua, quod pestis ipsa loca jam tibi vicina veneat, cito, carissime fili, Christo & Ecclesiae potenter & patenter, prout Dominus tibi posse tribuit, in hac parte succurras. Nam potestatem propterea suscepisti ut per te persecutores Ecclesiae temporaliter, quod ipsa non potest facere, conterantur. Et quidem si, prout confidimus, Christi & fidei orthodoxae opprobria in te cadunt, ut aemulus, sicut potes, habeas tantam injuriam vindicandi, quod quippe Regis honori expedit, ne defectui tuo tantam fidei subversionem contingeret imputari, speramus in eo qui pueri propositum provehit, & consilium dissipat peccatorum, quod negotium in manu tua prosperabitur, & magnitudo tuae devotionis & fidei contritis haereticis clarius elucescat. Ceterum cum, sicut intelleximus, nobilis vir Amalricus Comes Tolosanus quicquid juris habet in terra tibi sit offerre paratus, in dominio tuo illud accipias, a te ac haeredibus tuis libere deinceps & quiete jure perpetuo possidendum. Ad hoc pro certo noveris quod Raymundum quondam Tolosanum Comitem & filium ejus cum eorum fautoribus dudum excommunicavimus, nec ad emendationem, licet benigne admoniti, revertuntur, sed contumaciter in sua malitia perseverant. Venerabiles vero fratres nostros Archiepiscopum Bituricensem, & Lingonensem & Sylvanectensem Episcopos, qui de tuo regno existunt, & tibi favorabiles credimus & devotos, & tui non dubitamus honoris existere zelatores, specialiter propter hoc ad tuam duximus praesentiam destinandos; quibus solita benignitate susceptis, oblatam tibi per eos, quibus in virtute obedientiae hujusmodi onus injunximus, nostram & Ecclesiae petitionem tam necessariam affectuose ac efficaciter studeas exaudire. Datum Laterani XIX. Kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno octavo.

---

*E P I S T O L A*

# CLEMENTIS IV.

*Ad Bertrandum electum Aurelianensem.*

Ex L. VI. Misc. Bal. pag. 438.

Dilecto filio Bertrando Aurelianensi clerico. Cum vacante Ecclesia & postulatione majoris partis Capituli dilectum filium ejusdem Archidiaconum postulantis de fratrum nostrorum consilio non admissa,

An. 1266.

de te a multo tempore nobis noto, qui siquidem olim Parisius noster in domo fuisti socius in scholis, eidem duxerimus Ecclesiae providendum, tu tamen nostra voluntate percepta ad nostram praesentiam accessisti petens humiliter & instanter ut cum ab olim te totum dedisses studio, & jam satis aetate provectus ad laborem pontificalis officii non sufficeres, te ab hujusmodi onere relevare misericorditer dignaremur. Quod cum a nobis obtinere non posses, nobis demum humiliter revelasti quod de sacerdote genitus & soluta, licet dudum gratiam obtinueris apostolicam quod ad sacros ordines promoveri & ad ecclesiasticas posses dignitates assumi, super episcopali tamen tecum non fuerat dispensatum, neque dictum episcopatum recipere sicut non poteras, sic nec etiam ambiebas. Nos igitur nostrum volentes aliud propositum quod ex solita conscientia super tua promotione concedimus, magis etiam intendentes providere Ecclesiae quam personae, ut defectu proposito non obstante ad episcopalem & archiepiscopalem assumi valeas dignitatem tenore tibi praesentium indulgemus, in remissionem tibi peccaminum injungentes ut Aurelianensis Ecclesiae regimen mente prompta suscipiens ad eandem gubernandam accedas quam citius facultas se obtulerit in Presbyterum promovendus & in Episcopum consecrandus. Datum Viterbii VIII. Idus Decembris anno secundo.

---

*Ejusdem epistola ad nepotem.*

An. 1266.

Raymundo de Engoyssoliis clerico. Quod te scripsisti velle studere Bononiae nec reprobare possumus nec probare, cum nomen studii sumptum proprie censeatur adeo favorabile ut aures mulceat audientium quibus offertur aliquis amator studii vel solo nomine studiosus, quamquam multotiens agatur aliud, aliud simuletur. Sane in dubiis praesumentes in dexteram potius quam sinistram, tuum propositum circa studium, quod ab olim nutrivimus,

com-

commendamus. Sed an tuo proposito locus congruat ipse discute, cum sit ex insolentia modernorum supervacuis expensis obnoxius, ut necessitates omittamus ad quas situs civitatis invitat, quae in via publica constituta multorum exhibet studentibus ibi praesentiam verecundam non obstantibus & sequentibus onerosam. Tuae igitur deliberationi committimus ut vires tuas fideliter metiaris. Nec enim ut Papae nepos ibi vivere poteris. Et si viseris ut Raymundus, forsan a pluribus contempneris. Quod si adeo fortis es animi ut contemnere scias & valeas te contempni, hic est gradus humilitatis sublimior, ad quem pauci te judicant ascendisse. Et si datum est tibi desuper, refer gratias largitori gratiarum benivolo. Alioquin consultius tibi credimus alium locum eligere proposito tam laudabili non mutato. Nec culpes nuntium de mora diutina, quem ideo detinuimus ut per eum ordinationem Aniciensis Ecclesiae mitteremus. Sed tandem aestimavimus melius eam per alium destinari. Datum Viterbii III. Non. Novembris anno secundo.

## NICOLAI PAPÆ III.

*de electione Episcopi Parisiensis.*

An. 1280. NIcolaus Episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri salutem & apostolicam benedictionem. Divinae gratia majestatis acquiritur si ministris suis, & iis praecipue qui pontificali praediti sunt dignitate, pro ipsius reverentia condignus honor impenditur & favor necessarius exhibetur. Sane vacante dudum Parisienti Ecclesia per obitum bonae memoriae Stephani Parisiensis Episcopi, de dilecto filio magistro Oddone de sancto Dionysio inibi electio facta fuit, & quibusdam ex Capitulo ipsius Ecclesiae se opponentibus electioni praedictae, & propter hoc ad sedem apostolicam appellationibus interjectis, hujusmodi negotium extitit ad sedem eandem legitime devolutum; itaque nos, quos commissi nobis gregis dominici cura perstringit, inhaerentes verbis Apostoli dicentis, *Nemini cito manum imponas*, nos ipsos hujusmodi negotio contulimus, & ex officio nostro in negotio procedentes eodem, illud discussimus diligenter, & prout ejus qualitas exigebat, ex certis causis in litteris apostolicis quas super iis fieri fecimus plenius comprehensis electionem ipsam exigente justitia, sicut moris est inter fratres nostros, cassavimus, eam cassam & irritam nuntiantes. Dictus quoque Oddo ante publicationem cassationis hujusmodi omni juri sibi ex tali electione quaesito in manibus nostris cessit. Nosque nihilominus cessione admissa hujusmodi, & cassatione ac cessione praedictis in sollempni consistorio publicatis, inter nos quoque ac fratres eosdem consultatione habita si esset in electionis celebrandae remissione Capitulo ipsius Ecclesiae saltem de gratia deferendum, tandem prolixiorem vacationem ipsius Ecclesiae inter alia pericula quae per hoc possent occurrere formidantes, cum praeterita consueverint esse praesagia de futuris, nec deceret quod tanta & talis Ecclesia, quae multa claritate refulget, diu remaneret viduata pastore, provisionem ejusdem Ecclesiae, prout in eisdem continetur litteris, auctoritate apostolica nobis duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum & inane si secus a quoquam scientes vel ignoranter contingeret attemptari, ac sperantes praedictam Ecclesiam ab hujusmodi vacationis dispendio relevare, illi de dilecto filio fratre Johanne de Allodio ordinis fratrum Praedicatorum tunc Cancellario ejusdem Ecclesiae providimus, & per hoc nobis & eidem Ecclesiae sperabamus optatae consolationis solamina provenire. Sed dum desiderabiliter audire de hujusmodi provisione nostra consummationem prosperam sperabamus, dilectus filius frater Johannes de Viterbio generalis ipsius ordinis procurator coram nobis comparuit deferens nobis litteras ex parte ipsius fratris Johannis de Allodio sigillo Prioris Parisiensis ejusdem ordinis sigillatas, quarum tenore suppliciter petebatur a nobis ut cum ipse in ejusdem ordinis observantia derelictis curis temporalibus servire Domino ac in eodem ordine militiae suae tempus terminare Deo propitio decrevisset, ibidem spiritum suum reddere creatori inviolabili firmitate proponens, eum eximere a cura hujusmodi dignaremur, omne jus, si quod illi esset ex hujusmodi provisione nostra quaesitum, libere per easdem litteras in nostris manibus resignando. Nos autem praedictum fratrem Johannem de Allodio in hujusmodi pio proposito non turbare sed consovere potius intendentes, ut eo liberius obsequatur altissimo quo se devotius ejus beneplacitis dedicavit, tam ex his quam ex aliis piis causis petitionem & resignationem hujusmodi de fratrum eorundem consilio duximus benignius admittendas, ac provisionem ipsam de dicto fratre Johanne de Allodio factam omnibus viribus vacuantes, eandem Parisiensem Ecclesiam ab eodem fratre Johanne de Allodio praetextu provisionis ipsius plenarie reddimus absolutam. Et tandem, ut conceptus noster circa salubrem & celerem provisionem Ecclesiae praefatae illi reddatur dante Domino fructuosus, & praedicta Ecclesia, quae hac vice in nostra dispositione consistit, ex apostolicis studiis adepta sponsi consolatione respiret, prospere consurgat & vigeat, ac de bono in melius augeatur sedulo cogitantes, ac attendentes laudabile testimonium quod dilecto filio Renoldo de Hombloneria electo Parisiensi de honestate morum, conversatione vitae laudabilis, litterarum eminenti scientia, cum theologicae facultatis cathedram meruerit ascendere magistralem, & aliis virtutum studiis perhibetur, & advertentes quod ipse commissam sibi ab olim Ecclesiam sancti Gervasii Parisiensis in statu prospero laudabiliter conservare studuit, ipsum tunc Canonicum Parisiensem, licet absentem, de praedictorum fratrum consilio Ecclesiae memoratae praefecimus in Episcopum & pastorem, administrationem ejusdem Ecclesiae in spiritualibus & temporalibus eidem electo plenarie committentes, firma spe fiduciaque concepta quod Ecclesia praefata per suae circumspectionis industriam praeservabitur a noxiis & spiritualiter ac temporaliter optatis dante Domino proficiet incrementis. Rogamus itaque serenitatem regiam & hortamur attente quatinus te praefato electo pro divinae & apostolicae sedis reverentia reddens affectu benivolum & opere gratiosum, ejusdem Ecclesiae jura, quantum in te fuerit benigno favore protegas & defendas, ita quod idem electus in exequenda sollicitudine sibi tradita possit prosperari facilius, & nos celsitudinem regiam dignis inde laudum praeconiis attollamus. Datum Suriani V. Kal. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

## LITERÆ BENEDICTI XII. PAPÆ.

*Ad Capitulum Narbonense, de pravis moribus Clericorum Ecclesiæ Narbonensis.*

BEnedictus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Capitulo Ecclesiae Narbonensis salutem & apostolicam benedictionem. Cum illos in Ecclesiae corpore vitiosos audimus qui alios in viam dirigere mandatorum Domini & revocare ab erroribus tenebantur, anxietate cordis affligimur, attendentes quod humani generis inimicus eos potius corrumpere satagit ex quorum plures corrumpi valeant corruptela. Sane postquam divina miseratio ad summi pontificatus apicem nos provexit, nonnulla sinistra, quae de clero vestrae Narbonensis Ecclesiae nobis olim relata fuerant, saepius, cum status inferior nos haberet, nostris extiterunt auribus non sine magna displicentia inculcata: de quibus aliqua, videlicet

Ex L. II. Misc Bal. pag 263.

An. 1334.

licet pauca de multis, providimus serie praesentium explicanda. Nam in Ecclesia ipsa, quae sicut caput existit aliarum Ecclesiarum provinciae Narbonensis, sic prae illis exemplari vita & operibus virtuosis cultusque divini decore fulgere deberet, idem cultus, propter quem clerus ibidem principaliter constitutus est, negligitur, beneficiatis & intitulatis ejusdem Ecclesiae, laxatis rationis & honestatis habenis, per campum licentiae post suas currentibus indomitas voluntates; & quod est perniciosum & detestandum plurimum, quamplures ex eis continentiae jugo, cui se submiserant voluntarie, damnabiliter & inverecunde in majorem suam confusionem abjecto, sicut mulus & equus, quibus non est intellectus, potius suas inordinatas voluntates sequentes quam rationis imperio se regentes, foetoribus luxuriae turpiter se involvunt, mulieres suspectas seu focarias concubinas tenendo, in illa quae mater pudoris ac munditiae conservatrix debet existere, scilicet Ecclesia sancta Dei, quantum in eis est, constituentes prostibulum & lupanar, ejusque nobilitatem in ignominiam convertentes, non attento quam crudeliter famam suam negligunt & quam graviter tam ipsi quam illi qui haec sic abominanda tenerentur & deberent corrigere, in conspectu Domini ex his cadunt. Verisimiliter siquidem opinamur quod ex praemissis & aliis commissis ibidem contra divinum beneplacitum & omissis, ille qui Ecclesiam sui pretiosi sanguinis aspersione comparavit merito provocatus, variis persecutionibus & oppressionibus permisit his praeteritis temporibus vos vexari, quae aliis temporibus, quibus talibus non irritabatur offensis, minime contigerunt. Nec aliud, ex quo Deus non parum offenditur, volumus subjicere, quod bona innumera, quae pro ejusdem Ecclesiae Narbonensis fabrica hactenus ex diversis eleemosynis & aliis proventibus provenerunt, non in utilitatem ejusdem fabricae, nisi duntaxat modica, sed in usus seu potius abusus alios damnabiliter sunt consumpta. Cum autem praemissa & alia multa quae circa materiam hujusmodi, quae ad praesens ex causa honestatis sub silentio praeterimus, non intendimus ulterius, ne culpam aliorum nostram videamur facere per tepiditatem & negligentiam, tolerare, discretionem vestram attentius exhortamur in Domino, vobisque nihilominus per apostolica scripta districtius injungendo mandamus, quatenus primo quod in vobis praevia diligenti mentis discussione vitiosum vel tenebrosum reperceritis, ne in vultu medentis ulcus quod opus ejus reddat contemptibile vel reprehensibile appareat, purgantes, abjicientes, & clarificantes omnino circa divinum officium & utilitatem Narbonensis Ecclesiae, prout ad haec tenemini & statuta ipsius Ecclesiae vos astringunt, vacare & intendere omni semota negligentia studeatis, & nihilominus per ordinationes & statuta salubria facta vel auctoritate nostra, prout opportunum extiterit, facienda taliter non solum verbis, sed effectivis operibus disponatis & ordinetis quod omnes & singuli beneficiati & intitulati in eadem Ecclesia horis canonicis diurnis pariter & nocturnis Missarumque solemniis intersint continue residentes & psallentes, & peragentes divina officia, ut tenentur, quodque illi qui non interfuerint, cessante tamen causa legitima & honesta, in eisdem singulis horis, punctentur & perdant certam partem suorum proventuum, quos per modum distributionum ordinatarum vel ordinandarum essent in horis hujusmodi percepturi, nec ab eadem residentia & divinis obsequiis propter negotia vestra vel alia, nisi causa superesset utilis, honesta, & necessaria, & hoc duntaxat pro diebus paucis aliquibus, prout vobis expedire videbitur, excusentur, abjiciant nihilominus a se penitus concubinas & quasvis mulieres suspectas, honestam de cetero & exemplarem vitam ducentes. Alias vero, si fuerint incorrigibiles in hac parte, a corpore cleri ejusdem Ecclesiae, tamquam infecta membra & putrida, ne corpus ipsum inficiant, abscidantur, appellatione remota, & ab ipsa Ecclesia removeantur omnino, loco illorum aliis viris honestis & idoneis, qui honeste Deo serviant & suum expleant ministerium, subrogatis. Vos etiam & vestrum singulos punctari & distributiones quas tunc percepturi essetis perdere volumus, si forsan in horis canonicis non interfueritis, prout ad id jura & statuta ejusdem Ecclesiae vos astringunt, nisi a dicta Ecclesia pro negotiis ejusdem necessariis vel utilibus, aut lectionibus audiendis in scholis, vel praedicatione verbi Dei, dum horae psallentur eaedem, contigerit vos abesse. Sane fabricam Ecclesiae memoratae sic dirigere & ordinare curetis quod ea quae pro ea debentur, vel jam obvenerunt, ab omnibus & singulis qui ea debent vel perceperunt temporibus praeteritis, vel heredibus aut bonorum detentoribus eorumdem, auditis diligenter rationibus, & residuis ab eisdem exactis, obvenient in posterum, sublatis curiositatibus inutilibus ad honorem Dei & utilitatem ipsius Ecclesiae dispensentur; pro certo scituri quod si praemissa non adimpleveritis quavis cessante dilatione morosa, nosque illa non audiverimus in proximo realiter esse facta, nequaquam ulterius dissimulabimus, sed de alio curabimus opportuno remedio providere. Datum Avenioni tertio Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

# BREVE PII PAPÆ V.

## *AD PARLAMENTUM DOLENSE ADVERSUS*

## GILBERTUM COGNATUM.

### *PIUS PAPA V.*

Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 165.

Dilecti filii, salutem & apostolicam benedictionem. Graviter sane molesteque accepimus in civitate Bisuntina commorari quendam Sathanæ atque iniquitatis alumnum Gilbertum Cognatum Nozerenum, cujus opera in Indice librorum prohibitorum adscripta, & a sacrosancta synodo Tridentina etiam prohibita, postremoque in congregatione dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium Inquisitorum generalium visa improbataque ac damnata fuerant, quem ibi ludimagistrum ad pueros edocendos instruendosque publice agere dicunt. Quod quidem quam periculosum sit, quantumque mali ac detrimenti perversæ & haereticae hujus perditi hominis opiniones afferre possint, nemo non videt; vosque ipsi pro vestra singulari providentia catholicaeque religionis cultu facile intelligitis. Quamobrem nostri pastoralis officii esse duximus devotiones vestras statim paterne monere atque plurimum hortari in Domino ut omnem curam diligentiamque vestram adhibeatis ut ipse Gilbertus confestim comprehendatur & in vincula conjiciatur ac juxta formam constitutionum istarum partium, quas placartos vulgo appel-

lunt, contra eum procedatur. Quod etsi justitiae debitum pietatique vestrae ac muneri quod illic geritis maxime consonum, erit quoque ipsi Regi vestro, cujus admirabilem & nunquam satis laudatum erga fidem catholicam animi ardorem atque studium vobis plane cognitum esse scimus, & nobis, qui ad extirpandas haereses pestiferumque hoc venenum undique repellendum semper invigilamus, mirifice gratum. Quae autem hac in re a vobis acta fuerint nos facietis sedulo certiores. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die VIII. Julii MDLXVII. pontificatus nostri anno secundo.

*Et superscriptio*. Dilectis filiis Praesidi & Consiliariis Parlamenti pro carissimo in Christo filio nostro Hispaniarum Rege catholico in oppido Dolae commoranti.

*Nota R. P. Petri Francisci Chiffletii societatis Jesu.*

Gilbertus Cognatus Nozeretanus in Germania literis operam dedit, ubi Erasmo adhaesit, non modo auditor, sed etiam librarius domesticus & scriptionum ejus descriptor. Exinde in comitatum Burgundiae reversus ac Vesontione ludimagister, haereticam & pravam quam hauserat doctrinam spargere coepit. Sed Pii V. Pontificis admonitu Vesontione in carcerem archiepiscopalem conjectus, ibique mortem obiens, debitum suis flagitiis supplicium antevertit.



EPI-

# EPISTOLÆ MISCELLANEÆ.

## MAMERTI CLAUDIANI

### *Epistola ad Sapaudum rhetorem.*

Ex L. VI. Misc. Bal. pag. 535.

*Ei scribit Sidonius lib. 5. epist. 10.*



DOCTISSIMO viro Sapaudo rhetori Claudianus. Disciplinarum omnium atque artium magistra Graecia idcirco maxime nobilibus studiis provecta est atque orbem pene totum multiplicibus complexa doctrinis, quoniam nemo illic omnium fuit qui quicquam bonae frugis ferret cui non par merito honos fiet. Hinc nonnulli mortales naturam pene supergressi mortalium, extentis utquequaque excellentium ingeniorum viribus, infatigabilibus curis rerum abdita rimantes, repositas originalium primordiorum causas & temporaliter fluctuantium substantiarum praefixos terminos indagine & arte complexi, non modo intra mundanum sed super caeleste etiam introiere secretum. Quod mihi in praesentiarum usus est dicere, quoniam bonarum artium jam inde a proavorum nostrorum seculis facta jactura, & animi cultum despuens, quo solo praestat pecudi gens humana, delitiis & divitiis serviens, ignaviae & inscitiae famula, passum porro dedit cum doctrina virtutem. Nam quod non modo ad innovandum quippiam, sed ne ad dediscendum quidem absque te uno disciplinae nobilis ullus aspirat, negligentiae id humanae ascribimus an naturae? Si malum istoc naturae vitio vertimus, numquidnam a genere humano differre dici potest genus humanum, aut ingenia eadem non sunt quae fuere prius, aut Cicero sui seculi summus orator nata secum bona accepto habuit, & non mage parvi pendens domestica & civica, ad usque Graeciam capessendae opulentioris scientiae gratia peregrinatus est, aut forsan Platon apex culmenque philosophiae privo naturae bono contentus, post Socratis dogmata angustiorem credens Graeciam doctrinarum quam esse virtutum, non usque ad Ægyptum & ad usque Bragmanos Indorum & ad usque Pythagoricarum doctrinarum per heredes indefessus rerum scrutator accessit? Taceo ceteros, quia nec tempus nec opus hujusce rei capax est. Unum illud procul ambiguo dixerim, nostro saeculo non ingenia deesse, sed studia. Quorum egomet studiorum quasi quandam mortem flebili velut epitaphio tumularem, nisi tute eadem venerabili professione, laudabili solertia, acri ingenio, profluente eloquio resuscitavisses. Quod equidem bonum eo admirabilius est mihi quo desperatius fuit. Video enim os Romanum, non modo negligentiae, sed pudori esse Romanis, grammaticam uti quandam barbaram barbarismi & solecismi pugno & calce propelli, dialecticem tanquam Amazonem stricto decertaturam gladio formidari, rhetoricam ac si grandem dominam in angusto non recipi, musicem vero & geometricam atque arithmeticam, tres quasi furias, despui, post hinc philosophiam atque uti quoddam ominosum bestiale numerari. Sed haec in laudem tuam suggestui sunt; quia si multi quorum tu es studiorum forent, futurus eras scilicet, etsi non omnium potior, unus ex multis. Hinc vero, procul injuria, ceterorum penes Galliam nostram professionis tuae par unus & solus es. Neque dictum istuc aut assentationi aut adulationi detur. Nequaquam profecto vel egomet adulari possum, vel tu indiges falso laudari. Sed erui atque avelli infixa animo meo nequit declamationum tuarum suavitas mixta virtute, Attici more mellis, cui suapte natura indita sunt medela, fortitudo, dulcedo, quod in hyblae jugis volucris atque opifex apicula coelitus deciduum haustu capiens fabrefactis manso florigeris infundit, filiorumque fabricatrix virginitatis suae foeturam alit atque imbuit ubere favorum, ita tu scilicet e summis auctoribus velut e magnis montibus doctiora quaeque velut thymia flagrantia & foecundiora veluti quaedam florida praecerpens, quos ingenii melle repleas, eloquentiae conficis favos, e quibus item discipulorum tibimet velut filiorum numerositas dilecta formatur; quae Graecarum quoque disciplinarum nectare imbuta, ac si melle Attico pasta, ut occoeperit pennis strepere, eloquentiae favos & ipsa conficiet. Modo tu fac memineris docendi munus tibi a proavis & citra hereditarium fore, eoque copiosius te adniti oportere scientiae quo multiplex in te a majoribus profecta tuis doctrina confluxit. Admonitus quoque sis oportet Viennensis urbis nobilitatis antiquae, cujus tu civis & doctor non otio duplex debitum solves, a quo bifariam queritur vel patribus respondere vel patriae. Illud jam in fine sermonis perquam familiariter quaeso, ut spretis novitiarum ratiuncularum puerilibus nugis, nullum lectitandis his tempus insumas, quasdam resonantium sermunculorum taureas rotant, & oratoriam fortitudinem plaudentibus concinnentiis evirant. Naevius & Plautus tibi ad elegantiam, Cato ad gravitatem, Varro ad peritiam, Gracchus ad acrimoniam, Chrysippus ad disciplinam, Fronto ad pompam, Cicero ad eloquentiam capessendam usui sint. Quisquis enim recentiorum aliquid dignum memoria scriptitavit, non & ipse novitios legit. Illi ergo reventilandi memoriaeque mandandi sunt, de quibus isti potuere proficere quos miramur. Istoc ego tamen amicitiae testimonium aliquo forsitan pluseulum familiariter intuli. Sed benivolentiae tuae venia impertiet amoris audaciam.

# EPISTOLA TAIONIS

## EPISCOPI CÆSARAUGUSTANI

## AD EUGENIUM

## EPISCOPUM TOLETANUM.

Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 397.

Circa an. 640.

SAnctissimo ac venerabili Domino meo Eugenio Toletanae urbis Episcopo Taius ultimus servus servorum Dei Caesaraugustanus Episcopus. Congrua satis valdeque necessaria dispositione fortioris exquirit solatium qui propriae virtutis caret officio, eoque facilius corporis gressum porrigit quo trahitur dextera potioris, ut saltim desideratum cursum valentioris auxilio possit explere quam segnis in sui itineris medio remanere. Ita ego, mi venerabilis Domine, licet invalidus, tuis tamen adjutus orationibus ardui operis auspicia quasi cujusdam maximi montis malui adire principia, quod velut magni cujusdam in sui superficie ostentans paradisi nemorum proceritatibus obsita, floribus albescentia, pomis etiam mellificantia, foliis viridantia, liliorum quoque pulcritudine nitentia, rosarum rubore candentia, violarum purpurantium floribus splendentia, coloribusque croceis pleraque fulgentia, nullo unquam tempore marcescentia, sed perpetua sui viriditate vernantia, mirifica arte disposita, directisque consistunt linearum ordinibus coaptata, tantam subministrantes amantibus gratiam ut suavitate sui non solum exteriores corporum sensus, sed interiora cordium arcana satietate sui perlustrent. Cumque talia intentis obtutibus cernerem, ac plerosque his multimodis dapibus satiari viderem, inaestimabili accensus desiderio, tamquam unus ex collegio esurientium puerorum inedia coactus impulsu, ejusdem januam paradisi pedetentim adgressus, & quasi temerarius introrsus explorator ingressus dum per eadem spatia pulcherrima quaeque ac multimoda prospectando nimia admiratione suspendor, quaedam ramusculorum flosculа more pusillorum infantium ludendo collegi, ac manu avida contrectando decerpsi, cursim illa præcipua quadam curiositate quibusdam comparationibus præmittens verbis simplicibus quasi oris obstrusi aditum resero, nisi ut tam incomparabilis excellentia viri, sancti scilicet Papae Gregorii, in ipso loquutionis exordio quibusdam parabolis anteferrem, ejusque magnitudinem sapientiae, quo perspicuo lumine sanctam illustravit Ecclesiam, aliquatenus non scientibus sed nescientibus propalarem. Optaveram siquidem tuae nunc adesse praesentiae, ut sicut scriptum est, *interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi*, ex tui oris prudentia formulam sumerem, cum in principio hujus operis velut cujusdam telae verborum texturam praeponerem, vel certe ex tui cordis artificiosa manu quasi in cujusdam magni constructione ædificii politos atque quadratos humeris propriis verborum lapillos deferrem, quoniam frater fratrem adjuvans exaltabitur sicut civitas munita. Ordo namque rationis exposcit ut subsequentia praecedentibus quodam vinculo tenacitatis nectantur, quatinus in utrumque rectitudinem sui prolata aequitas pandat, ac ducente tramite veritatis ad destinatum finem laetus accedat. Idcirco quod comparationibus paulo ante praetulimus, verbis nunc apertioribus propalemus. De opusculis quippe ejusdem sanctissimi viri sese infert sermo subsequens aliquantula narratione officiosissimus, dignumque fore censui de suis operibus ejus pauca primum retexere. Vidimus vidimus Gregorium nostrum Romae positum, non visibus corporis, sed obtutibus mentis. Vidimus enim non solum in suis notariis, sed etiam in familiaribus qui ministerio corporali eidem fidele exhibuerunt famulatus obsequium; eorumque relatione de virtutibus ejus plura cognoscens, brevissime pauca retexam. Fuit denique gratia Christi omni morum probitate compositus, animo vultuque serenus, corde benignus, conscientia purus, moribus discretus, virginitate nitens, caritate refertus, pietate praecipuus, patientia insignis, modestia incomparabilis, abstinentia singularis, hospitalitatis sectator, peregrinorum susceptor, eleemosynarum largitor, ecclesiasticarum rerum optimus dispensator, amicis devinctus, oppressorum sublevator, tribulantium consolator, acris ingenii, consilio providus, sermonibus nitidus, eloquentia facundus, prudentia disertus, sapientia praeditus, doctrina multimodus, scripturarum divinarum multimodus interpretator, abditorum mysteriorum acerrimus investigator, fidei catholicae magnificus defensor, contra haereticos fortis assertor, superbis auctoritate erectus, atque humilibus prompta devotione subjectus. Quatuor namque virtutibus animi, prudentia scilicet, temperantia, fortitudine, atque justitia ita extitit praeornatus ut non homo sed angelus inter homines putaretur. Quis namque nostri temporis eloquentia facundus, prudentia praeditus, sapientia profundus, sanctum condignis efferat laudibus Gregorium? Nec ipsi, ut censeo, Graecae Romanaeque facundiae philosophorum praecipui, Socrates scilicet, vel Plato, Cicero, atque Varro, si nostris temporibus affuissent, condigna verba promisissent. Sed ne panegyricis uti censeat eloquiis, plurima de ejusdem virtutibus audita comperta praetermittens, ad ejus opuscula, quae sunt eloquia pulchritudinis, officia linguae retorqueam. Igitur cum Romae positus ejusdem, quae in Hispaniis deerant, volumina sedulus vestigator perquirerem, inventaque propria manu transcriberem, tantaque dulcedo verborum animum meum inaestimabili suavitate mulceret, speciale quiddam in eadem fine cujuspiam perspexi comparatione potissimum. Denique dum historiam beati Job sub triplici indagatione, id est, historica, typica, vel morali, studuit explanatione discutere, atque Ezechielis Prophetae primam vel ultimam partem non impari expositione percurrere, tantorumque profundae mysteriorum repulso ignorantiae nubilo serena patefactione monstrare, pene totius novi ac veteris testamenti patefecit arcana; actumque est ut hac opportunitate panis ille qui de caelo descendit, ejusdem fidelissimi opportuna satis dulcedine satiaret. Sed quoniam in eadem prolixitate voluminum, dum testimonium uniuscujusque requiritur, explanatio pene totius operis ejus erat in ambiguo, non minima perscrutatio atque animi ardentis saepe frigebat intentio, malui semel maximum proferre laborem quam semper suspectam tolerare difficultatem. Percurri igitur omnia ejusdem monimenta librorum & pene totius scripturae sacrae testimonia quae in ejus opusculis ad probationem vel expositionem cujusque rei adhibita diversis in locis continebantur conscripta, adjuvante Christo Jesu, qui ex ore infantium atque lactentium perficit laudem linguasque mutorum vinculo taciturnitatis absolvit, suis coadunata ordinibus studiosus quisque, cum in

eisdem

eiſdem voluminibus cujuslibet ſacri teſtimonii explanationem requirit, ne multiplici lectione fatigatus non cito reperiat quod voluerit, ad iſta quae decerpſi recurrens, repente quod deſiderat liberae ſatisfactionis diſcretione reperiet. Lectorem quippe hujus operis cenſeo admonendum ut vigili intentione prævideat quoniam pleraque teſtimoniorum capitula in eiſdem voluminibus, ut ſupra meminimus, diverſis in locis ſita, ita ut inventa ſunt expoſita, a me ordinatim collecta fore noſcuntur. Alia igitur quae jam in ſuperioribus aut inferioribus partibus expoſuiſſe viſus eſt, & iterum atque iterum, quamlibet aliis verbis, eodem tamen ſenſu, diverſis in locis recapitulata expoſitione retexuit, præcedentibus teſtimoniis, ut ordo exponendarum rerum popoſcit, aliqua inſerenda, reliqua vero relinquenda curavi, quatinus ex praecedentibus ſubſequentia penderent, & ſubſequentia præcedentibus ſeſe utiliter coaptarent. Nam ſi cuncta diſcreto ordine in hujus operis ſerie ponerentur, procul dubio magnitudo voluminum brevitatis modum excederet, atque ſui recapitulatione lectoris animum offendens, facerent nihilominus repetita faſtidium. Cujus rei quantitatem in ſex codicibus, quatuor ſcilicet veteris inſtrumenti, duobus etiam novi teſtamenti, ſuis connexis ordinibus, prætermiſſis ſcripturis quas iſdem virorum ſanctiſſimus ex ordine tractavit, adjutus orationibus veſtris explere curavi. Præfatiunculas quoque ejuſdem codicibus conſonantes decerpſi, quas etiam in capita librorum praepoſui, quatenus ipſe ſibi in ſuis anteponatur eloquiis qui largiente gratia Chriſti copioſus nobis multiplicibus extitit officiis. Ipſos etiam codices laborioſa nimium intentione collectos prudentiae veſtræ malui committere contuendos; in quibus ſi quaedam ſagaciſſima veſtigatio veſtra repererit inordinatae compoſita, non tam negligentiae culpam quam neceſſitatis adſcribat: quia dum vehiculo parvae ſcabulae quaſi immenſum pelagus ſolitarius nauta navigaturus adgredior, cum maximis difficultatibus latiſſimi æquoris hujus ſpatia tranſmeavi, tandemque ad optatam littoris requiem Chriſto gubernante perveni. En, prudentiſſime virorum, ut cauſarum ordines ſigillatim perſtringerem, modum brevitatis exceſſi, &, ut ait quidam doctiſſimus, dum figuli rota currente urceum facere * nitet, amphoram finxit manus. Aſt ego dum brevem pagellam conſcribere malui, libellum manus indocta compoſuit. Obſecro igitur te, virorum ſanctiſſime, & omnes quibus hujus operis lectio * nunc diſplicuerit, ut hos libellos velut duo minuta in gazophylacia templi Domini collocare dignemini, ac pro meis abluendis delictis pervigili intentione ejus miſericordiam deprecare non dedignemini, ut aeternis ereptus incendiis, ſempiternis ſolari merear refrigeriis. Vale mi venerabilis ac ſanctiſſime Domine.

* nititur

* non

*Explicit epiſtola Tagii Epiſcopi ad Eugenium.*

Hic eſt ordo librorum ſancti Gregorii Papae Romenſis. In expoſitione Job edidit libros moralium xxxv. diviſos partibus atque codicibus ſex.

DIVISIO XXXV. LIBRORUM MORALIUM.

Pars prima, libri quinque. Pars ſecunda, libri quinque. Pars tertia, libri ſex. Pars quarta, libri ſex. Pars quinta, libri quinque. Pars ſexta, libri octo.

*Deinde ſequitur in codice MS. epiſtola ſancti Gregorii ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem. Tum ſequentia adduntur.*

In nomine Dei patris & Domini noſtri Jeſu Chriſti & ſpiritus ſancti. Incipit prologus ſuper capitula moralium beati Gregorii Papæ venerabiliſſimi.

Chriſti Jeſu Gregorius ſervus ac urbis Romae Papa venerabiliſſimus compoſuit & prætitulavit multa volumina librorum. Compoſuit etiam per libros ſeriem capitulorum. Fecit quoque in verba beati Job expoſitionem, ſed capitulorum ad ejuſdem ſententias non addidit ordinationem. Igitur Henrici ſecundi Imperatoris tempore Rainerius Aretinae Eccleſiae Canonicus Preſbyter per omnes fere ſententias ſupradictæ expoſitionis vigilanti ſtudio & cogitatione capitula ſuppoſuit, non propter manis gloriae favorem, ſed ductus divini amoris zelo & utilitate legentium ſeu etiam legentes audientium; ut quicquid utile ad tempus in illis ſententiis quaereretur, cito & quaſi ſine labora inveniretur.

---

# TESTAMENTUM

# VOLFAUDI COMITIS

## *Fundatoris abbatiæ ſancti Michaëlis ad Moſam in dioceſi Virdunenſi.*

Vide Vaſſeburg. fol. 114.

CUm oportet Chriſtianis viam veritatis eligere, pro qua conditori ſuo poſſiit digne miſerationis munus offerre, ut oblatio proficiat ad ſalutem, & devotio pertineat ad mercedem. Ego itaque Volfaudus filius Giſlaramni quondam & conjunx mea Adallinda filia Alberti quondam donatores licet multarum rerum. Cum ſit ſemper rarum quod quiſquam pro ſuis admiſſis facinoribus vel redimenda ultione peccaminum de rebus ſuis propriis aut ad loca ſanctorum Dei aut ipſius ſervis velit aliquid dare, ut ipſe non propria manu det ſcripuſque commendet. Unde & bene antiquitus * divitum Principum decreta & legum ita ſanxerunt, ut tantummodo ſola manus donatoris in ſubſcriptione certa monſtraretur, nec ſine geſtarum allegatione pleniſſima voluerit firmitate mancipare, ut hoc quod unuſquiſque pro arbitrio ſuo aut mentis ſuae condonare voluiſſet, ſollemnis ſcriptura confirmaret. Sed dum & nos Domini gratia inſpirante, ut credimus, ſicut omnium fidelium catholicae Eccleſiae Chriſti mos eſt, quorum depoſcit benignitas ut pro animarum ſalute vel Dei intuitu Domino adjuvante monaſterium congregationemque ſervorum Dei animo devotiſſimo a novo fundamento in jure proprietatis noſtrae in pago Virdunenſi in loco qui dicitur Caſtellionis in fine Vuidiniaca, ubi in ipſa radice montis conſurgit fluviolus qui dicitur Marſuppia, in honore ſancti Michaëlis Archangeli, & ſanctae Mariae matris Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſancti Martini, & ſancti Petri & Pauli Apoſtolorum, necnon ſanctorum martyrum & confeſſorum, vel ceterorum, ad exemplum beatiſſimorum etiam & viſi fuimus aedificaſſe, addidit nobis conſilium quatinus de communi ſubſtantia ad ipſum monaſterium vel ipſos ſervos Dei Domino vacantes conſtituendum juxta Dei arbitrium conſcribere deberemus; quod ita & fecimus. Inprimis itaque donamus portionem unam cognominatam Vuidini villa ſitam in pago Virdunenſe, cum caſis, domibus, aedificiis, mancipiis, manſis, pratis, campis, vineis, ſilvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decurſibus, cum omnibus adjectentiis vel appendiciis ad ſe pertinentibus. Similiter donamus ſuper ipſum fluviolum villam unam Marſupia in ipſo pago Virdunenſe, quae in populo vocatur Godone curte, cum caſis, domibus, aedificiis, mancipiis, accolis, manſis, campis, pratis, ſilvis, cultis & incultis, tam de proprio quam de comparato, vel de quolibet attracto quod ad nos ex jure pertinet, cum omni adjectentia ad ſe pertinente. Similiter donamus ſuper ipſum fluviolum Marſupia portionem illam quam de Crudelberto pretio comparavimus, cum manſis, campis, pratis, ſilvis, aquis aquarumve decurſibus, cultis & incultis, cum omni adjectentia ad ſe pertinente. Similiter donamus

* divorum

mus

mus super ipsum fluviolum Marsupia portionem illam quae dicitur Avanorum vallis, quam de Gennulfo dato pretio comparavimus, cum mansis, campis, pratis, silvis, & cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus portiones illas in curte illa quae vocatur Byllara in ipso pago Virduuense super fluvium Mosa quas de Valdradanegone dato pretio comparavimus, cum mancipiis, mausis, campis, casis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus portionem illam in loco qui dicitur Mononis villa super fluvium Mosa in pago Virdunense, quam ego & Albertus quondam de Gondouinn dato pretio comparavimus, cum mancipiis, casis, mansis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus portiones illas in loco qui dicitur Calvonecurte in ipso pago Virdunense super fluvium Mosa quas de Adalfo vel heredibus suis sive Erlino vel Fulgonino dato pretio comparavimus, cum mancipiis, terris, mansis, pratis, silvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus in pago Virdunense super fluvium qui vocatur Quala portionem unam ad Castellionem quam de Felice vel herede suo dato pretio comparavimus, cum casis, mancipiis, mansis, campis, pratis, vineis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus super ipsum fluviolum Qualam portionem illam quam de Alberto filio Chramperti quondam dato pretio comparavimus, cum mancipiis, casis, mansis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus ad Baudentro villa portionem illam quam de Chairone vel de conjuge sua Ginnana dato pretio comparavimus, cum mansis, casis, mancipiis, campis, pratis, vineis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus villam unam sitam in pago Virdunense quae vocatur Buxarias, quam nos de Anstrida Abbatissa quondam dato pretio comparavimus, cum casis, mansis, mancipiis, campis, vineis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum accolis & appendiciis, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus in ipso pago Virdunense in curte de Gisilo villa portionem illam quam de Druberto & Patfredo & Ermengrudo dato pretio comparavimus, cum mansis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus in Vico & Marsallo in io ad sal faciendum cum manso, casa, & servo, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus curtim unam Trunionem nuncupatam sitam in pago Virdunense, cum casis, domibus, aedificiis, mancipiis, mansis, campis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cultis & incultis, tam de propriis quam de comparatis, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus portionem unam in villa quæ vocatur Bedernaca sitam in pagu Virdunense, quam de Alliuda femina dato pretio comparavimus, cum domibus, ædificiis, mancipiis, mansis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus in Eppone * culte [* curte] portionem unam quam de ipsa femina Adalsinda dato pretio comparavimus, cum mancipiis, mansis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, cultis & incultis, cum omni adjectentia ad se pertinente. Similiter donamus portionem nostram in villa quae dicitur Ulmo, quae in populo vocatur Coria, sita in pagu Virdunense super fluvium Mosa, tam de proprio quam de comparato, quam de Gaillano & Gennulso, Godelinde & Felice heredibus nostris dato pretio comparavimus, cum casis, mancipiis, domibus, aedificiis, mansis, accolis, campis, pratis, vineis, silvis, aquis aquarumque decursibus, cultis & incultis, cum omnibus appendiciis vel adjectentiis suis ad se pertinentibus. Similiter donamus curtim unam Cussiliaco sitam in pago Barrense, cum casis, mancipiis, pratis, silvis, cultis & incultis, aquis aquarumque decursibus, cum omni adjectentia ad se pertinente. Ista omnia supra nominata vel conscripta junctis & conjunctis mobilibus & immobilibus utriusque sexus, peculium natior vel omni supellectile quicquid dici aut nominari potest in superscriptis locis ad se pertinentia tam rem inexquisitam plenissima voluntate istis temporibus tradimus atque transcribimus ad possidendum ut ab hodierno die jure firmissimo absque consortio coheredum noilrorum habendi, tenendi, possidendi habeant ipsi monachi potestatem, ut in Dei nomine inde potiantur in aeternum. Et ut voluntas nostra pleniorem obtineat vigorem & per tempora conservetur, ipsas praedictas res nominatas ex proprio sigillo adfirmamus, ut omnia quae superius sunt inscripta perpetua * [* stabilitate] felicitate maneant. Illud nobis in hac voluntate nostra scriptum esse complacuit, ut nullus judex nec Pontifex de civitate vel ex ipsa parrochia Virdunense in ipso monasterio nullam potestatem ad quaslibet redibitiones aut requisitiones exigendi habeat potestatem ingrediendi, quia in ipso praedio nostro sumpto & labore aedificavimus. Illud nobis addere convenit, quod fieri non credimus, si aliqua se, karta se, anteriores vel posteriores ad hanc voluntatem meam inculcandam vel minuendam nomenque nostrum fuerint ostensae, vacuae & inanes appareant, & nullum in antea sortiantur effectum. Si quis vero, ut adsolet, de heredibus vel proheredibus nostris, quod fieri non credimus, aut quaelibet opposita persona vel judiciaria potestas contra hanc donationem nostram, quam ex spontanea voluntate plenissimaque devotione fieri rogavimus, ullo unquam tempore infringere voluerit, primitus Dei occurrat offensionem, & ab omni loco sanctorum cœnobitarum vel consortio Christianorum excummunicatus appareat, & insuper velut Judas traditor Domini nostri & sicut Giezi puer Helisaei, qui munera fraudulenter acceperunt, simili sententia judicetur, & sit anathema maranatha, quod est proditio in adventu Domini, & nec si voluntas mea a nullo possit convelli, & insuper una cum * sociis [* facio fisco] fiscorum auri libras quingentas, argenti pondera octingenta partibus nostris cogatur resolvere, sed haec cartula donationis nostrae inviolabilis omni tempore maneat, roboratione subnixa. Facta est haec donatio in ipso monasterio multorum conventu bonorum hominum anno decimoquinto regni Domini nostri Childeberti Regis. [An. 709.] Signum Volfaudi, qui istud testamentum donationis fieri rogavit. S. Adalsindae conjugis suae, consentiente testamento donationis fieri rogavit. Ego Wolfaidis Abbatissa. S. Gairebardi Episcopi. S. Wolfaudi testis. S. Dudini. S. Crudelberti. S. Vulfridi. S. Chramberti. S. Angliberti. S. Hugonis. S. Flodoeni. S. Disoetii. S. item Chramberti. S. Desasti. S. Attolane. Ego Robertus Presbyter. S. Gromoaldi. S. Quveldi. S. Heuzonis. S. Gondodoeni. Ego Richramnus Presbyter rogatus suprascripsi hoc testamentum donationis.

---

*Item testamentum Volfaudi de villa Marsupia.*

IN Dei nomine. Bonum pacis placuit qualiter convenit inter apostolicum virum domnum Sigibaudum Episcopum Metensis Ecclesiae & inter Wolfaudum Comitem ut locella eorum inter se commutare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit Sigibaudus Episcopus Wolfaudo Comiti locellum Marsupia nuncapatum in pago Virdunensi, quem Godo & Haerevius pro animarum suarum salute ad Ecclesiam sancti Stephani delegaverunt, hoc est, tam in terris, domibus, aedificiis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, & mancipia his nominibus, Leubigisus, Feroinus, Adoinus, Fante, Gaerelin-

relinde, totum & ad integrum quantumcunque Godo & Haerevius ibidem possederant vel sanctus Stephanus ibidem habere videbatur, ipsi Vvolfaudo donavit ad possidendum. E contra simili modo dedit Volfaudus Sigibaudo Episcopo ad partem sancti Stephani locellum nuncupatum Vineaico in fine Ausiniaca villa in pago Fugentense super fluvium Mosellae, hoc est, tam in terris, domibus, aedificiis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, & mancipia his nominibus, Autaldus, Balsimius, Macionus, Eusebius, Haervinus, Bertridus, Madalhundus, & quantumcunque ibidem de homine nomine Aegino dato pretio comparavit, vel quicquid ad praesens possidere videtur, totum & ad integrum ad partem sancti Stephani condonavit; & quicquid inde de utraque parte facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habuerunt potestatem faciendi. Si quis vero, quod fieri non credimus, quod aut nosmetipsi aut heredes Vvolfaudi aut Adalsindae aut domni Sigibaudi contra has commutationes agere quicquam voluerit, partem quam acceperit amittat, & insuper auri libras duas, argenti pondera quinque coactus exolvat, & quod repetit
(An. 708.) nihil valeat evendicare, sed praesens haec commutatio firma & stabilis permaneat cum stipulatione nixa. Actum novo exsarto villa sancti Stephani. Datum mensis Decembris die vicesimo, anno quartodecimo regni Domni nostri Childeberti Regis.

Anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo tertio, epacta xx concurrente v, indictione I. rescripta est karta ista cum ceteris sub hoc signo titulatis.

*Item ejusdem de villa Condato.*

CUm oporteat Christianis viam veritatis eligere, proque ea conditori suo dignas gratiarum actiones offerre, ut oblatio proficiat ad salutem & devotio pertineat ad mercedem, ego Wolfaudus Comes filius Gislaranni quondam, recogitans peccaminum meorum retributionem aeternam & poenas perpetuas, unde nos Dei pietas eripere vel liberare dignetur, dono per hoc testamentum ad monasterium sancti Michaelis Archangeli, quod ego & conjunx mea Adalsinda a novo fundamento visi fuimus construxisse in loco qui dicitur Castellionis in pago Virdunensi in fine Vindiniaca, ubi multorum sanctorum martyrum & confessorum reliquiae adorari videntur, quorum basilicae ibidem sunt constructae, donatumque esse volo in perpetuum, hoc est, villam meam quae dicitur Condatum in pago Barrense super fluvium Callo, quam ego ab Hertellione dato pretio comparavi, hoc est, in mansis, confiniis, domibus, aedificiis, campis, pratis, silvis, vineis, farinariis, appendiciis, casis, aquis, pascuis, cultis & incultis, cum omnibus adjacentiis ad se pertinentibus, cum mancipiis ibidem commanentibus, vel quantumcunque usque ad diem praesentem visus sum ibi habere, totum & ad integrum dono, sicut superius diximus, donamus per hoc testamentum ad monasterium superius nominatum sancti Michaelis ad diem praesentem, ut ipsi monachi qui ibi sunt habeant, teneant, possideant libere & firmissime, in omnibus habeant potestatem, ut melius eos delectet pro nobis misericordiam Domini jugiter exorare. Si vero ego aut aliquis de heredibus meis vel coheredibus vel qualibet opposita persona contra hoc testamentum ire aut fortasse infringere vel corrumpere voluerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & ille eum maledicat qui maledixit Sodomam & Gomorram, & ad limina sanctorum extra consortium Christianorum excommunicatus appareat, & insuper solvat auri libras VIII. & argenti pondus XV. multam sustineat, & quod repetit evendicare non valeat, & nihilominus praesens testamentum omni tempore firmum & inviolatum permaneat. Et ut firmius sit, manu nostra subsignavimus, & qui subscriberent vel signarent in praesenti rogavimus. Facta sub die Kal. Januarias anno XX. regni (An. 716.)
Domni nostri Theoderici Regis. Factum testamentum Novavilla. Volfaudus hoc testamentum fieri rogavit. Signum Guntramni. S. Underici. S. Wifridi. S. Abelini. S. Adalsindae. S. Rogomini. S. Ervidi. S. Agoini. S. Chileramni. S. Gaudoni. S. Unerini. S. Chroderici. S. Radoini.

# EX EPISTOLA PAULINI

*Ad Leonem Patriarcham.*

SCiendum namque est quoniam & ille qui ab Hierosolyma descendens, hoc est, a pacifica contemplatione sanctae Ecclesiae recessit, & iste qui a paradisi moeniis eliminatus dicitur, idest, ab ovili Ecclesiae & consortio fratrum segregatus exiit, & omne membrum quod abscisum de corpore fuerit, hoc est, ab unitate Ecclesiae separatum, nisi per poenitentiam & dignam satisfactionem donum gratiae omnipotentis Dei ascendat Hierosolymam, videlicet ad contemplationem sese pacis suspendat, & ad eum quod reliquerat recurrat ovile, hoc est, caritatis vinculo religatus in gremio suscipiatur Ecclesiae, & in eo a quo praecisus est corpore inseratur, in unitatem scilicet, & reconciliatus consocietur fratrum, salvus esse posse, quemadmodum & vos satis excellenter sacratius capaciusque scitis nullo salsitatis quolibet modo sibi blandiatur fraude deceptus. Vae ergo illis nisi altissima illis pietas benigua succurrat paradigmate, quo & semivivo relicto & erranti perditaeque oviculae & absciso de corpore membro pretioso subvenit misericorditer sanguinis ostro. Dignetur itaque & vestra serenitas super has plagas vulnusque peccati infundere vinum & oleum. Aspera siquidem ac lenia documentorum instillare fomenta necnon fasciolis caritatis fracturas infarcire medicinali manu curate; quatenus subvecti patientiae vestrae jumento, ad stabulum perducantur Ecclesiae, curamque vestrae exhibitam beatitudinis, ac per hoc assimilatus bono singulariter pastori, erraticam subvehens humeris ovem ad ovile proprium, quippini ad sinum scilicet matris Ecclesiae, reportare gaudete, dissociata nempe de corpore membra; imitantes per omnia Paulum Apostolum per unitatem fidei & caritatis concordiam summo ac singulari unire capiti festinate; quatenus reddita per vestram industriam omnibus pace, & illis sicut decet summo tantoque Pontifici honoris debitum & obedientiae offerant fructus, & ut Dominum timeant & veluti patrem multa impensi amoris dulcedine diligant, & vestra eos benignitas tranquillitas quasi proprios refovens filios perpetua protectione gubernet, vobisque pro dignae retributionis praemio caelestia regna aeternus arbiter largiri dignetur.

# EPISTOLA CUJUSDAM.

*Quid sit Ceroma.*

QVaestiunculam mihi datam a vestra reverentia (Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 417.)
his diebus attulit familiaris noster Fredilo, in qua requirebatur quid proprie viri non incelebres intellexerint esse ceroma. Id verbum fertur in auctoribus ingenuarum artium disciplinae summopere praeditis, necnon & apud nostros, qui palmam Romani eloquii suo seculo meruerunt. Quamvis igitur pueros & imbecilles nos judicent illi qui nervos & medullas ipsumque, ut dicitur, sanguinem ex libris antiquorum eliciunt, sententiarum potius altitudinem quam verborum humilitatem persequentes, nobis tamen competens magis videtur a primis ad secun-

secunda conscendere quam, primis neglectis, temere ad secunda proripere. Cum enim virtus eloquentiae verborum splendore & sententiarum gravitate formetur, verborum decor primum est appetendus, tum demum sententiarum robur & lux intima est requirenda. Quamobrem lumen & sensus dilectus verborum semper a studiosis est habendus, ne violata magistrorum regula confusa & inordinata commentia quae tradit prorumpat. Haec quidem generaliter prolata inconsultam extraordinariamque praesumptionem confutant. Nunc specialem hujus verbi habeamus considerationem. Et ut evidentior via se ad hoc astruendum aperiat, altius quiddam censeo repetendum. Ludi qui diebus festis causa religionis ad delectandum populum a juvenibus agebantur, & quorum causa spectacula vario genere populo permittebantur, aut gymnici aut gladiatorii aut Circenses aut scaenici nominabantur; quos tamen sibi diabolus sub invocatione deorum immo daemonum voluit exhiberi a mortalibus, ut sub obtentu pietatis & religionis miserorum animas in suum jus transfunderet. Ergo principalis ludus, quem gymnicum diximus fuisse, velocitatis ac virium gloria constabat. Is locus ubi exercebantur, gymnasium, & hi qui exercebant, athletae vocabantur. Genera autem gymnici ludi extitisse traduntur, cursus, saltus, jactus, virtus, & luctatio. Sed quia priore tempore cincti athletae exercebantur, nec nudarentur quousque quidam remisso cingulo prostratus exanimatusque in ludo apparuit, inde nata dicitur consuetudo ut deinceps juvenes nudi exercerentur capistribus in parte celanda corporis succincti. Athletae autem Graeca appellatione a laterum complexu & commissione dicuntur, qui comminus decertantes adnixi persiliunt, ne alter alterum quocunque casu falleret aut astu impediret, peruncto corpore olei liquamine. exercitatio quae agebatur proprie ceroma vocatur. Locus autem destinatus luctationi palaestra vocabatur; qui inde trahit etymologiam, vel a luctatione, vel a motu urnae, id est, sortis, eo quod ad palaestram sortito digerentur. Est ergo sensus proverbii: Oleum & impensas perdit qui mittit boves ad ceroma; quod sicut stolidum & brutum animal, quamquam robustum & vegetum, tamen exquisitae arti est inutilis, quae non tantum viribus, sed etiam subtilitate & ingenio propter lacertorum complicationem multiformem agitur. Quippe cum sint eadem animalia vasti corporis, ac propterea nequaquam scaenicis motibus idonea, etiamsi more athletarum eis perfricatio adderetur, ita illi inertes judicantur qui a primis pueritiae temporibus ludis scholaribus deputati, variarum studia doctrinarum nequaquam in se admittunt, sed inexercitati & invalidi, veluti stolida & insensata animalia, a profunda & multiplici rerum indagine rejiciuntur; de quibus merito supradictum proverbium cantatur. Et quoniam propriis huic arti cibis ipsi athletae vescebantur, sicut erant coliphia, unde scilicet & vires augerentur & corporis habilitas industriaque non periclitaretur, iccirco subsequitur in eodem proverbio quod etiam impensae perdantur quae indebite negligentibus & minime aptis ingeruntur. Nonnulli ceroma intellexerunt esse artificium quoddam juxta morem antiquum pingendi, cui, ne facies & pulchritudo picturae vetustate temporis aboleretur, cerae mixtura apponebatur, modico igni huic temperamento adjecto, ut aequa mensura colorum ceræque concordante, nec venustas & gratia coloribus nec ceræ perspicuitas deesset. Hoc genus pingendi etiam a Boetio viro doctissimo commemoratum adhuc suo tempore viguisse dubium non est. Quadam igitur inflexione nominis adducti sunt qui hoc senserunt esse ceroma, ut verbi gratia sicut homo ab humo, ita ceroma a cera originem ducere existimetur. Sed hoc non satis prudenter intellectum, etiam ipse sensus manifestat. Quamobrem superior expositio, quæ & securior atque secretior antiquiorque judicatur, vobis credo satisfaciet, nugasque varie commentantium apud vestram prudentiam extinguet. Hoc de parva re sine fraude apud judicium prudens vestrum disposui, carissime virorum; oroque vestram ingenuam prudentiam ut fastidiosorum supercilia declinantes, apud vos contineatis quae fidelis animus & amici non frivola caritas transmisit. Ceterum placeat me salva stabilitate amicitiae hoc quod eligeris, sicut postulo, vestris scriptis edoceatis. Nolo enim nec garrulitatis improbitatem incurrere, nec rursus taciturnitatis nota in his quae efferenda sunt juste damnari.

---

## LUDOVICI PII

*praeceptum pro Ecclesia Nemausensi.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Cum petitionibus sacerdotum justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Ideirco noverit omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam & futurorum utilitas quia vir venerabilis Christianus Nemausa civitate Episcopus obtulit obtutibus nostris immunitatem domni & genitoris nostri Karoli bonæ memoriae piissimi Augusti, in qua erat insertum qualiter idem genitor noster & praedecessores ejus Reges praedictam sedem, quae est in honore sanctae Mariae semper virginis seu & sancti Baudelii constructa, una cum cellulis duabus, una quæ dicitur Tornagus, quæ est constructa in honore sancti Stephani protomartyris, & alia quæ dicitur Vallis Flaviana, quae est in honore sancti Petri principis Apostolorum constructa, seu & aliis cellulis ibidem aspicientibus, ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum semper sub plenissima tuitione & immunitatis defensione habuissent. Propter firmitatem tamen rei nobis postulavit praefatus Episcopus Christianus ut eorumdem Regum auctoritates ob amorem Dei & reverentiam ipsius sancti loci confirmaremus auctoritate. Cujus petitioni libenter adquievimus, & ita in omnibus concessimus, atque per hoc praeceptum nostrae auctoritatis confirmamus. Praecipientes ergo jubemus ut nemo fidelium nostrorum vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, sive eas quas moderno tempore in quibuslibet pagis & territoriis infra ditionem imperii nostri juste & legaliter praedicta sedes seu cellulas possidet, vel ea quae deinceps a bonis viris eisdem conlata fuerint Ecclesiis, ad causas audiendas, aut freda vel tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, nec fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiae tam ingenuos quam servos super terram ipsius commanentes injuste distringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris aut futuris temporibus ingredi audeant vel ea quae supra memorata sunt penitus exigere praesumant. Sed liceat memorato Praesuli suisque successoribus res praedictarum Ecclesiarum cum omnibus sibi subjectis sub immunitatis defensione quieto ordine possidere & nobis fideliter deservire atque pro stabilitate nostra vel totius imperii a Deo nobis collati vel conservandi una cum clero & populo sibi subjecto libere Domini misericordiam exorare. Et quicquid exinde fiscus noster sperare poterat, ad integrum concedimus, ut perpetuis temporibus ibidem Deo famulantibus proficiat in augmentum. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconcussa manere, manu propria subscripsimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. An. 814.

Signum Ludovici serenissimi Imperatoris.

Helisacar recognovi.

Data IV. Kal. Decembris anno primo Christo propitio imperii Domni Ludovici serenissimi Augusti, Indictione VIII.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

*Ejus-*

*Ejusdem Ludovici praeceptum, ut nonas & decimas dent qui beneficia tenent de Abbate sancti Michaëlis ad Mosam.*

IN nomine Domini Dei & salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus divina ordinante providentia
An. 816. Imperator Augustus. Noverit utilitas fidelium nostrorum, Comitum videlicet & vassorum nostrorum, vel quisquis beneficia ex ratione monasterii sancti Michaëlis habere videtur, ubi venerabilis vir Smaragdus praeest Abbas, quia sicut dominus & genitor noster praecepit, ita & nos praecipimus ut eidem monasterio annis singulis de eisdem beneficiis nonas & decimas de omnibus pleniter non negligatis. Proinde praecipimus atque per has litteras omnibus quaecunque ex largitione nostra vel Comitum aut vassorum nostrorum de rebus praefati monasterii beneficia habetis, nonas & decimas annis singulis, ut praedictum est praefato venerabili Smaragdo suisque successoribus vel missis ejusdem monasterii absque ulla contrarietate & neglegentia dare non neglegatis, &
Lib. 1. Capitul. cap. 21. & seqq. ad domos ipsius Ecclesiae restaurandas unusquisque pro viribus suis adjutorium ferre non differat. Et nullus qui beneficium de rebus praefati monasterii habet, contra hoc jussionis nostrae praeceptum facere praesumat, sed in omnibus ita illud observet sicut a nobis jussum est, vel quemadmodum Dei & nostram gratiam vel ipsum beneficium habere vult. Et ut certius credatis, de anulo nostro subter jussimus sigillari. Data III. Idus Jul. anno III. regnante domno Lodouvico serenissimo Augusto, indictione XI. Actum Teodonis villa palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

---

## PRÆCEPTUM LOTHARII REGIS

*Fratris Karoli quod fecit Ecclesiæ sancti Stephani Lugdunensis, & dicit quod Cadaliacum villa, quæ est in mandamento de Viren, in pago Salmoriacensi est.*

Ex t. II Misc. Bal. pag. 149. IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Lotharius divina præveniente clementia Rex. Expedit regiæ celsitudini ita divinis cultibus operam dare quatenus Ecclesiarum Dei jura ac
Circa an. 865. privilegia pristinis temporibus juste & rationabiliter ordinata sua protectione juxta Domini voluntatem conservet, & si qua caeca cupiditate inordinate ablata prospexerit, quantocius pro nomine reformet; ut & sanctorum intervenientibus meritis aeternae retributionis praemium acquirat, eos etiam quibus ecclesiastica jura commissa sunt sibi devotiores reddat. Quocirca omnium fidelium sanctæ Ecclesiæ nostrorumque praesentium scilicet ac futurorum noverit utilitas emolumento seu etiam propter devotissimam famulationem Remigii Lugdunensis Ecclesiæ reverentissimi Archiepiscopi restituimus per nostræ auctoritatis praeceptum Ecclesiae sancti Stephani Lugdunensis villas has, Cachiliacum videlicet in comitatu Salmoriacensi, & Liviam in pago Viennensi, quas pridem bonæ memoriæ Karolus gloriosus Rex germanus noster præfatæ Ecclesiæ justa ratione sua regali auctoritate reformaverat, sed nos postmodum pro quadam necessitate illas in beneficium contuleramus. Quod omnino non recte factum fore cognoscentes, hos nostræ auctoritatis apices fieri censuimus, per quos memoratas villas præfatæ casæ Dei reformamus, quatenus nostris futurisque temporibus absque cujuslibet subtractione in potestate Pontificum ejusdem Ecclesiæ permaneant, ut Deo largiente Præsules ac clerus ejusdem casæ Dei pro anima genitoris nostri ac genitricis seu fratris nostri Karoli gloriosi Regis necnon & nostra Domino attentius preces assiduas fundere studeant. Ut autem hæc nostræ restitutionis auctoritas nostris futurisque temporibus inconvulsa permaneat firmitatemque omnem obtineat, manu propria illam roboravimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus.

---

## KAROLI III. IMP.

*Praeceptum pro Ecclesia Lugdunensi, datum ad deprecationem Liutardi Episcopi Vercellensis & Bernardi Marchionis.*

Hæc carta, quæ est de Ecclesia sancti Stephani Lugdunensis, dicit quod hæ villæ. Colonicas. Fistiliacum. Cadaliacum, quæ sunt in mandamento de Viren, in pago Salmoriacensi sunt & in episcopatu Gratianopolitano.

IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi. Karolus divina ordinante provi- An. Christi 885.
dentia Imperator augustus. Si fidelium nostrorum ratis petitionibus aures nostrae pietatis accommodamus & eorum utilitatibus consulimus, imperiali celsitudini operam damus, & ob id eorum animos nostræ fidelitati promptiores exhibemus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus scilicet atque futuris quoniam ad deprecationem dilecti nobis Liutuardi venerabilis Episcopi & Bernardi illustrissimi Marchionis concessimus Ecclesiæ beatissimi protomartyris Stephani Lugdunensis, cui venerabilis Aurelianus Archiepiscopus præesse dinoscitur, Ecclesias cum villis omnibus ad eas pertinentibus in pago Lugdunensi sitas, pro remedio animæ nostræ, conjugisque, ac prolis, longo jam tempore ab ipsa Ecclesia alienatas, videlicet foris murum ipsius civitatis Ecclesiam sancti Laurentii cum beneficiolo ad illam pertinente, Gemoliacum quoque villam cum portu & mercato habentem capellam & mansos inter absos & vestitos triginta tres, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, Dagniacum etiam habentem capellam & inter absos & vestitos mansos triginta, cum omnibus quæ ad eam aspiciunt. Contulimus quoque Ecclesiæ sancti Hyrenei ad stipendia Canonicorum ibi deservientium pro æterna remuneratione in Lupertiaco mansos tres, in Vibaco mansum unum, in Monte mansos duos, & in Cabaniaco mansos duos. Volumus quoque ad præfatorum fidelium nostrorum deprecationem præcepta a nostris statuta patruis, piissimis videlicet Imperatoribus Augustis Lothario atque Karolo, eorumque filiis Lothario atque Karolo Regibus, necnon & consobrino nostro Ludovico Rege, nostræ auctoritatis alio præcepto confirmare. quod & fecimus. Et hoc præcepto confirmavimus, in pago scilicet Lugdunensi Nantuacense monasterium & Saviniacense cum appendiciis suis, & in eodem pago immunitatem villæ urbanæ juxta civitatem, & Ansam villulam in usum fratrum, Acaulamum, Calsceumque, & Cortennacum, & villam Egenam, vicumque Ambariacum, atque Belliniacum, Lupetciacum etiam, & Cotiacum, cum appendiciis earum & famulis utriusque sexus. In pago Viennensi villam Turnonem, & Liviam, & Lucennacum, cum integritatibus suis. In pago vero Salmoriacense & Gratianopolitano Colonicas, & Fistiliacum, Cachiliacum quoque villas, cum pertinentiis suis. In comitatu Scutiacense Morgas villam cum immunitate & appendiciis suis. In pago vero Brionense Pisnacum villam cum omni integritate. In pago vero Augustodunense Canchacum villam cum suis appendiciis. In pago etiam Belnensi Polmarcum villam cum omni integritate sua. Et in comitatu Portuensi Flaviacum & Pocetum villas cum earum appendiciis. In pago etiam Cavillonensi Montanum villam & Vilare atque Servellam cum appendiciis suis. Volumus ergo, ut supra diximus, quæ ibidem ab antecessoribus nostris jamdictis aut largita sunt aut reddita, seu ab aliis cujuscunque ordinis viris collata sunt, vel deinceps Deo propitio conferentur, sub nostra immunitate firma & stabilia perseverent. Præcipientes ergo jubemus & jubendo præcipimus ut nullus judex publi-

eus vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratæ Ecclesiæ, quas moderno tempore infra ditionem imperii nostri legaliter possidet, vel quae deinceps in jure ipsius voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, aut freda exigenda, vel mansiones aut paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiae extra rationem distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere praesumat; sed liceat memorato Archiepiscopo suisque successoribus res supradictae Ecclesiae quieto ordine possidere & nobis fideliter deservire, & pro nobis, conjuge, proleque, ac totius imperii nostri stabilitate Domini misericordiam non negligant exorare. Et ut haec auctoritas nostrae munificentiae semper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & annlo nostro insigniri jussimus.

Signum Karoli serenissimi Imperatoris augusti.

Amalgerius notarius ad vicem Leutardi Archicancellarii recognovit.

Data XII. Kalendas Julii anno Christo propitio V. imperante Domino nostro serenissimo Karolo Imperatore Augusto, in Francia vero anno imperii ejus primo.

Actum Stirpiaco villa in Dei nomine, Indictione tertia.

---

## PRÆCEPTUM LUDOVICI

*Regis quod fecit Ecclesiæ sancti Stephani Lugdunensis, & dicit quod Colonicas & Fistiliacum & Caduliacum villas, quæ sunt in mandamento de castro Virezo, in pago Salmoriacensi sunt & in episcopatu Gratianopolitano.*

An. Christi 892. IN nomine sanctae & individuae Trinitatis. Ludovicus divina ordinante providentia Rex. Si fidelium nostrorum sanis justisque petitionibus aurem nostrae serenitatis accommodamus, eorumque utilitatibus praestando subvenimus, regiae dignitatis operam damus, & ob id eorum animos nostrae fidelitati promptiores immo ferventiores exhibemus. Itaque notum sit omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae ac nostris praesentibus atque futuris quoniam deprecatione & hortatu sive consilio gloriosissimae genitricis nostrae Hermengardis & pro sincerissimo Aureliani didascali nostri obsequio concessimus Ecclesiae beatissimi protomartyris Stephani Lugdunensis, cui idem venerabilis Aurelianus Archiepiscopus praesse dinoscitur, Ecclesias villasque cum omnibus ad eas pertinentibus in pago Lugdunensi sitas, ut ipse beatissimus protomartyr pro nobis & pro nostris genitoribus ac avis & proavis intervenire dignetur, videlicet foris murum ipsius civitatis Ecclesiam sancti Laurentii cum beneficiolo ad ipsam pertinente, cis Arari vero abbatiam sancti Martini quae Athanacus vocatur cum omnibus sub integritate ad ipsam abbatiam pertinentibus, Genoliacum quoque cum portu & mercato habentem capellam & mansos inter vestitos & absos XXXIII. cum omnibus ad se pertinentibus, Dagniacum etiam habentem capellam & inter absos & vestitos mansos triginta cum omnibus quae ad eam aspiciunt. Contulimus quoque Ecclesiam sancti Hyrenei ad stipendia Canonicorum ibidem servientium pro aeterna remuneratione, in Luperciaco mansos tres, in Viliaco mansum unum, in Monte mansos duos, in Cabannaco mansos duos. Volumus quoque ad gloriosissimae genitricis nostrae votum praecepta a nostris statuta avis & proavis, piissimis videlicet Imperatoribus Augustis Lothario, Ludovico, atque Karolo, eorumque filiis & nepotibus Regibus, necnon & consobrino nostro Ludovico, regiae nostrae auctoritatis isto videlicet confirmare. In pago scilicet Lugdunensi Nantoadense monasterium & Saviniacense cum suis omnibus appendiciis, & in eodem pago immunitatem villae urbanae juxta civitatem, & Ansam villam in usus fratrum, Acausanium. Caliscum quoque, & Cortennacum, & villam Egenam, vicumque Ambariacum, atque Beliacum, Lupertiacum etiam & Cocciacum, cum earum appendiciis & familiis utriusque sexus. In pago Viennensi villam Turnonem & Liviam & Lucennacum cum integritatibus suis. In pago autem Valentiaco Saciacum villam. In pago autem Salmoriacensi & Gratianopolitano Colonicas, & Fistiliacum, Caduliacum villas, cum suis pertinentiis. In comitatu Scutiacensi Morgas villam cum immunitate & appendiciis suis. In pago vero Brionensi Pisniacum villam cum omni integritate. In pago namque Augustudunensi Candiacum villam cum suis appendiciis. In pago etiam Belnensi Polmarenm villam cum integritate sua. Et in comitatu Portuensi Flaviacum & Pocetum villas cum omnibus appendiciis suis. In pago namque Cavilonensi Montanum villam & Villare atque Scovellam cum suis appendiciis. In pago vero Bassiniacensi Ramsonarius cum suis appendiciis. Volumus ergo, ut supra diximus, ut quae ibidem ab antecessoribus nostris jamdictis aut largita sunt aut reddita, seu ab aliis cujuscunque ordinis viris collata sunt, vel deinceps Deo propitio conferentur, sub nostra immunitate firma & stabilia perseverent. Praecipientes ergo jubemus & jubendo praecipimus ne nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratae Ecclesiae, quas moderno tempore infra ditionem regni nostri legaliter possidet, vel quae deinceps in jure ipsius divina voluerit pietas augeri, ad causas audiendas, aut freda exigenda, vel mansiones aut paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiae extra rationem distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel quae supra memorata sunt penitus exigere praesumat; sed liceat memorato Archiepiscopo suisque successoribus res supra memoratae Ecclesiae quieto ordine possidere & nobis fideliter deservire, & pro nobis ac gloriosissima genitrice & pro totius regni nostri stabilitate non negligant exorare. Ut autem haec nostrae munificentiae auctoritas semper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu nostra subter firmavimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Ludovici serenissimi Regis.

Warimaldus Notarius ad vicem Barnoini recognovit.

Data XV. Kal. Aprilis anno dominicae incarnationis DCCCXCII. & eodem Christo propitio regnante domno nostro Ludovico anno secundo in Burgundia seu Provincia, Indictione X.

Actum Lugduni civitate in Dei nomine feliciter, Amen.

---

## PRÆCEPTUM LUDOVICI

*Regis quod facit Ysaac Gratianopolitano Episcopo & successoribus ejus.*

IN nomine sanctae & individuae trinitatis. Ludovicus divina ordinante providentia Rex. Dignum est ut regalis sublimitas procerum suorum petitionibus annuat & annuendo adimpleat, quanto eos viderit in suis obsequiis persistere efficaces. Idcirco omnium fidelium sanctae Dei Ecclesiae regnique nostri, nostrorum videlicet & futurorum Regum, noverit solertia quia domina genitrix nostra Hirmingardis Regina nostram regalem expetiit clementiam super quodam fideli nostro Ysahac venerabili Episcopo, ut praeceptum vel donum quod pius genitor noster Boso Rex fecerat de Ecclesiis sanctae Mariae An. Christi 894.

seu

seu sancti Donati confessoris eximii cum suis spiritalibus obsequiis confirmaremus. Est autem ipsa Ecclesia sita in comitatu Viennensi, in vico Jovinziaco. Cujus nos precibus annuentes una cum Episcopis, Comitibus, seu nonnullis regiminis nostri Principibus, stabilitatis praeceptum sancimus ut ipse Ysahac ejusque successores nullo contradicente in praedicta Ecclesia cum omni ejusdem loci elero teneant possideant omnes virtutes quas mater Ecclesia perpetim videtur habere in omnibus ecclesiasticis ordinibus, chrisma videlicet in Domini coena benedicendo, poenitentiam peccatoribus dando, eiciendoque ex Ecclesia & suscipiendo tempore congruo, festivitates celebrando, pauperes ibi & nobiles mortuos sepeliendo. Firmamus etiam praedicto venerabili Isaac Episcopo ut omnes res suae proprietatis quas ipse in pago Viennensi vel Lugdunensi atque in Provincia seu in quibuscunque locis regni nostri per chartarum instrumenta ei concedimus, quocunque ingenio, hereditate, donatione, concambiatione, & comparatione in supradictis locis acquisitas res habet, vel in antea Deo propitio adquirere potuerit, tam de hereditate propinquorum suorum quamque de cunctis Christianis, Judaeis & Judaeabus, fiscalinis nostris, seu de omnibus Ecclesiarum regni nostri comitatuum commutationibus, concambiationibus, omnia supradicta per praeceptum nostrae auctoritatis illi concedimus seu confirmamus hereditario jure quiete habenda. Decrevimus itaque fieri hoc nostrae auctoritatis praeceptum Isaac venerabili Episcopo, per quod omnes res suas illi condonamus modis omnibus regali auctoritate habendas, ita ut deinceps eas absque alicujus contradictione quieto ac pacifico possideat jure, & cuicunque voluerit derelinquat, & omnia superius nominata absque aliqua minoratione contradictoris possideat. Et si aliqua invidia, vi, dolo, vel concrematione ignium, chartarum instrumenta ablata fuerint, per nostrae auctoritatis praeceptum cum omni integritate ei concedimus ad habendum. Et nemini contradictori suo alteram chartam ostendat, nisi hoc nostrae auctoritatis praeceptum. Et ut omnibus modis protectus atque defensatus tam res illius quam ipse, & nemo potestatis cujuslibet persona ullo unquam tempore aliquam illi inferre praesumat molestiam; sed liceat ei cum omnibus suae proprietatis rebus sub nostrae immunitatis tuitione pacifice easdem res possidere & ordinare. Si vero aliquae querimoniae pro ipsis rebus adversus eum ortae fuerint, quae absque gravi dispendio nequeant diffiniri, jubemus ut usque in nostram suspendantur praesentiam, quatenus ibi finitivam accipiant sententiam. Et quicunque contra hoc nostrae immunitatis praeceptum aliquid contradicere vel violare praesumpserit, sciat se sicut & alias res emunctorias compositurum & emendaturum. Et ut hoc nostrae auctoritatis praeceptum absque alicujus mutilatione plenissimam obtineat firmitatem perennis temporibus, manu propria subter illud firmavimus, & anuli nostri impressione insigniri praecepimus; & propter quorundam malorum hominum calliditates illud etiam inferere jussimus, ut si aliquis nostri facti refragator in aliquo repertus fuerit, mox poena quam lex Theodosii praecipit, idest triginta libris auri esse multandum, atque chartario nostro sublituendum, & absque ulla minoratione Missis nostris persolvendum. Signum Ludovici. Datum sts. Idus Augusti anno incarnationis dominicae DCCCXCIV. Indictione XIS. anno Christo propitio regn. Ludovici Regis sv. Actum Nicas castello in Dei nomine feliciter. Amen.

*De consuetudine sancti Donati.*

BRevis vel computatio de consuetudine quam Episcopi Gratianopolitanae urbis Ysaac, Alcherius, Isacius, Umbertus habuerunt vel tenuerunt seu fecerunt in Ecclesia sancti Donati confessoris, quae est in comitatu Viennensi sita & in vico Jovinziaco. Hi Pontifices congruo tempore in illa Ecclesia ut voluerunt ordinaverunt Clericos, dederunt poenitentiam peccatoribus, eiciendo de Ecclesia & recipiendo, benedixerunt ibi chrisma in coena Domini. Et in parasceven est consuetudo ut ibi veniant viri religiosi & potentes, & justi & peccatores, audire divinum officium. Et est insuper alia consuetudo in praedicta Ecclesia vel in supradicto loco, ut in suo cimiterio nobiles & potentes, divites & pauperes, sine ulla contradictione sepeliant, & nummularios, id est monetarios habeant. Has consuetudines, ut diximus, in vico Jovinziaco supradicti Episcopi & Canonici sancti Donati habuerunt & tenuerunt firmiter per donum Regis & per consensum Episcoporum seu laicorum nobilium illius regionis.



# LUDOVICUS REX

*Concedit Uncrino monacho sancti Michaëlis Fraxinum ad restaurationem veteris monasterii.*

IN nomine Domini Dei aeterni & Salvatoris nostri Jesu Christi. HLudouvicus divina favente clementia Rex. Si petitionibus fidelium nostrorum in his quae ad utilitatem regni pertinent annuimus, eos procul dubio ad fidelitatis nostrae sublimitatem ferventiores effecimus, & quicquid dignitas nostra ad loca Deo dedicata largitur, a summo Regum principe retributio speratur. Noverit igitur omnium sanctae Dei Ecclesiae fidelium tam praesentium quamque & futurorum industria quia venerabilis Tungrensium Praesul Stephanus nostram adiit clementiam humiliter innotescendo quod quidam bonae devotionis monachus nomine Uncrinus ex monasterio sancti Michaëlis, unde praefatus Praesul Abba praeesse dinoscitur, quandam cellam vetus monasterium nuncupatam, olim succensam & penitus desertam, facultatis suae laboratione & manuum operatione restauravit. Pro cujus bonae voluntatis studio praedictus venerabilis praesul Stephanus nostram expetiit serenitatem ut eidem monacho quandam villam ex rebus sancti Michaëlis nomine Fraxinum, in qua habentur mansi viginti quatuor, cum omnibus ad se pertinentibus & decimis, cum omni integritate concederemus. Cujus petitioni libenter obtemperantes, digno recompensationis munere supranominato monacho ad restaurationem loci, & ut geminatum die noctuque celebretur officium, canonici scilicet ordinis & monastici, diebus vitae suae praescriptam villam, ut libero in omnibus potiatur arbitrio, concessimus. Post ejus vero decessum, antiquam rerum suarum substantiam fratres inibi Deo militantes usurpent, & praefatam villam, sicut supra statuimus, cunctis temporibus possideant. Hanc autem testamenti paginam transcribi jussimus; per quam decernimus ut nullus successorum nostrorum Regum aut loci illius Abbatum quae a nobis divini amoris respectu sunt ordinata violare vel auferre praesumat. Et ut verius credatur & diligentius observetur, manu propria subter firmavimus, anuloque nostro insigniri jussimus. Data vi. Kalendarum Decembrium die, anno incarnationis Domini MCCCCIIII. Indictione VII. anno autem regni domni Ludouvici quinto. Actum Triburias feliciter. Amen.

Ex L. IV. Misc. Bal. p. 425.

An. 904.



KARO-

## KAROLUS SIMPLEX REX FRANCORUM

*confirmat donationem Ludowici Regis factam Uncrino monacho sancte Michaelis ad Mosam.*

An. 919. IN nomine sanctae & individuae trinitatis. Karolus divina propitiante clementia Rex. Si petitionibus fidelium nostrorum in his quae ad utilitatem regni pertinent annuimus, eos procul dubio ad fidelitatis nostrae sublimitatem ferventiores efficimus; & quicquid dignitas nostra ad loca Deo dicata largitur, a summo Regum principe retributio speratur. Noverit igitur omnium sanctae Dei Ecclesiae fidelium tam praesentium quamque & futurorum industria quia vir nobilissimus Richuinus Comes nostram adiit clementiam humiliter innotescendo quod quidam bonae devotionis monachus nomine Uncrinus ex monasterio sancti Michaëlis quandam cellam vetus monasterium nuncupatam, olim succensam & penitus desertam, facultatis suae laboratione & manuum operatione restauravit. Pro cujus bonae voluntatis studio praedictus Richuinus venerabilis Comes nostram expetiit serenitatem ut eidem monacho quandam villam quam illi quondam Ludouvicus Rex per praeceptum ad restaurationem praefati loci contulit ex rebus sancti Michaëlis nomine Fraxinum, in qua habentur mansi viginti quatuor, cum omnibus ad se pertinentibus & decimis, cum omni integritate concederemus. Cujus petitioni libenter obtemperantes, digno recompensationis munere supranominato monacho ad restaurationem loci, & ut geminatum die noctuque celebretur officium, canonici scilicet ordinis & monastici, diebus vitae suae praescriptam villam, ut libero in omnibus potiatur arbitrio, concessimus. Post ejus vero decessum, antiquam rerum suarum substantiam fratres inibi Deo militantes habeant, & praefatam villam, sicut supra statuimus, cunctis temporibus possideant. Hanc autem testamenti paginam transcribi jussimus; per quam decernimus ut nullus successorum nostrorum Regum aut loci illius Abbatum quae a nobis divini amoris respectu sunt ordinata violare vel auferre praesumat. Et ut verius credatur & diligentius observetur, manu propria subter firmavimus, anuloque nostro insigniri jussimus. Datum III. Idus Iunias, Indictione prima, anno XXI. regnante Karolo Rege gloriosissimo, redintegrante quidem XVI. largiore vero hereditate indepta II.

Actum monasterio sancti Arnolfi in Dei nomine feliciter. Amen.

---

## RODULPHI
## REGIS BURGUNDIÆ

*Praeceptum pro eodem monasterio Gigniacensi.*

Ex Lib II. Misc. Bal. pag 181.

An. 904. IN nomine sanctae & individuae Trinitatis. Rodulfus ordinante divino munere serenissimus Rex. Si servorum Dei justis postulationibus serenitatis nostrae aurem accommodaverimus, & quod pie & rationabiliter petunt, benigne & clementer concesserimus, hoc nobis profuturum in praesenti vel in futuro minime dubitamus. Idcirco notum esse volumus omnium fidelium nostrorum sollertiae tam praesentium quamque futurorum qualiter vir venerabilis Berno videlicet reverentissimus Abbas adiit nostram magnitudinem petens nos ut quendam locum Gigniacum, quem ipse Abbas & sui confratres tenent vel construunt regulariter, rebus proprietatis nostrae ditaremus; quod libenter fecimus. Donamus itaque pro aeterna retributione ad jamdictum locum in honore beati Petri Apostoli constructum, vel ipsi Apostolorum principi Romae subditum, res quas postulavit Abbas praedictus, hoc est, in comitatu Scutindis quandam cellam nomine Balmam, ubi fluvius Salliae surgit, quam ipsi monachi praelibati ad fundamentum reaedificaverunt, in praefato etiam comitatu cellulam quampiam in qua sanctus Lauterius confessor pretiosus requiescit, in ipso etiam comitatu quandam villam nomine Cavaniacum & Clemenciacum cum omnibus suis appendiciis quae ad dictas villas juste & legaliter pertinere videntur, vel ad dictam villam, in rebus vel mancipiis cum omni integritate ad saepedictum locum Gigniacum donamus & de nostro jure in jus habendum praefati Abbatis Bernoni videlicet vel successorum ejus qui ipsum locum dominaturi sunt sub institута regula solenni more transferimus, nulli ipsis jamdictis monachis contradicente, sed quiete hoc possideant in perpetuum. Ut autem hujus nostri praecepti auctoritas firmius credatur & ab omnibus inviolabiliter semper observetur, & in Dei nomine totius firmitatis obtineat vigorem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri signum subtus in ea mandavimus affigi.

Signum Domini Rodulfi piissimi Regis.

Data IV. Idus Decembris anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCCIV. Indictione * VI. * VIII.
regnante Domino Rodulfo Rege anno XVI.

Actum Navavilla in Dei nomine feliciter. Amen.

---

## PRÆCEPTUM REGIS KAROLI

*Simplicis pro monasterio Solemniacensi.*

IN nomine sanctae & individuae trinitatis. Ego Karolus gratia Dei Rex considerans molem meorum peccaminum & Dominum dicentem, *Date eleemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis, & operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, dum tempus habemus* Quamobrem condolens volo compati, quia ait Apostolus *si compatimur, & conregnabimus*, Ecclesiae Solempniaci, quam beatus Elegius Noviomensis Episcopus jussu nostri praedecessoris, videlicet incliti Dagoberti Regis, in honore sanctae Dei genitricis Mariae & Apostolorum Petri & Pauli & martyrum Dionysii atque Pancratii & sanctorum confessorum . . . . . . atque Medardi omniumque sanctorum mirabiliter construxit atque adornavit. Hoc tale tantumque coenobium dum Deo favente . . . . . , fere ducentis & X. annis religione polleret, supervenere Normanni, igne combusserunt, & funditus destruxerunt. Quam destructionem graviter ferens, quoniam debeo gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus, mea copia istius jamdicti monasterii volo fit . . . . . . . . reaedificare & construere cum officinis & omni supellectili jubeo, & de meis reditibus . . . . . . . . . monachorum inibi Deo famulantium condono, videlicet Ecclesiam sancti Martini de Aneta cum XL. mansis, Ecclesiam sancti Juliani de Cella cum XII. mansis, Ecclesiam sancti Hilarii de Corbas cum XV. mansis, Ecclesiam sancti Martini de Trainiaco cum VIIII. mansis, Ecclesiam sancti Galli cum X. mansis, Ecclesiam sancti Clementis cum XXX. mansis, Ecclesiam sancti Maxentii cum V. mansis, Ecclesiam sancti Germani cum XV. mansis, Ecclesiam sancti Vincentii de Bat cum VIII. mansis, Ecclesiam sancti Boniti cum V. mansis, Ecclesiam de Cantau cum tribus mansis, Ecclesiam sancti Saturnini de Perpeziaco cum XX. mansis, Ecclesiam de Collorn cum VII. mansis, Ecclesiam de septem piris cum XXIIII. mansis, Ecclesiam sancti Pardulfi de Suitiaco cum XI. mansis, Ecclesiam sancti Samrnini de Glandom cum XII. mansis. De istis quasdam alii monasterio ante me dederant. Omnes vero has ego regia dignitate cum sibi adjacentiis concedo. Et ut firmiter in perpetuum maneat, impressione anuli mei consigno. Signum Karoli gloriosissimi Regis. Gamonocarius ad vicem Regis recogno-

Ex Lib VI. Misc. Bal. pag 491.

An. 914.

cognovit. Datum XV. Kal. Augusti anno XXXIII. regnante Karolo gloriosissimo Rege, & in successione Lotharii quarto anno. Actum apud Lemovicas civitate, adstante & consentiente Turpione Episcopo in Dei nomine feliciter. Amen.

---

## PRÆCEPTUM LUDOVICI IV.

*Regis Francorum pro monasterio sancti Juliani Turonensis.*

Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 235.

IN nomine sanctae & individuae trinitatis. Ludovicus divina propitiante clementia Rex Francorum. Si caelestibus . . . . . . . . . desiderantes lucra dominicarum ovium sagaci studio procurare nitimur, justis exigentibus meritis divinam nobis propitiare clementiam confidimus, & sicut exinde . . . . . . sic etiam promerendae mercedis non dubitamus augmentum adipisci. Quapropter comperiat omnium fidelium sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque, praesentium scilicet & futurorum, solertia quia anno dominicæ incarnationis DCCCCXLV. nostrae sublimitatis fastigium . . . . . . . . nostri regni more prædecessorum nostrorum Regum consuleremus utilitatibus, adiit praesentiam nostri culminis venerabilis Turonicae Ecclesiae Theotolo Archiepiscopus, innotuit nobis quod quoddam coenobium in suburbio Turonicae urbis situm atque in honore sancti Juliani sive sancti Albini dicatum, sicut multorum habetur notitia, per plurimorum annorum tempora monachorum suo regula patris Benedicti viventium incoluerat caterva, sed infestatione barbarorum ac etiam scelerátorum hominum varia succedentes sibi non tam . . . . . . . . . . omni religione ecclesiastica quamque & omnes res ab eodem monasterio intervenicote . . . . . . . . . . pravorum cupiditate abstractae & pene jam in jus publicum redactae essent, sed ipse venerabilis praesul eumdem locum in honore sanctae Dei genitricis Mariae Julianique gloriosi martyris & sanctorum omnium commemoratione, corpusque sancti Antonii collocato in eo . . . . . . . . testamentis in pristinum, secundum regulam sancti Benedicti statum reformare ac reintegrare desiderans, efflagitans nostram regiam celsitudinem uti more Regum nostrorum prædecessorum . . . . . . . . . . ejusdem coenobii olim substractas ab eo denuo recuperatas . . . . . . . & postmodum . . . . . . . . atque a quibusdam sanctae Dei Ecclesiae fidelibus concessas & per instrumenta cartarum collatas perpetuo habendas confirmassemus. Cujus itaque præsulis suggestionem necnon famosissimi fidelis nostri Hugonis Comitis exhortationem devotissime recipientes, complacuit serenitati nostrae propter amorem omnipotentis Dei ac sanctorum ejus, & per hoc praeceptum res praefati monasterii in usus monachorum ibidem Deo militantium confirmasi, id est id pago Turonico . . . . . . . . . . Ciconiacum cum capella sanctae Mariae ab ipso venerabili Teotolone noviter constructa atque dedicata, Bluriacum etiam super fluvium Cari, & Balno, atque Ulmis, sive Montiniacam, & villa Valerios cum capella sancti Petri cum omnibus appendiciis . . . . . . . . . . . . . & mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus atque . . . . . . . . . . . Cancellis cum Ecclesia in honore sancti Martini, per scripturae auctoritatem juberemus: Decimas vero omnes cum omni integritate ex ipsius monasterii potestate de Ciconiaco, de Bluriaco, de Valeriis . . . . . . . de Paludibus, de Sinerolas, ad Ecclesiam sanctae Mariae in praelibata villa de Ciconiaco simul cum carta I. & alodum de Martinisco, perpetuo manendas decernimus, & ex culturis super Ligerim de villa Valerias & de villa Gruola & de Renciaco & de nova villa quam tenet Adolardus, medietatem decimarum in speciales usus monachorum conferre censemus. Res insuper quas memoratus praesul de paterna & materna hereditate visus est, necnon & alias res per plurimos adtractus vel pretiis acquisivit, in quibuscunque sint pagis, villis, vel locis, eidem monasterio perpetuo jure concessit. Praecipimus etiam atque jubemus ut quaecunque de rebus beneficii sui propria hereditate non possidet parentum suorum eidem loco pro remedio animae suae atque nostrae contradere atque condonare voluerit, ut id peragat nostra acceptus licentia, salva tamen censuum beneficii annua redibitione. Praeterea capellam sancti Saturnini in ejusdem suburbio Turonicae urbis sitam, quae non longe instetstitio ab eodem monasterio distare videtur, pari ratione subicere curamus, cum vineis, silvis, pratis, terris cultis & incultis, aliisque utilitatibus & adjacentiis suis. Hae igitur supradictae omnes res & decimae, sicuti in hoc praecepto digestae ac praescriptae habentur, volumus atque sancimus ut in jure & possessione supradicti monasterii per diuturna tempora consistant ad utilitates & necessitates monachorum sub regula sancti Benedicti inibi consistentium peragendas. Et ne tantus Pontifex culmen nostrae sublimitatis in cassum videretur adisse, praebendam sancti Martini, quam ipse praesul a pueritia promeruerat, deprecatu illius ita integram uti ipse eam erat habere solitus clericis cunctis benignissime annuentibus, perpetuo possidendam eidem coenobio concedimus. Simili modo praedictus Pontifex nostro exemplo incitatus cum reliquis rebus quas huic loco contulerat praebendam sanctae matris Ecclesiae a tota congregatione expetiit & monachis sancti Juliani tradidit. Quemadmodum autem isdem locus sancti Juliani singularem gratiam utrarumque congregationum praefatarum promeruerat, ita etiam post ipsas congregationes, sanctae matris Ecclesiae scilicet sanctique Martini, ubi ipsius gloriosum corpus requiescit, ut totius ecclesiastici officii privilegium teneat, sive perceptione sacrorum ordinum, sive in omnibus ecclesiasticis officiis peragendis, ut dictum est, regia auctoritate statuissent. Et ut monachi ibidem servientes absque ulla inquietudine sua officia Deo reddere valeant, sancimus ut nullius saecularis potentiae dominio premantur, neque aliquis saecularis minister, neque vicarius, neque quisquam talium ministrorum neque intra neque extra monasterium quicquam audeat exigere neque consuetudinem aliquam reclamare, sed semper soli Deo ipsi sibique subditi orent pro nobis statuque regni nostri & totius christianae religionis, uti mos est famulis Christi. Quin etiam volumus atque jubemus in cellula sancti Maximi quae est in suburbio Kainonensi castro locata, ubi idem Maximus corpore requiescit, ad monasticum transferatur ordinem, ita ut quicunque ibi voluerit degere monachi liberam habeant licentiam, & omnes res quae ad eandem cellulam pertinere videntur in decimis, terris cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis & mancipiis utriusque sexus, & cum tracto in Vigennae fluvio, aliisque omnibus adjacentiis sine ulla diminutione cum omni integritate in victualibus stipendiis sibi perpetuo vendicent ad habendum, & nullum pro ipsa cellula servitium ab eis a nemine Episcoporum vel seniorum exigatur nisi tantummodo solidos x. quos annuatim tempore congruo solvere debent. Eo quippe soluto immunis ab omni redibitione & libera permaneat. Sane cui libuerit ex monachis sancti Juliani illius loci aut ex sancti Maximi sanctum Julianum adire, ut invicem alterna dilectione de loco ad locum se versa vice mutentur, hoc nihilominus prohibemus, quin potius volumus atque concedimus. Si quis autem hujus nostrae deliberationis decretum ausus fuerit irrumpere vel aliqua ratione violare vel infringere tentaverit, sexcentorum solidorum auri ad purum cocti se noverit poena multandum. Ut autem hujus nostri praecepti firmitas inviolabiliter per futura tempora in Deo nomine conservetur, manu propria eum subterfirmavimus, & anuli nostri impositione signavimus. Hoc

quo-

quoque praecepto auctoritate regia illud addimus & perpetua lege sancimus quod aures nostrae celsitudinis pulsavit & unde excommunicatio Domini Johannis Apostolici ad nos venit, ut nulla unquam saecularis potestas neque judex neque vicarius ullus per totam terram sancti Juliani servientes dominicos sancti Juliani & omnes homines magnos aut parvos qui ad partem ipsius sancti fuerint, cujuscunque fuerint conditionis, per omnia loca sancti Juliani sive per omnes domos ubicunque monachi ejusdem sancti habitaverint, de ullo forfacto ab eis facto neque de latrocinio neque de sanguine neque de alio magno aut parvo audeat distringere aut rectum reclamare aliqua occasione. Haec immunitas per omnia loca sancti Juliani observetur, id est per omnem Campaniam Ciconiaco, Miserias, Cancellis, Nivisiaco, Valerlis, Mairiaco, Solyaco, & per omnes partes nostri regni. Si quis autem hanc . . . . . . . . . infringere voluerit, ex auctoritate patris & filii & spiritus sancti & sancti Petri totiusque christianitatis, nisi correxerit, excommunicatus sit perpetualiter.

Signum Ludovici gloriosissimi Regis.

Rorico Notarius ad vicem Hugonis Archipraesulis summique Cancellarii relegit & subscripsit.

Actum Senonis IV. Idus Februarii, indictione prima, anno vero VIII. regnante Ludovico Rege.

Vetustissima membrana monasterii sancti Juliani Turonensis ex qua descriptum est hoc Regis Ludovici praeceptum adeo per injuriam temporum afflicta est ut difficile admodum sit eam legere. Legi tamen, sed cum magno labore & magno studio. Vidit eam vir istarum rerum peritissimus Domnus Joannes Mabillonius. Sed vel deterritus difficultate operis, vel penoria otii, non descripsit, satisfactum lectori putans, si praecipua praecepti hujus verba ederet. Vide librum XLIV. annalium Benedictinorum ejusdem eruditissimi viri ¶. LX. pag. 469.

## DESTRUCTIO CAPELLÆ MASIRIACI,

*Quæ structa erat in injuriam Ecclesiæ Aciaci.*

Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 423.

Circa annum 948.

IN nomine Salvatoris nostri Jesu Christi. Notum maneat omnibus Christianae fidei cultoribus qualiter actum sit de quadam capella injuste constructa in loco nuncupato Masiriaco super fluvium Mattis, quam potestas beati Stephani Mettis civitatis ex villa quae vocatur Novisartis nuper irrationabiliter & contra legem canonicae auctoritatis construxerunt, auferre cupientes partem decimae Aciacensis Ecclesiae, quae jure illi debebatur ex die quo primum fundata est. Vvidricus enim quondam Comes depravatus consilio quorundam iniquorum hominum fieri jussit praefatam capellam. Ex cujus indignae constructionis facto mox proclamatio facta est. Sicque veniens Ludermus Tullensis Episcopus ad eundem locum, nolarium ipsius capellae evertit, campanas cum vestibus sacerdotalibus secum detulit, ipsam capellam anathematizavit secundum ecclesiasticam auctoritatem, omnesque qui ad praedictum locum deinceps accederent a liminibus Ecclesiae catholicae repulit. Quam rem Drogo Episcopus successor ipsius in synodo sancta nihilominus verbis & excommunicationibus confirmavit. Et tali ordine praescripta cappella in omni tempore detentaest, & proclamata juste, donec ipsa res ad certum devenit finem in praesentia Gauzlini Tullensis Episcopi & Adalberonis Mettensis Praesulis. Nam cum inde temporibus illorum longa contentio facta fuisset, rursus Gauzlinus Episcopus eandem Ecclesiam destruxit, domum magis canum quam sanctarum reliquiarum esse destinavit. Quae contentio tempore Ottonis Ducis & Rotberti Archiepiscopi ad talem tandem pervenit finem. In villa Aciaco simul convenientes saepe fati Episcopi Gauzlinus & Adalbero cum suis ex utraque parte Archidiaconibus & ministris Ecclesiarum, septem Presbyteros venire ex utraque parte fecerunt, ut ex hoc vera dicerent. * Quod sacramentum peractum, omnes una voce dixerunt capellam injuste fuisse structam & decimam ab Ecclesia sancti Michaëlis Aciaci villae ablatam. Sicque judicio Episcoporum & Archidiaconorum, Presbyterorum, nobilium & ignobilium virorum, Bransinus Presbyter Novisartis reddidit per vadium Gontbaldo Presbytero Ecclesiae sancti Martini ipsam decimam & Letardo Praeposito coenobii almi Michaëlis; & ipsa capella a fundamentis destructa est, & aeternaliter ecclesiastico more damnata ne unquam instauretur, nec decima a praefata Ecclesia auferatur. Hac ergo contentione legaliter finita, decretum est ab Episcopis & ab omnibus qui in eodem fuerunt conventu ut inde scriptum tale factum esset in quo posteri recognoscerent qualiter super hac re factum fuisset. Quod scriptum utrique Episcopi fieri jusserunt. Si quis praescriptam capellam temerarius instaurare voluerit, & scriptum hoc infrangere conaverit, excommunicatione perpetualiter damnetur, & bannum ecclesiasticum atque regium persolvat. Signum Episcoporum Gauzlini & Adalberonis. S. Evorini Primicerii, & Archidiaconi Ursionis. S. Gerhardi Primicerii & Archidiaconi. S. Eurardi Archidiaconi. S. Varneri, Barnefridi, Gerengarii, Gifardi. Nomina testium. Vvinigii Presbyteri, Heirredi, Teutgaudi, Erpaldi, Rainheri, Vvilleradi, Guiradi, & ceterorum. Signa nobilium virorum, Hamedei, Haimonis, Rotfredi, Lantberti, Ragembaldi, Sarigisi, Vvidonis, Hugonis, Hunberti, Augelbaldi, Bovonis, Guiardi, Teutmari, Bosonis. Signa ignobilium, Ratmari, Rotberti, Heldusi Karioli, Girardi, Bertradi, Salaconis, Boblini, Dodonis, Leutmundi, Ibaldi, Brandaldi, Vidonis, item Dodonis, Manegradi, Hadeeri. Actum publice in atrio sancti Martini Aciacae villae XIII. Kal. Augusti, anno VIII. Regum Ludouvici atque Ottonis, * Rotoerto Archiepiscopo, Ottone Duce.

* Post

* Ratbodo

## LITTERÆ

## WIGFRIDI EPISCOPI VIRDUNENSIS

*De Ecclesia Alieri.*

Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 431.

NOverit omnium sanctae Dei genitricis Mariae Virdunensis Ecclesiae fidelium clericorum & laicorum tam praesentium quam futurorum industria quod ego Wigfridus praefatae Ecclesiae, quamvis indignus, Episcopus, anno nostrae ordinationis VIII. in sancta residens synodo, relatum est ad aures nostras capellam in nostro episcopio juxta Ecclesiam sancti Michaëlis in honore sancti Martini sitam causa necessitatis noviter factam esse, de qua cunctis temporibus ad sancti Syrii Ecclesiam subjecta fuit decima. Sed tamen ille * cui beneficium erat Bertaldus fidelis noster inquit: Faciam eam stare per se. Tunc vero Abbas nomine Oddo, cui praedictae Ecclesiae providentia erat commissa, venit Virdunum ad generalem synodum, & talia nobis retulit. Facta autem inquisitione in ipsa sancta synodo, reperimus eam constructam esse temporibus Halevinci praelibatae Ecclesiae Abbatis & Harcheri, cui beneficium nunc temporis erat. Nos denique plura exempla a sanctis patribus sequentes, hanc nefariam * consuetudinem communi nostrorum clericorum & laicorum consensu irritam duximus, & ne in postmodum fieret auctoritate nostri ministerii omnimodis prohibuimus. Judicio denique nostrorum fidelium & consensu in plena synodo septem fideles Presbyteri secundum legem probaverunt potius subjectam esse ad praefatam Ecclesiam quam ad illud beneficium praenotatum; quorum haec sunt nomina. Ermenardus, item Ermenuardus, Winierus, Savilis, Wigineus, Gonbertus. Post illud videlicet sacramentum, bannum nostrum, ne aliquis deinceps mutire aliquod praesumeret, indiximus, & omnes circumsedentes pari voto assensum praebere jussimus.

* cujus

* constructionem.

Deest unum nomen.

Et

Et ut hoc remissionis scriptum per succedentia tempora permaneret stabile & inconvulsum, manu propria illud firmavimus, manibusque nostrorum fidelium, clericorum scilicet & laicorum, roborandum esse decrevimus, stipulatione subnixa. Actum sub die v. Kal. Mar. anno vi. regnante Ottone Rege filio domni Ottonis Imperatoris Augusti. Signum Gotdefridi Comitis & Vicedomini. S. Givardi. S. Gotberti & Milonis geminorum. S. Ramberti. S. Erlebodi. S. Bertoldi. S. Rotberti. S. Folchradi. S. Eremboldi. S. Richarii. S. Sertonis. S. Rotmari. S. Riculfi. S. Oddonis Abbatis. S. Adelardi Abbatis. S. Halevinci Praepositi. S. David Decani. S. Dudonis Presbyteri. S. Milonis Abbatis. S. Bernerii Primicerii. S. Hadeboldi Archidiaconi. S. Amalrici Archidiaconi. S. Richeri Archidiaconi. S. Ermunberti Presbyteri.

---

## ARNOLDI EPISCOPI

*Halberstatensis Epistola ad Henricum Episcopum Herbipolensem de institutione episcopatus Bambergensis.*

Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 413.

Circa ann. 1018.

HEinricho Episcopo Arnoldus. Diu & multum quaesitus, Domine mi, patere tandem aliquando jam te inveniri. Nescio quo infortunio meo, quotiens in ista terrarum venero, quae longissima tu peragrabas & semper dum in altera ripa fluminis te nuntiatum quaero, jam transisti in alteram, nequaquam ut saltim litteris te conveniam opportunitatem dans. Jacent adhuc in scriniis meis litterae torpentes jam dudum tibi directae, quas legatus meus postridie regressus, te non invento, frustra se accepisse testatus est. Haberem tamen, si auderem, plurima tibi suggerere & de ista commotione rerum tuarum, qua te ultra quam credi posset perturbatum sentio, ac de nostra etiam, quos tibi infirmas res nostras Deo donante miseratus, in patrocinium vindicasti, defensione. Te autem salvo, res nostrae in portu navigabunt. Quocirca dimissis interim nostris, rebus tuis, quod modo magis premit, si aliquo modo mederi possit invigilandum est. Adjutorium nostrum in Domino, qui fecit coelum & terram. Quid est hoc, Domine mi, quod tanto te moerore afficis? Quid contigit tibi unde torquere te habeas? Etiamsi pericli aliquid foret, esset tamen ferendum; quia levius fit patientia quicquid corrigere est nefas. Istud vero unde nunc te affligis, si diligentius intueri vis, Deo propitio unde jure gaudeas non dehabebis. Tu autem, quasi aliquid insuperabile tibi evenerit, rem tuam tam enerviter tractas. In conventum fratrum tuorum venire recusas, cum quibus incommoda tua evincere debueras fugis, magnam tibi invidiam conflas; conspectum Regis, quasi aliquid in se commiseris, devitas. Quid est hoc quod tibi importas? Ubi est sapientia illa quam in te dudum satis acute vigilasse conspeximus? Ista quae tu facis, non videntur esse vigilantis, sed gravi quodam sopore depressi, non clare videntis, sed dure lippientis. Expergiscere, Domine mi, aliquantulum, & capesse te ipsum. Nescio quibus fascinantibus extra te ductus es. Enitere quoad possis ut ad te ipsum revertaris. Loquitur vox divina: *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminavit tibi Christus*. Tu primus aut inter primos, etiam antequam Rex fieret, dominum illum tibi praeelegisti. Tu postea quantum poteras, sicut magnifice poteras, ut Rex fieret instituisti. Proinde tanta in invicem suavitate conjuncti, tanta caritate devincti, te nemo in liberaliter serviendo sibi devotior, se nemo in amicabiliter accipiendo paratior, prorsus glutine quodam & vinculo amicitiae quasi inseparabiliter colligati fuistis. Postremo ubicunque vel quandocunque aut necessitas postulabat aut jucunditas, etiam in vitae periculo fideliter sibi suffragando non deeras. Cum hæc beneficia omnia in illum praerogaris, & ex his penes se magnam tibi gratiam, amicitiam, caritatem jure conflaveris, quid est hoc quod modo tibi imponis? Cur cum bona promeruisti, malis te remunerari permittis? Difficile est reum esse majestatis. Nec litteris, ut audio, nec legatis, parcendo, promittendo, supplicando, te ad se accersire potest. Quomodo potes in regno ejus habere pontificium si ad se venire refragaris? Quid dicturi sunt judices cum in judicio talia ventilabuntur? Vide ne sero pejus fiat quod prius melius fieri potuit, & ne rigor ille, non fortitudo, sed duritia magis habenda sit. Aliud est autem durum esse, aliud fortem. Durus nec in bonam partem flectitur. Cur ex grato ingratum, ex amico inimicum, ex munificentissimo tibi inliberalem facis? Quicquid tibi libuerat, prout pluribus visum est, apud illum obtinere potueras. Nonne tanta tibi potestas in his regionibus ab eo concessa est ut ad nutum tuum omnia pareant? Cui nos aut ceteros qui de te praesumunt defendendos relinquis? Sit animus fortis, sed usque ad temperantiam. Quod modum supergreditur immoderatum, immoderatum intemperans, intemperantia vitium est. Amplius non progredior. Si non pro te, saltim pro ovibus tuis tibi timendum est. De periculo enim agitur rei publicae tuae. Si ita ut coepisti perstabis, evenire potest in tantum eam vexari vel etiam diripi ut aut nunquam aut sero reparetur. Quopropter recordare, Domine mi, Ecclesiae sanctae cui praesides, recordare omnium qui tibi libenter serviunt. Loquere cum illis qui tibi non aliter ac sibi consultum volunt, cum Domino meo venerabili Archiepiscopo W. * spirituali tuo & patre & fratre, cum Domino H. * fratre tuo uterino, item venerabili Archiepiscopo, cum Domino B. * Wangionum Episcopo, aliisque fidelibus & amicis tuis. Consilium quod tibi dent non repudies. Quod enim de te agitur, illorum pariter est tecum. Si illorum consilio forte delinques, illis imputabitur. Habuit quoque fortuna saepe regressum. Quod modo imminet tibi, in proximo fortassis continget & alteri. Ideo non nimis formidandum est ut modo tibi imponant quod ipsi paulo post ferre refragentur. Sane plurimis fidelibus tuis in conventu fratrum tuorum, ubi ordinatio facta est, te in audientiam venire nolle displicuit, opinantibus, si omnino infirmare velles, te praesente magis infirmari potuisse. Sed quia te donante, quoquo modo dederis, parrochia data est, & multis religiosis ac venerabilibus viris comprobantibus ordinatio facta est, quodque tantis auctoribus roboratum ac ratum factum est, difficile annullari & irritum fieri valet, cedat quaeso sanctitas tua illorum sanctitati qui huic ordinationi consentientes subscripserunt; roboretur ea te uno quod jam multorum religiosorum confirmavit collectio; conscribe cum aliis coëpiscopis & confratribus tuis; ne fiat intra sanctae Ecclesiae parietes divisio scismatis, sed potius in omnibus regnet unitas caritatis. Sentio jamdudum te mihi contraire velle & injustae suasionis notare elogio hujusmodi verbis. Sanctis & justis nimis injustum videri, terreni imperii potentiam magis formidare quam divinam, dilectione temporalis suavitatis provocare in se iram absque fine punientis. Sedem quoque episcopalem cui sedes, quam reperisti amplis honoribus auctam, per longa terrarum spatia dilatatam, non esse fas tuo arbitrio vel exhonorari vel artari, te nolle subire supplicium causa perditionis rerum ecclesiasticarum. Absit a me ut, nisi desipiam, hujusmodi tibi persuadeam; magis si ullo modo sciam, in haec ipsa te ducere velim. Procedat Apostolus; loquatur pro me ille vas dilectionis, doctor gentium. Ecce doctor noster. Non enim ex Judaeis sed ex gentibus nos. Quid ait Apostolus? *Omnis anima*, inquit, *potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt*. Ecce quid hortor, ecce in quæ duco, immo non ego, sed Apostolus, immo non ille, sed per illum Deus; ut Dei ordinatio-

* Vviligiso

* Heriberto

* Burchardo.

* resistas

nationi non * resistitis, nec ipse tibi dominationem assumas. Fortassis hoc est dominationem tibi assumere, ea quae a sublimioribus junguntur supersedere. Sed quia dum tecum eras, nimis acutum te & clare videntem noveram, opinor hoc quod in canonibus legitur, honesta praecipienti obediendum esse, vivae adhuc memoriae recondéris, & hoc mihi superinducas, ideo te praecipienti nolle adquiescere quia inhonestum videatur Ecclesiam tuam dioecesi sua privare. Sanctis patribus praedecessoribus vestris, ut audivimus, non inhonestum, sed valde honestum & utile visum est in locis sibi commissis, postquam in tantum crevit Ecclesia ut ipsi eam circuire & observare non valerent, alios sibi substituere sacerdotes & ex uno episcopatu duos aut tres facere, ut quod unus minus posset, a duobus aut tribus cumulatius suppleretur. Sed jam errorum plena sunt omnia. Illi totam operam suam pro animabus lucrandis insumebant; nos quomodo corpora foveamus praecipue satagimus. Illi pro caelo, nos pro terra disceptamus. Non esset tamen necesse. Terra nobis satis erit. De caelo videamus si velimus. In his omnibus temporale lucrum, quod homines magis tuentur, & in quo famae tuae detrahi formidas, non imminuetur tibi. Multo enim potiora, ut audio, atque utiliora jam reddidit, atque etiam redderet, & adhuc forsitan reddet, si tantum in audientiam venies, & secundum quod tui consortes tibi consulent ages. Liceat mihi pace tua hoc quod super eadem re mecum ipse sermocinatus es tibi in aurem susurrare. Nonne recordaris quod in

* Bamberg

priore anno ad eundem locum B. * nobis equitantibus, me advocato ad te, hujuscemodi sermonem, quasi praescires, habere coepilli. Si Rex ibi facere vellet episcopatum, facile illum Ecclesiae tuae quod tibi utilius esset posse tribuere, te parvum inde fructum habere, totam illam terram pene silvam esse, Sclavos ibi habitare, te in illa longinqua vel nunquam vel raro venisse. Nonne haec in hunc modum dicta esse recolis? Cur modo difficile videtur quod tunc facile visum est? Ecce jam, ut confido, cognoscere potes me tibi injusta non suggerere nec hortari ut plus Regem timeas quam Deum, sed ut illum propter hunc & diligas & formides, honestaque non praecipienti sed suppl canti ac retribuere volenti concedas; leviusque tibi erit partito in alium onere, facilius quoque de paucioribus animabus procurandis rationem Deo reddere poteris. Quod si adhuc cedere non vis, & quia legitur Deum regnare facere hypocritam propter perversitatem populi, resistendum putas, nisi aliquo argumento subruatur, dicam inde quod sentio. Apostolus, organum Christi inflatum a spiritu sancto, fallere nequaquam potest. Quicquid sonat, verum est, sed intelligentiam quaerit. Quotiens exigente malitia nostra a potestate nequam premimur, quicquid nobis ab ea praecipitur quod a fide non abhorreat & religioni catholicæ non advesletur, videtur mihi esse faciendum. Dura, difficilia, molesta grassentur in nobis, parendum est. Quae enim sunt, a Deo ordinata sunt. Ibi culpanda est pravitas nostra, non ferientis justitia. Non enim nisi perversitate nostra, regnaret hypocrita. Si quando vero hujusmodi aliquid a potestate illa nobis injungatur quod vel religionem volueret vel ad peccatum vergat, libere resistendum censeo; quamvis hoc non proprie, sed abusive, dicatur resistere, errata declinare, & recto itineris gressu justitiae cursum peragere. Errata enim non recto ductu occurrunt, sed ex transverso & devio venientia, a recto tramite depellere volunt. Quippe errata non essent nisi a recto calle deviarent. Unde & in operibus justitiae praecipimur neque ad dexteram neque ad sinistram declinare. Hoc ita descripto, in his quae a Rege postulantur nihil invenies, ut ego cognoscam, quod religionem laedat vel ad delictum inducat, verum omnia divini cultus pietatem tueantur. Hoc & ipse in synodo miserabili, attamen luculenta oratione perstrinxit, quia si se Deus privaret fructu ventris sui & humana prole exheredaret, se Deum, si dignaretur, libenter sibi heredem facturum; & ad hoc nimis humiliter omnium praesentium suffragia poscit. Si interfueris, ut propitium te sentio, procul dubio misereris. Igitur mitescat, oro te, animus tuus; laxa sinum pietatis tuae, parce tibi, miserere tuorum. Quod hypocritae Regi facere debueras, fac huic religionem astruenti. Honesta postulat, eadem satis & super retribuere parat. Si quid Ecclesiae tuae corporalis spatii subtrahitur, hoc idem spirituali aedificatione suppletur; multoque honoratior erit foecunda in filia quam omnino absque liberis sterilis remaneret & infoecunda. Aufer rubiginem a corde, hilarem te ad haec omnia deinceps ostende. Non veniet sero quem Deus adjuvare vult. Unde modo tristaris, decursa ista tentatione Deo propitio multum inde laetaberis. Tentatio est vita humana super terram. Non est homo qui non bibat de calice isto. Convertat Deus luctum tuum in gaudium. Nimis angustior quod tam dudum est quod te nec audieram nec videram. Ideo vellem aliquid audire tuorum, sive per litteras, sive per vivam vocem. Sed sit arbitratu tuo. Satis operosus es, non audeo magis te defatigare.

---

# CHARTA LANDULPHI

### *Episcopi Ecclesiae Taurinensis.*

DUm in Dei Christi nomine Landulphus Taurinensis Ecclesiae venerabilis Episcopus in sede sui episcopatus resideret, & de statu suae Ecclesiae, — Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 445.

quo pacto, quibus modis, de tot periculis seu invasionibus sancti Johannis Ecclesia liberari posset, cogitare coepit. — Circa an. 1030.

Hac itaque sancta atque anxia trepidatione sollicitus, Ingeriaco oppido caput Johannis praecursoris Domini repertum audiens, dignum & maximum esse duxit, si contra persecutorum molimina ejus quaereret oracula cujus nominis honore sancta viget Ecclesia. Denique suorum clericorum seu laicorum fidelium consilio, Dei sanctique Johannis fultus praesidio, eo pervenit ubi tanti patris caput conditum esse audivit. Dum ibi diutissime de tranquillo suae dioecesis quaereret, largique lacrymarum fletus ad Dominum funderentur, partem capitis dignissimi praecursoris Domini apud Willelmum Comitem & Islonem Santonensem Episcopum necnon & Abbatem * Rainaldum, qui tunc temporis loci illius praeerat, vigili petitione praefatus Pontifex impetravit: quam alacri corde suscipiens in omnibus consultus Pontifex, tanto senatori debere aliquid intellexit. — * Arnoldum.

Concessit igitur prout potuit de suo eidem monasterio Ecclesiam sancti Secundi in territorio urbis Taurini, cum omnibus pertinentiis & appendiciis suis; eo tamen ordine ut omni tempore die noctuque Missae matutinae omnesque horae pro statu loci, secundum quod potuerint, ibi solvantur pro anima praetaxati Episcopi Landulphi ejusque parentum, pro animabus etiam omnium fidelium tam vivorum quam defunctorum. — Vide Catalogum Sanctorum Italiae pag. 542.

Sit tamen licitum ipsi Abbati de praedictis rebus Ecclesiae sancti Secundi in aedificandis tectis & ad construenda quaeque aedificia, seu etiam & ad concinnanda luminaria, & in quocumque loco ipsi Ecclesiae utile esse videtur quicquid voluerit facere sine omni sua contradictione sive successorum suorum; ea tamen ratione ut omni tempore sit in potestate Taurinensis Episcopi qui tunc eo tempore fuerit emendandi & corrigendi quicquid inhonestum & inordinatum visum fuerit. Si quis igitur Marchio sive Comes, magna parvaque persona contra hoc nostrum decretum ire tentaverit, aut aliquam contradictionem facere praesumpserit, sit anathematis nigra voragine mersus. Et ne quis fidelis auditor hujus decreti dubitet hoc nostrae jussionis esse paratum, manu propria subscribere curavimus. Landulphus indi-

indigne vocatus Episcopus huic decreto a se facto subscripsit. Ego Adam Notarius hoc decretum scripsi & subscripsi.

---

## CHARTA COMITIS GAUFREDI

*De donatione Montis Hildulfi.*

Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 219. QUod auditum saepe est, doctor ille gentium in fide & veritate, bonum, inquit, facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes. Ego quidem Gaufredus comitatus Ande- A. C. 1055. cavensis nararalis heres, sed praeter eum per urbes plures & castra hujusmodi potestatis sub Dei ordinatione minister, putavi mihi obtemperandum tam salutifero monitori, obediendum praeceptori tam utili. Et quia brevi hoc tempore indeficienter seminantem opera bona bonae mercedis indefectiva messio per saecula aeternitatis expectat, licet bona operari multa non valeo, pauca tamen, si approbet Deus, quae mihi eo miserante coepta sunt turpi deserere defectione non debeo. Insederat itaque meo cordi jam inde ab adolescentia si quos agnoveram religiositatis sacrae pura devotione cultores, sedulitate mira colere, tueri fortiter, liberaliter juvare. Interea suggeritur mihi ab hujusmodi quibusdam quos vel maxime verebar offendere, monachos dico Majoris monasterii sancti Martini, retinere me vel ea meo beneficio milites meos, ac si quibus aliis ipse donaveram, sui juris terram quandam in pago Vindocinensi de latere meridiano Guastinensis silvae sitam, amplitudinis non parvae. Cujus quidem longitudo orientem versus ab occidente porrecta initium sumit in valle quadam sibi contigua, quae & ipsa a meridie tendens ad aquilonem, in sui fine fontem habet quem solent vocitare ventalem, alterum habens non longe a sinmet principio qui nuncupatur & ipse fons de fago. Non hic tamen est ille qui ab eodem longius ad orientem disparatur, simile habens vocabulum, & Glandesse fluviolo donare videtur initium. Ab oriente vero terrae illius longitudo fluvio finitur qui Bredona vocatur. Porro latitudo illius tanta habetur quanta est inter fluviolos Glandessam & Gubernessam nuncupatos interque rivulos qui per hiemales pluvias ab ipsis fluviolis ad usque fontes superius nominatos, ex media sui parte versus fluviolos, ex media profluunt versus fontes illos. Unde & ille qui a parte consistit aquilonali, ea ea medietate qua Gubernessam fluviolum profluens petit Gubernaculi nomen accepit. Verum quod terram hanc monachos illos obtinere ego videram nunquam, aliquandiu fateor suggestionem dicentium sibi eam debere restitui dissimulanter audivi. Tum illi sui in eam juris antiquitatem relationibus non improbrandis exponere, violentias anteriorum castri Vindocinensis Comitum conquerendo memorare, suaeque repetitionis justitiam probabili satis ratione monstrare, agere hoc & in mea curia placiti publici constituto judicio, & in Concilio generali, cui praesidebat Hildebrannus Vicarius Papae Romani, clamore super his facto. Tandem sanioris ego sententiae assumpto consilio, incautum putavi ob unius nunc offensionis ingratitudinem praeteritae mihi circa Dei famulos devotionis apud Deum vacuare mercedem. Ergo qui reformandum illis jus, ut asserebant, antiquum justitia, quantam mihi videbatur, non poteram cogi, vel ad formandum dehinc futurum ita me ipse benivolentia coegi ut etiamsi juris illorum praedicta terra nunquam antea fuerit, ex hoc & in perpetuum me donante jam sit. Pateat igitur universorum notitiae mortalium donasse me sancto Martino, cujus excellentia nominis nulla eget adjectione cognominis, atque in suo Majori monasterio Deo sibique famulantibus monachis integritate tota saepedictam terram a vicaria, bannaria, atque ab hujusmodi consuetudinibus universis, uti habetur antiquitus, omnimodis liberrimam, una cum duabus Ecclesiis earumque omnibus omnino redditibus, quae ibidem ab antiquis sunt constructae temporibus, licet harum unam noviter nunc extra eandem removerint terram monachi Vindocinenses, quibus illam cum quadam terrae ipsius parta donaveram. Universa ergo haec Martino nunc beatissimo suisque famulis tota, ut dictum est, integritate concessi, ea ratione duntaxat ut partem ea his quam Vindocinensibus monachis, ut praetaxatum est, antea dederam, habeant ea hoc illi de praedictis, Majoris videlicet monasterii monachis, censum inde xx. solidorum octavis Pentecostes eisdem reddituri quotannis. Eam vero partem quae a plurimis hominibus non ea meo specialiter sed ea meorum obtinetur beneficio militum, auctoramento freti meo, totoque fideli praeter dandas obtinentibus commutationes auxilio, suis preciis redimant illi. At eam quam Gaufredus Ermenrici filius primo de Archembaldo Vindocinensi Praeposito habuerat, meque eam commutatione possessionis alterius ab eodem Archembaldo redimente de me solo nunc habebat, data huic nihilominus alia possessione ac pretio competenti, saepe nominato sancto suisque absque ulla mora retragatione contradidi, cum eo etiam consuetudinis cujusdam privilegio quod in ea praecedentes obtinuerant possessores, hoc est, ut de porcis rusticorum eandem incolentium dimidium habeant pasnaticii in silva Guastinensi, de suis vero propriis quos in eadem terra habuerint nullum in illa silva caiquam pasnaticum reddant. Est autem & alia non hujus tantum partis sed terrae totius descriptae superius antiqua consuetudo, quam simili modo ego quoque concessi, id est, ut eam inhabitantes omnes, tam dominantes videlicet quam subditi, ad universos proprios usus, aedificationis scilicet constructionis sive cujuscunque vel foci, ex saepedicta silva sumere non vetentur. Archembaldo igitur, ut supra taxavi, pro commutatione partis illius honorem dedi vel quaeque possederat quidam castri quondam Lucacensis honoratus nomine Achardus, atque filiam ipsius in conjugem. At vero Gaufredo Ermenrici scilicet filio solidos Pictavensis monetae quingentos duasque mansuras silvae Guastinensis. Eosdem denique viros, Archembaldum scilicet atque Gaufredum, in eorundem monachorum feci venire capitulum, & quicquid unquam juris in illa terra visi sunt habuisse usque in aeternum a se suave progenie non repetendum spontanea voluntate guerpire; quorum guerpitionis singulorum inferius annotabuntur testes. Veni postea illuc & ego una cum Archiepiscopo Turonensi Bartholomaeo nomine, Eusebio Andecavensi Pontifice, cumque Abbate sancti Albini Theoderico & sancti Sergii Vulgrino, clericorum quoque praeter hos ac laicorum frequentia grandi, donumque totius terrae illius cum reliquis quae memoravi, quod alibi, apud castrum scilicet Salmurense, jam feceram, cernentibus qui aderant omnibus in eodem capitulo monachis feci, atque ipsi sancto Martino, dum super altare illius Ecclesiae posui, faventibus atque auctorizantibus nepotibus meis ita nuncupatis, Fulcone Vindocinensium Comite naturali, Gaufredo, & altero Fulcone. Atque ut firmius res roboraretur, auctoramento domini mei Francorum Regis Henrico quod feceram firmari sategi. Non tamen est omittendum quod iidem monachi ob causam de qua hue usque dictum est solidos mihi tria millia dederunt. Quod ego prospiciens rei firmitati prnfuturum, dum non solum mea donatione jus novum adquirere sed etiam sua redemptione recuperare viderentur antiquum, pretium illud acceptandum mihi esse putavi, quod multis quoque modis possum eis recompensare, si velim. Orationum autem suffragia ab eis petivi ipse & impetravi. Inter quae etiam illud obtinui, ut anniversaria mei post obitum memoria ita in perpetuum agatur tam ab ipsis tunc praesentialiter viventibus, si ita contigerit, quam ab omnibus futuris successoribus suis, ut sibi agere mos est defuncti alicujus illius loci Abbatis. Ut ve-

ro nostrae praebitionis assertio intemeratum obtineat mundo perseverante vigorem, chartam istam primus ego, dehinc suprataxatus nepos meus Comes Vindocinensis Fulco, cui post me specialius competebat, sacratissimae crucis in eadem effigiato vexillo, quo adversus omnem possit esse tuta calumniam, munivimus, atque sua testificatione muniendam stipulatoribus tradidimus subter ascriptis. Adversus haec quisquis infaustus ille hujus unquam nostrae liberalitatis calumniator emerserit, frustrata sua & in irritum penitus deducta calumnia, tanti insuper sceleris apud sui temporis judices reus nefarius audax ad corporis proprii pondus auri speciem potissimi atque perpurgati decuplum exolvere cogatur argenti † Signum Gaufredi Comitis. † Signum Fulconis Comitis. † Signum Henrici Regis. S. Bartholomaei Archiepiscopi. S. Eusebii Episcopi Andecavensis. S. Teodorici Abbatis. S. Wigerni Abbatis. S. Gaufredi Decani sancti Martini. S. Rotberti Cantoris sancti Martini. S. Gaufredi Decani sancti Mauricii. S. Rainaldi nepotis ejus. S. Landrici Archidiaconi Andecavensis. S. Gaufredi Rotundini. S. Lisoii de Ambazlo. S. Alberici fratris ejus. S. Rainaldi de Haia. S. Johannis de Cainone S. Bernardi de sancto Aniano. S. Hugonis de Condatello. S. Gaufredi filii Otonis. S. Archembaldi Borrelli. S. Gaufredi de Insula. S. Gaufredi Cattonis. S. Haimonis de Intramis. S. Gaufredi Papabovem. S. Fulcradi de Salmontiaco. S. Gauscelini rotundatoris. S. Otgerii fratris Mauricii Comitis. S. Rotberti de Campania. S. Guillelmi fratris Ascionis vicarii. De familia sancti Martini. S. Ebrulfi Cellararii. S. Durandi forestarii. S. Rotberti sartoris. S. Arnulfi sartoris. S. Hilduini sartoris. S. Ingelrici sartoris. S. Johannis conversi. S. Frodonis medici. S. Galterii pistoris. S. Rainaldi pistoris. S. Durandi Riselli. S. Frogerii mariscalci. S. Rainaldi coqui. S. Tetbaldi piscionarii. S. Michaelis Huselli. Testes de guerpitione Gaufredi filii Ermenrici. Mathaeus de Monte aureo. Drogo frater ejus. Hildebertus coquus. Obertus & Letbaldus majores. Johannes de Parciaco. Giraldus sutor. Rainaldus filius Rainerii. Galterius filius Amalgisi. Herbertus villanus. De guerpitione Archembaldi Praepositi Vindocinensis. Landricus homo ejus. Mathaeus de Monte aureo. Durandus Risellus. Rainaldus coquus. Rotbertus & Hilduinus sartores. Galterius Esgnarez. Ebrulfus Cellararius. Frodo medicus. Johannes conversus.

Haec omnia, ut firmius roborarentur, suo postea auctoramento Francorum Rex Henricus, ut praemissum est, firmavit, eo videlicet anno quo filium suum fecit Regem ordinari Philippum, paucis ante illam ordinationem diebus, tunc scilicet quando obsidebat castrum Teodemerense nuncupatum in pago Carnoteno noviter a quodam Guazone constructum, cartamque illam proprio, ut cernitur, sigillo munivit, testibus, si & hinc adhibendi sunt, istis quorum haec sunt nomina. Tetbaldus Comes. Rodulfus Comes. Ivo de Curbavilla. Girogius filius ejus. Gauzlinus de Leugis. Hugo Vicedominus. Fulcherius Archidiaconus sanctae Mariae. Ivo frater Odonis Camerarii. Gauscelinus de Fraenivilla. Rotbertus de Villa in oculo. Niellus Vicecomes. Guiscelinus capellanus Regis. Drogo clericus ejus. Domnus Abbas Albertus. Galterius monachus. Galo monachus Tanginus monachus. Herveus monachus quondam Vicecomes. De familia sancti Martini. Herveus major Fontis cari. Anlegisus major. Herveus sartor. Rotbertus sartor. Galterius mariscalcus. Andreas de Ponte.

# VARIA CLUNIACENSIA.

*Bernardus Episcopus Caturcensis Ecclesiam sancti Saturnini in villa Carennaco.*

Ex t. VI. Misc. pag. 163.

Circa An. 1060.

TOtius humanae salutis auctor & de peccatis suis digne poenitentibus clementissimus veniae largitor contra inevitabilia humanorum excessuum vulnera opponere dignatus est salubria praeceptorum suorum medicamina; de quibus est illud: *Date eleemosinam, & omnia munda sunt vobis.* & item: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosina extinguit peccatum.* &: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in aeterna tabernacula.* Quod ego in Dei nomine Bernardus Episcopus Caturcensis & frater meus Rotbertus cum uxore sua Matfreda & filio suo Petro & filia animo perpendentes, ultimique judicii diem pertimescentes, pro remedio animarum nostrarum seu omnium parentum nostrorum atque omnium fidelium Christianorum vivorum vel defunctorum donamus Deo & sancto Petro ad locum Cluniacum, cui praeest domnus Odilo Abba, quandam nostrae juris Ecclesiam in pago Caturcensi in villa Carennaco sitam & in veneratione sancti Saturnini ab antiquis consecratam cum omnibus appendiciis suis, terris cultis & incoltis, campis, vineis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, totum ad integrum sicut ad jamdictam Ecclesiam pertinere videtur, excepta sua illa parte de paxeria quae ibi est, quam sibi retinuit frater meus Rotbertus. Et ne quis praesentium sive futurorum calumniens dicat quod non possumus firmam & solidam donationem de hac Ecclesia facere, eo quod sit de jure & hereditate sancti Stephani & Ecclesiae Caturcensi, cui per Dei gratiam praeesse videmur, noverint cuncti tam praesentes quam futuri quod pro ea damus in loco commutationis aliam Ecclesiam de nostra propria hereditate in eodem pago in villa Grammato sitam tali tenore ut frater meus jamdictus Rotbertus pro decessoribus nostris in beneficio teneat, sicut jamdictam Ecclesiam faciebat. Fecimus autem hanc commutationem in Capitulo sancti Stephani feria VII. in Synodo in praesentia Canonicorum, Abbatum scilicet, Archipresbyterorum, & ceterorum clericorum, atque laicorum nobilium. Et ut haec donatio nostra firma permaneat, manibus nostris propriis firmamus, & testibus praesentibus firmare rogamus. S. Bernardi Episcopi & fratris sui Rotberti cum uxore sua & filio Petro & filia. S. Stephani & Alberti Abbatum. S. Arberti Archidiaconi. S. Gausberti vice Archidiaconi. S. Geraldi sacri custodis. S. Willelmi Archidiaconi, S. Grimardi. S. Andreae. S. Constantii.

---

*Rotbertus & nonnulli beneficia aliqua eidem Carennacensi Ecclesiae largiti sunt.*

Dono etiam ego Rotbertus specialiter ex mea parte unum boscum quod vocatur Garrigosum. Dono etiam licentiam omnibus qui beneficium ex me tenent ut si eleemosinam facere voluerint ad supranominatum locum pro anima sua faciant. Dono etiam licentiam ut scavam suam ducant per aquas meas. Dono etiam consuetudinem per omnes boscos meos ut tantum apprehendant quantum eis necesse fuerit ad calefaciendum. Praeterea noverint cuncti fideles quod Eustorgia filia Hugonis fecit donationem sancto Petro de illa sua parte quam rationabatur in supradicta Ecclesia pro remedio animae suae, laudante & donante seniore suo Petro. Geraldus quoque de Bedorico accepit ab Episcopo pretium quingentorum solidorum pro medietate Ecclesiae quam tenebat in beneficio & dedit sancto Petro. Sed & Rotgerius de Celsiaco accepit ab Episcopo pretium ducenturum solidorum pro sua parte de hac Ecclesia & de-

& dedit sancto Petro. Actum Cluniaci publice regnante Heynrico Rege. Stephanus Levita scripsit.

---

*Carta domni Geraldi Caturcensis Episcopi de quibus Ecclesiis.*

Ego igitur Geraldus Dei gratia Caturcensis Episcopus dono Deo & sancto Petro de Cluniaco & ad locum qui dicitur Carennacus Ecclesias quas adquisierunt in diebus meis in episcopatu meo, Ecclesiam videlicet de sancta Speria, Capellam de sancto Sereno, Ecclesiam de Riniaco, Ecclesiam de Colnaco. S. Maiengodi Prioris. S. Geraldi monachi. S. Arnaldi Diaconi. Domnus Geraldus Episcopus signavit.

---

*Pontius Comes & uxor consilio Bernardi Episcopi & Gauzberti Abbatis abbatiam Moysiacensem.*

Cir. An. 1060. QUamvis apostolica pronuntient verba quod non sit nisi a Deo potestas aliqua, tamen de reprobis sermo divinus per Prophetam indicat dicens: *Ipsi regnaverunt, sed non ex me. Principes extiterunt, & non cognovi.* Idcirco Poncius Tolosanae urbis Comes, ne in numero male regnantium a justo arbitro Deo districte, quasi non ab eo agnitus, dijudicer, communi ac salubri consilio uxoris meae Adalmodis Comitissae ac Principum mihi subditorum, venerabilis scilicet Bernardi Katurcensis Episcopi, necnon Gauzberti Abbatis nominati, Willelmi quoque ac Fulconis fratris ejus consultu, decrevi ut abbatia sancti Petri Moysiacensis coenobii, quam ego hactenus & parentes mei seu praedecessores mei Comites Tolosani de manibus Regum Francorum visi fuimus in facti jure habere & possidere, deinceps in Dei servitio rectius diligentiusque custodiatur. Quapropter volo ut eunctis meis successoribus patescat quod ego praenominatam abbatiam sancti Petri Moysiacensis coenobii omnipotenti Deo & sanctis Apostolis Petro & Paulo dimitto, necnon & seniori Karissimo domno Hugoni Abbati Cluniensi, sive eunctis successoribus suis in loco Cluniacensi futuris, secundum regulam sancti Benedicti ordinandam in perpetuum trado coram testibus. Si quis autem parentum vel successorum meorum aut quicunque hominum post finem meum sive post discessum Gauzberti Principis illius qui secundus a me in abbatia illa nunc esse videtur & Abbas vocatur hanc meam cessionem disrumpere quocunque modo adtemptaverit, quod fieri omni modo sub obtestatione judicii Dei prohibeo, omnipotentis Dei virtute examinandum & Papae Romano necnon Francorum Regi, ad quorum tuitionem locus praefatus Moysiacus pertinet, distringendum relinquo. Ego vero hanc inscriptionem cessionis in manu jamdicti Abbatis domni Hugonis, adstante omni conventu ejusdem monasterii, cui praeest mea electione, & praenominati Bernardi Caturcensis Episcopi, ad cujus diocesim attinet locus ille, consecratione Durannus Abbas & monachus Cluniacensis in die sollemnitatis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli manu, ore, corde confirmo atque corroboro. Bernardus Episcopus Catureensis firmavit. Adalmodis Comitissa firmavit. Gauzbertus Abba firmavit. Willelmus cognomento Miscens malum firmavit. Fulco frater ejus firmavit. Datum sub die III. Kal. Junii, III. feria, regnante Philippo Rege Francorum.

# GAUZBERTUS

*Abbas ipsam Abbatiam Moysiacensem & ab omni posteritate sua liberam proclamat.*

SAtis omnibus, ut opinor, notum est qualiter ego Gaubertus Abba nominatus olim a Vilelmo Cap. 102. Comite Tolosano emptione magni pretii, xxx. scilicet milia solidorum, abbatiam Moysiacensis coenobii comparaverim. Nunc vero & deinceps omnes posteros meos ad quoscunque quorum in manibus haec guerpitionis meae adnotatio advenerit scire volo quod ego postea seniori meo Pontio & filio ejus Vvilelmo totam praedictam dederim abbatiam post finem meum hac de causa, pro amore videlicet Dei & pro salute animae meae, seu pro stabilitate ac restauratione ejusdem abbatiae, ut non post deinceps post dicessum meum ipse meus senior Pontius neque filius ejus Vvilelmus nec ullus successorum meorum Comitum licentiam habeat aut vendere aut commodare praefatam abbatiam sancti Petri Moysiacensis coenobii cuiquam clericorum vel laicorum nec etiam ulli meorum parentum ita ad possidendum ut hacteuus ego & praedecessores mei male & seculariter visi sumus possidere, sed perpetuo Vvilelmus filius Pontii & filii ejus post eum & omnis posteritas genealogiae ejus tenendo possideant & juste ac viriliter regant & Abbati regulari a fratribus ejusdem congregationis voluntate & consensu Abbatis & totius congregationis Cluniacensis monasterii regulariter electo regendam tradant. Sed & si de Vvilelmo Pontii filio legales non apparuerint filii, fratribus suis Raimundo & Ugoni filiis Pontii similiter per conventionem supiascriptam ipsis & filiis eorum qui legales ex eis prodierint habitutam trado. Quod & si casu evenerit ut omnium istorum Comitum Palatinorum abolendo progenies evanescat, illi tamen qui forte post eos arcem ac regimen Tolosani comitatus acceperit, & qui secundum Deum & secundum seculi dignitatem praedictam abbatiam possidere voluerit, similiter habendam cedo, salva in omnibus fide Abbatum futurorum Cluniensium. Hoc autem ut omnibus tam praesentibus scilicet ac futuris pateat, volo quod praedicti mei seniores ac Palatini Comites Pontius & ejus filius Vvilelmus ante hanc meae donationis guerpitionem mihi dextras & propriorum insuper corporum fidem dederunt nunquam se daturos cuiquam hominum viventium sancti Petri Moysiacensis monasterii abbatiam nisi Abbati regulari regulariter, ut dictum est, a fratribus ejusdem coenobii jussu & voluntate Abbatis & congregationis electo. Et ut haec meae dimissionis annotatio semper firma stabilisque permaneat, in manibus praedictorum meorum seniorum Comitum Pontii & filii ejus Vvilelmi coram nobilibus propriis meis manibus subnixa stipulatione firmavi. Hujus autem rei testium vocabula subter habentur inserta. Ego Gauzbertus Abba nominatus tem dictam reddidi stabilitate firma. Gauzbertus de Lauragensi castro firmavit. Bernardus Petri de eodem castro firmavit. Bernardus Rainonis de Vvandalorum castro firmavit. Raimundus Emelii fir- 1063. mavit. Facta donatio haec in manu Vvilelmi Comitis Tolosani anno ab incarnatione Domini millesimo LXIII. regnante Rege Philippo. Data V. Idus Junii.

---

*Notitia de monasterio sancti Montis.*

GEraldus Dei gratia Ostiensis Episcopus Cardi- An. 1073. nalis & apostolicae sedis Legatus omnibus catholicae Ecclesiae filiis perpetuam in Domino salutem. Cum ex praecepto Domini Papae Alexandri II. per Gasconiam iter agentes, in Hispanias tenderemus, in monasterio sancti Montis hospitati fuimus. Est autem sanctus Mons monasterium perti-

nens ad Cluniacense coenobium, constructum a venerabili Bernardo Comite & religiosa conjuge ejus Ermengarda & filio ejus Gerardo & altero ejus filio Arnaldo, qui paternae jure hereditati successeunt. Praefati namque Comes & Comitissa caelestis vitae dulcedinem adamantes, transitorias contempserunt divitias, & in monasterio Cluniacensi, cui reverendissimus Hugo Abbas tunc praeerat, sanctae religionis habitum susceperunt, aedificantes praedictum sancti Montis monasterium in honorem sancti Johannis Baptistae, pro redemptione peccatorum suorum vel remedio animarum parentum suorum, tam qui de saeculo praesenti decesserant, quam & eorum qui adhuc successuri erant. Primum igitur praenominatus locus, utpote Cluniaco legitime donatus & traditus, beati Petri novella possessio erat, & nos, licet indigni, ejusdem principis Apostolorum legatione fungebamur. Rogati sumus ab ejusdem loci Priore Adhemaro & reliquis fratribus ut beati Petri tutelam & defensionem omnibus monasterii possessionibus imponeremus. Quorum precibus acquiescentes, omnia ad idem monasterium loca pertinentia, Ecclesias, praedia, villas, cum omnibus juste acquisitis vel acquirendis, auctoritate apostolica beati Petri tuitione munire statuimus, ut nulla deinceps persona vel ecclesiastica vel saecularis rebus praelibati loci violentiam aut torturam inferre praesumat aut iniquas consuetudines imponere audeat. Praeterea salvamentum quod infra limites constitutos ad securitatem eorum & immunitatem qui inhabitant vel ad id confugerint, sub banno beati Petri firmamus & corroboramus, ut quicunque temere & audacter terminos illos, id est cruces infringere aut violare praesumpserit aut invadere, beati Petri banni reum & auctoritate apostolica, nisi resipuerit, excommunicatum se cognoscat: insuper si quid danni intulit, infra quindecim dies plene restituat & componat, tum etiam satisfactiones & leges quas ecclesiasticae praecipiunt sanctiones, idest nongentos solidos persolvat. Quicunque vero in praedicti monasterii cimiterio sepeliri se fecerint, & de peccatis suis puram confessionem Deo obtulerint, veramque poenitentiam susceperint & egerint, eos apostolica auctoritate absolvimus & fraternarum orationum atque eleemosynarum participes esse laudamus. Hanc autem cartam, ut firmior habeatur, subtus propria manu nostra in hoc libro seu in carta signavimus; conservatoribus ejus praemia sempiterna, contemptoribus autem & infractoribus supplicia sempiterna & damnatarum animarum tormenta.

Ego Geraldus Ostiensis Episcopus & sedis apostolicae Legatus relegi & subscripsi anno incarnationis dominicae MLXXIII. Indictione XI.

---

*Bernardus & uxor monasterium sancti Joannis Baptistae ad sanctum Montem vocatum.*

NOtum sit omnibus hominibus quod ego Bernardus Comes & uxor mea Ermengardis & filii nostri Arnaldus atque Geraldus donamus Domino Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo ad locum Cluniacum, cui domnus Abba Hugo magis prodesse quam praeesse videtur, quoddam monasterium juris nostri ad sanctum Johannem Baptistam in sancto monte vocatum cum omnibus ibi pertinentibus nunc & quaecunque ibi in perpetuum pertinebunt, ut faciant rectores ejusdem loci quicquid facere voluerint amodo & usque in seculum seculi sine ulla contradictione. Si quis vero, quod absit, hanc nostram donationem contradicere vel irritam facere voluerit, quod infringere cupit non vindicet, sed sit super eum ira Dei omnipotentis & beati Johannis Baptistae & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli; veniantque super eum omnes maledictiones veteris & novi testamenti, nisi resipuerit & ad emendationem venerit. Ut autem haec carta firma atque stabilis permaneat, manu propria firmavi, testibusque firmandam tradidi. Signum domni Bernardi Comitis, qui hanc donationem fecit. S. filiorum ejus Arnaldi atque Geraldi. S. Ermengardis Comitissae.

---

*Testamentum domni Adefonsi Regis Hispaniarum ad Cluniacum.*

IN nomine Dei omnipotentis patris & filii & spiritus sancti. Adefonsus divina favente clementia Hispaniarum Rex. Convenit majestati regiae praedecessorum Regum virtutes & bene acta imitari, per quod & apud Deum & apud homines inveniat gratiam, & in posteros amabilem nominis sui transmittat memoriam. Subiit itaque mihi Regi Adefonso in mentem quid egregium inter cetera egerat pater meus Rex Fredeiandus pia recordatione semper commemorandus. Comperta namque coenobii Cluniacensis tam celebri, tam probata, tam sancta religione, divino mox timore compunctus & amore societatem fratrum Deo & sancto Petro ibidem militantium humiliter expetiit, devotius accepit, fidelissime quoad vixit retinuit, non inaniter credens se participem fore in eorum spiritalibus, si de sua temporali abundantia indigentiae servorum Dei fuisset munificus. Unde censum annualem, mille videlicet aureos, quos vulgo mancales appellant, conventui Cluniacensi ad vestiarium proprie dedit; quem censum eodem modo per successores suos praefato loco annuatim reddendum instituit & firmavit. Quia vero placuit omnipotentiae creatoris in regno Hesperidum roborare solium meum, ego Dei gratia Rex Adefonsus, sicut heres paternae dignitatis, ita quoque bonae successor voluntatis, pactum fraternae societatis cum meis Cluniacensibus inii, statui, firmavi, censum quoque largitatis paternae duplicavi, duo milia mancales in censu annuali Cluniaco persolvens. Communicato etiam cum uxore mea Regina consilio, & primum Toletano Archiepiscopo & ceteris Episcopis meis & primoribus regni mei fidelibus meis volentibus, consentientibus, laudantibus, astipulantibus, constituo de praefato censu duplicato Cluniacensibus meis fratribus karissimis regiae auctoritatis praeceptum, a me ipso quoad vixero firmissime tenendum, omnibusque succedentibus per secula ventura in regno Hispaniae Regibus perpetua lege servandum. Hanc autem constitutionem facio pro animae meae remedio, pro animabus patris mei & matris ac fratrum meorum, pro uxore ac liberis meis, ut & vivis prosit ad promerendam aeternalem vitam & defunctis proficiat ad possidendam requiem sempiternam. Si quis vero successorum meorum Regum praecepti hujus, quod absit, temerator existens aut violator censum Cluniacensibus constitutum sive ex toto abnegare sive minuere temptaverit, sicut ego fido in Domino Deo, a regno Dei se noverit alienum & judicio divino exheredandum, nisi velociter resipiscat & abnegatas vel diminutas census condigna satisfactione restituat pensiones. Ut autem inviolabile teneatur hoc meum praeceptum, hanc Kartam fieri conscriptionis jussi, quam regia manu & auctoritate subtus firmavi & corroboravi, atque firmandam aeque Principibus ac fidelibus meis consequenter mandavi. Impetravi etiam a Cluniacensi Abbate patre meo domno Hugone tunc temporis mecum in civitate Burgis commanente ut omnibus superventuris Abbatibus suis successoribus constituat praeceptum de commemoratione vel obsequio quod pro nobis, videlicet pro patre meo, pro matre, pro fratribus meis, pro me, pro uxore mea Regina, & liberis ipse domnus Hugo Abbas apposuit & ordinavit tam pro vivis quam pro defunctis semper agendum. Acta sunt Burgis in civitate. Data apud Burgis civitatem anno ab incarnatione Domini MXC. indictione XIII. Paschae diebus. An. 1090.

## DONUM ALONIS

*Cancellarii Regis Alfonsi.*

Ex L. VI. Misc. Bal. pag. 478.

Circa an. 1060.

NOtum sit universis nostrae congregationis fratribus quod domnus Alo confrater noster & beatae memoriae Regis Hildefonsi Cancellarius pro suorum remissione peccatorum comparavit in sancto Ypolito quasdam possessiones bonas, vineam scilicet Umberti Ungri, alteramque illi contiguam quae fuit Vvalterii de sancto Ypolito, & duas contaminas quae fuerunt Humberti de Borbo, & boscum de Majo. Et dedit pro his omnibus centum uncias auri. Quapropter domnus Poncius venerabilis Abbas hujus loci cum voluntate consilio totius conventus constituit quatinus anniversaria dies obitus ipsius Alonis annuatim apud nos fideliter jure perpetuo celebretur cum officio & Missa generali. Constitutum quoque est ut ipsa die plenaria refectio toto conventui in refectorio praebeatur de pane & vino solito melioribus & de bonis piscibus, si ullo modo potuerint inveniri. Quod si forte reperiri non potuerint, in loco piscium quod melius poterit inveniri fratribus exhibeatur. Haec autem omnia diligenter provideat Decanus de sancto Ypolito, de ipsa videlicet obedientia, & de possessionibus ejusdem. Et quandiu ipse vixerit fiat praedicta refectio in die exceptionis beati Marcelli Papae Nonas Septembris. Post obitum vero ipsius transeat ad diem anniversarii.

---

*Notitia de calumnia Rothonensium monachorum super Ecclesia sancti Salvatoris de Bairiaco.*

Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 113.

An. 1062.

NOsse debetis si qui eritis posteri nostri, Majoris scilicet hujus habitatores monasterii sancti Martini, Rothonensem Abbatem Almodium nomine calumniam super Ecclesia sancti salvatoris de Bairiaco contra nos emovisse, clamoremque inde fecisse ac deposuisse querelam apud Quiriacum Namnetensem Episcopum, cujus praesulatui Ecclesiae subjacent omnes inter Cheram & Semenonem fluvios consistentes, inter quos & Bairiensis illa consistit. Itaque Domnum Abbatem nostrum id tempus Albertum hac de re praedictus Episcopus evocavit ad placitum. Cujus etiam imbecillissimae condescendens senectuti, ne grave illi esset ad placitandum Namneticae Ecclesiae urbi, Andegavensi ipse ob istud accessit, ibique v. Idus Februarii anno ab incarnatione Domini MLXII. indictione prima intra principalem ejusdem urbis Ecclesiam, praesidente eodem Episcopo cum aliquibus clericis suis, considente Otbrando Abbate sancti Albini cum suis nihilominus judicandi peritioribus, honorabilioribus quoque Andegavensis Ecclesiae clericis, Rainaldo scilicet Archidiacono, Girardo Praecentore, Johanne Piperello, sed & laicis nobilibus legumque peritis, hoc est Eudone de Blazone, Rainerio de Turre, Rotberto Andegavensi Praeposito, Haimerico praeposito de Belgico. His inquam causae cognitoribus electis atque judicibus, grandi circumstante auditorum turba, super ea causa placitatum est ita. Querelatus est Almodius Abbas de Domno Abbate nostro Alberto & nobis quod Ecclesiam illam quam antecessori suo Abbati Cavallonio ac Rothonensibus monachis a nobili quadam femina Innaguendi vocabulo filioque suo nomine brienno tunc superstite, nunc jam defuncto, asserebat primo fuisse donatam, quamvis nec litteras de hoc ipse suive monachi nec testem ullum haberent, nos iisdem donatoribus postea suscepimus. Responsum est illi hanc eis unquam fuisse donatam nos & quando suscepimus ignorasse & eam, si probari illud posset, susceptam sine mora dimittere. Monita est itaque praedicta illa Inneguendis ibidem ob hoc & ipsa tunc praesens ut aut nobis Ecclesiam illam ab illis reclamatoribus acquietaret, aut dimittendam recognosceret eis quibus, ut asserebat Almodius Abbas, primitus ipsa donasset. Respondit illa nulli se unquam suumve filium donum inde fecisse praeterquam sancto Martino suoque Majori monasterio, sed cum illic abbatiolam construere vellent, ab Abbate Cavallonio, tanquam scilicet viciniore, & cui ipsorum necessarium esset auxilium in tuendis abbatiae suae rebus quibusdam aliquem suorum petivisse monachorum, qui construendo praepositus operi necessariisque sumptibus sibimet creditis fidelius ac studiosius ministerium exequeretur injunctum; impetrasse vero quendam nomine Glaimenocum, qui cum aliquandiu inofficiose se suscepto officio ministraffet, ad monasterium proprium velut inutilis remissus est ministrator, post hunc autem eidem officio deservisse fere biennio Johannem quendam, qui quondam Abbas sancti Melanii fuerat, verum & hoc abeunte sibi susceptumque deserente negotium, se tandem saniori decrevisse consilio locum illum cellam fore saepedicti Majoris monasterii, ac sic illum donatione legitima tradidisse supra nominato Domno Abbati Alberto & reliquis monachis sancti Martini. Haec ita praedicta femina asserente, saepefatus Episcopus & reliqui placiti judices assertionem suam sacramento eam dixerunt firmare debere, ad id agendum scilicet termino, hoc est tertio Kal. Julii, die praefixo, & ea quoque interposita conditione ut si Rothonenses monachi ad illum usque diem donationis, ut dicebant, sibi factae testem aliquem reperirent, non jam simplici sacramento sed cum legali candentis ferri judicio femina eadem assertionis suae faceret fidem; illud vero judicium si quisquam toto illo temporis spatio reperiretur qui se putaret monstrare posse non rectum, ad locum quo id habitum fuerat veniret, praesentesque, ut oportebat, judices qui protulerant judicii injusti aut ratione probabili aut valenti auctoritate convincerent. Ita ab Andegava urbe discessum, & ad Namneticam die praestituto, ubi jure praesulatus res agi debebat, accessum est. Praesto fuit supradicta femina, sive solo jurejurando sive etiam candentis ferri judicio suam assertionem probare parata. Abbati illi ac monachis donationis, ut credi volebant, sibi factae defuit testis. Defuit etiam qui prolatum ullo modo posset infirmare judicium. In curia Namnetensis Comitis caeterorumque laicorum Britonum de causa eadem petivere judicandum. Sed nec legalis hoc auctoritas recepit, & ecclesiasticorum judicum justitia refutavit. Recedentibus illis jam improbe calumniosis, redierunt & nostri qui affuerant judicio sibi publico justitiaque favente. Testibus istis, Quiriaco Namnetensi Episcopo, Rainaldo Episcopo de sancto Masloo, Debidamono.

Abbate sancti Gildasii, Guillelmo Archidiacono, Alveo Archidiacono, Aldroeno Canonico, Rodulfo Cancellario, Johanne Canonico, Huberto Canonico, Simeone Canonico, Merhone de Maldone, Moyse de Arbrajo, Mainone Britone, Oderico filio Simonis, Iuliano de Ploissiaco, Rivallonio filio Molini, Nemenojo Senescalco.

---

*Notitia de lingua balena.*

OMnibus hoc notum fieri volumus qui futuris id sunt audituri temporibus quod ego Vvillelmus gratia Dei Normannorum Comes pro remedio animae meae parentumque meorum, patris maxime & matris meae, necnon etiam uxoris meae, heredumque meorum, concedo jure perpetuo Deo & sancto Martino, monachis scilicet qui apud Majus monasterium sub Alberto Abbate Deo deserviunt, per annos singulos linguam integram balenae unius, sive etiam successoribus eorum Abbatibus & monachis qui in monasterio illo Dei servitio militaturi sunt, in comitatu Constantino, apud villam

Va-

Valongiam, ſub praeſentia teſtium quorum inferius ſubſcripta ſunt nomina. Quicunque vero eleemoſynam hanc vel meis vel haeredum meorum temporibus ſubſtrahere ſancto Martino voluerit, & ipſe excommunicetur, & nullum habeat ejus conatus effectum, ut dum ſtabilis fuerit eleemoſina mea, perpetua etiam fiat in monaſterio illo memoria mea. S. Vvillelmi Comitis. S. Nielli Vicecomitis. S. Mainonis de Filgeriis. S. Ricardi filii Toreſtini S. Radulfi Taaonis. S. Giraldi Seneſcalchi. S. Rotberti filii Gerogii. S. Hugonis Britonis. S. Tetbaldi filii Bernerii. S. Rotgerii de Monte Gomerici

---

*De judicio quod factum eſt monachis Majoris monaſterii adverſus monachos ſanctæ trinitatis de monte apud Rothomagum in curia Archiepiſcopi Rothomagenſis de Eccleſia Verliaci.*

NOverint omnes quod nos, monachi ſcilicet Majoris monaſterii, die placiti conſtituta inter nos & monachos Rothomagenſes ſanctae trinitatis de monte in curia Archiepiſcopi Rothomagenſis de his quae nobis auferebant apud Verliacum, concedentibus ipſum terminum tam ipſius loci Abbate quam monachis, praeſto fuimus loco & die conſtituto placitare. Cum ergo tam Archiepiſcopus, cujus juſtitia inire placitum illi cogebantur, quam judices & nos parati die illa tota praeſtolaremur, neque Abbas jam dictus neque aliquis monachorum ejus affuerunt, neque denique aliquod exonium quare non adeſſent mandaverunt. Tunc igitur Archiepiſcopus & Archidiaconi ejus, id eſt Benedictus, Urſellus de Medanto, Richardus, Fulbertus, atque Rotgerius, & Vvillelmus Bajocenſis Decanus, judicaverunt nos per hoc quod abſentibus affuiſſemus totum jus nobis derationatos eſſe & ſaepedictos monachos perdidiſſe juſtumque eſſe ut nos de Eccleſia jamdicta Archiepiſcopus ita reveſtiret ſicut reveſtiti eramus in die qua monachi praedicti ſuper nos eam invaſerant nobiſque injuſte abſtulerant. Hujus rei teſtes ſunt de monachis Radulfus Prior, Rangerius Archiepiſcopus, Hilgoldus Epiſcopus, Andreas frater ejus, Bernardus qui fuit Prior, Cadilo Verliaci Praepoſitus, Tetbaldus Praepoſitus Medanti, de clericis illi idem qui ſuperius nominati ſunt & alii plures, de laicis Godefredus de Verliaco, Ingelbertus de Carroſo.

---

*Geſta de Bairiaco ſub Domno Abbate Bartholomaeo.*

Ex l. VII. Miſc Bal. pag. 216.

NOtum ſit fratribus noſtris tam praeſentibus quam etiam futuris Majoris monaſterii monachis contentionem quae exorta eſt inter nos & Rothonenſes monachos de Bairiaco qualiter proſecuti ſumus & quouſque eam perduxerimus. In aliis quidem litteris explanatum eſt & principium illius contentionis & quae judicia inde facta fuerint in tempore Domni Alberti Abbatis. Tempore autem Domni Bartholomaei Abbatis miſſus eſt in has partes ab apoſtolica ſede quidam Cardinalis nomine Stephanus; quem recipientes monachi Rothonenſes hoſpicio, fecerunt clamorem ad eum de nobis. Qui cum teneret inde placitum ibidem, affuerunt quidam de monachis noſtris, qui reſponderunt jam definita eſſe inde judicia, & ea ſcripta oſtendentes aſſerebant non debere nos inquietari de ea cauſa quae jam eſſet probabilium perſonarum publico judicio determinata. Cardinalis autem legens ea ſcripta in quibus ipſum judicium continetur, non illud approbavit, ſed judicavit Rothonenſes debere probare per tres legitimos teſtes jurejurando quod prius ipſi donum habuiſſent quam nos de Bairiaco, & juſſit utroſque & nos & ipſos Burdegalenſi ſynodo intereſſe, ut in ea ſynodo hujus rei definitio fieret. Ubi cum & nos & illi adeſſemus, recitavimus in ſynodo cauſam noſtram quo jure locum illum teneremus & quae judicia de eo cum ſupradictis monachis habuerimus, & ea ſcripta in ſynodo protulimus. Quod cum factum fuiſſet, judicaverunt Epiſcopi qui aderant, ſcilicet Pictavenſis, Engoliſmenſis, Sanctonenſis, & Abbas Dunienſis Domnus Hugo quod ſecundum leges Francorum juſte eſſet cauſa iſta definita. Sed cum Cardinalis judicium ſuum ſtatuere contenderet, & aliis reclamantibus ipſe in ſententia ſua perſeveraret, dixit Epiſcopus Namnetenſis locum ſupradictum eſſe alodum ſuae Eccleſiae & monachos Majoris monaſterii tenere illum ex dono & auctoritate ipſius, Rothonenſes autem neque donum neque conceſſionem de loco illo a ſe habere. Quod audiens Cardinalis, hoc ſe antea non audiſſe reſpondit. Sed quia judicium ſuum mutare inhoneſtum ducebat, quamvis hoc ei Epiſcopi perſuadere niteretur, invitavit utroſque ad apoſtolicam ſedem, ponens terminum quando utrique ibi eſſe deberent, videlicet Idus Maii. In quo termino legatus noſter ibi praeſens fuit. Sed neque Cardinalem neque monachos illos invenit. Interea Abbas Rothonenſis veniens ad tyrannum in cujus poteſtate eſt cella illa mercatus eſt eam ab illo. Et dum tyrannus iret ut eum in illam introduceret, nuntiatur ei Abbatem noſtrum ibi eſſe. Quod audientes infecto negocio propter quod venerant domum reverſi ſunt. Manſit autem tamdiu ibi Abbas noſter donec legatus noſter Roma reverſus eſt. Illo reverſo, Abbas noſter & Rothonenſis ex communi conſenſu condixerant terminum quando iterum Romam pro definitione hujus cauſae mittere deberent, ſcilicet ut quod apoſtolica auctoritas de hac re judicaret, hoc utraque pars ſine ulla contradictione ſequeretur. Venerunt ergo ſicut condictum fuerat ſimul utrique monachi ante Apoſtolicum. Qui cum utriuſque partis clamorem audiſſet & diligenti cura, ſicut ipſe in litteris ſuis teſtatur, cauſam examinaſſet, videretque legatum Epiſcopi Nannetenſis & litteras atteſtantes aſſertionibus noſtris, ita tandem cauſam diu ventilatam ipſe Papa definivit, ſcilicet ut Nannetenſis Epiſcopus per ſuum idoneum legatum ſacramento firmaret nunquam ſe vel ſuum anteceſſorem Airardum, ſe ſciente, ipſam Eccleſiam Rothonenſibus monachis conceſſiſſe ante quam monachis Majoris monaſterii. Quam definitionem utraque pars approbavit, & litteras ipſam definitionem & ipſum ſacramentum continentes, quas in patriam ſuam deferret, apoſtolico ſigillo ſigillatas accepit. Quas litteras penes nos habemus, in quibus poteſt facilius quilibet videre quam diligenter Papa cauſam examinaverit & juſte definierit. In termino ergo quo Apoſtolicus praeceperat convenerunt apud Turonum in capitulo ſancti Mauricii multi tam Epiſcopi quam Abbates & multitudo non parva tam clericorum quam laicorum, inter quos fuit Epiſcopus Sagienſis & Epiſcopus Venetenſis & ſancti Martini Theſaurarius Rainaldus & Decanus Rodulfus, ſancti Mauricii Theſaurarius Hugo, & Decanus Gauffredus, & utrique Abbates quorum cauſa erat, ſcilicet Abbas Majoris monaſterii Bartholomaeus, & Abbas Rothonenſis Almodius, Abbas Salmurenſis Sigo, Abbas Bleſenſis Iſembardus, Abbas Pontilevenſis Guido, Abbas Bonevallenſis Fulcodus, Abbas ſancti Maximini Albertus, Abbas Mornenſis Simon In quorum praeſentia cum recitatae eſſent apoſtolicae litterae, obtulit Epiſcopus Nannetenſis ſacramentum, ſicut Apoſtolicus dictaverat. Sed Abbas Rothonenſis nolens illud recipere, cauſamque relinquens indefinitam, reverſus eſt in Britanniam. Et veniens ad tyrannum in cujus poteſtate eſt cella illa, accepit terminum quando ei pretium quod ei pro cella pepigerat ſolvere deberet. Priuſquam autem illud ſolviſſet, Domnus Johannes monachus noſter, qui de Apoſtolico venerat, interdixit ipſi Abbati ea auctoritate ſancti Petri & Romani Papae ne emptionem illam faceret nec tali modo in locum

illum

illum intraret. Et ibidem provocavit eum rursum ad apostolicam sedem pro eadem causa, audiente ipso Theadio, & Guidone fratre ejus, Herveo de Martiniaco, Manone Raslin, Rivallonio de Solzen, Popardo, & Godevetto filio Ansberti, Alceno de Maidum, & multis audientibus. Erat enim ibi non modica turba hominum ubi haec interdictio facta est. Abbas autem illa contemnens perrexit ad Theadium, & dedit ei pretium quod pepigerat pro cella. Nos aliud facere non valentes hoc ipsum Apostolico per litteras mandavimus. Ille litteras suas de hac re Episcopo Namnetensi & simul Venetensi, Abbati quoque alias misit. Convenerunt ergo apud castellum Brientii uterque Episcopus supradictus & Abbas Rothonensis & Theadius; ibique in magna multitudine hominum palam recitatae sunt apostolicae litterae. In illis quidem litteris, quas illis duobus Episcopis mittebat Apostolicus, praecipiebat eis ut monerent Theadium ex parte ejus reddere nobis cellam; quod si non faceret, scirent illum a se excommunicatum, ipse quoque eum excommunicare & omnes ei in hac re faventes apostolica fulti auctoritate minime negligerent. In illis vero quas Abbati mittebat, praecipiebat ei Apostolicus ut ipse Abbas ad synodum pergeret quae xv. die post proximum Pascha Romae erat futura, rationem redditurus de inobedientia quam in Apostolicum habuerat, & ad emendandam injuriam quam nobis & per hoc ipsi Apostolico intulerat; alioquin in ipsa synodo excommunicaretur. Cum ergo monuisset Episcopus Nannetensis Theadium ex parte Apostolici ut redderet nobis cellam, promisit ei Abbas Rothonensis quod excusaret illum apud Apostolicum in supradicta synodo & ab excommunicatione liberaret. Qua pollicitatione ille securus factus non reddidit nobis cellam. Nos audientes quod Abbas Rothonensis promiserat Romam ire, misimus illum fratrem quem prius miseramus, scilicet Domnum Johannem. Qui cum Romam venisset, locutus est cum Hildebranno Archidiacono; qui tradidit ei advocatum, sicut mos est, Amalricum Canonicum sanctae Mariae Remensis. Cum quo in synodo astans, expectansque per aliquot dies Abbatem vel legatum ejus, tandem cum videret nullum venire, fecit clamorem suum in synodo de Abbate Rothonensi & de Theadio. Quem cum audisset Apostolicus, videretque quod Abbas Rothonensis neque venerat neque miserat ad synodum ad quam eum vocaverat, excommunicavit eum & Theadium quousque nobis cellam Barriacensem cum omnibus ad eam pertinentibus restituissent. De qua excommunicatione litteras fecit & sigillo suo bullatas legato nostro tradidit. Quas ille Roma rediens secum deferens, congregatis apud castellum Brientii Episcopo Namnetensi & Abbate Rothonensi & Theadio, repraesentavit eis apostolicas litteras coram multis aliis. Quibus lectis coram omnibus, audiens se Theadius sine ulla dilatione esse excommunicatum ab Apostolico nisi redderet nobis cellam, quaesivit ab Abbate quonam modo eum excusasset apud Apostolicum, sicut ei pepigerat. Cumque Abbas non posset ostendere ullo modo se eum excusasse nec etiam Romam misisse, sicut ei promiserat, ad synodum ad quam vocaverat eum Apostolicus, tandem coactus Theadius, quamvis prius multum distulerit, tamen ad postremum reddidit nobis cellam ipsam.

---

*Auctoramentum Comitis Conani de rebus Britanniæ.*

Ex L. VII. Misc. Bal. p. 221.

SI justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt? Et quidem quicunque sub nomine Christiano fidem corde retinemus & ore confitemur catholicae pietatis, impiorum vocabulo jure caremus, tamen operibus rursus non meremur impietatis. Verum & in fidei rectae non dubii professores ab ore quoque gravioris culpae videamur immunes, etiamsi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Igitur etsi non impii erimus, tum quoque sine dubio peccatores. Ubi ergo parebimus cum Rex in throno sederit justus, coram quo nemo castum se habere cor, nemo se mundum gloriari poterit a peccato? Subveni Christe peccatoribus & immundis, & ostende quo tandem modo a nostris penitus possimus emundari peccatis. Date, ait, eleemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis. Gratias tantae indulgentiae, dignationi tantae. Quin etiam ipsius eleemosinae distinctionem faciens, atque eam quae fit in sanctos uberioris fructus ostendens, per quam fidelis quisque sibi non tantum peccata remitti, sed aeterna quoque mereatur, licet minus ea meritus, tabernacula condemnari, Facite, inquit, vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Ego quidem Conanus minoris Britanniæ Comes, magnae scilicet sæculi potestatis sub Dei ordinatione minister, putavi mihi obtemperandum tam salutifero monitori, obediendum praeceptori tam utili, quoniam quidem & ab eo cui multa committuntur exiguntur nihilominus multa, & tantae ac talis administratio potestatis vis est immunis a culpa, & tabernacula etiam non emerenda mihi vel per alios non videntur aeterna. Et quia juxta illum quoque doctorem gentium in fide & veritate brevi hoc tempore indeficienter seminantes opera bona bonae mercedis indefectiva messio per saecula æternitatis expectant, atque ideo dum tempus habemus, quotiensc unque occasio quaelibet sese praebuerit tale quid operandi, operandum est bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, nequaquam visa est amittenda favore mihi superno quaedam nunc occasio talis oblata, qua bonum scilicet valeam operari ad quosdam speciali devotione Christianae domesticos fidei, monachos dico Majoris monasterii sancti Martini, cujus inter suos æquivocos excellentia nominis nulla eget adjectione cognominis. His igitur nondum meo auctoramento firmaveram quascunque intra comitatus mei ambitum possessiones habent. Aliquando autem cum per Turonum avunculum meum Comitem Tetualdum Bletim tenderem, Majus adivi monasterium, cum orationis gratia, tum pro adipiscenda societate benefactorum Deo ibidem & sancto Martino famulantium monachorum. Qua videlicet impetrata, propter Dei & sancti Martini amorem totum ex integro fratribus eisdem auctoravi quicquid in tota terra juris sive dominationis meae aut dono aut emptione habebant, quicquid etiam quoquo modo deinceps tam ipsi quam successores eorum adquisituri erant, exceptis duntaxat possessionibus si quas die qua auctoramentum hoc in capitulo eorum firmavi jam habebant, solidas eas & quietas in perpetuum nullo contradicente possideant. A die vero illa si qui alii quam ego aut donaverint aliquid ex eisdem possessionibus aut vendiderint monachis, meum igitur hoc oportebit auctoramentum requiri. Et ut haec omnia ab omnibus successoribus meis, & certius credantur & diligentius conserventur, manu propria signum sanctae crucis in membrana illa effigiavi, videntibus qui beneficium loci mecum sortiti sunt his Baronibus meis, Gauffredo de Meduana, Silvestro filio Maingunei, Tetbaldo fratre ejus, Herveo forestario, Gilone filio Ausquitiul, Auffredo filio Alani de Ruis, Roaldo fratre ejus, Evanto filio Radulphi Largi, Canoco filio Caradoci, Mainfineto de Namnetis, Alberico de Vet, Herveo filio Rodaldi, Rivallonio filio Fridi, Ascol filio Rodaldi Vicecomitis de Namnetis, Vvidone de Sablonio, Graffardo filio Martini, Papino de Rabetiis, Quinol de Leon, Artur de Servum, Suhardo de Acunneio, Belhoc filio Rivallonii, Horman citharedo, Judiquello filio Juhat, Mainguineo Bitone, Hugone filio Frotgetii, Bernone coco, Eudone filio Donallonii. Haimone filio Odetini, Herveo fratre ejus.

Era

*Eracleus Episcopus, & Bernardus Comes monasterium beati Felicis & sancti Licerii.*

Ex L. VI. Misc. Bal. pag. 478.

An. 1064.

EGo Eraclius Dei gratia Bigorrensis Ecclesiae Episcopus & Bernardus Bigorrensis Comes desideramus & rogamus omnes Christi fideles tam futuros quam praesentes ut sint testes & fautores negotii quod in praesentiarum dicturi sumus. Ex hereditate parentum nostrorum devolutum est ad possessionem nostram monasterium in territorio Bigorrensi situm, quod est constructum in honore beati Felicis martyris & beati Licerii confessoris & Episcopi. In hoc ex multo tempore congregatio fuit monachorum. Sed pro peccatis nostris per incuriam nostram & aliarum personarum ad quarum curam & dispositionem idem monasterium pertinuit non ita valebat ibi regularis disciplina & ordo monasticus ut vel Deo placeret vel nobis ad salutem animarum nostrarum expediret. Visum est ergo nobis quaerere consilium & auxilium domni Hugonis reverendi Abbatis & regentis illud reverendum collegium monachorum Cluniaco congregatorum. Per hujus loci Abbates cum pleraque monasteria restaurata sint & meliorata, per karitatem, quae, ut Apostolus ait, omnia sperat, affectavimus nos quoque simile beneficium eorum sanctitatis obtinere. Hujus rei gratia pro salute animarum nostrarum & parentum nostrorum facimus ipsius praedicti monasterii traditionem & omnium rerum ad hoc quolibet modo pertinentium Domino Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo ad locum cujus supra meminimus Cluniacum, eo tenore ut Cluniacensis congregatio perpetuo jure illud habeat & possideat, & hujus congregationis Abba, videlicet Cluniacensis, secundo loco post se committat cui velit & quomodo velit curam monasterii, & hoc semper fiat sine omnium mortalium contradictione. Volumus quoque ut liberum sit & absolutum ab omni servitio & posteris nostris & cuilibet seculari vel ecclesiasticae potestati. Et hoc sit manifestum & indubitatum quod nostra est voluntas & nostra petitio ut haec eadem nostra traditio per Romanum Pontificem confirmetur, ut quicumque eam violare & infringere temptaverit, sciat se per ejus auctoritatem excommunicatum & a sancta Dei separatum Ecclesia. Haec autem carta scripta est in ipso Bigorrensi castro & data XI. Kal. Decembris anno dominicae incarnationis millesimo seaagesimo quarto, regni Philippi Regis Francorum quarto, indictione secunda. Signum domni Eracli Bigorrensis Episcopi. Signum domni Bernardi Bigorrensis Comitis, qui hanc cartam dedesunt. Signum domni Stephani Oloronensis Episcopi. Signum domni Durandi Tolosani Episcopi. Signum Gregorii Lacurrensis Episcopi. Signum Petri Aturrensis Episcopi. Signum domni Bernardi Dormaniacensis Comitis.

---

*Almodis Comitissa & filius abbatiam sancti Ægidii & sibi pertinentia.*

An. 1066.

DEum patrem omnipotentem totius creaturae creatorem ejusque unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, per quem omnia, & spiritum sanctum vivificantem ab utroque procedentem, unum Deum credere magnum est, operari autem quod praecipit non minimum, ipsum vero spernere periculosum. Quapropter eum fideliter credere, perfecte diligere, humiliter obedire est omnibus necesse. Praecipue tamen illis convenit istud quos sacri lavit unda fluminis, redemit unda sanguinis, perunxit liquor chrismatis. Ad hoc enim facti sumus ut Deo fideliter servientes seminemus terrena ut metamus caelestia, scriptura dicente: *Quaecumque seminaverit homo, haec & metet*. Qualiter autem Deus inveniri possit ipse in evangelio ait: *Date eleemosinam, & ecce munda sunt omnia vobis*. Quibus plane verbis ostenditur quia nihil eo miserius quem iniquae adquisitiones depriment, quem locupletem fraudes & rapinae faciunt. Et quoniam illae nobis ambiendae sunt divitiae quae nos ornare possunt & munire, a mundo disterminare, animas nostras ditare atque nobilitare, ideo in Dei nomine ego Almodis nutu Dei Comitissa, & filius meus Raimundus Comes Rutenensis & Nemosensis Narbonensiumque nobilissimus, pro domni Pontii Comitis remedio, & pro remissione peccatorum nostrorum atque parentum vivorum ac defunctorum, atque salute fidelium nostrorum obtimatum, abbatiam sancti Ægidii & locum, omniaque sibi pertinentia Deo & domno Hugoni praesenti Abbati Cluniensi & ejus successoribus tradimus & donamus atque concedimus, ita tamen ut in praedicta abbatia in dominicatura quam ibi habemus & usus & usaticos retineamus, excepto quia neque Abbatem nec monachos posthac distringemus neque dehonestabimus, sed potestas & districtio & ordinatio Abbatum & monachorum sancti Ægidii & eorum quae soliti sunt tenere in domni Hugonis Abbatis & successorum ejus potestate consistat, quatinus ipse & successores ejus locum praedictum & omnia loca pertinentia pro posse suo & voluntate secundum regulam sancti Benedicti regulariter ordinent & teneant in aeternum. Ut vero nostri parentumque nostrorum memoria Cluniaco perenniter habeatur, hoc in dono abbatiae praedictae solummodo retinemus ut successores praedicti Abbatis a nobis vel a successoribus nostris donum praedictae abbatiae absque ullo lucro & pretio accipiant. Quod si successores nostri successoribus domni Abbatis praedicti expedite, ut diximus, dare noluerint, nihil Abbatibus obsistat, sed locum & omnia quae praediximus ipsis in Dei servitio possidentibus donum nostrum integrum inviolatumque perenniter maneat. Hoc autem omnibus notum sit locum praedictum & abbatiam praedictam alodium esse sancti Petri, quaeque dono domni Papae Romani tenemus, quaeque denuo praedicto Abbati Hugoni & ejus successoribus salva fidelitate Romanae Ecclesiae & domni Papae tradimus perenniter habendam & regulariter ordinandam, ita tamen ut census x. solidorum debitus omnibus annis Romanae Ecclesiae persolvatur. Facta est autem haec donatio anno MLXVI. dominicae incarnationis, octavo X. Kal. Januarii juxta Nemausum civitatem secus Ecclesiam sancti Baudilii, regnante Philippo Rege Francorum, videntibus atque laudantibus Episcopis, scilicet domno Raimbaldo Arelatensi Archiepiscopo atque Romanae Ecclesiae vicario, & domno Durando Tolosano, & Hugone Uzeticensi, & Rostagno Avinionensi, Bertranno Magalonensi, Abbatibus Bernardo Massiliensi, Frotardo Tomeriensi, Bernardo Vabrensi, Petro clerico Romanae Ecclesiae Subdiacono, Nemosensibus clericis Salomone & Bertranno, Militibus Pontio Geraldi Gerundensi Vicecomite, Tridmundo Elisiarni, VVillelmo & Emenone fratre ejus de Sabran, Petro Aquiniensi, Rostagno de Poskeriis & fratre ejus Rainone, Rainoardo de Medenis, Bertranno de Capraria & Petro fratre ejus, & Hugone de Kassanguis, & Segario Salomonis, ac VVilelmo Belliroti, Umberto Gauaberti, insuper volente & laudante nobili Adala Sullantionense Comitissa, & aliis quamplurimis bonis hominibus Deo cognitis. Si quis vero cujuslibet ordinis seu dignitatis contra hanc donationem venerit ad inrumpendum vel ad inquietandum aut contradicendo, omnipotentis Dei iram terribilem atque tremendam incurrat, atque cum Juda perfidissimo traditore & cum Dathan & Abiron in inferno inferiori crucietur, omnibus insuper poenis quibus illi cruciantur qui recedunt a Deo puniantur & illi & eorum consentanei qui huic donationi resistere voluerint, nisi resipuerint & ad emendationem venerint. Signum domnae Almodis Comitissae, & signum domni Raimundi Comitis filii ejus, qui hanc cartam donationis scribere jussi.

jussimus & testes firmare rogavimus. S. Rostagni de Poskeris. S. Adalberti Guitardi Barchinonensis. S. Berengerii de Barbarano. S. Elisiari Dalmatii. S. Johannis Gerundensis Capiscolii. S. Bernardi Capellani sancti Ægidii. S. Rainardi Amati. S. Pontii de Nozeto. S. Fredelani Raimundi. Bernardus monachus Auxiensis scripsit jussus die annoque quo supra. Datum per manus Henrici monachi ad vicem Cancellarii.

---

*Praeceptum de Sablolio de Ecclesia sancti Macuti.*

Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 195.

An. 1067.

NOtum esse omnibus volumus quod ego Rotbertus de Sablolio & uxor mea Haduisa dedimus sancto Martino Majoris monasterii & monachis ejus Ecclesiam sancti Macuti cum caeteris omnibus Ecclesiis ejusdem castri pertinentibus ad praedictam Ecclesiam canonicalem, ita ut quando aliquis de Canonicis morietur aut monachus fiet, venient paulatim praebendae eorum in potestatem monachorum donec ablatis illis quatuor Canonicis quatuor pro eis monachos Abbas Majoris monasterii ibidem constituat. Dedimus quoque supradictis monachis unam mediaturam terrae cum pratis quae ad illam pertinent & examplationes bosci de Boeria, quae erant meae propriae. Dedimus etiam illis terram ad burgum faciendum solutam & quietam sine ullis consuetudinibus praeter has quas hic memoramus. In die mercati mei quamcunque rem vendiderit homo monachorum sive in burgo illorum sive in meo mercato, praeter panem & vinum & carnem mortuam, dabit mihi inde teloneum. De pane autem vel de vino vel carne mortua, si vendiderit, ea domi suae, nihil habebo. Si mercator cursorius fecerit venditionem aut emptionem in burgo monachorum cum homine illorum, habebo ego teloneum de mercatore, illi vero de homine suo, nisi in die mercati. Sed si ille mercator fecerit mihi aliquam injuriam vel de ipso teloneo vel de quacunque re, non tamen repetam eum in burgo eorum, nec faciam ei quicquam molestiae dum in eo manebit. Similiter si homo monachorum fecerit qualecunque forisfactum cuilibet homini, faciet ille homo clamorem inde ad praepositum monachorum. Qui si noluerit inde rectum facere, veniet ille ad monachum, per quem si non potuerit rectum consequi, referetur causa ad me. Quod si nec ego potuero impetrare a monacho ut de homine suo rectum faciat, non tamen faciam ullam vim consistenti in burgo monachorum aut in aliqua re illorum. Extra autem si invenero injuriosum, compellam eum stare ad justiciam. Si vero aliquis homo qui non sit mercator cursorius vendiderit aliquid aut emerit in burgo monachorum aliis diebus praeter diem mercati, dabit illis teloneum, non mihi. Dedimus quoque supradictis monachis in Losdunensi Ecclesiam de Auglario & omnia quae ego propria habebam pertinentia ad illam Ecclesiam. Et quod alius habet in ipsa Ecclesia, si aliquo modo vel dono vel precio potuerint adquirere, concedimus nos & filii nostri. Dedimus etiam illis sex arpennos vineae sitos in Losdunensi & decimum denarium & decimum porcum pastuagii de Brionensi. Et praeter haec pastionem ad quingentos porcos in perpetuum. Hanc eleemosinam fecimus ego & uxor mea pro animabus nostris & pro anima Comitis Gauffredi & pro animabus parentum nostrorum & filiorum nostrorum ac filiarum & pro anima Gauffredi fratris Haduisae uxoris meae & pro animabus fratrum meorum Hainrici & Guidonis. Et ut haec eleemosina, per quam perpetuam quaerimus mercedem, ipsa quoque perpetua & inviolabilis permaneret, fecimus eam confirmari auctoritate Philippi Regis Francorum, dum esset ipse Rex in obsidione castelli Calumontis, & Balduini cognati ipsius Regis filii Balduini Comitis Flandriae, & Comitis Gauffredi, de cujus casamento erat, & uxoris ejus nomine Julittae, & fratris ejus Fulconis. Testes de auctoramento Regis, Bartholomaeus Archiepiscopus Turonensis, Guido Episcopus Ambrianensis, Gauffridus Episcopus Parisiacensis. Adhericus Episcopus Aurelianensis, Ivo Episcopus Sagiensis, Baldricus aequilibrator Regis, Jugenulphus magister pincerna, Radulfus Dapifer, Vvalerannus Camerarius, Fulco filius Gervisi, & Gervisus frater ejus, Rotbertus Gitardus. Petrus Cancellarius subscripsit. Eustachius firmavit capellanus. Gauffredus firmavit Capellanus.

Signum Philippi Regis. S. Balduini Comitis Flandriae. Signum Gauffredi Comitis Andegavensis.

Data VII. Iduum Augustarum anno VIII. Philippi gloriosissimi Regis. Actum apud Calvimontis castellum in Dei nomine feliciter. Eustachius notarius ad vicem Balduini recognovit. & anno ab incarnatione Domini millesimo LXVII. indictione V.



---

*Praeceptum de his quae Hugo de Roceto dedit nobis apud Bellissimum.*

NOsse debebitis, si quaesieritis, posteri nostri, Majoris scilicet habitatores monasterii sancti Martini, Hugonem de Roceto post annos plures ex quo donaverat nobis Ecclesiam sancti Martini de Bellissimo, eum voluntatem postea insumpsisset ut monachus apud nos fieret, totum ex integro rursum donasse nobis quicquid tunc ad illam Ecclesiam pertinens retinuerat sibi. Fecit hoc apud eandem Ecclesiam anno ab incarnatione Domini MLXVII. praesidente nobis anno quarto Domno Abbate Bartholomaeo, mense Decembrio, octavo Idus ejusdem mensis, prasentibus tunc ibidem atque vice omnium nostrum suscipientibus hanc donationem nonno Odone nostro tunc Priore, nonnoque Beraldo Ecclesiae ipsi rebusque praeposito, praesente quoque atque favente Domno Ivone Sagiensi Episcopo, de cujus erant ea omnia fevo, cum testibus pluribus aliis nominibus his, Vvarino Bufardo, Hugone de Colentiis, Vvillelmo fratre ejus &c. His peractis, die mox eadem, Herveus de Breviardo parens quidam Hugonis ejusdem donationi ejus calumniator insurgens, quia scilicet pactum jam olim cum ipso haberet ut quilibet eorum prior obiret alteri sua possessa dimitteret, satagentibus statim supradictis fratribus nostris Odone atque Beraldo, ipse quoque die nihilominus eadem hoc modo suae imposuit finem calomniae. Ad praesens quidem spoponderunt ei memorati fratres denariorum quatuor libras, ex quo autem Hugo monachus factus foret aut mortuus, quandiu postea viveret ipse Herveus acciperet a nobis X. solidos quot annis, haberet etiam servitium Militum de rebus ipsis quas Hugo tunc donabat nobis fevatorum, nullus autem suus heres reclamaret ista post ipsum, atque ita & calumniam illam ex integro guerpivit & donationem nobis Hugonis auctorizavit coram ipso supradicto Ivone Episcopo coramque aliis testibus plurimis his nominibus aliquantis, Vvarino & Vvillelmo nepotibus Ivonis Episcopi &c.

An. 1067.

S. Philippi Francorum Regis. S. Hugonis Comitis Mellandis. S. Hugonis de Puteolo. S. Frederici de Curbeio. S. Galterii Constabularii. S. Guillelmi Praepositi Carnotensis Ecclesiae. S. Balduini Dapiferi. S. Gualeranni Camerarii. S. Guillelmi Comitis Nivernensis, qui ipso die filiam suam donavit Huberto Vicecomiti Cenomannorum.

*Auctoramentum Ernaldi Episcopi Cenomanensis de rebus quas habemus in eius episcopatu, confirmatum ab Archiepiscopo Turonensi Rodulfo.*

IN nomine Domini & salvatoris nostri Jesu Christi. Ego Ernaldus Cenomannensium Dei gratia Episcopus annuo sancto Martino & monachis Majoris monasterii omnia quæ in episcopatu meo videntur ipsi habere quae ad me pertinent, id est locum sancti Guingaloei, Vivonium, Vallem Guidonis, & locum sancti Macuti de Sablollo, salva querela monachorum sancti Petri, qui de illis rebus inferunt calumniam jam dictis monachis. Deinde postulaverunt a me prædicti fratres ut darem illis auctoramentum meum in omnibus quae poterunt adquirere in episcopatu meo vel dono vel precio quæ ad me pertinent. Quorum petitioni non mihi fuit ingratum praebere assensum, in illis videlicet rebus quæ per meum consilium ab illis in dioceſi mea adquisita fuerint. Fratres vero jam sæpe dicti, ne tanquam ingratis hoc beneficium impendisse videret, xx. libras denariorum pro hoc mihi rependerunt. Feci autem hujusmodi auctoramentum in urbe Cenomannis in domo mea rogatu venerabilis Bartholomaei Abbatis prædicti monasterii anno incarnationis Domini MLXVIII. præsentibus & audientibus istis, Guandelberto, Hugone Bicola, Odone, Hoello, Guicherio, Grentone, Lanberto. Postea recitatum est hoc auctoramentum in capitulo Majoris monasterii, præsente me & volente, coram Abbate B. & monachis ejusdem loci, in præsentia Archiepiscopi Turonensis venerabilis Radulfi, qui tunc nudis pedibus venerat ad sanctum Martinum, tempore quo ego & ille simul perreximus Romam. Et in eodem capitulo auctorizavimus ambo pariter ego & Archiepiscopus & confirmavimus hoc auctoramentum manibus nostris, signis subsequentibus, audientibus & videntibus de nostris clericis, Gandelberto, Hugone Bienla, Odone, Hoello, Guicherio, Grentone laien. De clericis Archiepiscopi Burchardo Cantore, Secbardo, Gaulterio Archipresbytero, Radulfo Gorello, Anscherio Capellano, Nicolao, Frederico Capicerio, Rotberto de Vindocino, Herveu nepote Gaulterii Archidiaconi. Stephano filio Viviani Drudi. De laicis, Ebrardo homine Archiepiscopi, Ermenfredo, Guilthone Camerario Archiepiscopi, Petro de Rupibus, Alcherio de Rupibus. S. Ernaldi Episcopi. S. Radulfi indigni praesulis Turonensis.

---

*De Ecclesia de Vilerx Karoli Magni*, vulgo Villiers Charlemagne.

CUm juxta Danielis consilium peccata, sine quibus præsens vita duci nullatenus potest, eleemosynarum sunt compendio redimenda &c. Cui denique consilio ego Radulfus cognomine Chotardus, vir militaribus armis deditus, & multis per haec delictorum nexibus irretitus, una cum uxore mea Theoguisa utiliter acquiescentes, simulque peccatorum nostrorum sententiam formidantes, aliquid de rebus nostris in thesauros coelestes per manus pauperum praemittere decrevimus, ut hoc ex divinae remunerationis promisso centeni multiplicatione fœnoris in futuro recipiamus. Quod ut verius feret, illud egregium genus pauperum elegimus qui ut domini sui vestigia expeditius sequantur, spontaneam pro Christo paupertatem subeuntes, seseque in monasteriorum solitudine recludentes, tanto se ejus servitio liberius subdiderunt quanto pro ejus nominis amore non solum sua sed & seipsos funditus contempserunt. Universis igitur sanctae Ecclesiae fidelibus notum esse volumus donasse nos & quiete concessisse Deo ejusque sanctissimo ac praecelsissimo confessori beato Martino & monachis Christo in ejus Majori monasterio in perpetuum servientibus quicquid juris in Ecclesia illa habere videbamur quae in ejusdem beati Martini honore in Cenomannensi pago in vico qui ex prisca veterum appellatione Vilerx Karoli Magni nominatur, & duobus fere millibus a Castro Gunterii separatur, antiquitus constructa est. Est autem quod in ipsa Ecclesia habere videbamur, quodque ex integro praedictis monachis firma & quieta largitione pro animarum nostrarum salute donavimus, Ecclesiae ejusdem medietas cum omnibus sibi pertinentibus & tota decima propria sive communis quam in ipsius Ecclesiae parrochia possidebamus, & nostra illius terræ pars quae inter nos & Hugonem de Forceio communis erat. Quadam igitur æstivali festivitate beati Martini apud Majus monasterium venientes donum hoc nostrum in eorum capitulo confirmavimus, idque per quendam baculum super altare dominicum obtulimus, videntibus ac concedentibus his qui nobiscum advenerant, Gaufredo cognomine Botellario, Alberico Chotardo nepote meo, & Uberto Rufo uxoris meæ nepote. Quod quia prædictus Hugo & ejus mater Adelisis calumniati sunt, discordia inter nos est oorta, sed ad finem hunc tandem deducta. Dedimus namque Hugoni quatuor libras denariorum & praedictam terrae partem quam prius monachis dederamus, ut ipse eis & donum nostrum concederet, & suam tam decimae quam Ecclesiae medietatem quiete daret, matrique suae & fratribus concedere faceret. Quod quidem ita factum est coram capitalibus ejusdem rei dominis Guidone Lavalle & Garsilio de Buignone, ipsis concedentibus. Ubi dedit uxor mea Adelisi matri Hugonis pallium suum & duas vaccas. Et sic concesserunt jamdictis monachis totam Ecclesiam quam venerabilis Hildebertus Cenomannensium Episcopus jampridem eis donaverat, & totam decimam concesserunt. Et accepto eorum beneficio cum quodam libro, donum inde cum eodem libro super altare ipsius Ecclesiae perfecerunt.

---

# CONCORDIA DE ECCLESIA

*Sancti Clementis Credonensis inter monachos sancti Albini Andegavensis & Vindocinenses, facta apud Carnotum anno Christi* MLXXII.

NOtum sit omnibus tam futuris quam praesentibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus quod Orricus sanctae Trinitatis Ecclesiae Abba de Vindocino, atque Otbrannus sancti Albini Andegavensis Abba, Carnotum pariter venerunt ante praesentiam Cardinalis Romani, Domini videlicet Geraldi Ostiensis Episcopi, ut ibi juste terminaretur contentio quam inter se diu habuerant de Ecclesia Credonensi sancti Clementis, quam uterque ad suum monasterium jure pertinere conabatur astruere. Quae dissensio cum nec ibi finiri potuisset, praefatum Cardinalem pro eadem causa Parisius secuti sunt; ut saltem in Concilio quod ibi determinatum erat, finem consequeretur praedicta contentio. Sed cum nihilo magis ibi promovissent, Carnotum pariter cum Domno Arraldo ipsius sedis Episcopo redeuntes, ipso mediatore ad hanc concordiam de praedicta causa tandem venerunt ut Otbrannus Abba sancti Albini Andegavensis ducentas libras denariorum Andegavensium terminis constitutis ab Orrico sanctae Trinitatis Abbate reciperet pro dimittenda calumnia quam habebat in Ecclesia sancti Clementis Credonensi. Factum est autem hoc ex consensu omnium quos secum habebant, tam laicorum, quam monachorum; eo tamen tenore, ut si infra terminos constitutos pecuniae persolvendae Abbatum alteruter decederet, Ecclesia tamen Vindocinensis sanctae Trinitatis praedictam pecuniam persolveret Ecclesiae sancti Albini Andegavensis; ea tamen conditionis lege, ut praedictus Abbas Otbrannus hoc ipsum in capitulo sancti Albini ex assensu fratrum omnium ac totius fami-

Ex Lib. II. Misc. Bal. pag. 163.

An. 1072.

liae

hac ratum faceret. Quod ut firmum & inconvulsum maneret, litterarum memoriae tradi voluerunt; & in capitulo Carnotensis Ecclesiae, ne quando lis sopita reviviscerett, unanimiter confirmaverunt.

S. Adraldi Episcopi. Signum Othranni Abbatis. S. Ingelranni Decani &c. S. Orrici Abbatis &c. Anno ab incarnatione Domini MLXXII.

In ipsa synodo fecerunt primo monachi sancti Sergii, vel monachus Adelardus, clamorem de Campiniaco adversus Abbatem S. Albini.

---

# NARRATIO QUOMODO

*Cum eadem controversia postea recruduisset inter eosdem monachos, Urbanus II. Papa novae inter eos concordiae auctor fuit.*

An. 1094. ECclesiam sancti Clementis Credonensis castri cum omnibus appendiciis suis ecclesiasticis possedere quietam monachi beati Albini amplius quam triginta annis in pace. Eam Goffridus Martellus Andecavorum Comes, patenti eis sublatam violentia, monachis dedit Vindocinensis monasterii, non tamen sine calumnia monachorum sancti Albini. Cumque pro hac re inter hos illosque monachos jugis perseveraret discordia, tentatis prius frustra pluribus synodorum conciliorumque judiciis apostolica tandem vocatione Urbani Papae jubentur praesentari, facturi ad invicem ex ejus decreto canonica jura. Audierat enim jam secundo de hac re Papa praedictus monachorum sancti Albini clamorem; quem ad ejus aures detulerat Milo quidam eorum commonachus, missus ad hoc jam semel & iterum ab Abbate & ceteris fratribus ejus. Deliberatum itaque est ab utriusque congregationis monachis ut electi seniores duo tresve hinc & inde apostolicis destinarentur conspectibus: qui ei partis utriusque causas tali patefacerent conditione, ut quicquid ex ea re praesentibus illis apostolica firmaret auctoritas, hoc firmum & inviolabile utriusque monasterii defenderet posteritas. Eo tempore Abbas sancti Albini Girardus vehementi laborans infirmitate, equitare non poterat. Sed & Bernonem Vindocinensis monasterii Abbatem anni jam declinantes in senium ab omni labore excusabant. Electi sunt ergo ad hanc legationem, de monachis beati Albini, Girardus Prior, Stephanus quoque, & Milo, famulique eorum. De Vindocinensibus quoque electi sunt Frotmundus Prior, & Ingelbaldus, famulique eorum. Qui profecti pariter, pariter se Papae obtutibus obtulerunt, pariter & causas suas manifestaverunt. Ille diligens in utramque partem, prout oportuit, examinator, post multas hujus illiusque partis retractationes, pacem tandem & concordiam inter utrosque, utrorumque libera voluntate, composuit. Et pacis quidem ejus sive concordiae pactum Priores ambo, & monachi qui cum eis erant, datis propriis fiduciis in manu Papae firmaverunt. Sed & idem Papa ad firmitatis cumulum, pactum eorum propriis confirmavit sigillis & litteris, quarum exemplum hic adnotatum sequitur.

---

* Male Sirmond. Gaufrido. VRbanus Episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis * Girardo Abbati sancti Albini Andecavensis & Bernoni Abbati sanctae Trinitatis Vindocinensis salutem & apostolicam benedictionem. Anno dominicae incarnationis millesimo nonagesimo tertio, pontificatus nostri quinto, Indictione prima, cum essem in provincia Calabriae apud monasterium sanctae Mariae quod dicitur de Marina, monachi sancti Albini, Girardus Prior, Milo, Stephanus, adversus monachos sanctae Trinitatis de Vindocino, Frotmundum Priorem, Ingelbaudum Hostiarium, qui praesentes aderant, conquesti sunt quod Vindocinenses fratres Ecclesiam



sancti Clementis Credonensis, quae a monachis sancti Albini juste secundum illorum temporum consuetudinum adquisita ac per triginta annos quiete & sine interruptione possessa, violenter ablatam injuste detinerent. Qui cum suis instrumentis & rationibus causam suam defendere niteremur, primo die proclamationis res diu & multum ventilata, nullo potuit fine terminari. Secunda vero die similiter multum discussa, ad nullum tamen est finem deducta. Die autem tertia, duodecimo scilicet Kalendas Decembris, residentibus nobis in Anglone civitate Apuliae, praesidentibus religiosis & venerabilibus tam Episcopis quam sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus sive Diaconibus, astantibus etiam nobilibus Romanis & Comitibus Apuliae gloriosissimis Boamonte & Guillelmo, re iterum diu & multum inquisita, tandem inspirante Deo lucidius eluxit in quam potius partem justitia declinaret. Cum enim utraque pars suis nobis allegationibus obviarent, & hinc pactionem Abbatum, confirmationem Pontificum Romanae Ecclesiae Legatorum, illinc vero legitimum introitum & canonicam triginta annorum possessionem nobis opponerent, nos, qui omnium fidelium causas aequa lance pensare debemus, utriusque utilitati providentes, ipsam litem concordiae convenientis aequitate decidere maluimus. Omnes igitur qui nobiscum aderant hanc sententiam collaudantes, consentientibus praedictis utriusque coenobii fratribus in manus nostras fidem pollicendo firmantibus, concordia & pax inter eos hoc modo posita est, ut scilicet Vindocinenses monachi de his tribus Ecclesiis, aut Ecclesiam Maniulium, vel sancti Saturnini, sive sancti Johannis super Ligerim, unam quam congregatio tota sanctae Trinitatis elegerit, cum omnibus quae ad eandem Ecclesiam tam mobilibus quam immobilibus interius exteriusque ad praesens pertinent, infra dies triginta postquam domum redierint, monasterio sancti Albini in perpetuum tradant. Fratres itaque sancti Albini omnem litem omnemque calumniam ex causa hac in manus nostras & Vindocinensium fratrum refutaverunt. Vindocinenses vero unam supradictarum Ecclesiarum in manus nostras reddiderunt, & per nos eosdem monachos investierant. Praesenti igitur auctoritate fraternitatem vestram admonemus & praecipimus ut hoc pactum a nobis intentione pacis & quietis dispositum & statutum omni tempore deinceps ratum & inconvulsum teneatis & observetis. Quaecunque autem pars hanc nostrae decisionis sententiam non susceperit vel transgredi praesumpserit, tam canonum severitati subjaceat quam legitimae compositionis poenam, id est auri centum librarum, sustineat, & a causa penitus cadat. Data Tarenti VIII. Kalendas Decembris.

Postquam autem reversi sunt Priores & qui cum eis missi fuerant, recitatae sunt litterae illae tam in Vindocinensi quam in sancti Albini Capitulo, in praesentia Abbatum & monachorum, concedentibus universis pacem illam & concordiam quam Papae poscebat sententia. Tradideruntque Vindocinensis monasterii fratres monachis sancti Albini Ecclesiam sancti Johannis quae est super Ligerim, cum tota ejus agrorum & vinearum possessione, in nomine supradictae concordiae. Quae ut plenius firmaretur, missi sunt a monachis suis Frotmundus Prior, Ingelbaldus Hospitalarius, Herbertus de Booleto in Capitulum sancti Albini; ibique in omnium audientia concessa est ex utraque parte pax supradicta. Sed & de monachis S. Albini missi sunt in Vindocinense Capitulum Girardus Prior, Hugo Mansellus, Stephanus quoque, & Archembaldus; ibique Abbas Berno tandem se concedere testatus est concordiam; sic ceteris consentientibus, ut ne unus quidem adversaretur. Ad quod audiendum adhibiti sunt seculares testes. Ex parte sancti Albini, Girardus, Firmatus, Popardus, Samazoellus, famuli monachorum qui missi fuerant. Ex Vindocinensi parte, Anseius carpentarius, Gualterius carpentarius, Vualterius sutor,

tor, Durandus de Andecava, Herbertus Bloius, Odo Modiolus, Rainaldus de Andecava, Guarinus hoſpitarius, Albertus Boverius, Bernerius ſecretarius, Rainaldus pictor.

---

## ALIA NARRATIO

### *De eadem controverſia, & de iudicio Amati Archiepiſcopi Burdegalenſis apoſtolicæ ſedis Legati.*

An. 1096. URbanus Romanus Pontifex miſſis litteris mandavit Amato Legato ſuo, Rodulpho Turonenſi Archiepiſcopo, Goffrido Andecavenſi Epiſcopo, ut litem quae eſt inter ſancti Albini & ſanctae Trinitatis Vindocinenſis monachos de Eccleſia ſancti Clementis Credonenſis, vice ſua juſto judicio deciderent. Amatus itaque acceptis litteris ſupradicto Archiepiſcopo & Epiſcopo mandavit quatinus ad hanc cauſam determinandam Sanctonas ire una cum ſancti Albini & ſanctae Trinitatis Vindocinenſis monachis non differrent. Quod Comes Andecavenſis audiens, ſuadentibus ſanctae Trinitatis Vindocinenſis monachis cum interminatione deſtructionis totius monaſterii ſui ſancti Albini Abbati Sanctonas ire vetuit, mandans Amato quatinus in terram ſuam, ſicut ipſemet Amatus per ſupradictos monachos ab eodem Comite quaeſierat, Miribellum vel Loſdunum fiducialiter veniret, diffiniturus hanc tantam cauſam ibi una cum Archiepiſcopo Turonenſi & Epiſcopo Andecavenſi, ſicut Apoſtolicus mandaverat, qui ob itineris difficultatem Sanctonas ire non poterant, cum & ipſe huic placito intereſſe cuperet. Amatus autem praetentis occaſionibus venire noluit; ſed hoc placitum abſque praedictorum Pontificum invitatione & conſenſu Burdegalam tranſtulit. Abbas itaque ſancti Albini, licet graviter infirmus, ad hoc placitum contra vetitum Comitis Andecavenſis pergens, a Pictavienſis Comitis Praepoſito, Rotberto nomine, apud ſanctum Johannem Angeliacenſem captus, & reverti compulſus eſt; exquiſitis antea manicis omnibus pro pecuniae ablatione, ſi qua fortaſſe reperiretur. Qua non inventa, cum Abbas & monachi ſuae captionis & reverſionis cauſam quaereret, Praepoſitus reddere noluit, interminando addens quia ſi ulterius tentarent procedere, & captionem & detrimentum rerum ſuarum maximum incurrerent. Adjunxit etiam ut ad Comitem pergerent, & gravius quam ipſe eos ceperat, circaverat, reverti compulerat, ſuper ſe proclamarent. Miſſis igitur legalis ſanctum Maxentium ad Comitem Girardo Priore ſuo & Helinanno altero monacho, qui de illatis injuriis quererentur, & fiduciam ac conductum Comitis quaererent, ipſe Abbas cum ceteris eo die forte ad quandam obedientiam ſanctae Mariae Dolenſis reverſus eſt, ibi illos, quoadusque redirent, operiens. Redeuntes itaque legati dixerunt Comitem ſui captionem & univerſa quae facta fuerant ſupradicto Praepoſito juſſiſſe. Nam cum apud eum de ſui Abbatis captione & ceteris injuriis quererentur, reſpondit Comes ſe nolle illos per ſuam terram tranſire euntes ad hoc placitum in quo Eccleſiam ſancti Clementis Credonenſis monachis Vindocinenſibus auferre niterentur, cum & abbatia ſanctae Trinitatis ſua eſſet, & in ſua terra obedientias multas haberet. Cumque fiduciae tranſeundi per terram ſuam, & ducendi ad hoc placitum quoſcunque vellent, quam audientibus Helia Cenomannenſi Comite, Herberto Toarcenſi Comite, Hugone de Liciniaco, illis Pictavis dederat, recordarentur, reſpondit ſe hoc recognoſcere, & idcirco ſi aliquid amiſerant reddere, tranſire autem illos nullo modo ſinere. Interminando addidit etiam quia ſi Amatus de hoc placito ſe ita intromitteret ut aliquo modo Vindocinenſes monachi ſancti Clementis Eccleſiam amitterent, proculdubio nec ſuus Epiſcopus nec ſuus monachus eſſet. Unde conſici poteſt quod Comes monachorum Vindocinenſium precibus vel pretio Abbatem cum ſuis & capi fecerit & reverti compulerit. Hoc Abbas audiens, ipſe quidem cum ceteris monachis & laicis hujus placiti conſciis & ſuae rectitudinis teſtibus ad proprium monaſterium reverſus eſt; quatuor autem monachos, qui de praedictis injuriis quererentur, diverſis viis miſit. Qui per diverticula euntes latenter, diffugiendo per vias ſilvoſas, cum maximo labore Burdegalam pervenerunt: ubi cum de Vindocinenſibus monachis, quorum hortatu Comes eorum Abbatem, ſicut conjecturis veris probatum eſt, capi fecerat, quererentur, nullam prorſus obtinuere juſtitiam. Nam cum ſe hujus captionis fuiſſe conſcios omnes impudenter negarent, Mauritius ſancti Florentii monachus & Cellararius his verbis eorum impudentiam redarguit, dicens. Prior ſancti Clementis Credonenſis apud ſanctum Maxentium, ubi tunc Comes aderat, quaeſivit a me ſi ſancti Albini Abbas ad placitum ſuum iret. Cumque ego reſpondiſſem illum jam in itinere eſſe, dixit ſe tales habere amicos qui, ſi poſſent, illum diſturbarent; de qua diſturbatione, ſi contingeret, ſe magnum gaudium habiturum. Propter quae verba praedixi Domino Guillelmo Abbati noſtro, ſicut & contigit, ſancti Albini Abbatem proculdubio in hoc itinere diſturbandum. Cumque omnes machinamenta ejus perciperent, & ipſe adhuc impudentius ſe ita dixiſſe negaret, inquiſitus ab Amato quid inde dixerit, neſcio quid muſſitando protulit, ſe quaſi ſatiſfacturum inde promittens, ſi ipſe praeciperet. Amatus autem totum impune dimiſit. Deinde ſancti Albini monachi de ſanctæ Trinitatis Vindocinenſis monachis conqueſti ſunt, eo quod ſancti Clementis Credonenſis Eccleſiam injuſte invaſiſſent & violenter tenerent, quam ipſi ex dono Suhardi vetuli & ejus filiorum Guarini & Suhardi conceſſione per annos multos poſſederant, officinis, vineis, ſignis, libris, & aliis ornamentis ornaverant, & uſque ad ſanctæ Trinitatis Vindocinenſis fundationem & Gaufridi Martelli Comitis tempus, qui vi ſua & ſine ratione aliqua illam ſancto Albino abſtulit & ſanctæ Trinitati donavit, pacifice tenuerant. Ad quae Vindocinenſes monachi nihil contradicentes, reſponderunt multas querelas inter ſe & ſancti Albini monachos de hac Eccleſia fuiſſe, ſed Otbrannum ſancti Albini Abbatem, ducentis denariorum libris ab Orrico ſanctae Trinitatis Abbate acceptis, concordiam inde feciſſe. Cumque hanc concordiam per Giraldi Oſtienſis Epiſcopi manum factam eſſe dicerent, reſtitit Haimarus ſancti Albini famulus, qui fuerat Otbranni Abbatis Camerarius, probare paratus quod Giraldus Oſtienſis Epiſcopus hanc concordiam neque fecerat, neque cum facta Carnoti fuit aderat. Cum vero hujus concordiae cirographum non haberent, quandam aliam cartam legi fecerunt; in qua continebatur quod ſecundum Otbranni Abbatis promiſſum, totum ſancti Albini Capitulum hanc concordiam conceſſerat. Quod ſancti Albini monachi audientes, veris teſtimoniis falſum eſſe oſtenderunt. Stephanus enim ſancti Albini monachus, qui tunc magiſter ſcholarum fuerat, dixit ſe unum fuiſſe de calumniatoribus, Berardum, Montbertum, Clementem ſancti Albini ſecretarium, Andream rubeum, & alios plures nominans, ipſos etiam Vindocinenſes in teſtimonium hujus calumniae invocabat, addens quia ſi aliquis eorum hoc negare tentaret, ipſe approbaret. Ad quae omnia cum Vindocinenſes monachi nihil omnino reſiſterent, ſancti Albini monachi judicium flagitaverunt utrum Abbas, quadam parte Capituli contradicente, poſſeſſionem monaſterii vendere poſſit. Amatus itaque ſecedens cum Epiſcopis & Abbatibus, & diu haec omnia revolvens, tandem judicavit concordiam quam Otbrannus & Orricus adeo religioſi Abbates cum quadam parte Capituli ſancti Albini, quamvis altera contradicente, fecerant, non poſſe diſſolvi. Cumque ſancti Albini monachi a ſingulis Epiſcopis, Agennenſi & Nan-

& Nannetensi videlicet, Abbatibus vero sanctæ Mariae Dolensis & sancti Johannis Angeliacensis, Clericis autem Petro Decano, Achelmo Archidiacono Burdigalensibus, quos ipse Amatus ad judicium hoc faciendum secum advocaverat, quaererent utrum hoc judicium facerent vel consentirent, nemo eorum vel affirmavit vel negavit, praeter sancti Johannis Angeliacensis Abbatem, qui nec facere nec consentire huic judicio coram omnibus professus est. Deinde sancti Albini monachi hoc judicium palam omnibus calumniati sunt injustum esse & falsum, & contra sanctorum canonum decreta prolatum proclamantes; poposceruntque ut vel ipse Amatus data sententia canonica hoc judicium corroboraret, vel ipsi canonicis sententiis id refutando improbarent. Ad quae Amatus & ceteri hujus injusti judicii conscii nullum omnino dedere responsum; pluribus monachis, Clericis, laicis aperte dicentibus hoc injustum videri judicium. Huic placito interfuerunt Simon Agennensis Episcopus, Benedictus Namnetensis Episcopus, Auldebertus Dolensis Abbas, Ausculfus Angeliacensis Abbas, Guillelmus Abbas sancti Florentii, & de monachis ejus, Mauritius, Oliverius, Radulfus, Haimo. De monachis Vindocinensibus, Frotmundus Prior, Radulfus, Daniel, Gaufridus, Adelelmus. De monachis sancti Albini, Girardus Prior, Helinannus, Stephanus, Milo. De famulis eorum, Haimarus Malpetit, David, Lucas, Ingelgerius. De Clericis, Leodegarius Archidiaconus Pictavensis, Radulfus Archidiaconus Namnetensis, Achelmus Archidiaconus Burdegalensis, Vuillelmus Apulus, Guillelmus Salmurensis Archipresbyter, Petrus Decanus Burdegalensis, Petrus de Subisa.

---

## PASCHALIS II. PAPÆ

*Epistola ad Arcembaldum Abbatem sancti Albini Andegavensis, qua confirmat judicium Urbani II. de concordia inita inter monachos sancti Albini & Vindocinenses.*

PAschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Arcimbaldo Abbati monasterii sancti Albini quod apud Andegavim situm est salutem & apostolicam benedictionem. Ex praedecessoris nostri sanctae memoriae Urbani secundi Papae litteris intelleximus quod ante conspectum ejus a monachis sancti Albini, adversus Vindocinenses quaestio facta fuerat super sancti Clementis Ecclesia Credonensi. Tum ex beneplacito ejusdem Pontificis deliberatum fuit ut Vindocinenses fratres pro recompensatione supradictae Ecclesiae aliam sancti Albini monachis Ecclesiam traderent. Unde factum est ut Vindocinenses eisdem monachis Ecclesiam sancti Johannis super Ligerim darent, quod utriusque congregationis favore consensuque firmatum est. Nostro autem tempore Gosfridus Vindocinensis Abbas super eadem Ecclesia sancti Johannis Arcimbaldum sancti Albini Abbatem sollicitare studuit. Unde nos ab eo efflagitati, Arcimbaldum ipsum nostris ad causam litteris evocavimus. Ceterum post terminum a nobis statutum, cum ipsi alio sibi tempore secundum vel tertium terminum statuissent, sicut nobis eorum litteris significatum est, Arcimbaldo super ad profectionem parato, sicut ex ejus legatione percepimus, Vindocinensis Abbas non solum non venit, sed nec excusationes rationabiles allegavit. Nos igitur simulationes & dissimulationes hujusmodi perpendentes, juxta postulationem venerabilis fratris nostri Rainaldi Andegavensis Episcopi quieti vestrae in posterum super hoc negotio duximus providendum. Praesentis igitur decreti pagina convenientiam illam quae per supradicti praedecessoris nostri deliberationem constituta est firmam perpetuo permanere decernimus, omnimodis prohibentes ne super illa sancti Johannis Ecclesia ulterius sancti Albini monasterium Vindocinensis Abbas inquietare praesumat. Quod si praesumpserit, inquietatio ipsa vires nullas obtineat. *Vide Goffrid. lib. I. epist. 8.*

Ego Paschalis Catholicae Ecclesiae Episcopus subscripsi.

Data Beneventi per manum Johannis Diaconi Bibliothecarii VIII. Kal. Junii, Indictione VIII. incarnationis dominicae anno MCXV.

---

# VARIA
# DE HUGONE
## EPISCOPO DIENSI
### Et Archiepiscopo Lugdunensi, sedis apostolicæ Legato.

*Epistola Hugonis ad Radulfum Archiepiscopum Turonensem de Legatione sua.*

*Ex Lib. VI. Misc. Bal. pag. 410.*

*An. 1075.*

RAdulfo venerabili Turonensium Archiepiscopo Hugo sanctae Romanae Ecclesiae Apocrisiarius aeternae vitae beatitudinem. Quanti matrem vestram sanctam Romanam Ecclesiam liberalitas vestra habeat, an ex corde Domino Apostolico adhaereat, quanto amore eum amplectatur, nunc ostendetis; ex cujus parte habeo vobis quaedam dare & dicere, pro quibus necessarium est vos ad me venire. Licet enim suorum fidelium minimo, tamen suo & sanctae Romanae Ecclesiae filio, in tradendis ecclesiasticis negotiis vices suas mihi commisit; pro quibus prudentiam vestram elaborare vigilanter & scientiolam nostram Deo auxiliante prius quam a vobis recedam diligentissime oportebit insudare. Unde admoneo precor auctoritate etiam mihi commissa & suggero ut mecum loqui quam citius poteritis non differetis. Valete.

---

*Alia ad eundem, qua eum invitat ad Concilium Divionense.*

HUgo gratia Dei Diensis Episcopus sanctae sedis apostolicæ Legatus Turonensi Archiepiscopo salutem. Dilectionem vestram, carissime, latere minime credimus quanta dominicarum ovium pericula *An. 1076.*

ricula, abundante iniquitate & refrigescente caritate multorum, sancta patiatur Ecclesia, dum sanctae fidei adversantium cotidie multiplicatur numerus, & pastoralis ordo ad susceptam curam minus debito inveniatur sollicitus. Sed si sanctorum patrum auctoritas ut Christianae religionis semper augeretur dignitas omni intentione laboravit, nobis invigilandum summopere est ne nostra depereat negligentia quod illorum crevit diligentia. Vestræ itaque fraternitati nos in Lugdunensi diocesi apud Ausam Concilium habuisse & quibusdam ecclesiasticis necessitatibus Deo auxiliante consuluisse notificamus; in quo nonnullis emergentibus causis ad reparandum sanctæ Ecclesiae statum non minimum necessariis consilio confidentium fratrum aliud IV. Non. Januarii apud * Diversionem castrum Burgundiae celebrandum proposuimus; ad quod vos venire & suffraganeos vestros ex parte nostra invitare praecipimus. Valete.

* Divionem.

*Alia ad eundem, qua eum invitat ad Concilium Arvernense.*

A. 1077. HUgo dignatione Dei Diensis Episcopus Romanæ Ecclesiae Legatus Rodulfo Turonensi Archiepiscopo salutem. Messis quidem multa, operarii vero pauci. Unde nobis magis lamentandum, qui in area Domini triturare videmur. Qua propter, quia Ecclesiam Domini undique distrahi videmus, apud Arvernicam urbem VII. Idus Augusti synodale Concilium indiximus. Comprovinciales tuos & aliarum regionum religiosos quos potuimus invitavimus. Te quoque sicut fidelissimum socium in via Dei & adjutorem ejus caritative vocamus & auctoritate nobis (concessa) præcipimus ut venias, omnesque tuos suffraganeos venire invites omni remota excusatione. Vale.

*Alia ad eundem, qua eum invitat ad Concilium Augustodunense.*

A. 1077. HUgo gratia Dei Diensis Episcopus & sanctae Ecclesiae Romanae Legatus Rodulfo Turonensi Archiepiscopo salutem. Gratias habeo innumeras quia semper obediens extitisti & sanctae Ecclesiae in necessitate subvenire pro posse & scire tuo non refugisti. Te igitur valde nobis necessarium pro tua ipsius etiam necessitate apostolica auctoritate vocamus, & per te tuos suffraganeos Episcopos, tuos etiam utiliores clericos & Abbates, ad synodum in Augustodunensi civitate IV. Idus Septembris celebrandam venire præcipimus.

*Acta concordiæ inter Abbates Angeliacensem & Carrofensem de Ecclesia de Varezia, in Concilio Burdegalensi.*

An. 1079. NOtum sit tam praesentibus quam futuris fuisse contentionem diutinam inter Abbatem sancti Johannis & Abbatem Carrofensem de Ecclesia de Varezia; constitutumque est ab eis ut de hac causa judicaretur in Concilio Burdegalensi. Quod & factum est. Duo enim Legati sanctae Romanae Ecclesiae, scilicet Episcopus Amatus & Hugo Episcopus Diensis, necnon Joscelinus Burdegalensis Archiepiscopus, atque Guillelmus de Auscis Archiepiscopus, Comes quoque Pictavensis Guido, deinde Rainaldus sancti Cypriani Abbas, Archidiaconusque Burdegalis Joscelinus Ammelinus. Hi omnes hujus rei fecerunt judicium; eoque facto, juxta consuetudinem Concilii, protinus Domnum Odonem Abbatem sancti Johannis pariter cum suis vocaverunt, ac postea Domnum Fulcradum Carrofensem Abbatem & suos; sub quorum praesentia præjudicatam confirmantes sententiam, jam dictam Ecclesiam beato Johanni vindicaverunt. Erant autem cum Domno Oddone sancti Johannis Abbate Ausculfus Prior, Andreas monachus, Aimericus, Raimundus, Ostendus, Constantinus. Carrofensis vero Abbas habebat secum fratrem suum Turonorum Archiepiscopum, Oddonem fratrem Aldeberti Comitis de Marchia, Petrum Ferricardum.

*LITTERÆ*

## HUGONIS ARCHIEPISCOPI

*Lugdunensis de Ecclesia sanctæ Fidis de Castelleto data monasterio Conchensi.*

IN nomine sanctae & individuae trinitatis. Notum sit omnibus sanctae Dei Ecclesiae filiis praesentibus & futuris quod ego Hugo Dei gratia Lugdunensis Archiepiscopus dono Deo & sanctæ Fidi de Conchis & Begoni Abbati & successoribus ejus & fratribus monasterii ipsius Ecclesiam sanctae Fidis de Castelleto & Ecclesiam sancti Victoris cum appendiciis suis, quam præfatam Ecclesiam dividit Liger fluvius, sub annuali censu octo solidorum; quorum medietas solvetur in festivitate sancti Martini, medietas vero in purificatione sanctae Mariæ; retentis synodo & paratis secundum morem aliarum Ecclesiarum, & obedientia exhibenda tam nobis & successoribus nostris quam & Archipresbyteris nostris. Facta est donatio haec Lugduni in domo nostra episcopali consilio Canonicorum nostrorum, Bladini Decani, Arbeti Archidiaconi, Verini Capellani nostri. Et ut hæc donatio firma permaneat, sigillo proprio subter signavimus, & testibus corroborandam tradidimus. S. Bladini. S. Arberti. S. Verini calvi. S. Verini Capellani nostri. S. Rostagni Ferlot. S. Fulcherii. S. Veraldi. S. Poncii Ego Ugo ad vicem Cancellarii scripsi & subscripsi.

*Litterae Gaufridi Comitis Mauritaniae de Ecclesia S. Dionysii Nogeatensis in Pertico.*

IN nomine sanctae & individuae Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti, qui est trinus in nomine & unus in numero. Conditor mirabilis rerum, cum sit omnium dominus, nullaque nisi ab eo pro meritis subjectorum potestas hominibus in hoc salo sit concessa, potentes hujus saeculi bonis operibus insistentes a se non abicit, sed, uti Apostolus ait, personarum acceptor non est, verum in omni gente qui timet eum & operatur justitiam acceptus est illi. Quapropter ego Gaufridus castri Mauritaniae Comes notum esse volo omnibus orthodoxae fidei cultoribus quoniam Ecclesiam pretiosi martyris Dionysii sociorumque ejus, quam avus meus Gaufridus inter Yozunae fluvium castrumque Nogenti in Pertico fundavit, pater vero meus rebus suis magnifice auxit, annuentibus & factum confirmantibus Richerio Senonensium Archiepiscopo & Carnotensis Ecclesiae Canonicis, & Tetbaldo Comite, & uxore mea Beatrice, necnon Rotroco filio meo, cunctisque optimatibus & militibus meis, tam adquisita quam adquirenda, trado ad altare sublimissimorum Apostolorum Petri & Pauli quod est situm in loco qui Cluniacus dicitur, ubi domnus Hugo Abbas praeesse videtur, & pro parentum meorum meaque salute necnon mearum sobolum incolumitate sine ulla contradictione ex mea potestate in illorum transfundo, ut deinceps ipse domnus Abbas & successores ejus habeant, teneant, possideant, regant, & dirigant secundum suum velle & posse. An. 1081.

Im-

Imprecor autem Ananiae & Saphirae mortem Judaeque proditoris poenam cunctis qui cupiditatis viſco. de rebus datis vel conceſſis quicquam tentaverint ſubripere vel minuere. Dono etiam vicum ſupradictae Eccleſiae adjacentem cum a. prati agripennis totamque terram juris mei uſque ad Rodnam fluvium, & ſuper ipſum fluvium duos farinarios, Eccleſiam quoque ſancti Hilarii cum decima & ſepultura omnibuſque appendiciis ſuis, terram etiam Burcardi cum broilo, terramque de Belſeria, alodium etiam quod poſt mortem matris ſuae avus meus in Aſconis villa ipſi Eccleſiae contulit, necnon Eccleſiam de Campo rotundo cum Nigellae terra & omnibus appendiciis ſuis, ſuper Heram fluviolum in loco qui dicitur Vivariis terram cultam & incultam cum pratis & ſilvis. Res quoque ſervorum meorum morientium tam in aedificiis quam in rebus aliis concedo. Saltus etiam meos conſuetudinarios eſſe jubeo uſibus Eccleſiae aediumque monachorum; & remitto paſnadium porcorum ſuorum. In Carnoteno oppido dono cenſum quatundam arearum. In burgo caſtri Dunenſis Eccleſiam ſancti Sepulcri, quam avus meus Gaufridus ſervis ſuis ideo fundare permiſit ut ſupradictae Eccleſiae ſubjaceret. Concedo etiam meorum fidelium dona futura emptioneſque quas monachi a meis hominibus quocumque modo agere potuerint, & omnia data vel danda ab eis ita libere poſſideri ac haberi ut mei haeredes ſuccedentes neque per theloneum neque per vicariam neque per bannum neque per collocationem ſuorum Militum neque per aliquam aliam conſuetudinem, quamvis modicam, monachis vel ſuis inferant inquietudinem hominibus. Et dono ad omnes aedificationes ſuas agendas omnes ſaltus meos, excepto Pertico, & in caſtro Dunenſi quinque ſtallorum ſalis ac carnis conſuetudinem, & meo aſſenſu in loco qui Oratorius dicitur Vivianus filius Otradi cum Hugonis filii ſui aſſenſu terram unius aratri dedit. Ego vero Gaufridus Comes, Domino meo Tetbaldo Palatino Comite annuente, in territorio Dunenſi praedicto loco dono ex mea parte X. agripennos vineae in loco qui Fracta vallis dicitur, & in Moriſmi villa terram unius aratri medietatemque Eccleſiae de Margone atque molendinum de Ruitura cum tali molta qualem in manu mea habebat, terram quoque de Bremeracurte cum mediatoria, ac terram Boeniaci cum mediatoria, medietatem etiam Beoanis villae ſilvaeque quae dicitur Olingavis. Haec itaque data atque in futuro danda ita concedo eſſe libera ut avus meus Gaufridus & pater meus Rotrocus ſua ſuorumque fidelium dona libera eſſe ſanxerunt, quatinus ego & uxor mea & progenies de nobis exitura peccatorum noſtrorum veniam in hoc ſaeculo adipiſci mereamur, & in futuro aeterna gaudia bonis omnibus repromiſſa conſciſcamur. Ego Gaufridus Comes donationem hanc laudo, corroboro, & manu mea ſigillo. S. Beatricis Comitiſſae, quae fecit & conſenſit. S. Rotroci filii eorum. S. Rotroci fratris Comitis. S. Rodberti Pagani. S. Hugonis de Silie. S. Willelmi Vuitardi. S. Genelonis. S. Vualteri de Matella. S. Pagani S. Salonis. S. Herberti de Arro. S. Fulcoii de Mezuerola. S. Reinaldi Vicarii. S. Guitardi. S. Gaufridi filii Willelmi. S. Odonis de Re. S. Odonis Briſardi. S. Gaufridi Ridelli. S. Odonis Bigo. S. Aymerici filii Reinaldi.

Hanc cartam Gaufridus Comes & uxor ejus Beatria in Concilio Meldenſi cui Domnus Hugo Epiſcopus Dienſis Domini Papae vicarius praeſedit, cuique etiam Domnus Amatus Olerenſis Epiſcopus ejuſdem Papae vicarius interfuit una cum multis religioſiſſimis viris Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque orthodoxae fidei cultoribus, praeſentaverunt, humili devotione petierunt quatinus ſupradicti Papae vicarii cum laude atque aſſenſu circumſedentium auctoritate apoſtolica praemunirent atque indiſſolubili firmitate ſolidarent. Quorum petitioni jamdicti vicarii congaudentes cartam hanc laudaverunt, atque nullo contradicente, nemine calumniante, ſed univerſa ſynodo applaudente atque favente, auctoritate Dei & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & Domni Gregorii Papae ſibi commiſſa inviolabiliter firmaverunt. S. Aganonis Æduenſis Epiſcopi. S. Hugonis Lingonenſis Epiſcopi. S. Walterii Cabilonenſis Epiſcopi. S. Landrici Mariſcenſis Epiſcopi. S. Hugonis Nivernenſis Epiſcopi.

---

*Littera Guarini Comitis Roſnacenſis de Eccleſia ſancta Margareta data monaſterio Cluniacenſi.*

IN nomine ſanctae & individuae trinitatis. Omnibus ſanctae catholicae Eccleſiae filiis praeſentibus An. 1082.
atque futuris notiſſimum volo fieri ego Guarinus dictus Comes Roſnacenſis territorii quod propter gratiam ejuſdem honoris tranſitorii, dum eſſem filius ſaeculi, cogitavi ut in alimoniam filiorum Dei, qui pro peccatis meis & totius populi creduntur orare pietatem Domini, donarem partem allodii mei & illud quod habebam in Eccleſia ſanctae Margaretae Domino & ſancto Petro Cluniacenſis coenobii. quod praecogitatum Domino volente perfeci, conſtitutis inibi fratribus qui ſub propoſito regulari Domino deſervirent & ſanctae virgini. Sed altare & quartam partem ipſius Eccleſiae tunc temporis poſſidebant fratres Dervenſis monaſterii, ubi honorifice requieſcit corpus venerabilis Berchari. Ut ergo prædictam Eccleſiam ex integro haberent Cluniacenſes monachi, conſilio habito cum Domno Apoſtolico Hildebranno nomine, in papatu autem dicto Gregorio, ut morerer mundo & viverem Deo, in remiſſionem omnium delictorum, & ad ſalutem anteceſſorum meorum, cum benedictione apoſtolica, & cum licentia Epiſcopi mei Domni Hugonis Trecaſini, & cum favore Theobaldi Comitis Palatini, cum laude etiam propinquorum meorum, dedi me cum allodiis meis principibus Apoſtolorum Petro & Paulo, venerabili quoque Berchario, in praeſentia Domni Abbatis Brunonis & monachorum fideliumque ſuorum. Itaque jamdictus Abbas & monachi annuerunt Cluniacenſibus altare & quartam partem ſupra memoratae Eccleſiae, acceptis ſibi alodiis quae erant liberae conditionis, & abſque jugo ullius advocationis, ſine alicujus judiciaria poteſtate ſive banno, ad poſtremum ſine aliqua redhibitione omnis hominis. Haec igitur ſunt alodia quae tradidi Deo & ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, beato quoque Berchario, monachiſque ſuis perpetualiter habenda. Roſerias, Munetium, Juncherejum, cum appendiciis ſuis, videlicet ſervis & ancillis, terris cultis & incultis, ſilvis, pratis, aquis, aquarumque decurſibus. Ut autem hoc meum donum eidem Eccleſiae & fratribus inibi Deo ſervientibus perpetuo habendum remaneat, & ut nullius calumniatoris injuſta invaſione reſcindi valeat, Domnum Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum & apoſtolicae ſedis Legatum praecepto jamdicti Domni Apoſtolici Gregorii rogavi ut facta excommunicatione hanc chartam confirmaret ſub teſtimonio & laude omnium Epiſcoporum, Abbatum, & caeterorum Dei fidelium Concilio Meldenſi adſtantium. Ipſe vero libentiſſime annuens petitioni meae adſenſum praebuit, & communi decreto totius ſancti Concilii ut petieram confirmavit ſub diſtrictione hujus anathematis. Auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli excommunicamus, & a liminibus matris Eccleſiae ſeparamus & removemus, aeterna quoque damnatione percutimus & damnamus eos quicunque de rebus ſupradictorum alodiorum Comitis Guarini aliquam fraudem vel injuſtitiam fecerint Eccleſiae Dervenſis monaſterii, niſi reſipiſcentes & eidem Eccleſiae ſatisfacientes dignum pœnitentiæ fructum egerint.

Signum Hugonis Dienſis Epiſcopi.
S. Amati Vicarii Papae Gregorii.
S. Richardi Archiepiſcopi Bituricenſis.
S. Hugonis Trecaſini Epiſcopi.

S. Ro-

S. Rogeri Cathalaunensis Episcopi.
S. Rorici Ambianensis Episcopi.
S. Hugonis Gratianopolitani Episcopi.
S. Hugonis Lingonensis Episcopi.
S. Haganonis Augustidunensis Episcopi.
S. Hugonis Nivernensis Episcopi.
S. Arnulphi Suessionensis Episcopi.
S. Landrici Matiscensis Episcopi.

Comes etiam Tebaldus, & uxor ejus Alaidis nomine, & Odo filius ejus, laudaverunt & sua signa fecerunt. S. Tebaudi Comitis. Alaidis uxoris ejus. S. Odonis filii ejus.

---

*Litteræ suffraganeorum Ecclesiæ Lugdunensis ad Episcopos & Abbates Turonenses pro monachis Majoris monasterii Turonensis.*

An. 1082. AGano Augustudunensis Episcopus, Robertus Lingonensis, Galterius Cabilonensis, Landricus Maticensis vice Primatis curam gerentes Ecclesiae Ludunensis cum toto Ludunensis cleri conventu, omnibus provinciae Turonensis Episcopis, Abbatibus, clericis & monachis, atque laicis obedientibus Radulpho Archiepiscopo Turonensi divinam gratiam & suam. Quam mira crudelitate Fulco Comes Andegavensis matris Ecclesiae Turonensis visceribus gladium suae persecutionis immerserit, quam superba praesumtione adversus eandem matrem monachi Majoris monasterii insurrexerunt, nullum vestrum credimus ignorare. Nec vos latet Gaufrido Andegavensi Episcopo non deesse potestatem cogendi Fulconem ad tanti facinoris emendationem, si divinis quam tyrannicis praeceptis obedire praeligeret, si apud eum districtionis ecclesiasticae quantumlibet studium vigeret. Ipse vero propositum suae professionis violans, nec divinis mandatis nec Archiepiscopi sui monitis obediens cum fratribus in defensione justitiae desudantibus, cor suum in otio & delitiis enutriens, fovit magis quam impugnavit supradicti Fulconis malitiam. Cum ergo super his omnibus clamor Turonensis Ecclesiae nostram pulsasset sollicitudinem, tam Fulconem Comitem quam Episcopum Andegavensem & monachos ad sanctae sedis Lugdunensis examen justitiam facturos & accepturos invitavimus. Quibus ad diem statutum judicium per absentiam fugientibus & in perversitate sua pertinaciter persistentibus, Episcopum quidem Andegavensem ab episcopali & sacerdotali officio, quod & suus Archiepiscopus ei interdixerat, suspendimus, Fulconem vero cum monachis Majoris monasterii ex auctoritate beati Petri atque Domni Hugonis Primatis & Romanae Ecclesiae Legati excommunicationis gladio percussimus, omnes quoque fautores eorum seu cum ipsis communicantes sub eadem excommunicatione conclusimus. Obsecrantes autem fraternitatem vestram hortamur ut matris vestræ doloribus sicut pii filii condolentes ipsi tota virtute solatiari studeatis & Radulfo ejus Archiepiscopo sicut patri vestro humiliter obediatis, neu cum supradictis excommunicatis communicetis, ne vestras animas alienis facinoribus aggravetis. Valete.

---

*Litteræ Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis ad Hugonem Archiepiscopum Bisuntinum pro monachis S. Benigni Divionensis.*

HUgo Dei gratia Lugdunensis Ecclesiae servus dilecto in Christo fratri Hugoni venerabili Bisontinorum Archiepiscopo salutem. Significamus dilectioni vestrae Dominum Papam nuper nobis litteras direxisse in quibus post alia quaedam nobis praeceptum est ut vos conveniremus & auctoritate sua commoneremus quatinus Abbati Divionensi Ecclesiam sanctae Mariae de Salina redderetis. Super qua querimonia, prout reminiscimur, antecessor vester saepe a nobis ad justitiam exequendam cum prædicto Abbate vocatus fuit, & ad ultimum ad Meldense Concilium invitatus; a quo cum nulla existente canonica excusatione se absentasset, ab eodem Concilio judicatum est Abbatem inde investiendum aut Ecclesiam divino officio usque ad plenam justitiam esse privandam. Proinde praescripta præceptione constricti dilectionem vestram apostolica auctoritate commonemus ut secundum quod rationabiliter praedicti Concilii judicio provisum est Abbatem de praedicta Ecclesia investiatis. Quod quantum prudentiae vestrae satagendum sit ex sententia Domini Papae, quam per eadem verba hic subjecimus, poteritis cognoscere, quibus ita nobis scribit.

Prætcrea præcipimus strenuitati tuæ ut ex nostra parte Bisontinum antistitem convenias & Divionensi Abbati Ecclesiam sanctae Mariae de Salina reddere auctoritate nostra commoneas, insuper & fructum praediorum quem retentionis tempore usurparunt.

---

*Littera ejusdem Hugonis ad Lambertum Episcopum Attrebatensem, quibus eum invitat ad Concilium Augustodunense.*

An. 1094. HUgo Lugdunensis Archiepiscopus apostolicae sedis Legatus venerabili in Christo fratri Lamberto Atrebatensi Episcopo salutem. Novit fraternitatis vestrae dilectio quam frequentibus Domni Papae Urbani litteris de convocanda in Gallia synodo sim commonitus & obedientia adstrictus & quod diutius onus illud suscipere recusaverim. Quia vero ulterius repugnare nec volui nec debui, tandem consilio Domni Abbatis Cluniacensis & religiosorum virorum Episcoporum atque Abbatum apud Augustidunum Idus Octobris Concilium habendum designavimus; ad quod dilectionem vestram apostolica auctoritate invitamus. Et quamvis credamus vos non ignorare quid de charissimo fratre nostro Remensi Archiepiscopo vel de privilegio quod ab apostolica sede accepit Domnus Papa nobis mandaverit, ipsa tamen ejus scripta vobis direximus, quibus nos de his post aliqua in haec commonuit verba. *Et nos Remensi Ecclesiæ debitam reverentiam conservantes in privilegio quod confratri nostro Rainaldo Archiepiscopo dedimus & statuimus ne ejus causæ alterius nisi Romani Pontificis arbitrio decidantur. quod & de cæterorum Episcoporum majoribus causis canonum scita constituerunt. Quod videlicet ita sentiendum est ut nullus Primas quasi pro peculiari Ecclesiæ suae reverentia id præsumat exigere. Cum vero Legato Romani Pontificis subjicitur, ipsi soli subjicitur cujus per Legatum vices aguntur. Et ipsum ergo Remensem & cæteros qui legationi tuæ solent esse subjecti ad Concilium tuæ sollicitudinis studium convocet & Ecclesiæ sanctæ utilitatibus omni dissimulatione seposita ferventer insudet.* Juxta haec ergo Domni Papae verba ad denominatum Concilium fraternitatem vestram cum Abbatibus vestris apostolica auctoritate invitamus quia de amicitia vestra confidimus, & in re tanta utile amici consilium & pernecessarium nobis esse scimus. Nos quoque consiliis tuis acquiescere Deo volente parati sumus.

---

*Acta concordiae initæ in Concilio Claromontano inter Hugonem Abbatem Cluniacensem & Pontium Abbatem Casæ-Dei.*

An. 1095. NOverint omnes Ecclesiae Dei fideles tam præsentes quam posteri qualiter Domnus Hugo Abbas Cluniacensis & Domnus Pontius Abbas Casæ-Dei, fratresque eorum in Claromontensi Concilio per manum Domini Papæ Urbani secundi & venerabilium Archiepiscoporum Domni Hugonis Lugdunen-

dunensis & Domni Aldeberti Bituricensis aliorumque multorum religiosorum virorum, sopita omni simultate quae inter eos ex quibusdam occasionibus emerserat, in pacem & concordiam redierint. Sciendum est itaque quia Domnus Abbas Pontius & fratres Casae Dei concesserunt Domno Hugoni Abbati & fratribus Cluniacensibus Boortense monasterium & Ecclesiam de Amperto, Ecclesiam quoque sancti Stephani de Castello, & Ecclesiam Digneio, atque Ecclesiam de Cosantia, Ecclesiamque de Vongejo, & Ecclesiam de Friseeio, atque Ecclesiam de Snireiaco, cum omnibus earum appendiciis, tam in terris & possessionibus quam in decimis caeterisque redditibus, & partem decimae de Ecclesia Cosiaci, partem quoque decimae quam habebant in Ecclesia de Judaeis, ut habeant deinceps haec omnia in perpetuum. E converso Domnus Abbas Cluniacensis & fratres ejus concesserunt Domno Abbati Casae Dei & fratribus ejus obedientiam de Castellione juxta castrum Corziacum & Ecclesiam de Casa Mediana cum omnibus ad eas pertinentibus ut possideant ea omnia in perpetuum, ita tamen ut in Casa Mediana habitantes monachi praeter duos aut tres non habeantur, habitantes autem in castello quod vocatur Castellutium habeant facultatem sepeliendi vel in cimiterio capellae ipsius castelli vel in Ecclesia de Auzac, quae est parrochialis. Caetera vero omnia quae eo die in quo haec concordia facta est aliqua investitura tam fratres Cluniacenses quam fratres Casae-Dei tenebant finierunt sibi in perpetua pace, nec sibi deinceps ea ad invicem calumniabuntur. Convenerunt etiam inter se ut quaecunque de caetero terrae vel possessiones sibi darentur ab illis qui eas aliqua investitura tenerent, fratres illi qui inde qualccunque donum susceperint, eas sibi sine calumnia & quaestione aliorum habeant. In Ecclesiis vero adquirendis, quicunque eorum primum partem adipisci dono ejus qui investitus est poterit, tenebit eam in pace, nec quilibet alterius congregationis vim aut calumniam inferre poterit, nec adquirendi vel aedificandi Ecclesiam in ipsa parrochia licentiam vel facultatem habebit. Clericorum autem vel militum quisquis in extremis positus, cuicunque loco eorum sese ad sepeliendum destinaverit, ibi sine calumnia sepelietur, & quaecunque dederit locus ipse in pace retinebit, etiamsi se vel sua prius alteri parti devoverit, excepto quod si aliqua aliis cum investitura primum dedit, non licebit ea nisi ipsis qui inde investiti fuerant habere. Cupientium venire ad monasticum ordinem & habitum, nulli suscipiendi aditus, quocunque ire velit, ab altero probibebitur, etiamsi se ei primum devoverit. Et si qua tunc largitus fuerit, locus ipse quem ingreditur in pace possidebit, exceptis his quae cum investitura aliis primum contulit. Suscepti ad habitum transire ab uno ad alterum monasterium non poterunt, nisi forte cum licentia Abbatis sui. Actum publice apud Clarum-montem & laudatum atque confirmatum auctoritate Domni Papae Urbani II. ut sic ab utrisque inconvulse teneatur, anno ab incarnatione Domini MXCV. Kal. Decembris, indictione IIII.

---

*Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis epistola ad Ivonem Episcopum Carnotensem.*

*Respondet epistola 60. Ivonis.* HUgo primae sedis Lugdunensis Episcopus reverendo fratri Ivoni Carnotensi Episcopo salutem. Inter caetera capitula quorum congestione innocentiam nostram quasi ex obliquo tangendo inficere nisus estis, quibus suo tempore respondebimus, secundum petitionem vestram de duobus ultimis ad praesens respondere decrevimus. Quod tam vobis quam suffraganeis vestris ne Senonensi electo manus imponeretis interdiximus donec obedientiam & debitam subjectionem nobis promitteret, primatum Lugdunensis Ecclesiae secundum Domni nostri Papae Urbani & praedecessorum ejus apostolicas sanctiones recognosceret, non irrationabiliter vel contra antiquas patrum regulas factum esse putavimus. Non enim notitiam vestram subterfugisse credimus quam contumaci pertinacia, & pertinaci contumacia Senonenses clerici, de quorum grege electus ille esse dinoscitur, apostolicis de primatu Lugdunensi instituta ac privilegiis obviantes & inobedientes extiterint & Archiepiscopum suum modo defunctum usque ad mortem in sua inobedientia perseverare fecerint. Propter quam videlicet inobedientiam Domnus noster Papa Urbanus ab episcopali eum officio suspendit, & vos & alios suffraganeos vestros obedientiam & subjectionem nobis ut Primati vestro promittere fecit. Testante autem Gregorio in ultimo moralium libro inobedientia ariolandi peccatum dicitur, & quasi scelus idololatriae nolle acquiescere. Obedientia vero fidei meritum possidet: qua sine quisque infidelis convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Hac itaque beati Gregorii ratione & auctoritate tam praedictus quam alii clerici Senonenses eum primatum Lugdunensis Ecclesiae respuendo apostolicae auctoritati tam arroganter tamque pertinaciter obedire recusaverint, & Episcopum suum, quemadmodum diximus, usque ad vitae exitum, non solum persuadendo, verum etiam violenter instigando, in sua inobedientia perdurare compulerint, quamvis fideles videantur, infideles tamen & quasi idololatrae esse convincuntur. Perpendat igitur vestra discretio utrum infidelis aut idololatra, donec ab infidelitate vel idololatria resipiscat, in Episcopum canonice possit aut debeat eligi vel consecrari. Perpendat etiam utrum si hoc fieri prohibemus privatis legibus & novis traditionibus, quemadmodum dicitis, veteres traditiones & consuetudines de Metropolitani consecratione removere contendamus, vel ut hoc facto improperastis culicem colantes camelum glutiamus. *Vide Ivonem Carnot. epist. 60. 65.* Legationis autem nostrae privilegio nec ipsum de quo agimus vel quemlibet alium electum nobis praesentari contendimus, sed secundum apostolicam traditionem electionem & nomen electi ad notitiam nostram referri volumus, ut eam cognitam approbemus. Si vero jure primatus Lugdunensis Ecclesiae privilegiis & auctoritate Domni nostri Papae Urbani ac praedecessorum ejus firmati a Senonensi electo obedientiam & subjectionem Primao debitam ante consecrationem exigimus, per hoc sanctorum patrum traditiones nos rescindere vel illi, si professus fuerit, officere, quasi hac professione consecrationem comparasse videatur, nequaquam cognoscimus, cum episcopalis dignitas bonis meritis & fructibus ex obedientia prodeuntibus adquiri debeat, & in examinatione consecrandi electi, utrum Romanae Ecclesiae obediens esse velit ante consecrationem requiratur. His itaque freti rationibus, quod de eo vobis vel comprovincialibus vestris praecepimus immutare nolumus. Si autem Domnum Papam de traditione probatissimorum patrum praecedentium aliquid diminuisse vel immutasse aut novitatem aliquam admisisse dicitis, vel decreto ipsius de investitura episcopatuum vel aliarum dignitatum ecclesiasticarum, quam Reges olim mutationes usurparunt & adhuc usurpare contendunt, contraire vultis vel contraeundum esse decernitis, vos videritis. Quod videlicet cum non solum modo verum etiam tempore beatae memoriae Gregorii Papae tam firmiter promulgatum videritis vel audieritis, si quid addendum vel demendum vel ad tempus intermittendum, ne spiritualia vel temporalia commoda impedirentur, cognovistis, non quasi insidiando vel redarguendi occasionem haberetis reticere, sed magis ipsis velut patribus bonus ac prudens filius reverentiam suggerere & intimare deberetis. Nos vero ipsam constitutionem canonicam & secundum antiquas legales sanctorum patrum consuetudines factam videntes & servare volumus & servandum omnibus super quibus legationis officio fungimur prae-

Vide Ivonem epist. 60. praecipimus. Dixiftis nos Puteacenfes a vobis & coepifcopis veftris propter praedam in vos & in Carnotenfem Ecclefiam communione privatos vobis nefcientibus communioni reddidiffe. Quod cum nec videritis nec audieritis, neque nos fecerimus talia, nequaquam obicere deberetis. Nos tamen bonum pro malo reddentes, & hanc contumeliam five criminationem diffimulantes, Puteacenfibus capellanis & clericis litteras direximus, & divinum officium, excepto parvulorum baptifmate & infirmorum vifitatione, ibidem fieri prohibuimus. Quoniam noftram redargutionem de confecratione Sanctionis gravius jufto tuliftis, prout exitus divina virtute probabit, omnipotentis Dei clementiam obfecramus ut animi veftri motus in nos immeritos temperare dignetur.

---

*Ejufdem Epiftola ad Archiepifcopum Senonenfem pro Abbate fancti Petri vivi.*

An. 1104. HUgo Lugdunenfis Ecclefiae fervus apoftolicæ fedis Legatus venerabili fratri & coëpifcopo Daimberto Senonenfi Metropolitano falutem & fervire Domino in timore. Pro quorundam adverfum vos querimoniis Abbatum veftrorum faepius nos vobis fcripfiffe meminimus, fed quod in nullo apud vos profecerimus, nec veftræ dignationis refponfa aliqua habuerimus, non minima admiratione ftupemus. Sane fi vos Romanæ Ecclefiae Legatus effetis, ficut noftrum falubriter effet vobis obedire, ita veftra magnificentia ex auctoritate noftrae fuper vos legationis parvitati noftræ deberet obaudire. Ecce itidem venerabilis noftri fratris Abbatis fancti Petri vivi querimonias vobis recenfemus. Queritur enim fub occafione debilis cujufdam Presbyteri & juftitiam reclamantis quandam fuam a divino officio per vos ceffare Ecclefiam, cuidam etiam Presbytero defuncto nulla culpa dum adhuc viveret notato, bene & fapienter teftato, fepulturam negatam, ipfis quoque qui eundem pie & officiofe fepelierunt communionem Ecclefiae interdictam. Mandamus igitur & ficut fratrem attentius commonemus ut intermiffa veftra, fi qua eft, juftitia Abbati & Ecclefiis fuis pacem confervetis, taliter excommunicatos falubrius abfolvatis, & in Concilio quod fecunda poft octavas Pentecoftes feria adjuvante Domino Trecis celebraturi fumus de veftris pariter ac ejufdem Abbatis querimoniis juftitiam & accipiatis & exhibeatis. Verendum profecto vobis eft, fi aliter egeritis, ne & facris obviis canonibus & Domni Papae indignationem aliquatenus incurratis, a cujus liberalitate privilegium idem Abbas nuperrime acceperat, & hac quoque vice noftra videamini contempfiffe mandata.

---

*Epiftola Ernaldi Abbatis fancti Petri vivi ad Archiepifcopum Senonenfem.*

DOmino fuo paftori D. Senonenfi Dei gratia Archiepifcopo E. monafterii fancti Petri vivi indignus Abbas cum Epifcopis & Abbatibus ei affidentibus, quae pacis funt & obedientiæ. Si ex arbitrio noftro res proceffiffet, volenti animo huic fancto conventui veftro interfuiffem, utpote quæfiturus ut fub tantis interceffforibus in favorem & gratiam veftram quoquo modo redirem. Propter hanc enim recuperandam, & quia præter prædecefforum veftrorum & noftrorum (morem) in nos & in noftra manum extendebatis, Dominum Papam adii; cujus accepta epiftola ut Ecclefias veftras & noftras in pace laxaretis, precibus & interminationi ejus hactenus acquiefcere diftuliftis, infuper & homines caufæ noftrae implicitos & juftitiam reclamantes excommunicaftis. Ad evitandum itaque tantae oppreffionis periculum Dominum Lugdunenfem Romanae fedis Legatum confultum mifi, qui eos quos anathemate ligaveritis debere folvi mandavit, & de reliquis inter vos & nos non diffinitis fi quis nodus ineffet in Concilio differendum. Utraque vero mandata aeque vos ponderaftis. De cætero de Epifcopo Lingonenfi nobis Ecclefiam auferente querelam coram Papa faciens Dominum Legatum judicem inde acceperam, cujus vocatu his diebus adire Lingonas debueram, fed infirmitate intercedente nec ejus nec veftræ vocationi intereffe potui. valete.

---

*LITTERÆ*

# PIBONIS EPISCOPI TULLENSIS

*De cella Afmantiæ.*

QUoniam de incertis certa requirenda funt, utile & neceffarium eft pofteris ea litteris commendare. Ego igitur Pibo Tullenfis Epifco- Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 448
pus notam facio meis fucceforibus quoniam inter Sophiam Comitiffam & Hodiernam fanctae Clode- An. 1085.
findis Abbatiffam controverfia diu fuerat ne capella fub Afmantia facraretur, ideo quod in territorio domni Martini conftructa erat. Sophia autem multotiens nos adiit, ut confilium noftrum in hoc poneremus. Denique convocato Hermanno Metenfi Epifcopo, confilio & auxilio ejus apud Abbatiffam obtinuimus ut fi cenfuales reditus quos habebat Comitiffa Sophia apud Lavez ei tribueret, & Atemfridum, Badinum, & Lampizonem cum quartariis & forefta de Eingiviler ei benigne concederet laude fua & capituli fanctæ Glodefindis capella facraretur. Huic confilio interfuit Abbas fancti Manfueti Albricus, Evrardus fancti Apri, Hugo nofter Primicerius. Poft hæc, praefente Hermanno Metenfi Epifcopo & Abbatiffa Hodierna donum cellae, donum capellae caftri in manu Abbatis fancti Michaelis Sophia Comitiffa pofuit cum decimis arengalium & ftirpalium & indominicatuum & decimas omnium quae acquirere poffet ea proprio aere. Cartam itaque fieri fibi expetiit de libertate cellae, quam liberam feceram laude capituli noftri ab omni exactione, vicarium liberum qui utrique defferviret & cellae & capellae caftri, qui etiam vicarius fidelitatem faceret Abbati fancti Michaelis de his quae effem fui juris, fidelitatem etiam Abbatiffae de his quae ad eam pertinerent, conductum vicarii Abbati fancti Michaelis benigne annuens, & in perpetuum fcripto aftipulans. Cujus petitioni libenter annuimus, impofito figillo noftro & banno. Ut autem certius teneatur & fciatur, praefens chirographum confcribi rogavimus cum fignis illorum qui interfuerunt. Hocque pactum firmatum eft illo anno quo Jerofolymam iturus eram, anno ab incarnatione Domini millefimo LXXXV. Indictione VIII. epacta XXII. concurrente II. papante Gregorio VII. regnante Heneico III.

Signum Pibonis Tullenfis Epifcopi. S. Hermanni Metenfis Epifcopi, S. Albrici Abbatis S. Manfueti. S. Evrardi Abbatis S. Apri. S. Hugonis Primicerii. Hi autem funt teftes de familia, Maimboldus, Bovonius, Emyco, Emzelinus, per quorum manus XXX. librae Metenfis monetae Hodiernae Abbatiffae traditae funt.

Praeterea antecefores praedictae Comitiffae Sophiae manfum infra fuburbium civitatis juxta portam quae dicitur Eckeardi fancto Stephano protomartyri dederant in Raimbaldi angulo, fed per longa tempora oblivioni traditum fuerat. Renovatum eft ergo donum per manum noftram, & praefenti fcripto confirmatum, ut memoria antecefforum ejus in noftra carta firmius habeatur, maxime pro libertate cellae Afmantiae, quam liberam feceram ab omni exactione.

So-

*Sophia Comitissa de eadem Cella.*

EGo Sophia Asmantiae Comitissa notum facio successoribus meis quod Theodoricus Dux capellulam sub Asmantia in suo proprio fundo construxit, quam in bonore sancti Sigismundi sacrare volebat, & de suis propriis locupletare, sed moris forte praeventus mortuus est. Post longum vero temporis ego Sophia Comitissa capellulam amplificavi & reaedificavi, eamque sancto Michaeli devovi & donavi cum capella castri & decimis arengalium, & stirpalibus & indominicaturis & omnium illorum quae acquirerem ex illa die. Rogavique domnum Pibonem Episcopum Tullensem ut eam consecraret. Sed Abbatissa sanctae Glodesindis, quia in territorio domni Martini constructa erat, Piboni Episcopo vetuit ut non sacraret illam. Ego autem Sophia consilio domni Pibonis & Hermanni Episcopi Metensis, Albrici Abbatis S. Mansueti, & Evrardi sancti Apri, & suorum fidelium, censuales reditus quos habebam apud Layez Hodiernae Abbatissae sanctae Glodesindis tradidi, datis insuper Arenfrido, Badino, Lampizono, cum quartariis & foresta de Ingeviler. Et sic consilio & auxilio Abbatissae & laude capituli sui donum praescriptum in manu Sigisfridi Abbatis sancti Michaelis posui. Et sic terminata controversia, consecrata est capella in honore sanctae Mariae Virginis, & libera facta ab omni exactione, sicut in carta ejusdem domni Pibonis scriptum est, ut vicarius sanctae Mariae liber esset, & utrique deserviret capellae, mihi & meis successoribus conductum vicarii tribuens & in perpetuum astipulans. Hocque pactum firmatum est illo anno quo domnus Praesul Pibo Tullensis Jerosolymam perrexit, anno ab incarnatione Domini millesimo octogesimo v. Indictione VIII. epacta XXII. concurr. II. papante Gregorio VII. regnante Henrico III. S. Pibonis Episcopi Tullensis. S. Hermanni Episcopi Metensis. S. Albrici Abbatis sancti Mansueti. S. Evrardi Abbatis sancti Apri. Signum Hugonis Primicerii. Hi sunt testes de familia, Maimboldus, Bovonius, Emico, Enzelinus, per quorum manus XXX. libras Metensis monetae Hodiernae Abbatissae tradidi, cujus sigillo praesens scriptum insignitur. Denique ab antecessoribus meis Ecclesia Tullensis mansum infra suburbium civitatis juxta portam Ekeardi in Raimbaldi angulo habebat. Hoc donum per manum domni Pibonis renovatum est, tum pro salute animae meae, tum pro libertate cellae Asmantiae, quam liberam fecerat.

De eadem causa agitur in chartis 84. 85. 86 ejusdem chartularii: ex quibus apparet Theodericum Ducem fuisse avum Sophiae Comitissae, eumque successisse jure hereditario Comiti Folmaro in Asmantia.

## HUGO LUGDUNENSIS

*Archiepiscopus Ecclesiam sancti Desiderii in Brixia.*

Ex L. VI. Misc. Bal. pag. 473.

An. 1094.

IN nomine sanctae & individuae trinitatis patris & filii & spiritus sancti. Noverint omnes sanctae Dei Ecclesiae filii praesentes scilicet & futuri quod ego Hugo Dei gratia Lugdunensis Archiepiscopus dono Deo & sancto Petro & reverentissimo in Christo patri nostro domno Hugoni Cluniacensis Ecclesiae Abbati & successoribus ejus fratribusque sub eorum ducatu militantibus Ecclesiam sancti Desiderii sitam in Brixia sub annuali censu trium solidorum, retentis paratis & synode secundum antiquum morem aliarum Ecclesiarum episcopatus nostri, & capellam de Reorterio, cum Ecclesia sancti Pauli infra castri ipsius munitionem sita, cum appendiciis ejus, sub annuali censu quinque solidorum; cujus medietas solvetur in festivitate sancti Martini, medietas vero in purificatione sanctae Mariae. Haec itaque salva subjectione sanctae Lugdunensis Ecclesiae do Ecclesiae Cluniacensi per manum dilectissimi in Christo fratris nostri Seguini ipsius domni Abbatis Camerarii jure perpetuo possidenda pro remedio animae meae & ut fratres Ecclesiae Cluniacensis Deum deprecentur pro excessibus meis & pro statu Ecclesiae Lugdunensis necnon & pro salute omnium Canonicorum & consanguineorum nostrorum. Facta est autem donatio haec Lugduni in praesentia Gerini Capellani nostri & Hugonis nepotis nostri & Godonis Archipresbyteri Canonicorum & Girardi Archipresbyteri. Ut autem haec donatio firma permaneat, sigillo proprio subterfirmavi. Actum Lugduni anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo nonagesimo quarto, indictione II. concurrente VI. Ego Hugo Divionensis Ecclesiae monachus vice Cancellarii scripsi & subscripsi.



## CHARTA DE CONTROVERSIA

*Et de bello quod fuit inter monasterium sancti Albini Andegavensis & Giraudum de Blancofurno pro terra Croiaci prope Peregrinam.*

Ex Lib. II. Misc. Bal. pag. 175.

Circa an. 1096.

TEmpore quo Girardus Abbas monasterio sancti Albini praeerat, quidam homo, Giraodus de Blancofurno dictus, & Hubertus filius ejus, cum reliqua parentela sua, in quandam terram sancti Albini calumniam miserunt quae dicitur Croiacus, & est juxta Peregrinam. Hoc idem se fecisse dicebant temporibus aliorum Abbatum. Et cum Abba Giraudus calumniam eorum sedare nequivisset, habuit placitum cum eis apud Peregrinam; in quo hujusmodi narrationem fecit Giraudus. Matri meae duae sorores fuerunt: quarum una, cui nomen erat Amelina, sicut mulier lasciva, cujusdam servi sancti Albini, cui nomen erat Otgerius, concubina devenit. Quo facto, parentes ejus coeperunt mortem Otgerio minitari, nisi eam duceret in uxorem; sed cum minas eorum sperneret, & hoc de anno in annum facere differret, dederunt ei terram supradictam cum Amelina in matrimonium; & ob hoc fecit eam sibi uxorem. Modo vero, quia nullus est de genere Amelinae aut Otgerii qui terram illam habeat, reclamamus eam; quia de nobis movit, & ad nos reverti debet. Finita itaque ista narratione, venit in medium quaedam mulier bonum testimonium habens, quae istam narrationem ostendit esse falsam, dicens. Terra de qua sermo est, sancti Albini erat antequam Otgerius Amelinam duxisset in uxorem; nec eam Otgerius accepit in matrimonium cum Amelina. Hoc quod dico vidi, & inde testis sum. Sed cum Giraudus verbis ejus fortiter resisteret, monachi verba mulieris vera esse cognoscentes, ceperunt bellum contra Giraudum & Hubertum. Determinato itaque loco ubi bellum fieret, curia scilicet sancti Petri Burguliensis, convenerunt utrinque, Raherius scilicet cum suis, qui erat dominus Giraudi & Huberti, & Girardus Abbas sancti Albini cum suis. Juratis igitur ut fieri solet sacramentis, campiones invicem pugnare coeperunt. Et cum aliquandiu pugna durasset, videntes Giraudus & Hubertus quod campion suus non bene se haberet, dimiserunt calumniam, & terram, pro qua bellum erat, solidam & quietam monachis clamaverunt. Devenit autem Giraudus ibi frater Abbatis sancti Albini & monachorum. Dedit etiam illi Abbas Burguliensis beneficium monasterii sui, pro amore Girardi Abbatis & ejus monachorum. Custodes belli & testes dimissae calumniae sunt isti. Abbas Batoricus, cum monachis & burgensibus suis, Marbodus Archidiaconus, & quidam ejus Clericus nomine Hubertus, Acharias filius Vitalis parchaminarii, Haimericus de Beroezia-

co, Rainaldus Vicarius, Rainaldus Porcellus, Alerius Praepositus de Lavigais; de hominibus sancti Albini, Aldulfus Praepositus, Haimmarus Malspetit, Vualterius Bornus, Rotbertus de Trevin, Arnaldus Brion, Firmatus, & alii plures, quorum nomina longum est hic scribere; de parte Giraudi, Hubertus filius ejus, Odo de Iantret, Hildinus de Reliaco, Adraldus de Balgentiaco, Goscelinus li Canpions.

## EPISTOLA BOAMUNDI

Extat apud Fulcherium Carnotensem cap. 15.

*Principis Antiochiae, Raymundi Comitis sancti Ægidii, Godefridi Ducis Lotharingiae Roberti Comitis Normanniae, Roberti Comitis Flandrensis; & Eustachii Comitis Boloniae ad Urbanum II. Papam.*

Ex Lib. I. Misc. Bal. pag. 415.

An. 1098.

DOmino & venerabili Papae Urbano Boamundus & Raymundus Comes sancti Ægidii, ac Godefridus Dux, Robertusque Comes Normanniae, atque Robertus Comes Flandrensium & Comes Boloniae, salutem & fidelia servitia, & ut filii suo patri spirituali veram in Christo subjectionem. Volumus omnes & desideramus notum vobis fieri quam magna Dei misericordia quamque evidentissimo ipsius Dei adminiculo a nobis capta est Antiochia, & Turci, qui multa Domino nostro Jesu Christo intulerant opprobria, capti & interfecti sunt, & nos Hierosolymitani Jesu Christi injurias summi Dei vindicavimus, & nos, qui Turcos prius obsidendo deviceramus, qualiter postea a Turcis de Chorasan & Hierusalem & Damasco multisque aliis terris venientibus obsessi fuimus, & quomodo tandem misericordia Jesu Christi liberati sumus. Cum igitur capta Nicaea, illam maximam multitudinem Turcorum, sicut audistis, in Kalendis Junii nobis obviam in valle Doretillae devicissemus, & illum magnum Sullimannum fugavissemus, suisque hominibus & terra ac rebus expoliassemus, adquisita & pacificata tota Romania, ad obsidendam Antiochiam venimus. Qua obsessa, multa mala perpessi sumus, tum de bellis summorum Turcorum & paganorum nobis tam frequenter & copiose irruentium ut verius diceremur obsessi quam quos in Antiochena civitate obsederamus. Tandem omnibus bellis superatis, eorumque eventu Christiana fide exaltata, ego Boamundus conventione facta cum quodam Turco qui mihi ipsam tradidit civitatem, scalas parum ante diem cum multis Christo militantibus muro applicui, & ita civitatem antea Christo resistentem III. Nonas Junii accepimus, & ipsum Cassianum ipsius civitatis tyrannum cum multis suorum militibus interfecimus, eorumque uxores & filios ac familias cum auro & argento & omnibus eorum possessionibus retinuimus. Asylum autem Antiochenum a Turcis praemunitum habere non potuimus. Sed cum in crastino ipsum asylum aggredi voluissemus, infinitam multitudinem Turcorum, quam multis diebus ad nos bellandum venturam extra civitatem expectaveramus, per omnes campos discurrentem vidimus. Qui tertia die nos obsederunt, & asylum praedictum plusquam centum milia eorum intraverunt, ac per portam ejusdem asyli ad civitatem sub asylo constitutam nobis illisque communem irrumpere voluerunt. Sed nos in alio monte consistentes ipsi asylo opposito, viam inter utrumque exercitum ad civitatem descendentem, ne ipsi nobis multo plures irrumperent, custodientes, & intus & extra nocte & die debellantes portas ad civitatem asyli intrare & ad castra remeare compulimus. Cum ergo vidissent quod ex illa parte nocere nobis nihil potuissent, ita nos ex omni parte circumierunt ut nulli ex nostris exire vel ad nos venire potuerint. Quare ita desolati & afflicti fuimus quod fame & aliis multis angustiis morientes, equos & asinos nostros famelicos interficientes, multi nostri comederunt.

Sed interim clementissima misericordia omnipotentis Dei nobis subveniente & pro nobis vigilante, dominicam lanceam, qua latus Jesu Christi Longini manibus perforatum fuit, sancto Andrea Apostolo cuidam famulo Dei ter revelante & ipsum locum ubi lancea jacebat demonstrante, in Ecclesia beati Petri Apostolorum principis invenimus. Cujus inventione & multis aliis divinis revelationibus ita confortati & corroborati fuimus ut qui antea afflicti & timidi fueramus, tunc ad bellum faciendum audacissimi promptissimique, alii alios hortabantur. (Vide Willel. Tyr. lib. 6. c. 14.) Igitur tribus hebdomadibus & quatuor diebus obsessi, in vigilia Apostolorum Petri & Pauli in Deo confidentes, & de omnibus iniquitatibus nostris confessi, petentes portas civitatis cum omni exercitu nostro bellico, ad portas exivimus; ac tam pauci eramus quod nos ipsi non nos pugnare contra eos sed fugere affirmant. (Ibid. c. 20.) Nos autem omnibus paratis, & tam peditibus quam militibus certis ordinibus dispositis, ubi major virtus & fortitudo eorum erat audacter requisivimus cum dominica lancea, & a prima belli statione fugere coegimus. Ipsi autem, ut mos eorum est, se undique dispergere coeperunt, & colles occupando & vias ubicunque poterant appetendo, nos girare voluerunt, quia sic nos omnes interficere putaverunt. Sed nobis multis bellis contra eorum callidiates & ingenia eductis ita gratia Dei & misericordia subvenit ut qui paucissimi ad eorum comparationem eramus, omnes illos in unum coegimus, & coactos, dextera Dei nobiscum dimicante, fugere & castra cum omnibus quae in castris erant relinquere compulimus. Quibus victis totaque die insecutis, & multis milibus eorum interfectis, ad civitatem laeti & hilares remeavimus. Asylum autem suprascriptum Admirabilis quidam qui in eo erat cum mille hominibus, Boamundo reddidit. Et ita Dominus noster Jesus Christus totam civitatem Antiochenam Romanae religioni & fidei mancipavit. Sed quia semper solet aliquid moestum laetis intervenire rebus, ille Podiensis Episcopus, quem tuum Vicarium nobis commiseras, bello peracto, in quo honeste fuit, & pacificata civitate, Kalendis Augusti mortuus est. (Idem lib. 6. c. 1.) Nunc igitur filii tui patre commisso orbati, tibi spirituali patri nostro mandamus ut qui hanc viam incepisti, & sermonibus tuis nos omnes terras nostras & quicquid in terris erat relinquere fecisti, & crucem bajulando Christum sequi praecepisti, & Christianum nomen exaltare commonuisti, complendo quae hortatus es ad nos venias, & quoscunque poteris ut tecum veniant summoneas. Hinc enim Christianum nomen sumpsit exordium. Postquam enim beatus Petrus in cathedra quam cotidie cernimus inthronizatus fuit, illi qui prius vocabantur Galilaei, hic primum & principaliter vocati sunt Christiani. Quid igitur in orbe rectius esse videtur quam ut tu, qui pater & caput Christianae religionis existis, ad urbem principalem & capitalem Christiani nominis venias, & bellum quod tuum est proprium ex tua parte conficias. Nos enim Turcos & paganos expugnavimus. Haereticos autem Graecos, & Armenos, atque Syrios, Jacobitasque expugnare nequivimus. Mandamus igitur & remandamus tibi carissimo patri nostro ut tu, pater, ad tuae paternitatis locum venias, & qui sancti Petri es vicarius, in cathedra sancti Petri sedeas, & nos filios tuos in omnibus recte agendis obedientes habeas; & omnes haereses, cujuscunque gentis sint, tua auctoritate & nostra virtute eradices & destruas; & sic nobiscum viam Jesu Christi a nobis inceptam & a te praedicatam perficias, & etiam portas utriusque Hierusalem nobis aperias, & sepulchrum Domini liberum atque Christianum nomen super omne exaltatum facias. Si enim ad nos veneris & viam per te inceptam nobiscum perfeceris, totus mundus tibi obediens erit. Quod ipse te facere faciat Deus qui vivit & regnat in saecula saeculorum. Amen. Mihi quidem relatum est unum quod valde Deo omnibusque Christicolis contrarium est, quod signati sancta cruce a te licentiam (Haec non extant apud Fulcherium.)

habeant

habeant inter Christicolas morari. Quod multum miror. Quia tu inceptor sancti itineris eum sis, differentes sanctum iter a te consilium vel aliquid boni habere non debent, nisi coeptum iter adimpleant. Et non est nobis opus ut bonum quod coepisti disturbes, sed etiam tuo adventu & omnium bonorum virorum, quoscunque poteris adducere tecum, nos corrobores. Decet enim ut nos Dei auxilio tuisque sanctis precibus adquisitores totius Romaniae, Ciliciae, Asiae, Syriae te habeamus post Deum adjutorem & subvenientem. Tu vero nos filios per omnia tibi obedientes, pater piissime, debes separare ab injusto Imperatore, qui multa bona promisit nobis, sed minime fecit. Omnia enim mala & impedimenta quaecunque facere potuit nobis fecit. Haec carta fuit scripta xi. die intrante Septembrio, Indictione
* vii. * IIII.

---

*Litterae quibus Domnus Abbas Odelricus sancti Michaelis ad Mosam apud Apostolicum Urbanum secundum impetravit ut sepultura circa hanc Ecclesiam constitueretur, quae ab initio congregationis usque ad tempus ejus apud vetus monasterium agebatur.*

Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 412. URbano sanctissimo Patri, universis Ecclesiae catholicae filiis desiderabili, Udelricus peccator coenobii sancti Michaelis minimus Abbas, plus servulis procurator, & sibi commissa congregatio,
An. 1098. obedientiam eum devotione, subjectionem cum humilitate, orationes cum dilectione. Omnes in Christo, beatissime Papa, secundum Apostolum unum sumus; & licet tu in terris omnium nostrum caput esse proberis, in coelis tamen sub principali capite nobiscum membrum haberis. Caput enim nostrum Christus. Quapropter tecum, sanctissime Pater, diligimus quod in ipso diligis, cruciamur in quocunque pro ipso cruciaris, respuimus quicquid est sine ipso quod respuis. Unde & pravitatem erroris hujus tyranni Henrici & ejus sequacium respuimus; sed, proh dolor, in nostra patria valde raros respuentes socios reperimus. Omnes enim fere qui vestris hactenus praeceptis obedire videbantur, tyranni communionem retro abeuntes socios suscipiunt, & non suscipientes damnis terrenae facultatis & afflictionibus quamplurimis laccrare contendunt. Nos autem, quoniam te verba vitae habere cognovimus, tecum in terra laboriose vivere vel gloriose mori non abhorremus. Tandem sanctitatis vestrae paternitati debemus manifestare quod a vobis per has litteras desideramus impetrare. Tempore longo, pater dulcissime, Ecclesia nostra consuetudinem tenuit, quae valde nobis onerosa, frequenter subvertendae religionis generat occasionem & generavit. Fratres enim nostri morientes circa coenobium nostrum non sepeliuntur, sed ad quandam cellulam nostram, & in alto cacumine montis statutam, a coenobio longo milliario disjunctam, atque umbrosa nemoris densitate circumvallatam efferuntur. Haec vetus monasterium nominatur, quoniam in exordio sui nostra congregatio primam conversationem illic habuisse memoratur. Unde talem consuetudinem velut quodam privilegio sui prioratus retinuit, ut quotienscunque fratres nostri moriuntur, ad eandem gravi labore, sive per fervorem aestatis, sive in hyeme, per varias inaequalitates aeris, religione etiam detrimentum patiente, asportantur. Novit autem sanctitatis vestrae prudentia quam sit utile servis Dei septa monasterii frequenter exire, seculares personas obviam habere, locum verbositatis seu scurrilitatis invenire. Quapropter religiosis Abbatibus nostrae religionis visum est ut circa Ecclesiam nostram, quam novam construximus, sepulturam de cetero constituamus. Et licet sola Episcopi licentia dicatur posse fieri, nos tamen absque dulcedine vestrae auctoritatis facere non adquievimus. Deprecamur igitur ut filii patrem quatinus auctoritatem quam confisi de pietate vestra quaerimus, eandem per litteras vestras vel per sigillum suscipere mereamur. Quod si nulla familiaritatis causa ad hoc impetrandum nos apud vos adjuvat, saltim desiderium religionis, quam sic retentare laboramus, pro nobis intercedat. Valete.

---

*Auctoritatis Apostolicae rescriptum.*

URbanus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Udalrico Abbati sancti Michaëlis salutem & apostolicam benedictionem. Benignitati tuae gratias agimus, quia venerabilibus fratribus & coabbatibus, Rodulpho scilicet & Lanzoni, fraternae caritatis sinum expandis, & persecutionis aestu laborantes tuae quietis umbraculo protegis, sicut nos ex ipsorum relatione comperimus. Unde & rogamus ut quod coepisti nunc magis pro nostrae postulationis reverentia vigilantius ac devotius prosequaris. Quod vero nobis legatione petitoria suggessisti, de construendo videlicet circa novam Ecclesiam coenobii vestri cimiterio, siquidem fratribus laboriosum & religioni contrarium est, ut scripsisti, ad veteris Ecclesiae locum, quia longius sita est, fratrum funera deportare, nos praesentium litterarum auctoritate concedimus. Data Laterani vii. Kal. Aprilis anno ab incarnatione Domini secundum Dionysium millesimo nonagesimo octavo, secundum vero certiorem evangelii probationem millesimo centesimo xxi. Indictione vi. Epacta xv. concurrente iv.

Edita lib. 6. de re diplom. pag. 590.

---

## ANSHELMUS ARCHIEPISCOPUS

*Ecclesiam sanctae Mariae de Calvenzano cum pertinentiis.*

Ex L. VI. Misc. Bal. pag. 483. IN nomine filii Dei, qui est summa veritas. Anselmus sola Dei misericordia Mediolanensis Ecclesiae Archiepiscopus. Convenit nostro Christiano moderamini pia religione ac benivola compassione
Circa An. 1100. alacri mente poscentium animis assensum impertire. Idcirco ad nostram auctoritatem pertinet cunctos nostrae Ecclesiae filios paterno affectu diligere & optatae pietatis opem non denegare. Ex hoc enim lucri potissimum praemium apud Deum omnium conditorem promereremur. Quapropter omnibus nostris fidelibus tam praesentibus quam & futuris notum fieri volumus quod nos in nostra Mediolanensi Ecclesia cum nostris Cardinalibus de nostrarum animarum salute disputantes, nostrorum fidelium, scilicet Arialdi & Lanfranci fratrum, ac Atonis eorum consanguinei de Metegnano imploratu, sanctae Mariae Ecclesiam de Calvenzano, quam ea nostra Ecclesia tenebant longo tempore, cum terra ac eorum scilicet Arialdi & Lanfranci proprii praedii decimis quas ad praesens concesserunt & omnibus bonis quae nunc habet & in perpetuum adipisci potuerit, sanctae Cluniacensi Ecclesiae concessimus. Insuper volumus & laudamus quod si quis eorum heredum vel alius quilibet homo de Ecclesiis supra eorum praedium aedificatis vel aedificandis aut eorum decimis, eo inspirante qui ubi vult spirat, praetaxatae Ecclesiae conferre voluerit, conferat eum Dei benedictione & hac nostra concessione, eo scilicet ordine ut nostra praefata Ecclesia de Calvenzano ammodo absque penditio & conditione libera libere Cluniacensi coenobio deserviat & nullius alterius Ecclesiae ditioni in aliquo per infinita secula subjaceat. Quod si quis nostrorum successorum vel aliqua magna parvaque persona huic nostrae saluberrimae concessioni contrarius extiterit, sit anathema maranatha, non habeat partem eum illo qui pro nobis crucifixus est in Golgotha, donec resipiscens ad satisfactionem & congruam poenitentiam vene-

vanerit & sanctae Cluniacensis Ecclesiae Abbati & monachis qui pro tempore fuerint satisfecerit. Quod ut verius firmiusque credatur & a nostris posteris firmum & inconvulsum in perpetuum habeatur, hanc praesentem paginam ad testimonium propria manu firmavimus, & nostro Heriprando Cancellario nostro sigillo, ut moris est, insigniri jussimus. †. Ego Anselmus Dei gratia Archiepiscopus ad confirmandum subscripsi. Gothefredus Archipresbyter subscripsi. Ato Archidiaconus subscripsi. Arnulfus Diaconus subscripsi. Bonifacius Presbyter subscripsi. Tedaldus Diaconus subscripsi. Albertus Presbyter subscripsi. Rozo Diaconus subscripsi. Landulphus Presbyter subscripsi. Odelricus Presbyter subscripsi. Landulfus Diaconus subscripsi. Gualbertus Diaconus subscripsi. Aripranus Cancellarius sanctæ Mediolanensis Ecclesiae subscripsi.

## *LITTERÆ*

## ERNALDI EPISCOPI

*Cenomanensis de capella Sablolii.*

Ex L. VI. Misc. Bal. pag. 365.

Circa an. 1100.

ERnaldus Cenomanensis Episcopus & Guandalbertus Fulconi Decano salutem. Abbas Majoris monasterii & monachi ejus conquesti sunt de me apud Lucdunensem Primatem & caeteros primores Pictavensis Concilii quod eorum oratoriam capellam apud Sablolium aedificare prohibemus. At illi rationem ostendentes quod id fieri non deberet, rogaverunt ut eis ædificandi licentiam tribuerem. Quorum auctoritati non obedire irreligiosum ducens quod petebant benigna concessi. Mandamus itaque tibi & ex nostra auctoritate jubemus ut cum Domno Hilberto sancti Martini monacho, per quem episcopalem aquam & altare & crucem ferream misimus, Sablolium usque pergas & in loco quem ostendarit aquam spargas & crucem figas. Vale.

## DONATIO HUGONIS

*Archiepiscopi Lugdunensis de Ecclesia sancti Germani.*

Ex L. VI. Misc. Bal. pag. 483.

REverentissimo Patri Domino Hugoni Cluniensium Abbati & toti congregationi Cluniensi illi commissae Hugo Lugdunensis Ecclesiae servus salutem. Scimus nos rogatu domni P. Domini Papae Camerarii Ecclesiam Artensem vobis & Ecclesiae vestrae olim dedisse. Qua de causa filii nostri Canonici Lugdunensis Ecclesiae turbati coeperunt instanter precari clementiam nostram ne praefatam Ecclesiam Artensem pateremur aliqua occasione alienari & separari ab Ecclesia sancti Stephani Lugdunensis, juris cujus ab antiquis temporibus fuerat. Quorum clamoribus ac precibus flexi promisimus jamdicto Domino P. pro Artensis Ecclesiae commutatione nos daturos vobis Ecclesiam de sancto Germano, quae sita est inter Ecclesiam de Capella & Ecclesiam de Marlico. Quam promissionem nunc perficientes concedimus vobis & Ecclesiae Cluniensi supradictam Ecclesiam sancti Germani jure perpetuo possidendam, retinentes in ea synodales census & censum alium quem beatae memoriae domnus Gibuinus Archiepiscopus in illa imposuit, obedientiam quoque & reverentiam episcopalem sicut in ceteris Ecclesiis quas beato Petro concessimus. Signum Girini Decani. S. Teotardi Camerarii. S. Girini Capellani. S. Ganscerani Cantoris. S. Arnaldi magistri. S. Godonis Canonici & Archipresbyteri. Actum Lugduni anno incarnationis dominicae MCVI. indictione XIII.

An. 1106.

## LUDOVICI VI. FRANCORUM

*Regis praeceptum de libertate testandi & bellandi pro servis Ecclesiæ Parisiensis.*

Ex. L. VI. Misc. Bal. pag. 183.

An. 1109.

Similes litteræ pro Ecclesia Carnot. extant in tomo XIII Spicileg. Dacher. pag. 309.

LUdovicus Dei gratia Francorum Rex omnibus Christi fidelibus. Cum juxta sacratissimarum legum instituta regia potestas ex injuncto sibi officio Ecclesiarum defensioni & honori plurimum vacare debeat, operae pretium est eos quibus tanta permissa est a Deo potestas, earum tranquillitati & paci attentiori sollicitudinis cura providere & ad laudem Dei omnipotentis, per quem Reges regnant, Ecclesias & earum res quodam honoris privilegio decorare, ut in bonis actibus & regum morem exerceant, & supernae retributionis praemium indubitanter recipiant. Noverint igitur omnes quia sanctae Parisiensis Ecclesiae conventus nostrae serenitatis praesentiam adierit, conquerendo ostendens & ostendendo conquerans quatinus servi praefatae Ecclesiae saecularibus personis tanto contemptui habebantur quod in forensibus & civilibus causis vel placitis adversus liberos homines in testimonium nullatenus recipiebantur, & ecclesiastica mancipia secularibus servis fere in nullo praeferebantur; unde res ecclesiastica, ob tanti scilicet dedecoris opprobrium, non solummodo vilescebat, sed maximum diminutionis incommodum de die in diem incurrebat. Cognita vero Ecclesiae querela, motus tam ratione quam dilectione, necessarium duxi a Parisiensi Ecclesia nobis quidem inter alias familiarissima tantum scandalum omnino removere & regiam sedem regio beneficio sublimare. Ego igitur Ludovicus Dei clementia Francorum Rex, communi quidem Episcoporum ac procerum nostrorum consilio & assensu, regiae auctoritatis decreto instituo & decerno ut servi sanctae Parisiensis Ecclesiae, illi scilicet qui proprie ad Canonicos pertinent, adversus omnes homines tam liberos quam servos in omnibus causis, placitis, & negotiis liberam & perfectam habeant testificandi & bellandi licentiam, & nemo unquam servitutis occasionem eis opponens, in eorum testimonio ullam dare praesumat calumniam. Hac autem ratione licentiam testificandi ea quae viderint & audierint eis concedimus quod si aliquis liber homo in eadem causa de falso testimonio illos contradicare & comprobare voluerit, aut suam comprobationem duello perficiat, aut eorum sacramentum sine ulla contradictione recipiens, illorum testimonio acquiescat. Quod si aliquis temeraria praesumptione illorum testimonium in aliquo refutaverit aut calumniaverit, non solum regiae auctoritatis & publicae institutionis reus existat, sed querelam negotii sui vel placiti irrecuperabiliter amittat, ita scilicet ut praesumptuosus calumniator de querela sua, si quaerat ulterius, non audiatur, & si aliquid ab eo quaeratur, alterius querelae reus & convictus omnino habeatur. Aliud etiam statuimus, ut praedictus calumniator, nisi de tanta calumniae culpa Parisiensi Ecclesiae satisfecerit, excommunicationis mucrone feriatur, & ad testimonium faciendum interea non admittatur. Ut autem hoc nostrae institutionis edictum perpetuae firmitatis privilegio muniatur, praesentem chartam fieri praecepimus, quae nostrae auctoritatis effectum posterorum memoriae tradat, & totius retractationis occasionem in perpetuum excludat. Ad haec etiam in testimonium veritatis nomina Episcoporum, Comitum, ac procerum nostrorum, qui huic chartae assensum praebuerunt, inscribi jussum decrevimus; & ad extremum, sigillo nostrae imaginis ipsam chartam signavimus, & charactere nostri nominis corroboravimus. Astantibus de palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Anselli de Garlanda tunc temporis Dapiferi nostri. Signum Hugonis cognomine Strabonis, tunc temporis Constabularii nostri. Signum Guidonis filii Guidonis de Turre, tunc temporis Buticularii nostri. Si-

Signum Guidonis Camerarii nostri. Signum Galonis Parisiensis Episcopi. Signum Ivonis Carnotensis Episcopi. Signum Johannis Aurelianensis Episcopi. Signum Manasse Meldensis Episcopi. Signum Odonis Comitis de Corbolio. Signum Matthaei Comitis de Bellomonte. Signum Ludovici Regis. Actum publice Parisius regio palatio anno ab incarnatione Domini MCIX. Indictione I. anno regni nostri primo. Stephanus Cancellarius relegendo subscripsit.

---

*Concessio quam Pontius Abbas Cluniacensis fecit Bernardo Archiepiscopo Toletano.*

Ex L. VI. Misc. Bal. pag. 497. NOtum sit universae congregationi hujus venerabilis coenobii tam praesentium quam futurorum praecepisse domnum Pontium hujus monasterii reverendum Abbatem de domno Bernardo Toletano Archiepiscopo ut post obitum ipsius tricenarius Missarum illi a fratribus studiose persolvatur, resonantibus signis, cum officio pleno & Missa generali. Refectionem vero quam fecit Decanus de Galliniaco in vigilia beati Mathaei post obitum ipsius faciat in die anniversarii ejus.

---

*Alia concessio facta Eskilo Archiepiscopo Lundensi.*

NOverint universi quod totus conventus hujus Ecclesiae concessit illustri viro domno Esquilo Lundensi Archiepiscopo, quae est totius Daciae metropolis, post obitum ejus tantundem per omnia beneficiorum quantum persolvitur uni ex fratribus Cluniacensibus tam in Cluniaco quam in omnibus locis ejus. Fuit enim hujus loci magnus amator.

---

*Charta Hildeberti Episcopi Cenomannensis.*

Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 102. IN nomine sanctae & individuae trinitatis patris & filii & spiritus sancti. Ego Hildebertus Dei gratia Cenomannensium Episcopus notum fieri volo omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus, utriusque ordinis videlicet ac dignitatis, quoniam propter amorem & familiaritatem quibus Cenomannensis & beati Martini Majoris monasterii Ecclesia dilectionis vinculo ad invicem jungebatur, dedi & concessi ipsi beato Martino & fratribus ejus in Majori monasterio Christo in perpetuum servientibus Ecclesiam quae vulgo Vilerx Karoli magni ab ipsius loci incolis appellatur, cum omnibus ipsi Ecclesiae pertinentibus, salvo jure Cenomannensis Ecclesiae, praesente & concedente Fulcberio Archidiacono cum aliis duobus Ecclesiae nostrae Canonicis, scilicet Gervasio Paganello atque Pagano. Sed & omnia quaecunque jam eis principum largitio sive fidelium devotio ibidem contulit seu etiam in crastinum poterunt adipisci, ut eis firma & illibata permaneant, per praesentem hujus nostri privilegii paginam episcopali auctoritate statuimus, & ne cujusquam in futuro male invida praesumptione violetur, proprii sigilli munimine in perpetuum confirmamus. Actum anno ab incarnatione Domini MCXIIII. apud Majus monasterium in claustro ante cameram VV. venerabilis Abbatis, ipso praesente cum VVillelmo Priore quondam Redonensi Archidiacono, Petro quoque Bajulo, & Gervasio nepote meo, atque Rainaldo de Castro Gunterii tunc Majoris monasterii notario.

*Confirmatio Hildeberti Cenomannensis Episcopi de Ecclesia de Torciaco, vulgo* Torcé.

EGo Hildebertus Cenomannorum Episcopus omnibus sanctae Ecclesiae fidelibus tam futuris quam praesentibus notum fieri volo quod monachi Majoris monasterii nostram praesentiam adierunt petentes ut donum Ecclesiae de Torciaco, quam quorundam fidelium devotio nostris temporibus eorum loco contulerat, concederem & litterarum nostrarum auctoritate firmarem. Quorum petitionem cum qua decuit benignitate suscepi, eisque ipsam Ecclesiam futuris temporibus possidendam concessi; & ut ipse assensus noster atque concessio inviolabilis permaneret, praesentibus litteris & sigilli pontificalis impressione eam roborari praecepi. Data Cenomannis civitate II. Kal. Octobris.

---

*Notitia de Monte modesto.*

IN nomine patris & filii & spiritus sancti. Amen. Ego Alanus Comes & Dei gratia Dux Britannorum & frater meus Heudo atque mater nostra Haduisa & noster Vicecomes Haimon & filii ejus concedimus tres villas de nostra terra sancto Superio sub dominio sancti Martini Majoris monasterii & Ebrardi Abbatis caeterorumque illius loci monachorum praesentium & futurorum, ut & ipsi pro nobis digne apud Deum valeant intercedere. Nomina vero villarum haec sunt, Mons modestus, Campus cutticins, Thaouns. Taliter autem eas damus ut quicquid boni ex eis omni homini pertinet habeant supradicti sancti, etiam & sepulturam in perpetuum. Et hoc insuper indictum, ut quicunque vir sive mulier huic resistere voluerit rationi, habitationem habeat cum Dathan & Abiron, ubi continuo habitat & Acharon. S. Alani Comitis. S. Heudonis fratris ejus. S. Haduisae Comitissae matris eorum. S. Gaurini Episcopi. S. Maugonei. S. Hamonis Vicecomitis. S. Mani filii ejus. S. Radulfi Largi. S. Gurgari filii Urferii. S. Mahinghi fratris ejus. S. Roduldi filii Lios Gnorech. S. Gingomaris. S. Constantini Presbyteri. S. Bertrandi. S. Guiterni Presbyteri. S. Ranuardi filii Gosberti Praepositi. S. Raimbaldi praepositi. S. Alberti monachi. S. Rainaldi monachi.

---

*Notitia Ecclesiae sanctae Mariae de Avenariis.*

SOlet valere plurimum cum litteris notificantur posteris facta priorum. Siquidem per hoc & edocentur quae nesciunt, & retinent quae fugaci memoria nequeunt, & muniuntur contra pravorum calumnias hominum. Notificamus igitur successoribus nostris quod quidam Presbyter nomine Bernardus de Valle Guidonis volens de saeculo converti & monachus fieri, hoc nostrum Majus monasterium expetiit, & ut reciperetur obtinuit. Qui quia multum dives non erat, nec pecunias quas, ut est consuetudinis, secum afferret habebat, cujusdam Ecclesiae haud longe a Valle Guidonis in villa quam antiquitus dicunt Avenarias sitae donavit tertiam partem jure perpetuo possidendam, sicut videlicet vel ipse plus minusve decem annis tenuerat, vel Guascelinus quidam Presbyter, de quo eam emerat. Quia vero qualiter eam uterque habuerint non erit infructuosum scire, non sit onerosum vel scribere vel audire. Fuit igitur quidam Miles Ivo nomine apud praedictam Vallem Guidonis degens, in cujus jus ab avis & atavis Ecclesia illa devenerat, vetustate confracta & ad solum pene reducta. Placuit autem ei, inspirante Deo, eam quandoque reaedificare & renovare & de suis facultatibus aliquantulum ampli-

ficare

ficare & honorare. Reaedificavit igitur, sicut proposuerat, & renovavit, & dedicare in honorem beatae Mariae semper virginis fecit. Constituit etiam ut sacerdos qui in ea deserviret omnis decimae & sepulturae tertiam partem perpetuo haberet. Altaris vero reditus omnes totius anni, sive festivorum sive privatorum dierum, exceptis septem festis, natalis scilicet Domini, Paschae, & rogationum, necnon assumptionis sanctae Mariae, nativitatis, ac purificationis, & omnium sanctorum. Addidit etiam de facultatibus suis apud septem fontanas bordagium Haimonis & bordagium rivuli Orgiaci. Insuper & cujusdam mansurae terrae prope Vallem Guidonis suae addidit servitium, quam supradictus Presbyter Guascelinus de eo tenebat in fevum. Praeterea dedit consuetudines utriusque bordagii & mansurae terrae quas in eis habebat, pastinatium videlicet bosci & herbae, bannum ad quicquid voluerit faciendum vel construendum, & si habuerit molendinum, eundi ad molendinum. Haec omnia sicut Ivo diviserat Guascelinus Presbyter de eo datis tribus libris denariorum emit, quae postea Bernardo adhuc in clericali habitu degenti, mortuo jam Ivone, vendidit, voluntate & assensu Guarini Ivonis filii & avunculorum ejus Hugonis, Hamelini, Fulconis, Odonis, Huberti. Quod & Guido de Valle annuit & filii ejus Johannes, Hamo, Guido, Gervasius. Haec rursus Bernardus, cum monachus fieret, nobis dedit, eisdem supradictis faventibus, & Guerino videlicet & avunculis ejus.

*Praeceptum de Ecclesia sancti Martini de Bellissimo.*

QUod audimus saepe est, doctor ille gentium in fide & veritate, Dum tempus, inquit, habemus operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Ego quidem Hugo de Roceto filius Johannis sub fidei titulo Christianae homo militiae saecularis putavi mihi obtemperandum tam salutifero monitori, obediendum praeceptori tam utili, bonum utique operando ad quosdam fidei sanctae tota devotione domesticos. Pateat igitur universorum notioni mortalium donasse me sancto Martino, cujus excellentia nominis nulla eget adjectione cognominis, atque in suo Majori monasterio Deo ibique famulantibus monachis mei juris Ecclesiam quandam prope castrum quod Bellissimum nuncupatur in honorem ipsius sacratissimi Martini construeram. Hanc itaque ipsi beatissimo confessori suisque supra taxatis famulis integritate tota dono, cum terra scilicet omni quae ad altare pertinet ipsius, atque cum sepultura, cum oblatione, cum decima, ea tantum excepta parte decimae, interim scilicet dum vivo, quae prenditur ab ulteriore hoc est occidenti ripa fluvioli, ut dicitur, Sperantiae. Unam praeterea terrae mansuram, apud Rocetum videlicet sitam, quae ex nomine cujusdam cultoris pristini nuncupatur mansura Gunbaldi, cum pertinente ad se mansionatico suo in monte supra eandem in ipso plexicio meo; pro qua tamen xx. solidos a monachis supradictis accipio. Dono & vineae duos apud Rocetum arpennos ac prati duos. Homo quoque quidam meus nomine Restaldus vineam donat eisdem sitam ibidem, apud Rocetum scilicet, quartario minus ab arpenno. Sed & alii duo Beraldus Minteorius atque Hugo homo Beraldi ipsius integrum arpennum. Quare ego quoque & auctorizo donationes & insuper quas ex rebus eisdem prius recipiebam dono consuetudines, quod & de terra altaris superius memorata facio, omnes videlicet ex illa consuetudines dono. Meo perinde auctorizamento confirmo si quid unquam meis donationibus ipsis addere de suo voluerint homines mei quod confirmationem mei expectat auctoramenti. Facit autem his omnibus dominus meus Ivo nomine Sagiensis Episcopus, Odo quoque Regis Francorum Henrici germanus, & Gauffredus Comes Andegavensis, de quorum erant omnia fevo. At vero Domnus Episcopus praedictus, ut vir nobilissimus, & erga Dei famulos plurimum liberalis, non tantum donationibus nostris assensum praebuit suum, verum & ipse ista pro suae suique patris ac matris animae redemptione donavit, terram scilicet Rainerii cementarii sitam inter castrum Bellissimum & supradictam Ecclesiam super fluviolum quem maximum nominant, & in eodem fluviolo molendinum quem solet vulgus vocitare Butinum. E suis quoque fidelibus unus nomine Gualterius cognomine Rufus terram ad caput saepedictae Ecclesiae sitam, quanta est inter fluviolum nomine Flumitum, & veterem viam. Sed & alter vocabulo Fulcodius de Crapone ibidem caput Craponem mansuram terrae quae dicitur Aldefredi & arpennos duos desertarum vinearum ac duos prati. Alter nihilominus Ingelbaldus nomine de Curtiello aeque apud Craponem arpennum unum vineae peroptimum. Alius etiam vocabulo Folcherius cognomento Digladiatus mansuram de monte Adae cum universis consuetudinibus & medietate pratorum ad mansuram eandem pertinentium. Post istos & alios Guarinus Johannis presbyteri filius terram exercendam quatuor bubus. Quorum omnium dona suo firmat auctoramento noster ille Dominus Pontifex venerantissimus Ivo, hoc idem faciens de donis omnium caeterarum, si quis deinceps suorum donare quicquam sancto Martino voluerit atque monachis Majoris monasterii quod ad confirmationem sui spectet auctoramenti. Ut autem haec omnia probatae veritatis attestatione signata imperturbatum obtineant mundo perseverante vigorem, tam saepedictus venerabilis ac reverentissimus praesul quam ego & parens etiam quidam meus, qui & ipse ad omnia favit, nomine Herveus de Brauvardo, istam munivimus cartam, singuli in ea sacratissimae crucis effigiato vexillo, quo adversus omnem sit perpetuo tuta calumniam, atque muniendam testificationibus suis stipulatoribus tradidi subter ascriptis. S. Ivonis Episcopi Sagiensis. S. Hugonis de Roceto. S. Hervei. Odoni Archidiacono &c.

Testes de auctoramento Comitis Gauffredi Comes Eudo, Odo frater Henrici Regis, Hungerius drudus ejus, Haimericus juvenis de Faia, Hugo filius Patrici. De auctoramento Odonis Comes Gaufredus, Bernardus de sancto Aniano, Hungerius drudus Odonis.

*Hildeberti de Lavarzino.*

QUidam de Lavarzino castro vir in rebus agens Hildebertus nomine, unum filiorum suorum Deo apud Majus monasterium monasticae disciplinae mancipandum obtulit & ad caelestem signandum militiam, ut tanto liberius pro parentum salute precaretur quanto nullis mundanarum, quibus ipsi tenebantur impliciti, curarum vinculis vinciretur. Susceptus est autem puer nomine Gauzfridus a Domno Abbate Alberto & ceteris fratribus propter Dei potius amorem & ipsius salutem & patris familiaritatem probatosque in Dei timore mores quam pro alicujus commodi temporalis emolumento. Dedit tamen praefatus vir sancto Martino in conventu fratrum terram in varenna Vindocinensi consistentem unius carracae proscissioni sufficientem, duos de censu solidos in festivitate sancti Martini aestivali Salomoni de Lavarzino solventem. Quae ut rata foret in perpetuum firmaque donatio, Salomon, de quo ipse Hildebertus, & Comes Tetbaldus, de quo Salomon ipsam tenebant terram; gratanter annuerunt. Addidit & unum agripennum terrae arabilis ad Melchim de fevo supra taxati Salomonis, ipso identidem assentiente. Tribuit adhuc jamdictus Hildebertus Majoris monasterii fratribus duodecim denarios census de uno agripenno Archem-

berti

berti consanguinei sui, ut sicut ei censum istum idem Archembertus quotannis in solemnitate suprafata reddebat, eodem sancti Martini monachis tenore ipsa eadem celebritate solvat. Haec omnia uxor ejus Hersindis nomine & filii, Hildebertus videlicet, Salomon, & Drogo libenter satis auctoraverunt. Et qui largitioni huic interfuerunt pro testimonio, si necesse fuerit, subnotati sunt. Guarnerius Major, Frotgerius, Hildrinus, Gislebertus, Rainaldus.

*De auctoramento Guillelmi Goieti super Ecclesia sancti Guingaloei & omnibus quae concessit nobis Gervasius de castro Ledi.*

FUgax rerum gestarum memoria litterarum vinculis est alliganda, quae & praesentibus vel oblita in memoriam revocent, vel ignorata notificent, & futuris antiqua renovent & praeterita repraesentent. Notum igitur sit fratribus nostris, Majoris scilicet monasterii monachis, quod emptionem illam quam fecimus a Gervasio & fratribus ejus de sancto Guingaloeo calumniatus est nobis Guillelmus cognomento Goietus, eo quod sine assensu & auctoritate sua feceramus. Reclamabat enim jus in honore castelli Ledi per donum quod inde factum fuerat sibi & patri suo a majoribus suis. Quod nos recognoscentes venimus ad concordiam cum illo, & dimisit totam illam calumniam, auctorizando nobis locum sancti Guingaloei cum omnibus sibi subjectis rebus & quicquid videtur dedisse praefatus Gervasius & fratres ejus sancto Martino Majoris monasterii dono aut pecunia in ista die qua ab ipso & fratribus ejus datus est locus sancti Guingaloei sancto Martino per manum domni Bartholomaei tunc temporis Majoris monasterii Abbatis. Eadem vero lege & eodem auctoramento quo dederunt haec omnia sancto Martino praedicti fratres auctorizavit ipse Guillelmus. Praeterea quicquid datum nobis erat in elemosina, ad usum videlicet monachorum qui habitant locum sancti Guingaloei & qui habitant locum Majoris monasterii, in toto honore Ledi, quod pertinet ad alodium vel ad censum seu ademptionem, sive sit in vineis aut in pratis aut in molendinis aut in silvis aut in aquis aut in domibus aut in viridariis aut in hortis aut in terris cultis & incultis, totum ex integro, quicquid illud sit, sine fevo pro redemptione animae suae & parentum suorum simili modo nobis auctorizavit. Si quis vero de suo casamento nobis vendere aut donare voluerit, ad notitiam ejus transferatur, & cum consilio ejus fiat. Igitur haec omnia nobis jure perpetuo possidenda solute & quiete & pro arbitrio nostro disponenda absque ulla deinceps calumnia vel sua vel alicujus successorum suorum supradictus Guillelmus concessit. Et pro hac causa accepit a nobis quinquaginta quinque libras denariorum Cenomannensium. Facta est hujus rei firmatio vigilia nativitatis sanctae Mariae ad sagilum Bernardi de Buslodio, quod est inter vetus vicum & Braiolum.

*Vide to. XI. Spicilegii Dacheriani pag. 296.*

*Auctoramentum Guillelmi Goieti & sororis ejus & Fulcherii de sancto Guingaloeo.*

FUgax rerum gestarum litterarum vinculis est alliganda, quae & praesentibus vel oblita in memoriam revocent vel ignorata notificent, & futuris antiqua renovent & praeterita repraesentent. Notum igitur sit fratribus nostris, Majoris scilicet monasterii monachis, quod emptionem illam quam fecimus a Gervasio & fratribus ejus de sancto Guingaloeo & de aliis rebus quas calumniatus est nobis Guillelmus cognomento Goietus, eo quod sine assensu & auctoritate sua feceramus, unde fecimus concordiam cum illo, auctorizavit coram nobis soror sua nomine Ildeburgis cum viro suo Fulcherio filio Nivelonis, eadem scilicet lege & eodem auctoramento quo praedictus Gervasius & fratres ejus, audientibus & videntibus istis quorum nomina subscripta sunt, & pro hac causa acceperunt a nobis decem libras denariorum Carnotensium. S. Guillelmi Goieti. S. Fulcherii filii Nivelonis. S. Ildeburgis uxoris ejus. S. Radulfi filii Ungerii. S. Guillelmi filii Martini de Monte mirabili. S. Ingelardi Senescalci. S. Hugonis filii Siuvini. S. Fulconi filii Wandelberti. S. Ilberti filii Ascelini de Gotluas. S. Burchardi filii Sinvini de Walardo. S. Odonis Cratonis. S. Bernardi filii Clarenbaldi. S. Adraldi monachi. S. Herberti monachi, qui fuit de Corciaco.



*Cyrographum inter nos & monachos sancti Albini de sancto Guingaloeo.*

INter monachos sancti Martini Majoris monasterii & monachos sancti Albini Andegavensium præsulis nata est discordia pro Ecclesia sancti Wingaloei de castro Ledi, quam monachi sancti Albini de Comite Gauffredo filio Fulconis, qui illud castrum cum toto honore habebat dominicum, emerunt ac quietam in vita sua tenuerunt. Postquam autem illius decessui successerunt heredes pueri, ejusque hereditas, quantum antea abierat, tantum postea rediit, ac sicut profecerat defecit. Monachi quoque sancti Albini calumnia & minis Archiepiscopi Gervasii fratrisque ejus Rotberti, qui illum honorem Comitem Gauffredum sibi injuste abstulisse clamabant, territi, tandemque coacti, certe inviti, guerpierunt Ecclesiam illorum potestati, spem tamen in Dei atque illorum, utpote promissa exinde misericordia, ponentes quandoque quomodocunque recuperandi. Dum hac itaque expectatione penderent, & a Gervasio filio Rotberti ac nepote Archiepiscopi Gervasii, qui illorum jam defunctorum heres honorem illum a Comite Gauffrido juniore patri suo redditum disponere sed potius deponere videbatur, aditum recuperandi quaererent, & auxilium vicinarum abbatiarum Majoris monasterii & aliarum ad recuperandam Ecclesiam implorarent, subintulerunt sese in illam aliquantulum inconsulte monachi sancti Martini pecunia maxima præsumentes emere, quod illi magna tentabant redimere. Qua pro re monachi sancti Albini, cum pro suo damno, tum pro illorum properata, ut ita dicam, caritate contristati, quasi discordes illis extiterunt usque dum inquisita exinde concordia sit ad extremum patrata, quod illi illis nummorum summa quam pro Ecclesia in principio donaverunt, mille scilicet quingentos solidos, quindecim libris relaxatis, restauraverunt, & Ecclesiam in capitulo suo auctoraverunt; sicque in pace redierunt qui nunquam inimici fuerunt. Hoc audierunt & judicium subinferri testes ex familia sancti Albini, Archembaldus Praepositus, Bernerius Cellararius, Gauffredus, Gaufridus Lunellus, Vaslinus Infirmarius, Johannes Mariscalcus, Rannulfus Hostelarius, Landricus Pistor, Audulfus Vicarius, Johannes sarterius, Euvrardus servus.

*Notitia de Ecclesia de Ponte.*

LItterarum memoriae commendamus & praesenti scripto nostris successoribus indicamus qualiter Ecclesia de Ponte castro in episcopato Nannetico sito devenerit in dominium beati Martini Majoris monasterii & nostram, ejus videlicet monachorum Rodaldus quidam Miles litteratus, habens tamen uxorem nomine Oruanem & filium tenerrimum needum ablactatum nomine Ulricum, moriens & habi-

habitum noſtri ordinis a fratribus noſtris accipiens Eccleſiam ſupradictam cum omnibus ad eam pertinentibus beato Martino & nobis dedit, & Epiſcopum Nannetenſem Benedictum nomine ſucceſſorem Quiriaci Epiſcopi germani ſui, a quo Eccleſiam ipſam & presbyteratum ejus tenebat, quem etiam uxori ſuae & filio loco patris & patronum relinquebat, rogavit ut auctoritate ſua eandem Eccleſiam nobis daret & concederet eamque nobis adquietare ſatageret. Sed & uxorem ſuam ſuperius memoratam rogavit ut tam ipſa quam praefatus ejus filius, cum ad ætatem veniret, eam concederent nobis. Factus ergo monachus noſter non diu vixit. Vocatus igitur ob hoc ad urbem Nanneticam Domnus Abbas noſter tunc temporis Bernardus anno dedicationis Majoris noſtri monaſterii ab Urbano Papa factae, ſuae autem ordinationis XIII. ſtatim poſt Paſcha illuc perrexit. Cujus adventu Epiſcopus vere gratia & nomine Benedictus agnito, depoſito faſtu nobilitatis humiliter acceſſit ad eum, & ibidem, id eſt in domo noſtra, inveſtivit eum de ſuperius memorata Eccleſia cum omnibus ad eam pertinentibus per Miſſalem quendam, ut praefatus Rodaldus eum multa prece rogaverat. Quod viderunt & audierunt teſtes ſubnotati, Rodulfus Archidiaconus, Alanus filius Rivallonii, Herbertus Praepoſitus, Evanus claviculus, Haſcodius de ſancto Petro. Poſt paucos vero dies perrexit inde ad memoratum caſtrum Domnus Abbas rogatu praefati Epiſcopus ſuſcepturus Eccleſiam de qua idem Pontifex eum inveſtiverat apud Nannetum, ut dictum eſt, ſicut eum Rodaldus ſaepedictus rogaverat cum eſſet proximus morti. Quem etiam idem Epiſcopus eſt e veſtigio ſubſecutus. Veniens itaque ad eandem Eccleſiam, convocata magna procerum multitudine, tradidit ipſam Domno Abbati cum omnibus ad eam pertinentibus, praeſente & hoc ipſum concedente uxore ſaepedicti. Rodaldi. Deinde rogavit ipſe Epiſcopus Domnum Abbatem ut praedictae mulieris & parvuli ejus, qui relinquebantur, curam ſibi a ſaepe nominato Rodaldo traditam ſuſcipere jam non dedignaretur, ſed eis deinceps pro ſe patrocinaretur clementer, juſtum eſſe dicens ipſos aliquid ſolatii & auxilii invenire in Rodaldi ſucceſſoribus & heredibus. Quo nolente, Barones qui convenerant Epiſcopo acclamabant. Quamvis ergo invitus ſuſcepit eorum curam ab Epiſcopo, Baronibus hoc ei conſulentibus, ſed & caeteris omnibus qui aderant, tali ſcilicet pacto ut mulierem quandiu vellet ibidem ſuſtentari faceret a fratribus noſtris qui inhibi habitaturi erant, ſi ei neceſſe foret, & puerum ex quo ablactaretur nutriri & litteris erudiri faceret, & ipſum monachum faceret; ſi tamen hoc in aetate poſitus legitima vellet, aut ſi nollet hoc, id eſt monachus fieri, veſtitu & paſtu noſtro ali eum & ſuſtentari faceret quandiu viveret ſive vellet. Cui ſecundae inveſtiturae praeſentes fuerunt teſtes iſti, Rannulfus Presbyter, Daniel dominus ejuſdem caſtri, Jarnigoius & Gauffredus & Judicalis filii ipſius Danielis, Agnes etiam uxor ejus, Paganus de Livriliaco, Bidianus de Ponte, Judicalis villicus, Bilicus liber, Daniel filius Cbohardi, Haſcodius de ſancto Vitali, Helias filius David, Alanus filius ejus, & Mariniia uxor ipſius, & Paganus frater ejus, Groſſinus piſcator, Rotgerius nepos Rodaldi, Guillelmus filius Ariſmeli, Gauffredus de ſancto Vitali.

---

*Varia acta pro loco de Amanzenas.*

Ex Lib. VI. Miſc. Bal. pag. 486.

An. 1116.

EGo Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus & ſanctae Romanae Eccleſiae Legatus praeſentibus & futuris notum fieri volo quod Bernardus Vicecomes de Comborn & Abbas Uſercenſis cum quibuſdam perſonis monaſterii ſui in curiam noſtram venerunt pro controverſia quam inter ſe habebant de quadam terra quam ipſe Bernardus pro ſalute animae ſuae monachis Cluniacenſibus dederat. Abbas autem Uſercenſis adverſus Bernardum & donum ab eo factum his utebatur rationibus, dicens quod terra illa quam Bernardus ad aedificationem faciendam praedictis monachis dederat erat de alodio ſancti Petri Uſercenſis, quod Oddo Comes de Marchia ſancto Petro Uſercenſi dederat. Aliam inſuper praetendebat rationem, dicens quod Eccleſia Traipiacenſis, in cujus parrochia illud aedificium fiebat, erat ſancti Petri Uſercenſis jus, quam quidam Presbyter monaſterio ſancti Petri Uſercenſis donavit, & poſt aliquantum temporis Umbaudus Lemoviçae ſedis Epiſcopus cum conſilio Gausberti Archidiaconi & Boſonis Archipresbyteri eidem monaſterio donavit. Ad donum vero Epiſcopi aſtruendum relationem ipſius doni cartam conſcriptam protulerunt. Ad haec praedictus Vicecomes Bernardus reſpondit, dicens quod terra illa nomine Amanzenas de alodio Comitis Marchiae non erat, ſed ſuum proprium alodium ab avis & proavis eſſe aſſerebat, quod in manu fratris noſtri Euſtorchii Lemovicenſis Epiſcopi monachis Cluniacenſibus ad aedificationem faciendam dederat. Quod autem Umbaudus Lemovicenſis Epiſcopus donum Eccleſiae Trainiacenſis eis feciſſet ſe omnino ignorare dicebat. His itaque auditis utriuſque partis rationibus, una cum venerabilibus fratribus & coepiſcopis noſtris Lemovicenſi, Petragoricenſi, Agennenſi canonica auctoritate judicavimus quod Bernardus praedictus Vicecomes Comiti Marchiae, ſi ab eo impeteretur infra quadraginta dies ab eo die quo judicium factum eſt de alodio quod per donum Comitis Marchiae Uſercenſes monachi optinere nitebantur, quantum exigeret ratio reſponderet. Et quia carta quam ſuper dono Umbaldi Epiſcopi de Eccleſia Trainiacenſi protulerant canonicam firmitatem non habebat, cum praedictis Epiſcopis judicavimus ut infra eoſdem quadraginta dies duos legitimos teſtes producerent qui rationabiliter probarent ſe vidiſſe & audiſſe quod praefatus Epiſcopus Trainiacenſem Eccleſiam cum conſilio praedicti Gausberti Archidiaconi & Boſonis Archipresbyteri monachis Uſercenſibus dediſſet, interim vero monachi Cluniacenſes terram illam quam Bernardus Vicecomes eis dederat quiete tenerent & aedificarent. Interfuerunt autem huic noſtro judicio praedicti fratres Epiſcopi & aſſenſum praebuerunt, Ildebertus, Geraldus, Lemovicenſes Archidiaconi, Arnaldus Guillelmi, Guillelmus de Nanclars, Petragoricenſes Archidiaconi, Gauſridus Agennenſis Archidiaconus, Petrus Engoliſmenſis Praecentor, Eſdradus, Julianus, Raimundus Engoliſmenſes Canonici, Helias de Gimeſlo & Rennulfus de Garait Lemovicenſes Archipresbyteri, & multi alii venerabiles clerici. Et ut hoc noſtrum judicium firmius & certius habeatur & teneatur, propria manu noſtra ſubſcripſimus & ſigillo noſtro muniri fecimus. Ego Girardus Engoliſmenſis Epiſcopus & ſanctae Romanae Eccleſiae Legatus ſubſcripſi. Actum eſt autem hoc judicium in Petragoricenſi epiſcopatu, caſtello quod Exidolium vocatur, anno incarnati verbi MCXVI. indictione VIII. regnante Lodovico Rege Francorum.

---

EGo Mauricius Abbas Solemniacenſis univerſis ſanctae Eccleſiae filiis praeſentibus ſcilicet & futuris notum fieri volo quod Bernardus Vicecomes de Conborn dedit Ventiodorenſi monaſterio & monachis Cluniacenſibus in ipſo monaſterio Deo ſervientibus & ſucceſſoribus eorum quandam ſilvam quae Amanzenas appellatur ut eam quiete & inconcuſſe perpetuo poſſiderent & in ipſa ſilva Eccleſiam ſeu monaſterium aedificarent. Hoc autem donum fecit ipſe Bernardus conſilio & aſſenſu Domini noſtri Euſtorgii Lemovicenſis Epiſcopi & clericorum ſuorum me praeſente, qui ſuſcepit donum praedictae ſilvae ad opus Ventiodorenſis monaſterii de manu Bernardi, & Philippus Prior ejuſdem monaſterii ſuſcepit illud donum de manu Epiſcopi. Et quia praedicta ſilva in parrechiis Eccleſia- An. 1116.

rum

rum sancti Hilarii de las Corbas & sancti Martini de Trainaco & Ecclesiae de Comberet sita est, quae sunt de jure monasterii nostri, quas etiam Bernardus Vicecomes de nobis habet & antecessores sui de nostris habuerunt, nos religionis intuitu & reverentia Cluniacensis Ecclesiae inducti quicquid de jure nostro & Ecclesiarum monasterio nostro pertinentium intra fines praenominatae silvae continebatur, totum ex integro Ventiodorensi monasterio & fratribus ibidem Deo servientibus donavimus & ut in perpetuum pacifice & tranquille possiderent & ibi Ecclesiam seu monasterium aedificarent concessimus. Praeterea donavimus saepedicto Ventiodorensi monasterio Ecclesiam sancti Martini de Trainiaco cum omnibus ad eam pertinentibus, videlicet decimis, primitiis, sepulturis, & oblationibus, & capellis, necnon etiam cum aliis possessionibus & beneficiis & possessionibus ad altare ejusdem Ecclesiae pertinentibus, ut ea de fevalibus adquirant, & adquisita auctoritate & concessione nostra & fratrum nostrorum sine intermissione possideant. Hæc itaque dona consilio venerabilium fratrum nostrorum Petri Prioris nostri & Præpositi nomine Petri de Cevena & Bernardi Praepositi sanctae Crucis & Bernardi Praepositi sanctæ Faustæ de Brivazac & communi consilio aliorum monachorum nostrorum solemniter in capitulo nostro fecimus, quæ suscepit de manu nostra Philippus Ventiodorensis monasterii Prior. Et ut haec dona fideliter ei & suis successoribus illibata conserventur, ego Mauricius Abbas & omnes fratres nostri qui in ipso Capitulo aderant ipsi Philippo osculum pacis præbuimus. Interfuerunt autem huic donationi atque concessioni Stephanus de Rivo Chancidos, Petrus de Nobiliaco, Geraldus Lemovicis, Gaufredus de Vijano, Guacelmus de Cevena, Bernardus de Brivazac, Ugo de Cella Sollempniacenses monachi. Cum Philippo Priore praesentes adfuerunt Ugo de Lavarzino, Johannes Capellanus de Petrabuferia, Aimericus de Sollempniaco Diaconus. Petrus Montolis famulus ipsius Philippi, Petrus Andreæ famulus Ugonis de Lavarzino, & tota congregatio Sollempniacentium fratrum. Ut autem haec donatio atque concessio firma semper & illibata permaneat, praesentem cartam propria subscriptione subter firmavimus & nostro sigillo muniri fecimus. Facta est autem haec carta Solemniaci anno incarnati verbi millesimo centesimo decimo sexto, indictione nona, tempore Domini nostri Papæ Paschalis, regnante Lodovico Rege Francorum, XV. Kal. Maji. Ego Mauricius Abbas Sollempniacensis propria manu subscripsi. Ego Petrus Praepositus Sollempniacensis propria manu subscripsi. Ego Gaucelmus Sollempniacensis Eleemosinarius subscripsi. Ego Bernardus Sollempniacensis Cellerarius subscripsi.

---

An. 1116. GErardus Engolismensis Episcopus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus Pontio eximio & merito venerabili Cluniacensi Abbati & fratribus sibi a Deo commissis eorumque successoribus in perpetuum. Ex relatione dilecti filii nostri Philippi Ventiodorensis cellæ Prioris & ex lectione cartarum pro certo cognovimus ipsum cum dilectis fratribus Mauricio Sollemniacensi Abbate & Capitulo Sollemniacensis sollemniter concordiam fecisse de Ecclesia sancti Martini de Trainiaco & omnibus ad eam pertinentibus & de silva quæ Amanzenas vocatur, vobisque & vestris successoribus jus quod Sollemniacense monasterium in prædicta Ecclesia atque in silva donatione principum & concessione Lemovicensium Episcoporum habebat seu antiquitus habuerat donasse atque in perpetuum concessisse. Et quia nos apostolicæ sedis sollicitudinem gerimus & concordiam monasteriorum & religiosorum locorum diligere debemus, prædictam donationem atque concessionem laudamus atque apostolicæ sedis auctoritate confirmamus, ut deinceps & vos vestrique successores quiete & pacifice perpetuo habeatis atque possideatis. Et ut hæc nostra concessio seu confirmatio firmior & certior permaneat, propria manu nostra subscripsimus & sigillo nostro muniri fecimus. Ego Girardus Engolismensis Episcopus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus subscripsi. Datum Engolismae anno incarnati verbi MCXVI. indictione VIIII. regnante Lodovico Rege Francorum.

---

UNiversis praesentibus & futuris notum fieri volumus quod ego Bernardus Vicecomes & Archembaldus filius meus Deo & beato Petro Apostolorum principi & Cluniacensi Ecclesiae pro salute animarum nostrarum dedimus boscum qui Amanzenas nominatur. Hunc autem boscum ita dedimus ut Ventiodorense monasterium ipsum semper quiete & inconcusse in perpetuum habeat atque possideat: Boscum siquidem a nobis Cluniacensi Ecclesiae & Ventiodorensi monasterio datum ex una parte terminat via quae extenditur a Pauliaco usque ad Culturas, & ex altera parte via quae descendit a Culturis usque ad Cooz. Quicquid vero intra praedictas vias continetur, quod ego & filius meus Archembaldus in dominio habebamus, in dominio Cluniacensis Ecclesia & Ventiodorense monasterium integre possideat. Pari quoque tenore concessimus ut quicquid in praedicto bosco quilibet fevales de nobis habebant a monachis Ventiodorentibus haberent. Quod autem jam dederant vel daturi erant Cluniacensibus fratribus illud totum concessimus, & ut Ventiodorenses monachi sine interruptione possiderent auctorizavimus. Quicquid itaque intra praescriptas vias habetur, de quocunque manso, de quacunque bordaria sit, Cluniacensibus fratribus & Ventiodorensi monasterio a nobis donatum esse nullus fidelium dubitet. Haec omnia fecimus consilio & assensu Domini nostri Eustorgii Episcopi Lemovicensis & clericorum suorum apud Tutelense coenobium. Postea vero eadem dona fecimus apud Ventiodorum in manu patris nostri domni Poncii venerabilis Cluniacensis Abbatis. Donationi apud Tutelense coenobium factæ interfuerunt Eustorgius Lemovicensis Episcopus, Ebalus Abbas Tutelensis, Mauricius Abbas Solemniacensis, Geraldus Abbas Bellilocensis, Aimericus de Jovignac Archidiaconus, Helias de Gimel Archipresbyter, Ramnulfus de Gartic, Philippus Prior, Ademarus monachus, & alii complures tam clerici quam laici. Donationi vero apud Ventiodorum factae in manu domni Poncii Abbatis Cluniacensis interfuerunt Amblardus Abbas Lemovicensis, Philippus Prior, Ademarus monachus, Helias de Gimello, Ugo de Lavarzino, & multi alii. Factum est autem primum donum apud Tutelam anno incarnati verbi MCXVI. indictione VIIII. Secundum autem donum apud Ventiodorum actum est anno incarnati verbi MCXVII. indictione VIIII. domno Paschali Papa catholicam Ecclesiam gubernante, Lodovico Rege Francorum regente, Leodegario Archiepiscopo Bituricensi Ecclesiae praesidente. An. 1116.

---

*Notitia de controversia quae erat inter Abbatem Usercensem & Priorem Ventedernensem propter locum de Manzenas*

NOtum sit omnibus tam praesentibus quam futuris quoniam inter Abbatem Usercensem & Philippum monachum Cluniacensem, qui eo tempore obedientiam tenebat juxta castellum Ventedem, orta est controversia super quandam possessionem, ex utraque parte taliter Satita. Cum apud Tutelense coenobium Episcopus Lemovicensis esset, & Bernardus Vicecomes terram quam dicebat sui juris esse, quae modo novo nomine vocatur Manzenas, pro anima sua Philippo & loco Cluniacensi vellet dare, An. 1116.

Bernardus Vicecomes Combernensis.

forte monacho Usarcensi Geraldus & Archidiaconus ejus terrae hoc audientes, qui ad conventum Episcopi convenerant, canonice calumniati sunt in praesentia Eustorgii Episcopi & * G. Tutelensis Abbatis & Archipresbyteri Heliae & multorum tam clericorum quam laicorum. Dicebant enim Comitem de Marchia hanc terram monachis Usercensibus donasse in manu Geraldi Abbatis, itemque hanc terram infra terminos esse parrochiae de Trainiaco, quam Ecclesiam eisdem concesserat Humbaldus Episcopus sub manu ipsius Abbatis, testimonio monachorum, qui hoc postea multis in locis testati sunt in praesentia plurimorum temporibus & causis aut poscentibus. Praeterea hanc donationem quam Odo fecerat fecit Comitissa Adalmodis & ejus filius Boso Odonis successor. Et dum postea super hoc eodemque negotio placitum ageretur, venire voluerunt ut testimonium perhiberent si Bernardus Vicecomes auctorem & securitatem eis praeberet. Et in illo loco hujus placiti idem modo super donum Humbaldi Episcopi testimonium proferre praesto fuerunt. Dumque adhuc ceterisque partibus reclamantibus Episcopus diem causae definiendae dedisset, Philippus se Legato praesentans dixit quia rectum in hoc fuerat consuetum & ab Abbate Solemniacensi eam terram impetraverat, quam sibi idem Abbas alodum suum asserebat, quibusdam cartis fraudulenter compositis & mendaciter scriptis. Quae falsitas prudentiam Eustorgii Episcopi latere non potuit, qui & scriptorem falsitatis & cartam mendosam & donaria super hoc facta & promissa diligenter inquisivit & cognovit. Legatus vero Philippi verbis adquiescens Episcopo Eustorgio sub sigillo scriptum adsignavit ut quiete terram illam quam Philippus injuste petebat dimitteret & concederet. Cumque Episcopus utrisque partibus, ut diximus, reclamantibus judicium facere canonicum laboraret, Philippus vero forte hoc tale scriptum Episcopo praesentavit. Quod Episcopus admirans & stupens legit conquerens super Philippo, qui & ante inceptum judicium scripta Domni Legati reddere distulerat & sine suo assensu furtim ad Legatum concurrerat. Sicque Episcopus ira commotus de loco judicii surrexit. Abbas tamen Aldebertus Usercae & Archidiaconus A. eandem quam prius calumniam facere non destiterunt. Interea de his pene omnibus quae supra retulimus in manu Domni Legati fuit placitum apud Exidolium, in quo affuit Domnus Eustorgius Episcopus cum suis Canonicis & Abbas Usercae cum monachis necnon Ademarus Vicecomes Lemovicae civitatis cum suis Baronibus. Utrarumque causarum rationibus canonice perspectis, scilicet de Ecclesia aliisque terris, & legitimo facto judicio, duobusque modis prolato, atque Philippo scriptis commisso ut intra sexaginta dierum numerum fuisset expletum. Omnia vero haec monachi Usercenses parati fuerunt exequi, & testes vivos adhibuerunt, qui donum Ecclesiae viderunt & audierunt & Marchiae Comitem, qui sua dona vel avunculi testificatus est & adhuc testificatur, adduxerunt. Super haec autem omnia quae diximus adhuc Philippus & Ademarus monachi Ventederni sancti Petri Usercensibus terram injuste possident & inibi Ecclesiam aedificant & in cimiterio ejusdem Ecclesiae, quod ipsi male signaverunt mortuos homines mandant. Praeterea Bernardus Vicecomes, monente Ademaro de Laubiis, indixit Domno G. Episcopo ad sanctum Marcellum de supradictis causis; in quo placito Abbas Usercae in suis testibus affuit. Ademarus Laubiis vero fuit, sed dedignatus huic negotio nullum responsum reddidit.

* Leg. Eboli. Vide supra pag. 66.

Geraldus Episcopus Engolismensis.

De Abbatis Usercae ac Philippi placito quod inter se habebant de Manzanas & de ceteris donis sit notum omnibus quod ita fuit determinatum apud Exidolium in Domni Legati praesentia caeterorumque Baronum legitimis judicibus ut quantum alodi sancti Petri Usercensis intra parrechiam Trainiaci & Chambaret atque sancti Hilarii de las Corbas terminos Abbas haberet ac veris testibus potuerit probare, jure perpetuo possedisset & de injustitia quam pertulerat rectum accepisset. De Ecclesiis vero, si ante quam Philippus in ea parrechia habitasset Usercenses Abbates de eisdem Ecclesiis dona ab Episcopis legitime accepissent & investituram inde habuissent, nullo modo Philippus vel alius pro eo divinum officium inibi percelebrassent. Post aliquantum vero temporis affuit Domnus Poncius Abbas Cluniacensis apud Loberciacum; ibique humiliter conventus Geraldi Prioris Usercensis ac Ademari Vicecomitis voce super injustitia Philippi ac Ademari Laubiae de personatis querimoniis, eosque inibi vocavit, & manus eorum in manu memorati Prioris posuit, eisque obedienter praecepit quatinus judicium quod Domnus Legatus de supradictis rebus Exidolio fecit Usercentium monachis exequantur.

---

## OLLEGARII ARCHIEPISCOPI

*Tarraconensis epistola ad Raimundum Episcopum Ausonensem suffraganeum suum, qua ejus consultationi respondet.*

Ex L. II. Misc. Bal. pag. 197.

Circa an. 1124.

OLlegarius Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus venerabili fratri Raimundo Ausonensi Episcopo salutem. De juvene illo super quo me consuluistis ut vobis consulerem, qui puer puerum ludens ludentem impedivit ad casum quod caput frangeretur, hoc nobis respondendum videtur. Quoniam ille vulneratus postmodum, ut fertis, convaluit, & post dies non multos in languorem recidens, defunctus est, rem quidem dubiam certa determinare sententia minime possumus. Ambiguum namque videtur utrum ex occasione vulneris, aut ex incuria, aut ex alio aliquo, ut assolet, accidenti recidivus eum languor oppresserit. Verum quoniam beati Augustini & aliorum doctorum consilia nos edoceant talia incerta in meliorem semper partem interpretari debere, de confidentia Dei, cujus misericordia melior est super vitas, praesumentes, hunc bonae indolis juvenem laudamus in Ecclesia Dei ad minores gradus posse provehi. Si vero laudabilis vita & honesta morum conversatio cum aetate proficiens ipsum canonico tempore acceptabilem emmendaverit, sacros nihilominus gradus mediante Dei gratia sortiri poterit.

Ollegarius Archiepiscopus subscripsi.

Raimundus Dei gratia Ausonensis Episcopus.

*Similes puerorum ludentium historias vide apud Gratianum dist. 50. cap. 37.* Clerico: *in prima collectione Decretalium Innocentii III. composita a Raynerio monacho Pomposiano tit.* 34. *& in tertia collectione cap. 5. De homicidio.*

---

## PLACITATIO

*inter abbatem Lanzonem sancti Michaelis ad Mosam & Abbatissam Joviniaci.*

Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 474.

an. 1128.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Rerum gestarum series litteris idcirco scribenda mandatur quatinus ad posterorum notitiam veritas factorum, nulla falsitate intercedente, perveniat. Eapropter controversiam quae inter Abbatissam Joviniacensem Haduidim & Lanzonem Abbatem sancti Michaëlis, qualiter mota est & terminata concordia, ego quidem Centius Scrinarius de quarta decima regione trans Tyberim stilo & memoriae commendanda suscepi, sicut mihi a venerabilibus Willelmo Praenestino & Matthaeo Albanensi Episcopis, necnon Johanne Crementi de titulo sancti Chrysogoni, & Gerardo de titulo sanctae crucis, & Huberto de titulo sancti Clementis, atque Gregorio Diacono sancti Angeli Cardinalibus injunctum est. Quae quidem quaestio quemadmodum inferius legitur sic coepta & finita est. Clamavit siquidem Joviniacensis Abbatissa super Ec-

clesiam de Spinegio ante Dominum Alberonem Metensem Archidiaconum, in cujus parrochia praedicta Ecclesia est, & ad cujus judicium spectat, adversus Abbatem sancti Michaelis, quod Ecclesiam illam a Joviniacensi monasterio prius possessam injuste abstulerit & retinebat. Abbas e contra respondit se eandem Ecclesiam nemini abstulisse, sed in illam legitime, dono scilicet Comitissae Sophiae, & concessione dioecesani Episcopi, introisse. Quid plura? Data est a praedicto Archidiacono judicii dies. Convenerunt utrinque. Clamavit itidem prolocutor Abbatissae, & dixit se possedisse Ecclesiam illam, & injuste sibi ablatam fuisse, seseque testibus ut mandaretur probare paratam. E contra Abbas, Non abstuli, inquit, eam tibi, sed dono Comitissae Sophiae, proprii etiam Episcopi assensione in eam legaliter introivi, eandemque Ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus uno & quadraginta annis sine legitima interruptione possedi. Hujus negotii actioni sive discussioni interfuit Stephanus Metensis Episcopus. Interfuerunt etiam Abbates, Bertrannus sancti Arnulfi, Herbertus sancti Simphoriani, Theduinus Gorziensis Abbas, & Abbas Rodulfus sancti Petri du Monte, cum multis aliis sacerdotibus & clericis. Electi sunt judices. Gislebertus, Albertus, Bartholomaeus. Quaesitum est a partibus utrum aliquid amplius dicere haberent. Responderunt se nihil amplius habere. Itum est in partem. Judicatum est ut si Abbas probare posset duobus idoneis testibus sese praescriptionem temporis, id est, unius & XL. annorum, inconcussam habere, nullam super hoc pati debere ulterius inquietudinem. Cum autem sententia proferri deberet, Abbatissa indignando recessit, & misso fratre suo Alberto Primicerio Virdunensi sedem apostolicam appellavit, nullum tamen gravamen quod pateretur insinuans, neque adversus quem appellaret, sed neque diem ullum appellationis indixit. Postea tamen eadem Abbatissa ad Dominum Papam querimoniam suam depositura pervenit. Vocatus est & Abbas. Data est dies Dominica mediae quadragesimae, qua cantatur *Laetare Jerusalem*. Processerunt partes. Unaquaeque jus suum in medium protulit. Cum autem utraque pars easdem quas apud Archidiaconum pro se rationes protulerit, quaesitum est utrum novas aliquas allegationes haberent. Respondit Abbatissa de annis quos sibi Abbas praefixerat XVIII. quibus Ecclesia sua vacaverat, & quatuor quibus ipsa clamaverat sese velle subtrahere; & hoc se probare testibus, si judicaretur, alleverabat. Praeterea privilegia Romanorum Pontificum, Urbani scilicet & Paschalis, quae praedictam Ecclesiam confirmabant suo monasterio, praetendebat. Quaesitum est etiam ab ea si de interruptione illa & annis quos inutiles Ecclesiam suam habuisse dicebat in conspectu praedicti Archidiaconi & constitutorum judicum fecerat mentionem, vel si tempore quo privilegia facta sunt Joviniacense monasterium praedictam Ecclesiam possidebat. Quae respondit, neque annorum se mentionem fecisse, siquidem credebat solum hoc quod aliquando possederat, sibi & Ecclesiae suae posse sufficere, sed neque cum privilegia facta sunt, monasterium suum in illius Ecclesiae possessione fuisse dicebat. Quae omnia postquam Dominis Episcopis & Cardinalibus plenius intimata sunt, videlicet quomodo Mettis causa ventilata est & judicata, quid etiam hic in praesentiarum Abbatissa superaddere voluit, tunc demum visum est Dominis Episcopis & Cardinalibus praedictum Archidiaconum secundum audita satis canonice processisse. Veruntamen quoniam judicium quadam parte imperfectum remansit, visum est Domino Papae causam eandem concordia potius quam judicio terminandam. Unde praedictis Episcopis & Cardinalibus praecepit ut ad pacem inter eos componendam elaborarent. Qui in partem secedentes, & causam totam diligentius indagantes, cognito etiam quod Abbatissa nullam in eadem Ecclesia requirenda justitiam haberet, laboribus mulieris & expensis potius quam justitiae consulentes, laudaverunt ut Dominus Abbas monasterio Joviniacensi viginti libras Cathalaunensis monetae terminis statutis persolveret. Abbatissae autem praeceperunt ut Ecclesiam eandem, & omnia quae ad ipsam pertinent, in manus refutaret Abbatis: quod & factum est. Quibus omnibus ego Cencius sanctae Romanae Ecclesiae Scrinarius interfui, & sicut a praedictis Dominis & Cardinalibus mihi praeceptum est, stilo & memoriae per hoc publicum instrumentum retinenda mandavi. Actum est hoc in palatio Lateranensi coram Dominis Episcopis & Cardinalibus, Willelmo Praenestino, Matthaeo Albanensi, Johanne de titulo sancti Chrysogoni, Gerardo de titulo sanctae crucis, Huberto de titulo sancti Clementis, & Gregorio Diacono sancti Angeli, anno dominicae incarnationis MCXXVIII. temporibus Domini Honorii secundi Papae, pontificatus ejus anno quarto, mensis Martii die ultima, Indictione sexta. Huic concordiae interfuerunt isti, Mainerius Trevirensis Archiepiscopus, Henricus Tullensis Episcopus, Albero Primicerius Metensis, Hugo magister, Godefridus Trevirensis, Seroardus Archipresbyter Metensis, Rodulfus de Tudinio, Stephanus Cantor Virdunensis, Rodulfus magister, Rodulfus presbyter, Petrus miles frater ejus, Vvarnerus de Nonsart, Roricus Tullensis, Herbertus scholasticus sanctae Mariae Magdalenae.

---

## *PRIVILEGIUM*

## INNOCENTII PAPÆ II.

*De praedicta Ecclesia Tyriaci.*

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Lanzoni Abbati sancti Michaelis ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Quae ad pacem Ecclesiarum sunt debemus paterna provisione statuere & earum quieti atque utilitati salubriter providere. Proinde, in Domino dilecte fili Lanzo Abbas, decisionem controversiae quae inter te & Haduidem Juviniensem Abbatissam pro Ecclesia de Tyrcio in praesentia venerabilium fratrum nostrorum bonae memoriae Vvillelmi Praenestini, Matthaei Albanensis Episcoporum, necnon Johannis Cremensis tituli sancti Chrysogoni, Gerardi tituli sanctae crucis, Huberti tituli sancti Clementis Presbyterorum Cardinalium, & nostra ante assumptum apostolatus officium rationabiliter facta est, auctoritate apostolica confirmamus & ratam atque inconcussam futuris temporibus manere decernimus, & perpetuum silentium super hoc eidem Abbatissae ejusque successoribus indicimus, atque juxta ea quae ab eisdem Episcopis & Cardinalibus exinde statuta sunt, ut praefata Abbatissa a calumnia quam pro jam dicta Ecclesia de Tyrcio vestro monasterio inferebat omnimodis conquiescat, eundemque locum cum suis appendiciis vestrum monasterium quiete possideat, praesenti sanctione statuimus. Nulli ergo hominum liceat te vel successores tuos super hac nostra confirmatione temere perturbare aut aliquam vobis exinde diminutionem vel contrarietatem inferre. Si quis autem ausu temerario contra haec venire praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus incurrat, & excommunicationi subjaceat quousque a sua praesumptione resipuerit & congrue satisfecerit. Amen. Amen. Amen. Data Laterani per manum Aimerici sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis & Cancellarii XII. Kal. Maii, Indictione II. incarnationis dominicae anno MCXXXIX. pontificatus vero Domini Innocentii Papae II. anno X.

ACTA

## ACTA CONCORDIÆ INITÆ

*Inter Canonicos Ruthenenses & Monachos Massilienses super Ecclesia sancti Amantii & sepultura Civium Ruthenensium.*

Ex L. II. Misc. Bal. pag. 216.

An. 1140.

SUper alteratione quae inter Canonicos Ruthenenses & monachos Massilienses pro Ecclesia sancti Amantii & sepultura civium Ruthenensium jamdiu ventilata fuerat, hujusmodi concordia communi assensu utriusque partis intervenisse dinoscitur. In primis praefati monachi possidentes Ecclesiam beati Amantii, cujus Ecclesiae possessio confirmata est & jam in praesenti episcopali donatione facta communi assensu Clericorum Ruthenensium, ipsi quidem monachi debent persolvere pro eadem Ecclesia Canonicis Ruthenensibus in festivitate Apostolorum Petri & Pauli annuum censum viginti solidorum Ruthenensium, salva nimirum in eadem Ecclesia Ruthenensis Episcopi debita reverentia. Pactum est etiam inter Petrum venerabilem Abbatem Massiliensem & Clericos Ruthenenses coram Episcopo ut omnium Ecclesiarum pertinentium ad alodium beati Amantii, quae acquisitae fuerunt ab anno incarnationis Domini millesimo centesimo vigesimo, vel deinceps acquiri poterunt, habeant Massilienses medietatem, alteram vero medietatem Canonici Ruthenenses; excepta Ecclesia sancti Austremonii, pro qua praedicti monachi debent dare annuatim Ecclesiae Ruthenensi duas libras albi incensi donec præfati Clerici Boadonensem Ecclesiam possint acquirere, vel aliam aequivalentem, nisi ea poterit acquiri. Praeterea Ruthenensi Episcopo praesente una cum Hugone Comite concorditer actum est inter praetaxatos monachos & Clericos ut iidem Canonici haberent liberam facultatem sepeliendi circa matrem Ecclesiam Episcopos & Archidiaconos necnon etiam universos quicunque canonico habitu suscepto vitam finirent, ita tamen sub distinctione, ut si aliquis in extremitate vitae canonicum habitum postularet, ipsi Canonici per proprium nuntium conveniant Capellanum sancti Amantii, vel eo absente quemlibet Clericorum ejusdem Ecclesiae, quatinus aliquis eorum ad hoc infirmum adiret, ut eo praesente canonicum habitum susciperet. Si vero, legatione audita, aliquis eorum illuc ire differret, haberent iidem Canonici liberam facultatem imponendi canonicum habitum infirmo & eum mortuum sepelire; ita nimirum ut Ecclesia beati Amantii obtineat debitum beneficium, secundum voluntates infirmorum, omnium quidem qui in infirmitate canonicum habitum susceperint; conversos quoque qui dimissa proprietate ad eos venirent, necnon etiam mulieres Deo devotas post promissionem castitatis & obedientiae relicta proprietate, simili modo sepulturae traderent. Alios autem universos in cimiterio ejusdem beati Amantii sepeliendos esse non dubitatur. Praeterea sciendum est quod his quae per Massilienses sive per Canonicos Ruthenenses ab apostolica sede impetrata fuerant, quibus huic instrumento derogari posset; favore hujus transactionis ab utraque parte penitus renuntiatum est.

Ego Bernardus hoc instrumentum scripsi xv. Kal. Madii, incarnationis dominicae anno millesimo centesimo quadragesimo.

S. Domini Ademarii Episcopi. Ego Petrus Abbas Massiliensis subscripsi. S. Guillelmi Prioris de canonica. Ego Guillelmus Prior sancti Leontii. Ego Guillelmus Archidiaconus. Ego Hugo Archidiaconus subscripsi. Ego Deusdedit Prior sancti Amantii. Ego Willelmus Praepositus subscripsi. Ego Guillelmus Prior Amiliavensis subscripsi. Ego Petrus de Montoliu subscripsi. Ego B. de Belcastel subscripsi.

*Bulla Lucii II. Papæ confirmantis superiorem transactionem.*

An. 1144.

LUcius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro Massiliensi Abbati ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Æquum & rationabile esse dinoscitur ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur & ipsarum quieti atque utilitati auxiliante Domino salubriter providere curemus. Quamobrem, dilecte in Domino fili Petre Abbas, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesias quas canonice possidetis, videlicet Ecclesiam sancti Amantii, quae in Ruthenensi suburbio sita esse dinoscitur, & Ecclesiam sancti Austremonii de Sales, cum Capellis & omnibus ad ipsas Ecclesias pertinentibus, sub apostolicae sedis protectione suscipimus, atque tibi tuisque successoribus & per te Massiliensi monasterio praesentis privilegii pagina confirmamus. Praeterea conventionem quae inter te & venerabilem fratrem nostrum bonae memoriae Ademarum ejusdem urbis Episcopum & Canonicos utriusque partis voluntate atque convenientia rationabiliter facta est & scripto firmata, auctoritate apostolica roboramus & futuris temporibus ratam & inconvulsam perpetuo manere decernimus. Sed nec alicui liceat in praefatam Ecclesiam sancti Amantii interdicti sententiam promulgare quandiu tu vel successores tui aut fratres tui a sede apostolica evocati de objectis tibi querelis justitiam facere ac recipere coram Romano Pontifice fuerint parati. Statuimus ergo ut nulli omnino hominum liceat te vel successores tuos super iis infestare aut vobis exinde aliquam contrarietatem vel molestiam inferre. Si qua vero ecclesiastica secularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non praesumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui periculum patiatur, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subjaceat ultioni. Conservantes autem haec omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus & nostram gratiam consequantur. Amen. Amen. Datum Laterani per manum Baronis Capellani & scriptoris IIII. Kal. April. Indictione VII. incarnationis dominicae anno millesimo centesimo quadragesimo quarto, pontificatus vero Domini Lucii secundi Papae primo.

---

*Epistola Thomae quondam Abbatis Maurigniacensis ad sanctum Bernardum Abbatem Clarevallensem.*

Ex Lib IV. Misc. Bal. pag. 459.

DOmino dilectissimo & in Christi visceribus honorando Bernardo Dei gratia Clararum vallium Abbati Thomas suae sanctitatis servus & filius salutem. Vestri loci nomen vestrae & sub signis vestris militantium congruit actioni. Lucetis enim in medio nationis pravae atque perversae velut magna luminaria, in mundo verbum vitae continentes, & habitatis in convallibus quae frumento illo abundant quod misit Deus in Jacob & cecidit in Israel. Haec intuens, fiduciam concepi scribendi celsitudini vestrae modicus homo & abjectus in domo Dei, de commotione mea, quam patior licet invitus, sanctitatis vestrae reposcens antidotum. Causa autem haec est. Albericus, vir apostolicus, Episcopus Ostiensis, cum sub Romanae legationis officio Gallias circuiret & perambularet terram miracula faciendo, de quorum multitudine & magnitudine reticemus, Macharium * nepotem suum, laesae opinionis hominem, corpore pinguem, corde duplicem, ore bilinguem, de nova parvaque & paupere abbatia in antiquam, magnam, & divitem sancti Benedicti

An. 1144.

* Vide to. IV. Duchesnii pag. 383. 87.

dicti

dicti abbatiam tranſpoſuit, inaudita hac conventione interpoſita, ne Cluniacenſis ordo inibi intromitteretur, neve quiſquam de fratribus illis ad aliquem locum Cluniaco ſubditum mitteretur. Cui hoc mortiferum ſimoniacae haereſeos venenum non olet, profecto dono caret diſcretionis, & ſpiritualium narium foetidiſſimo abundat polypo. Quid enim hoc eſt niſi vendere religionem, juſtitiam, veritatem, & non ingredi per oſtium? Putans igitur Epiſcopus quod nil ſibi poſſet obſiſtere, alterum nepotem ſuum Lancelinum omni conatu nititur Eccleſiae Mauriniacenſi ſubrogare; quod Macharius, dum loco praeeſſet, non ſolum ſe facturum promiſerat, ſed etiam indubitanter adjuraverat. Nam progenies haec de toxicato trunco ſumens originem, ſquamis ſquamas adjungit, & Eccleſiae culturam praeoccupat, & ſub umbra atque poteſtate viri ſupradicti alitur, ac invitis omnibus coaleſcit, pecunias & praebendas adquirendo condonatione gravium culparum & turpium redemptione perſonarum. Clamores adverſariorum audiunt quam libentiſſime. At ſi Praeſulis Albini & martyris oſſa Rufini diſcepſata rutilaverint, nox ilico vertitur in diem, niger color albeſcit, Protheus ludit in pelago, protinus mutantur omnia; ridetur qui flebant, flent qui ridebant, & ut vulgari proverbio dicitur, non evangelici, ſed Sydonii piſcatores aqua turbida retia mittunt, & licet multiplicia, auro & argento ſua farciunt marſupia. Harum exactionum immanitas non ideo fit ut ſancta Romana Eccleſia, quae nunc populi ſui ſeditione commovetur, auxilietur, ſed ut generatio prava & perverſa rapinis Eccleſiarum ſuſtentetur, ditetur, ſullimetur ad ſuperbiam, diffluat ad luxuriam, confirmetur ad nequitiam. Sed ſpuria vitulamina non dabunt altas radices, quia omnis plantatio quam non plantat pater caeleſtis eradicabitur. Denique in hoc quoque negotio ſpe ſua fruſtrati ſunt. Erat namque Lancelinus vir nequam & intractabilis, pelle ruſus, facie fulmineus, mente ſanguineus, noſtri temporis Phalaris alter; ob idque jure meruit pati repulſam rei quam diu deſideraverat, & ad quam tam turpiter * quis patenter aſpiraverat. De aliis quae fama diſpergit tacendum eſt. Nulli enim & omnibus credere, teſte Seneca, vitium eſt. Epiſcopus tamen auctoritate confiſus, vinci neſciens, coeptis vehementer inſiſtit; & ſi me, qui diu loco praefueram, & nunc a monachis, clero, populo, militibus, proceribus expetebar, poſſet obruere, deſiderata ſe credebat firmiter obtinere. Pariſius igitur in palatio, in conventu venerabilium perſonarum, Rege praeſente ſimul & curia, moderationis abrupto froeno, in amicum abſentem, qui ſibi ſervierat, qui Macharium in Abbatem ſibi ſubrogari ſecerat, multa jaculatus eſt & ira dictante plurima congeſſit quibus veritas non conſentit. At cum per haec pulmonem non ſedaret, & eadem uſque ad taedium quorundam quibus ſanior & ideo clarior oculus inerat multiplicaret, cum ſe nihil proficere videret & pene deficere, Priorem ſancti Martini de Campis, ſub quo militabam, & in privato loco ſucceſſeram, evocat, & auctoritate qua praecellit praecipit quatinus quid de me ſentiat adjuratus coram cunctis edicat. Ille vero, ſicut ex condicto machinatum erat, (nam & die praeterita legatum quem capitulum mittebat ad me ut quantocius Pariſius venirem retraxit ab itinere) aſſerit me ſic corpore debilitatum ut vel hanc vel alteram obedientiam non poſſem implere. Hic ſtilum retraho, & impono digitum ori meo. Scriptum eſt enim: *Principi populi tui non maledices.* Et: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Et: *Falſus teſtis non erit impunitus.* Quantum enim id devium ſit a vero, propitia divinitate ipſa res indicat. Nam de infirmitate in qua me ſervum veſtrum veſtra ſullimitas viſitata eſt, ſanus & membris omnibus incolumis convalui, excoctis humoribus quos ex infirmitate loci ubi plus minus quinquennio inhabitaveram, contraxeram. Mox Epiſcopus verbum arripit, & cum auſteritate & imperio monachos jubet diſcedere, ac indiſcuſſis electione & perſona, aliam feſtinato perſonam praecipit eligere, de his & ſimilibus his ſummo juſtoque judici rationem redditurus. Has propter res oculus interioris hominis mei, mi dulciſſime pater, conturbatus eſt, & albugine praeoccupante pupillam, ad intuitum veri luminis tremulus palpitat & deficit. Sciens igitur in campis amplius me pacem habere non poſſe, titubo fateor utrum ad Majus-monaſterium redeam, ubi me juvenis dedi & in communi capitulo me fieri monachum devovi, an ad Eccleſiam Columbenſem, in qua quibuſdam cauſis emergentibus monachi veſtes indui & profeſſionem feci, & cum mitterer ad abbatiam Mauriniacenſem, me Columbas rediturum, ſi eam reliquiſſem, ſpopondi. Pluat ergo mihi Deus per vos caeleſtem rorem, & quod devote exopto & ſupplex expeto, veſtrae conſolationis merear habere reſcriptum. Valete.

* quam

---

*Litteræ Manegaudi Abbatis ſancti Michaelis ad Moſam de renovanda memoria Ducis Volſandi.*

Ex Lib. IV. Miſc. Bal. pag 463.

IN nomine ſanctæ trinitatis. Ego frater Manegaudus per Dei gratiam proviſor Eccleſiae ſancti Michaëlis, reminiſcens tam ampliſſimorum beneficiorum quæ nobis contulit piæ memoriae Dux Volſaudus ſundator noſtri coenobii, aliquam ſpecialiter recompenſationem animæ ipſius & Alſindæ conjugis ejus retribuere dignum duxi. Communi itaque totius capituli mei conſilio & conceſſu omni die & in perpetuum unam præbendam eis dare diſpoſui in cibo & potu quemadmodum uni de Eccleſiæ fratribus. Et ut hoc firmiter teneatur, ſub vinculo obedientiæ & anathematis roboravi auctoritate patris & filii & ſpiritus ſancti, & ipſius beati Archangeli Michaëlis & ſancti Petri & omnium ſanctorum Dei, ut quicunque hoc infringere præſumpſerit, anathematizatus & ſequeſtratus fiat a conſortio ſanctæ Eccleſiæ & omnium fidelium Chriſti. Fiat, fiat. Amen. Amen.

Circa an. 1150.

---

*Monachorum ſancti Michaelis ad Moſam querimonia ad Archiepiſcopum Trevirenſem de injuriis Comitis Rainaldi Barrenſis.*

SUb alas veſtræ protectionis, reverentiſſime domine & pater miſericordiſſime, nos curae veſtræ puſillus grex & oves paſcuæ veſtræ a facie inimici confugimus, & ante pedes majeſtatis veſtræ proſtrati, lacrymabilem calamitatis noſtrae querimoniam deponimus. Regnantibus Childeberto Sigiberti & Brunichildis filio & ejuſdem filio Theoderico, Eccleſia noſtra a quodam nobili Comite Volfaudo fundata fuit; & eo ſine liberis decedente, ſub tuitione ipſorum Regum, quorum ſedes regia Mettis erat, & ſuccedentium Regum vel Imperatorum permanſit, quorum largitionibus augmentata, privilegiis roborata, defenſione protecta, libertatis ſuæ tenorem conſervavit uſque ad tempora Othonis Imperatoris. Tunc ſiquidem quidam Dux Lotharingiae Fridericus tutelam ipſius Eccleſiae, quae catenus Regum & Imperatorum fuerat, in dominium ſibi uſurpavit, & de tertia parte praediorum Eccleſiae caſtrum ſuum Barrum, quod extruxerat, caſavit, nimirum facile ſubjugans terram ſibi vicinam & a tutela regia longe remotam. Ex tunc ergo jam per quatuor ſucceſſionum gradus tutelam vel dominium Eccleſiae noſtrae poſteri ejus obtinuerunt; qui non contenti ſupradicta tertiatione, etiam de duabus reſiduis partibus quamplures villas militibus in beneficia diſtribuerunt. Noſtri quoque temporis Comes Rainaldus, qui quinto illis gradu ſucceſſit, quod majores ſui nunquam fecerant, pecuniarum rapinas, quas vulgus talliatas vocat, per terram noſtram pri-

mus

mus agere coepit, homines incarcerare, vi & suppliciis sua eis extorquere, ad firmanda castella sua eum suis sumptibus eos e.gere, nimis frequenter per terram nostram dietare, nec suis sed pauperum sumptibus vivere, postremo tota terra nostra plus quam sua omnibus modis abuti; & hanc tyrannidem filio suo Raynaldo, qui nunc est, dereliquit, contestatus tamen ei publice se haec omnia injuste egisse. At ille malitiam patris in tantum supergressus est ut homines nostri oppressionem ejus ferre non valentes, villas nobis vacuas relinquant, reliqui nostra nobis solvere vel non possint vel contemnant, illum solum timentes, illi soli servientes. Vide epistolam Eugenii . III. apud Vasseburg. fol. 303. Cumque sedis apostolicae justitiam superiore anno adversus eum expetissemus, super hoc ultra modum indignatus, & apostolica protectione nihil adhuc nobis proficiente immo officiente, & malitia oppressoris quotidie ingravescenta, jam pene prae inopia rei familiaris domum vacuam deserturi, hanc unam adhuc spem suscipimus, ot quia Deo providente apostolicas vices suscipere meruistis, apostolicae potestatis virga oppressorem nostrum coërceatis.

---

## BULLA ADRIANI IV. PAPÆ

*Qua confirmat ordinationem factam de Ecclesiis sanctæ Genovefæ, salvis jure & rationabilibus consuetudinibus quas Episcopus Parisiensis habebat in eisdem.*

Ex Lib. II. Misc. Bal. pag. 223.
An. 1155.

ADrianus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Theobaldo Parisiensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Quod Ecclesias beatae Genovefae praedecessor noster felicis memoriae Papa Eugenius per regulares Canonicos ordinari praecepit, sicut ex litteris ejus agnovimus, non ad hoc fecit, neque id intellexit, ut tu vel successores tui aliquid de jure tuo, quod in eisdem Ecclesiis habuisse dinosceris, deberes amittere, aut justitiam Ecclesiae tuae auferri crederet vel minui, sed ut ipsae Ecclesiae potius ab honestis & religiosis viris quam a lascivis & enormiter conversantibus servirentur. Nos igitur quod ipse super hoc statuit auctoritate sedis apostolicae confirmantes, omnia jura & rationabiles consuetudines quas in praedictis Ecclesiis praedecessores tui hactenus habuisse noscuntur, tibi tuisque successoribus sine ulla diminutione volumus conservari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum XVII. Kalendas Januarii.

---

## EJUSDEM ADRIANI

*Epistola ad Berengarium Archiepiscopum Narbonensem, Artaldum Episcopum Helenensem, & Barones per Helenensem episcopatum constitutos, adversus Gaufredum Comitem Ruscinonensem.*

Circa ann. 1156.

ADrianus Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Berengario Narbonensi Archiepiscopo & apostolicae sedis Legato, & Artaldo Helenensi Episcopo, & universis Baronibus per Helenensem episcopatum constitutis, salutem & apostolicam benedictionem. Quae a praedecessoribus nostris rationabiliter sunt statuta, nullius temeritate volumus perturbari, sed inconvolsa ea mandamus & illaesa ab omnibus observari. Praedecessor autem noster felicis memoriae Papa Eugenius Comitem Gaufredum & eam quam tenet adulteram excommunicationis vinculo innodavit, pro eo videlicet quod legitima uxore dimissa, non est veritus adulteram sibi matrimonio copulare. Et quia, ut nobis dicitur, pertinaciter adhuc in sua iniquitate perdurat, eandem sententiam ratam habentes, mandamus eam ab omnibus inviolabiliter observari, statuentes ut eidem Comiti nunquam sit liberum, legitima etiam uxore defuncta, eam sibi matrimonio copulare quam non est dubium manifesto adulterio polluisse. 31. q. 1. c. 3. Illud vero. Filios autem quos ex adultera in adulterio procreavit, qui spurii a jure censentur, decernimus perpetuo paterna hereditate carere, nec eis liceat ullo tempora aliquid hereditatis ipsius Comitis jure successionis petere vel habere. Si vero ab eis hoc fuerit aliquando attentatum, excommunicationis vinculo se noverint innodandos.

---

*Dispositio rei familiaris Cluniacensis facta a domno Petro Abbate Cluniacensi.*

Ex Lib. V. Misc. Bal. pag. 443.
An. 1156.

QUoniam res valde labilis est humana memoria, nec morientes incessanter homines veracem semper posteris suis rerum gestarum famam relinquere possunt, scripturae subsidium a primis sapientibus adinventum est. Nam quod scribitur varietatem suscipere nescit, & nisi casu vel studio corrumpatur, uno eodemque modo veritatem rerum gestarum indifferenter succedentibus tradit. Feci hoc ego in quibusdam tantum spiritalibus. Facio nunc in quibusdam ad commodum corporale simul & spiritale pertinentibus causis.

Bibliotheca Cluniac. pag. 592.

Notum facio igitur ego frater Petrus humilis Cluniacensis Abbas omnibus illud legentibus quod quando ad hoc officium ante viginti sex annos assumptus sum, magnam quidem Ecclesiam, religiosam, & famosam inveni, sed pauperrimam, magnarum expensarum, & comparatis redditibus eum expensis, nullorum pene redituum. Treceni erant vel eo amplius fratres, nec centum de propriis sumptibus domus illa procurare valebat. Turba hospitum semper, pauperum numerus infinitus. Congregata de omnibus decaniis annona vix quatuor mensibus, aliquando nec tribus, vinum undecunque collectum, nunquam duobus aliquando mensibus, nec uno sufficiebat. Panis parvus, niger, & furfurens. Vinum maxime aquatum, insipidum, & vere villum. Præter alias & multo cum foenore mutuo acceptas expensas, in emendo solummodo annonam & vinum plusquam viginti milia solidos Cluniacensis Camerarius expendebat. Has angustias ego videns, habito cum sapientibus fratribus qui tunc vivabant consilio, prout mihi & ipsis rationabile visum ast, mesatica per decanias constitui, & ut conventum Cluniacensem de pane, de fabis, & earum sagimine quidam ex Decanis uno mense, quidam duobus mensibus, quidam tribus hebdomadibus, quidam quindecim, quidam octo diebus, hoc est, integro anno procurarent, ordinavi; & ut semper annuatim haec constitutio servaretur, universorum fratrum assensu & voluntate in Capitulo praecepi & scripto firmavi.

Hoc ita ut decretum est multis postmodum annis servatum est. Procedente dehinc tempore visum est tam mihi quam fratribus ut quaedam de pristina ordinatione mutarentur, & aliquae decaniae quae mesatica faciebant ad alios monasterii usus, juxta quod ratio exigebat, depurarentur. Ea de causa decania quae Masilias dicitur, quia magis avenae quam frumenti ferax est, ad procurandas omnium hospitum equitaturas deputata est. Galiniaco quaedam aliae fratrum procurationes impositae sunt. Juliacus, propter condaminas illius, quas in vineas vertimus, & quandam conventus pro domno Hugone Autissiodorensi Episcopo annuam procurationem, a mesatico quod ei impositum fuerat excusatus est. Decania sancti Ypoliti certa similiter de causa a mesatico excepta est.

Statutum est ergo ut quia prima ordinatio, quae per totum annum de his quae supra scripta sunt conven-

ventum procurabat, ſic variata vel immutata fuerat, nova rurſus ordinatio fieret, quae ſimiliter per totum annum fratres univerſos de pane, de fabis, & earum ſagimine, ut dictum eſt, procuraret. Quae talis eſt. Decanus de Cavariaco procurabit totum Septembrem, Decanus Cluniacenſis totum Octobrem & dimidium Novembrem, Decanus de Perronna reliquos dies ipſius Novembris, Decanus de Scutiolis ſexdecim primos dies Decembris, Decanus de Caviniis reliquos dies ipſius Decembris cum toto Januario, Decanus de Lordono totum Februarium cum Marcio, Granatarius totum Aprilem & totum Majum & totum Junium cum dimidio Julio. Cui tamen Granatario fabas menſis & dimidii Camerarius perſolvere debet. Decanus de Laiſiaco quod reliquum de Julio. Decanus de Berſoniaco totum Auguſtum, exceptis octo diebus ultimis. Decanus de ſancto Gengulfo illos octo dies ultimos Auguſti.

Haec meſatica ita conſtituta ſunt ut non tres tantum neque quatuor ſextarios frumenti aut plus ſive minus ad opus uniuſcujuſque diei obedientarii jam dicti Granatario dent, ſed quantum neceſſarium fuerit. Ipſe tamen Granatarius ea quae ei obedientiarii reddiderint, ut fidelis diſpenſator, qui dat in tempore tritici menſuram, fideliter cuſtodiat, ne fraudem de rebus monaſterii faciens, Ananiae & Saphirae mortem ſecundum beati Benedicti ſententiam in anima ſuſtineat. Quod ſi refectiones generales vel debitae vel gratuitae intervenientes a pane dando vel fabis eos excuſaverint, excuſentur. Quod ſi vel gratuitae non fuerint, vel debitae aliquo caſu defecerint, nihilominus dies illos ſuppleant. Ab illis tamen qui procurationes illas ex debito facere debuiſſent poſtmodum annonam expenſam vel fabas exigant, exceptis refectionibus illis quas Camerarius abſque annuis redditibus facit. Illarum autem refectionum quarum cauſa annuatim ſufficientem pecuniam recipit, panem & fabas quae expenderint ab eodem Camerario requirant.

Haec ſecunda ordinatio longo rurſus tempore manſit. Sed quia, ut ſcriptum eſt, ubi plurima conſilia, plurima ſalus, & quantumlibet bonum ſit quodlibet conſilium, meliore tamen ſuperveniente abſque dubitatione mutandum eſt, ſicut ſucceſſit primae ordinationi ſecunda melior, ita ſecundae meliori ſucceſſit tertia optima. Eſt autem hujuſmodi.

Conſtitutum eſt ut Decanus de Lordono, tam ipſe de Lordono quam de ſancto Ypolito, cum adjutorio octo dierum de ſancto Gengulfo, totum Cluniacenſem conventum tam ſanos quam ægros de bono pane ſemper procuret juxta majus pondus quod ego ipſe in principio meſaticorum conſtitui, non vero ſolum conventum, hoc eſt eos qui vel in refectorio vel in infirmaria comedunt, ſed omnes illos quos Decani meſatica facientes de meſaticis procurare ſolebant procurabit, & quicquid inde facere ſolebant faciet. Frumentum vero quantum & quale reddere conſueverant Decani dum meſatica facerent Granatario, tantum & tale reddant Camerario. Similiter reddant eidem & ſagimen fabarum. Fabas autem jamdicto Decano de Lordono, quia ipſe cum decaniis ſuis etiam Granatarius factus eſt. Sicut vero ſupra Decanis eſt dictum, ſi refectiones generales vel debitae vel gratuitae non fuerint, vel debitae aliquo caſu defecerint, more ſolito diebus illis & panem dabit & fabas. Sic & Camerarius quod dictum eſt. Exigent tamen poſtea ab his qui procurationes facere debuiſſent. Quae ſi illi reddere potuerint, ab eis recipiant. Si non potuerint, jamdicti ſoliti ſupplebunt.

Nec illud reticendum eſt quod ad rem de qua agitur pertinet, morem antiquum fuiſſe ut diebus ſingulis quibus nomina fratrum defunctorum congregationis noſtrae, hoc eſt profeſſorum, de libro in quo regula ſcripta eſt die qua obierunt pronuntiantur, panis eis, vinum, & generale daretur. Sed pro generali talis recompenſatio a ſancto patre noſtro Hugone facta eſt ut quoſdam villae Cluniacenſis furnos & eorum redditus, qui ad cameram antea pertinebant, Cluniacenſis Eleemoſynarius obtineret.

Primo autem ego ipſe quicquid panis & vini in refectorio vel in infirmaria comedentibus ſupereſt, quod primitus vel Granatarius vel vini cuſtos ſibi ex more vendicabant, Eleemoſynario conceſſi. De pane vero ſic inſtitutum eſt, ut quinquaginta librae ad pondus, non quod nunc fratribus datur, ſed quod ante tempus noſtrum fratribus dari ſolebat, jam dicto Eleemoſynario redderentur. Et ut pondera iſta ignorantibus nota fiant, noverint tria diverſa fuiſſe, unum minus, quod hoſpitum dicitur, alterum illo majus, quod erat conventus toto anni tempore praeter quadrageſimam, quadrageſimale vero pondus majus etiam illo erat.

Quando autem, ut ſupra ſcriptum eſt, meſatica primum inſtituta ſunt, mutavimus ſecundum illud pondus in tertium quod majus erat, hoc eſt, ut eodem pondere quo panis prius dabatur in ſola quadrageſima daretur conventui toto anno.

De quinquaginta vero jamdictis libris quas defunctis fratribus anniverſaria die pronuntiatis dari cenſuimus hoc ſtatutum eſt ut non ad pondus quod olim quadrageſimale dicebatur, & quo nunc fratres utuntur, ſed ad illud quod minus eſt, & quod ante hanc noſtram inſtitutionem habere ſolebant.

Ne vero aliquis miretur hunc infinitum defunctorum numerum certo hoc eſt quinquagenario numero determinatum, noverit tali hoc factum eſſe conſilio, ne proceſſu temporis creſcentes in immenſum defuncti vivos expellerent, dum trecentos ad minus vivos & mille fortaſſis quandoque defunctos parvi Eccleſiae redditus procurare non poſſent. Nam, ut quidam ait, quod jam in proverbium verſum eſt, *eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines*; &, ut alter, *penſate diu quid ferre recuſent, quid valeant humeri*. Stultum eſt enim metiri vires cum pondere & humeris illam imponere ſarcinam quam non valeat is cui impoſita fuerit ferre, immo cui cogatur invitus victuſque ſuccumbere. Hac ergo conſideratione harum quinquaginta librarum numerus & pondus ſic decretus eſt. Si tamen procuratio fratribus ex debito fiat, tunc ad quale pondus datur conventui, ad idem dabitur & his de quibus agitur defunctis. Tres autem pauperes quibus ex conſuetudine cotidie panis & vinum ſero in eleemoſyna datur, nec minorem nec alterius generis, ſed qualem & quantum panem conventus accipit, talem & tantum cotidie accipient.

Et quia, ut jam dixi, granarium ſimul cum decaniis ſuis Decano de Lordono commiſſum eſt ad procurationem hoſpitum & familiae faciendam, quantum ad panem pertinet, reddet ei Camerarius, ut aliis granatariis reddere ſolitus erat, quingentos ſexaginta ſextarios frumenti & quingentos de ſegle.

Et ut ratio qua iſta diſpoſita ſunt poſteris nota fiat, noverint iſtud legentes quoniam in primis quingenti tantum frumenti ſextarii a Camerario Granatario reddebantur. Sed poſt, ut quoſdam Clericellos nobiles, qui tunc in burgo Cluniacenſi docebantur, aleret, & ad quaedam principalis menſae fercula panem juxta velle cocorum comminuendum augeret, ſupradictis quingentis ſextariis ſexaginta additi ſunt. In hac vero nova & ultima ordinatione quingentis ſexaginta etiam triginta frumenti vel fabarum ſextarii pro meſatico de Maſiliis adjuncti ſunt. Inſuper & tredecim pro fabis decem & octo præbendariorum.

Tali modo, his omnibus ſextariis inſimul computatis, fiunt tam frumenti quam fabarum ſextarii ſexcenti & tres. De quibus ſexcentis & tribus trecentos ſex minus de meſaticis granarii accipiet. Reliquos qui ſuperſunt de frumento quod praeter meſatica reddi ſolet, tam de ducentis de Caviniis quam de centum de Laſiaco & de centum de Perronna ei Camerarius reddet. Quae ſi inde reddere non potuerit, de proprio reddere procurabit. De quingentis vero de ſegle trecentos apud montem Bertaldi, ducentos apud Ronias accipiet. Quos, ut de frumento

dictum est, si aliquo casu inde habere non potuerit, a Camerario totum requiret, illeque ei negare non poterit.

Sed de praebendariis supradictis hoc est adiciendum, quod ante tempus nostrum panis eis qualis inferiori familiae dari solet dabatur, hoc est, de vassallot; quem postmodum talem esse decretum est qualis est panis conventus vel hospitum, ad pondus tamen quod, ut supra dictum est, conventui praeter quadragesimam toto anno dari mos antiquus praeceperat. Sunt autem librae illae praebendariorum decem & octo; de quibus ut Granatarius novem, alias novem Eleemosynarius solveret praeceptum est.

Et quia semel de hujusmodi constitutionibus loqui cœpi, etiam alia his similia addam. De pane quidem & legumine conventus & de pane hospitum & familiae ista sic instituta sunt. De vino vero, quia aliter fieri non poterat, nec terrarum Cluniacensium redditus hoc aliter ordinari patiebantur, ad noviter plantandas & colendas vineas consilio fratrum studium converti, & ut jam plantatae suis temporibus congrue coli possent quosdam notos Angliae redditus fratri earum cultori & custodi annuatim reddi decrevi. Quae constitutio, nisi forte aut nimia terrarum sterilitas acciderit, aut studium colendi cultorum culpa neglexerit, trecentis immo fere quadringentis monachis vinum abundanter providere poterit, nec solum monachis, sed & hospitibus ex plurima parte sufficere valebit.

His praecedentibus & generale fratrum, quod post legumina eis dari solet, de quo multae frequenter querelae fiebant, sic ordinatum est. Cluniacensis Camerarius in burgo Cluniacensi centum libras & quingentos Cluniacensis solidos monetae accipiat, atque censu Pictaviensi & allecibus viginti millibus, quae Comes Boloniensis Eustachius dedit, additis, caseis quoque, vel qui debentur, vel qui ex nutritura quae apud Cluniacum vel apud Mergias fieri solet proveniunt, adjunctis, illud integre & absque omni prorsus querela provideat. Hoc multis jam annis sic factum est.

Illud etiam oportet scire legentes, quod post praecedentia institutum est ut Decanus de Masiliis universorum hospitum equitaturas abundanter de avena procuret, & si forte vadimonia sua pro avena non superflua sed necessaria impigneraverint, ea redimat.

Et ante hanc quidem institutionem mille & ducentos tantum avenae sextarios Camerario unoquoque anno ex prima quam feci institutione reddebat, qui indifferenter tam in hospitum quam in Abbatis, Prioris, Cellararii, atque Camerariorum equitaturis expendebantur. Sed quia unoquoque istorum de illa summa avenae sibi rapiente quod poterat, frequentes querelae & negligentiae de equitaturis hospitum audiebantur, statui ut aliis semotis, solis hospitibus quantumcunque necesse haberent, vel quantumcunque moram facerent, provideret, & vadimonia illorum, ut dictum est, redimeret. Hoc praecipue de extraneis.

De domesticis vero, hoc est, fratribus congregationis, prima tantum nocte eorum equitaturas procuraret, exceptis Prioribus qui in Hispania & illis qui in Anglia morantur, & Priore de Paredo, & de Borbono, & de Silviniaco, quorum equitaturas ut hospitum, quandiu Cluniaci manserint, ex usu antiquo Camerarius procurare solebat. Hii omnes, quantum ad equitaturarum suarum procurationem spectat, pares peregrinis hospitibus erunt.

De Priore Cluniacensi hoc constitutum est, ut ad procurandas equitaturas suas trecentos avenae sextarios a Decano de Scutiolis accipiat.

De Camerario Cluniacensi cum omnibus sociis suis hoc decretum est, ut centum sextarios avenae qui a Decano de sancto Victore debentur & alios centum de obedientia Bellimontis accipiens, addita avena quae a venditoribus avenae pro more in villa Cluniacensi exigitur, nihil ultra quantum ad avenam spectat requirat.

His praemissis, quod de vestimentis fratrum ordinatum est, ne processu temporis oblivione pereat, addendum est. Nescio enim quo casu, quando ad hoc pastorale officium accitus sum, nihil de his, sicut nec de reliquis pene omnibus exterioribus, ordinatum inveni. Camerarius enim, cui omnia exteriora imposita erant, tam rei familiaris inopia quam multiplici, ad quam non sufficiebat, occupatione impeditus vestimenta fratribus aegre, confuse, insufficienter providebat, nec juxta apostolicam & sancti Benedicti regulam vestimenta fratribus distribuebat prout cuique opus erat.

Eapropter Priori Cluniacensi ex majori parte haec cura imposita est ut tunicas, hoc est, vulgari nomine frocos, cucullas, pellicias, agnina cattotia vel capellos, stamineas, femoralia, flumas, hoc est, opertoria pulvinariorum, universis fratribus in Cluniaco manentibus sufficienter provideat. Ut autem haec sibi injuncta plene facere posset, decretae sunt ei viginti marcae argenti de censu Italico, viginti de censu Hispano, viginti de quodam manerio Anglico quod dicitur Opifortis, & quindecim marcae de manerio quodam Angliae quod dedit Comes Eustachius, & salvo hoc Cluniacensi censu, ad Rumelincum monasterium, quod & ipsi Cluniacensi Ecclesiae dederat, voluit pertinere. Datus est ei insuper & totus Provinciae census, qui ad Cluniacensem cameram pertinere solebat, a prioratu de Terniaco, qui est super Rhodanum, & ab illo de Taluiaco usque ad Alpes Provinciae & usque ad mare cum eorundem prioratuum censu. Haec Priori Cluniacensi imposita sunt.

Trabucos vero & pedules fratrum primo custodi operis novae Ecclesiae imposui; cujus redditibus quos habebat in Anglia propter novas emergentes guerras deficientibus, Camerario quod ille solitus erat facere injunxi, ut trabucos & pedules fratribus provideret de trecentis solidis gatgeriae Humberti Ungri, quam nobis, dum Jerusalem iret, pro quatuor milibus solidorum, quos a nobis accepit, in vadimonio dedit. Illam gatgeriam ego Decano de Lordono concessi tali modo ut omnes fructus & redditus jamdictae gatgeriae acciperet & inde praefatos solidos ad ea quae supra nominata sunt Camerario redderet. Si autem gatgeria illa redempta fuerit, & custos operis majoris Ecclesiae de centum marcis de Ledecumba manerii quod Rex Anglorum Stephanus meo tempore Cluniacensi Ecclesiae dedit sexaginta saltem marcas habere potuerit, sicut prius facere solebat, trabucos & pedules universis fratribus provideat.

---

## LITTERÆ ERMENGAUDI

***Comitis Urgellensis, quibus abdicat consuetudinem, quam ab antecessoribus suis habebat, capiendi bona mobilia & immobilia Episcoporum Urgellensium defunctorum.***

IN nomine omnipotentis Patris & incarnati Verbi filii ejus & ab utroque procedentis Spiritus sancti. Pateat cunctis praesentibus atque futuris quali- Ex L. II. Misc. Bal. pag. 225.
ter ego Ermengaudus Dei dispositione Comes Urgelli pro remedio animae meae omniumque parentum meorum dimitto atque evacuo & sine aliquo An. 1162.
retentu penitus persolvo Domino Deo & almae genitrici ejus Mariae sedis Urgelli horribilem illam & male consuetam rapinam quam post decessum Episcoporum sedis Urgelli injuste exercere consueverant praedecessores mei in omni honore episcopali; tali scilicet modo, quod ego nec aliquis Comes post me non habeamus licentiam nec potestatem ex hac hora in antea diripiendi sive invadendi bona Urgellentium Episcoporum mobilia sive immobilia, quandocunque vel ubicunque praedictae sedis Pontifices moriantur; sed post obitum eorum salva & libera atque quieta remaneant omnia sua praefatae Ecclesiae almae genitricis Dei Mariae sedis Urgelli sine aliqua inquietatione Urgellensium Comitum vel homi-

hominum suorum. Veruntamen quia post decessum Episcoporum episcopalia castra sive villa praedictae sedis pro securitate & defensione honoris beatae Mariae usque ad diem futurae electionis in manu Urgellensium Comitum permanere consueverunt, nihil ibi Comes Urgellensis vel homines sui accipiant nisi ea tantum quae ad custodienda praedicta castra bona fide sine malo ingenio secundum providentiam Canonicorum praedictae sedis sufficienti modo necessaria fuerint. Praedicta autem castra quae in manu Comitis post obitum Episcoporum custodienda permanere solita sunt, haec sunt, castrum Savangiae, & castrum de Gissona, & castrum de Torrefracta, & villa sedis, & castrum de Montferrer. Ea ipsa vero die qua praefata castra in manu Comitis esse incipient, de redditibus & censibus & explectis quae de ipsis castris exierint, praenominata castra custodiantur. Dono etiam ad operam beatae Mariae centum morabetinos per unumquemque annum de ipsa mea paria de Hispania, quandiu ipsa paria perdurabit. Si interim de ipsis clericis praedictae sedis quisquam forte obierit, res ipsius defuncti securae semper permaneant sine direptione vel diminutione, quam ei Comes vel homines sui aliquo modo facere non praesumant. Insuper & ob remissionem peccatorum meorum meorumque parentum omnia quae juris beatae Mariae esse noscuntur, eidem matri meae Urgellensi Ecclesiae in perpetuum habenda concedo, laudo, atque confirmo. Si quis contra hanc chartam ad disrumpendum, non valeat vindicare quod requirit, sed in quadruplum Ecclesiae beatae Mariae componat, & postea scriptura praesens firma & stabilis permaneat omni tempore. Acta charta secundo Idus Januarii anno dominicae incarnationis millesimo centesimo sexagesimo secundo.

## HENRICI ARCHIEP. REMENSIS

*Epistola increpatoria ad Cardinales Romanae Ecclesiae in causa Drogonis Cancellarii Noviomensis.*

Ex Lib. II. Misc. Bal. pag. 228.

An. 1170.

REverendis in Christo Patribus Episcopis & Cardinalibus sanctae Romanae Ecclesiae filiis Henricus Remorum dictus Archiepiscopus salutem & reverentiam. Non sine admiratione multa & animi concussione recenseo quod apud vos nec gratiam meretur obsequium, nec amor vicissitudinem, nec humilitas adjumentum. Si vos in summo rerum cardine divina miseratio collocavit, non sibi contraria sed voluntati suae similia quaerit a suis professoribus exerceri. Ipse qui dicit: *Ego diligentes me diligo*, a servo suo dictum recipit: *Tu autem Domine sabaoth omnia cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos*. Si vestrae condescendit abjectioni divina dignatio, si dilectionis, tranquillitatis, & reverentiae munus aeterna majestas exhibet hominum servituti, quid homo debet referare homini, qui non utique servus sed conservus est sub imperio conditoris? Adorari se prohibet angelus ab Apostolo; nec attendit conditionem carnis, sed superius dominantis arbitrium; nec honorem suscipiens Apostolus tumescit, nec erubescit angelus hominem revereri, qui genus humanum noverat Domini sui sanguine reparatum. Locum ejus tenetis. Vices agere debetis, & figuram similitudinis imitari. Si vobis, non necessitatis articulo, sed divinae vocis imperio subservimus, num debemus gratiam promereri? Cultoribus suis refert Deus gratiam pro grata, & dilectores suos multiplici suffragio consolatur. Nos pro servitio reportamus offensam, pro beneficiis jurgia, dissensiones pro pace, pro dilectione molestiam. Quod fovemus opprimitis, quod adversamur assumitis. Et sic in vacuum cedit nostra devotio, quam vobis constanter tempore necessitatis exhibuimus, non verbo, neque lingua, sed opere & veritate. Dat omnibus affluenter divina bonitas, & nulli improperat. Nec nos obsequia nostra vobis ad improperium replicamus; sed de fructu operum nostrorum volumus justa vicissitudine satiari. Sat est dictum sapientibus. Quicquid enorme est complanat secura correctio. Agite igitur quod debetis. Et si quid sumus in oculis vestris, si quid possumus apud vos, si quid de vobis bene meruimus, sentiat vestrae dilectionis efficaciam dilectus & familiaris noster Drogo Noviomensis Cancellarius, quem Dominus Papa, sicut placuit, non, sicut credimus, ut decuit, duro sententiae suae destituere videtur elogio, cujus molestia nos non immerito tangit, & angit erubescentia quam sine praejacenti culpa creditur sustinere.



## EJUSDEM EPISTOLA

*Ad Alexandrum III. de eodem argumento.*

REverendo in Christo patri & Domino Alexandro Dei gratia summo Pontifici Henricus Remorum dictus Archiepiscopus salutem & reverentiam. Nullus est homini justior dolor quam beneficii sui perdere diligentiam; nec debitoris animum gravior potest incussura molestia quam cum pro gratiae merito titulus reportetur offensae. Miror, & mirari satis non sufficit animus meus, quid occasionis intervenit, quid accedit meriti mei, quid operis intercedit, ut Moysi manus sentiam graves, & affectum patris non qualem merui repraesentet affectus. Quod enim fovere desidero vestra decolorat auctoritas; & quibus de rigore justitiae adversor, vestra benevolentia sublevat in profectum. Audiunt inimici mei & vestri opus vestrum & rancorem meum; & laetantur quoniam vos fecistis. Non est affectus filialis apud animum patris occultare quod doleat, sed de planta tristitiae fructum quaerere gaudiorum. Duo fecistis opera quae miror, nec minus vicem vestram quam meam doleo in illis. Inutilitatem, ne dicam gravius, Atrebatensis illius promovetis in publicum. in quo & Ecclesia illa turbatur, confunditur justitiae rigor, Ecclesiae praedia dissipantur. Noviomensis Ecclesiae Cancellarium, virum, ut credo, honestatis & religionis amatorem, & meum familiarem, non citatum, non auditum, non convictum canonice, nec de propria confessione reum, a gradu suo, sicut accepi, removere intenditis; cui plurimum apud vos sancti Pontificis meritum & constitutio debuit suffragari, qui tantum in eo fidei speique reposuit ut ei cum personatu curam animarum sine scrupulo conscientiae commendaret. In quo stupor apprehendit omnes, & aures tinniunt audientium, cum tam diversa meritorum reportent stipendia inutilitas auxilium & religio dejectionem. Est aliud praeterea quo gravius uritur & urgetur animus meus, quod non sereno vultu scripta mea recipitis, nec apud vos sinem sortiuntur acceptum. De regularibus autem Clericis cum teneat communis usus Ecclesiae ut Archidiaconi vices agant in episcopatibus, vel parrochiales curas obtineant, de praedicto fratre nostro Noviomensi Cancellario non sine gravi cordis scrupulo sustineo quod eum sic arbitrii vestri sententia debeat praedamnare; maxime cum preces meas pro eo susceperitis, & commendationem dignam gratia sine gratia remitti non meruerim. Hoc praeterea vobis adnuntio, quicquid alii dixerint, quod in ejus promotione & communis consensus Canonicorum affuit, & nullam audivi sonuisse contradictionem.

Vide Bullam Alexandri III. apud Jacobum le Vasseur in Annalibus Ecclesiae Noviom. pag. 897.

 ALE-

## ALEXANDRI III. PAPÆ

*Epistola ad Henricum Archiepiscopum Remensem, qua superioribus litteris respondet.*

An. 117[illegible] ALexander Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Henrico Remensi Archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. Cum significasses nobis quod nec litteras nec nuntios tuos benigniori oculo respiceremus, nec preces tuas super negotio Atrebatensis Episcopi vellemus admittere, satis mirati sumus qua de causa turbatio ista in animo tuo provenerit, & quibus argumentis gratiam & dilectionem nostram circa te refriguisse conjicere potuisti. Non enim ita immemores sumus magnificae devotionis & utilissimi obsequii quod nobis & Ecclesiae Romanae in necessitatis articulo prompto animo impendisti ut non te sicut carissimum fratrem nostrum & firmissimam columnam Ecclesiae sincerissimo diligamus caritatis affectu, & tam nuntios quam litteras tuas liberali semper animo videamus, & gratanter pro te velimus efficere quicquid cum Deo & justitia & honestate nostra possimus & pro aliquo fratrum nostrorum efficimus facturi, nec recolimus nos unquam tuis precibus obviasse, quas salva forma justitiae & honestate nostra potuimus exaudire. Immo plerumque praeter officii nostri debitum tuae curavimus fraternitati deferre & satisfacere voluntati. Quapropter haec in animum tuum non descendant; sed omnem hujusmodi sollicitudinem & anxietatem deponas. Et si quando petitionibus tuis non ad votum annuimus, non voluntati nostrae, sed potius meritis negotiorum ascribas. Desiderium namque, sicut diximus, & voluntatem habemus ea quae cordi sunt tibi gratanti animo exequi & votis tuis, in quibus expedit, benignum semper & promptum favorem praebere. Tu vero, sicut vir discretus & prudens, in omnibus agendis tuis caute & provide ambules, suffraganeos Ecclesiae tuae benigne & mansuete pertractes, & de Ecclesiis beati Petri propriis, quae in tua provincia constitutae sunt, non tamquam de tuis disponas, sed eas in sua libertate relinquas. De cetero super negotio dilectae in Christo filiae nostrae nobilis mulieris Constantiae sororis tuae uxoris Comitis Tolosanensis venerabilibus fratribus nostris Suessionensi, Ambianensi, & Laudunensi Episcopis consideratione fraternitatis tuae efficaciter scripsimus prout novimus expedire. Verum quia, sicut accepimus, in instrumento dotalitii sui testes conscripti sunt, ipsos auctoritate nostra & tua moneas & inducas ut amore justitiae testimonium perhibeant veritati. Sicut enim periculosum est iniquum falsumve proferre, ita quoque bonum est veritati testimonium perhibere. Ad haec, dilectum filium nostrum magistrum Paganum tibi devotum admodum & fidelem providentiae tuae propensius commendamus, rogantes ut ei benefacias & habeas multipliciter commendatum, quem scis pro suo negotio tanto tempore apud nos moram fecisse. Negotium enim pro quo eum misisti cito satis & compendiose expedivimus. Datum Beneventi VI. Kal. Septembris.

---

## *NICOLAI MONACHI*

*Clarevallensis epistola ad Henricum Comitem Campaniæ.*

Ex L. II. Misc. Bal. pag. 234. SErenissimo Principi & carissimo Domino suo Henrico Comiti Trecensi frater Nicolaus vita peccator, habitu monachus, a salute salutem. Philosophus dicit; *Ego tunc humanarum rerum statum arbitror esse felicem cum aut Philosophos principari aut Principes philosophari contigerit.* Viva

Circa an. 1170.

sententia, nec modo hominis ore formata, sed Dei. Quid est enim homo sine litteris nisi sepulcrum animae rationalis viventis & sepultae? Litterae viae sunt ad honestatem, & honestas fructus est litterarum. Et licet sensus litteras, non litterae sensum inveniant, ornant tamen & ordinat inventio inventorem, tamquam de pulchro patre pulchrior filius elucescens. Vetus enim proverbium est, & ore veterum celebrata sententia; Quantum a belvis homines, tantum distant a laicis litterati. Hae primum a Deo inventae & scriptae digito pro singulari munere datae sunt & commendatae mortalibus. Per has praesens est quod praeteritum fuit. Hae quicquid usquam vel unquam gestum est recolligunt in se ipsis. Ad quid tamen eas effero nisi ut te efferam, cui datum est in Philosopho Principem, in Principe Philosophum retinere. Proinde felicia dixerim tempora nostra, quae tuo principatu principaliter sunt insignita, per quem ditantur Clerici, dotantur Ecclesiae pariter & ornantur. Non invideant milites, quia & illis morem geris. Non tamen unus sed tamquam unicus inter Principes terrae; largissima manus tua, & cui non fit similis in filiis hominum, de possessionibus suis & pauperibus diffundit & divitibus, ut dives adstringatur fortius & pauper melius sustentetur. Porro pecuniam sicut paleam reputas, quae fere indifferenter spargitur & universis. Nihil tibi & illi; quae cum ad te venerit, non abscondentem invenit, sed fundentem. Plerunque & antequam veniat collata est & collocata, ut se libentius emitti judicet quam admitti. Miror tamen quomodo sufficiat & non deficiat dextera tua, nisi quod scriptum est; Difficile est ut divitem animum possibilitas deserat, & abundantia sequatur hominem mente mendicum. Sic inter litteratorium & equestrem ordinem residens utrumque magnificas, magnificus & munificus ad utrumque. Non est inventus similis tibi in hac dote naturae, sicut praesentes narrant, narrabunt posteri, & nati natorum & qui nascentur ab illis. Dedit autem tibi ad hoc Dominus intellectum & linguam eruditam, ut tantae nobilitatis sanguis & eloquio & ingenio praefulgeret. Nec hoc dico quasi adulatorio sermone velim illustrare rerum tuarum splendorem, sed ut te incitem & invitem ad opus sanctum dignum benedictione. Nosti enim nihil esse verius verbo veritatis, quae dicit. Omni petenti te tribue. &; Beatius est dare quam accipere. Nosti etiam quia nihil quaero a te nisi te & gratiam tuam, & quia nec importunus unquam volui esse nec ingratus. Et quid? Ab ineunte aetate mea placui magnis & summis Principibus hujus mundi. Sed tibi singulariter ex dominio naturae debeo quicquid sum, & ex officio amicitiae quicquid possum. Dicit autem sapiens; Principibus placuisse viris non ultima laus est. Si Principibus, quanto magis illi Principi qui jure primatus omnes in me Principes antecedit? Et quia novi excellentiam tuam studiis liberalibus, praesertim eloquentiae, omni opere operam dare, mitto sublimitati tuae quasdam epistolas quas Dominum Papam & Cancellarium aliosque personatos viros intra hoc biennium memini aliquanto studiosius dedicasse; ut scias quia si plus haberem, plus mitterem; sicut de peccatrice muliere virginis filius protestatur; Quod habuit & fecit. Non quod in me vel ex me aliquid sentiam quod debeat approbari, sed quia sic afficior erga nobilitatem tuam ut ineptias meas apud te plus retegere quam tegere velim. Parce etiam affectui, qui juxta philosophiam nec Regibus obtemperat, & cui leges imperare non possunt. Rex Regum & Dominus dominantium sic te dominari concedat in dominatione terrena ut non priveris aeterna, cum surrexerit Dominus percutere virga oris sui, & reddet unicuique juxta opera sua.

EJUS-

## EJUSDEM EPISTOLA

### *Ad Vvillelmum Archiepiscopum Remensem.*

Circa an. 1170. SUo Domino Remensi Archiepiscopo apostolicae sedis Legato Nicolaus suus quod suus. Confiteor tibi, Pater, quia peccavi in caelum & coram te. Jam non sum dignus vocari filius tuus, nisi tua dignatio reducat indignum. Indignus est enim qui beneficium non advertit, sed avertit faciem suam a benefactore suo, indignus pariter & ingratus. Ingratitudo ventus urens, siccans misericordiae fontem, absorbens flumina gratiarum. Talis ego, & talia quae paravi. Tu ille Remensis cujus remigio navis Gallicanae Ecclesiae procellosissima loca secura persulcat. Recepisti me infra sacrarium tuae familiaritatis; quae ad recipiendum rara est, ad retinendum constantissima. Non facile se indulget nisi cui se noverit indulgendum; & hoc morosiori deliberatione Scriptum est enim: Semper est nobilis familiaritas perniciosa, & post longam deliberationem & turpis. Dum autem quis receptus fuerit, non est deceptus, factus acceptus illi apud quem in hac parte non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Non habet apud te susurro locum; detractor non apparet, sciens quia subito adspici sit deprehendi. Rex qui amat verba susurri, ait sapiens, omnes ministros habet impios. Nemo tibi ministrat in ministerio isto, cum praeclari & magni viri his diebus credulitatis vitio fascinentur, non attendentes aut non curantes quod scriptum est: Qui cito credit, levis est corde. A tanto & tali tantillus & talis & taliter susceptus sum ut me mihi surriperet in benedictionibus suis. Ego autem quid feci? Multi dies evoluti sunt quod nec vidi eum nec scripsi ei, cum & muta caritas repraesentet speciem non amantis, & conspectus habeat aliquid vivae voluptatis quam mortui apices nequeunt experiri. Excusabo me de difficultate itineris, de longinquitate regionis, quae est inter Remensem urbem & Arremarensem Ecclesiam. Sed iter breve est & via plana, & plena in circuitu multitudine amicorum meorum. Dicam quia negotiosus fui, ut quatuor dierum spatio me ipsum mihi ipsi furari non possem. Nimirum homo magnus occupatus est in magnis. Sed quis hoc dixerit? Apud profecto instrumentum formica plaustrum trahens. Adiciam quia licentiam veniendi habere non potui, cum vadam & veniam, eam & redeam tota die. Haec dicerem si ita essem sub potestate constitutus ut mei ipsius potestatem habere non possem. Sublatum est omne patrocinium excusandi ad excusandas excusationes in peccatis. Non est nisi ut veniam petam, & accedam ad pedes ejus qui novit parcere subjectis & debellare superbos. Quem humilis agnum, sublimis invenit elephantem, apponet ut complacitior sit adhuc. Non continebit in ira sua misericordias suas. Cum viderit servum suum, miserebitur ejus; quoniam multus est ad ignoscendum, cum ad cognoscendum peccatum meum ultroneum videat & paratum. Haec, Domine Pater, locutus sum ut sentias, quia etsi tu ita non sentis, ego tamen ita sentio in me ipso. Inter jocunda enim mea, Domine venerabilis, nihil mihi tua dilectione jocundius aut aeque jocundum. Tanto enim de illa laetior sum quanto & certior sum quod non deesset mihi in oportunitatibus in tribulatione. Sit beneplacitum ante te ut relitteres mihi quando Remis post octavas Paschae tuam potero reverentiam invenire, & videam mihi desideratam faciem tuam.

## ACTA CONCORDIÆ INITÆ

### *Inter Auscitanam & Caesaraugustanam Ecclesias occasione Ecclesiæ Alagonensis.*

NOvit Dominus refugium, & in tempore iracundiae inter .......... factus est reconciliator. Notum sit ergo omnibus hominibus quod Auscitana Ecclesia frequenti & assidua querela Caesaraugustanam pulsavit Ecclesiam super Ecclesia de Alagon, quam ex donativo A. illustris Regis Aragonensis & confirmatione venerandae memoriae Papae Innocentii & successorum ejus se canonice debere habere fiducialiter asserebat. E contrario vero Caesaraugustana Ecclesia constanter asseverabat se praedictam possidere Ecclesiam ex donativo ejusdem venerabilis & victoriosi Regis Aragonensis A. & venerabilis Regis Renimiri & confirmatione sanctissimi Papae Eugenii & successorum ejus. Demum plurimis hinc inde habitis altercationibus, cum praedicta controversia debito calculo non posset terminari, arbitrio virorum prudentum sopita est altercatio supradicta. Siquidem G. Auscitanae sedis venerabilis Archiepiscopus & ejusdem Ecclesiae conventus pari voto & concordi assensu se supposuerunt arbitrio S. reverendi Oscensis Episcopi & B. venerandi Olorensis Episcopi & magistri Richardi Tarrazonensis Episcopi & G. Caesaraugustani Archidiaconi & G. Sancii Auscienis Archidiaconi & B. viri religiosi Generensis monachi. Illi autem viri religiosi praedicti pariter arbitrati sunt, habito utriusque partis assensu, quod facta permutatione in compensatione Ecclesiae de Alagon haberet Auscitana Ecclesia a Caesaraugustana Ecclesiam de Pedrola & Ecclesiam de Azoec cum omnibus decimis, terminis, & pertinentiis suis in perpetuum possidendis, cum omni jure parrochiali, salvo jure dioecesiano, videlicet quarta & cena, obedientia & correctione Clericorum, cura animarum, & vocatione ad synodum, consecratione Ecclesiarum, & confirmatione chrismandorum, & jure archidiaconali, quae sibi retinuit in perpetuum Caesaraugustanus Episcopus. Ordinante vero divina gratia haec amicabilis compositio unanimiter utrique placuit, & instrumentum praesentis transactionis alphabeto divisum fieri mandavit, & a Metropolitano Tarragonensi & a Domino Papa confirmari rogavit. Ego G. Auscitanus Archiepiscopus voluntate & assensu totius Capituli Auscitani renuntio per me & successores meos universo juri quod Auscitana Ecclesia cujuscunque donativo vel confirmatione habebat vel habere videbatur in Ecclesia de Alagon, & in commutatione secundum arbitrium praedictum suscipio Ecclesias de Pedrola & Azoec cum omnibus terminis & pertinentiis suis, & hoc transactionis instrumentum signo meo confirmo. Et ego P. Caesaraugustanus Episcopus voluntate & assensu Caesaraugustani Capituli propter hanc renuntiationem & pacem inter nostram & vestram Ecclesiam sectandam dono Auscitanae Ecclesiae & vobis G. Archiepiscopo & successoribus vestris & in perpetuum habendas trado per me & successores meos Ecclesias de Pedrolu & Azoec cum omnibus decimis, terminis, & pertinentiis suis, salvo ut supra dictum est, jure dioecesiano & archidiaconali, & hoc transactionis instrumentum signo meo confirmo. Factum est hoc anno ab incarnatione Domini MCLXXXII. & æra MCCXX. in mense Novembri, VII. Kal. Decembris, in Jacha, regnante Rege Ildefonso in Aragonia & in Barchinona & in Provincia, & Domino Berengario Archiepiscopo in Tarracona, Episcopo S. in Oscha, Episcopo P. in Caesaraugusta. Petrus Dei gratia Caesaraugustanus Episcopus subscripsi. Berengarius Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus. Ego Geraldus Auscitanus Archiepiscopus hoc transactionis instrumentum signo meo confirmo & propria manu corroboro. Ego G. Auscitanus Archidiaconus subscribo, & hoc signum facio. Ego A. 1182.

Pe-

Petrus Prior &c. & hoc signum facio. Ego Stephanus Oscensis Episcopus subscribo, & hoc signum facio. Ego Bernardus Olorensis Episcopus subscribo, & hoc signum facio &c. Ego Raimundus hanc cartam scripsi, & hoc signum facio.

## ALPHONSI REGIS PORTUGALLIÆ

*Epistola ad Lucium II. Papam, qua regnum suum Romanae Ecclesiae tributarium constituit.*

Ex L. II. Misc. Bal. pag. 220.

Proclamatus Rex an. 1139. Marian. l. 10. c. 17.

Vide Innocentii lib. 1. epist. 99. 441. 448. 447. lib. 14. epist. 59. lib. 15. epist. 24.

LUcio secundo A. Rex Portugalensis. Claves regni caelorum brato Petro a Domino nostro Jesu Christo concessas esse cognoscens, ipsum patronum & advocatum apud Deum omnipotentem habere disposui; ut & in vita praesenti opem illins & consilium in meis oportunitatibus sentiam, & ad praemia felicitatis aeternae ipsius suffragantibus meritis valeam pervenire. Quo circa ego Adefonsus Dei gratia Portugalensis Rex per manum Domini G. Diaconi Cardinalis apostolicae sedis Legati Domino & Patri meo Papae Innocentio hominium feci, & terram quoque meam beato Petro & sanctae Romanae Ecclesiae offero sub annuo censu quatuor unciarum auri, ea videlicet conditione & tenore, ut omnes qui terram meam post decessum meum tenuerint, eundem censum annuatim beato Petro solvant, & ego, tamquam proprius miles beati Petri & Romani Pontificis, tam in me ipso quam in terra mea vel in iis etiam quae ad dignitatem & honorem meae terrae ac etiam defensionem & solatium apostolicae sedis habeam, & nullam potestatem alicujus ecclesiastici secularisve dominii, nisi tantum apostolicae sedis vel a latere ipsius missi, unquam in terra mea recipiam. Facta oblationis & fortitudinis charta Idus Decembris aera MCLXXX. Ego supradictus Adefonsus Portugalensis Rex hanc chartam fieri jussi, & libenti animo coram idoneis testibus propria manu confirmo. Ego Johannes Bracharensis Episcopus confirmo. Ego B. Colimbriensis Episcopus confirmo. Et ego Petrus Portugalensis Episcopus confirmo.

## LUCII II. PAPÆ RESPONSORIA.

LUcius Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio A. illustri Portugalensi Duci salutem & apostolicam benedictionem. Devotionem tuam, dilecte in Domino fili, maxime congaudemus, quod temetipsum de illis ovibus recognoscens quas Dominus noster Jesus Christus beati Petri custodiae commendavit, cum ad capugnationem paganorum intentus, multisque negotiis secularibus occupatus, Apostolorum limina visitare non posses, per manum dilecti filii nostri G. Diaconi Cardinalis tunc in partibus illis apostolicae sedis Legati praedecessori nostro felicis recordationis Papae Innocentio hominium laudabili devotione fecisti, & terram tibi a Deo commissam beato Petro Apostolorum principi obtulisti, atque personam tuam & terram ipsam ipsius patrocinio humiliter commisisti, postmodum vero tam per litteras tuas quam per venerabilem fratrem nostrum I. Bracharensem Archiepiscopum nobis etiam promisisti ut tam tu quam haeredes tui de terra ipsa quatuor uncias auri annis singulis Romano Pontifici persolvatis. Nos itaque, qui, licet indigni, beati Petri loco residere conspicimur, tam te quam filios tuos & successores vestros intra heredes ipsius Apostolorum principis ipso adjuvante suscipimus, ut in ejus benedictione & protectione tam animarum quam corporum maneatis, per quam ab hostium visibilium & invisibilium expugnatione defensi, ad caelestia regna pervenire largiente Domino valeatis. Datum Laterani Kalendis Maii.

## CARTA FRANCHISIÆ

*Hominum Aurelianensium.*

Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 292.

An. 1181.

IN nomine &c. Notum &c. quod ob remedium animae nostrae & antecessorum nostrorum & Philippi Regis filii nostri omnes servos nostros & ancillas, quos homines de corpore appellamus, quicunque sunt Aurelianis & in suburbiis vici & villulis ejus infra quintam leugam existentibus, in cujuscunque terra manserint, sicut Magduni, Germiniaci, Chaam, & aliis ad praeposituram Magduni pertinentibus, item qui ad viatoriam Checiaci, ad balliviam sancti Johannis de Breiis, ad balliviam sancti Martini super Ligeritum, & ultra, sicut apud Maximinam, & villulis aliis, quique ad balliviam Novillae & Arrebrachii & Codrelli pertinent, manumittimus, & ab omni jugo servitutis tam ipsos quam filios filiasque eorum in perpetuum absolvimus, & tanquam ingenui nati fuerint de caetero liberos permanere permittimus. Quam manumissionem & ab omni jugo servitutis absolutionem, patriam secuti clementiam, concedimus & in perpetuum approbamus eo tenore quod illi qui in praedictis locis & potestatibus fuerint ante natale proximum post coronationem nostram hac libertate gaudebunt. Si vero alii servi nostri aliunde ad praedicta loca causa libertatis confluxerint, ipsos ab ipsa eximimus libertate. Quae omnia ut perpetuam &c. Actum Parisius anno Domini MC. octogesimo, astantibus &c. Data per manum secundi Hugonis Cancellarii.

*Carta communiae Suessionensis.*

An. 1181.

IN nomine &c. Philippus Dei gratia Francorum Rex. Noverint universi quod karissimus avus noster Ludovicus burgensibus Suessionensibus communiam inter se habendam concessit & sigilli sui auctoritate confirmavit. Post cujus decessum pater noster Ludovicus bonae memoriae eis eam manutenuit & custodivit. Nos vero priorum patrum nostrorum vestigiis inhaerentes cartam super communia eis a memorato avo nostro concessam & communiae consuetudines, sicut pater noster eas tenuit, concedimus & confirmamus, has videlicet. Infra civitatis Suessionensis firmitates alter alterius recte secundum suam opinionem auxiliabitur, & nullatenus patietur quod aliquis alicui eorum aliquid auferat, vel ei talliatam faciat, vel quaelibet de rebus ejus capiat, excepto hoc quod homines civitatis Episcopo per tres menses de pane, carne, & piscibus creditionem facient. Et si Episcopus post tres menses quod ei creditum fuerit non reddiderit, nihil ei credetur donec illud ab Episcopo persolvatur. Piscatores autem forenses nonnisi per quindecim dies ei creditionem facient. Et si post quindecim dies non reddiderit, tantum de rebus communiae ubicunque potuerint capient quod quicquid Episcopo crediderint habeant. Omnia forisfacta, excepta infractione urbis & veteri odio, quinque solidis emendabuntur. Et si ab aliquo teloneum requiratur, & requisitor diem quo illud & unde illud habuerit minime nominaverit, nunquam ei respondebitur. E si diem nominaverit & ille dictum ejus sola sua manu infirmare non poterit, quinque solidis emendabit. Si quis alicui sacramentum facere debuerit, & ante arramitionem sacramenti se in negotium iturum dixerit, propter illud faciendum de itinere suo non remanebit, nec ideo incidet, sed postquam redierit, convenienter submonitus sacramentum faciet. Si autem Archidiaconus aliquem implacitaverit, nisi clamator ante venerit, vel forisfactura apparuerit, non ei respondebit. Si tamen testem habuerit contra quem accusatus defendere se non poterit, emendabit. Homines etiam communionis hujus uxores quascunque voluerint, licentia a dominis suis requisi-

ta,

ta, accipient. Et si domini hoc concedere noluerint, & absque assensu & concessione domini sui aliquis uxorem alterius potestatis duxerit, & si dominus suus inde eum implacitaverit, illi quinque solidos emendabit. Capitales homines censum debitum dominis suis persolvent. Sed si die constituto non reddiderint, quinque illi solidos emendabunt. Et si aliquis aliquam injuriam fecerit homini qui hanc communionem juraverit, & clamor ad juratos inde venerit, si illum hominem qui fecit injuriam capere potuerint, de corpore suo vindictam accipient, nisi forisfactum emendaverit illi cui illatum fuerit secundum judicium virorum illorum qui communionem custodierunt. Et si ille qui forisfactum fecerit ad aliquod receptaculum perrexerit, & homines communiae ad ipsum receptaculum transmiserint, & domino receptaculi vel primati loci quaestionem fecerint ut de eorum inimico faciant eis rectitudinem, sicut superius dictum est, si satisfacere voluerit, rectitudinem accipient. Quod si facere noluerit, homines communiae auxiliatores erunt faciendi vindictam de corpore & pecunia ipsius qui forisfactum fecerit & hominum illius receptaculi in quo inimicus eorum erit. Si mercator in illam villam ad mercatum * venerit, & aliquis ei aliquid fecerit infra loricam istius villae, si jurati inde clamores audient, & mercator in ista villa eum invenerit, homines communiae ad vindictam faciendam super hoc recte secundum opinionem suam auxilium praestabunt, nisi mercator ille de hostibus saepedictae communiae fuerit. Et si ad aliquod receptaculum ille adversarius perrexerit, si ipse mercator vel jurati ad eum miserint, & ille hostis satisfecerit mercatori secundum judicium eorum qui communionem servaverint, vel probare & ostendere poterit se illud forisfactum non fecisse, communiae sufficiet. Quod si ille facere noluerit, si postmodum villam intraverit & capi poterit, de eo facient vindictam jurati. Nemo autem praeter nos & Dapiferum nostrum poterit conducere in villam Suessionensem hominem qui forisfactum fecerit homini qui hanc communiam juraverit, nisi forisfactum emendare venerit secundum judicium eorum qui communiam servaverint. Si Episcopus Suessionensis ignoranter adduxerit in civitatem Suessionensem hominem qui forisfactum fecerit homini illius communiae, postquam sibi ostensum fuerit illum esse de hostibus communiae, nullo modo postea eum adducet nisi assensu illorum quibus communia servanda incumbit, & ea vice eum reducere poterit. Pecuniam illam quam homines istius communiae crediderunt antequam communiam hanc jurassent si rehabere non poterint postquam inde justum clamorem fecerint, quaerent quoquo modo poterint, quomodo creditam pecuniam rehabeant. Pro illa vero pecunia quam crediderint postquam hanc communiam juraverint nullum hominem capient, nisi sit debitor aut fidejussor. Si extraneus homo panem aut vinum suum in villam Suessionensem causa securitatis adduxerit, si postea inter dominum ejus & homines communiae discordia emerserit, quindecim dies habebit ille licentiam vendendi panem & vinum in eadem villa & deferendi nummos & aliam pecuniam suam, praeter panem & vinum, nisi ille forisfactum fecerit, vel fuerit cum illis qui fecerint. Nemo de villa praelibata qui hanc communionem juraverit credet pecuniam suam vel commodabit hostibus pecuniae * quandiu guerra duraverit. Et si quis probatus fuerit credidisse aliquid hostibus communiae, justitia de eo fiet ad judicium eorum qui communiam servabunt. Si aliquando homines communiae contra suos hostes exierint, nullus de communia loquatur cum hostibus communiae nisi licentia custodum communiae. Ad hoc statuti homines jurabunt quod neminem propter amorem seu propter odium deportabunt seu gravabunt, & quod rectum judicium facient secundum suam aestimationem. Omnes alii jurabunt quod idem judicium quod praedicti statuti super eos fecerint & patientur & concedent, nisi probare poterint quod de censu proprio nequeunt persolvere. Universi homines infra murum civitatis & extra in suburbio commorantes, in cujuscunque terra commorentur, communionem jurent. Qui vero jurare noluerit, illi qui juraverunt de domo ipsius & de pecunia justitiam facient. Si quis etiam de communione aliquid forisfecerit, & per juratos emendare noluerit, homines communiae facient exinde justitiam. Si quis vero ad sonum factum pro congreganda communia non venerit, duodecim denarios emendabit. Praeter has autem consuetudines a patribus nostris eis concessas & indultas concedimus ut nullus infra ambitum villae Suessionensis aliquem possit capere nisi Major & jurati quandiu de eo justitiam facere voluerint. Et si aliquis de communia nobis aliquid forisfecerit, oportebit ut nos in curia Episcopi Suessionensis per Majorem villae ad judicium juratorum de eo justitiam capiamus, nec eos extra praedictam curiam vel placitare vel cartam monstrare compellere poterimus. Nec cuiquam licebit ab aliquo vel ab aliqua de communia manum mortuam exigere. Has itaque consuetudines praetaxatas, & eas quae ab avo nostro eis concessae fuerunt & confirmatae, salvo jure nostro & Episcopi & Dominorum & Ecclesiarum quae in praedicta villa aliquid juris habent, concedimus & confirmamus. Quae omnia ut perpetuum &c. praecepimus &c. Actum Suessionis &c. anno Domini MC. octogesimo primo, regni nostri secundo. Data per manum Hugonis Cancellarii.

* mercandum

* communiam

---

*Carta communiae Noviomensis.*

IN nomine &c. Philippus Dei gratia Francorum Rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri quod communionem Noviomensem, quam avus noster instituit & cum suis consuetudinibus confirmavit, & postmodum pater noster eam manutenuit, nos igitur patrum nostrorum inhærentes vestigiis eandem communionem cum suis consuetudinibus concedimus & confirmamus. Consuetudines autem eæ sunt. Pro quacunque commonitione quam fecerint, sive pro banno sive pro fossa vel firmatione villæ, neque Episcopus neque Castellanus habent ibi aliquid justitiæ vel implacitationis. Sed cujuscunque sint ordinis si qui ad eundem ordinem vel ministerium pertinent, vinum vel tale aliquid accipient ab eis. Omnes qui in civitate habent domos, præter clericos & Milites, debent excubias & adjutorium civitatis & consuetudines communionis. Si communio * facta fuerit, & quispiam remanserit, vel quia claudus est, vel infirmus, vel ita pauper ut pro custodienda familia sua, uxore scilicet vel parvulis in infirmitate positis, domi eum oporteat remanere, vel si minutus fuerit, seque nescire communionem juraverit, nulla culpa tenebitur. Quicunque adjudicaverint jurati, extra civitatem non poterunt protrahi aut invitari. Si judex comprehenderit panificos qui parvum fecerint panem, & illi inde placitare voluerint, si convicti fuerint, juxta legem qua vivunt cum amissione panis emendabunt. Si vero placitare noluerint, panes tantum amittent. Si frumentum vel annona quælibet ematur, & non mensuretur, sextariatum inde non dabitur. Mensurari autem debet quod emitur justa rectam mensuram civitatis. Si quis vulneraverit vel occiderit quemquam intra communionem, jurati facient vindictam. Forisfactura erit Episcopi & Castellani sicut prius. Si quis vult esse in communione, non recipiatur ab aliquo solo, sed præsentibus juratis; & pecunia quam dederit mutuo sub eorum testimonio in communes utilitates civitatis, non in proprias alicujus, expendatur. Si quis deprehenderit latronem in domo sua, etiam servientem suum, quæ sua sunt recipiat, latronem vero judici tradat. Si Episcopus implacitaverit aliquem de communione pro aliqua forisfactura vel pro banno,

An. 1181.

* f. commonitio

non

non poterit convinci vel appellari per aliquem servientum ejus, nisi alium approbatorem adduxerit; qui si defuerit, sacramentum se purgabit. Nullus absente clamatore, nisi injuria coram Scabinis vel juratis fuerit ostensa, respondere habebit. Qui in via sanctorum fuerint, viduae etiam quae filios non habent adultos & arma ferentes, & puellae sine advocato, nullas debent consuetudines. Si quis terram vel domum in vadimonio posuerit vel aliquid aliud, & determinato tempore non reddiderit, ille qui vadimonium habet, si voluerit illud assignare sibi & ad se trahere, judices & scabinos illuc adducat; & si post infra quindecim dies redemptum non fuerit, perpetuo sibi jure possideat, & judicibus octo denarios, Scabinis quatuor exolvat. Si quis terram vel domum vel quamlibet tenituram praesente adversario suo nec contradicente per annum & diem tenuerit, postea sine contradictione possidebit. Mercatum quod ad octo denarios non ascenderit teloneum non habebit. De cera quam quoque sabbato accipit Castellanus, ut non jam ultra accipiatur consulimus. Falsas mensuras aboleri penitus judicamus. Quae omnia ut perpetuam &c. praecepimus confirmari. Actum apud Fontem Blaodi anno Incarnati verbi MC. octogesimo primo, regni vero nostri anno tertio. Astantibus &c. Data per manum Hugonis Cancellarii.

---

*Castri Turonensis.*

An. 1181. IN nomine &c. Philipus &c. Noverint &c. quod carissimus pater noster Ludovicus bonae memoriae burgensibus omnibus beati Martini in castro novo Turonensi tam praesentibus quam futuris dedit hanc communitatem, quod nec ipse nec aliquis successorum suorum nec per rapinam nec per vim aliquam ab eis aliquam exigeret pecuniam nec eos causaretur de usura nec turpi lucro, neque de aliqua pecuniae suae multiplicitate. Et si forte eveniret quod ipsi illum in aliis causis offenderent, neque ipse neque successorum suorum aliquis dictorum burgensium aliquem gravarent quandiu eis satisfacere vellent apud Turonis in domo thesauri. Has autem easdem consuetudines, sicut pater noster eas ipsis dedit & confirmavit, damus & concedimus & confirmamus in hunc modum, quod ipsi ante nos vel ante mandatum nostrum in domo thesauri se justiciabunt. Praeterea statuimus & concedimus ut ipsi decem burgenses probos homines communi assensu villae eligant & eos sibi ita praeficiant, ut cum omni diligentia negotia villae, missas scilicet, procurent. Illi vero decem burgenses qui aliis praeficientur singulis annis mutabuntur, & alii decem secundum dispositionem ipsorum qui praecesserint substituentur. Omnes autem burgenses villae uua super sacrosancta jurabunt quod quicquid isti decem burgenses vel alii qui loco eorum singulis annis substituentur de missis & necessitatibus villae ordinaverint inevitabiliter vita comite servabunt. Domini autem ejusdem villae cum ad annos discretionis pervenerint, & advenae in villa manere eligentes, idem sacramentum praestabunt. Decem autem burgenses qui eligendi & aliis ad haec praeficiendi sunt, & alii qui post mutationem eorundem substituentur, aliis burgensibus villae jurabunt se nulli parcituros vel aliquem gravaturos seu propter amorem seu propter odium, & quod tales ad posse suum substituent qui villae utilitati intendant & ad opus illud implendum erunt necessarii. Si vero aliqui in villa manentium, vel in eadem civitate tenementa habentium servare vel jurare noluerint id quod dicti burgenses ordinaverint, ipsis concedimus ut eos super hoc valeant justiciare, & si quid justitiae ad nos pertinentis inde emerserit, salva eorum carta quod ad jus nostrum pertinet habeamus. Quae omnia ut perpetuam stabilitatem obtineant, praesentem paginam &c. Actum apud Firmitatem anno ab incarnatione Domini MCLXXXI. regni nostri anno secundo. Astantibus &c. S. &c.

*Carta Belvacensis communiae.*

IN nomine &c. Notum &c. quoniam communiam illam quam a patre nostro Ludovico & antecessoribus nostris per multa ante tempora hominer Belvacenser habuerunt, sicut instituta fuit & jurata, cum consuetudinibus quas praesens carta continet, salva fidelitate nostra, illis concedimus & confirmamus. An. 1182. Consuetudines autem istae sunt. Universi hominer infra murum civitatis & in suburbio commoranter, in cujuscunque terra maneant, communiam jurabunt, nisi forte ex consilio Majoris & parium & eorum qui consilium juraverupt aliqui remanserint. Alter alteri intra firmitater ipsius villae recte secundum opinionem suam auxiliabitur. Et quicunque forisfecerit homini qui hanc communiam juraverit, Major & pares communiae, si clamor ad eos inde venerit, de corpore suo vel de rebus suis justitiam facient secundum deliberationem ipsorum, nisi forisfactum secundum deliberationem eorum emendaverit. Si vero ille qui forisfactum fecerit ad aliquod receptaculum perrexerit, Major & pares communiae dominum receptaculi vel eum qui loco ejus erit super hoc convenient; & si de illo inimico suo eis secundum deliberationem eorum satisfecerit, placebit; & si satisfacere noluerit, de rebus vel de hominibus ejus vindictam secundum deliberationem ipsorum facient. Et si mercator aliquis Belvacensis ad mercatum venerit, & aliquis ei infra banleugam ipsius civitatis forisfecerit, si clamor inde ad Majorem & ad pares venerit, & mercator malefactorem suum infra villam invenerit, Major & pares super hoc secundum ipsorum deliberationem justitiam facient, si mercator ille de suis hominibus non fuerit. Et si malefactor ille ad aliquod iret receptaculum, & mercator vel Major vel pares ad illum miserint, si ille mercatori satisfecerit, vel probare poterit se forisfactum non fecisse, satis erit communiae. Si vero neutrum fecerit, vindicta fiet de eo secundum deliberationem Majoris & parium, si infra villam capi poterit. Nemo autem praeter nos & Dapiferum nostrum conducere poterit in civitatem illam hominem qui homini de communia illa forisfecerit, nisi forisfactum secundum deliberationem Majoris & parium venerit emendare. Verum si Belvacensis Episcopus ignoranter adduxerit in civitatem aliquem qui homini de communia forisfecerit, postquam ei ostensum fuerit, nullo modo postea eum adducet, nisi consilio Majoris & parium; & ea vice eum reducere poterit. In unoquoque etiam molendinorum duo tantum juniores erunt. Quod si aliquis plures juniores vel alias malas consuetudiner imponere voluerit in molendinis, & inde clamor ad Majorem & pares venerit, illi qui inde clamaverit secundum deliberationem ipsorum justitiam facient. Praeterea si Episcopus Belvacensis ad tres curias nostras & ad exercitus ire voluerit, tres equos tantum ad unamquamque curiam accipiet, sed equum extranei hominis nullo modo capere poterit. At si redemptionem de aliquo homine vel ipse vel famulus ejus pro equo acceperit, nullum alium postea loco ejus capere debebit. Si vero plures capere voluerit, si clamor inde ad Majorem & pares venerit, auxiliatores erunt ei recte secundum suam opinionem qui querimoniam inde fecerit. Item si Episcopus Belvacensis nobis pisces aliquando mittere voluerit, unum equum capiet. Nullus etiam homo de communia pecuniam suam hostibus crediderit vel accommodaverit quandiu guerra durabit: quia si fecerit, perjurus erit. Et si comprobatus fuerit quicquam eis tradidisse vel accommodasse, justitia de eo fiet prout Major & pares deliberabunt. Et si aliquando contra hoster communia extra villam exiret, nullus eorum cum hostibus suis loquetur nisi Majoris & parium licentia. Insuper si quis de communia alicui de civitate pecuniam suam crediderit, & ille cui credita fuerit ad aliquod receptaculum diffugerit, dominus receptaculi inde audito clamore aut perdita reddet aut debitorem

de

de receptaculo suo eiciet. Et si neutrum fecerit, de viris ejusdem receptaculi, si inventi fuerint, secundum Majoris & parium deliberationem justitia fiet. Item quicunque pecuniam alicujus hominis de communia auferet, & ad aliquod receptaculum perrexerit, si inde elamor ad Majorem & pares venerit, de illo, si inveniri poterit, & de hominibus & rebus receptaculi justitia fiet secundum Majoris & parium deliberationem, nisi pecunia reddatur. At extensionem quoque pannorum penditoria aequali altitudine in terra affigi debent. Et quicunque de penditoriis vel de pannifico vel de rebus pannifico appendentibus forisfactum fecerit, si inde elamor ad Majorem & pares venerit, justitia fiet secundum deliberationem Majoris & parium. Videat etiam unusquisque de communia quod de pecunia quam alicui extraneo crediderit sit securus; quia propter hoc nemo capietur nisi debitor aut fidejussor extiterit. Praeterea nemo qui hanc communiam juraverit, nec villae communio propter causam aliquam extra firmitatem civitatis causatum ibit. Item si contigerit quod aliquis de communia hereditatem aliquam emerit & per annum & diem tenuerit & aedificaverit, quicunque postea veniet & peremptum calumniabitur, super hoc ei non respondebitur. Tredecim pares in communia eligentur; de quibus si pares & illi qui consilium juraverunt consilium dederint, unus Major fiet, vel duo. Major vero & pares jurabunt quod neminem de communia propter amicitiam deportaverint vel neminem propter inimicitiam lædent, & secundum opinionem suam rectam in omnibus facient deliberationem. Omnes autem alii jurabunt quod deliberationi majoris & parium obsequentur & favebunt. Justitiam vero illam & deliberationem quæ per Majorem & pares fiet communiae Belvacensi concedimus & confirmamus. Concedimus etiam quod praesens carta propter nullam causam extra civitatem portabitur. Et quicunque contra illam loqui voluerit, quoniam illam confirmavimus & securavimus, illi nequaquam respondebitur. Quod ut ratum & inviolabile permaneat &c. Actum anno Domini MC. octogesimo secundo, regni nostri anno tertio.

---

*Carta de compositione facta inter Episcopum Laudunensem & burgenses suos.*

Ex T. VII. Misc. Bal. pag. 305. An. 1185.

PHilippus Dei gratia Francorum Rex. Noverint universi praesentes pariter & futuri quod Reginaldus Laudunensis Episcopus & homines sui de Laudunesio post multam contestationem inter eos habitam super tallüs quibus iidem homines se conquerebantur ab ipso gravari in hunc modum in nostra composuerunt praesentia. Quod Episcopus pro talliis super homines illos, quas tribus de causis facere poterat, videlicet pro exercitus nostri servitio, pro Domino Papa, pro guerra Laudunensis Ecclesiae manifesta, dabunt homines praedicti Episcopo singulis annis in festo omnium sanctorum septingentas libras Parisiensis monetae vel trecentas & quinquaginta marchas puri argenti ad pondus Trecense, si monetam Parisiensem contigerit pejorari. Dabunt etiam singulis annis Episcopo mille modios vini tempore vindemiarum pro tallia vini. Item annuatim in festo omnium sanctorum dabunt ducentas libras Laudunensis monetae Vicedomino & Praeposito, Vicedomino centum & sexaginta libras, Præposito XL. libras, quas Vicedominus & Præpositus cum alio feodo suo tenebunt ab Episcopo ligie: & propter hoc ipsi in propriis personis servient Episcopo in guerra quandiu illa pecunia durabit, in quatuor tantum Militibus. Sciendum autem quod cum ex Episcopi dono & propter praedictae pacis concessionem supradictae pecuniae & vini haberemus annuatim medietatem, illam Episcopo quitavimus medietatem propter feodum Ferae & homagium ligium Radulphi de Cociaco, quod Episcopus nobis dedit. Noverint etiam universi quod consuetudines alias a praedictis talliis & justicias & forisfacta & omnia jura quae Episcopus in praedictis hominibus & in illa terra prius habebat habebit Episcopus in illo statu in quo ea habere consueverat, nisi quod XII. Scabinos constituemus, quorum judicio omnes querelae quae inter eos emerserint, aut quas Episcopus adversus eos habebit, decidentur. Qui Scabini, si in judiciis faciendis concordare nequiverint, Lauduni in curia Episcopi inquirent judicium. Et si illud habere non poterunt, ad curiam nostram venient judicium inquisituri. Omnem autem eorum quaestionem infra finem tertii mensis post motionem litis oportebit terminari. Et illi Scabini Episcopo, Vicedomino, Præposito fidelitatem praestabunt. Et hominibus terrae pecuniam & vinum quod Episcopo solvere debent annuatim talliabunt & imponent super se homines praedicti, prius quidem praestito juramento quod id legitime facient. Episcopus autem faciet haec reddi per justitiam Vicedomini. Nullus hominum Episcopi de Laudunesio immunis erit ab hac pecunia danda & vino quod Episcopo redditur annuatim, exceptis quinque servientibus Vicedomini & duobus servientibus Praepositi. Nullus hominum de Laudunesio tenementa sua quæ dictam pecuniæ & vini talliam debent dare vel vendere vel invadiare poterit homini qui non tenetur in hanc pecuniae & vini summam annuatim conferre. Episcopo Laudunensi nullum hominem suum de Laudunesio in aliquam communiam vel libertatem ponere poterit quo minus in pecuniam & vinum quod Episcopo debetur conferat. Nullus hominum praedictorum aut res ejus capi poterunt pro debito Laudunensis Episcopi nisi ille homo debitor fuerit aut fidejussor illius debiti. Episcopus in homines aut res eorum, quandiu voluerint stare justitiae, manum non mittet. Vicedomino autem & Praeposito pro sua tallia vini reddent homines de Laudunesio singulis annis tempore vindemiarum quingentos modios vini. Quae omnia ut rata sint & inconcussa concedimus, salvis appellationibus ad nos faciendis. Et ut perpetuam servent firmitatem, sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere, inferius annotato communimus. Actum Parisius anno Domini MCLXXXV. regni vero nostri sexto. Adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. S. T. Comitis Dapiferi nostri. S. Guidonis Buticularii. Signum Mathaei Camerarii. S. Radulphi Constabularii.

---

*Carta compositionis inter communiam Laudunensem, Decanum & Capitulum Laudunense.*

NOtum &c. quod compositio quae facta est inter Decanum & Capitulum Laudunense ex una parte & Majorem & communiam Laudunensem ex alia super duabus contentionibus quae erant inter eos occasione Gastelli & Roberti. Super Gastello, quem reddere noluerunt, Major & communia Laudunensis faciet emendam in modum quem dixerunt T. Praepositus & T. Archidiaconus & Hugo de Novavilla Canonicus Ambianensis judices auctoritate Domini Papae super hoc delegati. Quia vero a nobis commoniti fuerunt Major & communia praedicta ut componerent cum praedicto Capitulo, quia intelligebamus eos super hoc causam injustam fovere, & noluerunt nobis exinde credere, sed sustinuerunt super hoc excommunicationem per annum & amplius, nobis fecerunt emendam. Super Herberto vero, quem ceperunt Major & communia, nec eum reddere vel recredere voluerunt Capitulo requirente, & sanguis vel plaga vel aliud pro quo eum retinere deberent non appareret, ipsi emendam nobis fecerunt, & emendabunt Capitulo memorato in forma Ecclesiae, per divisionem quae facta est coram nobis apud Compendium & creantata, quae talis est, quod pro omnibus excommunicationibus & ex-

expensis quae occasione istarum querelarum factae sunt, reddent dicti Major & communia Capitulo memorato usque ad mille & ducentas libras Parisien. inter haec quae jam exinde habuerunt & hoc quod exinde sunt adhuc habituri. Et de hoc quod exinde sunt habituri reddetur eis medietas in instanti festo sancti Dionysii, & alia medietas in sequenti purificatione beatae Mariae. Super omnibus autem querelis usque ad hodiernum diem motis ita coram judice per hoc pax est inter Capitulum & communiam reformata quod nec litterae nec alia ab alterutra partium super eisdem querelis impetrata & impetranda alicujus de caetero erunt momenti vel valoris Capitulo contra communiam vel communiae contra Capitulum.

---

*Carta communiae Compendii.*

A. 1186. IN nomine &c. Philippus &c. Noverint universi praesentes pariter & futuri quod carissimus genitor noster piae memoriae Ludovicus burgensibus Compendii communionem concessit habendam sub forma quae in authentico ipsius continebatur expressa, quod in hac praesenti carta nostra praesenti duximus inserendum in haec verba. Notum sit omnibus futuris & praesentibus Ecclesiam Compendii magnae auctoritatis fuisse, nimirum antecessorum nostrorum Regum Franciae donariis magnifice fundatam & ditatam, quod in privilegiis & praeceptis eorum continetur, ipsamque villam egregiam & magni extitisse nominis palam est. Peccatis autem exigentibus Ecclesia pariter & villa attrita est & graviter apporiata. Unde nos offensi ob enormitates clericorum, salvo tamen eorum jure in Ecclesia, monachos sancte & ad honorem Dei victuros posuimus. Clerici autem nostrae mansuetudinis obliti, regiae constitutioni obviantes, & suorum parentum freti potentia, postmodum satis contumeliose monachos ejecerunt ab Ecclesia, & confractis officinis, multa eis intulerunt damna. Revocatis jam monachis pro bono pacis in locum suum, & commoditate Ecclesiae & securitate servorum Dei, consilio Sansonis venerandi Archiepiscopi Remensis atque Odonis Abbatis sancti Dionysii, aliorumque hominum nostrorum, prece etiam Reginae Adelaidis tunc habentis villam in dote sua, & petitione Willelmi Abbatis Compendiensis, burgensibus villae concessimus communiam, & omnes intra firmitatem sive extra in burgo manentes, quantumcunque villa creverit, exceptis Militibus Droconis de Petrafonte & hominibus suis capitalibus, in eodem esse sacramento praecepimus. In palatio autem Compendiensi ex praecepto nostro Guido Buticularius, Terricus Gasciannı, Anfellus de Insula, & deinde ex praecepto Reginae Ludovicus de Choisiaco, Paganus de Bestisiaco, & ex parte Abbatis Claro filius Bosardi juraverunt communiam, & postea homines Compendii inter se & sibi juraverunt in hunc modum. Juraverunt videlicet quod infra firmitates Compendiensis villae & extra in burgis alter alteri recte secundum opinionem suam auxiliabitur, & quod nullatenus patientur quod aliquis alicui aliquid auferat, vel ei talliatam faciat, vel quidlibet de rebus ejus capiat, excepto hoc quod homines villae Abbati per tres menses de pane & carne & piscibus creditionem facient. Et si Abbas post tres menses quod ei creditum fuerit non reddiderit, nihil ei credetur nisi illud ab ipso persolvetur. Piscatores vero forenses nonnisi per quindecim dies creditionem facient. Et si post quindecim dies non reddiderit, tantum de rebus communionis ubicunque potuerint capient quod quicquid Abbati crediderint habeant. Omnia forisfacta, exceptis infractionibus villae & veteri odio, quinque solidis emendabunt. Et si ab aliquo teloneus requiratur, & requisitor diem quo illud & unde habera debuit minime nominaverit, nunquam ei respondebitur. Et si diem nominaverit, & ille dictum ejus sola sua manu infirmare poterit, quinque solidis emendabit. Si quis sacramentum alicui facere debuerit, & ante arramitionem sacramenti se in negotium suum iturum dixerit, propter illud faciendum de itinere suo non remanebit; sed postquam redierit, convenienter summonitus faciet sacramentum. Si vero Archidiaconus aliquem implacitaverit, nisi clamator ante venerit, vel forisfactum apparebit, non ei respondebit. Si tamen testem habuerit contra quem accusatus se defendere non poterit, emendabit. Homines etiam communionis hujus uxores quascunque voluerint, licentia a dominis suis requisita, accipient. Et si domini hoc concedere noluerint & absque licentia & consensu domini sui quispiam uxorem alterius potestatis duxerit, si dominus suus inde implacitaverit, quinque tantum solidis hoc illi emendabit. Capitales homines censum debitum dominis suis persolvent. Et si die constituto non reddiderint, quinque hoc solidis emendabunt. Et si aliquis aliquam injuriam fecerit homini qui hanc communionem juraverit, & clamor ad juratos inde venerit, si hominem qui injuriam fecerit capere poterunt, de corpore suo vindictam accipient, nisi forisfactum ipsi qui fecerit emendaverit secundum judicium juratorum qui communionem custodierint. Et si ille qui forisfactum fecerit ad aliquod receptaculum perrexerit, & jurati ad ipsum receptaculum transmiserint, & domino vel primatibus ipsius loci querimoniam fecerint ut de illo inimico eis rectitudinem faciat, sicut superius dictum est, si satisfacere voluerit, accipient rectitudinem; & si facere noluerit, postea auxiliatores erunt faciendi de corpore & de pecunia ipsius qui forisfactum fecit & hominis illius receptaculi ubi inimicus suus fuerit. At si mercator in hanc villam ad mercandum venerit, & aliquis ei aliquid forisfecerit infra leugam ipsius villae, si clamorem inde audiverint jurati, & mercator in villa eum invenerit, auxiliatores vindictam faciendi recte secundum opinionem suam erunt, nisi mercator de hostibus eorum fuerit. Et si ad aliquod receptaculum adversarius ille perrexerit, si ipse mercator vel jurati ad eum miserint, & ille hostis mercatori satisfecerit secundum judicium eorum qui communionem servaverint, vel probare & ostendere poterit se illud forisfactum non fecisse, eis satis erit. Et si facere noluerit, postea si intra villam eum capere poterunt, vindictam de eo facient. Caeterum nemo praeter Regem & Dapiferum suum poterit conducere in istam villam hominem qui forisfactum homini qui hanc communionem juraverit intulerit, nisi forisfactum venerit emendare secundum judicium eorum qui communionem servaverint. Quod si Abbas Ecclesiae ignoranter in villam induxerit aliquem qui forisfactum fecerit homini de communione, postquam sibi ostensum fuerit illum esse de hostibus communionis, nullo modo eum postea adducet nisi consilio juratorum qui communionem servaverint, & ea vice eum reducere poterit. Pecuniam illam quam homines de communione illa crediderint antequam communionem jurassent, si habere non poterint, postquam justum clamorem fecerint, quaerent quoquo modo poterunt quod creditam pecuniam rehabebunt. Pro illa vero pecunia quam crediderint postquam hanc communionem juraverint nullum hominem capient, nisi sit debitor vel fidejussor. Et si extraneus homo panem vel vinum suum causa securitatis adduxerit Compendium, postea si discordia inter homines villae & dominum illius avenerit, per quindecim dies habebit licentiam vendendi panem & vinum in villa illa & deferendi nummos & aliam pecuniam suam praeter panem & vinum, nisi ipse fecerit forisfactum, vel cum illis fuerit qui fecerint. Nullus autem de eadem villa qui hanc communionem juraverit credet pecuniam vel aliquid commoda ir hostibus villae quandiu guerra duraverit. Et si aliquis probatus fuerit quippiam hostibus credidisse, justitia de eo fiat secundum judi-

cium

einm eorum qni communionem fervaverint. Et fi aliquando contra fuos hoftes exierint homines villae, nullus eorum loquetur cum hoftibus nifi licentia ipforum qui communionem cuftodierint. Statuti ad hoe homines juraverunt quod neminem propter amorem aut propter odium vel cognationem deportabunt & neminem propter inimicitiam laedent & rectum judicium facient fecundum æftimationem fuam. Omnes alii juraverunt quod idem judicium quod praedicti ftatuti fuper eos fecerint patientur & concedent, nifi probare potuerint quod de cenfu proprio folvere nequeunt. Praeterea conceffimus & praecipimus ut univerfi homines infra murum villae & extra commorantes, in cujufcunque terra commorentur, communionem jurent. Qui vero jurare noluerit, illi qui juraverunt de domo ipfius & de pecunia juftitiam facient. Si quis etiam de communione aliquid forisfecerit, & per juratos emendare noluerit, homines communionis facient exinde juftitiam. Si quis vero ad fonum pro congreganda communione factum non venerit, duodecim denarios emendabit. Ego autem Ludovicus notum omnibus effe volo quod homines communionis Belvacenfis qualiter communionem fuam tenuerunt a nobis interrogati dixerunt quod ex quo communiam juraverunt, nunquam manum mortuam Belvaci dari viderunt, & fe hoc ante nos, fi opus effet, juraturos. Et ut ita ratum fit deinceps & inconvulfum, figilli noftri &c. Actum publice Parifius anno Domini MC. quinquagefimo tertio, regni vero noftri decimo feptimo. Aftantibus &c. Signum &c. Nos igitur prædicti patris noftri Ludovici factum in hac parte volentes imitari, communiam burgenfibus noftris Compendienfibus conceffimus habendam ficut ab eodem patre noftro eft indulta, ficut in authentico ejus fuperius inferto continetur. Salvo jure noftro & Ecclefiarum in omnibus. Quod ut &c. Actum anno Domini MC. octogefimo fexto, regni noftri feptimo. Aftantibus &c. Signum &c. Data vacante cancellaria.

---

*Alia carta ejufdem communiae.*

An. 1186. PHilippus Dei gratia Francorum Rex. Noverint univerfi praefentes pariter & futuri quoniam hominibus de communia Compendii exiftentibus cartam genitoris noftri Ludovici, quam eifdem fuper communia habenda indulfit, confirmamus. Concedimus etiam communiae praedictae minas noftras Compendii in perpetuum tenendas pro triginta modiis frumenti Parifien. * annuatim reddendas ad minam Silvanectenfem, & Novam villam. Propter viginti modios avenae Parifius annuatim folvendos ad minam Silvanectenfem, & pro trecentis & viginti caponibus quos reddent fingulis annis, ita ut quicquid in nova villa fupervenerit, totum burgenfes Compendienfes fibi proprium habeant, & fi villa defecerit, non propterea minus quam dictum eft reddent. Concedimus etiam eis foreftarias Compendii & Giroldi Mefnilli propter ducentas & fexaginta libras cerae & totidem gallinas nobis annuatim reddendas. Concedimus communiae praedictae praepofituram noftram Compendii & quicquid ad eam attinet & tonleium & concambium & furnum, Biheriam Venetae, duas areas molendinarias ad pontem Compendii. Quae omnia homines dictae communiae antiquitus ex accenfivione patris noftri, qui eis hoc accenfivit, tenuerant. Ad haec autem concedimus eifdem hominibus de novo & addimus quod extra plateam Compendii fuis placitis tenendis adjectam nobis non tenebuntur fuper querela aliqua refpondere. Quod etiam aulam aptam mercibus vendendis poffint facere, cujus aulæ proventus eorum erit. Quod de redditibus noftris non ibunt extra Compendium computare. Quod etiam illam conventionem & participationem nundinarum Compendii quam habebamus cum monachis Ecclefiae Compendii refcindimus & omnino adnihilamus. Salvis tamen illi Ecclefiae tribus nundinarum diebus quos ab antiquo tempore confuevit habere. Pro quibus, videlicet pro ipfis quae ad fuperiora adjunximus, & pro praepofitura noftra cum omni eo quod ad ipfam attinet, & tonleio & concambio, furno, Biheria Venetae, duabus areis molendinariis, nobis annuatim dabunt homines Compendii centum & fexaginta libras Parifienfes, ita quod fingulis menfibus exinde folvent XIII. libras. fex folidos, & VIII. denarios. Qui nobis quidem prius pro praepofitura & omni eo quod ad eam attinet, & tonleio, concambio, furno, Biheria Venetae, duabus areis, non dabant annuatim nifi centum quadraginta quatuor libras & novem folidos. Quae omnia ut ratam & inconcuffam &c. Actum apud Caftrum novum fuper Ligerim anno Domini millefimo centefimo octogefimo fexto, regni noftri feptimo.

* Parifius.



---

*Item tertia carta communiae Compendii.*

An. 1218. PHilippus &c. Notum &c. quod burgenfibus noftris Compendii concedimus quod ipfi faciant duo molendina ad ventum inter villam Compendii & nemus, ubi maluerint, ita quod nos medietatem omnium conftamentorum & reparationum ipforum molendinorum perfolvemus & burgenfes aliam medietatem, & fingulis annis medietatem moltae dictorum molendinorum percipiemus, & dicti burgenfes aliam medietatem fimiliter percipient. Salvo tamen jure alieno. Quod ut perpetuae ftabilitatis robur obtineat &c. Actum Compendii anno Domini MCCXVIII. menfe Julio.

---

*Carta contra communiam Senonenfem pro Archiepifcopo & clericis.*

An. 1186. IN nomine &c. Philippus &c. Notum &c. quod cum Major & jurati noftrae communiae Senonenfis intra communiam recepiffent homines Senonenfis Archiepifcopi & Ecclefiarum Senonenfium, ita quod illi de corpore erant communiae, nos æquitatis intuitu & monitis fanctorum patrum Papæ Lucii & Papae Urbani, necnon ob animae patris noftri remedium, tam Senonenfi Archiepifcopo quam Ecclefiis & clericis Senonenfibus fuos homines proprios reddidimus, & libertates & confuetudines fuas & jura fub eodem ftatu in quo haec omnia habebant quintodecimo die ante inftitutionem Senonenfis communiae. Ad cujus rei majorem firmitatem, ut pax folidior in pofterum inter clericos, Ecclefias, & communiam habeatur, Major, pares, & jurati noftro juraverunt praecepto fe vitam & membra, libertates & confuetudines & jura tam Archiepifcopi & clericorum quam monachorum & Ecclefiarum confervaturos, falvo jure noftro, & falva fidelitate noftra. Quotiens Major, pares, & jurati mutabuntur, totiens infra menfem mutationis in praefentia Senonenfis Archiepifcopi idem jurabunt, falvo jure noftro, & falva fidelitate noftra. Et fi forte contigerit communiam in aliquo adverfus Archiepifcopum & clericos vel Ecclefias excedere, id tenebimur tanquam dominus emendare. Conceffimus praeterea quod nulli propriorum hominum Archiepifcopi, clericorum, Ecclefiarum Senonenfium intra Senonenfem de caetero recipientur communiam nec intra libertatem aliquam villae Senonenfi indultam unde fortiri debeant detrimentum vel incommodum. Quod fi forte aliquem ex hominibus Archiepifcopi vel clericorum vel Ecclefiarum Senonenfium intra Senonenfem communiam deinceps recipi vel etiam communiam aliquid de jure vel confuetudinibus vel libertatibus Archiepifcopi five clericorum five Ecclefiarum intercipere contigerit, ad nos clamore depofito fuum hominem rehabebunt, fi illum effe fuum per feptem legitimos homi-

homines, qui nec sint homines Archiepiscopi nec clericorum nec Ecclesiarum Senonensium, tactis sacrosanctis absque duello probaverint. Et similiter * de communia de jure vel libertate vel consuetudine illorum aliquid interceperit, ad similem probationem quam praetaxavimus illud rehabebunt Ecclesiae, Sciendum etiam quod Ecclesiae sancti Petri vivi jura & libertates suas reddidimus habendas ita plenarie sicut in privilegio patris nostri & nostro contineri noscuntur. Quae omnia ut perpetuum robur obtineant, praesentem paginam &c. praecepimus communiri. Actum Moreti anno incarnato verbi MCLXXXVI. regni nostri anno septimo. Astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt atque signa. Signum Comitis Theobaldi Dapiferi nostri. S. Guidonis Buticularii. S. Mathaei Camerarii. S. Radulfi Constabularii. Data vacante Cancellaria.

* sic

---

*Carta communiae Ambianensis.*

A. 1190. IN nomine &c. Philippus Dei gratia Francorum Rex. Quoniam amici & fideles nostri cives Ambianenses fideliter saepius nobis suum exhibuere servitium, nos eorundem dilectionem & fidem erga nos plurimam attendentes, ad petitionem ipsorum communiam eis concessimus sub observatione harum consuetudinum quas se observaturos juramento firmaverunt. Unusquisque jurato suo fidem, auxilium, consiliumque per omnia juste observabit. Quicunque furtum faciens infra metas communiae comprehendetur vel fecisse cognoscetur, Praeposito nostro tradetur, & quicquid de eo agendum erit, judicio communionis judicabitur & fiet. Reclamanti vero ad id quod furto sublatum est, si potest inveniri, Praepositus noster reddet. Reliqua in nostros usus convertentur. Nullus aliquem intra ipsam communiam commorantem vel mercatores ad urbem cum mercibus venientes infra banleugam civitatis disturbare praesumat. Quod si quis fecerit, * sciat communia de eo ut de communiae violatore, si eum comprehendere poterit, vel aliquid de eo justitiam facere. Si quis de communione alicui jurato suo res suas abstulerit, a Praeposito nostro submonitus justitiam prosequetur. Si vero Praepositus de justitiis defecerit, a Majore vel Scabinis submonitus in praesentia communionis veniat, & quantum Scabini inde judicaverint salvo jure nostro ibi facient. Qui autem de communione minime existens alicui res suas abstulerit, justitiamque illi infra banni leucam se exequuturum negaverit, postquam hoc hominibus castelli in quo manserit notum fecerit communia, si ipsum vel aliquid ad se pertinens comprehendere poterit, donec ipse justitiam exequutus fuerit, noster Praepositus retinebit donec nos nostram & communia similiter suam habeat emendationem. Qui pugno aut palma aliquem de communia praeter consuetudinarium conturbatorem vel locatorem percusserit, nisi se defendendo se fecisse duobus vel tribus testibus contra percussum disrationare poterit, * communia Praeposito nostro viginti solidos dabit, quindecim scilicet communiae & quinque justitiae dominorum. Qui autem juratum suum armis vulneraverit, nisi similiter se defendendo legitimo testimonio & assertione sacramenti se contra vulneratum disrationare poterit, pugnum amittet, aut novem libras, sex scilicet firmitati urbis & communiae, & tres justitiae dominorum, pro redemptione pugni persolvet, aut si persolvere non poterit, in misericordia communiae salvo castello dominorum pugnum tradet. Si vero ita superbus fuerit vulneratus quod emendationem non velit accipere, ad arbitrium Praepositi & Majoris & Scabinorum vel securitatem praestabit vel domus ejus, si domum habeat, destruetur, & catalla ejus capientur. Si domum non habuerit, corpus ejus capietur donec vel emendationem acceperit vel securitatem praestabit. Qui vero de communione minima existens aliquem de communia percusserit vel vulneravarit, nisi * judicio communiae coram Praeposito nostro exequi voluerit, domum ejus, si poterit, communia prosternet, & capitalia erunt nostra. Et si comprehendere poterit, coram Praeposito regio per Majorem & Scabinos de eo justitiam capiet, & catalla nostra erunt. Qui juratum suum turpibus & inhonestis verbis lacesserit, & duo vel tres audierint, ipsum per eos statuimus convinci, & quinque solidos, duos scilicet conviciato & tres communiae, dabit. Qui inhonestum alicui de communia dixerit in audientia quorundam, si communiae propalatum fuerit, & sa quod illud non dixerit judicum communiae judicio defendere noluerit, domum illius, si poterit, prosternet communia, ipsumque in communia morari donec emendaverit non patietur; & si emendare voluerit, catalla ejus erunt in manu Domini Regis & communiae. Si quis de juratione facta erga juratum suum vel fide mentita comprobatus fuerit, coram Praeposito & Majore communiae judicio punietur. Si quis de communia * praedicta scienter emerit vel vendiderit, si comprobatus fuerit, praedam amittet, eamque praedatis reddet, nisi ab ipsis praedatis vel eorum dominis adversus dominos communiae vel ipsam communiam aliquid committatur. Qui clamore facto de adversario suo, per Praepositum & Majores & judices communiae justitiam prosequi non poterit, si postea adversus eum aliquid fecerit, illum rationabiliter communia conveniet, ejusque audita ratione, quid inde agendum sit judicabit. Qui a Majoribus & judicibus & Decanis, scilicet servientibus communiae, submonitus justitiam & judicium subterfugerit, domum illius, si poterunt, prosternent, ipsum vero inter eos morari donec satisfecerit non permittent, & catalla erunt in misericordia Praepositi Regis & Majoris. Qui hostem communiae in domo sua scienter receperit, eique vendendo & emendo, & edendo & bibendo, vel aliquod solatium impendendo, communicaverit, aut consilium & auxilium adversus communiam dederit, reus communiae efficietur, & nisi judicio communiae cito satisfecerit, domum illius communia, si poterit, prosternet, & catalla Regis erunt. Infra fines communiae non recipietur campio conductitius contra hominem de communia. Si quis communiae constitutiones scienter absque clamore violaverit, & inde convictus fuerit; mox domum illius communia, si potuerit, prosternet, eumque inter eos morari donec satisfecerit minime patietur. Statutum est etiam quod communia de terris sive feodis dominorum non debet se intromittere. Qui judices communiae de falsitate judicii comprobare voluerit, nisi, ut justum est, comprobare potuerit, in misericordia Regis est & Majoris & Scabinorum de omni eo quod habet. Mulier dotem quam tenet nec vendere nec in vadium mittere potest nisi propinquiori heredi nisi de anno in annum. Si autem heres aut non possit aut nolit emere, oportet mulierem tota vita sua tenere. Per annum autem locare potest. Si quis vir & uxor ejus infantem habeant, & contingat mori infantes, quis eorum supervixerit, sive vir, sive mulier, quicquid simul possederunt de conquisitis qui superstes erit, quandiu vixerit, in pace remanebit, nisi in vita praemorientis donum vel legatum inde factum fuerit. Quod si antequam convenerint vel vir vel uxor infantes habuerint, post decessum patris aut matris hereditas infantum ad eos redibit, nisi sit feodum. Si mortuo marito uxor supervixerit, & infantes ejus vivi remanserint, mulier de omni possessione quam vir ejus in pace tenuerat, quandiu infantes in custodia erunt, donec ipsa advocatum habeat, nisi sit vadimonium, non respondebit. Si quis ab aliqua vidua pecuniam requisierit, ipsa contra unum testem, non contra plures, per sacramentum se defendet, & in pace remanebit. Si vero ab ea aliquam ejus possessionem ut vadium requisierit, ipsa se per bellum defendet. Si quis terram aut aliquam heredi-

tatem

* faciat

* convictus

* judicium

* praedam

tatem ab aliquo emerit, & illa antequam empta sit propinquiori heredi oblata fuerit, & heres eam emere noluerit, nunquam amplius de ea illi heredi in causam respondebit. Si autem propinquiori heredi oblata non fuerit, & qui eam emerit, vidente & sciente herede per annum eam in pace tenuerit, nunquam de ea amplius respondebit. Si quis alienus mercator aliquid vendiderit, & in ipsa hora pecuniam habere non potuerit, ad dominum emptoris vel ad Praepositum domini prius clamorem faciet, & Major ei cito pecuniam suam habere faciet, quaecunque dies sit. Quicunque de promissione clamorem fecerit, nihil recuperabit. Si quis Major aut Scabinus aut aliquis de justitia Majoris praemium vel acceperit vel requisierit, & ille qui dederit, vel a quo praemium quaesitum fuerit, ad Majorem clamaverit, vel testem super hoc habuerit, accusatus viginti solidos persolvet, & si praemium acceperit, reddet. Quod si accusator testem non habuerit, ille qui accusabitur per sacramentum se defendet. Si quis ad Praepositum clamorem deferet, & Praepositus ei justitiam facere noluerit, clamator ad Majorem clamorem deferet, & Major Praepositum ad rationem mittet ut ei justitiam faciat; quam si facere noluerit, Major salvo jure regio justitiam faciet secundum statuta Scabinorum. Si quis super aliquem quod suum est intertiaverit, & ille qui accusabitur respondebit se illud non a latrone scienter emisse, hoc pro quo accusabitur perdet, & ante justitiam per sacramentum se defendet, si Praepositus vel justitia voluerit, & postea in pace abibit. Et hoc idem faciet guarannus, si hoc idem dixerit, tam primus quam secundus & tertius. Accusator autem hoc quod clamaverit sacramento confirmabit, si voluerit ille qui justitiam tenebit. In omni causa accusator, accusatus, & testis per advocatum loquentur, si voluerint. De possessionibus ad urbem pertinentibus extra urbem nullus causam facere praesumat. Si vir & uxor aliquam possessionem in vita sua acquisierint, & eorum alter mortuus fuerit, qui superstes fuerit medietatem solus habebit, & infantes aliam. Si vir mortuus fuerit, aut uxor mortua fuerit, & infantes vivi remanserint, possessiones suae in terra sive in redditu quae ex parte mortui venerunt ille qui superstes erit nec vendere, nec ad censum dare, nec in vadium mittere poterit absque assensu propinquorum parentum mortui, aut donec infantes ejus absque custodia fuerint. Si quis Praepositum Regis in placito vel extra placito turpibus & inhonestis verbis provocaverit, in misericordia Praepositi erit ad arbitrium Majoris & Scabinorum. Si quis Majorem in placito turpibus & inhonestis verbis provocaverit, domus ejus prosternatur, aut secundum pretium domus in misericordia * judicium redimatur. Si quis juratum suum percusserit vel vulneraverit, & ille qui percussus fuerit clamorem fecerit quod pro veteri odio percussus sit, percussor rectum faciet secundum statuta Scabinorum pro ictu; & post haec pro veteri odio aut per sacramentum se purgabit, aut rectum faciet communiae, & novem libras dabit, scilicet sex libras communiae, & LX. solidos justitiae dominorum, & persolvet medietatem recti infra octo dies, aut totum, si Scabini voluerint. Nullus enim pro eo qui percusserit, quicunque ipse sit, aut vir aut mulier, aut pace sacramentum faciet. Si Major cum communia & juratis in causa sedeat, & aliquis ibi suum juratum percusserit, illius contra quem in causa plures testes exierint, qui primus ictum dederit, domus prosternetur. Qui autem in causa jurato suo conviciatus fuerit, viginti solidos communiae persolvet. Ibi justitia dominorum nihil capiet. Qui juratum suum in aquam aut paludem jactaverit, si clamator unum testem adduxerit, & Major immunditiam viderit, ille malefactor LX. solidos persolvet, & de iis habebit justitia dominorum XX. solidos. Si immundus nullum testem habuerit, contra sanguinem vel immunditam per sacramentum se defendet, & liber abibit. Qui vero juratum suum servum recredentem, proditorem, traditorem, Wisloth, id est, cuop, appellaverit, XX. solidos persolvet. Si filius burgensis aliquid forisfacti fecerit, pater ejus pro filio justitiam communiae exequetur. Si autem in custodia patris non fuerit, & submonitus justitiam subterfugerit, uno anno a civitate ipsum esse extraneum oportebit. Si autem anno praeterito redire voluerit, secundum statuta Scabinorum Praeposito & Majori rectum faciat. Si conventio aliqua facta fuerit ante duos vel plures Scabinos, de conventione amplius non surget campus aut duellum, si Scabini qui conventioni interfuerunt hoc testificati fuerint. Omnia autem ista jura & praecepta quae praediximus Majoris & communiae tantum sunt inter juratos, & non aequum judicium inter juratum & non juratum. Ambianis solebat esse consuetudo quod in festis Apostolorum de unaquaque quadriga per unam portarum urbis villam introeunte Guarinus Ambianensis Archidiaconus obolum accipiebat. Major vero & Scabini qui tunc temporis extiterunt per consilium Theodorici tunc Ambianensis Episcopi consuetudinem praefatam ab Archidiacono quinque solidos & quatuor capones emerunt & ad censum ceperunt; & censum illum ad furnum Firmini de claustro extra portam sancti Firmini in valle situm Archidiaconus sumit. De omnibus tenementis villae justitia exhibebitur per Praepositum nostrum ter in anno in placito generali, videlicet in natali Domini, in Pascha, & Pentecosten. Omnia autem forisfacta quae infra banni leugam civitatis fient Major & Scabini judicabunt, & de illis justitiam facient, sicut debent, praesente Ballivo nostro, si ibi voluerit interesse. Si vero interesse noluerit, vel non potuerit, pro ejus absentia justitiam facere non deinent, sed debitam justitiam facient. Excepto tamen multro & raptu, quae nobis & successoribus nostris in perpetuum retinemus sine parte alterius. Catalla vero homicidarum, incendiariorum, & proditorum nostra sunt absolute sine parte alterius. In catallo vero aliorum foresfactorum retinemus nobis & successoribus nostris id quod habuimus & habere debemus. Bannum in villa nullus potest facere nisi per Regem & Episcopum. Si quis bannitus est pro aliquo forisfacto, excepto multro, homicidio, incendio, proditione, raptu, Rex vel Senescallus, vel Praepositus Regis, Episcopus, Major, unusquisque eorum, semel in anno poterit eum conducere in villam. Voluimus etiam & in perpetuum quitavimus & concedimus quod nec nobis nec successoribus nostris liceat civitatem Ambianensem vel communiam extra manum nostram mittere, sed semper regiae inhaereat coronae. Quae omnia ut in perpetuum &c. salvo jure Episcopi & Ecclesiarum & procerum patriae & alieno jure confirmamus. Actum Lorriaci anno incarnati Verbi MC. nonagesimo, regni nostri anno XI. Astantibus &c. Data vacante cancellaria.

* judicum

*Sub eadem forma confirmat Dominus Rex Ludovicus cartam communiae Ambianensis anno Domini MCCXXV. regni sui anno tertio apud Hesdinum.*

---

*De Burgensibus Altisiodori.*

EGo P. Comes Nivernensis notum facio &c. quod ego cum hominibus meis de Altisiodoro tam in civitate quam in suburbiis civitatis & in burgo sancti Gervasii morantibus statutum tale & conventionem feci quod pro tallia & corvatis & aliis exactionibus quitandis a ditiore ex ipsis non potero annuatim nisi tantum viginti solidos Altisiodorensis monetae, quae sit ad quatuor denarios, exigere, nec aliquid amplius ab aliquo eorum exigam. A minoribus vero & pauperioribus ad respectum mandati mei juxta posse uniuscujusque ab unoquoque exigetur. Concessi etiam quod forisfacta sexaginta solidorum ad quin- An 1194.

quinque solidos reducantur. Caetera autem forisfacta de quinque solidis & ultra ad duodecim denarios sunt redacta. De guagiis duelli quod pacificabitur, de unoquoque nonniti septem solidos & sex denarios capiam. Certum est quod frauchi homines suas habent in integrum excasuras & habebunt in perpetuum. Item de exercitu & chevaucheia dictum est quod praefatos homines extra comitatum Nivernensem non traham quin ipsi in ipsa nocte in eundem comitatum possint reverti. Ad torneamentum praedictos homines ducere non potero nisi apud Chableiam, Jovigniacum, & Rubeum montem. Si autem de exercitu vel chevaucheia ipsos submoveri fecero, unusquisque ibit, vel pro se mittet idoneum servientem. Si quis vero aetatis XL. annorum, vel infirmitate detentus, vel non audita submonitione mea remanserit, & hoc jurare poterit, quitus erit. Sin autem, legem suam emendabit, conductionem unius servientis usque ad sex dies singulis diebus quibus alii moram fecerint persolvat. Item dictum est quod praedictos homines extra Altisiodorum pro placitatione non traham, nec eos nec res eorum capiam quandiu stare juri voluerint ad judicium curiae meae juxta respectum proborum hominum. De equis & armaturis nulla eis violentia inferetur, nisi sponte mihi voluerint commodare. In villa Altisiodorensi creditionem habebo in victualibus usque ad XL. dies. Quod si mihi credita usque ad quadragesimum diem reddita non fuerint, homines de censiva illa nihil amplius credent mihi donec credita habuerint, & infra annum de censiva credita reddantur. Si quis autem de hominibus memoratis pro debito meo vel uxoris meae alicubi captus fuerit, ipsum liberari faciam. Sin autem, de censiva liberabitur. Si vero pro re alia aliquis eorum captus fuerit, de ipso liberando bona fide posse meum faciam. Bannum habebo Altisiodori per mensem Augustum tantum & de vino vinearum mearum & de vino fatto, & bannum illud non potero dare vel vendere alicui. In vineis & bladis Altisiodori non erunt custodes nisi quos burgenses ponent. Et si forisfactum affuerit, meum erit. Homo qui nunquam uxorem habuit hos viginti solidos non reddet. Certum est quod homo francus libere poterit abire de villa Altisiodori & redire cum voluerit. Quicunque voluerit vindemiare vineam suam vindemiabit eam cum voluerit. De possessionibus quas dicti homines die qua data fuit haec carta tenebant, quocunque modo tenerent, amodo nullum eorum vexabo, sed omnes eos inde esse quietos & in pace dimittam. Si Judaeus a Christiano usuras exegerit, usuras tantum duorum annorum per testes legitimos Judaei & Christiani poterit exigere. Si quis forisfactum aliquod fecerit, ipse solus emendabit, nec aliquis alius aliquid pro eo emendabit. Usuagium quod homines de burgo sancti Gervasii in bosco de Bar habere solent sicut antea habebunt. Certum est quod forisfactum homicidii, raptus, latrocinii in voluntate mea est. Statutum est & concessum quod Iterus de Tociaco Vicecomes Altisiodorensis & Viator Altisiodorensis supradictis burgensibus omne jus quod habebant in omnibus forisfactis meorum hominum qui sunt de hac censiva quitaverunt in perpetuum, hac siquidem conditione quod jamdicti burgenses quadraginta libras praedictae monetae praedictis Itero & Viario ad octabas natalis Domini persolvent annuatim. Super iis autem conventionibus observandis praecepi & consensi jamdictis burgensibus quod se eas bona fide pro posse suo observaturos jurarent; & ipsi de mandato nostro & assensu juraverunt quod in iis conventionibus observandis unus erit adjutor alii. Quotiens autem Praepositi vel mei servientes Altisiodori mutabuntur, eos jurare faciam quod conventiones istas firmiter observabunt. Accensiva autem illa singulis annis ad octabas natalis Domini persolvetur. Has itaque conventiones ego P. Comes Nivernensis me firmiter observaturum propria manu juravi, & per idem sacramentum promisi & concessi quod filia mea Matildis, cum ad duodecimum annum pervenerit, & maritus ejus prius quam eam ducat, has conventiones firmiter observaturos jurabunt, & inde litteras suas patentes easdem conventiones confirmantes burgensibus Altisiodori tradent. Rogavi praeterea Dominum Philippum illustrem Regem Franciae quod si ego vel successores mei ab his conventionibus resilire praesumpserimus, ipse conventiones istas a me & successoribus meis in comitatu in perpetuum firmiter facient observari. Requisivi etiam Dominum meum Regem Philippum quod si ego aut successores mei ab his conventionibus exiremus ut Dominus Rex assignet ad feodum quod de ipso teneo, & quod aliquem successorum meorum de feodato comitatus Nivernensis non investiet donec prius juraverit has conventiones se in perpetuum observaturum & litteras suas patentes conventiones has confirmantes jamdictis burgensibus tradiderit. Rogavi praeterea Dominum Papam & Dominum Senonensem, Altisiodorensem, Lingonensem, Æduensem, Nivernensem Episcopos quod si successores mei vel ego ab his conventionibus resilire vel eas infringere aut violare praesumpserint, ipsi in me & successores meos & terram meam sententiam excommunicationis imponant nec eam resolvant donec burgensibus plenarie fuerit satisfactum quicquid injuriose contra has consuetudines fuerit irrogatum. Praesertim Barones mei, videlicet Philippus dominus Giemi, Droco de Melloto, Gaufridus Senescallus meus, Iterius de Tociaco Vicecomes Altisiodorensis, Rainbertus de Solempniaco, Gaufridus de Arsitio, Letricus Balledart, Petrus de Corcon, & ceteri vavassores de Altisiodoro de mandato meo juraverunt quod praedictis burgensibus in his conventionibus observandis bona fide coadjutores erunt nec eas pro posse suo patientur infringi, & si ego ab his conventionibus resilirem, Barones mei me inde mitterent ad rationem ut eas facerent me tenere, & si nollem, non essent mihi in auxilium contra burgenses. Ego vero nullum de hominibus meis Domini Regis Philippi de dominio suo recipiam, nec ipse aliquem de dominio meo recipiet, neque aliquem post Junium recipere potui, nec ipse aliquem recipere potuit. Burgenses vero Altisiodori mihi creantaverunt quod nullum de hominibus meis neque liberum neque servum de dominio meo in hac communitate recipient. Pro his autem consuetudinibus faciendis observari per manum Regis Franciae burgensibus Altisiodorensibus burgenses Altisiodori dabunt singulis annis Domino meo Philippo Regi Franciae & successoribus ejus Franciae Regibus in perpetuum centum libras Parisienses monetae reddendas Altisiodori in festo sancti Andreae, neque Dominus Rex id extra manum suam mittet. Si autem Dominus Rex dictam pecuniam ad terminum non requireret, nullum damnum propter hoc haberet Dominus Rex. Quae omnia ut perpetuam & inconcussam &c. confirmo. Actum Senonis anno Domini MC. nonagesimo quarto, mense Novembri.

---

### *Carta communiae Senonensis.*

LUdovicus &c. Notum &c. nos vidisse cartam genitoris nostri hoc modo. Notum &c. quod nos intuitu pacis in posterum conservandae Senonensem, salva fidelitate nostra, communiam fieri concessimus, quam jurabunt omnes illi qui sunt tam in circuitu quam suburbiis & in parrochia mallorum Vicecomitis qui de communia erant, & qui venient intra communiam, exceptis illis hominibus & feminis quos & quas reddidimus Archiepiscopo & Ecclesiis & clericis Senonensibus, scilicet propriis eorum hominibus. Jurabunt itaque homines de communia quod alter alteri recte secundum opinionem suam auxiliabitur, & quod ipsi nullatenus patientur quod aliquis alicui de communia aliquid auferat, vel eum tal- An. 1145.

liet,

liet, vel quidlibet de rebus ejus capiat. Omnia autem forisfacta, exceptis infractione urbis & veteri odio, quinque solidis emendabuntur. Si quis vero sacramentum alicui facere debuerit, & ante arramitionem facramenti in negotium suum se iturum dixerit, propter illud faciendum de itinere suo non remanebit, nec ideo incidet; sed postquam redierit convenienter submonitus, faciet sacramentum. Capitales homines debitum censum dominis suis persolvent; quem si in die constituto non reddiderint, quinque solidos emendabunt. Homines etiam de communia uxores quascunque voluerint, licentia a suis dominis requisita, accipient. Et si domini hoc concedere noluerint, & absque concessione domini sui aliquis uxorem alterius potestatis duxerit, si dominus suus eum inde implacitaverit, quinque tantum solidis hoc illi emendabit. Et ita quiete & libere in pace communiae remanebit. Exceptis propriis hominibus & propriis feminis Senonensis Archiepiscopi & Ecclesiarum & clericorum Senonensium. Et si aliquis aliquam injuriam homini vel feminae de hac communia fecerit, & clamor inde venerit ad juratos, si ipsum hominem qui injuriam fecit capere poterunt, de corpore suo vindictam capient, nisi forisfactum emendaverit illi cui emendatum * fuerit secundum legitimum judicium eorum qui communiam custodierint. Sed sciendum est quod pro nullo forisfacto capietur in atriis neque in claustris neque in burgo sancti Petri vivi ab hominibus de communia. Nullus etiam hominum sive feminarum Archiepiscopi aut Ecclesiarum aut Canonicorum Senonensium, nisi in praesenti forisfacto captus fuerit, & extra atrium & claustra & burgum sancti Petri. Et si aliquis qui forisfactum fecerit homini vel feminae de communia ad aliquod receptaculum perrexerit, & custodes communiae ad ipsum receptaculum transmiserint, & domino receptaculi vel primatibus ipsius loci querimoniam fecerint ut de illo inimico suo illis rectitudinem faciat, sicut superius dictum est, si satisfacere voluerit, rectitudinem accipient; & si facere noluerit, postea auxiliatores erunt faciendi vindictam de corpore ipsius & pecunia qui forisfactum fecerit & hominum ipsius receptaculi in quo inimicus eorum fuit. Item si mercator Senonis ad mercandum venerit, & aliquis ei forisfecerit infra leugam civitatis, si clamor inde venerit ad juratos, & mercator invenerit eum, auxiliatores erunt vindictam faciendi recte secundum opinionem suam, nisi mercator de hostibus ipsorum fuerit. Et si ad aliquod receptaculum ille adversarius perrexerit, & si ipse mercator vel jurati ad eum miserint, & forisfactor mercatori satisfecerit secundum legitimum judicium juratorum, vel probare vel ostendere poterit se forisfactum illud non fecisse, juratis satis erit. Si vero facere noluerit, postea si intra villam eum ipsi capere poterunt, vindictam de illo facient. Nemo autem praeter nos & Dapiferum nostrum poterit conducere hominem in villam qui forisfactum fecerit homini vel feminae de communia, nisi pro forisfacto emendando venerit secundum legitimum judicium juratorum. Et si Archiepiscopus illius civitatis ignoranter adduxerit in villam hominem qui forisfactum fecerit homini de communia, postquam sibi ostensum fuerit illum esse de hostibus communiae, nullo modo postea eum adducet nisi consilio ipsorum juratorum, & ea vice eum reducere poterit. Si extraneus homo panem & vinum suum in villam causa securitatis adduxerit, postea si discordia inter juratos & hominis extranei dominum evenerit, quindecim dies habebit licentiam vendendi panem & vinum in ipsa villa & deferendi nummos & aliam pecuniam suam praeter panem & vinum, nisi forisfactum fecerit vel fuerit cum illis qui fecerunt. Nullus homo de communia credet pecuniam suam vel accommodabit hostibus communiae quandiu guerra durabit. Et si aliquis de communia fuerit convictus quod crediderit aliquid hostibus communiae, justitia de eo fiet secundum legitimum judicium juratorum. Et si homines de communia aliquando contra hostes suos exierint, nullus eorum loquetur cum hostibus suis nisi licentia eorum qui communiam custodierint. Statuti vero ad custodiam communiae jurabunt quod nemini propter cognationem vel amorem deferent & neminem propter inimicitiam laedent & rectum judicium secundum aestimationem suam facient. Omnes alii jurabunt quod idem judicium quod praedicti statuti super eos fecerint patienter concedent, nisi probare poterunt quod de praedicta * pecunia solvere nequeant. Item concedimus & praecipimus quod nullatenus aliquis mittat manum in corpus vel res alicujus hominis vel feminae de communia quandiu idem homo vel femina voluerit & potuerit facere justitiam ac sufferre consideratione eorum qui communiam custodierint. Nullus exonerabit vel vendet vina extranea infra leugam civitatis, nisi hoc fecerit voluntate juratorum; & propter hoc nihil habebit communia. Archiepiscopus tamen, Ecclesiae, & clerici vina extranea poterunt in civitatem adducere ad potum suum. Vendere autem non poterunt. Si quis moram fecerit per annum & diem in civitate Senonensi in pace & sine juris vetatione, & aliquis postea requisierit quod sit homo suus, de illo non respondebitur ei. Si quis hominem vel feminam de communia implacitaverit, homo vel femina, dum justitiam facere voluerit consideratione juratorum non exibit villam Senonensem causa placitandi nisi submonitione Archiepiscopi in quantum debuerit, vel nisi de feodo vel censu qui sit extra leugam civitatis implacitetur. Si quis de communia forisfecerit, & per juratos emendare noluerit, homines de communia facient de eo justitiam. Si quis ad sonum pro congreganda communia factum non venerit, duodecim denarios emendabit. * Ad quod etiam eisdem concessimus quod nec propter aliquod delictum vel conquestionem aliquam extra corpus civitatis placitabitur nisi submonitione Archiepiscopi in quantum debuerint. Sed sciendum est quod nullos ex hominibus nostris nisi assensu & voluntate nostra poterunt intra communiam suam recipere. ** Quod si facerent ignoranter, infra xv. dies post receptionem liceret eis hominem illum extra communiam ponere sine facere aliam emendam. Quae omnia ut perpetuae stabilitatis &c. Actum anno Domini MCLXXXIX. regni nostri anno undecimo. Astantibus &c. Nos igitur genitoris nostri vestigiis inhaerentes quae praemissa sunt volumus & concedimus, subsequentia praemissis adicientes. Si ab homine vel femina communiae pedagium vel ton-

* illatum.

* propria.

---

* *In codice 2670. post vocem* emendabit *scriptum erat in hoc loco.*

Ob illius autem communiae concessionem, & propter redditus nostros ad praeposituram Senonensem uno mense antequam instituerentur haec omnia, & propter tensamentum nostrum de Massangi & de Cornaco & de valle Doirre, & propter homines nostros de sancto Clemente & de Grigne & de Pontibus & de Columberiis & de Massangi, quos eis concessimus habendos in communia, & propter forisfacta ad nostram praeposituram pertinentia, exceptis multro, raptu, homicidio, proditione, incendio, dabunt nobis cives communiae Senonensis annuatim sexcentas libras Parisiensis monetae & sexies viginti modios bladi ad mensuram Senonensem; cujus tres partes erunt frumenti, & quarta pars avenae. Ad quod etiam eisdem concessimus &c.

*Sed hac obelo jugulata sunt in veteri libro. Ex quo colligi debet ista mutata esse a Rege Ludovico, qui proventus praepositurae ad se revocavit. Propter hanc autem rationem ista non habentur in codice 2669. qui ex isto transcriptus est.*

** *Rursum in codice 2670. post vocem* recipere *additum est in margine.* Quod facerent ignoranter &c. *Quae videntur non fuisse in litteris Regis Philippi.*

tonleium apud Senonis requiratur, & requisitor diem quo illud & de qua re illud habuerit non nominaverit, nequaquam exinde respondebitur requisitori; & si nominaverit, & ille dictum ejus sua sola manu non infirmaverit, quinque solidos tantum emendabit, & reddet pedagium vel tonleium. Si quis bannum civitatis se audisse negaverit, aut per pares comprobetur, aut propria manu se purget juramento. Et si comprobetur, aut se purgare noluerit, quinque tantum solidos emendabit, si tamen bannus factus non fuerit pro expeditionibus & exercitibus nostris aut negotio nostro. Si qua vilis & inhonesta persona honestum virum vel mulierem conviciaverit, liceat alicui probo viro, si supervenerit, illum objurgare & uno vel duobus vel tribus colaphis cum palmo sine forisfacto ob importunitate sua compescere. Quod si eum pro antiquo odio criminatus fuerit, liceat ei juramento se purgare, & quod pro nullo odio eum percusserit, sed tantum pro pacis & concordiae observatione. Quod si se super hoc purgare noluerit juramento, id emendabit. Volumus etiam quod ipsi liberi permaneant ab omnibus talliis & toltis. Salvo servitio exercitus & equitationis nostrae. Praeposituram autem Senonensem & redditus ac proventus universos ad praeposituram pertinentes nobis & heredibus nostris in perpetuum retinemus. Quae omnia &c. salvo jure nostro & alieno confirmamus. Actum Nemosi anno dominicae incarnationis MCCXXV. regni vero anno tertio. Astantibus &c. Dapifero nullo. S. Roberti Buticularii. S. Bartholomaei Camerarii. S. Mathaei Constabularii. Data per manum Garini Silvanectensis Episcopi Cancellarii.

---

*Carta de reformatione pacis Episcopi Podiensis cum suis civibus.*

An. 1218. PHilippus Dei gratia Francorum Rex &c. Notum &c. quod cum discordia esset inter dilectum consanguineum & fidelem nostrum Robertum Aniciensem Episcopum ex una parte & cives Anicienses ex altera, tandem de consensu partium sopita est in hunc modum. Si aliqua collecta fuerit facienda vel propter nos vel propter communem utilitatem villae Aniciensis, ita tamen quod non sit pro facienda guerra contra nos vel Ecclesiam Aniciensem, cives Anicienses eam facient, ita quod si Episcopus Aniciensis voluerit scire summam illius collectae vel nos, cives tenentur certificare Episcopum, si voluerit, & nos, si voluerimus, de summa collectae per juramentum levantium collectam, & ipsi non possunt levare aliquid ultra summam illam & ultra competentes expensas. Episcopus debet mittere * servum suum ad levandam talliam, si exinde fuerit requisitus. Et si Episcopus requisitus vel mandatum ejus, si forte Episcopus esset extra regnum, nollet mittere servientem suum ad levandam collectam, cives Anicienses ad nos vel ad Ballivum nostrum qui esset in Alvernia possent habere recursum, ut mitteretur eis serviens ad levandam collectam. Et sciendum quod cives Anicienses possunt habere sigillum, in quo possunt sigillare litteras mittendas Domino Papae vel nobis vel aliis pro communi utilitate villae, vel etiam litteras de mutuo faciendo pro communi utilitate villae. Contractus autem alios & ea quae facerent praejudicium nobis vel Episcopo vel Aniciensi Ecclesiae non possunt sigillare illo sigillo. Praeterea sciendum quod cives Anicienses nunc habentes territoria in civitate Aniciensi tenebunt eadem territoria in omnibus sicut ea tenuerunt ipsi vel eorum antecessores per XL. annos retroactos quiete & pacifice. Cives autem debent exercitus & cavalcatas Episcopo Aniciensi pro defensione & obsidione castellorum quae tenet in manu sua Episcopus de nobis. Praeterea iidem cives debent Episcopo praedicto exercitus & cavalcatas contra praedones viarum & raptores manifestos pro forisfactis perpetratis contra Ecclesias & domos religiosas, quando illi qui pacem juraverint ibunt cum eis. Quod si illi qui pacem juraverint nollent ire pro vindicta dictorum forisfactorum, vel si pax forte non esset jurata, Episcopus bona fide submoneret omnes illos qui debent ei exercitus & cavalcatas, nec eos poterit pro pecunia exinde relaxare, & cum illis saepedicti cives ire tenentur cum Episcopo pro praedonibus viarum & raptoribus manifestis & forisfactis perpetratis contra Ecclesias & domos religiosas, vel mittere quilibet eorum focum habens unum servientem sufficientem pro se, si personaliter ire noluerit. Et si contingeret quod illi qui debent exercitus & cavalcatas Episcopo Aniciensi non venirent ad submonitionem Episcopi, cives Anicienses nihilominus ire tenerentur cum Episcopo. Et Episcopus debet secundum legem patriae levare emendam tam a civibus Aniciensibus quam ab aliis debentibus ei exercitus & cavalcatas qui non venerint ad ejus submonitionem. Episcopus etiam tenetur civibus ad defensionem eorum & rerum suarum bona fide ubicunque potestatem habeat & ubicunque eos ducet. Cives autem fortericias, munitiones, muros, clausuras, & fossata facta inter claustrum & civitatem Aniciensem occasione hujus guerrae tenentur diruere, ita quod non oporteat domos eorum factas dirui. Balistariae eorum de novo factae propter guerram penitus obstruantur. Nullus praesumat clamare Ad arma contra servientes Episcopi qui ejus jurisdictionem exercebunt. Et qui hoc attentare praesumpserit, per judicium curiae Episcopi emendabit. Si Episcopus traxerit in curia sua aliquos vel aliquem vel universitatem pro forisfacto aliquo, universi & singuli debent coram Episcopo respondere, & Episcopus tenetur diffinire causam illam secundum consuetudines hactenus observatas. Quod si non fecerit, cives possunt appellare ad nos, & Episcopus debet supersedere & respondere coram nobis super iis quae ad nos spectant. Conspirationes aut conjurationes vel consules non possunt facere cives Anicienses contra nos nec contra Episcopum nec Ecclesiam Aniciensem quandiu Episcopus & Ecclesia Aniciensis erga nos se habuerint sicut debebunt. Si latro, vel multrarius, vel praedo, vel homicida sit in claustro Aniciensi, cives Anicienses, si velint, nuntiabunt Episcopo vel ejus Ballivo ut eum capiat quando claustrum vel locum sanctum exibit. Quod si Episcopus vel ejus Ballivus facere noluerit, cives eundem latronem vel multrarium vel praedonem seu homicidam capere poterunt, si voluerint, quam cito exibit de claustro vel loco sancto, ut eum justitiandum ducant ad Episcopum vel ejus Ballivum. Episcopus autem vel ejus Ballivus latronem, multrarium, praedonem, & homicidam capere poterit ubicunque eum invenerit extra locum sanctum, & de eo tenetur facere justitiam. Universitas civitatis Aniciensis non potest facere exercitum nec equitationem nisi per nos vel per Episcopum Aniciensem. Sed si aliquis civium Aniciensium voluerit aliquos ducere ad juvandum aliquem amicorum suorum, dum tamen hoc non sit contra nos vel Episcopum vel Ecclesiam Aniciensem, id ei licebit. Haec autem omnia bona fide ab utraque parte firmiter in perpetuum observentur, salvo in omnibus jure nostro, & salvis appellationibus ad nos faciendis, & salvis privilegiis Episcopo & Ecclesiae Aniciensi a nobis & antecessoribus nostris indultis. Quod ut perpetuae robur &c. Actum Vernone anno Domini MCCXVIII. mense Martio. Haec sunt nomina juratorum pacis & plegiorum de septingentis marcis. Guillelmus de Podio, Hugo de casa Dei, Stephanus Bonus, Robertus Bertranni, Petrus Benedicti, Dalmas Roffill. Mausac, Guillelmus Boillo, Johannes de Bonofonte, & Johannes.

* servientem

Car-

*Carta fidelitatis hominum de burgo sancti Remigii.*

An. 1218. HOmines de burgo sancti Remigii fecerunt Domino Regi fidelitatem sub hac forma. Ipsi conservabunt pro posse suo bona fide vitam, corpus, & membra Regis, honorem regni, & omnia jura Regis. Praesente Petro de Nongento tunc Abbate & . . . Priore consanguineo suo. Monachi praesentes, Garnerus Orillard Camerarius domus, Nicolaus Avis, Garnerus Suessionensis, Petrus Capellanus Abbatis, & plures alii. Hanc fidelitatem pro Domino Rege receperunt magister Boso clericus ejus & Robertus de Lesgua. Actum Remis dum ipsi custodirent regalia post decessum Alberici Archiepiscopi Remensis anno Domini MCCXVIII. mense Martio ante capellam Abbatis.

---

*Carta hominum Mellenti & Bochardi de Malliaco.*

An. 1220. PHilippus &c. Noverint universi nos audivisse literas dilecti & fidelis nostri Bochardi de Malliaco sub hac forma. Ego Bochardus de Malliaco notum facio universis tam praesentibus quam futuris quod cum homines communiae Mellenti haberent ad perpetuam firmam totam terram meam Mellenti cum omnibus redditibus & exitibus qui ea ea proveniebant in furnis, pressoriis, & censu, excepta justitia mea illius terrae, pro centum libris mihi & heredibus meis annuatim reddendis, dictae communiae homines superaddiderunt firmae praedictae XL. libras redditus, ita quod in terra praedicta & aliis praescriptis non retinerem mihi & heredibus meis nisi raptum tantummodo & multrum. Ego autem de assensu matris meae & Mathaei fratris mei dedi communiae Mellenti in perpetuam firmam totam terram meam Mellenti cum omnibus redditibus & exitibus qui inde proveniunt vel provenient in furnis, pressoriis, & in censu, sicut ipsius communiae homines ea noscuntur habuisse & cum omni justitia mea illius terrae, exceptis tantummodo raptu & multro, pro CXL. libris Paris. mihi & heredibus meis annuatim reddendis per ternos menses triginta quinque libras in * Ecclesia beatae Mariae Mellenti, certo videlicet nuntio meo & heredum meorum, quem ego & heredes mei tenemur ibi tunc propter hoc destinare, ita quod primae XXXV. librae in Kalendis Martii reddantur annuatim, & sic deinceps. Et sciendum quod si communia Mellenti dictae pecuniae summam non redderet terminis constitutis, pro singulis diebus quibus solvere differret post terminos constitutos Domino Regi redderet quinque solidos pro emenda & mihi & heredibus meis quinque solidos pro emenda. Ego vero habebo, si voluero, apud Mellentum servientem meum proprium, qui non erit de communia, ad custodiendum justitiam meam raptus & multri; nec potero trahere homines communiae Mellenti extra castrum Mellenti pro exercitu, neque pro equitatione, neque pro placito, neque pro aliqua causa; sed intra villam Mellenti convincentur & judicabuntur raptus & multra terrae praedictae, & post fiet justitia raptuum & multrorum ubi voluero. Haec omnia concessi salvis feodis meis & salvo jure communiae. Praeterea quandocunque mutabuntur Major & pares communiae Mellenti, jurabunt mihi & heredibus meis se servaturos conventionem praedictam & jus meum de raptu & multro. Et similiter quando mutabuntur heredes mei, tenebuntur communiae Mellenti facere juramentum quod servabunt communiam & conventiones praesentibus litteris expressas. Et si quid tenementorum de terra praedicta moventium daretur alicui in eleemosinam, oporteret illud vendi & poni extra manum mortuam infra unum annum & diem. Quod si non fieret, ego & heredes mei possemus sine mesfacere assignare ad tenementum eleemosinatum & illud tenere faciendo hominibus communiae Mellenti redeventiam quae pro illo tenemento prius fiebat eisdem. In cujus rei memoriam & confirmationem perpetuam ego & Mathaeus frater meus præsentem paginam sigillis nostris fecimus communiri. Et rogamus carissimum Dominum nostrum Philippum Regem Franciae illustrem ut conventiones praescriptas sigilli sui auctoritate confirmet. Actum Medontae anno Domini MCC. vicesimo, mense Marcio. Nos igitur, ut conventiones praescriptae perpetuae stabilitatis robur obtineant, ad petitionem partium praesentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato, salvo jure nostro, confirmamus. Actum Medontæ anno dominicæ incarnationis MCC. vicesimo, regni vero nostri XLII. mense Marcio.

* capella

---

*De consuetudinibus Andegaviæ & Cenomaniæ.*

IN nomine sanctae & individuae trinitatis. Amen. An. 1246. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus quod cum dubitaretur ab aliquibus de consuetudine ballorum & rachatorum Andegaviae & Cenomaniae, nos volentes super hoc cognoscere veritatem & quod erat dubium declarare, vocatis ad nos apud Aurel. Baronibus & magnatibus earundem terrarum, habito cum eis tractatu & consilio diligenti, communi assertione eorum didicimus de consuetudine terrarum illarum quod talis est, videlicet quod relicta alicujus nobilis vel alterius feodati habet in Andegavia ballum liberorum suorum & terrae, & non facit rachatum, nisi se maritet; & si ipsa moriatur, ille habet ballum qui magis propinquus est ex parte patris vel ex parte matris, ea parte cujus hereditas movet. Quicunque etiam, sive mater, sive aliquis amicorum, habeat custodiam feminae quae sit heres, debet praestare securitatem domino a quo tenebit in capite quod maritata non erit nisi de licentia ipsius domini & sine assensu amicorum. Et si relicta nobilis vel alterius feodati se maritet, maritus suus facit homagium domino & solvit rachatum; & rachatum est valor terræ unius anni. Dominus autem non habet rachatum de patre ad filium, nec de fratre ad fratrem. Et omnes alii qui tenent ballum, debent homagium domino, & debent solvere rachatum. Ille autem qui tenet ballum, si terra debet ad ipsum devenire, non habet custodiam puerorum, immo proximior post ipsum; & habent pueri beneficium de terra patris & matris suae secundum valorem terræ & secundum statum suum. Et quicunque tenet ballum, debet facere rachatum, solvere debita, & tenere ballum in bono statu. Est autem ætas heredis masculi faciendi homagium domino & habendi terram suam quam cito idem heres ingressus fuerit vicesimum primum annum. De ballis & racharis Cenomaniae dicunt idem Barones Cenomaniae, hoc excepto quod vidua perdit ballum terrae moventis ex parte patris puerorum in Cenomania quam cito se maritat, & ille qui ballum habet, facit homagium domino, & solvit rachatum, nisi sit frater defuncti. Sciendum est tamen quod Feritas Bernardi & castellania Feritatis aliam habet consuetudinem quantum ad rachata. Quia vero super ætate feminarum certa consuetudn non inveniebatur, statuimus & ordinavimus assensu Baronum & Militum praedictorum quod femina non maritata postquam quintumdecimum annum compleverit habeatur legitimae aetatis ad faciendum homagium domino & ad habendum terram suam. Haec autem omnia, prout superius continentur, de communi consilio & assensu dictorum Baronum & Militum volumus & praecipimus de cætero in perpetuum firmiter observari. Quod ut perpetuae stabilitatis robur obtineat, praesentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato fecimus confirmari. Actum Aurelianis anno incarnationis dominicae MCC. quadragesimo seato, mense Majo, regni vero nostri anno vicesimo, astantibus in palatio nostro quo-

quorum nomina fuppofita funt & figna. Dapifero nullo. S. Stephani Buticularii. S. Johannis Camerarii. Conftabulario nullo.

## EPISTOLA STEPHANI

*Epifcopi Tornacenfis ad Willelmum Archiepifcopum Remenfem.*

Ex L. I. Mifc. Bal. pag. 410. An. 1193. Vide Rigordum in vita Philippi Augufti.

REverendo Patri & Domino Willelmo Dei gratia Remenfi Archiepifcopo, fanctae Romanae Ecclefiae tituli fanctae Sabinae Cardinali, apoftolicae fedis Legato, Stephanus Dei permiffione Tornacenfis Ecclefiae humilis minifter falutem & cum omni fubjectione perfectam & promptam obedientiam. Affumpta paulifper audacia loquor ad Dominum meum, nec temeritate praefumens, nec pufillanimitatu diffidens aut diffidetus. Non abiciet me plaftes lutum fuum, vafculum fuum figulus, artifex opus manuum fuarum. Non abiciet inquam vel a queror querentem vel a moereo moerentem, quem extulit & praetulit, nec a quaero quaerentem, nec a mereor merentem. Ormefta eft non parabola quam propono, cui & compaffionem debeat benevolus animus, & confolationem benefica manus. Eft apud nos pretiofa margarita, quae conculcatur ab hominibus, honoratur ab angelis, digna thefauro regio, digna palatio, digna caelo. Reginam dico quae apud Cifonium quafi ergaftulo clauditur, paupertate premitur, exilio relegatur. Plangimus fortunam perfonae, Deo relinquimus caufam fortunae & exitum caufae. Quis enim fit tam ferrei cordis, lapidei pectoris, jecoris adamantini, quem non moveat in tanta adverfitate puella illuftris Regum natalibus, infignis moribus, fermonibus verecunda, operibus vere munda? cum Ambrofiana virgine pulcra facie, fed pulcrior fide, annis juvencola, fed animo cana, pene dixerim Sarra maturior, Rebecca fapientior, Rachele gratior, Anna devotior, Sufanna caftior. Ab his qui de formis mulierum difputare folent nec deformior Helena, nec abjectior Polyxena judicatur. Quotidianum ftudium ejus orare, aut legere, aut operi manuum operam dare. Aleam nefcit, tefferas ignorat. Ipfas orationes a mane ufque ad fextam protenfas cum lacrymis & gemitibus effundit non tam pro fe quam pro Domino Rege. In oratorio nunquam fedet, aut corpore femper erecta, aut genibus acclinis & prona. Credimus quia fi talem cognofceret Affuerus nofter, gratam haberet ut Efther fuam, & extenfa virga benevolentiae fuae, virga dilectionis, virga regni fui, revocaret eam in amplexus regios, commutans divortium confortio, rancorem manfuetudine mitigans, exterminans odium caritate. Credimus quia aut verbo aut voluntate diceret ei: *Specie tua & pulcritudine tua intende profpere, procede, & regna*. & illud amatorium Salomonis: *Revertere, revertere, ut intueamur te*. Revertere propter nobilitatem tuam, revertere propter pulcritudinem tuam, revertere propter pudicitiam tuam. Revertere ut intueamur te propter honeftam morum elegantiam. Talis ac tanta Regum martyrumque beata progenies, germen nobile, femen fanctum, reculas fuas, veftes fcilicet modicas & vafa paucula, compellitur prae inopia victus exponere, diftrahere, fubhaftare. Alimoniam petit, eleemofynam poftulat, manum porrigit ut accipiat, & fupplicat porrigenti. Flentem faepe vidi & ego flens cum ipfa, & pro ipfa contremuit cor meum & expavit. Commonui quantum potui ut jactaret cogitatum fuum in Domino. Quod & ipfa facere nec deftitit nec defiftit. Refpondebat per fingula: *Amici mei & proximi mei quafi alieni receffcrunt a me*. Unicum refugium meum Dominus meus Remenfis Archiepifcopus, qui me ab initio adverfitatis meae liberaliter fovit, aluit, & nutrivit. Moveant vos, Pater, tam nobilis & praecipuae puellae avis & atavis Regibus editae lacrymofa fufpiria, flebiles gemitus. Et qui tot & tantis pauperibus erogatis eleemofynam, mendicanti poft tantam gloriam Reginae pietatis veftrae vifcera non claudatis. Exceffit epiftola modum. Sed increpabat brevitatem materia, & pietas accendebat ftylum.

Vide Innoc. 3. lib. 1. ep. 4.

Pfal. 44.

Cant. 6.

Pfal. 37. & 107.

## EPISTOLA I.

*Epifcopi Lyddenfis ad magiftrum Michaelem Decanum Ecclefiae Parifienfis & electum Patriarcham Hierofolymitanum.*

Ex Lib. II. Mifc. Bal. pag. 242. An. 1194.

DOmino & amico fuo cariffimo Dei gratia Hierofolymitanae fedis alecto venerabili Parifienfi Decano magiftro Michaeli I. ejufdem permiffione Lyddenfis Ecclefiae minifter humilis in Spiritu fancto recta fapere & de ejus femper confolatione gaudere. Ut verbis utamur beati Hieronymi, ftultum eft docere quod noverit ille quem doceas. Verumtamen familiare eft fapienti tolerare nefcientem. Confidentius & fecurius vobis fcribimus quo fermonem nos habere cum fapiente & difcreto minime ambigimus. Suftinete igitur modicum quid infipientiae noftrae; fed & fupportate nos. Sic enim decet prudentiam veftram doctam & inftructam ab illo qui docet hominem fcientiam. Bonas, optime Doctor, finivitis veftras & ftudia veftra praecordialiter defiderantes hortamur vos cum Apoftolo ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Novit fiquidem difcretio veftra fcientiae & intelligentiae lumine divinitus irradiata quoniam fecundum veritatis fententiam cui plus committitur, plus ab eo exigitur, & quoniam fervus fciens voluntatem domini & non faciens digna plagis vapulabit multis, & fecundum illud Jacobi: Scienti bonum & non facienti, peccatum eft illi & fecundum beatum Gregorium: Augentur dona, rationes etiam crefcunt donorum. & ubi majus eft donum fcientiae, ibi majus eft periculum culpae. Quanto igitur obligatiorem vos effe confpicitis in reddenda commiffi vobis talenti ratione, quanto judicem diftrictiorem fcitis & aufteriorem in ejufdem exactione, tanto cautius & circumfpectius attendere tenemini & videre vocationem qua fuperna providente clementia & eadem mifericorditer difponente concorditer orientalis Ecclefia vos vocavit tamquam luminare majus in paftorem & magiftrum fuum, cujus doctrinae radiis fedentes in tenebris & umbra mortis illuminentur, & tamquam exemplar virtutum, quo perverfi corrigantur & averfi reformentur. Si enim vocanti vos Domino & dicenti, Amice afcende fuperius ut luceat lux tua coram hominibus & videant opera tua bona, in auditu auris obedire volueritis, & ei in via virtutis fuae obedire contempferitis, cum vobis exemplum dederit ut quemadmodum ipfe fecit ita & vos faciatis, timendum admodum vobis erit ne cum illis de quibus dicitur: Dejecifti eos dum allevarentur, incipiatis cum rubore noviffimum locum tenere, & qui hactenus gemina fcientia efficaciffime claruiftis, morum elegantia & virtutum eminentia laudabiliter enituiftis, inftrumenta virtutum vobis a fuperno largitore collata, fi eis ad gloriam & honorem ipfius & terrae fanctae, quam pro veftra omniumque falute proprio cruore mifericorditer confecravit, exaltatione uti neglexeritis, vobis tamquam ingrato fubtrahantur, & a peregre profecto in exactione lucri duro & auftero, cum in plenilunio rationem cum fervis pofiturus redierit, vobis tamquam fervo inutili, pigro, & laborem pro ipfo fubire nolenti dicatur: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et tunc erit vobis confufio, dedecus, & ignominia coram fimul difcumbentibus. Dum igitur, optime Doctor, tempus habetis, bonum ad omnes operari non defiftatis, maxime autem ad eos qui vos infpirante Deo, tamquam oves errantes non habentes pafcua, tam ardenter & affectuofe, expetunt habere in paftorem &

Epifco-

Epiſcopum animarum ſuarum: quorum deſideriis & petitionibus deeſſe, quibus auxilium & conſilium in hac neceſſitate ſubtrahere, illius eſt offenſam incurrere qui cum in forma Dei eſſet, propter nos & propter noſtram ſalutem ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, egenus & pauper effectus adeo ut non haberet ubi caput reclinaret, cum vulpes foveas haberent & volucres caeli nidos. Videat itaque, vates egregie, diſcretio veſtra quam periculoſum, quam juri ſit contrarium, quam indecens, quam indignum, in terra illa paupertatem pro illo vereri ſuſtinere in qua dives in omnibus dominus majeſtatis & conditor univerſitatis, in cujus ditione cuncta ſunt poſita, pro nobis egere dignatus eſt & mendicare, in qua venit non miniſtrari ſed miniſtrare & animam ſuam redemptionem dare pro multis, in qua cauſa noſtrae reparationis tot indigna pertulit, opprobrium hominum & abjectio plebis factus, & ad ultimum morte turpiſſima condemnatus. Chriſto igitur pro nobis in carne paſſo, pro nobis in cruce clavis confixo, Doctor amandiſſime, compatiamur: quoniam ſi compatimur, & conregnabimus. Valete, & nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. Quid autem ſuper his animi geratis, veſtrarum occurſu litterarum deſideramus & inſtanter petimus edoceri.

Chronicon Alberici ad annum 1194. *Magiſter Michael Decanus Pariſienſis, vir theologus & religioſus, in Patriarcham Hieroſolymorum eſt electus; ſed antequam illuc iter arriperet, factus eſt Senonenſis Archiepiſcopus.*

---

*Charta Reginae Iſamburgis de dotalitio ſuo.*

Ex Lib. VII. Miſc. Bal. pag. 145. An. 1193.

PHilippus &c. Notum &c. quod nos Egemburgi nobiliſſimae cariſſimi noſtri Regis Daciae ſorori, quam per Dei gratiam ducimus in uxorem, donamus in dotalicium quicquid pertinet ad praepoſituram Aurelianenſem & Checiacum & Caſtrum novum & Novillam. Quod ut perpetuam obtineat firmitatem &c. Actum Ambianis anno Domini MCXCIII.

---

*Charta Reginae Iſamburgis ſuper compoſitione facta inter Regem Ludovicum & ipſam.*

Ex L. VII. Miſc. Bal. pag. 146. An. 1213.

IN nomine ſanctae & individuae trinitatis. Amen. I. Dei gratia Franciae Regina. Noverint univerſi praeſentes pariter & futuri quod de Aurelianis, de Checiaco, de Caſtro novo, & de Novilla, quae nos tenemus nomine dotalici quod nobis fecit bonae memoriae Philippus cariſſimus maritus noſter quondam Rex Franciae, de voluntate cariſſimi Domini noſtri Ludovici Regis Franciae & noſtra ordinatum eſt in hunc modum. Quod dictus Ludovicus Rex Franciae pro bono pacis nobis dimiſit blada & vina civitatis Aurelianenſis quae debentur ratione praepoſiturae Aurelianenſis & quae continentur in praepoſitura Aurelianenſi & in villis ejuſdem praepoſiturae, & talliam panis & vini Aurelianen. ſicut tempore cariſſimi mariti noſtri Philippi quondam Regis Franciae ſolebat ibidem colligi & hominagia pertinentia tam ad Aurelianenſem quam ad alias villas praedictas, ſalva ligeitate, ſalvo exercitu & equitatione ſupradicti Ludovici Regis Franciae, quae ſibi retinuit ſuper Milites & alios homines locorum praedictorum qui facient nobis hominagia. Nos vero exercitum vel equitationem vel auxilium exercitus ſeu equitationis Ludovico Regi Franciae non faciemus memorato. Conceſſit etiam nobis idem Ludovicus Franciae Rex decanatum ſancti Aniani Aurelian. conferendum quotiens & quando vacaverit, quandiu dictum tenebimus dotalicium; & inde faciet nobis Decanus hominagium. Conceſſit autem nobis idem Ludovicus Rex Franciae ut in foreſta de Lagio percipiamus per liberationem ſervientum ſuorum merrenium ad reaedificandum & reparandum domos noſtras de Aurelianis & de Caſtro novo quantum neceſſe fuerit competenter. Et ad ardere noſtrum percipiemus in ipſa foreſta quantum nobis opus fuerit competenter. De Judaeis vero taliter ordinatum eſt, quod ad praeſens habebimus redemptionem Judaeorum de Aurelianis, de Checiaco, & de Caſtro novo. Praeterea conceſſit nobis idem Ludovicus Rex Franciae centum libratas redditus aſſidendas extra civitates, Fortericias, & caſtra in provincia Remenſi vel in provincia Senonenſi, vel ſi maluerimus* provinciis in Ambianis, ita quod illas centum libratas reddi- *f. percipiendas*
tus tenebimus in manu noſtra quandiu nobis placuerit & pro voluntate noſtra eas dare poterimus in altero archiepiſcopatuum praedictorum in perpetuam eleemoſinam pro ſalute animae felicis memoriae cariſſimi mariti noſtri Philippi quondam Regis Franciae & noſtrae & anteceſſorum noſtrorum & pro remedio animae Domini Ludovici Regis Franciae & anteceſſorum ſuorum. Propter haec autem ipſi Ludovico Regi Franciae & ejus haeredibus in perpetuum quitavimus univerſa mobilia & immobilia & omnes acquiſitiones ac res alias univerſas quas a Domino Rege Ludovico petere poteramus vel debebamus aliqua ratione, & hanc quitationem firmavimus Domino Ludovico Regi per noſtrae fidei interpoſitionem in manu venerabilis patris & amici noſtri G. Silvanectenſis Epiſcopi Franciae Cancellarii coram venerabilibus patribus Archiepiſcopo Bituricenſi, Carnotenſi & Aurelianenſi Epiſcopis, & coram viris nobilibus Philippo Comite Bolonienſi, R. Comite Drocenſi, R. de Cortenajo Franciae Buticulario, Bartholomaeo de Roia Franciae Camerario, Stephano de Sacrocaeſare, & multis aliis tam Baronibus quam Militibus ac clericis & laicis. Quae omnia ut perpetuae ſtabilitatis robur obtineant, ſigilli noſtri auctoritate praeſentem paginam fecimus roborari. Actum Lorriacum anno incarnati verbi MCCXXIII. menſe Auguſto.

---

*Charta de dono quod Iſemburgis Regina fecit magiſtro Gilleberto.*

LUdovicus &c. Notum &c. quod nos ad pre- An. 1224.
ces cariſſimae Dominae noſtrae I. Reginae Franciae illuſtris conceſſimus dilecto noſtro magiſtro Gilleberto de ſancto Jacobo propter ſervitium quod eidem Reginae impendit ut ipſa Regina donet eidem magiſtro Gilleberto quadraginta libras Pariſienſes de redditu percipiendas annuatim in praepoſitura Aurelianenſi quandiu vivet magiſter Gillebertus duobus terminis, videlicet medietatem in aſcenſione Domini, & aliam medietatem in feſto omnium ſanctorum. In cujus rei memoriam &c. Actum apud ſanctum Germanum in Laya anno Domini MCCXXIIII. menſe Martio.

---

## JOANNIS EPISCOPI

*Lemovicenſis & collegarum ejus a ſede apoſtolica delegatorum in cauſa electionis Epiſcopi Toloſani.*

JOannes Dei gratia Lemovicenſis Epiſcopus & Ex L. VI. Miſc. Bal. pag. 457.
P. Majoris ſilvae & R. de Corona Abbates Capitulo Narbonenſi ſalutem in Domino. Credimus ad veſtram audientiam perveniſſe qualiter Eccleſia Toloſana proprio viduata paſtore propter diſ- An. 1201;
ſenſiones & jurgia afflicta ſit diu laboribus & expenſis. Sane cum poſt multas contentiones dilectum Raymundum Archidiaconum Agennenſem unanimiter & concorditer elegiſſent, & de perſona ipſius mul-

multa apostolicae sanctitati falso & detractorie fuissent proposita, placuit apostolicae celsitudini inquisitionem eorum nostrae committere parvitati. Unde habita diligenti inquisitione, cum nullus omnino compareret qui in electione ipsius aliquid objiceret vel persona unde ejus deberet promotio impediri, facta nobis fide plenissima de electione concordi, de idoneitate etiam personae multarum ecclesiasticarum testimonia recepimus personarum & Ecclesiarum. Unde virorum prudentum consilio requisito ipsam electionem apostolica auctoritate confirmavimus, & juxta mandatum apostolicum Metropolitano suo, scilicet Domino Narbonensi, mittimus consecrandum. Unde universitatem vestram exhortantes praecipimus apostolici auctoritate mandati quatinus modis omnibus studium & operam impendatis quod Dominus Narbonensis vel ad minus vicarius ejus secundum morem Ecclesiae vestrae, accito etiam numero collegarum, ei munus consecrationis impendat, ne memorata Ecclesia Tolosana aliquod ulterius periculum subeat vel gravamen, & hoc nullius appellatione vel contradictione obstante. Haec est enim expressa forma rescripti apostolici. In quoslibet etiam contradictores puniendi & compescendi plenam recepimus per censuram ecclesiasticam potestatem.

Vide cap. *Per inquisitionem*, & cap. *In causis* De electione. Ex capite porro *Per inquisitionem* apparet Raymundum vere fuisse Episcopum Tolosanum. Itaque existimandum est eum fuisse depositum cum constitisset illum per subreptionem obtinuisse confirmationem electionis suae.

---

## LITTERÆ CAPITULI REMENSIS

### *Ad Abbatem Claravallensem, qui est in Episcopum electus.*

Ex Lib. II. Misc. Bal. pag. 245.

An. 1204.

BOnorum omnium elargitor, qui fidelium actus in suae beneplacito voluntatis disponit, actiones & voluntates nostras ita reddidit uniformes quod post felicis memoriae Wilielmi Archiepiscopi Remensis vos in patrem elegimus & pastorem. Unde gaudet Ecclesia, serenissimus Rex Francorum plurimum conlaetatur, & plebs universa congaudet quod Claravallensis Abbas obtinet sedem Remensem, qui virtutum claritudine metropolitanam faciet Ecclesiam refulgere. Vestram igitur sanctitatem confidentius exoramus quatenus electionem recipere dignemini, nobis terminum aliquem praefigentes in quo pro nobis venire honorabiliter debeamus.

### *Responsiva electi electioni renuntiantis.*

Licet fueritis in eligendo concordes, in electionis tamen serie oberrastis, cum illum duxistis ad secularia revocare qui jam postposito Marthae ministerio, appetit caelestia contemplari. Ne igitur in vanum ulterius laboretis, vobis tenore praesentium innotescat quod electioni penitus renuntio, nec unquam alicujus honorem suscipiam praesulatus.

### *Litterae iterum Capituli ad eundem.*

Ecclesia Remensis fracto archiepiscopali temone sine remige naufragatur. Et iccirco vos elegimus in Archipraesulem & pastorem, quoniam in alio nequimus esse concordes. Unde miramur quod electioni tam concorditer factae renuntiare duxistis, non attendentes quod beatissimi Nicolaus & Martinus conservando regulae monasticae disciplinam in pontificalibus cathedris resederunt, in quibus multa caritatis opera exercentes, signis & miraculis coruscarunt, & hodie ipsorum merita noscuntur in domo Domini relucere. Paternitati vestrae igitur confidentius supplicamus ut votis nostris clementer annuere dignemini & electioni factae dilatione postposita consentire. Alioquin per summum Pontificem cogemini subire archiepiscopale onus quod ad fublicies & humiles persuasiones fidelium suscipere denegatis.

### *Responsiva electi contradicentis.*

Cum nuper inter Claravallensis ordinis fratres in pace solita permanerem, fratrum regimini ex assumpto administrationis immo servitutis officio superintendens, insufficientiae meae vestris litteris intimastis quod me in Archiepiscopum elegeratis; cujus electioni renuntiavi penitus, prout meis litteris potuistis evidentius intueri. Sed postmodum ex parte universitatis vestrae fuerunt mihi litterae apportatae in quibus continebatur quod me per summum Pontificem cogeretis. In quo plurimum fui secundum vestrum hominem conturbatus; quia non decet ordinem monachalem in archiepiscopali cathedra residere, & maxime cum juxta nominis interpretationem monachus unus tristis dicatur, & monasterium statio unius. Non esset igitur mutatio dexterae excelsi, sed fieret ordo retrogradus & ingressibilis ad mundana. Ceterum qui monachus in urbe, vel qui debet agere solitarius inter plebeias catervas, diceretur quidem a multis: Non dimisit seculum ut transitoria fugeret & caduca, & iterum velut canis immundissimus revertitur ad vomitum, & qui consueverat legumina sumere cum actionibus gratiarum, nunc mella fastidit & cibaria delicata, super palafredum rotans undique phaleratum, inebriando se vino, in quo est luxuria, loco aquae simplicis quam sumi praedicat regula monachalis. Nec tenet similitudo quam de beatissimis Nicolao & Martino proponitis: quia tunc non habebant castella & arces Ecclesiae cathedrales, nec incedebant Pontifices loricati. Sed nunc propter superabundantiam temporalium rerum flamma, ferro, caede possessiones Ecclesiarum Praelati defendunt, quas deberent pauperibus erogare. Quapropter electioni renuntiavi & iterato renuntio, cupiens sedere ad pedes Domini cum Maria, quicquid Dominus Papa referat; qui licet ligandi & solvendi habeat potestatem, non tamen debet nec valet sanctum spiritum prohibere.

---

## MANDATA VELLETRENSIBUS,

### *Coranis, & Sarminitanis data ab Hugolino Episcopo Ostiensi pro conservanda pace cum Nimphanis & Sitinis.*

DOminus Hugolinus Ostiensis & Velletrensis Episcopus pro facienda & conservanda pace fecit mandata quae inferius continentur Velletrensibus, Coranis, & Sarminitanis ex una parte, Nimphanis, Sitinis, & Jordano procuratori Sanguinei castellani Aquae putridae ex altera. Circa annum 1207.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Ego Hugolinus Ostiensis & Velletrensis Episcopus praecipio vobis Velletrensibus, Coranis, & Sarminitanis ex parte Domini Papae & mea ex debito praestiti juramenti Domino Papae & mihi & poena fidejussionis promissa ut reddatis veram, puram, & perpetuam pacem Nimphanis, Sitinis, Sanguineo, fratribus & nepotibus suis, & hominibus Aquae putridae, & securitatem personis & rebus eorum, ita quod nullam de cetero guerram, discordiam, vel controversiam faciatis pro omnibus captionibus, & captivis, incendiis, discordiis, & rapinis, damnis & offensionibus universis datis vobis vel aliquibus de parte vestra a Nimphanis, Sitinis, Sanguineo & hominibus Aquae putridae, vel aliquibus de parte eorum.

Item praecipio vobis Nimphanis & Sitinis & tibi Jordano procuratori Sanguinei castellani Aquae putridae ex parte Domini Papae & mea ex debito praestiti juramenti Domino Papae & mihi & poe-

na

na fidejussionis promissa, ut reddatis veram, puram, plenam, & perpetuam pacem Velletrensibus, Coranis, & Sarminitanis, & securitatem personis eorum, ita quod nullam de cetero guerram, discordiam, vel controversiam faciatis pro omnibus captionibus & captivis, incendiis, discordiis, & rapinis, damnis & offensionibus universis datis vobis vel aliquibus de parte vestra a Velletrensibus, Coranis, Sarminitanis, vel aliquibus de parte eorum.

Item praecipio vobis Velletrensibus ex parte Domini Papae & mea ex debito praestiti juramenti Domino Papae & mihi & poena fidejussionis promissa ut servetis de cetero inviolabiliter pacem Nimphanis secundum formam datam olim a me, quae in instrumentis publicis continetur factis per manus Oddonis & Alberici judicum Velletrensium & Berardi scriniarii Nimphani, exceptis omnibus capitulis in quibus de mandato meo a Nimphanis est vobis Velletrensibus satisfactum; hoc adjecto, ut si quando necessitate cogente equitaveritis contra eos, tribus diebus ante ipsis denuntiare curetis. Et tunc si equitaveritis, equitabitis sine occisione, mutilatione, & incendio. Et haec omnia praecipio salva in omnibus Dei omnipotentis reverentia & honore, salvo mandato Domini Papae & ejus adjectione & declaratione.

Item praecipio vobis Nimphanis ex parte Domini Papae & mea ex debito praestiti juramenti Domino Papae & mihi & poena fidejussionis promissa ut de cetero servetis inviolabiliter pacem Velletrensibus & secundum formam datam olim, quae in instrumentis publicis continetur factis per manus Oddonis & Alberici judicum Velletrensium & Berardi scriniarii Nimphani, exceptis omnibus illis capitulis in quibus de mandato meo a vobis est Velletrensibus satisfactum; hoc adjecto, ut si quando necessitate cogente equitaveritis contra eos, tribus diebus ante ipsis denuntiare curetis. Et tunc si equitaveritis, equitabitis sine occisione, mutilatione, & incendio. Et haec omnia praecipio salva in omnibus Dei omnipotentis reverentia & honore, & salvo mandato Domini Papae & ejus adjectione & declaratione, & salvis omnibus justitiis apostolicae sedis, & juramento praestito Comiti Jacobo Domini Papae Marescalco.

Conligationes praeterea, societates, & juramenta hinc inde facta cum aliquibus contra formam pacis & praestita juramenta & pro faciendo guerra, quia contra Deum sunt, & bonum pacis impediunt, irrita omnino decerno. Et omnes quicunque conligationes, societates, vel juramenta praedicta fecerunt denuntio juramentis talibus non teneri, maxime cum per apostolicam sedem societates & conligationes hujusmodi sint specialiter interdictae.

Tenutas vero & possessiones Nimphanis, Sitiuis, Coranis, & Sarminitanis, & hominibus Aquae putridae, & aliis omnibus praecipio esse salvas. Et si super eis aliquid, quod absit, exortum fuerit quaestionis, ad superioris judicium recurratur, vel si malueritis, per arbitros aut amicabili concordia terminetur.

Et sopradicta omnia praecipio sub poena mille librarum, praeter praedictas poenas; cujus medietas Ecclesiae Romanae, alia vero parti quae contra formam pacis & mandata praedicta offensa fuerit persolvatur. Et salvis omnibus aliis mandatis quae Dominus Papa vel ego per nos ipsos litteris vel nuntio utrique parti duxerimus facienda.

---

## ALPHONSI REGIS CASTELLÆ

*Epistola ad Philippum Augustum Francorum Regem, qua ab eo petit auxilium adversus Sarracenos.*

SErenissimo Domino Philippo Dei gratia Francorum Regi Alfusus eadem gratia Catillensium Rex, salutem in eo qui dat salutem Regibus. Dubitare mori nemo debet pro Christi nomine, cum legatur Christum mortem pro populo pertulisse. Semen Chanaan, & non Juda, violenta progenies, incircumcisus populus & immundus, maculatae mentis & conscientiae gentiles regno proximi sunt & confines, vasa mortis in manibus suis continentes, nos & sanctae fidei professores tam innata malitia quam assueta perfidia persequuntur. Ab eis non minus quam mortem expectamus. Proh pudor! & in ministros altaris non desinunt degrassari. Gaudium eorum est & affectus mutilare servos simul & filios crucifixi. Memoramus quod idololatrae Trinitatis hostes nostrum sanguinem sitientes in nostras animas conjurarunt. Sed nos offerre volentes nosmetipsos sacrificium Deo in odorem suavitatis, in instanti die Maii cum eis qui viam pacis minime cognoverunt, ante quorum oculos Dei timor non est, sumus proculdubio confligturi, firmiter confidentes quod licet pauci simus, & ipsi multiplicati sint in equis & curribus necnon & numero, de caelo nobis adveniet fortitudo. Cum igitur morum integritati solitum debeatis & vallum fidei providere, serenitati vestrae preces porrigimus cum singultu quatenus de regno vestro vernaculos expeditos & armatos milites ad nostrum coadjutorium transmittatis, nihil dubitantes quia si sanguis noster in conflictu Christi respondet sanguini, vere poterimus inter martyres computari. *Anno 1210. vide Roder. Tolet. lib. 8. c. 2. & Marian. lib. 11. c. 23.*

---

# FREDERICI II. IMPERATORIS

## ET REGIS SICILIÆ

# EPISTOLÆ NOVEM

## AD DIVERSOS.

### *I. Ad Hugolinum Episcopum Ostiensem.*

*Ex L. I. Misc. Bal. pag. 446.*

*Anno 1221. Raynald. ad an. 1221. §. 3.*

FRedericus Dei gratia Romanorum Imperator semper augustus & Rex Siciliae carissimo in Christo patri & amico suo Hugolino eadem gratia Ostiensi Episcopo apostolicae sedis Legato salutem & sincerae dilectionis affectum. Jocundæ famae felicitas & felicis rumoris jocunditas, quae dilecto fideli nostro Reginensi Episcopo referente nostris auribus sonuerunt, immensae prosperitatis gaudio fecerunt nos secundum utrumque hominem in Domino prosperari. Retulit namque nobis venerabilem patrem nostrum Honorium summum Pontificem vos promotioni negotii crucis immo totius populi Christiani consulto consilio deputasse, vobis per Lombardiam & Tusciam concesso plenae legationis officio, propter hoc, sicut speramus, feliciter promovendum. Gaudeat igitur Romana Ecclesia, quia negotium multis ini-

tia-

tiatum laboribus optatum finem indubitanter assumet. Gaudemus & nos, quia vir fama integer, religione perspicuus, vita purus, faecundia eloquentissimus, & claris virtutum & scientiae titulis circumspectus, ad animandum eos in quos exprobrantium nomen Christi opprobria ceciderunt tam utiliter quam efficaciter destinatur, ut secularibus desideriis abnegatis, vexillum salutiferae crucis assumant, ipsum toto mentis desiderio requirentes. Gaudere debet & totus populus Christianus, quia terra quam Christus nostra salus proprio sanguine dedicavit, a longo tempore horrendis Agarenorum spurcitiis, non sua potentia, sed nostris peccatis exigentibus, conculcata, ipsis ab hereditate Domini brachio virtutis divinae rejectis, ad verum & ineffabilem Christi cultum per vestrum ministerium reducetur. Et quidem licet ea simus devotione subjecti sanctae Romanae Ecclesiae matri nostrae ut credamus quemlibet missum de latere summi Pontificis patris nostri facere dignum fructum, tamen sicut stellae in firmamento a se invicem differentius lumen habent, & alia magis, alia minus lucet, sic salva reverentia aliorum firmam spem gerimus & indubitatam dante Domino fiduciam obtinemus quod prae cunctis qui huic essent ministerio deputati, vestrum verbum igne caritatis accensum gratum fructum afferet nomini sancto Dei & toti populo Christi charactere insignito. Nam ex retroactis infallibilem de futuris elicimus conjecturam. Ut igitur efficacius & expeditius possitis hoc tam pium & salubre negotium promovere, vobis Imperialis celsitudinis auctoritate plenam concedimus potestatem ut omnes illos qui per terram vestrae legationis sunt suppositi nostro banno, dum tamen plene super hoc vestris curaverint obedire mandatis, in favorem praedicti negotii, quod magis humeris nostrae majestatis incumbit, & ardentius quam aliquod aliud cupimus promovere, ab ipso banno, cum expedire videritis, absolvere valeatis. Quicquid enim super hoc duxeritis faciendum, firmitatem volumus inviolabilem obtinere. Nos enim, qui a matre nostra Romana Ecclesia culmina in hoc saeculo summae felicitatis accepimus, quicquid sua in hoc negotio & alio fuerit deliberatione statutum, intemerata volumus stabilitate vigere. Datum Salerni IV. Idus Februarii, Indictione nona.

---

*II. Edictum de terra Comitissae Mathildis.*

An. 1221. Raynald ad ann. 1221. §. 29.

FRedericus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus & Rex Siciliae. Per praesens scriptum notum facimus universis tam praesentibus quam futuris quod cum ad resignationem comitatus, terrae, & poderis quondam Comitissae Matildis faciendam sanctae Romanae Ecclesiae venerabili matri nostrae, ad quam pertinet pleno jure, serenitas nostra contra quoslibet detentores speciale mandatum dederit hac etiam generale tam per litteras quam per dilectum fidelem Conradum venerabilem Metensem & Spirensem Episcopum Cancellarium nostrum sub poena mille marcharum argenti, & dictus Cancellarius castrum Gonzag. cum pertinentiis suis, quod est de comitatu Comitissae praedictae, invenerit occupatum a filiis Comitum Alberti de Casalod. & Nerisii, quibus sub poena praedicta injunxerit resignandum, & idem super hoc parere contempserint ad non modicam injuriam regiae majestatis, propter quod sine alia citatione in metum aliorum, praeter poenam praedictam, animadvertendum erat in eos, tamen ut excellentia nostra potius ad veniam quam ad vindictam pronior videretur, laboravimus per ipsorum amicos & consanguineos, cum citati non comparuerint coram nobis, ut sine metu poenae nobis resignarent castrum ipsum, & mandatum nostrum contempserint in hac parte, de consilio venerabilium Principum nostrorum Patriarchae Aquilegensis, Episcoporum Tridentini, Brixinensis, Vicentini, Paduani, Feltrensis, Mantuani, Cremonensis, Bergamensis, Laudensis, Parmensis, Astensis, & Taurinensis, taliter contra eos duximus procedendum, confirmantes primo quod factum est contra eos de banno & poena injuncta per Cancellarium memoratum, & ex nunc personas ipsorum ponimus sub perpetuo banno imperii, & etiam bona eorum jubemus, ubicunque fuerint, confiscari sine aliqua spe remissionis seu revocationis, si usque ad diem dominicum proxime venturum dictum castrum cum omnibus pertinentiis detentis ab eis non resignaverint in manus Alatrini & Raynaldi Capellanorum Domini Papae vel eorum alterius, vel in nostras, sanctae Romanae Ecclesiae resignandum. Quod si non fecerint, quicunque de bonis ipsorum detinent, vel ex tunc occupaverint, sive quocunque alio modo acquisierint, libere possideant & auctoritate nostra detineant. Et super hoc praecipimus Cremonensibus, Parmensibus, Reginensibus, Mutinensibus, Bononiensibus, & generaliter omnibus aliis fidelibus nostris ut memoratis nobilibus & aliis adjutoribus, fautoribus, & detentoribus memorati castri faciant vivam guerram, firmiter inhibentes Mantuanis, Veronensibus, Ferrariensibus, Brixiensibus, & omnibus aliis fidelibus nostris sub obtentu fidelitatis & gratiae nostrae, communitati cuilibet praedictarum sub poena mille marcharum, Marchionibus, Comitibus, Baronibus sub poena ducentarum marcharum, Militibus centum, & aliis inferioribus quinquaginta, quod eis nullum praestent auxilium, consilium, adjutorium, vel favorem, & tam de castro praedicto quam de aliis castris, scilicet Pegugnag. Bonden. & Bonden. necnon de toto ipso comitatu, podere, ac terris Comitissae praedictae dictos Capellanos nomine Romanae Ecclesiae investivimus & eos constituimus possessores, & mandavimus de castris praedictis per venerabilem Episcopum Taurinensem vicarium nostrum in corporalem possessionem induci, praecipientes tam Militibus & habitatoribus castrorum ipsorum quam omnibus aliis vassallis de ipso comitatu seu terris & poderis Comitissae praefatae, quos omnes ad praesens absolvimus ab omni juramento quo nobis tenentur ratione terrarum ipsarum, quod dictis nuntiis Domini Papae, vel alteri eorum, seu cuilibet alii ab Ecclesia Romana misso, abjuratis aliis juramentis contrariis istis, praestent fidelitatis nomine Romanae Ecclesiae juramentum. Quod si non fecerint, sciant se ex nunc omnibus bonis comitatus, poderis, sive terrarum ab eisdem possessis hac nostra sententia in perpetuum fore privatos, & Milites & habitatores ipsius castri Gonzagae desuper ponimus in perpetuo banno nostro. Praeterea injungimus firmiter & mandamus Potestatibus, Consulibus, seu Rectoribus civitatum, sub poena mille marcharum, ut omnes possessiones comitatus praedicti detentas ab ipsis sub poena praedicta mille marcharum sine difficultate ac mora restituant, & absolvant omnes homines de comitatu & terris praedictis ab omni juramento, districtu & obligationibus quibus ratione alicujus jurisdictionis, quam hactenus exercuerunt in eos, tenentur eisdem, & removeant Consules, Rectores, Bajulos, & si quos officiales posuerunt in eis, & extrahant quoscunque posuerunt in banno de terris ipsis sub obtentu fidelitatis & gratiae nostrae; ipsis nihilominus injungentes ut dictis Capellanis, vel eorum alteri, seu cuilibet alii ad hoc a sancta Romana Ecclesia destinato, ad retinendam possessionem terrarum quas habent, & recuperandam quam non habent, praestent auxilium, consilium, & favorem. Verum quia ipsi filii dictorum Comitum nostram contempserunt sententiam & mandatum, praedictum castrum infra terminum sibi datum nequaquam ut superius legitur resignantes, nostram promulgatam sententiam contra ipsos & omnes alios detentores comitatus praedicti, poderis, seu etiam terrarum in nostra publica curia publicari fecimus, & ut firma semper & inconvulsa permaneat, majestatis nostrae sigillo jussimus communiri. Principes

autem

autem imperii & Praelati & nobiles Italiae quibus praesentibus haec omnia acta sunt, sunt hi. Patriarcha Aquilegensis, Conradus Metensis & Spirensis Episcopus imperialis aulae Cancellarius & totius Italiae Legatus, Episcopus Pitaviensis, Syfredus Augustensis Episcopus, Albertus Tridentinus Episcopus, Bertoldus Brissinensis Episcopus, Abbas Augensis, Lodowicus Dux Bavariae & Comes Palatinus Rheni, Anselmus Mariscalcus imperii, & Guarnerius de Bollandia Senescalcus, Episcopus Taurinensis & Italiae Vicarius, F. Papiensis Episcopus, O. Laudensis Episcopus, M. Mutinensis Episcopus, Henricus Bononiensis Episcopus, Azo Marchio Estensis, Matthaeus de Corrigia Potestas Papiensis, Niger Marianos Potestas Parmensis, Birrita Potestas Reginensis, Ægidius Potestas Mutinensis, Tisus de Campo sancti Petri, & alii plures. Datum in castris apud sanctum Leonem VIII. Kalend. Octobr. & publicatum apud spm Lambert pridie Kalend. mensis ejusdem anno Domini millesimo cc. xx. Indictione VIII.

*III. Adversus rebelles Italiae & de conventu indicto apud Veronam.* Scripta a Petro de Vineis.

An. 1222. INviti loquimur, sed tacere non possumus. Jam enim securis ad radicem arboris posita, & gladius fere usque ad animam transiens, labia dissolverunt. Jusque datum sceleri scribimus, & populum contumacem dexteram in viscera propria convertisse dolemus. Juri praefertur injuria, & voluntas justitiae dominatur, dum quidam Italiae populi sceptrum contemnere conantur imperii, ac etiam propriae commoditatis immemores, libertatis cujusdam vagae luxuriam quieti pacis ipsorum & aequitati justitiae praetulerunt. Nec tamen a nobis rebellionem hujusmodi sumpsisse nunc primum exordium aestimetis; sed avitas prosequimur & paternas injurias, & productam jam ad alias regiones libertatis invidiosae propaginem n timur supplantare. Sed nec ista dissimulasse nos hactenus aut conniventibus oculis pertransisse credatis. Quamprimum in nobis pubescentibus annis, ac mentis & corporis coalescente virtute, ad Romani culmen imperii, praeter spem hominum, nutu solummodo providentiae divinae conscendimus, ac regnum Siciliae, praeclara nostrae maternae successionis hereditas, ud jura nostra pervenit, aciem mentis nostrae dreximus ad praedicta; ac deinde ad consummationem propositi nostri, miserabili casu de amissione Damiatae tunc temporis materiam ministrante, cum

* Veronam. Vide Raynald ad an. 1222. §. 2. .... Papa curiam solenniter apud * duximus indicendam, ubi simul condiximus interesse. Quo proposito & volubilitate consilii motu continuo rerum praesentium immutato, nos a tanto bono recedere non volentes, ac ducentes nobiscum militum comitivam, prout imperialis excellentiae decus & tantum negotium condecebat &c. *Reliqua desunt.*

*IV. Ad Ottonem Ducem Bavariae.*

Anno 1143. FElices processus nostros, incidentia prosperorum successuum quibus Dominus exercituum provexit & provehit statum nostrum, tanto propensius ad

* f. vestra. notitiam * regiae serenitatis conferendo referimus quanto eorum insinuatione gaudetis, consortes & participes voti nostri. Primo quidem latere vos nolumus quod tam nos adjunctiva guerra Ligurium moverit ad desolationem & dispendia Romanorum. Sane populus hic durae cervicis, & ab experto jam faustu nostri sceleris odiosus, ad nos & imperium nostrum, cui totum jus suum transtulit ab antiquo, reverentiam gerens, quosdam vicinos suos fideles nostros, campestri expeditione praesumpta, frequenti obsidione aggredi & depopulari non timuit, gravia-

res iis excessus exaggerans, dum violentas manus irreverenter extendunt ad praecellentes personas, venerabiles Ecclesiae Cardinales, dilectos amicos nostros; quorum aliquos in odium nostrum duro carcere, nonnullos etiam diversis afflictionibus & penuriis coartarunt, intendentes ecclesiasticam libertatem penitus inculcare, cui velut Advocati & defensores Ecclesiae potenter adesse nos modis omnibus competebat. Cumque forent irrevocabiles ab excessu, ut nec ad satisfactionem meditarentur induci, saniori resumpta provisione consilii, quin potius ad depopulationem fidelium continuata vicissitudine temporum insaavirent, ne usu reprobo cogitantes quod nullus posset eos eruere de manibus prosequentium, nos justis motibus incitati, juste converti contra eos potentiae nostrae manum, praefigentes anno praeterito in eorum territorio castra nostra, si damna forsan illata & recens vexatio indomito populo intellectum afferent, cum pulvere labentium turrium segetes quoque ac praedis ferro flammaque vastata, quorum fumus teterrima bellica praenuntiis eos poterit edocere, & prae foribus urbis uspicerent & victrices imperii aquilas suae praesumptionis ultrices eorum vinculis insistentes a longe formidaret, coram quibus illa dudum magni nominis Roma & ingentis linguae populus & potius latere condixerat quam videri. Denuo in praesenti ad verba ipsorum insanuerat viros eorum per vaniloquia jactitantes quod noster ad eos tam vicinus non tentaretur accessus, arma paravimus, nostram & quorumdam fidelium provinciarum nostrarum potentiam convocantes; cum quibus contra jactantia eorum viciniora praedia urbis adivimus; ut ubi castris nostris admotis praeelecta militia & infinita copia peditum armatorum, cui * patrem libitus Anibaldi vix legitur habuisse, quam-plures dies * parum Lybicus Hanibal. publicis eorum depopulationibus noster instabat victoriosus exercitus, per quem deforis gladio & intus pavore nimio premebantur; nec abinde recedere credebamus nisi Roma per caedes & damna publica humiliata foret & penitus consternata. Demum praevenerunt nos venerabiles Cardinales Anagniae commorantes per solemnes nuntios ad nostrum exercitum destinatos, videlicet venerabiles Rothomagensem & Messanensem Archiepiscopos & . . & . . Episcopos, pro parte totius universalis Ecclesiae ac ipsorum attentius supplicantes quatenus fratres eorum, qui erant Romae, praesente Praetoribus Romanis exercitu aggredi formidabant, & cum eis ad provisionem Ecclesiae, de qua apud eos ferventer instabat voluntas, apud Anagniam convenire, castra nostra de . . dignaremur praesidiis removere, ne propter nos provisionem ecclesiasticam impediri contingeret vel differri, data nobis insuper de creatione summi Pontificis indubitata fiducia procedendi. Nos igitur summo zelo clementer inducti quod apostolicae sedi per summam unitatem & concordiam debeat provideri, primo magistrum Ottonem sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, ac demum Penestrinum Episcopum, de cujus deliberatione vix a voluntate nostra propria obtinere conscientia confidat Vide Oder. Raynald. ad ann. 1143. c. 5. & seq. praeter spem & creditum, ut miraculosius accideret, insperatum ad fratres praedictos petentes cum instantia remisimus de nostra custodia liberatos; ac subsequenter Praelatos caeteros, Abbates, & Clericos transalpinos, cum eorum familiis, pro quibus omnibus preces recolimus recepisse, ob honorem vestrum liberos abire permisimus; licet remotio castrorum nostrorum nobis & nostris fidelibus molestius offerretur, salutis apostolicae provisionis commoda cogitantes, omni utilitate publica & speciali postposita, prorsus a finibus Romania abscessimus, necessariis contra Romanos in terris nostrorum fidelium praesidiis ordinandis ad resistendum Romanis, si procedere attentarent. Speramus autem, juxta praestitam nobis fidem & provisionem infallibilem atque firmam quod Ecclesiae Dei concorditer providerunt ad publica diffidia removenda. Caeterum ad tractandum & ordinandum consummationem matrimonialis

lis

lis foederis inter Conradum de .. in Romanorum Regem electum & regni Hierosolymitani heredem & dilectam filiam nostram Isabellam sororem vestram venerabilem Cluniacensem Abbatem & magistrum Gualterum de Oera Notarium & fidelem nostrum excellentiae nostrae Legatos & nuncios speciales duximus ad vestram praesentiam destinandos.

*V. Ad universos regni fideles.*

An. 1243. IMperator universis regni fidelibus. Excelsus super omnes gentes Dominus orbis acephali calamitati compatiens emisit de altitudine montium manum suam, ut tabernacula seniorum alienigenis jam inhabitata colonis & sanctuaria Jesu Christi minus dignis polluta ministris purgaret a vitio, expiaret a scelere, & universalis orbitatis umbraculum, superstitionis rejecta caligine, illuminaret speculo claritatis. Nullum enim, ut credimus, praesentes latet latebras mundi latus, nullius aures surdae praetereunt quantae tribulationis modus in orbe resultaverit & in urbe, quantaeque seditionis involucrum antiquus attulerit persequutor, qui, si veritas sub nube non lateat, tantum in dominica vinea virus evomuit quod nisi filius Dei vivi, qui ad redemptionem humani generis, quod de limo terrae transumpserat, subire martyrium non expavit, suae clementiae dexteram non movisset, in piscatoris naufragante navicula periisset populus Christianus, dum Petrus in altis habitans non respiciebat in petram, nec ejus successio transferebatur in posteros; & sic cupiditatis insurgente vindicta, plorabat Ecclesia viduitatis instantiam, dolebat populus contumelias generales, nec in ministrorum ore frequens prodeat alleluya. Nam praeter oppressiones innumeras & oppressorum incursus, quibus desolatae matris latera lacerantur, sic ad proximos ictus praeteritos fidelium retorquetur aspectus quod consolationis remedium mundus nequaquam assumere poterat, dum mater Ecclesia, quam Christus in petra fundavit, debebat erigi, tum opprimi contingebat; dum debebat alicujus suffragii vigore refulgere, tunc in majori conflictu, tam grandem, tam utilem virum perdidit & rectorem. Ex suis etenim gestis colligitur, & ex operum fructibus indubitanter innuitur quoniam pastor utilis, quoniam rector idoneus fuerit recolendae memoriae Gregorius Papa nonus, qui gregem sibi creditum ab iniquorum incursibus pro posse servans illaesum, pro suis ovibus animam suam ponere non expavit, donec ipsam in Abrahae gremio resignavit & spiritum reddidit Deo nostro, quem multis afflictionum generibus in his conflictibus lacessivit. Cujus praesidio privata mater Ecclesia, ne veneno posset veteris serpentis involvi, ubi nulla profuisset tunc temporis tyriaca, supplicavit ad Dominum, ut tantae desolationi compatiens, ejus miseriis misericorditer consolaret. Ad cujus clamores assiduos manus omnipotentis excitata, de fervore solito faciendo virtutem, de congruo sponso providit Ecclesiae, mittens de caelesti caenaculo Caelestinum: in cujus substitutione Pontificis satis utiliter provisum fuisset Ecclesiae, nisi mortis imperium, quo Reges privantur regimine & Principes principatum amittunt, suae novitatis primordia de medio sustulisset: quem sic raptum subito, sic repente subtractum, sedentis super flumina Babylonis matris viduatae compassio tanto lacrymabilius deploravit quanto recentis doloris, suscitato praeterito, reliquiae remanserant deplorandae. Nondum etenim prioris vulneris cicatricis signa transierant, nondum primaevi doloris fumus in altum ascenderat, & sic amaritudini conjuncta calamitas fluctibus addidit tempestatem. O quam mirabilem fallendi modum! Fallacia siquidem mortalis includit, quae discreta prorsus a tredecim concepta peremptoriis, exceptiones dilatorias non admittit, ex necessariis semper terminis syllogizans. Numquid enim unum tibi sustulisse suffecerat, ubi successore secundo desolatae matris gremium continuatis lacrymis viduavit, ut ad minus quod in uno ploraverat, in alio solaretur, quae dolorem cum gaudio temperans, terminavit gaudium in dolore, & sic ejus evangelio lugubri totum praedicato per orbem, cum nulla spes remedii superesset Ecclesiae, cujus tribulationum publica notio se per universos orbis angulos publicarat, piae matris affectus, quam squalor viduitatis & desolationis affecerat, ad Dominum, dum tribularetur, coadunatis vocibus filiorum, qui hujus doloris pungebantur aculeis, exclamavit; & ne pericula circumstantis angustiae, quae periclitari temporis necessitas exigebat, in altum forte succrescerent, voce clamantis caelum tertium penetrante, & a vultu Dei prodeunte judicio, petentis petitio se sentiit exauditam, quod mater optaverat, voto desiderantis advenit, & aspergens aquas in itineribus suis, vocem abyssus protulit ab altitudine phantasiae. Ac licet hoc fama paranympha processuum expectantium auribus ex affectus anxietate praedixerit, ut tamen in certius laudis canticum prorumpatur, quod cum *Gloria in excelsis Deo* referimus, creatum desuper in Ecclesia Romana Pontificem praesens epistola laetabunda describit. Quod tanto solemnius movere debet corda fidelium quanto consultius orbis angustiis, quae jam hostis antiqui nequitia variis tentatione seduxerat, cujus est a summo caelo egressio, suae gratiae infusione providit. Canite igitur tuba & cytara, canite Deo nostro, qui suum prosequendo negotium, Papam concessit populo, patrem filiis, virum viduae, pastorem ovibus, & in altis habitans respexit humilia, largitus mundo perituro rectorem. Vide Odor. Raynal ad ann. 1243. §. 10.

*VI. Ad universos papali vocatione vocatos.*

Ann. 1245. UNiversis papali vocatione vocatis. Scribens in ambiguo mandato mandatis sic habere providentiae spiritum & intelligentiae complementum quod per improvidentiae lubricum inter praeparatos laqueos non labantur & in plicas inexplicabiles non plicentur. Ad cognoscendum itaque quid in vocatione vocatis expediat fieri, considerando sunt omnia per quae via tutior posset eligi, & habendum super hoc a vobis Consilium tam prudenter quam utiliter terminari. Nam prius, ut arbitror, debet attendi forma rescripti, videri motus scribentis, considerari causa mandati, pensari, si posset, intentio mandaturis, debitae executioni mandari, & tam eminentium quam latentium periculorum inevitabilis multitudo provida circumspectione vitari. Quae qui plene cognosceret, de facili scire posset quid in hoc vocatis ambiguo facere expediret. Ut autem de gravioribus discussio prima fiat, primo periculorum concurrentium universitas in statera prudentis examinis singulariter appendatur. Sunt enim tot & tanta pericula in terra, in aëre, & in mari quod humana prudentia non poterunt evitari: quae si quis inopinato casu forsan evaserit, urbis tamen & urbana pericula non evadet. Sed quia per terram patet potius violentia moriendi quam possibilitas transeundi, de terrae periculis praetermisso, plurium aliorum concurrentium aliunde saevitiam primitus attendatis quam vos eis improvide ingeratis: quia tutius est ante discrimina resilire quam se discriminibus inexplicabiliter implicare, cautiusque videtur morborum principia prudenti remedio praevenire quam post invalescentiam aegritudinum infructuoso medicamine medicare. Sunt autem haec in mari pericula, panis indigestibilis & bis coctus, vinum continua maris turbatione turbatum, aqua sui corruptione vermium generatione foecunda, infectione sua totum inficiens cui miscetur, quae nisi clausis oculis & dentibus tamen cum abominatione pessima potest bibi. Est enim in mari ventorum rabies inevitabilis & improvisa, qua dum Romam applicare credetis, repente vas in barbaras vos projiciet nationes; ubi erit linguae vestrae ignorantia,

legis

legis perversitas, amissio libertatis, & captivitatis perpetuae desolamen. Insurgit insuper in momento quaedam in mari saevitia tempestatis, quae subito montes fluctuosos & fluctus parturit montuosos, quorum concussione quandoque navis in caelum impulsa creditur ascendere, & versa vice velociter videtur descendere in profundum. Est etiam in mari periculum, ruina navis incauta, vel ex concussione fluctuum ejus confractio, vel submersio in profuodum, & ea ejus confractione vel submersione impossibilitas evadendi. Accidit quoque plerumque quod inextensa carbasa turbinis impetus sic irrumpit quod statim ut eam rumpit, destruit remigem, frangit malum; sicque navis destituta debitis munimentis, tempestatibus & ventis exposita fluctuat in fluctibus peritura. Sunt praeter haec in mari pericula piratarum: qui si vobis occurrent, in vos taliter irruent quod, praeter alia flagitia inferenda, personas cum rebus capient vel submergent. Cumque navigatur in portu, frequenter evenit quod ex concussione navis in terram vel petram in portu pereunt navigantes, vel subita ventorum impulsio veniens ex adverso sic eos a portu repellat quod consumptis cibariis eos in mari latitudine periculorum saevitiam, quam jam evasisse credebant, impetit & impellit; ubi, nisi periculis pereant, saltem fame & siti peribunt. Praeter haec, quaedam etiam inevitabilis periculorum abominatio, quam tolerare vel evadere nullus potest: quia cum repentinas mutationes natura non sustineat, propter mutationem aeris & aborum & motum violentum ac continua continue stomachus vi provocatur ad vomitum; quod cum abominatione recipit, evomit cum dolore; sicque frequenter, ubi secundum diversas naturas diversimode ex diversis tanta ventris constipatio quod ventris virtus naturaliter expulsiva motum animi amittere cogitur naturalem, quandoque tanta est dissolutio quod vix remanere videntur intrinsecus intestina. Cumque navis, licet parva, receptaculum fit multorum, fit ibi distinctio locorum secundum multitudinem contentorum, & pressura premente unus juxta alium morborum perversitate torquetur; motumque ventris tam violenter quam inevitabiliter expulsivum superius & inferius patientes infirmi quidam subtus, quidam supra, non in loco talibus deputato publice, inter omnem ventris putredinem coguntur admittere defectu virtutis propriae continentiem, sic quod juxta peregrinum nullus moritur peregrinus, & in mari projicitur semivivus, & abominationes intolerabiles extraneus ab extraneo cogitur tolerare, quas nequaquam in terra de patre vel de filio sustineret. Et si potentes propter potentiam hujusmodi pressuras evaserint, firmiter tamen aerem corruptum ex mortuorum & infirmorum corruptionibus ascendentem non poterunt evitare. Cumque sit ibi infirmorum mistio & sanorum, velut ignis ardentis inflammatio in domos continuas morborum contagiosa diversitas ab una in aliam transvolat & prorumpit, sicque de mille vix unus evaderet nisi mortuus vel infirmus. Quod si forte aliquis remanserit semivivus, in terra maris & morbi concepto contagio morietur. Vel si mortem evaderet, morbum interminabilem non evadet, ut perpetuo languore detentus non possit propitia vita frui, sed continua morte mori; multaque maris corruptio corruptis humoribus & aeris corruptione infectis spiritibus de mari redeunt sic corrupti quod sepulchri vel inferni faciem afferre videntur & possunt potius monstra quam homines judicari. Sed cum metalla quaelibet in mari naturali colore innaturabiliter destituta, maris violentia, colorem cogantur inducere peregrinum, quid mirum si quolibet momento mutabilis humana natura nequeat sustinere quae metallorum non potest insensibilitas tolerare, facies de mari viventium forma propria destituta quod in mari formis propriis destitutis formas velitis recipere sic deformes.. Verum ne inevitabilis maris periculorum prolixitas sub brevi locutionis oraculo concludatur, in mari semper imminent omnis timor, nulla securitas, motus continuus, nulla requies, semper adversitas, nunquam prosperitas, nunquam bonum, sed generaliter omne malum. Sane cum sint maris pericula tot & tanta quod in mente hominis eorum non posset cadere multitudo, praetermisso de generali, ad specialia discurrendo de singulis descendatur, primoque de primis & currentibus providus sit tractatus. Venit quidem a tyranno saevissimo in terra potentissimo & in mari certae prohibitionis edictum ut si quis viam quam multis prohibuit incedere praesumat ingredi, persona vel rebus aliquatenus non confidat. Quis igitur ejus insidiis se exponet? Quis illius laqueis se involvet qui dominatur in terra, principatur in mari, & imperat in utroque, qui prodigus in poena, parcus misericordia, furore repletus, pietate deficiens, verbo falsus, opere imperfectus, vitiis deditus, Domino indevotus, crudelitate secundus Herodes, impietatibus alter Nero, qui cum a mari usque ad mare praeter Januam possideat omnes portus, potens sit in navigio & in armis, de Pisis, Corneto, Neapoli, & Gaieta, ac aliis regionibus tanquam ad insidiandum congregabit multitudinem galearum, cum tanta multitudine piratarum & abundantia armatorum, quod transire nequibitis quin in praeparatas insidias incidatis. Quod si per maris altitudinem aliquantulum insidiantium cursum viteris, tandem tamen ad portum quem tenditis accedere vos oportet, in quo est ipsius potestas quae nullius reprimina reprimetur, & in ipso portu, cum veneritis, vos capiet vel submerget, vel in terram ejus aura forte contraria vos impellet; vel cum sit vir magnae sagacitatis & versutiae imminentis, paratos nautas forsitan jam corrupit quod ventum contrarium praeponentes ejus insidiis vos exponent, ut sic idem habeat quod intendit & vobis eveniat quod timetis. In quibus casibus forsitan esset festinatae mortis supplicium minus grave quam in manus incidere tam crudeles; quia quomodo vobis parcet qui tenet & filium proprium carceris custodia mancipatum, ipsum dignaretur miserando miseria misereri? Qualiter circa vos pietate movebitur qui super captivum filium paternis compassionibus non movetur? Quod si forsan super inopinato casu vel impossibili Romam veneritis, tot miranda pericula mirabiliter evadentes, Romae securi qualiter eritis, cum pro diversis adversariis omnibus civibus in diversa divisis sit ibi conflictus continuus inter cives & divisio inter fratres? Quod si securitas ita vobis patuerit, generalis tamen afflictio non latebit, quia cum aestivi caloris dominio vos servos oportet ibi esse; sicque ibi perseverans & intolerabilis caloris ebullitio, aquarum putrefactio, ciborum grossities, aër palpabilis, muscarum abundantia, copia scorpionum, gens immunda, gens abominabilis, gens pessima, gens furoris; sicque ibi civitas tota per circumferentiam cavernosa, cavernae plenae reptilibus venenosis, ex quibus fumus inficitur, & inficiens evaporat; & sic omnes ibi tunc morantes generaliter moriuntur quod de milibus decem vix evadere possunt. Sic ergo qui indignationem maris evaserit, vorax Roma venenosa voragine devorabit. Et qui illam evasisse crediderit, incidet in Charybdim. Verum si miraculo vel fortuna tot pressuras evaserint, quis eis de securo reditu providebit? Quia cum hosti insidianti magnates urbis ad praelium voluntarie famulentur, non est ingressus aliquis nisi velint; vel si ingressus forte non poterunt impedire, saltem eidem patefacient gressus sive motus vestros, ut statim cum ingressi mare fueritis vos expectans manus suscipiat & torqueat inimici, vel saltem in praenominata pericula incidetis. Sicque maris gulositas insatiabilis in vos, quos vomit, tanquam canis ad vomitum revertetur, quia mare, tempestates, & venti pro vobis naturales potentias non amittent. Non estis dii vel sancti ut in potestate vestra suae resideant tempestates. Porro si vobis de ductu & reditu securitas promittatur, videte quae de vita tuenda & mor-

& morte cavenda cautio dari possit. Contra quem enim de morte post mortem, de mortis passionibus actionem habebitis, cum omnes morte quoad mortuos pereant actiones, pactiones tollantur, & promissiones quaelibet viribus vacuentur, nec canonici juris beneficio, vel civilis aut appellationis vel provisionis alicujus remedio post mortem vita redeat jam amissa. Si vero Legati subtilitas ad arreptionem itineris diversis suasionibus vos inducat, cogitate quoniam cogitur non redire. Est enim sua mansio, & non vestra. Via sibi patet unica, vobis duplices imminent, scilicet pericula transitus & regressus. Insuper attendatis quod mandator in mandato tam aspero circa vos motu rationabili moveatur, utrum mansuetudine repleatur, si caritatis adminiculo accendatur, qui cum insidias Principis non timeat adversantis, sed in tuto maneat & quieto, vos voragini tam communi periculorum exponere non formidat. Esset quidem tolerabilius sustinendum si vobiscum communicatis periculis in loco congruo convenirent. O si rationis judicio fungeretur, contentusque finibus æquitatis, motus providentiæ non exiret! Nunquam inter flores Ecclesiæ rosas electas exponeret tantis periculis perituras. Si vero pro generali Ecclesiae statu, quae ab appellantis hostis impulsibus contrahi conqueritur, vos vocavit, ex tali vocatione videtur quod eam de casu velit in casum cadere graviorem. Quod si contingat, ut patet apertis indiciis, tam excellentibus Ecclesiam viduari, quis Ecclesiae aptior, quae confusio gravior, quae desolatio durior quam sponsam inclitam summi Regis tam aspera incommoda sustinere? Quis enim tanti lapsus gravedinem reparabit? Quis tantae desolationis remedia procurabit? Post hoc etiam attendatur forma rescripti, consideretur causa mandati, & notetur quid ex mandato hujusmodi possit sequi. Continet enim tenor prioris rescripti quod grandes apostolicae sedis eventus & causas vos ignorare non convenit, ut habeat speratum in vestra visitatione solatium & gratum providi consilii fulcimentum; cum post receptionem talis rescripti crudelitas adversantis tyranni inde honesta haurit quod vos de praeparatis insidiis praemunivit. Sed rescripti conditor circumstantia periculorum flagitia, salva sanctitatis reverentia, non attendens, & in subversione vestra subversionem status generalis Ecclesiae non advertens, obedientiae virtute mandavit quod cum tam sanctum ejus propositum, utilitatem respiciens singulorum, humanis non debat versutiis retardari, Deum homini & meritum obedientiae exclusis difficultatibus omnibus praeponendo. Ut autem rescripti hujusmodi seriatim series differatur, quas habet apostolica sedes causas, quae negotia nisi contra rebellem Principem. quae majores vel minimi non ignorant. Quod si causas vel quaestiones habeat sive negotia latentia vel obscura, numquid necessitatem subventionis pro libito vobis & consubditis vestris per Legatum imposuit? Nam per ipsum vel litteras revelare non potuit quod intendit, ut certi mandati forma certum consilium firmaretur, & vitando pericula notarentur. Qualiter insuper praesumetur sanctitatis vestrae propositum, qualiter credetur utilitatem respicere singulorum, quod in armario secretorum sic silentio tegitur quod nec in aures publicas nec in consistorias promulgatur? Si vero quam vobis inconsultis contra eundem Principem tempestatem incepit, concilio vestro diffinire disponit, num qui sine vobis ab initio vilipensis procedere incepit, processum suum sine vobis poterit terminare? Vel si consilio vestro finaliter uti velit, qui primordialiter non curavit, numquid tutius fuit consilium per litteras vel Legatum a vobis requirere quam vocatis inter tanta pericula vos parare, ut conceptum ab ipso negotium generaliter Ecclesiam tangeret generalem. Quare consilium vestrum ab initio non quaesivit; quia cum finis eventum juxta qualitatem principii sortiatur, fuisset consultius de principio consilium quaerere quam de fine. Verum de causa mandati & mandatoris veritas satis potest ex forma rescripti elici vel praesumi. Cum autem contra tyrannum potentissimum incipiendo quod per se incepit videat imperfectum, tendit ut gravetur rigor sententiae contra ipsum vel depositionis sententia promulgetur, aliusque pro suo libito praeficiatur imperio, vobis, si deceat, juxta libitum suum praestantibus consilium & assensum, ut sitis organa sonantia juxta deductionem & libitum organistae. Cumque nec iste deici nec ille praefici recte nec defendi possit sine gravibus oneribus expensarum, statuat & dissipet; ut quod communi consilio statuetur, expensis omnium defendat; ut sic, prout ejus rescriptum obscure continet, in vestra visitatione pro libito consilium expectatum habet in processu & speratum solatium in expensis. Satis enim videbitur contrarium rationi ut qui de processus principio consiliaris non fuistis, finis opera expectetis, sitque deceptio pro negotiis universalis Ecclesiae. Et licet ab initio consilium ejus vel consensus contemnatur, tributaria statuetur, & perpetuae servitutis patibulo suspendetur. Sed propositum intentionis propriae tacuisse videtur; quoniam ad hoc vos praesentes judicat facilius quam absentes, nisi prudenter caveritis ne sub involucro vos involvat. Cumque virtus obedientiae, qua vos vocat ad subeundum inevitabilia rerum, personarum, & Ecclesiae pericula, vos non cogit, cum ex causa necessaria non causetur, si vos in tantis specialitatis & generalitatis periculis non cogente necessitate reperit ita debiles, ita molles in obediendo per vos meritum demerebitur; homo Deo, non Deus homini, praeponetur; vosque de caetero reputans arundinem flexibilem omni vento, perpetuis, ut incepit, libertatis foedere violato, ligabit vinculis servitutis, sicque gradatim de gravi in gravius gravissimum vel gravissime vel generalissime comparetur. Vel si forsan in iis vos fortes invenerit plus in aliis offendere vos timebit: quia intellecta sententia veritatis, plus humiliatur, plus erigitur plus repugnans. Consideratis igitur universorum periculorum circumstantiis universis, quis erit adeo prodigus vitae suae, quis adeo contemptor negotii libertatis, quis adeo rerum negligens conservator, quis adeo pene vilipensor, quis adeo felicitatis continuae non amator, quod felicitatis pro infelicio propriam, pro exilio res, pro defectu libertatem, & communem pro servitute propria & communi, & tandem vitam pro morte velit vel audeat infelici commercio commutare. Timeo tamen ut quosdam vestrum ambitio ad majora, quosdam desiderabilis amicorum promotio, quosdam favor curiae acquirendus, ex exauditionis favore in exauditionem clamantium oppressorum ad subiciendum vos & universalem Ecclesiam periculis importunitatibus vos impellant. Sic diversis cogitationibus agitati eritis, sicut qui non habent nec habituri sunt, semetipsos perdere non verentur. Ego tamen quantum sufficio pensans & ponderans universa in praemissis eligendis arbitror non parere potius quam perire, nisi causa manifesta & necessaria primitus exprimatur, ex qua debeat obedientiae vinculum inviolabile observari.

---

### *VII. Ad Cardinales Romanæ Ecclesiæ.*

Illam pro firmo gerimus de vestra sinceritate fiduciam, illam in vobis & cæteris fratribus vestris esse constantiam opinamur quod quantumcumque devotionis & reverentiae vinculo Romano Pontifici sitis astricti, quantumcumque sui processus impetum contra nos habitum sub generalis Ecclesiae nomine periculis vestris ascribat, causam propriam redigens ad communem, vos, velut orbis cardines & columnæ firmissimæ, nec ad circumventionem innocentiæ nostrae leviter possitis induci, nec ad depressionem nostrae justitiæ leviter commoveri. Et quamquam ad evitanda desolationis dispendia, ut credimus, per scissuram, currentis temporis furori cesseritis, libenter Anno 1245.

tamen

tamen vos invenite velle temedia credimus per cautelam quibus orta per impetum valeant reparari discrimina & excitata mundi diffidia conquiescant. Verum summa videtor circumspectione cavendum, ut sine præjudicio vestrae discretionis immensæ loquamur, ne dum per liquoris infusionem extiogui credatur incendium, accensus ignis ardentius furiat, forsitan oleum jaciat in caminum. Illud etiam non minori diligentia cavendum credimus, ne materiae minus crudæ cauterium apponatur, & ex qno sequitur vulnus insanabile potius quam vulneris medicina. Nuper enim audivimus, unde justissima ratione movemur, quod nobis excogitati consilii, qualitatis ejus & temporis prorsus ignari, per summum Pontificem adhuc publicum hostem imperii & nostrum capitalissimum inimicum pro pacis negotio, licet hoc vocationis emissæ forma non exprimat, Concilium convocatum, illo simpliciter adnotato quod pro magnis & arduis Ecclesiae Romanæ negotiis & transmarinorum Praelatorum & cismarinorum Principum synodus evocetur. Verum quæcunque sit causa vocationis hujusmodi litteris ad apostolicam famam tacita vel expressa, satis tamen suspicionis nostrae causam perlucide & initia manifesta quod pro nobis, non pro pace, sed cotra nos, & discordia potius, tale Concilium evocatur, dom non a vobis saltem communis electae personae, sed ab inimico nostro & nonnulli nostri culminis inimici vocantur. Prius igitur pax inter nos tractari debuit & tractata firmari quam a tam remotis partibus pacis suffragia quaererentur. Nos enim de hoc inimicorum de parvo vel nullo qui se offerunt non timemus, si cum eo pacem habebimus quem patrem habere, si datum esset, deberemus in terris.

### VIII. Ad fideles per Tusciam constitutos.

Anno 1247. UNiversis Vicariis, Potestatibus, Rectoribus terrarum, & aliis curiae imperialis officialibus imperii fidelibus per Tusciam constituris praesentes litteras inspecturis &c. Cum ob accusationem coram nobis factam per B. & O. de . . & D. de . . pro eo quod interfecerunt dominum Johannem Abbatem monasterii de . . eorum dominum specialem & eidem B. plurima damna intulerant, ipsius bona temere devastando, praefatos O. & D. legitime citari fecimus ut coram nobis comparare deberent super dicta accusatione in jure in judicio responsuri, quia ipsi venire vel sufficientem pro eis responsalem mittere cessaverunt, ideo ipsos & quemlibet eorum auctoritate imperiali qua fungimur exbannimus, eorum contumacia & inobedientia exigente, & pro parte imperialis curiae bona eorum mandavimus annotari. Propter quod nolentes accusatos eosdem de tam nephando excessu remanere aliquatenus impunitos, ut pœnam pro qualitate delicti cognoscant, auctoritate imperiali prædicta vobis præcipiendo mandamus quatenus tam ad supplicationem B. accusatoris praefati quam etiam ex officio nostro, pro eo quod mandatis nostris non obtemperaverunt, memoratos O. & D. accusatos exbannitos a nobis personas capere & eos sub fideli custodia ad nostram praesentiam destinare curetis, malefactores eosdem in vestris terris vel in eorum districtibus manere vel esse nullatenus permissuri.

### IX. Ad Comitem Casertanensem.

Anno 1248. Vide P. de Vineis lib 3. ep. 61 79. Idem lib. 1. epist. 16. IMperator Fredericus Comiti Casertanensi. Cum, sicut firma nuper relatione comperimus, & te in parte non credimus ignorare, Ludovicus illustris Rex Francorum, dilectus animae nostrae, ad partes ultramarinas, prout jamdudum stabili mente disposuit, transfretare magnifice sit paratus, quem per partes Italiæ transira velle constanter audivimus, vel ibidem, si casus inciderit, hyemare, nolentes ut insula ipsa, nostri pars utique praeclara dominii, tempestate praesentium negotiorum & temporis imminente, rectoris seu praesidis praesentia careat, quae personalis nostrae majestatis essentiam repraesentans, & Regem ipsum loco nostri quo decuerit honore recipiat, & provinciam ipsam in omni tranquillitate gubernet, quamquam regnum nostrum in proximo, civitatis Parmæ depressa protervia, vel ipsius urgentissime depopulatione peracta, repetere personaliter disponamus, te ad partes illas tanquam præcipuum loco nostri vicarium ante faciem nostram salubri consideratione providimus præmittendum, devotioni tuæ mandantes quatenus in continenti receptis praesentibus ad comitivam tuam viris aliquibus fidelibus nostris de terra Laboris & comitatus Molini tribus vel quatuor deputatis, magnis & continuatis dictis ad partes ipsas, sicut unquam gratiam nostram diligis, celeriter studeas te transferre. Qualiter autem super receptione Regis ejusdem & negotiis nostris illarum partium gerere te velimus, per latores praesentium nuntios tuos fideles nostros, quibus super hoc plenissime beneplacitum nostrae majestatis expressimus, & fidem plenariam adbibere te volumus, sufficienter poteris informari. Vide eundem L. 2. Ep. 5.

### Charta Michaelis Episcopi Andegavensis pro Ecclesia sancti Juliani Turonensis.

SPiritus Domini. Michael divina permissione Andegavensis Episcopus omnibus Archidiaconis, Decanis, Archipresbyteris, Prioribus, Capellanis, & aliis Ecclesiarum praelatis in civitate & diœcesi constitutis ad quos praesentes litterae pervenerint salutem in Domino. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit sive malum, oportet nos diem messionis externae operibus misericordiae praevenire ac seminare in terris quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere valeamus in caelis, firmam spem fiduciamque tenentes quoniam qui parce seminat, parce & metet in benedictionibus de benedictionibus & metet vitam aeternam. ORNAVIT. Cum igitur ad opus fabricae Ecclesiae beati Juliani Turonensis propriae non suppetant facultates, universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino atque in remissionem vestrorum peccatorum injungimus ut plebes vobis a Deo commissas moneatis & efficaciter inducatis ut de bonis sibi a Deo collatis pias eleemosinas & grata subsidia largiantur, ut per ipsorum subventiones fabricae dictae Ecclesiae consulatur, & per haec & alia bona quae Domino inspirante fecerint ad aeterna possint gaudia pervenire. Nos vero de omnipotentis Dei misericordia & beatae Mariae & beatorum Mauricii sociorumque ejus & omnium fidelium Dei intercessionibus confisi, omnibus benefactoribus dictae Ecclesiae quadraginta dies de pœnitentiis quae eis secundum exigentiam delictorum suorum injungi merito debuissent misericorditer relaxamus. Inhibemus etiam vobis ne aliquem praedicatorem eleemosinarum quaestorem in vestris Ecclesiis admittatis nisi litteras nostras vobis ostenderit, in quibus contineatur quis ipse sit & ad quid mittatur. CÆLOS. & quæsta vero quando facta fuerit per proximam diem dominicam vel solemnem post susceptionem praesentium litterarum latori earundem sine diminutione aliqua tradatis. Valeant litterae istae usque per annum. Datum die Jovis post sanctam synodum Pentecostes anno Domini MCCXL. septimo. Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 143. Anno 1247.

*Henrici Regis, qui Friderici II. Imperatoris & Isabellæ Anglicæ filius fuit, epistola ad Henricum Regem Anglorum patruum suum.*

Ex Lib. I. Misc. Bal. pag. 471. An. 1247. Vide P. de Vineis L. 3. ep. 2.

SI magnificentiae vestrae frequenter huc usque non scripsimus, si nepoticae hospitatis eventus ad notitiam vestram segnis officium calami non perduxit, si nostrorum gesta successuum stilus hactenus dictatoris non digessit, causa fuit quod nobis in annis teneris constitutis, nec renatis adhuc fonte baptismatis, quid & cui scriberet, nostra dudum infantia nec discernere poterat nec noscebat. Nunc autem honore tanti sacramenti solemniter decorati, ad annos etiam alicujus cognitionis adducti, quos nec minus gustatos amor paternae dulcedinis nuper fecit audaces, dum nos in folio suo, ut toti regno Siciliae usque ad reditum suum de Italicis partibus de consiliariorum disponamus consilio, gloriose reliquit, praesentes vobis nostrae salutationis apices destinamus, & frequentius destinabimus in futurum, quotiens & rerum qualitas exiget, & se nobis opportunitas ingeret nuntiorum.

# LITTERÆ LUDOVICI IX.

*Regis Francorum de fundatione Ecclesiæ Damiatæ.*

Charta Ecclesiæ Damiatæ.

Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 491. An. 1249. Vide to. 5. Duchesnii pag. 354.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Amen. Ludovicus Dei gratia Franciæ Rex. Si ad bona quæ de manu Domini suscepimus & nostram insufficientiam mentis oculos dirigamus, profecto non videmus qualiter pro susceptis beneficiis condignas et gratiarum actiones rependere valeamus aut qualiter pro omnibus quae retribuit nobis respondeamus tanto tamque magnifico largitori. Non enim unum pro mille respondere possemus. Porro cum nec sufficiamus ad tanta Dei magnalia dignis laudibus extollenda, devote tamen assurgimus ad gratiarum actiones quas possumus exsolvendas, illud praecipue inter suscepta Dei beneficia recolentes quod nostris temporibus & nobis etiam, licet indignis, una cum exercitu Christiano pervenientibus ad littora Damiatae, anno videlicet Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, sabbato ante festum sancti Barnabæ Apostoli, sic mirabiliter, sic potenter affuit divinae propitiationis auxilium quod cum ibi perfidorum Sarracenorum multitudo maxima convenisset, qui ne Christianorum exercitus in terram descenderet resistere nitebantur, tandem divina prævalente potentia Christiani, repulsis hostibus & in fugam conversis, terram ipsam feliciter intraverunt, quodque manifestissimum extitit divinae miserationis indicium, crastino die dominica Rex virtutum Jesus Christus Dominus noster felicibus feliciora adiciens, eis qui in civitate erant tantum terrorem incussit quod omnes unanimiter civitatem ipsam munitissimam penitus relinquentes terga verterent nemine insequente; sicque eam de manu Domini recepimus vacuam inimicis. Unde gaudemus in Domino plurimum & laetamur. Cum igitur ad laudem & gloriam Jesu Christi Domini nostri & gloriosae virginis matris ejus, per cujus intercessionis suffragia tanta fidelibus Christi beneficia provenisse creduntur, in majori Ecclesia beatae Mariae civitatis ejusdem, eliminata prorsus paganorum spurcitia, certi deputati sint ad reddendum divinae servitutis obsequium servitores, nos, qui specialiter in votis gerimus ut ei qui dedit omnia ac gloriosissimae genitrici suae digne & laudabiliter serviatur ibidem, concedimus in perpetuam eleemosynam Ecclesiæ memoratæ duas turres cum domibus adjacentibus & domum quæ dicebatur Machomeria, & plateam prædictis domui & turribus adjacentem ad usus Archiepiscoporum dictæ Ecclesiæ, & claustrum quod protenditur a gradu lapideo quo ascenditur super muros, qui est prope minorem turrim Archiepiscopi, usque ad viam quæ est inter domum quam tenet Patriarcha & domum sancti Lazari, cum omnibus domibus & plateis infra ipsum contentis ad opus Canonicorum in perpetuum possidendum libere ab omni burgesia & tributo, nihil nobis vel successoribus nostris reservantes in posterum in eisdem. Volumus etiam & concedimus quod idem Archiepiscopus & capitulum percipiant decimas de omnibus appactis in civitate & dioceli Damiatae quae ad manus domini seu dominorum devenerint, videlicet de appactis molendinorum, furnorum, balneorum, piscationum, captionis avium, salinarum, cambii, monetae, si in dioceli vel in civitate cuderetur, necnon fundae, catenae, pesagii, mensuragii, fructuum terrarum, nutrimentorum animalium, & generaliter omnium redditium civitatis & diocesis praedictarum. De emendis tamen quae pro forefactis levabuntur ab iis quorum erit justitia decima non solvetur. Insuper de fructibus terrarum non appretiatis volumus & concedimus ut decimae praedictae Ecclesiae integre persolvantur. De praedictis autem decimis percipiet Archiepiscopus duas partes, & tertiam Canonici & dictae Ecclesiae servitores. Praeter has autem decimas volumus & concedimus quod quinque milia bisancionum annui redditus Archiepiscopo & quinque milia Canonicis & servientibus Ecclesiae supradictae tam in casalibus quam in possessionibus infra diocesim antedictam, postquam terra ipsa de manibus infidelium liberata fuit, assignentur. Volumus etiam & concedimus quod praedicto Archiepiscopo, cum terra ipsa liberata fuerit, assignentur sibi & successoribus suis in perpetuum foeda decem militum, qui dicto Archiepiscopo hominagium ligium facient, & eidem tenebuntur servire juxta consuetudinem regni Jerosolymitani de foedis antedictis; ac idem Archiepiscopi & successores sui de ipsis servire tenebuntur nobis in subsidium nostrum, quamdiu in terra praedicta fuerimus, & successoribus nostris qui pro tempore dominium habuerint dictae terrae, quando ab ipsis vel a nobis super hoc fuerint requisiti. Volumus etiam & praecipimus quod si praemissa a nobis assignata non fuerint eidem Ecclesiae in toto vel in parte priusquam a partibus recesserimus cismarinis, quicumque dominium terrae habuerit loco nostri, ea integraliter teneatur eidem Ecclesiae prout expressa sunt superius assignare. Praeterea volumus & concedimus quod Archiepiscopus & Canonici tam pro se quam pro hominibus suis & rebus eorum ad usus proprios in portum & in civitatem liberum ingressum habeant & egressum sine aliqua exactione vel coustuma domini temporalis. Mensuragium quoque, pesagium, & vasa aquatica similiter ad usus proprios habeant sine exactione aliqua vel coustuma. Quod ut perpetuae stabilitatis robur obtineat, praesentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato fecimus communiri. Actum in castris juxta Damiatam anno incarnationis dominicae millesimo ducentesimo quadragesimo nono, mense Novembris, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. Signum Stephani Buticularii. Signum Johannis Camerarii. Signum Imberti Constabularii.

*Ejusdem Ludovici Regis litterae de pensione concessa Episcopo Damiatano.*

Litterae Episcopi Damiatani.

LUdovicus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus quod nos attendentes quod dilectus & fidelis noster E. Dei gratia Damiatanus Episcopus factus fuerat pauper propter Christum, & etiam propter ejus gratum servitium quod nobis impendit in An. 1252.

parti-

partibus transmarinis, dedimus & concessimus eidem ducentas libras Parisienses annui redditus, quandiu vixerit sine episcopatu vel archiepiscopatu, percipiendos in festo omnium sanctorum annuatim in cofris nostris; ita quod post ejus decessum, vel postquam provisum fuerit ei de episcopatu vel archiepiscopatu, idem redditus ad nos & heredes nostros libere revertantur. In cujus rei testimonium dedimus ipsi praesentes literas sigilli nostri munimine roboratas. Actum in castris juxta Joppen anno Domini MCCL. secundo, mense Julio.

---

*Quoddam scriptum de vacatione Ecclesiae Suessionensis, & de collatione praebendarum tempore regalium.*

An. 1250. ANno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, septima die intrante Aprili, Radulphus de castro Suessionensis Episcopus ultra mare viam universae carnis ingressus est. A quo tempore sedes Ecclesiae beati Gervasii Suessionensis dicitur vacasse. Et eodem anno in divisione Apostolorum se sita fuerunt regalia.

Item eodem anno in crastinn beatae Mariae Magdalenae vacavit praebenda in dicta Ecclesia de morte magistri Roberti de Silvaneto: quae fuit collata, dicta sede vacante, a Blancha tunc Regina Franciae, Ludovici carissimi filii sui nomine, Domino Bartholomaeo Remensi Capellano Regis.

Item dicta sede tunc vacante, vacavit praebenda in dicta Ecclesia de morte Philippi Presbyteri de castro Theodorici: quae fuit collata a Domina Regina, dicti Regis nomine, magistro Johanni de Suessionis dicto Ceratio.

Item dicta sede vacante, vacavit praebenda in dicta Ecclesia de morte Girardi le Bougre: quae fuit collata a dicta Regina, dicti Regis nomine, magistro Guidoni de Norenot.

Item dicta sede vacante, vacavit praebenda in dicta Ecclesia de morte Nicolai de Hanget: quae fuit collata a dicta Regina, dicti Regis nomine, Domino Gaufrido tunc Presbytero de Braie.

Item anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, die Martis post festum beati Hilarii, dicti Canonici ad mandatum speciale dictae Reginae per litteras patentes ejusdem Decano & capitulo dictae Ecclesiae se praesentaverunt ut eosdem in dicta Ecclesia in Canonicos & in fratres reciperent. Sed dictis Canonicis contemptis, die Jovis proxima sequenti praefati Decanus & capitulum ad electionem processerunt, & dicta die Dominum Neueleonem Archidiaconum in Bria in Episcopum elegerunt.

Item eodem anno, die Lunae post octavas Purificationis beatae Mariae virginis, coram dicta Regina dictus electus pro se, & Jacobus tunc temporis Archidiaconus Suessionensis, Thesaurarius vero Belvacensis, magister P. de Sonions Poenitentiarius Belvacensis, ex parte dicti capituli & nomine procuratorio Parisius personaliter comparuerunt, proponentes ex parte dicti capituli quod collatio praebendarum sede vacante in praedicta Ecclesia ad Regem nullatenus pertinebat, hanc solam rationem praetendentes, quod Rex nunquam contulerat. Quibus factis & dictis, extitit eisdem responsum ex parte dictae Reginae & ex parte illorum qui tunc erant ad consilium Regis, videlicet Archiepiscopi Bituricensis, Episcopi Aurelianensis, Episcopi Belvacensis, Episcopi Ebroicensis, fratris Reginaldi dicti Cardinalis, fratris Guidonis de Antissiodoro, magistri Odonis de Lorriaco, magistri Petri de Aunvalle, Archidiaconi Parisiensis, Decani sancti Aniani Aurelianensis, Domini Gaufridi de Capella, Militis, & Domini R. de Caprotia, quod de consuetudine regni Franciae collatio praebendarum, sede vacante in dicta Ecclesia debebat ad Regem pertinere. Et hanc responsionem dictus electus & procuratores antedicti dicti capituli nomine approbaverunt, & laudaverunt in praesentia praedictorum, & dictos Canonicos nomine dicti capituli in Canonicos & in fratres receperunt & eosdem pro receptis habuerunt, promittentes quod die dominica sequenti dictos Canonicos in dicta Ecclesia per Decanum & capitulum antedictos in Canonicos & in fratres recipi plenarie facerent, videlicet stallum in choro & locum in capitulo assignando, & omnibus rebus ad dictas praebendas pertinentibus eos uti permittendo. Dicti vero Canonici pro bono pacis dictam electionem ratam & firmam habuerunt. Actum anno, die, seu diebus supradictis.

---

## LITTERÆ PRÆPOSITI, DECANI,

*Et capituli Suessionensis.*

EXcellentissimæ Dominæ suæ B. Dei gratia Franciæ Reginæ H. Præpositus, B. Decanus, totumque capitulum Suessionense, salutem, & cum devotis orationibus paratam ad beneplacita voluntatem. Serenitati regiæ tenore praesentium notum facimus quod nos in negotio seu quæstione quæ vel quod inter vos & nos ad praesens agitur super præbendis quas in Ecclesia Suessionensi vacante sede jure regio dicitis vos posse conferre venerabilibus viris H. Præposito, magistro P. de Sonion & P. de Bueria concanonicis nostris dedimus potestatem & speciale mandatum tractandi vobiscum, compromittendi, componendi, & pacificandi negotium seu quæstionem praedictam & omnia alia faciendi quæ dicto negotio viderint expedire, & quae facere possemus si praesentes essemus, quicquid super præmissis vel aliquo praemissorum per praedictos H. P. & P. vel duos ex eis de consilio & assensu venerabilis viri N. Dei gratia electi Suessionensis factum fuerit ratum & gratum habituri. Et hoc omnibus volumus esse notum. Datum anno Domini MCC. quinquagesimo primo, feria tertia ante Purificationem beatae virginis.

---

## LITTERÆ DECANI

*Et Capituli Cenomanensis de petenda licentia eligendi.*

EXcellentissimo Domino Ludovico Dei gratia Regi Franciæ illustri Robertus Decanus & capitulum Cenomanense salutem in eo qui dat salutem Regibus. Dolentes non modicum dominationi vestrae denuntiamus bonae memoriae Gaufridum nuper Episcopum nostrum viam universae carnis ingressum, petentes a vobis licentiam eligendi. Bene & diu vivatis & valeatis in Domino. Datum in festo nativitatis beatae Mariae anno Domini MCCL. quinto. An. 1255.

---

*EPISTOLA*

## CAPITULI VALENTINI

*Ad Archiepiscopos Narbonensem & Arelatensem.*

REverendis in Christo patribus Dominis Narbonensi & Arelatensi Archiepiscopis capitulum Valentinum se ipsos ad pedes eorum humiliter inclinatos. Utinam nos veritas non urgeret, utinam etiam nos necessitas non induceret ad testimonium perhibendum quomodo & qualiter in iis partibus re vera Christiana conditio variis praecipitata ruinis & barbaricae gentis incursu multiplicatis caedibus cruentata incessanter affligitur & inexplicabiliter expugnatur, quo- An. 1277.

quomodo etiam & qualiter ad tuitionem castrorum quae in regno Valentiae possidentur per cultores nominis Christiani maximi & immoderati sumptus vix sufficiunt, & quomodo dicta castra nihilominus cum magnis periculis conservantur. Verum quia paternitati vestrae per has litteras praeteriti temporis exponere dispendia necnon & instantis periculi exprimere nocumenta credimus multipliciter expedire, sic videlicet ut hoc omnipotenti Deo gratum & acceptabile reputemus, inclito etiam Regi Aragonum & suae terrae Christicolis utile praeterea extimemus, idcirco, etsi non dominationi vestrae vivae vocis oraculo, quemadmodum cupimus, hujus terrae damna & pericula recitamus, attamen sub quodam generalitatis involucro dominationi vestrae tam de praesentibus blasphemorum Christi hostibus insultibus quam exactis ex multis aliqua scribere utile fore animadvertimus, & ex infinitis pauca referre multum expediens esse putamus, per celsitudinem regiam mansucte rogati & humiliter requisiti ut pro veritatis lucerna vestræ testemur prudentiae id quod scimus & scivimus, id quod videmus & vidimus in praemissis. Vestrae igitur paternitati vestraeque discretioni per multa rerum experimenta probatae tenore praesentium intimamus quod perfidi Sarraceni de regno Valentiae oriundi, de castris regni ejusdem ab anno & quatuor mensibus citra quamplurima castra quorum quaedam sunt fere inexpugnabilia, proditionaliter invaserunt & fraudulenter invasa hod ....... detinent occupata; cum quorum castrorum fortitudine ipsorumque paganorum multitudine perhorrenda, peccatis nostris exigentibus, trucidant otthodoxos, fideles capiunt, & eosdem miro affectu & intenta sollicitudine persequuntur, captosque inexcogitato captionis modo dure ac dire incarcerant, & incarceratos impie cruciant mille generibus tormentorum in Christiani cultus opprobrium & contemptum. Et licet quaedam de castris praefatis Dominus Petrus nunc inclitus Rex Aragonum arte ac ingenio laudabilius recuperare summopere sit conatus, quaedam etiam virtute armorum cum multifaria Christicolarum strage, de quo est summe dolendum, & cum exercitibus quamplurimum sumptuosis, Deo desuper donante opem, de castris recuperaverit memoratis, hodie tamen plures fortitudines quam triginta in non modicam Christianorum confusionem & contumeliam detinent violenter. Et quid plura? Multitudo etiam Janetorum, quos regio genuit Africana, in Valentino regno convenit, quorum etiam aliqui profecto in quantitate non modica noviter sunt venturi, per incolarum hujus regni Agarenorum promissiones & munera vocatorum: qui pluralitate ipsorum, prout eis est possibile, terram devastare non cessant & immaniter ausa tentant expugnare. Proh dolor igitur, proh dolor, quod tam frequenter audivimus inviti jacturas renatis fonte baptismatis imminere. Cum ergo, Patres & Domini circumspecti, Dominus Rex praefatus pro conservatione & tuitione Valentini regni ad expensas inevitabiles praesentes atque futuras non sufficiat faciendas, tum quia Dominus Jacobus bonae memoriae Rex Aragonum pater suus regnum suum divisit, secundum quod vos hoc non crédimus ignorare, sicque Dominus Rex praefatus fere in redditibus sui patris sit parte tertia diminutus, qui etiam pater ejus, dum vivebat, ad hanc pestem Sarracenicam coërcendam sufficere non valebat, dominationi vestrae humiliter supplicamus quatenus vos, quibus est per summum Pontificem commissa potestas dicto praefato Regi de proventuum ecclesiasticorum decima terrae Regis Aragonum providere, his angustiis & pressuris salutare consilium & auxilium impendatis de dicta decima in persona Regis ejusdem, hujus regni statui & ruinoso salubriter & celeriter deliberatione provida consulentes. Succursu siquidem eget & certe magno succursu Rex illustris Aragonum, qui non dicamus pro expulsione Janetorum & aliorum plurium bellatorum, sed tantum pro conservatione ac suorum tuitione castrorum cogitur expendere quicquid habet, imo veracius plus quam habet. Exurgat igitur, exurgat vestra dextera in Christianae fidei contemptores, & praeliantibus contra barbarae filios nationis cum securis conscientiis manum porrigat adjutricem. Et quoniam ad praesens sigillum capituli non habemus, has praesentes litteras sigillo officialatus curiae Domini Valentini Episcopi duximus sigillandas. Datum Valentiæ XIV. Kal. Julii anno Domini MCCLXX. septimo.

---

*TESTAMENTUM*

# RAYMUNDI DE CORNILIO

*Episcopi Caturcensis.*

IN nomine sanctae & individuae trinitatis patris & filii & spiritus sancti. Nos Rxymundus Dei gra- An. 1289.
tia Caturcensis Episcopus attendentes praesentis vitae conditionis statum instabilem & ea quae videntur habere visibilem essentiam tendere visibiliter ad non esse, & ideo desiderantes salubri praemeditatione diem nostrae peregrinationis extremum, tanquam incertum & dubium, testamentaria dispositione cum auxilio divinae gratiae, quantum ipse Deus annuit, praevenire, testamentum nostrum, ordinium, dispositionem, & nostram ultimam voluntatem, quantum de juris permissione & apostolicae sedis concessione & consuetudine seu usu Ecclesiae Caturcensis possumus, prout sequitur, facimus ac etiam ordinamus.

In primis commendamus animam nostram omnipotenti Deo & beatae gloriosae semper virgini Mariae, & beato Stephano protomartyri, & omnibus sanctis. Et quandocunque & ubicunque nos decedere contigerit, eligimus sepulturam nostram in capella nostra quam construximus in cathedrali Ecclesia Caturcensi ad honorem sancti Blasii & sanctae Catharinae.

Item ordinamus, legamus, & volumus quod pro expensis funerariis exequiarum nostrarum executores nostri inferius nominandi expendant quinque millia solidorum Turonensium.

Item ordinamus & volumus quod de bonis nostris & Ecclesiae Camrcensis praedictae per executores nostros infrascriptos, deductis primitus expensis funerariis praedictis, satisfiat omnibus & singulis creditoribus & conquerentibus nostris, secundum quod per ipsos sine causarum strepitu ostendi & declarari poterit & absque juris sollemnitate rationabiliter comprobari. Et specialiter praecipimus dictis executoribus nostris quod solvant Bernardo Dolvy vel successoribus ejus sex viginti libras Turonenses nomine emendae, item sexaginta solidos Tolosanorum Bernardo de Samata civi Tolosano, quos mutuavit nobis.

Item legamus fratribus Minoribus de Caturco quinquaginta libras Caturcenses semel solvendas. Item fratribus Praedicatoribus de Caturco quinquaginta libras Caturcenses semel solvendas. Item domibus fratrum sancti Augustini & de monte Carmeli & de Grandimonte civitatis Caturci, cuilibet illarum trium quindecim libras Caturcenses semel solvendas. Item sororibus sanctae Clarae de Caturco quindecim libras Caturcenses. Item hospitali nostro de Sobiros quatuor lectos garnitos & viginti quinque libras Caturcenses ad reparationem dicti hospitalis. Item unicuique aliorum hospitalium ejusdem civitatis Caturci unum lectum garnitum. Item monialibus monasterii de Lesme quindecim libras Caturcenses. Item monialibus de las Boysas decem libras Caturcenses. Item monialibus de la Peyras centum solidos Caturcenses. Item sororibus Minoritis de Monte albano centum solidos Caturcenses. Item monialibus de Obazina decem libras Caturcenses. Item cuilibet domui fratrum Minorum & Praedicatorum diocesis Caturcensis centum solidos semel solvendos ad facien-

ciendam unam refectionem pro obitu noſtro. Item monialibus d'Eſpanhiac decem libras Caturcenſes. Item monialibus de la Daurada de Caturco decem libras Caturcenſes. Item cuilibet abbatiae monachorum noſtrae diœceſis Caturcenſis centum ſolidos Caturcenſes ſemel pro obitu noſtro faciendo. Item legamus hoſpitali de Croxia quatuor lectos munitos & decem libras Caturcenſes ſemel ſolvendas. Item domui leproſorum ejuſdem loci unum lectum munitum. Item cuilibet domui leproſorum noſtrae diœceſis quinque ſolidos. Item cuilibet recluſae noſtrae diœceſis quinque ſolidos Caturcenſes ſemel ſolvendos. Item cuilibet altari noſtrae praedictae cathedralis Eccleſiae Caturcenſis unum calicem unius marcae & dimidiae, excepto altari domini Raymundi de Trapis, qui habet unum a nobis; & illum legamus illi altari. Item Eccleſiis ſeu capellis ſancti Johannis & ſancti Martini juxta noſtram Eccleſiam cathedralem, cuilibet unum calicem unius marcae & dimidiae. Item Eccleſiis de Croxia duos calices, quemlibet duarum marcarum. Item Eccleſiae de Mercurio unum calicem unius marcae & dimidiae. Item capellae noſtrae domus noſtrae Caturcenſis unum calicem unius marcae & dimidiae. Item Eccleſiae d'Anſac prope eos unum calicem unius marcae & dimidiae. Item legamus quinque calices, quemlibet unius marcae, ſolvendos & diſtribuendos ſecundum ordinationem teſtamenti magiſtri Guillelmi Auſtorga quondam officialis noſtri.

Item legamus clericis noſtris non beneficiatis, videlicet magiſtro Martiali Majoris, & Guillelmo de Ponte, & magiſtro Geraldo la Coſta, & Armando la Vidalhia, Guillelmo & Aymerico de Valon, fratribus Johanni Torn, Johanni la Coſta, Raymundo Lafon dicto Portuſelio, Jacobo Fornerii, Petro Boveril, Stephano de Blaſaco, cuilibet iſtorum decem libras Caturcenſes.

Item neptibus noſtris monialibus, videlicet Margaritae & Gualhiardae monialibus Deauratae, item & Prioriſſae de Coyros, & moniali hoſpitalis Dominae Anglinae filiae quondam Domini Rorgerii de Cornilio, & filiae domini Geraldi de Lemogos moniali de Leſme, unicuique iſtarum decem libras Caturcenſes.

Item oſtiariis noſtris & mareſcallo noſtro & coquinario noſtro, videlicet Bernardo Riol & dicto Roſſaio, Petro Fabri, & Arnaldo Lotot, cuilibet ipſorum decem libras Caturcenſes.

Item tribus noſtris curſoribus, videlicet Raymundetto, Donato, & Briſabara, cuilibet decem libras Caturcenſes. Item palafrenariis noſtris, videlicet Guillelmo Baras & Anglico, cuilibet decem libras. Item ſaumatariis noſtris, videlicet Geraldo le Lone Mayrinhiaco, Stephano lou Bley, Petro Cameyra, cuilibet decem libras Caturcenſes. Item Petro de Mayrinhiaco piſcatori noſtro decem libras Caturcenſes. Item Bertrandolo nepoti Bertrandi Barras quindecim libras Caturcenſes ad monachandum eum. Item legamus Almoziae, quae moratur apud la Boria, decem libras Caturcenſes. Item Johannae, quae moratur apud Mercurium, centum ſolidos Caturcenſes. Item dicto Catala, & dicto Rapaſſo, & dicto Alberto, cuilibet centum ſolidos Caturcenſes.

Nolumus tamen quod ſi hujuſmodi praenominatae partes ſive perſonae quibus legavimus praemortui fuerint & nobis non ſupervixerint, quod heredes vel ſucceſſores eorum aliquid poſſint petere in legatis praedictis.

Item nolumus quod ſi praedicti clerici vel aliqui ſeu aliquis eorum eſſent a nobis beneficiati, quod poſtea aliquid poſſint petere in praedictis ſeu de praedictis legatis.

Item legamus domibus militiæ Templi & hoſpitalis Jeroſolymitani cuilibet earum decem libras Caturcenſes.

Volumus etiam quod de reſiduis bonis noſtris dicti executores noſtri infraſcripti poſſint remunerare alios familiares ſeu ſervitores noſtros ſecundum quod fuerit rationis & eis videbitur expedire. Ita tamen quod per generalitatem iſtam ratione legati nihil poſſit exigi vel peti ab aliquo, quacunque cauſa ſeu auctoritate, ratione legati. Et ſi quid peteretur ratione incerti legati, dictum legatum quoad generalitatem illam penitus revocamus ac etiam annullamus.

Prædictos vero executores noſtros in præmiſſis & quolibet præmiſſorum eſſe volumus, facimus, ſtatuimus, & ordinamus diſcretos & religioſos viros, dilectum nepotem noſtrum B. Archidiaconum Caturcenſem, & magiſtrum Petrum Martini Cantorem, & magiſtrum Raymundum Pauchelli Canonicum Eccleſiæ Caturcenſis, & Priorem Praedicatorum, & Gardianum fratrum Minorum, domorum & conventuum de Caturco: quibus executoribus noſtris prædictis damus & concedimus plenam & liberam poteſtatem ac ſpeciale mandatum omnia bona noſtra & noſtræ Eccleſiæ mobilia accipiendi, vendendi, & alienandi, tenendi & conſervandi, ſolvendi, petendi & exigendi in judicio & extra, declarandi, ſpecificandi & diſponendi in præmiſſis & quolibet præmiſſorum, ubi eis dubium videbitur vel etiam expedire; & quod omnes executores prædicti ſimul, vel quatuor aut tres, duo aut unus ex ipſis, aliis abſentibus vel nolentibus, prius tamen requiſitis, prædicta omnia & ſingula poſſint exequi, facere, attendere & complere.

Hanc autem diſpoſitionem, teſtamentum, ordinium, ſeu ultimam voluntatem noſtram valere volumus jure teſtamenti, diſpoſitionis extremæ, ſeu ultimae voluntatis, & alio codicillorum jure, quacunque ratione ſeu cauſa quo vel qua melius valere poterit & debebit.

Actum & datum apud Mercurium in camera noſtra die Mercurii in feſto beati Mathaei Apoſtoli, menſe Septembris, Indictione ſecunda, anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono; præſentibus venerabilibus viris, Domino Guirberto Johannis Milite, & Domino Bernardo de Portu Archipresbytero Montiſpenſati, & Domino Guillelmo Boſcoti rectore Eccleſiæ de Suria, & magiſtro Geraldo Ademaro rectore Eccleſiæ de Senezelas, & Domino Hectore de Turentia rectore Eccleſiæ de Saurz, & magiſtris Helia de Calomonte & Hugone de Vernolio, & Domino Petro Sacriſta, teſtibus ad hoc per nos adhibitis ſpecialiter & rogatis.

*Et ego Martialis Maioris de Belloloco clericus Lemovicenſis diœceſis publicus apoſtolica & imperiali auctoritate Notarius, præmiſſis ordinationibus, diſpoſitionibus, legatis, & aliis omnibus una cum dictis teſtibus in dicto loco præſens interfui, & prædicta omnia de mandato dicti Domini Caturcenſis Epiſcopi ſcripſi & publicavi, meoque ſigno una cum ſigillo ipſius Domini Epiſcopi ſignavi rogatus.*

---

*Ex veteri ſcheda Lemovicenſi Mſ.*

ANno MCCXCII. Aymericus de Rupechoardi Vicecomes de Rupechoardi Domicellus conceſſit & tradidit Domino Fulcaudo de Rupechoardi avunculo ſuo Archidiacono Bituricenſi ob cauſam & portionem bonorum hereditariorum tam paternorum quam maternorum triginta libras annui redditus quas dictus Vicecomes habebat in burſa Domini R. apud Pictavos, quam portionem accepit Johannes de Cublichon procurator dicti Archidiaconi, praeſentibus Dominis Guidone de Cromeu Milite, Guillelmo de Rupechoardi domino de Mortuomari. Ex L. VI. Miſc. Bal. pag. 164.

*Epistola Simonis Presbyteri Cardinalis tituli sanctae Albinae ad conventum Cluniacensem.*

Ex L. VI. Misc. Bal pag. 515.

An. 1295.

VEnerabilibus & carissimis Dominis sociis & amicis & fratribus nostris domno Stephano Priori claustrali sacroque conventui Cluniacensi frater S. tituli sanctae Balbinae Presbyter Cardinalis salutem & vobis usque ad mortem in aeternum obedire. De manu Domini sumo prospera, nunc adversa suscipimus; & expedit in illis nos cautelam, & in istis patientiam observare. De casu adverso qui tamen contigit mens vestra non excitat. Nam die Mercurii praecedente festum beati Michaelis venerabilis & pius Pater & Dominus noster Abbas Cluniacensis in urbe Romana diem clausit extremum. Quo rumore ad nos Anagniae perlato, sine mora aliqua Dominum nostrum Papam adivimus, qui cum multa compassione defunctum absolvit, & supplicavimus quod vobis suo sacro conventui permitteret, sicut hactenus fuit, liberam eligendi facultatem. Et cum essent sex Cardinales praesentes, allegata fuit consuetudo curiae de praeluturis & officiis, praebendis & dignitatibus cedentium & decedentium in curia. Qua consuetudine non obstante voluit & vult & expressit vos habere liberam electionis factionem, nobis injungens expresse hoc vobis ex parte ipsius nuntiare & ex parte ipsius vos hortari in Domino de bona deliberare persona, quasi comminando ordini si familiaritate vel patria secus, quod absit contingeret attemptari. Datum Anagniae III. Kal. Octobris.

---

# LITTERÆ PHILIPPI IV.

Cognomento Pulchri Francorum Regis

*De ducentis libris Turonensibus anno quolibet dandis Matthaeo Episcopo Dunkeldensi in Scotia ad sublevandam ejus inopiam.*

Ex L. II. Misc. Bal. pag. 203.

Anno 1298.

PHilippus Dei gratia Francorum Rex universis praesentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus quod inopiae dilecti nostri Matthaei Episcopi Dunkeldensis in Scotia pio compatientes affectu, eidem dedimus & concessimus ducentas libras Turonenses capiendas a dicto Episcopo in thesauro Parisius, videlicet centum libras in festo Ascensionis Domini, & alias centum libras in festo omnium sanctorum immediate sequenti, & sic deinceps annis singulis quandiu nostrae placuerit voluntati &c. Datum Parisius die Mercurii post festum beatae Luciae virginis anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo.

---

# MANFREDI REGIS SICILIÆ

*Epistola ad quendam Doctorem Decretorum.*

Ex L. I. Misc. Bal. pag. 483.

An. 1300.

MAnfredus &c. magistro N. Decretorum Doctori. Inter alia decoris insignia quibus regni nostri possessio praeclara tripudiat, desideramus ibidem liberalium artium condimenta concrescere & literalis scientiae munimenta florere; ut sicut regnum ipsum pacis & justitiae complexione nunc fruitur & rerum opulentia naturaliter gloriatur, sic ejusdem incolas, quos ingeniorum nativa fœcunditas ad consilia reddit alta conspicuos, per doctrinale commercium articulus vivae vocis efficiat utili transfusione peritos. Ad quod laudabiliter peragendum, scholis ubique per regnum particularibus interdictis, universale studium in civitate Neapolitana consulta deliberatione praehabita providimus reformandum. De tua igitur fide & sufficientia laudabili testimonio perhibito coram nobis, te ad hujus operis participium invitamus, fidelitati tuae praecipiendo mandantes quatenus ad civitatem ipsam docturus in scientia Decretorum, & nobis exinde placiturus, personaliter studeas te conferre, de munificentiae nostrae liberalitate securus quod praeter fructum favoris & gratiae quem a nobis propterea specialiter consequeris, consuetudines omnes & bonos usus quibus unquam temporibus felicis memoriae Domini genitoris nostri Doctores & scolares in studio ipso morantes uti & gaudere sunt soliti, faciemus tibi & aliis moraturis ibidem inviolabiliter observari.

---

*Ejusdem Epistola ad Justiciarium Neapolitanum.*

MAnfredus &c. Justiario &c. Ad regiae praefecturae fastigium providentia divina vocati, more consulti patris familias, cui debet inesse de subditis, inter sollicitudines alias nostris sensibus inhaerentes continua reddimur cordis pulsatione pervigiles qualiter regnum nostrum, quod praeter turbationis praeteritae tumultus innumeros non sine multis personae nostrae laboribus, in plurium siquidem injuriam popolorum, omnimoda pacis tranquillitate nunc fruitur & ubertate rerum vitalium naturaliter gloriatur, prudentum fulcimento virorum, per quos curae rerum geruntur officia, nostris artificiose temporibus ampliare possimus, ut fideles regnicolae ad artium erudimenta famelici, per aliena, ut assolent, studia mendicare suffragia non coacti, paratam in regno mensam refectionis inveniant, & tanquam domesticis fulta dogmatibus eructantis es hoc in illud eorum promptuaria plena fluant. Ad hoc enim nos progenitoris nostri clara prioritas laudabilibus invitat exemplis, qui virtuosae mentis argumento compositus sic statuit in regni pomœrio scientiarum virgulta concrescere ut viros ibidem in qualibet facultate peritos, non solum ut incolas filios, gratia propriae suavitatis imbueret, sed ad remotas & exteras nationes de cisternis suis aquas effunderet labiis sitibundis; sicque dum contigit in iis causae munimenta deficere, cœperunt causata diminui, & tot regnum ex cultorum inopia sentire jacturas ut impudenter rogare cogatur ab aliis quod abundanter solebat aliis erogare. Cupientes igitur super hoc, paternis inhaerendo vestigiis, tam praedictorum gratam renovare memoriam quam regnum ipsum gratis novitatis nostrae primordiis decorare, universale studium in civitate Neapolitana, consulta nuper deliberatione praehabita, providimus reformandum, ut civitatis locus protecto maris & terrae fœcunditate praeclarus, ubi studendi congruentia se quaevis habilitant aedificata in sapientia sibi domo & repletis in doctrina cellariis, docentium & addiscentium oculis se praebeat liberalem, ac velut mater fœcunda gignasit, quae videbatur jam ex desuetudine pariendi senescere, per doctrinale commercium ad puerperium juvenescat, particularibus scholis ubique per regnum generaliter interdictis, excepto studio medicinae in civitate Salerni, quod exerceri nobis placet ibidem, sicut praedicti patris nostri temporibus extitit consuetum. Ad quod tam celebre quam solenne convivium magistros quoslibet & scholares in qualibet facultate studentes libenter & hilariter invitamus, firmiter promittentes eisdem quod privilegia, libertates, & bonos usus, quibus unquam temporibus felicis memoriae Domini patris nostri uti & gaudere sunt soliti, faciemus in studio ipso morantibus tenaciter observari. Quocirca sinceritati tuae firmiter praecipiendo mandamus quatenus sicut gratiam nostram diligis & honorem, statim praesens nostrae jussionis oraculum per civitates & loca singula jurisdictionis tuae, ut nullus de ignorantia supradictorum materiam excusationis inveniat, studeas publicare.

Vide Petr. de Vineis lib. 3. epist. 11. 12.

Vide Raynald. ad an. 1256. §. 33.

Ejus-

*Ejusdem epistola ad quendam Castellanum.*

Fidelis noster sua nobis assertione proposuit quod dum pridem cum hominibus de .... ad locum quendam extra ipsius terrae mœnia in festo beati Petri, cujus ibi vocabulum in die illo solenniter colebatur, accederet, casualiter accidit quod tantisper in ipsum fortuna ludente, homines ipsi jocosi, tunc solatiis resoluti, volentes memorabile aliquid festivis donare tripudiis, eundem .. in fontis cujusdam balneo sub novae militiae solemnitate lavarunt, & per duos milites ab inde transeuntes, ut * tyrocinii decus celebrius ageretur, procuravere balneatum eundem militiae cingulo decorari sub veste rubea & aliis gaudiorum insigniis, ipsum in terram eandem militariter & exultatione plurima reducentes, sicque, ne facti hujus nova solennitas beneficiorum liberalitate careret, quamplures ex dictis hominibus habuit ad plura & diversa pollicita liberales. Sed quos sentiit ad verba tunc faciles, ad facta nunc reperit contumaces. Super quo, eo supplicante sibi per nostram magnificentiam in favorem militiae provideri, devotioni tuae praecipiendo mandamus quatinus si praemissis veritatem repereris suffragari, ne honoris tanti mysterium, quod laudabilem habuit in sua prosecutione congressum, ludibrinsis proventibus evanescat, promissiones quaslibet quas eidem .. propterea constiterit fore factas, eidem efficaciter facias observari.

* Idest, tornamenti seu hastiludii.

---

*LITTERÆ*

## ÆGIDII ARCHIEPISCOPI

*Narbonensis de consecratione Petri de Rupeforti Episcopi Carcassonensis.*

Ex L. VI. Misc. Bal. pag. 459.

An. 1300.

Ægidius permissione divina sanctae Narbonensis Ecclesiae Archiepiscopus venerabilibus fratribus nostris Dominis Dei gratia Biterrensi, Tolosano, Magalonensi, Agathensi, Nemausensi, Lodovensi, Elnensi, & Appamiensi Episcopis salutem & sinceram in Domino caritatem. Cum venerabilis vir frater Petrus de Rupeforti Carcassonensis Ecclesiae electus, qui nuper confirmarinnem suae electionis canonice obtinuisse dicitur auctoritate nostra a quibusdam ex vobis, quibus una cum vicariis nostris super iis commiseramus specialiter vices nostras, nobis instanter supplicaverit ut sibi consecrationis munus impendere dignaremur, nosque tam pro Domini Regis Franciæ illustris & regni quam Ecclesiae nostrae negotiis habeamus ad Romanam curiam in praesenti necessario proficisci, timeamusque quod propter ingruentium negotiorum festinantiam non possimus ad praesens transitum facere per nostram provinciam Narbonensem, vestris in hac parte parcere volentes laboribus & expensis, vos requirimus quatenus illi vestrum qui dictae consecrationi, quam dicto electo annuente Deo impendere proponimus, si nihil obstet de canonicis institutis, tertia vel quarta Dominica praesentis mensis Novembris in Bituricensi provincia vel Lugdunensi, Archiepiscopi & Episcopi in quorum provincia & dioecesi dicta consecratio celebrabitur ad id accedente consensu, ac adhibito Episcoporum sufficienti numero, interesse nequiveritis, ipsi celebrandae consecrationi vestrum praebeatis assensum per vestras litteras nobis e vestigio destinandas. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus litteris fecimus apponi. Datum Aureliani die dominica post festum omnium sanctorum anno Domini millesimo trecentesimo.

Reverendissimo in Christo Patri & Domino suo specialissimo Domino Ægidio divina providente clementia sanctae Narbonensis Ecclesiae Archiepiscopo R. ejusdem permissione sibi devotus Episcopus Agathensis salutem cum omni exhibitione reverentiae & honoris. Auditis vestris excusationibus propter quas ad praesens intrare Narbonensem provinciam commode non potestis, licet vestram venerabilem praesentiam cum multis aliis sitiamus, compatientes Carcassonensi Ecclesiae pariter ac electo, ut eidem electo consecrationis munus possitis impendere infra dictam provinciam & alibi extra ipsam, ubi paternitati vestrae placuerit, quantum possumus consentimus. In cujus consensus testimonium sigillum nostrum praesenti litterae duximus apponendum. Conservet vos altissimus suo sancto servitio per tempora longiora. Datum Agathae X. Kal. Decembris anno Domini millesimo triscentesimo.

Reverendo in Christo Patri Domino Ægidio Dei providentia Narbonensi Archiepiscopo ejusdem miseratione B. Biterrensis, P. Tolosanus, G. Magalonensis, R. Elvensis, & B. Appamiensis Episcopi ejus suffraganei salutem & reverentiam tam debitam quam devotam. Paternitatis vestrae literas recepimus super consecratione venerabili viro Domino P. Carcassonensi electo per vos tertia vel quarta dominica praesentis. mensis Novembris in Bituricensi vel Lugdunensi provincia, si nihil de canonicis institutis obviet, impendenda. Verum cum nos praefatae consecrationi adesse personaliter nequeamus, ipsi consecrationi canonice faciendae seu impendendae nostrum praebemus assensum. In cujus consensus testimonium paternitati vestrae praesentes mittimus literas sigillorum nostrorum appensione munitas. Datum apud Mirapiscem dioecesis Appamiensis anno Domini millesimo trecentesimo, VIII. Kal. Decembris.

Reverendissimo in Christo Patri Domino suo carissimo Domino Ægidio Dei gratia sanctae Narbonensis Ecclesiae Archiepiscopo B. ejusdem miseratione Nemausensis Episcopus salutem & promptam in omnibus ad ejus beneplacita voluntatem. Vestrae reverendae paternitati deferre volentes, tum propter vestri reverentiam, tum propter negotiorum onera quae incumbunt, assensum nostrum tenore praesentium exhibemus quod venerabili viro Domino electo Ecclesiae Carcassonensis possitis munus consecrationis, si vobis justum & rationabile fuerit visum, infra provinciam Narbonensem vel extra, ubi paternitati vestrae placuerit, elargiri. In cujus rei testimonium sigillum nostrum duximus praesentibus apponendum. Datum Nemausi sexto Kalendas Decembris anno Domini millesimo triscentesimo.

Eximii honoris & reverentiae Patri & Domino suo in Christo praedilectissimo Domino Ægidio Dei gratia sanctae Narbonensis Ecclesiae Archiepiscopo frater Iterius ejusdem permissione sibi devotus Episcopus Lodovensis exhibitionem reverentiae & honoris omnimodi cum salute. Quoniam ad praesens Narbonensem provinciam non potestis intrare commode, sicut per vestras reverendas litteras nobis innotuit, propter ardua quaedam negotia humeris vestris imposita, licet venerabilem vestram praesentiam praecordiali desideremus affectu, ex compassione tamen qua ferimur Ecclesiae & electo Carcassonensi, ut ipsum electum consecrare possitis infra dictam provinciam vel extra, ubicunque paternitati vestrae expediens visum fuerit, libenti animo consentimus. In cujus consensus testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus apponendum. Valeat vestra reverenda paternitas, quam in prosperitate vitae & gratiae conservet omnipotens nunc & semper. Datum Lodovae in festo sancti Clementis anno Domini MCCC.

## ARNALDI CESCOMITIS

*Archiepiscopi Tarraconensis epistolae duae de Sarracenis ab Hispania pellendis, prima ad Benedictum XII. Papam, altera ad Joannem de Convenis Episcopum Cardinalem Portuensem.*

*Domino Nostro Summo Pontifici.*

Ex. L. II. Misc. Bal. pag. 267.

An. 1337.

Vide Indices Suritae an. 1337. & Marian. lib. 16. c. 26.

SAnctissime Pater & Domine. Jam credo ad vestram audientiam pervenisse qualiter Rex Marrochitanorum, blasphemus Christi, & fidei catholicae inimicus, capta nuper per eum civitate de Trinici, & Rege ipsius & ejus filiis interfectis, in tantam superbiam est elatus quod facit paratum hostilem talem & tantum quod a multo tempore non est auditus similis ad Christianos Hispaniae hostiliter invadendos; & misit & mittit victualia & arma & alia necessaria ad regnum Granatae, in quo jam habet loca de Gibaltari & de Algezira, intendens Regem Granatae adjutorem habere, ut opportunius & liberius possit invadere Christianos. Propter quod Dominus Rex Castellae ad resistendum eidem ad civitatem Hispalensem jam dicitur accessisse. Verum quoniam praedictus Christi blasphemus ad regnum Valentiae dicitur specialiter aspirare, ut conditio & periculum ipsius regni vestram non lateat sanctitatem, eidem humiliter significo quod licet recolendae memoriae Dominus Jacobus Rex Aragonum, qui dictum regnum de manibus Sarracenorum eripuit, votum voverit Domino quod Sarracenos in eo non permitteret remanere, & Dominus Petrus Tarraconensis Archiepiscopus, qui tunc aderat, de voluntate ipsius Domini Regis excommunicationis sententiam tulerit contra omnes qui loca sua in dicto regno de Sarracenis praesumerent populare, ut nomen Christi laudarent ibidem, abolito penitus nomine Machometi, ex caeca tamen cupiditate Christianorum credentium majores redditus a Sarracenis quam a Christianis habere, eum contrarium tamen Abbas monasterii Populeti Cisterciensis ordinis in quodam bono quem ibidem habet, de quo Sarracenus noviter expulit, est expertus, Sarraceni praedicti hue usque sustinentur in ipso regno. Dicuntur esse in dicto regno quadraginta vel quinquaginta millia Sarraceni apti ad arma portanda & experti in exercitio eorundem: propter quos timetur verisimiliter & communis habet opinio ipsum regnum, quod Deus avertat, perditionis periculo subjacere. Dicti namque Sarraceni, ut facti experientia multotiens comprobavit, quandocumque Sarraceni Granatae, qui vicini existunt, vel alii incipiunt invadere dictum regnum, tamquam hostes publici adhaerent eisdem: qui quanto plus in ipso regno sciunt, & ipsius infirma cognoscunt, tanto plus nocent. Nunc etiam, postquam sciverunt dictum apparatum fieri, dicuntur sua facere conventicula, in quibus studia sua convertunt quomodo possint prodere dictum regnum. Multa insuper propter eorum damnatam familiaritatem & communicationem per Christianos peccata enormia committuntur ibidem; & per ipsos Sarracenos blasphematur utique nomen Christi, & nomen Machometi laudatur. Audivi namque a bonae memoriae Episcopo Valentino hoc publice praedicante, quod tot vel plures sunt in sua dioecesi Mezquitae Sarracenorum quot Ecclesiae Christianorum, & tot vel plures nescientes orationem dominicam & scientes loqui algaraviam seu Sarracenice quot e contra. Dignetur igitur supplico super praedictis vestra clementia de remedio congruo providere: quod non videtur posse fieri nisi praedicti Sarraceni de dicto regno expellantur omnino. Et ad hoc Dominus Rex Aragonum daret, ob Dei honorem & ipsius securitatem & commodum, auxilium & favorem. Ad quod facilius inducerentur Domini eorundem, si personae & bona dictorum Sarracenorum, tamquam infidelium & publicorum hostium quando possunt, possent licite distrahi atque vendi; quorum pretium ad defensionem dicti regni esset non modicum profuturum. Almam personam &c. Datum Turolii VII. Kal. Augusti anno Domini MCCCXXXVII.

Servus & factura vestra
Arnaldus Archiepiscopus Tarraconae.

*Domino Iohanni Portuensi Episcopo.*

Reverendissime Pater & Domine. Timens de magno & propinquo periculo, nisi provideatur de remedio opportuno, supplico Domino Nostro Summo Pontifici sub hac forma. *Sanctissime Pater & Domine &c.* Quapropter paternitati vestrae supplico quatenus dignemini sibi litteras praesentare & circa dictum remedium insistere apud eum. Recommendo gratiae vestrae me & Ecclesiam Tarraconae. Datum ut supra.

Archiepiscopus Tarraconae.

*Eidem.*

Reverendissimo Patri Domino Johanni divina providentia Episcopo Portuensi Archiepiscopus Tarraconae. Ad vestram credo audientiam pervenisse qualiter Rex Marrochitanus blasphemus Christi parat se ad Hispaniam invadendam. Et jam multi de gentibus suis transiverunt ad regnum Granatae & transeunt, ut dicitur, tota die. Et specialiter contra regnum Valentiae, ut dicitur, comminatur. Quod quidem regnum non est sine magno periculo propter multitudinem Sarracenorum qui sunt populati in eo, qui statim adhaererent aliis Sarracenis, ut experientia comprobavit. Qui Sarraceni ex sola Christianorum avaritia sustinentur, non obstante quod felicis recordationis Dominus Jacobus Rex Aragonum, qui dictum regnum eripuit de manibus Sarracenorum, promisit & vovit quod in dicto regno Sarracenos non permitteret remanere, & quod bonae memoriae Petrus tunc Archiepiscopus Tarraconae de voluntate ipsius Domini Regis tulit excommunicationis sententiam contra illos qui loca sua popularent de Sarracenis, aut quod per dictos Sarracenos in dicto regno multa nefanda crimina committuntur & blasphematur etiam Christus. In dicto autem regno tot Mesquitae quot Ecclesiae esse dicuntur. Quapropter non solum expediret, sed esset necessarium quod Dominus Noster summus Pontifex mandaret Domino Regi Aragonum quod ipsos Sarracenos expelleret de regno praedicto. Super quo ipse voluntarie obediret quantum ad loca sua; sed vellet, quantum ad loca aliorum, habere mandatum. Et vere dicti Sarraceni possunt dici Christianorum hostes, quia cum possunt nocent; nec deest eis nisi nocendi facultas. Propter quod videtur quibusdam quod eorum personae & bona capi & distrahi juste possunt. Et tamquam experti in armis, & scientes conditionem dicti regni, possunt multum nocere, in tantum quod multorum est opinio quod propter dictos Sarracenos perdi debeat dictum regnum. Propterea dominationi vestrae supplico quatenus ob Dei & fidei catholicae reverentiam dignemini eundem Dominum Nostrum summum Pontificem de praedictis omnibus informare ac insistere apud eum quod dignetur de opportuno remedio providere. Recommendo gratiae vestrae me & Ecclesiam Tarraconae. Datum Turolii VII. Kal. Augusti anno Domini MCCCXXXVII.

## BALDUINI DE LUXEMBURGO

*Archiepiſcopi Treverenſis litteræ de confœderatione facta cum Philippo VI. Francorum Rege.*

An. 1341. Baldevvinus Dei gratia ſanctae Treverenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſacri imperii per Galliam Archicancellarius. Cum iis quos divina gratia ſolio majeſtatis & ſtatus ſui magnitudine benigne extollit ligam ſpecialis amicitiæ libenter contrahimus, per quos nobis ac noſtræ Eccleſiæ promotiones, utilitates, & commoda provenire ſperamus. Notum igitur facimus univerſis quod nos ſereniſſimo & præclaro Principi Domino Philippo Francorum Regi, cujus ſalutis & honoris continuum incrementum ex juſtis & rationabilibus cauſis nos moventibus ex intimis affectamus, tenore præſentium promittimus bona fide quod ipſius ex nunc ſimus & eſſe debeamus & velimus in perpetuum, quandiu vixerimus, bonus, fidelis, & confœderatus amicus, ita ut omnia & ſingula ipſius negotia praeſentia & futura cum quibuſcunque promoveamus & procuremus & eiſdem intendamus, quatenus commode poterimus, apoſtolicæ ſedis & noſtro honore ſalvo, per meliores vias quas poſſumus invenire ſeu cogitare ad ejuſdem Domini Regis utilitatem & profectum, & quod damna ejus evitemus & impediamus abſque fictione, omni ingenio malo ceſſante. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum praeſentibus eſt appenſum. Datum Treveris die decima ſeptima menſis Septembris anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo primo.

---

*Teſtamentum Fulcandi de Rupe Cavardi Archiepiſcopi Bituricenſis.*

Ex L. VI. Miſc Bal. pag. 559. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Amen. Noverint univerſi quod nos Fulcaudus de Ruppe Cavardi Dei gratia Bituricenſis Archiepiſcopus habens a ſanctiſſimo in Chriſto Patre ac Domino Domino

An. 1343. Clemente divina providentia Papa Sexto gratiam & licentiam ſpecialem ad infra ſcripta, prout liquide conſtat per litteras ipſius Domini Papæ ejus bulla plumbea bullatas & munitas, quarum tenor ſequitur in hunc modum. Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Fulcaudo Archiepiſcopo Bituricenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quia praeſentis vitae conditio ſtatum habet inſtabilem, & ea quae viſibilem habent eſſentiam tendunt viſibiliter ad non eſſe, tu haec ſalubri meditatione praemeditans, diem tuae peregrinationis extremum diſpoſitione teſtamentaria deſiderans praevenire. Nos itaque tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecunque non per Eccleſiam ſeu Eccleſias tibi commiſſas alias tamen licite acquiſitis, quæ ad te pertinere omnimode dignoſcuntur, libere teſtari valeas ac de bonis mobilibus eccleſiaſticis tuæ diſpoſitioni ſeu adminiſtrationi commiſſis, quæ tamen non fuerint altaris ſeu altarium Eccleſiarum tibi commiſſarum miniſterio ſeu alicui ſpeciale earundem divino cultui ſeu uſui deputata, necnon de quibuſcunque bonis mobilibus a te per Eccleſiam ſeu Eccleſias licite acquiſitis pro decentibus & honeſtis expenſis tui funeris & pro remuneratione illorum qui tibi viventi ſervierint, ſive ſint conſanguinei ſive alii juxta ſervitii meritum, moderate tamen, diſponere & erogare & alias in pios & licitos uſus convertere poſſis; prius tamen de omnibus praedictis bonis ære alieno & hiis quae pro reparandis domibus ſeu aedificiis conſiſtentibus in locis Eccleſiarum vel beneficiorum tuorum culpa vel negligentia tua ſeu tuorum procuratorum deſtructis ſeu deterioratis, necnon reſtaurandis aliis juribus earumdem Eccleſiarum ſeu beneficiorum deperditis ex culpa ſeu negligentia ſupradictis fuerint oportuna deductis, plenam & liberam fraternitati tuae auctoritate praeſentium concedimus facultatem. Volumus autem ut in eorundem Eccleſiaſticorum diſpoſitione bonorum juxta quantitatem reſidui erga Eccleſias a quibus eadem percepiſti te liberalem exhibeas prout conſcientia tibi dictaverit & animae tuae ſaluti videris expedire. Datum Avinioni III. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno primo. Sani mente & corpore deſiderantes uti gratia nobis facta in noſtra bona ſanitate horam mortis quae nobis incerta eſt praevenire volentes, attendenteſque ac in conſiderationem deducentes quod ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, in praeſentia Notarii publici ac teſtium infra ſcriptorum diſpoſitionem & ordinationem noſtram extremam juxta conceſſam nobis gratiam ſupra-ſcriptam facimus prout ſequitur ac etiam ordinamus. In primis animam meam Deo & beatae Mariæ virgini, beatis Stephano protomartyri & Eligio ac omnibus ſanctis commendantes volumus quod foreſacta noſtra emendentur & debita noſtra ſolvantur ad levem probationem. Item eligimus ſepulturam noſtram in Eccleſia noſtra Bituricenſi; & legamus cuilibet Canonico qui praeſens fuerit die ſepulturae noſtrae viginti ſolidos Turonenſes. Item cuilibet vicario dictae Eccleſiae qui praeſens etiam fuerit die ſepulturae noſtrae quinque ſolidos Turonenſes. Item cuilibet Bachalario ipſius Eccleſiae qui praeſens etiam fuerit die ſepulturae noſtrae duos ſolidos Pariſienſes. Item cuilibet puero de Choro duodecim denarios Pariſienſes. Item volumus & ordinamus quod omnia collegia, Curati, & religioſi civitatis Bituricenſis proceſſionaliter interſint die ſepulturae noſtrae, & fiat eis ſatisfactio ſecundum ordinationem executorum noſtrorum. Item volumus & ordinamus quod executores noſtri in praeſenti teſtamento inferius nominati qui praeſentes fuerint die ſepulturae noſtrae poſſint & eis liceat capere de bonis noſtris pro neceſſitate ſepulturae noſtrae & de dicta ſepultura ordinare ut executores vel ut amici prout eis melius placuerit & videbitur expedire donec inventarium de bonis noſtris per ipſos factum fuerit & onus dictae executionis noſtrae in ſe ſuſceperint vel aliqui eorundem. Item volumus & ordinamus quod ſervitoribus noſtris ſatisfiat quibus non eſt ſatisfactum juxta ordinationem executorum noſtrorum. Item legamus pro anniverſario noſtro anno quolibet faciendo in Eccleſia noſtra Bituricenſi terras, prata, vineas, redditus, domos, & alia quæ nos acquiſivimus in terra noſtra de Cornuſſa a Philippo de Croſo Domicello, & quas diu eſt propter iſtam cauſam tradidimus Capitulo noſtro Bituricenſi, & de quibus dictum Capitulum habet poſſeſſionem. Item volumus quod anniverſarium noſtrum celebretur in Eccleſia de Ruppe Cavardi anno quolibet pro ſalute animae noſtrae, & quod aſſignentur redditus in patrimonio noſtro per heredem noſtrum juxta ordinationem executorum noſtrorum. Item heredem noſtrum facimus & inſtituimus univerſalem dilectum nepotem noſtrum Johannem Vicecomitem de Ruppe Cavardi Militem, volentes & ordinantes quod ſi dictus heres noſter ordinationem noſtram impugnare vel infringere vellet quoquo modo per ſe vel per alium tacite vel expreſſe, dictus heres omni ſucceſſione noſtra ipſo facto eſſet privatus, & de bonis illis quae ad ipſum heredem pertinere deberent, ſi noſtrae obtemperaſſet ordinationi, per executores noſtros ordinetur, ipſo herede noſtro etiam non vocato; & ex tunc eo caſu dictis executoribus noſtris damus & concedimus plenam & liberam poteſtatem de dictis bonis prout eis placuerit ordinandi ac etiam diſponendi. Executores autem noſtros facimus & conſtituimus Reverendos Patres in Chriſto ac Dominos Dominos Lemovicenſem, Pariſienſem, & Carnotenſem Epiſcopos, magiſtros Petrum de Croſo Decanum Pariſienſem, Johannem Galvani Subdecanum Aurelianenſem, religioſum virum fratrem Aymericum Abbatem monaſterii ſancti Genulphi, & dictum nepotem noſtrum Johannem Vicecomitem de Ruppe Cavardi Mili-

tem, ac venerabiles & discretos viros magistrum Oliverium de sancto Georgio Decanum de castro Bituricensi, Dominum Aymericum Hugonis Officialem nostrum Canonicum Pictaviensem, Dominum Johannem Baniti Archidiaconum Borbonensem in Ecclesia Bituricensi, Dominos Aymericum de Grangia, Aymericum de Manso, Petrum de Vivonia Curatum de Duno Regis, Aymericum Mauleyer Priorem fratrum Heremitarum ordinis sancti Augustini conventus Bituricensis, & fratrem Petrum Britonis ordinis sancti Augustini, ita quod si omnes vacare non possint vel non velint, duo ipsorum onus executionis nostrae incipere, mediare valeant & finire, non obstante quod alii inceperint aut aliquid fecerint in eodem. Item volumus quod dicti executores nostri vel duo ipsorum ut praemittitur auctoritate sua propria bona nostra mobilia & immobilia vel se moventia & de quibus ipsos ex nunc investimus, & saisinam tradimus per praesens testamentum ac susceptionem oneris ipsius vendere possint & distrahere ubicunque sint sine licentia vel assensu dicti heredis nostri seu alicujus judicis pro onere executionis nostrae integraliter adimplendo. Istud autem volumus esse ultimum testamentum nostrum seu extremam voluntatem. Et si non valet ut testamentum, valeat ut codicilli vel ut melius valere poterit de consuetudine vel de jure. In quorum omnium testimonium & munimen praesentes litteras nostrum testamentum seu voluntatem extremam continentes per Nicolaum Mauleyer clericum Notarium publicum infrascriptum scribi & publicari mandavimus & fecimus magnique sigilli signeti secretariorum nostrorum una cum signo & subscriptione ipsius Notarii appensione muniri. Acta fuerunt haec in camera nostra domus nostrae de Gerliaco anno Domini M. CCC. quadragesimo tertio, indictione undecima, die sabbati post nativitatem beati Johannis Baptistae, pontificatus sanctissimi Patris ac Domini nostri Domini Clementis divina providentia Papae sexti anno secundo, praesentibus religiosis ac venerabilibus & discretis viris Abbate sancti Genulphi, magistro Oliverio de sancto Georgio Decano de castro Bituricensi, & Dominis Johanne Baniti Archidiacono Borbonensi in Ecclesia Bituricensi, Aymerico de Manso, Petro de Vivonia, Aymerico de Mauleyer, fratre Petro Britonis, Petro de Nigella, Guillelmo de Giemo, Durando Bautardi, fratre Petro de Bleon monacho monasterii sancti Arnulphi . . . . . . Colino Banchardi & Johanne de Arcissis clericis testibus ad praemissa vocatis & rogatis.

Et ego Nicolaus Mauleyer clericus Lucionensis diocesis sacrosancti Romani imperii auctoritate publicus ac curiae Bituricensis juratus Notarius testamentum originale, a quo praesens transcriptum fuit sumptum, vidi, tenui, legi, & palpavi, transcriptumque praesens propria manu scripsi & in hanc publicam formam redegi, & signum meum consuetum una cum sigillo curiae Bituricensis eidem rogatus apposui anno Domini M. CCC. quadragesimo tertio die sabbati post assumptionem beatae Mariae virginis, indictione undecima, pontificatus sanctissimi Patris ac Domini nostri Domini Clementis Papae sexti anno secundo.

# EPISTOLA

## LUCII COLUTII SALUTATI

De Stignano quondam Florentinorum Cancellarii ad Nicolaum de Auximo.

*Venerabili Patri & Domino meo Domino Nichole de Ausimo Ecclesiae Romanae Protonotario Domini nostri Papae, singularissimo Domino meo.*

Ex L. IV. Misc. Bal. pag. 510.

An. 1368.

JUssisti, pater optime, ut in laudem bonae memoriae Domini Nichole de Capoctiis olim Episcopi Tusculani atque Romanae Ecclesiae Cardinalis versiculos suo sarcofago inscribendos perficerem, in quibus non solum communes praelatorum laudes conciperentur, verum etiam singularia quamplurima resonarent; & ego id efficiendi avidus, onere injecto non librato, velociter nimis me obtuli; tamen potui diligentia laudes ejus atque tempus aetatis & mortis * decem septem versibus cumulavi, non inscius tanti viri laudem, quae pro virtutum meritis infinitae sunt, me non satisfecisse prout decuit. Sed ille non de meis versibus famam aeternam mutuabitur, sed exactae vitae sinceritate & meritis. Quis enim obsecro posset, nedum parvo epitaphio, sed etiam longa metrorum serie tanti viri explicare virtutes, quali ab infantia fuerit indole, ab adolescentia maturitate, a virili aetate perfectione, in senectute vero divinitate, quantus fuerit ejusdem viri ad Ecclesiam fervor, in fide constantia & puritas, in justitiae ministratione severitas, praeteritorumque fidelis memoria, quae praesentium ordinatio, quaeve praevisio futurorum, quanta fuerit ejus in victu sobrietas, in vestitu mediocritas, in moribus comitas, qualis in adversis constantia, in prosperis moderatio, quanto fuerit caritatis igne succensus, qualis in orando devotio? Crede mihi, haec si de illo vere praedicari velint, deficiet stilus, & eloquentia vix ipsa sufficeret. Non enim fuit ipse praelatus, sed monachus, non vir humanus, sed divinus. Et quod ego non plene collegeram excusabit me ingenii ruditas & praefixus metrorum numerus, quem transire marmoris spatia non permittunt. Accipe ergo versus non capientes tanti viri virtutes, sed qui marmore capi poterunt, ut me tuorum jussuum potius rusticum perfectorem quam neglectorem dicas. Et si quid aliud possum, injungito tamquam servo. Vale. Viterbii die nono Junii.

* Extant apud Ciaconium.

---

EJUSDEM EPISTOLA

AD

# FRANCISCUM BRUNI

*Venerando Patri Domino meo Domino Francisco Bruni summi Pontificis Secretario.*

An. 1371.

PAter & Domine mi plurimum venerande. Postquam de obitu sanctae ac optimae recordationis Patris & Domini nostri Urbani quinti, (quem utinam nunquam pro nominis sui celebritate vel Italiae satietas vel Galliarum affectio tenuisset, ut qui in sedem propriam apostolicum thronum retulerat, in Ausonia moriens constanti proposito dimisisset) tecum conquestus sum, novis Deus ut pluries mecum agitaverim tibi de assumptione tam benigni tamque tibi singularis domini gratulari. Sed instant occupationes, & nedum ad scribendum amicis facultas suppetit, sed ad satisfaciendum officio vix tempora conceduntur; & nunc aegerrimae haec quantulacunque, ut dici solet, exaro. Ut tamen prius ad Urbanum redeam, me miserum! Ille superfluitatum

Cle-

Clericorum severissimus circumcisor, gregisque sui ad propria non ad precaria septa compulsor, qui pecus diu errans & ab Italicis pabulis desuctum ad urbem orbis arcem, unde quasi de cœlo etsi per cetera in lutum & cinerem illa olim Romae pene hodie credita, sed jam fabulosa formositas attrita defluxerit, adhuc tamen, ne omnia Gallis insolentibus concedamus, duo illa luminaria totius orbis ornatus & si famae faveret optanda directio omnium gentium & nationum cunctarum assensu prodeunt & sublimium sedem proveniunt dignitatum, ad urbem inquam quam Deus Ecclesiae suae & apostolicae sedis sedem constituit & primi clavicularii martyrio confirmavit. Populus enim ille sanctus & circumcisus occiso Christo, sicut & hodie Ecclesiae rito in populis quorum furor contra pastores Episcopos occidendo surrexerit, observatur, dignus fuit privari sacerdotii dignitate, de quibus cum haec celsitudo transferretur ad gentes, ubi fuit caput Ecclesiae statuendum nisi ubi procul dubio dispositione divina, licet armorum viribus gentium omnium princeps erat, & idolorum superstitiosa cultura; ut cum militans Ecclesia in urbe urbium omnium domina triumphasset, per universum orbem facile vincendo percurreret. Ad hanc igitur urbem Ecclesiam diu vagam & currentem reduxerat, & confratrum suorum tanta indignatione detinuit ut videretur hoc sanctum propositum nonnisi mortis tempore dimissurus. Et ecce, seu Italiae fato seu Gallorum fortuna, sive gentis illius mutabilitate nativa, omnium admonitione subito relinquere Latium destinavit, puto, & sic fama est, ut, sicque credi volebat, Angliae ac Francorum Reges conciliaret, & forte, ut fas est de tanto viro praesumere, & ut ad Italiam quandoque rediret. Sit hoc tamen ut velit. Secessit hinc pastor, istuc tantae curiae & vix relinquens vestigia properavit, execrantibus cunctis Italicum solum, & quasi Syrtes vel Babyloniae deserta profugiens. Postquam navem ascendit, exosa etiam Italiae litora non calcavit. Sed non possumus cum Deo ludere. Sive enim occasionem sive causam de praestitae pacis tractatione ad iter assumpserit, utrumque enim ambiguum est, non reversurus visus est ex Italia demigrasse; nisi quia ut erat naturaliter peragrator, suapte more & recessus sicuti accessus spem tradere videbatur. Ego vero eum de reditu non sensisse conjecto; ob quod ille justus omnium judex, qui scrutatur renes & corda, ipsum & honestae causae privavit gloria, & profectionis diu non est passus laetitia frui, ac facultatem abstulit de regressu. Debemus itaque, si divini favoris gratiam cupimus promereri, non pro cupidine voluntatis nostrae, sed juxta recti aequique justitiam, quicquid agimus moderari. Scriptum est enim psalmo quadragesimo quarto: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Sed jam haec reprehendere desinamus. Eo enim deductum est ut damnari, mutari vero non possit. Ascribimus, si placet, Italiae fato, & quicquid ille omnium gubernator & rector cum ipso egerit in melius assumamus, & ad te redeamus, cui nescio an aequius sit gratulari quam consolari. De illo enim qui te de patria omnium admiratione vocavit ad sua secreta, de conjugali thoro praeter consuetum elegit, totque cumulatis honoribus exornavit, tam repente substracto pro materia satis conlacrymare difficile est. Pro tam benigni patris vero tamquam amici tibi sublimatione quis tecum quantum decet exultet? De motibus enim ejus ne parum dicam, consilium puto silentio pertransire, dummodo pauca verba subnectam. Quod totus vir iste, nunc patrum patet, prudentia, cirumspectio, modestia, fides, caritas, amor, benignitas, & quod in principe tali splendidissimum approbatur, veritas & constantia dictorum factorumque, quae cum in eodem adhuc Cardinali celebriter elucerent, ita ut ex iis divino miraculo de tam juvenili aetate videatur ad apicem apostolatus assumptus, quid debemus nunc de illo ad Christi vices erecto cum tanta virtutum supellectile judicare? Ut en m dici solet, habet hoc apostolica sedes innatum quod vel sanctum nisi eam hominem vel sanctificet jam inventum. Ego unum audacter adjiciam, quod cum sanctum invenit, nedum confirmet, sed efficiat sanctiorem. Si enim naturali quodam vinculo etiam privati officio & moribus obligamur quod rationis participes nos divina bonitas fabricarit, quidnam debemus honoribus illustrati rependere? Nonne tenemur omnibus mentis viribus insudare ut tanto reddamus futura vitae nostrae tempora virtutibus clariora quanto nos vel virtus vel fortuna vel Dei donum praeeminentius sublimarit? Hoc autem dignitatum culmen nec virtus tribuit nec fortuna concedit, sed sola divina dispositione noscitur provenire. Quis enim virtute propria mereatur Christi vices mortalibus exhibere? Quis etiam, licet Democritus ille aut Epicurus vivat, qui cuncta forte fieri etiam in naturalibus affirmabant, fortunae tribuat potestati quem effici Ecclesiae Dei principem & monarcham? Magna fuit apud veteres & laboriosa dissensio an Deus res hominum suae dispositionis ordine regularet; & quamvis de singulis ad universitates & hominum genera ratiocinando procederent, multaque casibus fieri videbantur pertinaciter asserendo, paucis tamen dubium videbatur quin totum genus humanum, ut corpus unum est, a superis regeretur, quamvis per individua & species hoc negare quodammodo conarentur. Nos autem, ut fas est credere, teneamus cuncta divini numinis arbitrio gubernari; ut cum ad istud notabilissimum opus assumptionis apostolicae pervenerimus, nedum a Deo fieri, sed maxima & singulari providentia dispensari credamus. Quo fit ut Deus ille qui totus bonus est, aut ipse idem hominem secundum cor suum ad apicem tantae dignitatis assumat aut formet & efficiat jam assumptum. Et cum par sit credere illam Dei providentiam in iis quae majora sunt efficacius aspirare, qua ad volendum bona potenter impellimur, & ad operandum efficaciter adjuvamur, cui dubium fiat vicarium suum spiritus Dei gratia repletum in virtutum perfectionem ascendere, tantoque ab hac communi virtutum sede, in qua etiam virtuosos ducimus, ascendendo digredi quanto eum contingat dignitatis culmine ac honoris statu a ceteris elongari? Sed ego in re notissima diutius moror ut id exprimendum assumpsi ad quod sigillandum nulla videatur eloquentia posse sufficere. Finem igitur faciam. Jam enim longius progressus sum quam opus foret. Laus igitur illi summo bono, qui & Ecclesiae suae dignum caput praefecit, & tibi in rebus dubiis & quodam quasi naufragio ad portum salubrem non nudum in tabula, sed cum navi tota feliciter applicavit. Ego autem bene valeo, & in dies novam primamque prolem de conjuge cara laetabundus expecto. Jam Brunum & Loisium benedici jubeo, & ipsos quatenus valeo benedico. Lucae quarto Kalend. Februarii.

---

*Regi Francorum commune Florentiæ, manu Colucii Cancellarii.*

SErenissime & Christianissime Principum, metuendissime Domine, & hujus regii populi spes unica & praesidium singulare. Quoniam nulla tam sublimis sapientia fuit unquam quam ignorantia facti saepe facileque non fallat, oportet devotionem nostram de conditionibus Italiae pauca praemittere; quae si diligenti ponderentur examine, dabitur ea scientibus sine dubio non errare. Est igitur in hac orbis parte & antiquitus diu fuit detestabilis factio quae dicitur Gebellina. Haec quondam Ecclesiae Romanae persecutoribus Imperatoribus & aliis semper favit. Est & altera quam Guelfam vocant, quae summis Pontificibus semper adhaerens, contra persecutores hujusmodi se objecit. Hujus sanctae catholicaeque fortis An 1404.

hic

bic devotissimus maiestatis vestrae populus se caput & pugilem semper gessit. Restituta quidem haec civitas, quam Totila Dei flagellum crudeli proditione deleverat, restituta quidem dicimus a gloriosae memoriae Karolo magno progenitore vestro, cum eodem auctore suo per Dei gratiam sic incepit Ecclesiae Romanae favere quod capto depositoque Desiderio virtute Principis antedicti, favores Ecclesiae tunc inceptos nullis temporibus dereliquit. Quae res causa fuit ut illius diabolicae factionis principes semper habuerit noster populus inimicos. Unde factum est ut in Tuscia jugiter contenderimus cum Pisanis & infaustissimam progeniem Vicecomitum in Lombardia, postquam turpi saevaque tyrannide Mediolanum patriam suam exemplo turpissimo subegerunt, ad nonaginta & amplius annos semper oppositam habuerimus & infestam. Cum his antiquis & naturalibus, ut ita loquamur, hostibus infinita bella gessimus, & a quindecim annis citra dum ligas & foedera rumpunt, paces violant, nostramque quaerunt opprimere libertatem auctore detestabilis memoriae Comite Virtutum eodemque Mediolani Duce, jam ter bello publico compulsi sumus in defensionem nostram arma movere. Nunc autem hoc ultimo bello, quod ejus heredes contra nos infestis animis prosequebantur, per Dei gratiam abstulimus eis plurimas civitates, Senas videlicet, Perusium, & Assisium in Tuscia. In Æmilia vero, quam Lombardiam vulgo dicimus, tyrannidem istam depulimus ex inclita civitate Bononiae, quam ipsorum pater infideliter occupaverat; & in eadem provincia potentissimam urbem Parmensem atque Placentiam & oppida infinita citra flumen Padi fecimus contra dictam tyrannidem rebellari. Trans Padum autem in regione Liguria exemimus ab illius servitutis jugo Cremonam & Laudem oppidumque quod Cremma dicitur, & finaliter urbem munitissimam Veronensem. Omittamus Pergamum, Brixiam, Alexandriam, atque Cumum, & castra quorum infinitus est numerus, quae vel attentatis rebellionibus pene destructa sunt, vel in statum libertatis se completis inceptis viriliter redegerunt. Nec haec tam magna, quae supra potentiam quidem humanam sunt nobis arroganter ascribimus, sed, sicut decet, a divina solum clementia reputamus. Accedunt felicitati nostrae motus incredibiles. Mediolani populus quidem ille in tumultum multociens concitatus magna gessit, plures tyranni officiales atque satellites interfecit, stipendiarios & mercenariam manum urbe depulit, custodiam portarum assumpsit, & tandem praesidium quod cittadella dicebatur, gentium armorum tutum hospitium & receptum, solo violentis manibus diruentes aequarunt. Omnia post ruinam inceptam titubant atque nutant. Et denique summa tyrannidis hujus dies & irreparabile fatum venit impetu tam praecipiti tamque proclivi quod nisi Deus deserat causam suam, mox nihil supererit ad vincendum. Huic tantae securitati & gloriae nostrae sola restat in Tuscia urbs Pisana; quam perfidus ille tyrannus de manu * tyranniculi quem ibidem fovetat, tamquam justissimus esset dominus, pretio non modico fuit mercatus. Nec eum latebat tali venditore se prorsus non posse dominium aliquod adipisci. Sed voluit, cum illa civitas portus noster sit, unde solet pene quicquid mercanciarum & rerum recipimus advehi & alimentum nostro populo ministrari, sicque permixtis oppidis conjunctissima finibus nostris, nos tam opportuna commoditate privare & velut obsessos in suam nos compellere voluntatem. Dicitur autem hanc urbem testamento singulariter, proh nefas, filio suo spurio reliquisse. Quae quidem abominatio tanta est quantam vix possunt homines sustinere. Quid enim est videre miseram illam antiquissimam civitatem oppressam tyrannide vix adolescentuli spurii Ducisque mortui adulterae concubinae? Quae quidem omnia praefatum esse voluimus ut quantum epistolaris brevitas patitur, videre possit regia celsitudo statum rerum & conditionem Italiae meliusque de ceteris quae scribere non oportet & convenientius judicare. Cum hoc itaque, proh pudor, adultero filio matreque sua turpissimo Ducis scorto, certi venenosam viperam Tuscia pellere, bellum continuum gerebamus. Nec dubium est quin necessarium foret ipsos vi vel foedere dimittere Pisas, liberare tanta peste tantoque dedecore Tusciam, & secum venenosum anguem suum in Liguriam reportare. Inter haec autem, quod nunquam potuit nostra devotio cogitare, illustris & magnificus Dominus Dominus Johannes Bouciquaud regius civitatis Ianuae gubernator ad nos suum destinat oratorem, per quem aperte denuntiat se vice vestrae celsitudinis illum spurium civitatis Pisanae tyrannum & adulterum tyranni filium in protectionem & clienteiam cum omnibus quae possidet recepisse, monens quod ob reverentiam regiam a bello debeamus & offensionibus abstinere. Et quid putat vestri culminis altitudo turbationis fuisse in hoc toto populo nostro, videntibus cunctis hostem antiquum, cum quo pro libertate, quam nobis tradidit auctor noster inclitae memoriae Karolus magnus Francorum Rex, nonaginta jam annis dimicavimus, nomine vestro protegi, cumque ruiturus esset paratis omnibus & exercitu valido quibus eum aggredi volebamus, solum in nostrum exitium praeservari. Quid autem gravius in nos committi potuit etiam ab inimicis quam hujus stirpis germen in libertatis nostrae periculum, cum in ruinam pergeret, juvari, foveri, defendi. Parcat Deus hunc talem injuriam nostram Bouciquaudo. Parcat siquidem sibi Deus, quoniam in puritate maxima non in offensionem nostram hoc credimus eum fecisse. Sed non parcat illis qui cogitaverunt manu regia nos confundere & hoc periculosum nostrae libertatis objectum diabolicaeque factionis Gebellinae fontem & fomitem conservare; cogitaveruntque inter nostrae devotionis habitum & benivolentiae vestrae clementiam, quae profecto nec hinc nec inde comminui possent nec aliquod generare diffidium vel malivolentiam excitare. Sed ad principale propositum redeamus. Certi sumus haec omnia non solum praeter, sed contra vestrae serenitatis vestrique gloriosi consilii conscientiam processisse. Quis enim sanae mentis putare debet quod tanta majestas foedissimam tyrannidem tyrannosque, quos persequi & extinguere debeat, contra suos devotissimos filios protegat vel defendat? Ergo temporibus nostris videbimus conspicuum & gloriosum regni Franciae diadema tam abominabilis operis infamia maculari quod per orbem terrarum defensor & clipeus turpis & saevae tyrannidis appelletur? Regale quidem officium est scelera persequi, nefanda corrigere, sed tyrannos super omnia conculcare. Regum opus esse dinoscitur oppressis succurrere & de libertate laborantibus, ne perire valeant, subsidium ministrare; ut quotiens contrarium cernitur, nullo modo facto vel consilio regium opus apud eos qui recte sentiant judicetur. Dolemus ergo, clementissime Princeps, victoriam quae in manibus nostris auferri & praetextu vilissimi census erat contra perfidum inimicum hoc nescimus quo fœdere de manibus nostris auferri & praetextu vilissimi census & tamquam regius honor sit, non dedecus & infamia, tyrannidem alterius in protectionem suscipere, vestris & nostris hostibus postponi. Semper enim detestabilis Vicecomitum ista progenies, cunctique quos habet Italia Gebellini tam Ecclesiae Romanae quam pugilum ejus, inclitae videlicet & Christianissimae domus Franciae fuerunt, quicquid plerique blandiantur, & quandoque simulent vel dissimulent, inimici semper fuerunt & nostri. Non enim diligere possunt filios qui patres & auctores nostros semper odiosissimos habuerunt. Sciunt enim quoniam ipsos dilectione prosequi non possemus. Quamobrem sublimitatis vestrae benignitati solitaeque clementiae supplicamus quatinus haec omnia quae contra nos facta sunt dignemini revocare, si forte per errorem recepta sunt, vel si recipienda mittantur, sicuti sperat nostra devotio, reprobare, gubernatorique vestro praecipere quod ab inceptis

* Supra lineam minutiori charactere, Iacobi de Appiano.

ptis resiliat, & in pristinum statum cuncta reponens, haec quae facta sunt nullatenus prosequatur, & nos sicut devotos & filios majestatis vestrae debeat in omnibus confovere: quo totum cernere possit Latium nos vobis tales esse filios quales semper fuimus ab omnibus reputati. Pateat nobis vestra serenitas si debito fuerimus longiores. Nondum enim quantum oportuit dictum est, & ob id quae restant per nostros supplevimus oratores, quos per Dei gratiam e vestigio transmittemus. Serenitatem vestram, cui nostram & totius populi nostri devotionem, quae quidem summa est, cum reverentia commendamus, incolumem & felicem dignetur altissimus pro defensio-
An. 1404. ne Christianitatis & unione sanctae matris Ecclesiae conservare. Datum Florentiae die xxiv. mensis Aprilis, nativitate gloriosissimi sancti Georgii, duodecimae Indictionis millesimo quadringentesimo quarto. Caeterum dignetur vestra clementia nobis per latorem praesentium respondere, concedendo devotioni nostrae licentiam quod citra vestrae majestatis indignationem incepta nostra viriliter prosequamur. Datum &c.

---

Ex Cod. VI Misc. Bal. pag. 535

LEonardus Aretinus Kyriaco suo Anconitano salutem dicit. Quid mihi dabis, Kyriace, si de urbe Anconitana tibi multa & praeclara vetustatis monumenta ostendam quae tu nunquam vidisti; licet Acarnaniam totam cum Ætolia & Bœotia lustraris, ac Peloponesum Spartamque & Argos inspexeris & quicquid antiquitatis est illustrius, & Athenarum propylea nobis descripseris? Ego tamen, dum tu peregrinando aliena conquiris, ipse manendo domi tua id est patriae tuae monimenta tibi invisa incognitaque prospexi. O magnam vim animi nostri ac penitus divinam! Siquidem dum stamus domi, ipse peregrinatur, nec distantia modo locis adit, verum etiam quae jam mille annis gesta sunt tamquam praesentia tuetur. Sed ne te per longa demorer, aperiam quid rei sit. Scripsi noviter libros quatuor de bello Italico quod Bellisarius & Narses Justiniani duces adversum Gothos gessere. In eo bello multa ac præclara de patria tua Anconitana reperi, ac reperta literis perscripsi. Nam & obsidio ejus urbis terra marique a Gothis agitata, in qua septuaginta quinque naves longae pugnaverunt, & situs oppidi qui tunc erat, ac cetera permulta memoria digna referuntur, in quibus scribendis tu etiam aliquid mihi caloris atque impetus addidisti quae tibi ac civibus tuis perplacitura existimabam, & sunt maximo ornamento vestrae civitati. Est autem haec non translatio, sed opus a me compositum, quemadmodum Livius a Valerio Antiate vel a Polybio Megalopolitano sumpsit & arbitratu suo disposuit. Hanc vero historiam meam si tu inspicere velis, non aliter tibi ostendam quam si omnia epigrammata omniaque vetustatis monumenta quae in toto orbe terrarum collegisti ad me feres. Vale.

---

*Alamanni Cardinalis litteræ de celebrando festo sancti Josephi.*

Ex L. VII. Misc. Bal. pag. 347.

ALamannus miseratione divina tituli sancti Eusebii Presbyter Cardinalis Pisanus, in Remensi, Senonensi, & Rothomagensi provinciis, civitatibus, & dioecesibus apostolicae sedis cum plena potestate
An. 1414. Vide epistolam Joan. Gersonii de eodem festo celebrando. Legati de latere Nuncius, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & sinceram in Domino caritatem. Libenter intendimus ex injuncto nobis officio ad ea quae religionis Christianae cultum augmentandum respiciunt. Propterea sane, cum nobis insinuatum fuerit fide digna relatione de justo Joseph viro Mariae & filio David, sic enim eum evangelicus sermo denominat, quod apud partes ultramarinas & alias quasdam nationes sit celebris solemnitas de eodem justo Joseph & virginali conjugio suo cum Maria matre Jesu, (Nec obsistit si ante Christi passionem & resurrectionem & in caelis ascensionem existimetur idem Joseph decessisse, veluti de sancto Johanne Baptista nulla est ambiguitas, cujus ortum & obitum nihilominus Ecclesiam celebriter recolere nemo nescit, simile hujusmodi de beata Anna matre genitricis Dei & socru Joseph, item de septem fratribus Machabaeis legimus esse factum) digna nobis prorsus res visa est, præhabito sapientum devotorumque consilio, ut licentiam auctoritatemque præstaremus, quam & praestamus per præsentes, omnibus & singulis infra terminos legationis nostrae constitutis quod memoriam sanctissimam prænominati justi Joseph viri Mariae & filii David ac nutricii custodisque fidelissimi Domini nostri Jesu Christi sub officio solemni tam in Missa quam in matutinis & vesperis ac caeteris horis canonicis excolant diebus & horis & canticis ad hoc ipsum idoneis; quemadmodum super hac re sacratissima nos ipsi jam scripta perlegimus sanctitate plena atque veritate, quae in publicum possunt nedum edi absque reprehensione, sed cum multa aedificatione deduci, legi, solemniterque cantari. Porro dies opportunus pro celebri commemoratione transitus sancti Joseph est ille quem ultramarini dicuntur observare, videlicet dies octabarum beatae Mariae. Caeterum dies, actio, modus pro solemni commemoratione virginalis matrimonii beatae Mariae cum justo Joseph per decantationem hujus evangelii *Surgens autem Joseph a somno &c.* Matthaei primo in fine in matutinis & in Missa est feria quinta jejunii quatuor temporum in Decembri, quando feria quarta decantatur hoc evangelium *Exurgens autem Maria abiit in montana*; prout ex probabilibus argumentis invenitur haec congruentia seu consonantia deducta fuisse scriptisque mandata. Datum Parisius iv. Kal. Augusti, pontificatus Domini Johannis Papæ XXIII. anno quinto.

---

*Epistolae tres Nicolai de Clamengiis.*

COgunt me, o Principes incliti & viri militares, Ex L. VI. Misc. Bal. pag. 539.
vosque catholicae religionis ceteri professores, immanissima vobis omnibus totique coetui Christiano impendentia mature pericula vos alloqui vestrasque, nisi pia Christi subveniat miseratio, inauditas calamitates scim valde necessarias vobis enuntiare. Quamvis etenim humilis sortis homuncio sim, nec persona vobis nec fama nec nomine forsitan cognitus, Abacuc tamen sanctus propheta nobis aperte insinuat quod in tantae necessitatis articulo quantus instare dicitur, non modo pusilli cum majoribus minime reticere debent, sed lapis etiam ipse de pariete validius clamare. Ecce Machometicae superstitionis profanos sectatores cum innumerabili exercitu undique in Christianos audimus fines patrios irrumpere. Hinc namque Syri & Ægyptii ceterique orientales Machometici classe innumerabili per mare mediterraneum ad Christianae religionis exterminium properare dicuntur, & praecipue ad Italiam urbemque Romam, quae Christianae professionis caput atque firmamentum est, perceleriter accessuri fama nunciante feruntur. Ceterum quantum ad Africam, quae ad meridiem vergit, facile per regnum Granatae possunt quantalibet agmina Saracenorum in Hispanias introduci ad Hispaniae totius atque Galliae imo Christianae religionis universalem vastitatem atque profligationem. Denique quantum ad Ungariam, Sclavoniam, ceterasque partes septentrionales attinet, juge illic assiduumque cum Machometicis illorum locorum bellum esse dicitur, qui non modo urbes multas & oppida, verum provincias & regna jamdudum occupasse feruntur, & nova assidue & incessanter occupant. Quae cum ita sint, quod nos infelices crucis Christi professores agimus, quid

inter-

inertes otiosique ultra dormitamus? Quid praeterea bellis civilibus atque intestinis undique in cassum vires nostras consumimus, robur enervamus, Christianae religionis cultores destruimus, & inimicis crucis Christi in crucis ipsius exterminium viam pandimus, qui nostris feralibus excitati discordiis congruam opportunitatem nostrae ruinae desolatoriae se undique nactos esse gloriantur? Expergiscimini tandem aliquando, orthodoxi Principes, apertisque mentis oculis, quanta catholicae professioni, in qua nati & educati & in Christo regenerati estis, a canibus Ægyptiacis calamitas impendeat perspicite, qui nullam aliam occasionem adversum vos atque confidentiam fines undique catholicos invadendi susceperunt nisi propter scismata & dissensiones & bella feralia quae undique inter nos fervere cognoscunt. Quos igitur ad nostrum excidium bella nostra concitaverunt, solidae pacis compositio a bello nobis inferendo deterreat, qui procul dubio quos discordes merito contemnunt, bene pacatos & concordes contremiscent. Necesse quippe est illam vocem Salvatoris evangelicam inconcussa certitudine ratam esse: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur*. Undique inter nos bella fervent, odia saeviunt, ferales vigent discordiae, quae potissima semper consueverunt regna dilapidare: quoniam, ut Romanus quidam praeclare scripsit, *concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur*. Ecce validiori cum exercitu anno quolibet gens illa prophana fines Christianos ingreditur in excidium universale, nomen atque fidem Christi, nisi aliter occurramus, cito redactura. Quid in tanto constituti periculo ultra dormitamus & ingruentia omni ex parte discrimina non vigilanter attendimus? Sero, mihi credite, ad remedium evigilabimus, si temporis opportunitatem nunc abunde nobis oblatam otiose & inutiliter abire permittamus. Bella inter vos a seminatore zizaniorum tantis ex partibus excitata per opportuna pacis foedera aut longiores inducias interim sopite & intermittite, ut una mente, uno animo, una concordi voluntate sacrae religionis adversariis obsistatis; quos si adversum vos invalescere vestris intestinis contentionibus permiseritis, aut ad suae superstitionis impium errorem, fide Christi repudiata, vos compellent, aut dira & crudeli morte jugulabunt. Bona vestra coram vobis auferri videbitis, discerpi, ac dilapidari, liberos vestros ad supplicium rapi, uxores violari, virgines stuprari, vos ipsos in servitutem intolerebilem abduci, templa praeterea incendi, sacerdotes necari, sacramenta omnia profanari. Et quis ita esse poterit a judicio rationis atque ab humanitate alienus qui non potius mori eligat quam aut talia pati aut etiam cernere, quae nobis, nisi fallor, cunctisque fere catholicis aut perferenda sunt aut oculis perceleriter intuenda, nisi tam validis hostibus, tam copiosis, ac numerosis invicem pacificati concorditer obsistamus: qui sicut nostris inducti divisionibus fiduciam nos oppugnandi susceperunt, ita nostra unanimi concordia deterriti nos ultra bello lacessere formidaverint. Quocirca per clementissimam Christi pietatem vobiscum sedulo versate, incliti Principes, quanta vobis atque vestris religionibus totique orthodoxae fidei ab his truculentis bestiis ruinae ac desolationis impendeant discrimina, & ad potenter occurrendum nefandissimis illorum conatibus, quibus nomen Christi funditus de terra tollere moliuntur, una mente, uno animo, una concordi caritate vos aptate ac praeparate. Sicut enim salvator noster redemptorque clementissimus pro nostra salute animam posuit, ita in tantae necessitatis articulo pro conservatione suae sacrae fidei in tam ingenti periculo constitutae non debemus universi reformidare animas ponere. Semel quippe nobis omnibus, qui mortales conditi sumus, debitum mortis exsolvere necesse est. Ubi autem laudabilius id agere possimus quam adversus impios hostes sacrosanctae religionis Christianae, in qua sola salus & vita caelestisque consortii spes inconcussa consistunt? Saepe pro temporali aliquo honore, fructu, vel commodo inter Reges atque Principes catholicos bella immania geruntur. Quare ergo contra hostes Dei legis atque fidei pro aeternae salutis hereditate non libenter suscipientur, viriliter gerentur, strenue conficientur? Ista sunt bella Dei, exercitus Christi, acies fidei, ubi pro Christo vero Deo & salvatore nostro, pro suae legis integritate, fideique intemerata conservatione contra diabolicum dimicatur exercitum. Aptent itaque ac rite praeparent quique clarissimi Principes, strenui Milites, & uno absolvam verbo, quique catholici fideles, pro illoque vitam exponere non dubitent, qui pro illorum salute suam exposuit, nec sub tali trepident ductore contra perfidos ejus hostes confligere. Corda tergant, mentes emundent, conscientias discutiant, onera suorum peccatorum per poenitentiam deponant; quo talis ducis consortio non indigni habeantur, qui in suo contubernio nonnisi mundi corde habere gloriatur. Talibus adest, tales adjuvat, talibus triumphum largiri consuevit. Denique militarem observent disciplinam singuli qui in sacro Christi exercitu sunt militaturi, quique illum adjutorem, tutorem, atque propugnatorem habere desiderant. Alioquin qua temeritate de illius opitulatione sperare poterunt qui id agunt de quo dictum est: *Comportare juvat pradas & vivere rapto*. Ista quippe sunt quae nostros conteri saepe faciunt exercitus, saepe vinci, saepe fugere, saepe ab hostibus opprimi, quaeque in hostium conspectu nos pavidos faciunt ac formidolosos. Cum sit enim semper pavida nequitia, facile in se confunditur scelerata conscientia; tuncque suorum solet plerumque scelerum reminisci quando justa de illis ultio sumitur. Haec ad vos, principes incliti, ceterique strenui ac militares viri, qui adversus hostes istos immanissimos Christi religionis propugnatores esse debetis, zelo Christianae fidei, quo pro modulo meae tenuitatis aliquantulo fervesco, scribenda censui, quo vestris sinceris mentibus ad id ipsum quod suadeo & sua ut arbitror, sponte & caelesti nihilominus instinctu satis voluntariis, calcar etiam aliquantulae exhortationis adicerem, de meoque talento in tanta necessitate debitum exolverem. Valete, incliti Principes; vestrique gradus & vocationis, officii insuper ac jurisjurandi in tantae necessitatis articulo mementote.

---

*Ad Symonem de Bergeriis.*

NIhil jam mihi superesse videtur in epistolari salutatione collegii dilectissimi nisi Symonem etiam dilectum, ne se se oblitum causet, superioribus attexere, qui tam nominis quam cognominis quod videtur praesagio pastoralis vigilantiae titulum sortitus. Utinam nomini res aliquando respondeat, Symonique alteri rursus suum ovile regendum Dominus committere dignetur. Quamquam enim jam pusilli gregis & de sorte secunda ille pastor & rector est, attamen potens est Dominus, qui ad pastoralis apicis summa gubernacula Symonem de navi vocavit & principem super plebem suam illum constituit, hunc etiam Symonem nostrum, imo Symonem suum, de inferiori, ut ita dicam, bergeria ad superiorem celsioremque provehere; ut tunc ex humili statu in sublimiorem provectus, & quasi de exigua, ut ita dicam, caula sive bergeria ad foecundiorem vocatus, foetuque opulentiore, jure optimo de Bergeriis cognominari mereatur, & qui jam Symon est, id est, obediens, Barjona tandem a Bergeriis; quod filium columbae sonat, nuncupetur, qui verba Domini non surda aure exaudiens, cum columbae simplicitate serpentis novit astutiam convertere, ne versuta improborum calliditate quandoque supplantari possit. Estote, inquit, prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbae. Solet serpentis astutia pro salute capitis totum corpus persequentibus obicere. Et nos, ne in nobis caput nostrum,

Chri-

Christus scilicet, aut fides ejus interest, cuncta debemus oppressoribus atque tyrannis exponere. Alioquin quae capite dempto potest in nobis vita relinqui? Denique fide extincta, quae in homine potest infelici ac misera illi spes salutis atque propitiationis superesse, cum sine fide impossibile sit placere Deo? Tu exigua haec raptim exarata, Symon mi dilectissime, aequo animo, ut omnia soles, accipies; quae idcirco cum collegis aliis ad te percurrere libuit ut tui apud me memoriam aut locorum mutatione aut personae absentia nequaquam interisse tibi posset constare. Vale felix, ut tota mente te valere semper opto. Datum Pruccini.

*Ad eundem.*

TUo exhilaratus sum vehementer scripto, quo ad meas naenias foecundioris inopia materiae inaniter effusas, ne in oblivionem apud me venisse videatis, graviter, ornate, & eleganter respondendum censuisti. Itaque gratias habeo jocularoriis illis scriptis quod tantam in conspectu tuo gratiam meruerunt ut grandem, foecundam, & perpulcram mererentur responsionem, magis utique ex bonitate interpretis quam ex vi aut efficacia alicujus sui valoris. Quis autem litterarum tuarum perlator fuerit ignoro. Neque enim perlator ipse eas mihi reddidit, illarum forsitan negligenti erubescens custodia, utpote quae in superficie adeo aqua, uti interpretor, caelesti erant madefactae ut in plerisque locis papyro fragili unda penetrata atque consumpta littera penitus deficeret. Pauca tamen fuerant quae usquequaque lectorem fugerent. Placuit autem valde in illis tui animi temperatissima modestia, qua de temetipso sobrie sapere nec in magnis ambulare & mirabilibus super te consuesti, & laudes proprias magis aspernari quam glorientur amplecti didicisti. Denique res illa etiam placuit, quod magnopere poposcisti in calce litterarum tuarum ut si qua deinceps ad te scribere in animum inducerem, satyrice potius quam lyrice vel joculariter scribere consuescerem. Qua in re, si vitam Christus annuerit, tuae petitioni morem gerere constitui. Vale, & domum dilectam in capite & membris saluta. Datum Pruccini XX. Augusti. Per te commendari posco fratri majori tibi noto Johanni Dayguy, carissimoque praeceptori vicino suo.

## PHILIPPI ARCHIEPISCOPI

### ARELATENSIS EPISTOLA AD CAPITULUM ECCLESIÆ ARELATENSIS.

*Venerabilibus & egregiis viris Dominis Præposito & Canonicis venerabilis capituli sanctæ Arelatensis Ecclesiæ, fratribus & amicis meis præcarissimis.*

Ex Lib. IV. Misc. Bal. pag. 522.

VEnerabiles & egregii viri, fratres & amici mei praestantissimi, salutem. Posteaquam Deo permittente & Pontificis maximi indulgentia ita factum est ut ego, qui tot annis Ecclesiae Auxitanae ea quam Dominus dederat cum moderatione praelatus fui, ad vestram Arelatensem transferret Ecclesiam, nihil fuit in quo magis consolarer quam celebre ipsius Arelatensis Ecclesiae nomen religionisque conformitatem. Non enim videor Ecclesiam dimisisse priorem, cum idem ordo eademque observantia apud vos sit. Aliquid tamen longe majus me nactum existimo, dum ad quietiorem beatioremque vitam translatus sum, vos mihi fratres habiturus, quibuscum summa caritate & benevolentia omnia agere tractareque licebit. Moregerendum praeterea fuit majoribus nostris, atque omni ex parte obsequendum, in quo etiam animus meus voluntasque consuevit. Itaque gratam hanc suscipiens translationem, licet illam antea scire potueritis, de ea tamen vos meis litteris certiores facere decrevi, arbitratus id pro vestra in me humanitate & benivolentia vobis satis placere. Nam etsi de me polliceri non possim quod plerique vestri Praesules dignitate, excellentia, religione, & sanctimonia longe me majores praestiterunt, in primis autem reverendissimus Dominus meus Dominus Cardinalis de Fuxo apostolicae sedis Legatus, conabor tamen pro virili mea parte sic efficere ut Ecclesiae meae vobisque non inutilis videri possim. Neque vero ut novus tyro ad hanc accedo dignitatem. Vos igitur ut eximios probatosque viros, mihi autem carissimos fratres, oratos velim ut grato animo hilarique vultu hanc nostram suscipiatis translationem, meamque juvenis infirmitatem, si quando humanae naturae imbecillitate non ea omnia praestare potero quae vellem ad felix Ecclesiae vestrae sponsaeque meae regimen vestrorumque omnium amplitudinem & conservationem. Confidens tamen immortalem Deum, cui supplex humilisque esse conabor, sua bonitate ac immensa pietate ea vobis mihique large praebiturum quae suae divinitati grata fuerint, ut Ecclesiae obsequiis insistentes, & nos mutua caritate confoventes, sibi in odorem suavitatis ac omnibus bene sentientibus mortalibus placere possimus, quo ad beatas sedes bene agentibus promissas spes nostra diffundatur. Valete mei amantissimi fratres, meque summa cum benivolentia suscipite, ut omnibus in rebus vobis libero animo rem gratam efficere possim, expectantes me ad paucos menses, intra quos apud vos esse constitui, semper paratus ad omnia vestrorum omnium obsequia. Romae die XXVI. Martii 1463. *Philippus Archiepiscopus Arelatensis frater vester.*

*Ad illustrissimum & excellentissimum Dominum Machomet Bei Magnum Admiratum & Sultanum Turchorum Roberti Valturrii Ariminensis pro illustri & magnifico Principe & Domino Sigismundo Pandulfo Malatesta, cum librorum rei hujusce militaris ac Matthaei Pasti Veronensis transmissione, epistola.*

CUpienti mihi, Principum universi orbis decus admirabile, ad te aliquid scribere, idque cognita & perspecta mihi ex multorum nec obscuris nec incertis hominum sermonibus ingens fama plurimae & accumulatissimae virtutis tuae facere suaderet, cum nihil sit quod tam delectet tamque ad se hominum mentes alliciat, nihil sane occurrebat quod quidem ad te scribendum putarem. Nam si ut ad amicum & familiarem, verebar ne parum prudentis videretur, cum nullus mihi superiore tempore usus tecum ac necessitudo intercessisset. Sin ad extraneum aut alienum aut ignotum longeque a me terrarum tractu disjunctum, loquacis & inepti, qui neque ullum quidem necessarium haberem epistolae argumentum. Si autem te, ut saepe solet ad majorem, litteris provocarem, ne me jure contemneres; quippe qui veluti aquilae vespertilio vel Atlanti Pigmaeus assurgens, ex me ipso nihil afferre possem quod amicitia tanti Principis dignum videretur. Sic nec tacendo quiescere prae amore & desiderio quo in te flagrabam maximo poteram, neque tibi tam vehementer bello & armis onerato supervacaneis litteris meis obstrepere audebam. Sed hanc quidem........haesitationem & cunctationem meam nuper tu sustulisti...
..... tibique non modo ad te scribendi facultatem, verum etiam te laudandi & in coelum efferendi, si tempus & epistularis brevitas pateretur, materiem uberrimam attulisti. Nam cum superioribus diebus & nuntiis plurimis & litteris nobilis Veneti Heronymi Michaelis factus essem certior te admodum sculpturis ac caelaturis ductilibus in memoriam praeteritorum excellentium virorum & illustrium ducum ac imperatorum, quorum effigies admirari simili modo per-

persaepe cogor, cum rem mutam...... loquentem praesentibus reddant & posteris, praeclara sane res mihi visa est tantoque Principe digna ad immortalitatem comparandam; & quamvis cuipiam forsan levior videatur, eam tamen ego magni momenti magnique ponderis tecum sentiens fore judicem quamquam video Ciceronem ....... nostrum harum rerum cura scribere ad Atticum ut signa perquirat quibus ornet academiam suam, ingenui & generosi quoque animi esse puto delectari illis rebus in quibus artificum manus spirantis ferme naturae similitudinem quasi virtutum incitamenta quaedam expresserunt, quod Alexandrum magnum Macedonum Regem in .......... aliter ac tu in hujusmodi fecisse percelebre est. Hic enim ......... quas modo diximus cupidissimus rerum, non ab omnibus pingi se vel fingi voluit. Quinimo edicto vetuit ne quis se praeter Apellem pingeret, aut alius Lisippo duceret æra fortis Alexandri vultum similantia. Neque id ab re, sed consulte quidem. Nam eodem teste auctore, nec magis expressi vultus per ænea signa quam per vatis opus mores animique virorum clarorum apparent. Qua in re cum Matthæum Passum Veronensem plures jam annos contubernalem, & comitem meum, mirificum harum rerum artificem, ad te pingendum effingendumque mitti summopere postules, crebro virtutum suarum amore succensus, eum omnibus in rebus ita diligentem ut se mihi præstitit ac præbuit, summa scilicet fide, singulari modestia, & impari hac tempestate eruditione, meis maxime officiis ac beneficiis ornatum & auctum, a pluribusque nostrae hujus Italiae ac Galliae cupitum petitumque Principibus, & ad hunc usque diem nulli concessum, ad te solum, sua etiam sponte, mittendum curavi. Et quamquam ipsius virtutum praestantia hominem hunc abunde tibi commendet, eumdem tamen totum in fidem & benevolentiam tuam trado atque ita commendo ut majori cura, studio, ac solicitudine animi commendare non possim. Tuum est igitur illum tua humanitate ac solita benignitate complecti. Vellem nunc, invictissime Princeps, & maxime cuperem eam mihi ab immortali Deo facultatem dari ut in hoc primo desiderio tuo rerumque nostrarum, in hocque primo Matthaei nostri hujus adventu, eximium tibi aliquod munus & tua majestate dignum exhibere possem. Verum cum ejus magnitudo tanta sit ut non facultatem modo meam, sed etiam omnem humanam vim facile excess...... quod unum mihi esse videtur, si quod per me tibi satisfieri pro dignitate ....... modo potest, idcirco te etiam debito aliquo munere privem ......... quod unum in me erat, quodque gratissimum tibi fore putavi, decrevi te meorum studiorum mearumque voluptatum participem facere, & rerum castrensium, opus diffusum quidem & eruditum quibus prae ceteris non solum nostrae hujus aetatis, sed superioris aevi ducibus & imperatoribus sine contradictione uno omnium ore praecellis & merito praedicaris, tuae majestati de ....... statuo, quod obsecro pro tua divina humanitate gratissimis ulnis & ..... mente benigne suscipias. Non enim aurum aut gemmas pollicemur, quae nobis nulla sunt, & tu minime expetis; sed quod unum possumus, unum hoc opus, multorum nobilium ducum dictis factisque refertum, unum cujus praeter hunc animum & ingentem hancque totam quaecumque est facultatem meam ad te, si mori me etiam tibi libeat, ornandum illustrandumque devotissime confero. Vale ad vota, Princeps serenissime; & si non indignissimum judicas, inter tuos me tibi obsequentissimos deditissimosque annumeres.

Hæc epistola scripta fuit ante annum 1463. Nam ex nota in calce codicis apposita patet illum eo anno scriptum esse.

# EPISTOLA SIXTI IV.

*Ad Karolum Ducem Burgundiæ.*

Dilecto filio nobili viro Karolo Burgundiae Duci.

SIxtus Episcopus servus servorum Dei. Dilecte fili nobilis vir, salutem & apostolicam benedictionem. Intelleximus ex litteris tuis, quas nuper accepimus, & admiratum te satis & animo commotum fuisse quod duos Cardinales nobis secundum carnem conjunctos, posthabito dilecto filio Ferrico de Clugnaco Notario nostro, pro quo tot tuae preces intercesserant, de novo creaverimus, quod prioratum de Gigny ordinis Cluniacensis ei qui tunc erat Carpentrasensis Episcopus commendaverimus, & demum quod te inscio ad illas partes nostrum & apostolicae sedis Legatum deputaverimus. Quid etiam dilectus filius Philibertus Hugoneti Notarius noster, tuus in Romana curia procurator, nobis tuo nomine retulerit, diligenter audivimus. Moleste profecto tulimus suscepisse te ex hujusmodi rebus anxietatem aliquam. Neque enim potest paterna pietas mœrorem filii sine molestia audire. Et certe nos quoque commoti non parum animo fuissemus, nisi statim nobis occurrisset excellentiam tuam intellecta ratione consiliorum nostrorum mutaturam statim mentem in melius, & omnem admirationem, omnem suspicionem ex animo ejecturam. Quod igitur ad duos Cardinales attinet, sciat celsitudo tua nos non tam benivolentia & conjunctione sanguinis ad id adductos quam manifesta necessitate. Magna res est gubernaculum Romanæ & universalis Ecclesiae, & ingens est sarcina quam Romanus sustinet Pontifex, ac nisi ad eam gerendam coadjutores habeat idoneos, omnino intolerabilis. Quamvis autem nos venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales haberemus, cum quibus & partiri onus nobis injunctum poteramus, necesse tamen erat habere aliquos domesticos, qui nobis die noctuque assisterent, negotia praesertim temporalitatis Ecclesiae continue referrent, & nobis in cor actum continuis occupationibus prompte & diligenter servirent. Hac igitur ratione adducti creavimus duos Cardinales, qui licet nobis secundum carnem sint conjuncti, tamen & boni sunt & graves: quorum alter artium & sacræ theologiæ professor est, alter pontificii juris antistes. Ferricum vero non ideo posthabuimus quod aut meritorum ejus aut intercessionum tuarum essemus obliti. Sed cum necesse esset eum de novo creare, non poterat hoc fieri nisi simul quibusdam aliis Principibus ac nationibus in re simili satisfieret. Quod bonis rationibus differendum aliquantisper fuit, parvo tamen temporis intervallo, quemadmodum apertius propediem a Legato apostolicae sedis intelliges. Quo intellecto, non dubitamus te bono animo futurum & a nobis id expectaturum quod & tua & ejus pro quo supplicas merita exposcunt, & nostra in te caritas ac benivolentia exigit. De prioratu vero nepoti nostro secundum carnem commendato tantum abfuit ut id tibi molestum futurum existimaverimus ut potius rem nos tuae excellentiae gratissimam speraverimus fecisse, quod & de rebus tuis fiduciam, quod amoris & benivolentiae signum est, cepisse videremur, & hominem nobis carissimum tibi dedisse in eo loco constitutum qui & posset & vellet, prout certe volet, omnibus rebus tuis favori atque adjumento esse. Tuae itaque celsitudinis erit rem hanc non modo aequo animo ferre, sed gratissimam habere, cum praesertim non sit amplius Carpentrasensis sed * Laudanensis Episcopus, & nos ita in ceteris devotioni tuae satisfacere conabimur quod te a nobis paterno amore diligi facile intelliges. Quod autem ad Legatum spectat, si is ad te solum ob aliquod particulare negotium decretus esset, justam fortasse admira- An. 1471.

* Lausanensis.

mirationis causam haberes. Sed longe diversa instituti nostri ratio fuit. Videbamus videmusque, quod vix sine lacrymis possumus scribere, labantem tempore nostro rempublicam Christianam, hostem fidei nostrae potentissimum cervicibus nostris imminentem, Principes vero Christianos, a quibus sperari aliquod praesidium potuisset, inter se ipsos proh dolor diffidentes & arma inter se mutuo convertentes. Cupientes igitur huic rei, quantum fragilitati nostrae divina bonitas suggeret, omni studio viribusque consulere, decrevimus Legatos ad omnes Principes nationesque Christianas, qui intestina odia tollere, discordias pacare conarentur demum illorum animos ad defensionem Christianae fidei in tanto periculo & jam atroci persecutione excitarent; inter quos ad carissimum in Cristo filium Francorum Regem & excellentiam tuam elegimus venerabilem fratrem Cardinalem Nicænum Patriarcham Constantinopolitanum, qui, ut praestantiam & virtutis ejus ac summum fidei fervorem ominamus, jam triginta duobus annis bonae memoriae genitori tuo sibique ac omni familiae tuae deditissimus fuit, negotiis tuis & dominiorum tuorum semper favit, te vero ita amat & colit ut non dubitemus excellentiam tuam solo ejus nomine audito & deputationem nostram gratissimam habuisse & adventum ejus summo cum desiderio expectare. Intellexit igitur celsitudo tua relationem deputatorum Legatorum, ad quod non erat tua vel aliorum Principum intentio requirenda. Nunc, quod superest, te omni animi affectu, quemadmodum per alias nostras litteras fecimus, hortamur ut res inter Christianissimum Francorum Regem teque & alios Galliarum Principes tua singulari prudentia ita dirigas atque componas ut Legatus noster in suo adventu omnia parata inveniat, solaque sigilli impressio & auctoritatis apostolicae interpositio supersit; quo compositis provincialibus rebus, tractari statim de negotiis Christianae reipublicae possit; in quibus omnibus adsis & consilio & favore, cum tu & propter praesentia & propter prudentiam tibi a Domino datam ac rerum experientiam omnia media intelligas quae ad hujusmodi nostrum piissimum desiderium conducunt. Magna sunt monumenta meritorum quae genitor & progenitores tui in sanctam Dei Ecclesiam & hanc sacratissimam sedem contulerunt. Non minor in te est virtutum praestantia, nec minor animus, nec per Dei gratiam minor potentia; devotionem quoque in Ecclesiam Dei & ardorem animi in his quae ad defensionem Christianae reipublicae pertinent, non minorem immo majorem fore & optamus & speramus. Auge spem nostram, fili dilecte, & ad tam necessarium opus omnes vires tuae bonitatis effunde. Te vero & dominia tua ac res tuas omnes semper haec sedes omni caritate ac benivolentia complectetur, & quantum cum Deo poterit, honori tuo & statui favebit. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, duodecimo Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

---

# LEONIS ALLATII

## EPISTOLA

## AD

## JOANNEM MORINUM.

*Clarissimo eruditissimoque viro Joanni Morino Leo Allatius S. P. D.*

Ex L. I. Misc. Bib. pag 487.

Dici non potest, vir praestantissime, quanta laetitia afficiar & gestiam voluptate cum mihi tuae literae perferuntur. Fit quandoque ut magnifice me etiam inter amicos inseram. Illis enim aliquid sapere mihi videor cum mihi Morinus (qui vir!) melioribus suis curis neglectis dignatur aliquid scribere, quo ipse melior semper evado, καὶ γηράσκω διδασκόμενος. Tu plane melius, doctrina & eruditione qua polles, dubiis, si a me proponerentur, respondisses. Ut tamen morem geram, in negotio poenitentiae Graecorum usum quam brevissime aperiam. Sacerdotes audita poenitentis confessione, dummodo serio poeniteat, injuncta poenitentia, licet gravium peccatorum reus secundum canones gravioribus poenis subjaceat, absolutionem impartiuntur precibus illis atque orationibus quae in Euchologio sunt, etsi postmodum addant post illis hoc quoque: *Vade, habeo te absolutum.* ἄμα, ἔχω σε συγχωρημένον. & quamvis in multos annos eucharistiae communio differatur, eum eo agunt ut reconciliato. Qua absolutione concessa, nullam aliam impartiuntur. Poenitentia completa, sive si diuturniora requirit tempora, nondum perfecta, ad communionem admittuntur. Nec quae in Euchologio habetur εὐχὴ ἐπὶ τῶν ἐξ ἐπιτιμίων λυομένων notat poenitentem post peractam poenitentiam ad primum vel alium Confessarium redire debere, a quo absolutionem, non amplius a peccatis, sed a poenis canonis postulet, quae illi rursus conceditur. Preces enim illae dicuntur & recitantur super ecclesiasticis censuris innodatos, ut ab illis absolvantur. Nec aliud tibi volunt συγχωροχάρτια quibus primum dimissa a

Hunc locum refert Morinus in append. lib. de poen. c. pag. 139.

Confessario peccata vel omissa absolvuntur, quemadmodum in Ecclesia Latina semel absoluta in confessione privata, denuo in generali noviter absolutionis repetita forma videntur absolvi, secundum ea respiciunt absolutionem a censuris ecclesiasticis, & praecipue excommunicationis. Cum enim saepenumero qui censuris aliquem illigavit, nondum absolutionem impartitus mortem oppetit, vel aliis distractus negotiis; quandoque etiam fide Christiana ejurata alio animum advertgrit, nec de reo absolvendo accurat, Patriarchae, vel qui ea potestate pollent, absolutionem concedunt; & ut gratius vel tutius absolutis accedat, similibus chartulis συγχωροχαρτίοις muniunt; idque, si accuratius verba expendantur, aperte elicitur. Epitimia enim apud hos Graecos posteriores fere semper notant censuras ecclesiasticas, sed potissimum excommunicationem, & verba illa, εὐχὴ εἰς τὸ λῦσαι κατάραν εἰς ἀφορισθέντα, nihil aliud significant quam hoc, εὐχὴ εἰς τὸ λῦσαι ἀφωρισμένον, *Preces ad solvendam excommunicationem*. Et licet aliorum quoque delictorum absolutionis mentionem inducant, intelligunt de absolutis, vel saltim stylo curiae Romanae, quo summus Pontifex specialem gratiam faciens a quibusvis excommunicationis aliisque ecclesiasticis censuris & poenis, si quibus quomodolibet innodatus est, ad effectum illarum gratiarum duntaxat consequendum, earundem literarum tenore absolvit.

Ad aliud de ejusmodi epitimiis obnoxiis, an ab Ecclesia cum catechumenis, dum catechumenis id jussum fuerit, egrediantur, scias velim, vir optime, hoc Graecorum statu nullos aut unum catechumenum esse. Turcas enim, si nostram fidem amplectantur, extorres quoque fieri necesse est, cum igne flam-

flammaque severissime in eos animadvertatur, si innotescant. Ex Hebraeis si qui accesserint, domi ab Episcopis instruuntur, postmodum sacris aquis abluti, in communionem cum aliis non multos post dies admittuntur. Cum olim catechumeni erant, erat etiam locus eorum in Ecclesia; cumque illi exibant, Christiani quoque poenitentes egrediebantur, si ex exeuntium ordine erant. Multa de hoc diximus in observatione nostra jam edita de Narthece veteris Ecclesiae. At nunc nullus est catechumenorum locus; & qui alias catechumenis & poenitentibus asserviebat, nunc a mulieribus occupatur in civitate, in monasteriis a fratribus nondum sacris initiatis. Joannes Nilleuta, Simeon Thessalonicensis, & quisquis alius oppositum narrat, sub Christianorum imperio verba faciunt, cum integrum & catechumenis esset & poenitentibus suam stationem in Ecclesia conservare. Haereticorum qui in Ecclesiam veniunt duos ordines, ut tu bene nosti, Graeci recentiores faciunt. Alter est eorum qui licet abluti sunt, ablutio tamen illa nulla est, sive id est defectu formae vel materiae vel alterius successerit, alter quorum ablutionem veluti perfectam probant. Primos bene instructos & ejurata haeresi sacris aquis de novo abluunt, nulla praevia confessione. Secundos bene confessos oleo chrismatis ungunt, ut sacris canonibus praecipitur. Et licet nulla in ritualibus libris confessionis mentio sit, attamen ita usu receptum est ut nullum nisi prius confessum absolutumque ad unctionem admittant. Legi apud plerosque Graecos angelicum monachorum habitum sui acceptione peccata omnia dimittere: de quo egi in opere de consensione utriusque Ecclesiae. Nullum tamen ad hunc diem inveni scribentem, aut dicentem audivi, sacramento hoc confirmationis vel haereseos crimen vel praecedentia peccata deleri. Quare non omittitur confessio, sed eam praeeuntem, licet id scripto non tradatur, unctio consequitur. Et sane in tanta infelicitate temporum mirum non est ex usu nonnulla fieri in ea Ecclesia quae monumentis non traduntur. Usus enim ipse plerumque & plana rerum cognitio facit ut scriptio negligatur. Neque enim fieri posse reputatur ut res adeo trita, & quae communi in usu atque in hominum more & sermone versatur, deperdatur, & qui simile munus obit ab usitata consuetudine recedat. Plura de his scribere non debeo, & praesertim ad te, quo magistro non ego solus sed reliqui etiam omnes in rebus ecclesiasticis addiscendis merito uti possunt. Vale vir praestantissime, & κόσμει τὰν σπάρταν ἂν ἔλαχες, tanto reipublicae Christianae emolumento Romae III. Kal. Mart. MDCLI.

## EPISTOLA WALONIS

*ad Vuidonem Episcopum.*

Ex Lib. IV. Misc. Bal. pag. 442.

DOmino venerabili Vvidoni gratia Dei Episcopo Vvalo peccator, orationem, servitium. Quamvis medicus ipse non sim, novi tamen duo esse officia medicinae, unum quo aegritudo curatur, alterum vero quo sanitas conservatur: quae licet ex unius artis fonte oriantur & profluant, aliud tamen esse videtur appetere sanitatem, aliud ipsius sanitatis inconcussam assequi firmitatem. Illud primum temporalibus rebus, ultimum autem solis aeternis innititur. In altero ergo mortalis infirmitas exercetur, ab altero vero omnis mortalitas absorbetur. Alterum nobis praebet sanctae conversationis exemplum, ulterum praestat interius incrementum. Quia enim inutilia temporalia ab amore nos aeternitatis abruperant, congruum omnino justitiaeque conveniens fuit nos per utilia temporalia ad statum pristinum revocari. Venit igitur medicus ille caelestis qui ex divina virtute & infirmitate humana salutiferam nobis commiscuit potionem, cujus haustu omnium eam bibentium praecordia sanarentur. Habet quidem illud poculum divinum in se ut omnibus prosit, sed non opitulatur nisi bibatur. Bibere autem imitari est. Quisquis igitur illud antidotum amando & imitando ad inferiora transfuderit, profecto nullius impetus morbi saluti ejus poterit obluctari; quia inde super se humana est infirmitas roborata, unde sub se divina est firmitas infirmata. Quia ergo tu mirabiliter medicinae hujus peritia, usu, officioque praepolles, volui nuper tuam adire praesentiam, multa tecum de artis hujus eminentia ejusque professoribus tractaturus. Et ego quidem non dubito ipsam artem semper inreprehensibilem fore, semper inviolabilem, semper invictam. At cum ad professores illius mentis aciem oculosque detorqueo, tanta mihi in eis apparet absurditas ut indignum putem atque nefarium eorum manibus tanta medicamina bajulari. Denique nostris modo temporibus eorum pervicaci temeritate, non solum in dilacerationem Ecclesiae, sed etiam in ipsius artis, quod dictu nefas est, contemptum & injuriam undique prosilitur. Quis enim parvulorum haec jurgia fraterna conspiciens, non in ipsa fide titubet & medicinalis militiae certamina reformidet? Quid vero potest esse miserius quam cum ipsa medicina, quae a modo nomen accepit, excedendo modum nimiumque sequendo quo morbi duxerint, manus vertitur in perniciem, & cujus officium erat mortem repellere, fit ipsa materia moriendi? Haec, proh dolor, nunc fieri cernimus, & dolemus. At magnos animos non ista concutiunt scientes oportere scismata & haereses exoriri, ut partium adversarum conflictibus perfectorum fit fides & vita probatior. Sicut enim lumen tenebrarum comparatione fit gratius, sic nimirum discussa atque convicta amaritudine haereticae pravitatis fit dulcior inventio veritatis. Veruntamen omni studio & ingenti cura est providendum ne in populo Dei, hujusmodi scandala oriantur, aut si exorta fuerint, summa cum festinatione & solerti diligentia comprimantur. Omnia ergo cum caritate facienda sunt, & modeste defendenda est veritas, verbisque mitibus sunt monstra placanda: quia & Orpheus canendo ab inferis reduxit uxorem, & Arion ut marinos fluctus evaderet, fidibus Delphini terga promeruit, nosterque David refugam spiritum a Saul cohibuit modulando. Non ideo certe ista referimus quasi principibus liceat contra Ecclesiam superbire, cum Isaias proclamet non eos debere illudere, ne forte eorum vincula constringantur, & Hieremias arguat optimates & nobiles fregisse jugum & objecisse vincula disciplinae. Noverint igitur principes nullis majorem necessitatem impositam studendi probis moribus quam his qui praecellunt honoribus; quorum scilicet officium est terrori esse malis, ut corrigant, & bonis exemplo, ne corruant. Unde obsecro ne desinas ammonere nostrum egregium Principem ut habeat pacem ad Deum, & omnes turbulentias quibus ejus temporibus conquassatur Ecclesia, correctione morum studeat consopire. Nam sicut eminentium virorum est vitium omne conspectius, multi de illo multa referunt quibus vel ipse pollui possit audiens. Sed absit a nobis de tanto viro tam nefaria credere, & eum vilissimorum spirituum captare praesidia quem in arce regni divina misericordia collocavit. Et ipse quidem me nuper equo Seiano & auro Tolosano donaverat; sed ex cacofeciis vultus ejus facile deprehendi quantum me periculum sequeretur, si sub illo vel cum illo diutius oberrarem. Nam in quodam colloquio subito miris modis expalluit; & nescio quid barbarum fremens, eo me vultu exterruit quo quondam Marius percussorem. Multa tecum familiarius, quae modo dicenda non sunt, conferre volueram, certissime sciens de pectore tuo quasi de quodam divino adytu me responsa fidei congrua relaturum. At ille veredarius quem praemiseram apud Sigebergense coenobium mihi anhelus occurrit, asserens te longe ab Ecclesia tua ultraque Danubium palatinis negotiis occupatum. Ingemui, fateor, & dolui vehementer non me tuis aspectibus tuisque complexibus tuisque alloquiis perfrui potuisse. Scribe ergo quid velis me facere, quidve tu agas, reddas me quaeso tuis litteris certiorem. Vale.

AP-

# APPENDIX
## MONUMENTORUM
## DIPLOMATICORUM ET EPISTOLARIUM
## JOANNIS DOMINICI MANSI
C. M. D. L.

# EPISTOLÆ PONTIFICUM ROMANORUM.

## IN SEQUENTEM GREGORII BULLAM
## PRÆMONITIO
J. D. MANSI.

*IN fine Codicis MS. continentis Synodum Berengarii, qui Lucanæ Ecclesiæ anno 1350. præerat, hunc Gregorii Bullam eadem manu, qua & Synodus, scriptum & Gregorio nescio cui Pontifici attributam reperi. Eu conjectura ad Gregorium X. referendam censui; tum quod propior esset ætati Synodi habitæ anno 1350. cum pariter quod aliis recentioribus Gregoriis non conveniret: Gregorius enim XI. anno pontificatus sui primo Anagnia procul aberat, e qua urbe signatur bulla ista anno primo Pontificatus ejus; Gregorius vero XII. ætati Codicis non convenit.*

*In eodem pariter Codice geminas pariter, quas huic subjicio, literas offendi; quas Innocentio VI. ex conjectura, adscripsi, cum in ipso literarum contextu mentio Cl. bo. mem. Clem. VI. prædecessoris sui a Pontifice fiat.*

## GREGORII X. BULLA
*Contra appellationes Clericorum de incontinentia damnatorum.*

Ex MS. Cod. Bibl. Majoris Eccl. Luc.

An. 1271.

GRegorius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis & Episcopis, ad quos litteræ illæ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem. Desiderantes plurimum ut mundentur vasa Domini cum per fornicationis contagium honestas ecclesiæ nimium inquinetur, pro correctione clericorum maxime super incontinentiæ vitio vobis sub certa forma nuper direximus scripta nostra. Quia vero jacentium in fornicatione sunt aliqui qui tamquam jumenta computrescentes in stercore suo correctiones nullo modo recipiunt, eligendo perire potius quam parere, quorum quidam ut hoc effugiant interponentes ad Apostolicam sedem appellationis obstaculum, aliqui autem circa appellationem in forma communi literas obtinent ab eadem, per quas eos a quibus corriguntur de hujusmodi vitio indebite inquietant. Nos, ne vel tales correctiones super hoc eludere valeant, vel vos hac occasione vexari possitis, providere volentes; cum ad peccatorum defensiones trahi non debeat, quod ad innocentum & oppressorum præsidium est statutum, ne deceat inde defendi crimina, unde consueverunt gravamina relevari, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut per hujusmodi literas nequaquam conveniri possitis, nec etiam teneamini a correctione cessare, nisi series facti contineant, & plenam de ipso fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ v. Kalendas Septembris Pontificatus nostri anno I.

INNO-

# INNOCENTII ( forte ) VI. LITERÆ.

*Declaratoria ſuper tertio gradu conſanguinitatis.*

Ex eodem Lucenſ. cod.

An. 1378.

VEnerabili & &c. Ex parte Joannis N. laici & Catherinæ N. mulieris conjugum veſtræ diœceſis nobis oblata petitio continebat, quod ipſi olim quaſdam literas in certa, & ſolita forma commiſſionis vobis directas a ſede apoſtolica obtinuerunt continentes, ut non obſtante quod quarto gradu conſanguinitatis invicem eſſent conjuncti, poſſent in contracto inter eos matrimonio licite remanere, miſericorditer diſpenſaretis, tamen ipſi timentes hujuſmodi literas ex eo fore ſubreptitias & invalidas, quod unus ipſorum exponentium tertio, alter vero quarto conſanguinitatis gradibus a ſtipite communi diſtabat, & quod alter eorum tertio diſtaret in ipſis literis mentio aliqua facta non fuit, ſupplicari humiliter fecerunt iidem conjuges eis in hac parte per eandem ſedem miſericorditer provideri. Nos igitur attendentes quod fe. re. Clemens P. VI. quaslibet diſpenſationes in caſu ſimili ab eadem ſede obtentas & obtinendas omiſſione mentionis de diſtantia tertii gradus prædicti a ſtipite non factæ in diſpenſationibus ipſis nequaquam obſtante, validas & ſufficientes exiſtere, & robur plenariæ firmitatis habere; auctoritate apoſtolica, & &c. circumſpectioni veſtræ committimus, quatenus juxta hujuſmodi apoſtolicam declarationem præmiſſas commiſſionis literas ſufficientes decernatis, & validas perinde exiſtere, ac ſi in eiſdem de diſtantia tertii gradus prædicti mentio facta foret. Dat. &c. & &c.

## CONSTITUTIO CLEMENTIS P. VI.

*ſuper tertio & quarto gradibus conſanguinitatis.* *

* *Vide præmonitionem meam ad ſuperiores Gregorii literas ſuperius pag. 117.*

An. 1345.

CLemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Nuper propoſito coram nobis quod licet olim fe: re: Clemens P. VI. prædeceſſor noſter cum dilecto filio nobili viro Joanne comite Veronæ, & dilecta in Chriſto filia nobili muliere Joanna de Bario ejus uxore, quæ ſe quarto conſanguinitatis gradu invicem attingere aſſerebant, ut non obſtante impedimento conſanguinitatis hujuſmodi poſſent ad invicem matrimonialiter copulari auctoritate apoſtolica diſpenſaſſet, ipſique Jo. & Jo. matrimonium vigore diſpenſationis hujuſmodi contraxiſſent, & in eo per triginta circiter annos perſtitiſſent, tamen idem comes timens diſpenſationem hujuſmodi ex eo ſubreptitiam & invalidam fore quod Jo: tertio, & Jo: quarto gradibus a ſtipite communi diſtabant, & quod eſſent in tertio gradu in diſpenſatione prædicta facta mentio aliqua non fuiſſet, dictam Jo: a ſuo conſortio ejecerat conjugali, ac ſuppoſito nobis quod ut cum nonnulli ex doctoribus peritis diſpenſationem ſufficientem, & aliqui ex eiſdem eam invalidam fore tenerent, & contrarias opiniones inducerent, ex quibus caſus hujuſmodi dubius reddebatur, hujuſmodi declarare dubium auctoritate apoſtolica dignaremur. Nos ipſum dubium, & ſcandali viam amputare volentes auctoritate apoſtolica declaramus, prædictam & quaslibet alias diſpenſationes ſimiles obtentas a ſede apoſtolica & in poſterum obtinendas omiſſione expreſſionis de diſtantia tertii gradus a ſtipite prædicti non factæ in illis & quarumvis litium dependentium occaſione hujuſmodi ſuper his nequaquam obſtantium ſufficientes & validas exiſtere, ac robur habere plenariæ firmitatis. Reprobantes quorumcumque opiniones contrarias erroneas, & quoslibet proceſſus in contrarium coram quibuſvis judicibus delegatis vel ordinariis habitas inanes & irritas decernentes. Nulli & &c. Si quis & &c. Datum Avinione ſecundo Kal. Julii Pontificatus noſtri anno III.

# JOANNIS XXII. BULLA

*Qua praecipit Ferrarienſibus ut recipiant in Epiſcopum Guidonem Aretinum Epiſcopum ex Ariminenſi ſede illuc translatum.*

Ex Archivo Capitulari Ferrarienſi tranſmiſit ad me R. R. D. Joſeph Scalabrini Ferrarienſis Canonicus.

*Joannes Epiſcopus Servus ſervorum Dei, Dilectis filiis populo Civitatis & Diœceſis Ferrarienſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

ROmani Pontificis, quem Paſtor ille cœleſtis & Epiſcopus animarum, poteſtatis ſibi plenitudine tradita, Eccleſiis prætulit univerſis, plena vigiliis ſollicitudo requirit ut circa ſtatum Eccleſiarum omnium, illarum potiſſime, quæ Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjectæ viduitatis incommoda deplorare noſcuntur, ſic vigilanter intendat, ſic proſpiciat diligenter, ut per ejus circumſpectionem providam & providentiam circumſpectam, nunc per ſimplicis proviſionis officium, nunc vero per miniſterium translationis accommodæ, prout perſonarum, locorum & temporum qualitas exigit, Eccleſiis ſingulis Paſtor accedat idoneus & rector providus deputetur, ſicque Eccleſiæ ipſæ, ſuperni favoris auxilio ſuffragante, proſperitatis votivæ ſucceſſibus gratulentur. Dudum ſiquidem ex certis rationabilibus cauſis proviſiones omnium & ſingularum Archiepiſcopatuum & Epiſcopatuum Eccleſias in terris ad nos & eandem Eccleſiam Romanam ſpectantibus conſiſtentium tunc vacantium in ante diſpoſitioni noſtræ ac Sedis Apoſtolicæ uſque ad noſtrum & ipſius ſedis beneplacitum duximus reſervandas, decernentes ex tunc irritum & inane quidquid contra reſervationem hujuſmodi per quoſcumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari, ac deinde certis rationabilibus cauſis & conſiderationibus moti pariter & inducti reſervationem & decretum ac beneplacitum ſupradicta uſque ad duos annos a Kal. Januarii Pontificatus noſtri anni quartidecimi tunc inſtantibus in antea computandos dumtaxat voluimus perdurare, niſi illa aliis rationibus forſan inducti provideremus, in tempus amplius prorogando. Interim autem hujuſmodi reſervatione decreto & beneplacito noſtris durantibus Eccleſia Ferrarienſis praefatae Romanae Eccleſiae immediate ſubjecta in terra pertinente ad nos & dictam Romanam Eccleſiam conſiſtente per obitum bonae memoriae Guidonis Epiſcopi Ferrarienſis qui nuper in civitate Bononienſi debitum naturae perſolvit paſtoris ſolatio deſtituta nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ipſius Eccleſiae celerem & felicem ne prolixae vacationis incommoda pateretur, cum nullus praeter nos illa vice de ipſius Eccleſiae proviſione ſe intromittere poſſet reſervatione decreto ac bene-

beneplacitn obsistentibus supra dicta sollicite intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem ac fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem demum in venerabilem fratrem nostrum Guidonem Ferrariensem tunc Ariminensem Episcopum attendentes suarum grandium virtutum merita quibus personam suam Dominus insignivit convertimus aciem nostrae mentis. Intendentes igitur tam ipsi Ferrariensi Ecclesiae quam gregi Dominico ejusdem utiliter providere, ac sperantes quod dictus Episcopus, qui Ariminensi Ecclesiae hactenus laudabiliter praefuit eamdem Ferrariensem Ecclesiam Divina sibi prospiciente clementia salubriter & utiliter gubernabit ipsum Guidonem a vinculo, quo praefatae Ariminensi Ecclesiae cui tunc praeerat tenebatur, de dictorum Fratrum consilio & Apostolicae potestatis plenitudine absolventes ipsum Guidonem ad eandem Ferrariensem Ecclesiam transtulimus ipsumque ipsi Ferrariensi Ecclesiae praefecimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem sibi tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo, liberamque sibi tribuendo licentiam ad eandem Ecclesiam transeundi firma spe fiduciaque conceptis quod praefata Ferrariensis Ecclesia sibi gratia suffragante coelesti per suae providae circumspectionis industriam, & providentiam circumspectam defendebitur . . . . praeservabitur etiam ab adversis, ac in eisdem spiritualibus ac temporalibus . . . . . auctore Domino proficiet incrementis. Quo circa universitatem vestram rogamus monemus & hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes eundem Episcopum tamquam patrem & pastorem animarum vestrarum suscipientes devote ac debita honorificentia prosequentes ipsius salubribus monitis & mandatis humiliter intendatis; ita quod ipse in vobis devotionis filios & vos subsequenter in eo patrem invenisse benevolum gaudeatis.

Datum Avinioni II. Kal. Martii Pontificatus nostri anno sextodecimo

R. decameytaco;

A canapis cordula pendet plumb. obligat.

SPĀ SPE

JOHĀN
NES P̂P: XXII. ✠ I

# INNOCENTII PAPÆ VI.

## *Epistola pulchra reprehensoria ad Regem Petrum Aragonium super eo quod non tractat Reginam honore conjugali.*

Ex MS Cod. Capit. Eccl. Major. Lucen. sed ad latera dilaceram & corrupto.

SIcut in corpore gravior morbus est capitis sic . . . . . regnantis cujuslibet est periculosius crimen; a capite quidem langor in membra diffunditur. Et a regnante . . . . . . . vitium derivatur. Curet ergo necesse est quilibet . . . . regnans recte agere. Sitque irreprehensibiliter vivere . . . . . agmonium non derivet in subditos, nec vitiosum quippiam inferat in subjectis, sed clarus meritis virtutum . . . . fortia commonitionibus erigat, & erectos etiam confirmet . . . . exemplis quia nisi fuerit regnantis vita laudabilis non potest esse vita nisi reprehensibilis subditorum dum qui . . . . , studet domini sui conformare se studiis & mores suos illius moribus coaptare. Tanto igitur quisque Princeps recte vivendo meretur amplius quanto sibi & aliis proficit ad virtutem, & eo procuIdubio gravioris culpae vinculis tenetur obnoxius si per corrupta vitiorum graditur, & carnis illecebras impudice sectatur, quo pluribus quibus salutis causa esse debuerat ruinae causa est. Et sibi ac multitudini quam regendam susceperat aedificat ad gehennam. Haec fili carissime . . . . . . tamen hoc tibi antes competens nomen non absorbuerit . . . . rati abhominatio sterilis catholici Reges & Principes . . . . us annumerari te cupimus perinde cogitantes & salubriter satagentes prodesse potius quam praeesse studuerunt, vias mandatorum domini impollutis gressibus & mundis cordibus . semper incedere, & habere timorem ejus ut filius honore . . . . . . . amorem & ab eo qui justis praemia & supplicia iniquis sine personarum acceptione distribuit, quique ore . . . . . qui faciunt judicium & custodiunt justitiam in omni tempore beatos fore testatur se reges in gentibus . . . . . . in humilitate spem cognoscentes habuerunt cum eodem Propheta . . . . . ndio & legem Domini diligentes bonis & justis in eorum oport . . . . . . adjutores & virtutes praemiorum intuentes exemplis . . . . . disciplinae sarculo expugnatores . sit nomen regni operibus . . . . . verunt ac praeter aeternae vitae gloriam quam mundo morientes & Christo viventes, adepti sunt fama clari & memor . . . . . habeantur. Quae tu inconsulte praeteriens & levitate qu . . . . . vilis animi non attendens aetatis tuae primordia, qui sicut . . . . & nuntios tuos ad nos destinatos diebus proximis praeter . . . . . laetanter accepimus. Christi obsequiis vacare decreveras hiis heu applicas inverecunde negotiis. Hiis proh dolor operationibus deputas impudenter per quae a caritate Christi damnabiliter separatus, & ei factus odibilis, nisi te de pulvere foetoris & de luto fecis quibus turpiter inhaesisti prudenter excutias & errata qualiter fruge meliorum redimas actionum portionem cum reprobis sortieris. Ecce jam quasi orbis scelerum tuorum tumoribus perstrepit. Ecce peccatorum tuorum fama vulgata auribus fere omnium insonat, quibus absorbetur, salus obtenebratur, claritas obscuratur, gloria dedignatur, dignitas fit honor inglorius, fama regia ante sui ortus primordia suffocata volgi labiis laceratur. Siquidem dum tu qui quadam tua pellectus a pellice quam ad amplexus nepharios & illicitam copulam in campum quasi publicae voluntatis egressus, carissimae in Christo filiae Blanchae Reginae Castellae, & Legionis illustris uxoris tuae pudico thoro impudicis moribus diuti . . . . Derelicto patenter ad miserias tradideris quae ad cor rediens, & spiritum compunctionis assumens, mentemque tuam in illius . . . . . te corroborans, qui te ipsamque Reginam indissolubili . . . . . . matrimonii scilicet foedere copulavit eandem . . . . . . . . . . & velut inficientem viperea tuorum corporis & animae corro . . . . . latera abhorreres. Et praefatam Reginam quae verecundia . . . . . farcta moribus honestate matura conversatione laudabilis . . . . & quae sicut illustris sanguinis fulgore perrutilat, sic . . . . . monilibus adhortatur ad thalamum regium revo . . . . . tractares honorificentia digna & affectione debita re . . . . . subito quasi actus in rationis exilium

eadem

eadem nondum dimissa pellice sed retenta, dictaque Regina non solum admissa sed repudiata turpius, & majori confusione contenta, quamdam . . . . . illam superinduxisti adulteram . . . . . . & ad . . . . . praesumpti facinoris ac iniquitatis attentare velamen, extortis prius a praefata Regina per vim & metum qui nedum in fragilitate foeminei sexus, sed in cujusque viri constantiam tendissent quibusdam recognitionibus & confessionibus frivolis ac insoper quadam tua nugatoria quam tamen licet nullam contrariis subsequenter operibus irritasti protestatione conficta matrimonium omnino contubernium in gravem oratoris tui contumeliam confusionis tuae tumulum & opprobrium omnis quos dignitatis Reginae splendor illustrat. Tum superinducta ipsa de facto contrahere praesumpsisti non advertens quod tantam vim habet tantaeque virtutis est matrimonii sacramentum, ut ejus nullus rumpere vincula, nullus modus valeat explicare. O scelus, o nephas. Princeps ad aliorum corrigendos errores constitutus a Domino alios facit suorum exemplo facinorum delirare, & gladium quem ei ad . . . . . indutam malefactorum laudem non bonorum portare concessimus . . . . . . innocentis mulierculae convertit in metum legis & justitiae . . . . . es dereliquens. O scelus, o nephas. Rex populos quos . . . . . susceperat deviat & rectas justitiae vias obliqui . . . . . non in cujuslibet hominis, sed in alterius proprii sui corporis partes injuriam . . . . . . . igitur revertere de regione dissimilitudinis salve . . . . . . . . & de jugo egistiaticae potemis egrediens ad . . . . . libertatis & salutis accede asperge contritionis . . . . . . put. Expurga illud impugnatum ab eo . . . . . sticutis sordes compunctionis lacrymis maculas men . . . . . . gens aqua poenitentiae salutaris timorem Domini reas . . . . quoniam beatus vir qui metuit Dominum & potens in terra . . . . . erit ipsius, ne si quod absit . . . . . quasi soporatus obdor . . . . . Deus. Zelotes adversus te ad ultionem excitans zelum suum quasi umbram cum declinat te auferat, & de terra memoriam tuam perdet. Sperantes igitur quod ea quae praemisimus sic benigne recipies sicque filiali tua mente dulcescent emanantia ea paternae dulcedine caritatis, quae autore Deo fructus afferent expectatos. Magnitudinem tuam monemus, requirimus & hortamur, in Domino illam attente rogantes, tibique tuae salutis & honoris intentu expressius injungentes quatenus priorem & secundam adulteram ipsam animo abicias & repellas ductamque Reginam ad quam tot repleram contumeliis totque obbrobriis saturatam etiam humanitatis gratia pia debes compassione moveri ad te reversus admittas honorificentiae quae tantae Principissae tantoque Principi matrimonialiter copulatae conveniat prosequaris & hucusque tepescentem ad eam excita zelum tuum, sicque tu & ipsa invicem uniti sicut matrimonio sic etiam caritate maneatis in Deo, & etiam in vobis Deus manet . . . . . cedat vobis longaeve ac felicis vitae spatia & prolem . . . . . . . quam culmen regium translationis ad exteros vitat . . . . . periculis stabile maneat largiatur. Deni . . . . . . exhortationibus nostris adiicimus ut ea . . . . . . . atdus Episcopus. Seneteusis Sedis Apostolicae Nuntius lator praesen . . . . . . em ad te propter hoc & alia nostra negotia deitioa . . . . . parte nostra te tuleris credas indubie illamque ad esse . . . . . . sumatonia votivae, ac sceleris per quam Romanus . . . . . . tuam quae & maternae dilectionis affectu . . . . . hiis anxiatur. Laetifices perducere ne postponas . . . . . . . . ea curabimus super hiis remedia adhibere . . . . . . . is debita consideratione pensatis videbimus expedi . . . . cum non sit deferendum homini contra Deum, nec expectare volumus quae sanguis tuus & aliorum qui labuntur in devium de nostris manibus requiratur. Datum Avinioni IIII. Kal. Maii Pontificatus nostri anno secundo Nativitatis . . . . . MCCCLIIII. septima Indictione.

# INNOCENTII VI.

## *Epistola ad Johannem Archiepiscopum Pisarum.*

Ex MS. Cod. Bibliot. Capitul. Majo. Eccle. Luc.

An. 1358.

NOsti, sicut verisimiliter credimus, quod dudum Regno Siciliæ in direptionem ad prædam gentibus exteris peccatis exigentibus constituto bonæ memoriæ Anibaldus Episcopus Tusculanus, Sacrosanctæ Romanæ matris Ecclesiæ Cardinalis, in partibus illis Sedis Apostolicæ tunc legatus, ductus caritate & amore patriæ, inductus regnantium precibus . . . . . . ejusdem Ecclesiæ Romanæ cui est idem regnum . . . . tas consideratione suasus, dicti Regni occurrere cupiens post rerum & bonorum distractionem . . . . . . . venique suorum nepotinus propriis non pepercit . . . . . pro dicti Regni deliberatione tradidit, & gentibus . . . . . inde illos abjiceret pro magnis quantitatibus pecuniæ . . . . . . gavit; & demum gentibus ipsis de regno prædicto pe . . . . Episcopi expulsis industriam, ipsoque Episcopo sicut Domino placuit naturæ debitum persolvente, beneficium ejus tantum gra . . . . habuit cognitione permo (sic) neptis Ipius veluti pila quæ de manu in manum in ludo reicitur nunc illi nunc isti cesserunt in pignus & quodam quasi detenti carcere subducto eis beneficio libertatis captivitatis angustias sensere diuturnas; nec ad hæc ii quorum debebant subsidio redimi preven . . . . gratiis & beneficiis ampliari pietatis ad eos convertere oculos ingrato mentis ostendentes judicia sunt dignat . . . . . . Nos autem his omnibus cum passiva consideratione perpensis nequeuntes dictorum nepotum ulterius carceres substinere decrevimus erga eos apostolicæ reserare viscera pietatis liberationem ipsorum quam ingratitudo negligit nostris . . . . . . . . pium studium & paterna caritas prosequatur. Et ideo Frater a te attente requirimus & hortamur illam attentius deprecantes quantas pro dictorum nepotum liberatione pro minori quo fieri poterit precio impetranda te apud detentores ipsorum apud quos te multa posse percepimus pro nostra & apostolicæ sedis reverentia & humanitatis gratia favorabiliter & incunctanter cum omni solertia industria & efficacia intercedere. Datum Avinioni IX. Kal. Decembris anno se . . . . ,

PRI-

# PRIVILEGIUM APOSTOLICUM

*Pro Fratribus Sancti Johannis Hierosolymitani contra offensores & occupatores bonorum cum promulgatione sententiæ.*

Ex MS. Cod. Bibliot. Capit. Luc.

VEnerabilibus fratribus Patriarchis Archiepiscopis & Episcopis ac dilectis filiis dilectis Abbatibus Prioribus Decanis Archidiaconis & aliis Ecclesiarum Prælatis & Rectoribus ubilibet constitutis ad quos præsentes advenerint salutem.

Graves labores & varia rerum & corporum pericula quæ dilecti filii Fratres Hospitalis S. Johannis Herosolymitani pro conservatione & augumento Catholicæ fidei modernis præcipue temporibus quibus perpetuos & acerrimos hostes nominis Christiani quos Turcos appellant in multitudine numerosa ad exterminium christianorum in partibus Greciæ in unum congregavit immanitas indefessa vigorositate subeunt & subire promptis animis sunt parati consideratione paterna contemplantes merito inducimur ne in tam necessario Reipublicæ ministerio & tam commendabili opere deficiant, eos eorumque bona ubilibet consistentia ad finem quod eis exercitio tam Sancto vacantibus pro necessitate sublevanda suppetant adversus perversorum conatus modis possibilibus prorogamus ipsisque fratribus ut sua illis integra maneant quantum cum Deo possumus favorabiliter assistamus. Sane petitio dilecti filii Bartholomei Carrafe Prioris Prioratus dicti Hospitalis de Urbe & magistri hospitalis ejusdem ad præsens vacantis locumtenentis dictorumque fratrum nobis nuper exhibita continebat quod in domibus prædiis villis terris possessionibus libertatibus jurisdictionibus privilegiis honorantiis & aliis juribus & bonis hospitali praedicto donatione Pontificum largitione Regum & Principum & virorum catholicorum donatis libere & concessis per diversas personas quamplurimae ei inferuntur injuriae atque damna & nonnumquam licet coram debitis judicibus conquerantur eis non ministratur a judice complementum; & si pro singulis talibus prosequendis querelis cogerentur ad Apostolicam Sedem habere recursum eis importabiliter sumptuosum ac difficile redderetur. Quare pro parte dictorum locumtenentis & Fratrum nobis fuit humiliter supplicatum ut super hoc eis providere de optimo remedio dignaremur. Nos igitur praemissorum consideratione hujusmodi supplicibus inclinati discreptioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus illi ex vobis qui in praemissis quocunque, & quotiescunque pro parte dictorum Fratrum vel aliquorum ex eis fueritis requisiti personas quascunque tam Ecclesiasticas quam saeculares cujuscunque status praeeminentiae seu conditionis existant etiamsi Rex Episcopus vel alius Praelatus fuerit excedentes praedictos auctoritate praedicta attentius moneatis ut infra tres dies post monitionem hujusmodi congrue satisfaciant injurias & damna passis alias ex tunc in eos sublato appellationis obstaculo candelis accensis dilatione & occasione posspositis excommunicatos publice nuncietis.

---

# BONIFACII IX. LITTERÆ

*Pro concessione decimæ omnium fructuum Ecclesiasticorum pro adventu Ruperti Regis ad Romanam curiam pro anno II.*

Ex MS. Cod. Biblioth. Canonicor. Major Eccl. Lucen.

An. 1403.

VEnerabilibus fratribus Wormatiensi, Augustensi, Herbipolensi Brixiensi & Verdensi Episcopis salutem &c. Cum nuper videlicet Kal. octobris pontificatus nostri anno XIV. pro carissimo in Christo filio nostro Ruperto in Regem Romanorum electo Illustri pro ejus adventu ad nostram praesentiam ad hoc, ut consecrationem, unctionem, ac imperiale diadema secundum canonicas sanctiones caesareo more de nostris manibus, divinitate propitia celerius assequi valeat in sublevationem expensarum, & onerum, quae pro consummatione piissimorum ipsum regem propterea oportebit de necessitate subire decimam omnium fructuum usque in finem ut in proxima praecedentibusque velut originalibus plenam fidem. Cum sicut fide digna informatione didicimus hujusmodi decima unius anni pro relevatione & suspentione expensarum circa adventum praefati Regis ad nostram praesentiam imposita exigenda, & persolvenda, ut supra praefertur ad consummationem celerem & votivam omnium praemissorum minime suppetere, sitque de amplioris subventionis auxiliis idem rex procul dubio indigere noscatur, & propterea pro parte dicti Regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem de amplioris sobventionis subsidiis pro executione tam ardui negotii providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui debito pastoralis officii pro statu prospero & tranquillo tam Ecclesiae quam Imperii praefatorum & quorumcunque fidelium intentis desideriis aspiramus liberaliter, atque paterne eidem regi circa executionem plenariam omnium praemissorum salubriter providere volentes, praemissis & nonnullis aliis justis & rationabilibus moti causis, ac Domini Regis supplicibus inclinati hujusmodi decimam proxime sequentis a fine dicti praesentis anni exillendam ac ab aliis & per illos, & in aliis partibus in festo purificationis praefatae Mariae solvendam sub illis modis conditionibus formis, prout & sicut vigore aliarum literarum mearum praefatarum nobis & aliis competit de eorundem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio auctoritate praefata inponimus per praesentes. Vobis nihilominus & cuilibet vestrum, ac illis quos ad hoc in subcollectores clericos dumtaxat duxeritis deputandos. Dictam decimam pro dicto sequenti anno imponendi, exigendi recipiendi, & solvendi & alia omnia singula faciendi, quae in supradictis nostris literis plenius continentur, & prout pio praesenti anno competit plenam concedentes tenore praesentium facultatem. Datum Romae apud S. P. VI nonas octobris Pontificatus nostri anno XIV.

# ALEXANDRI VI.

*Epistolæ quædam Regi, & Reginæ Castellæ, & Legionis, Aragonum, Siciliæ, & Granatæ.*

Ex MS. Cod. Felini Sandei,

CAtissimi in Christo filii nostri salutem &c. Ex literis Majestatum vestrarum nuper ex Cæsaraugusta nobis allaris, incredibili lætitia vidimus responsum suum, ad ea quæ scripseramus post stragem Christianorum in Croatia subsequuntam de periculo quod Italiæ, & Christianis imminebat: ab immanissimis, & potentissimis hostibus Latioum in primis sanguinem sitientibus easdem vero non minus pietate, ac religione fideique servore quam prudentia, & in nos sanctamque Romanam Ecclesiam observantia plenas, cum perlegissemus, summa cum voluptate, cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus etiam communicandos duximus. Illis igitur in Consistorio nostro cum summa laude vestra, & omnium congratulatione recitatis, omnipotenti Deo gratias egimus, qui nos in omni tribulatione consolatur; quod his calamitosis temporibus quasi de somno excitatus in tanta Christianorum, ac religionis nostræ oppressione, eos principes nobis concesserit, qui periclitantem Christianum populum bonitate sua vellent, & viribus a Domino concessis, & auctoritate sua a tanta calamitate non solum liberare, sed tot offensas Dei, & injurias hactenus a Barbaris Christianis illatas vindicare posse. Laudantes igitur tam pium studium vestrum, quæcumque nobis ad hanc rem tam prompte, ac liberaliter majestatis vestræ offerunt, gratissima mente suscipimus: eas hortantes ut eadem, qua hactenus cœpistis, semita in domo Domini ambulantes, in eodem proposito nobiscum persistant. Quod vero serenitates vestræ scribunt de pace catholicorum Principum inter se diffidentium in primis procuranda, mire nos ex eo lætificavit, quod id quod nobis uno fere tempore etiam vobis divina bonitas suggesserit; id etiam necessarium judicantes, etiam ante literas vestras diversos Christianos Principes, & præcipue carissimos in Christo filios nostros Romanorum, Unghariæ, & Poloniae reges illustres ipsis hostibus finitimos sollicitavimus per literas, & nuncios nostros, & quotidie urgere non cessamus. Ipse vero Rex Romanorum satis etiam sua sponte ad tam piam expeditionem incitatus videtur, sicut ex incluso præsentibus exemplo responsi nostri ad majestatem suam directi vestræ serenitatis inspicient. Cum autem intelligeremus magnos apparatus fieri a carissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum Rege Christianissimo ad aggrediendum Regnum Neapolitanum quod ad se pertinere prætendit, clarissime conspicientes bellum istud Neapolitanum periculosiori tempore quam præsenti non posse tentari, neque ad Italiam opprimendam si gallico, & intestino bello fuerit involuta, majorem, & certiorem occasionem fidei hostibus præstari posset; Ex injuncto nobis pastorali offitio præfatum Francorum Regem per breve nostrum fuimus hortati, & attente requisivimus bellum hoc in aliud tempus minus periculosum differat, & tantam non praebeat Christi inimicis commoditatem christianos opprimendi, quemadmodum etiam ex inserto praesentibus desuper brevis nostri exemplo Majestates vestrae plenius intelligent. Idem V. Celsitudini mittendum duximus, ut in hac etiam re operam ac favorem vestrum requiramus. Vestras itaque Majestates summo studio hortamur, atque rogamus, occurrente oportunitate praefato Francorum Regi, apud quem & ex benevolentia, & concordiae vinculo quo secum innexae sunt, & auctoritate vestra plurimum pollere non dubitamus: persuadeant, ut pro Dei ac temporis necessitate omisso bello Neapolitano institutae expeditioni nobiscum incumbant. Interim si velit, amplectatur viam justitiae quam ei offerimus, & sic ut catholico animo convenit: paterna ac salutaria monita nostra suscipiat: nolit propria commoda, quae sibi forsan ex alienis affectibus proponuntur communi omnium saluti anteferre. Rogamus Majestates vestras, quae nusquam de fide catholica bene promereri cessant, quando eis oportunum, & expediens videbitur, apud eundem regem partes suas interponant. Erit in hoc opera vestra magni apud Deum meriti. Intelleximus quae scribunt Majestates vestrae de classe, quam instruunt, & quam instituerant contra infideles Regnis vestris viciniores, & illam ad has partes si expediet missuras affirmant. In hoc valde probamus consilium, & pietatem vestram; ut ubique fidei hostes Serenitates vestrae aggredi possint, & ibi praesidio Christianae Reipublicae esse possint, ubi majus a potentioribus hostibus periculum christianis immineat. Qua in re dum nullo dispendio Majestates vestrae parcunt, & propria commoda postponunt, omnia opera in caelestia praemia referunt. Datum Romae 17. Febr. 1494. an. 2.

L. Podocatharus.

---

*CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO*

## CAROLO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

# ALEXANDER PAPA VI.

CArissime &c. si ullo unquam tempore Christianae Reipublicae opportuna fuit mutua Christianorum Principum inter se pax & vera concordia, eam hoc potissimum tempore necessariam fore putamus, cum potentissimus, truculentissimusque communis hostis Turcorum tyrannus post clades supra clades ingentes innumerasque nostris illatas, nil nisi aviditate Christianorum sanguinem sitiens, & Christiani nominis provinciarum vastitatem affectans, ut delectis antiquis Christifidelibus colonis, eas spurcissimae tyrannidi suae facilius subiicere queat, Caeso nuper ad internecionem in Croatia una cum ducibus non contemnendis in Christo filii nostri Wladislai Hungariae regis illustris exercitu regionem illam Illiricam Pannoniae, Dalmatiaeque conterminam, non solum defensoribus, verum etiam habitatoribus desolatam reddiderit, cum continua cordis nostri sollicitudine, ne ipsam ex qua brevis est admodum in Italia, & praesertim in terras nostras trajectus sine repugnatione occupet; licet quantum valuerimus, huic imminenti gravissimoque periculo donec majora salubrioraque remedia adhiberentur occurrere stu-

dui-

duximus prout celsitudinem tuam, cujus etiam opportuna ad hanc calamitatem propulsandam imploravimus auxilia per literas nostras latius certiorem reddidimus. Sperabamus, Domine fili carissime, in tanta diuque exoptata cunctorum sibi amabilium Principum pace & tranquillitate ipsos velut dormientes hoc quamvis acerbissimo vulnere excitari permisisse, ut mutua conspiratione unitisque viribus velut ad commune incendium extinguendum simul omnes concurrerent. Dumque nos pro ministerio pastoralis officii divinitus nobis injuncto, ad hoc eos quacumque ratione non desinimus adhortari: ecce facientibus, ut arbitramur, peccatis nostris quidam rumor exoritur, & in dies magis invalescens aures quoque nostras penetravit. Majestatem tuam instructo maximo exercitu, ingentique classe parata statuisse primo quod tempore terra marique Regnum Siciliae citra Farum ad directum S. R. E. cui auctore Domino praesidemus, dominium pertinens aggredi, animo illum sibi vendicandi. Pupugerunt haec, si vera sunt, animum nostrum non inficias ibimus, fili carissime, & multa amaritudine repleverunt: non quod omnem prosperitatem, omnemque amplitudinem celsitudini tuae quam gerimus in visceribus charitatis non exoptamus. Sed postea clarissime conspicimus tantum conatum importuniori tempore quam praesenti tentari non posse: nec majorem ex quocumque incommodo Christianae reipublicae perniciem quam ex tam gravi periculosoque intestino bello formidandam esse. Quod ita esse, lucidissime videbis, si consideraveris, & recentiora commemoremus Mahumetem patrem hujus Baizeti Turcorum tyranni paucis ante annis pacato, florentique eodem Siciliae regno Hydruntem in eo civitatem metropolitica dignitate insignem, captata ex nimia Ambracii & Aulonis vicinitate occasione saevissime crudelitati expugnatam subjecisse, nullo non facinoroso atrocissimoque in ea adjacentique regione edito scelere. Quod excidium sane miserandum totam Italiam, & inde finitimas provincias pervasurum nemo prudens dubitavit, nisi excitatus Dominus & miseretus populo suo Mahumetem tyrannum ex hac luce sublatum ad inferna demisisset. Baizetus filius in summa Christianorum Principum pace ausus est his diebus usque in Pannoniam & Germaniam populabundus abacta ingenti praeda, omnia caede flammisque replere. Quid putas eum facturum cum viderit duos reges de regno sibi vicino invicem decertare. Habet domestica majorum exempla, quae sequatur, non discedet ab institutis eorum, qui ex intestinis Constantinopolitanorum Principum dissidiis sibi totius Asiae Thraciae & Graeciae imperium pepercre. Audivit Amuratem avum discordantibus nostris multa prospere gessisse. Vidit patrem digladiantibus inter se Regibus, Misiam & Bosnam, Peloponesumque subjugasse. Non praetermittet ipse (ut formidandum est) etiam non invitatus tantam rei bene gerendae opportunitatem. Quid si Ferdinandus rex viribus suis diffidens, potentiamque tuam perhorrescens, caeteris auxiliis destitutis, ratus sibi prius omnia fore tentanda quam regno pellatur pernitioso (ut solent plerumque homines rebus desperatis) consilio fretus Turcarum opem ex tam propinqua vicinitate imploraverit. Nonne parta potentissimo hosti (quod semper optavit) illo in regno belli sede de tota Italia brevi temporis intervallo actum esse existimare debemus. Sed esto quod Ferdinandus decreverit velle potius omnia mala pati, quam Turcarum suppetias accersire. Videmus nihilominus ex hoc formidabili bello manifestissimam totius christianae reipoblicae eversionem secuturam, concurrentibus enim utriusque vestrum validissimis exercitibus, ornatissimisque classibus, quibus adjuvantibus aliis christianis Principibus non magno sumptu Turcus haud difficile saltem pelli poterat; uter vestrum vicerit, Christiana respublica succumbet, minuentur ejus vires, & communes hostes augebuntur. Non solent esse incruentae victoriae. Propioresque interdum periculo sunt victores, quam victi. Conterentur itaque mutuis stragibus Christianae vires. Vastabitur mutuis caedibus, incendiis atque rapinis, ea maxime pars Italiae, quae magis Turcorum invasioni exposita est: ea desolata cultoribus, contritisque defensorum viribus, quis sanae mentis judicabit inhiantem christiani nominis excidio Turcum quieturum, & tantam invadendi illius regni sibi a nostris paratam occasionem praetermissurum? Haec si acciderint (ut ex tam periculosissimo bello verisimiliter formidandum est) inuretur ingens macula candidissimae famae existimationique tuae apud cunctos Christifideles, fili carissime, quod dilatandi imperii cupiditate tanto Rempublicam Christianam exterminio subjeceris, quae nec ulla temporum oblivione deleri, nec ulla vel maxima victoria, aut opulentissimo aliquo regno parto poterit compensari. Nos qui in eminentiori universalis Ecclesiae specula quantumvis immeriti, a Domino positi incessanter clamare jubemur, & quasi tuba vocem exaltare, omnia circumquaque prospicientes, pro pastorali offitio nostro haec celsitudini tuae adnuntiare, illam admonere, exhortari, & per viscera Domini nostri Jesu Christi obsecrare compellimur, ut ab hoc intestino periculosoque bello hac tempestate velit abstinere. Et in christianæ pacis amoenitate laetari, ac cum beatis Evangelizantium pacem pedibus ambulare.

Dices fortasse, Regnum illud mihi de jure competit: jus meum negligere non debeo: quod meum est mihi statui vendicare. Audi, fili carissime, quid definierunt Sapientes; duo scilicet esse genera contendendi & decertandi: unum per juridicam disceptationem; alterum per vim. Cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum; ad posterius non esse confugiendum, si licet uti superiore: juridica quidem disceptatione celsitudini tuæ licet uti. Hujus controversiæ agnitio ad nos, velut ad supremum ejusdem regni dominum spectat. Obtulimus semper oratoribus tuis, qui hac de re nobiscum verba fecerunt, viam justitiæ: eamdem nunc majestati tuæ offerimus, paratique sumus hanc causam judicibus omni exceptione majoribus, neutrique parte suspectis delegare. Non debes igitur credere priusquam fuerit disceptatum, & de jure declaratum Regnum illud ad te pertinere, reique judicatæ executionem aliis juris remediis consequi nequiveris, ante invocationem brachii sæcularis, a nobis vel delegatis nostris tuæ celsitudini concessam, ad vim & arma confugere, hoc præsertim tempore, quo ut monstravimus sine extrema religionis nostræ pernicie, inter Christianos Principes & præsertim inter Serenitatem tuam & Ferdinandum regem bello decertari non potest. Omittenda sunt igitur arma, vel saltem in aliud tempus reipublicæ minus periculosum differenda, & interea de jure inter vos poterit disceptari. Nam si Paulus apostolus vas electionis nititur suadere Corinthiis, ut injuriam & fraudem æquo animo ferant, potiusquam repetentes fratribus scandalo fiat: quanto magis majestas tua hanc violentam Regni repetitionem differre debet, quæ hac tempestate Christianæ reipublicæ, nedum scandalo, sed eversioni proculdubio sit futura. Consueverunt, fili carissime, majores tui Francorum reges Christianissimi omnes cogitationes suas, omnes vires, omnes conatus Sanctae Matris Ecclesiae nobis a Salvatore nostro defensioni, exaltationique propensis studiis impendere. Solitique sunt Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum monita summa observantia & audire & exequi, peculiareque illis semper fuit ab hac Sancta Sede non dissentire: hos tu imitare, horum vestigia sequere, & nobis tibi salutaria & honorifica pontificio spiritu consulentibus obtempera, ut immortalem progenitorum gloriam valeas superare. Haec si te (quod non credimus) minime movent, moveant saltem pium & religiosum animum tuum infinita & horrenda ex hoc bello secutura mala, quorum tu auctor, qui id bellum indixeris, ubique praedicaberis, caedes, incendia, ruinae, stupra, rapinæ,

Desunt aliqua

nae, fames, vastitates, divinae majestatis offensae, omnia abominandis sceleribus, omnia miserandis calamitatibus refertissima. Adde, quod dubius est Martis eventus: est illo in Regno Ferdinandus possessor antiquus, rei militaris peritissimus, exercitibus, classibus, thesauris, annona abundantissimus, habet filios, nepotesque rei bellicae terra marique expertissimos. Ipsi rem propriam agent, ipsi ducibus aderunt, ipsi militibus imperabunt. Tu vero sine magno incommodo in Italiam transire nequibis, rem per duces agere cogeris, quorum, absentibus Regibus, concordia solet esse rarissima. His accedit quod si Gallo & Italo milite simul uti volueris, quam sint inter se bene conventuri praeteritorum exempla te facile possunt commonefacere. Mos est praeterea illius Regni incolis Regis sui faciem videre velle; volunt Regem habere non duces. Putant secum non recte agi, nisi a Rege regantur. Volve insuper animo, crebras mutationes Italicas, & considera hos potentatus nolle ex se ipsis aliquem supra ceteros ita extolli, ut non aequalem, sed superiorem sint habituri. Quod si quando praeter opinionem evenerit, statim variatis foederibus, rem ponunt in aequilibrio. Cogita, quod si qui forte ex eis nunc tibi applauserint, poterunt medio in cursu rerum gerendarum, ut saepe numero apud Italos accidit, mutata velificatione, rem tuam in discrimen adducere. Noli tibi persuadere, quod tam potentissimum Dominum, qualis ipse es, supra cervices suas imponere velint. Volunt, crede nobis, tuo periculo Ferdinandum humiliare, non extinguere; sed fac eos constantes, firmosque erga te in fide mansuros.

Sunt alia quoque permulta, quae mansuetudinem tuam ab hoc intestino bello indicendo, debeant avocare: perspectum est plerumque ex levissima causa inferiores exercitus minoresque classes longe majores potentioresque superasse. Non sunt idcirco, excepta fidei religionisque causa, his fortuitis praeliorum ludibriis tanta imperia subiicienda. Verendum est etiam, ne finitimi aemuli tui, qui te nunc undique pacatum conspicientes quiescunt, cum te viderint tanto externo bello implicatum, sive sponte sua ducti, spem rei bene gerendae sive ab hoste, vel rationibus, vel jure foederis, aut pecunia sollicitati, vel aliquo tuo sinistro eventu, ut in praeliis contingere solet, quod Deus nolit, animati rursus se novo bello lacessant. Plura quoque alia ad suadendum Celsitudini tuae pacem, bellumque dissuadendum commemorare possemus, quae consulto praetermittimus, rati ea quae diximus abunde sufficere. Quae pro Pontificio onere, quod nobis incumbit, pro paterna dilectione, qua mansuetudinem tuam unice complectimur, non putavimus cum Christianae reipublicae tum tua causa fore reticenda. Tu igitur, carissime fili, quem hujus Sanctae Sedis defensorem semper putavimus. Audi disciplinam patris tui, & noli abiicere eam: Amplectere pacem, & avertere a bello, ut solium regni tui stabile a dextris & a sinistris in pace conquiescat, & tu pacifici testamenti, quod Redemptor noster filiis adoptionis disposuit, cohaeres sempiterna inveniaris in gloria.

L. Concodier.

*CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO*

## LVDOVICO FRANCORVM REGI CHRISTIANISSIMO

## ALEXANDER PAPA VI.

CAtissime in Chisto Fili noster, salutem &c. Per alias nostras literas nuper significavimus Tuae Majestati de summa pecuniae pro expeditione in Turcos proximo vere sumenda per S. R. E. Cardinales. Eaque hortati fuimus, ut Cardinales in Galliis existentes cum nostro, tum suo nomine ad hanc solutionem, ut par erat, impelleret. Quod non dubitamus, Celsitudinem Tuam pro sua in nos, & hanc Sanctam Sedem devotione, proque rei, & Christianae Fidei zelo facturam omnino. Verumtamen quoniam Decima beneficiorum dilecti filii nostri Ascanii ipsius R. E. Vicecancellarii, nec ab eo persolvi potest, nec ab alio quoquam exigi, cum jussu Tuae Celsitudinis omnes fructus sint sequestrati, nec aequum esset ex illis Decimam hic non persolvi. Oramus, rogamusque Tuam Majestatem, jubeat dictam Decimam Romae Cardinalibus ad eas exigendas, exponendasque deputatis persolvi. Nos enim Decimam pro officio Cancellariae contingentem eisdem deputatis tribuendam curabimus. Rem hanc commendamus Tuae Majestati, quantum possumus, ut haec sancta expeditio fieri possit commodius, Regique Hungariae pro nostris, & ipsius Sacri Collegii viribus celerius opitulari, classisque validius in tempore instrui: cumque caeteri Cardinales gravibus onerati expensis tam prompte contribuant, ex fructibus etiam Vicecancellarii publica haec collectio adjuvanda est. Datum Romae die XIII. Februarii MDI. Anno Nono.

*VENERABILI FRATRI NOSTRO*

## JULIANO EPISCOPO OSTIENSI CARDINALI S. PETRI AD VINCULA

## ALEXANDER PAPA VI.

VEnerabilis frater noster salutem &c. Cum in dies magis, ac magis Turcorum rabies invalescat, magnique in praesentem annum bellici apparatus nuncientur; timentes, ne id accidat, quod praeterito anno sumus experti, ut inter oscitantes, dormientesque opprimamur, egimus ea omnia, quae ad hanc rem putavimus expedire, quemadmodum scimus tuam Fraternitatem non ignorare. Verum cum tanta res in motu sit, cui vix ulla possit diligentia satisfieri, pro rei necessitate, proque nostra hujus Sanctae Sedis dignitate, de Venerabilium Fratrum nostrorum &c. S. R. E. Cardinalium consilio Classem ipsius Ecclesiae nomine cum Cardinali Legato mittere decrevimus, si forte contingat, non venientibus Carissimis in Christo Filiis nostris Francorum, & Hispaniarum Regibus Illustribus, vel eorum altero nos non posse, ut statuimus, proficisci, simul & Carissimo in Christo Filio nostro Vladislao Hungariae, & Bohemiae Regi Illustri, ut ultro Turcia terrestre bellum inferat, opitulari. Cumque

ad

ad hanc rem magnis sumptibus opus sit, visum est nobis, & eisdem fratribus nostris, ultra eam summam, quam nos conferemus, omnibus Cardinalibus praesentibus, absentibusque decimam tam officiorum, quam bonorum imponendam hic Romae persolvendam. Ad eamque rem tres ex dicto ordine primi Cardinales deputati sunt, qui dictas pecunias Sacri Collegii nomine exigant, recipiant, & in dictam expeditionem exponant: Et quoniam ipsi praesentes Cardinales nostris, & Apostolicae Sedis obsequiis cum magnis expensis, & gravibus laboribus in curia nostra continuo insistentes ultro & promptissime pollicentur in tam sanctum opus conferre; non dubitamus, quin absentes etiam idem sint facturi: & ultra dictam Decimam etiam aliquam ex bonis a Deo eis collatis, summam in tanta necessitate, & pressura Christianitatis contributuri; Tuaque in primis Fraternitas, quam non solum in tam necessariis rebus, sed etiam in non tam vigentibus scimus esse liberalissimam. Quamobrem eamdem hortamur in Domino, & requirimus, ut acceptis statim litteris nostris portionem sibi debitam in manibus eorumdem Cardinalium deputatorum hic Romae jubeat exsolvi. Simul & decimam Abbatiae Clarevallis, cujus possessionem Tua obtinet Fraternitas, ne ulla in Republica utilitas defraudetur. Nos enim Cancellariae decimam reddendam curabimus, carissimumque in Christo Filium nostrum Ludovicum Gallorum Regem Christianissimum, ut etiam de caeteris Vicecancellarii beneficiis decimam dari jubeat per nostras litteras vehementer sumus hortati, facturumque omnino arbitramur. Superest, ut tua Fraternitas optimum suum in hanc sanctam Sedem animum, ut in aliis rebus, sic in hac parte super caeteras omnes necessaria ostendat. Datum Romae &c. die XII. Februarii MDI. Anno nono.

*Dilecto Filio nostro Philippo S. Petri, & Marcellini Presbytero Cardinali Cenomanensi.*

DIlecte Fili noster salutem &c. Non dubitamus, nobis etiam nihil scribentibus, famam ad vos pertulisse, quo in articulo res Christiana versetur, a quibus quantisque periculis ab immanissimo Turcorum Domino nunc urgeatur, quae adeo innotescunt, ut nullum opus sit eorum commemoratione, vel repetitione. Praesertim cum tua circumspectio non ignoret, quali studio, ac diligentia Regem Christianissimum, & alios Catholicos Principes litteris, nunciis, precibusque hortati fuerimus, & requisiverimus ad ipsam rem Christianam tutandam, conatibusque ejusdem crudelissimi, & potentissimi hostis obsistendum. Cumque id peccatis facientibus parum successisset, = demum Cardinalibus Legatis ad eosdem Principes propterea designatis, ea nos omnia consilia, & adjumenta praestitisse, quae & belli ratio, & temporis conditio exigere videbantur. Cum vero de hujusmodi Christianorum periculis, quae supra modum nos animos tenent, ageremus in Consistorio nostro secreto cum Venerabilibus Filiis nostris S. R. E. Cardinalibus, & ex variis locis ipsius hostis ingentes, formidabilesque apparatus, terra marique nuntiarentur, in tanta Christianorum pressura quae celeri, & praesentaneo remedio indiget, ultra eam pecuniarum quantitatem, quam nos super vires nostras, & facultates Ecclesiae expolituri sumus etiam de ipsorum fratrum consilio, & unanimi consensu per omnes Cardinales tam praesentes, quam absentes decimam omnium bonorum, & officiorum suorum imposuimus, quam ipsi non modo promptissimo, & liberali animo unanimiter persolvendam, sed ultro etiam majorem longe summam decimam excedentem susceperunt, quod nihil esse putarent indignius, quam in hac tanta Christianitatis necessitate, atque discrimine, se solos Cardinales immunes esse, qui & propter dignitatem, quam sustinent, & quia Divina largitas amplioribus honoribus, beneficiisque eos honestavit, primi esse debent, & volunt ad hujusmodi solutionem, ut carissimo in Christo filio nostro Vladislao, Hungariae ac Bohemiae Regi Illustrissimo bellum Turcis potenter terrestri, & valido exercitu illaturo XL.M. aureorum persolvantur, classisque S. R. E. nomine instructa cum Cardinale Legato praeficiendo, primo statim vere mittatur: si nos contigeret, non veniente praefato Christianissimo, & Hispaniarum Rege Illustrissimo, sicut speramus, & optamus, cum ea personaliter non proficisci. Ad eam vero rem cum Sacro Collegio tres ex ipsis Cardinalibus ex omni ordine primos deputavimus, qui omnem pecuniam per ipsos Cardinales omnes etiam absentes, sicut decretum est, hic in Urbe persolvendam recipiant, & in solo hoc negotio exponant, quanto citius possunt, ne, cum ver instet, inter oscitantes ab expedito hoste de improviso opprimamur. Quod cum ipsi, qui apud nos sunt, magnosque labores continue pro Ecclesia sustinent, majoribusque impensis pro dignitate in Curia servanda gravantur, parati tamen sint praesertim ad contribuendum largiter in tam Sanctum, & necessarium opus; circumspectionem tuam tum ob has causas, tum quod ejus in hanc sedem pietas, & devotio nobis est cognita, non dubitamus, & in praedicta decima, & in majori summa ex bonis ei a Deo collatis alacriori animo, manuque promptiore subventuram: si enim pileum illud rubeum tuae dignitatis insigne nihil sibi vult aliud, nisi vitam, sanguinemque pro S. Ecclesia, & Fide Catholica paratum effundere, idque facere es promptissimus; quis dubitet libentissime particulam tuarum facultatum pro eadem Ecclesia, & Fide in tanto discrimine te non contributurum? Tuam ergo circumspectionem, quanto possumus studio, hortamur, ut simul ac hae nostrae ad illam perlatae fuerint, portionem sibi contingentem, & ultra illam, quod dare voluerit, in manibus ipsorum Cardinalium deputatorum hic Romae persolvendam curet, persolvique faciat, remota omni exceptione: nec tua circumspectio expectet super hoc negotio iterum nos apud se instare, factura nobis rem maxime gratam, quibus nihil aeque cordi est, quam haec sancta expeditio: cui si Principes, & in primis Rex Christianissimus, ut credimus, & speramus, responderint, non veremur, quin brevi res Christiana in bonum statum restituatur.

# URBANI V. BULLA

*Privilegia, ordinationes, statuta, innovationes Religiosorum, & aliorum, cum quibusdam Facultatum & declarationibus.*

Extat in MS. Cod. Bibl. Canonic. Major. Ecc. Luc. num. 1. 545.

URbanus &c. Dilectis Filiis Fratribus de ordine Fratrum Minorum in terris Sarracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Scitharum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Armenorum, Judaeorum, Ethnicorum, aliarumque non credentium Nationum Orientis, & Aquilonis, seu quarumcunque aliarum partium constitutis, & proficiscentibus ad eosdem, salutem. Cum hora undecima sit diei huminibus ut exeant ad opus usque ad mundi vesperam deputati, & illud Apocalypsis eloquium cito creAffertur a Wadingo, sed mendosa & non integra.

datur

datur cum Matris Ecclesiae consolatione complendum, videlicet oportere viros spirituales vitae mundiciam, & intelligentiae gratiam cum Johanne sortitos, populis & gentibus, linguis Regibusque multis denuo prophetare quia non sequitur reliquiarum Israel per Ysaiam prophetam salvatio, nisi juxta Paulum Apostolum prius introeat gentium plenitudo. Nos, licet immeriti, super Apostolicae Sedis speculam constituti fideliter, ac prudenter dispensandis Dei ministeriis, & operibus coadjuvandis intendimus, si urgente plenitudine temporum post pia priorum studia in vineam Domini Sabaoth novos, & pene novissimos qui sapientiam longum didicere per ocium operarios mittere procuremus. Vos igitur, quos juxta professae religionis officium zelus comedit animarum, & cum quadriga quarta quam variis charismatum donis, & fidei fortitudine trahitis ubique discurrere ac vexillum Regis gloriae procul levare gestitis ad gentes, quae Jesum Christum Dominum non agnoscunt, & ad subtractionis filios, qui sacrosanctae Romanae Ecclesiae non obediunt destinamus, vobis in remissionem peccatorum omnium injungentes quatenus seminaturi super aquas multas in illo tantum, qui dixit se mundum vicisse confisi, ad illuminationem caecae multitudinis, & exterminium haereticae falsitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confortandos in luce sermonis, & rectitudine operis propositum vobis iter sine quorumlibet offensione curratis. Ut autem ministerium vestrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, praesentium vobis auctoritate concedimus, ut in terris, quae adhuc Sedis Apostolicae magisterio non intendunt proponere verbum Dei, (& constitutis ibidem, non obstante si aliqui sunt excommunicatione ligati in verbis, officio, cibo, & aliis, secure communicare, & ipsos, seu alios converti ad unitatem Christianae Fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare filiis Ecclesiae Sanctae possitis, ipsisque taliter aggregatis ii ex vobis qui fuerint in sacerdotio constituti, ubi Episcoporum Catholicorum copia non extiterit, Sacramentum Confirmationis conferre, ac nihilominus uti oleo, & Chrismate antiquis, cum in eisdem partibus novum oleum sine magna difficultate haberi non possit, libere valeant, Constitutionibus super his in contrarium editis non obstantibus) necnon aggregatos eosdem insignire charactere clericali, & ipsos ad accolytatus ordinem promovere; liceat etiam vobis ibidem redeuntibus ad obedientiam Sedis Apostolicae, qui sunt excommunicatione ligati absolutionis beneficium juxta formam Ecclesiae impertiri, & super eo dispensare cum ipsis, qui sacros receperunt ordines, & divina celebrarunt officia sic ligati, ac ipsum vobis sit licitum circa illos de terris eisdem qui temporibus indebitis, vel infra aetatem legitimam, aut qui omnes, vel qui superiores praetermissis inferioribus conferre, seu recipere ordines praesumpserunt, si tamen in hoc servata forma talis extiterit, per quam ordines recepissent, vobis propterea dispensare liceat, ut illi ex nationibus vestrae Praedicationi commissis, qui post susceptionem sacrorum ordinum, vel in gradibus, & casibus a divina minime lege prohibitis matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem, (& ii qui ad Catholicae Ecclesiae redierunt unitatem ut inter suos habitent, eisque communicent) necnon quod clerici Nationum ipsarum publice ad obedientiam Sedis Apostolicae redeuntes gaudeant privilegio Clericali. Sit etiam vobis licitum omnium fidelium in terris praedictis confessiones audire, & ipsis injungere poenitentias salutares, & excommunicatos a canone, vel alio modo juxta Ecclesiae formam absolvere, dummodo injuriam, & damna passis satisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earumdem in illis casibus, in quibus solent legati Sedis Apostolicae dispensare, ac etiam cum Clericis istarum partium patientibus defectum natalium, dummodo non sint de adulterio, vel incestu, aut, de Regularibus procreati, sit vobis dispensandi facultas, quam circa illos

Uncis inclusa desunt in Wadingo.

Uncis inclusa desunt ibid.

etiam habeatis, qui ab unitate Ecclesiae Catholicae, seu Religione, vel Clericali Ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint, ac digne satisfacere de commissis, ita quod ipsi Religiosi ad sua loca, salva disciplina eidem, resumantur, & illos ex jam dictis, qui excommunicationis vinculo sunt adstricti juxta praemissam formam, & praedictae satisfactionis modum, absolvere valeatis, & cum irregularibus ex eisdem, sicut, est expressum superius dispensare. Ad haec sit vobis absolvendi facultas occisores Clericorum & Religiosarum personarum in praedictis partibus constitutos. Fundandi de novo Ecclesias, & reconciliandi illas, quae sunt casu aliquo profanatae, & de novo fundatis de rectoribus idoneis providendi, & qui de gentibus, vel scismaticis noviter sunt conversi dandi licentiam ut uxores suas, cum quibus in gradibus a lege divina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere. De causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam nostram deferri contigerit, legitime cognoscendi, ac discordantes inter se ad invicem quod ad pacem, & concordiam redeant, necnon quod inordinate viventes de suis excessibus, sicut justum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per censuram Ecclesiasticam vobis libera sit potestas. Insuper in locis, in quibus vos hospitari contigerit, vel in locis partium earumdem, in quibus residentiam facietis Missam, & caetera divina officia celebrare, in eisdem partibus caemeteria benedicere, ac dare indulgentias, & commutare votа facultatem, & licentiam habeatis. Caeterum vobis concedimus quod a Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis possitis Ordines, & alia Ecclesiastica Sacramenta suscipere, ac vestes sacerdotales, Altaris pallas, ac corporalia per eos qui ex vobis sunt Presbyteri cum auctoritate vobis fuerit benedicere. Ubi Catholicorum Episcoporum copia non habetur; necnon alia facere quae ad augmentum divini nominis, & ampliationem Catholicae Fidei, ac reprobationem, & irritationem illorum, quae sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco, & tempore videritis expedire*. Et ut fructum de vestris laboribus reportetis, & sentiatis ex eis aeternae salutis vobis commoda uberius proventura de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi, vobis & cuilibet vestrum vere poenitentibus, & confessis illam indulgentiam praesentium auctoritate concedimus, quam proficiscentibus in terrae Sanctae subsidium Sedes Apostolica concedere consuevit: ac nihilominus, ut Christifideles quasi per praemia salubriter invitemus ad merita, omnibus vere poenitentibus, & confessis, qui Ecclesias, & loca Fratrum dicti vestri Ordinis in Partibus praemissis constructa, & in posterum construenda causa devotionis, seu eleemosynae faciendae ipsis Fratribus singulis diebus visitaverint, centum dies de injunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Vobis insuper auctoritate Apostolica concedimus ut in Civitatibus, Castris, & Villis, seu locis quibuscumque ad habitandum domos, atque loca quaecunque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare, aut ea venditionis, permutationis, donationis, aut cujusvis alienationis titulo in alias inferre, prout utilius id fieri cognoveritis, de nostra, & dictae sedis licentia speciali valeatis, non obstantibus prohibitionibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, quibus cavetur, ne aliquis, vel aliqui de Praedicatoribus, & Minoribus ac Religiosis aliis Mendicantibus, quibuscunque super hoc privilegiis muniti existant, praedicta praesumant absque Sedis Apostolicae licentia speciali plenam, & expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem, quod si secus actum fuerit irritum decernitur, & inane. Volumus autem, & auctoritate Apostolica decernimus, ut illa, quae de jure, vel de observata consuetudine ad Episcopalem jurisdictionem, seu dignitatem dumtaxat pertineant, vobis seu quibuscunque aliis Fratribus vestri, seu cujuscunque alterius Ordinis ad Terras non credentium

* Hac usque apud Wadingum, caetera desunt.

trans-

transeuntibus, seu jam ibidem existentibus auctoritate Apostolica jam concessa, vel in posterum concedenda, nisi in illis tantum partibus, in quibus Catholici Episcopi non fuerint, nec vos ac alii alterius Ordinis Fratres exercere euretis, decernentes ex nunc irritum, & inane si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter fuerit attentatum. Nulli &c. nostrarum concessionis, licentiae, facultatis, potestatis, relaxationis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis &c. Datum Romae apud S. Petrum. Nonis Decembris anno octavo.

---

# GREGORII XI. BULLA

## PRÆCEDENTIUM CONFIRMATORIA.

*Mandatur procedi contra adversantes Formæ, & facultatibus jam prædictis sub pæna &c. & declarari in partibus istis quod Fratres isti omnia talia possint.*

Ex eodem Cod.

GRegorius &c. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Guesnensi, & Cracoviensi, ac Czeracensi salutem. Justis petentium desideriis, illis praesertim, quae defensionem, & augmentum Catholicae fidei respicere dignoscuntur, libenter annuimus, & ut consequantur effectum, favorem Apostolicum impartimur. Sane dilecti Filii Nicolaus de Crescia Vicarius Partium Russiae, & alii Fratres Ordinis Fratrum Minorum in eisdem partibus commorantes nobis significare curarunt, quod licet ipsi, & quilibet earum in dictis, & nonnullis aliis partibus Schismaticorum, & Infidelium baptizandi, & alia Sacramenta Ecclesiastica conferendi, ac ligandi & absolvendi, & nonnulla spiritualia faciendi habeant a Sede Apostolica plenariam facultatem, cujus vigore nonnullas personas utriusque sexus partium praedictarum per eos ad Catholicam Fidem, & ad obedientiam Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, Matris & Magistrae cunctorum Fidelium reductas baptizarunt, eisque hujusmodi alia Sacramenta contulerunt, ac ipsas absolverunt a peccatis eorum, & alia fecerunt secundum praedictam eis traditam facultatem. Quidam tamen Johannes Presbyter Wratislaviensis Dioecesis in Civitate Bamburgensi dictarum Partium Russiae Sacerdotem Catholicum verbis se asserens, sed factis negans, invidiae, ut creditur, stimulis concitatus in agro Dominico sicut inimicus homo, lethalem zizaniam seminans, ponendo scismata, & errores inter fideles & Filios Romanae Ecclesiae praelibatae, & eos a dicta fide recedere, & ad infidelitatem, seu damnabilem ritum schismaticorum redire temere, & damnabiliter faciendo, ac obviando ne alii infideles, & schismatici ad praefatam fidem, & obedientiam convertantur, publice eorum fidelibus necnon infidelibus praedicavit, & praedicare praesumit, quod idem Vicarius, ac Fratres praedictam baptizandi, & alia sacramenta Ecclesiastica conferendi, necnon ligandi, & absolvendi facultatem non habeant, & quod baptizati per eos erant rebaptizandi, & eis alia Sacramenta Ecclesiastica praedicta conferenda de novo, & absoluti iterum absolvendi (cum gesta per eos efficaciam non haberent, propter quae multi ex eisdem conversi, & absoluti) ad infidelitatis, & schismatis vomitum sunt reversi, & alii a conversione salutifera retrahuntur. Alii vero de suo statu, quem credunt dubium, non sine multa perplexitate vacillant in ipsius Johannis, & multorum aliorum, quos in aeternae mortis praecipitium secum trahit, animarum periculum, & manifestam damnationem, ac scandalum gravissimum fidelium Partium praedictarum. Quare idem Vicarius, & Fratres nobis humiliter supplicarunt, quatenus super his providere de opportuno remedio paterna diligentia dignaremur. Nos igitur de praemissis merito perturbati, ac intendentes cum ea Apostolicae sollicitudinis studium adhibere, Fraternitati Vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium, seu alios in dicta Civitate Lamburgensi, & alibi, ubi videritis expedire eorum quibuscumque populis tam fidelibus, quam infidelibus, & schismaticis ex parte nostra publicari, & dici solemniter faciatis, quod idem Vicarius, & Fratres baptizandi, & alia Sacramenta Ecclesiastica conferendi, necnon ligandi, & absolvendi, & nonnulla alia spiritualia exercendi, quae in concessis eis a memorata Sede continentur privilegiis, habent plenariam facultatem, dictumque Johannem presbyterum, & alios, si qui forte similia attemptarent cujuscunque praeeminentiae, dignitatis, ordinis, status, vel conditionis existant, etiamsi Pontificali, vel alia qualicunque praefulgeant dignitate, ut desistant ab hujusmodi falsis assertionibus & quacumque seductione per censuram Ecclesiasticam, ac suspensionem, & interdictum a praedicationis officio, & privatione quorumlibet aliorum suorum officiorum, & beneficiorum, necnon carcerationem, & alia opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem, & Dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suae Dioecesis ad judicium evocetur *, seu ne judices a Sede deputati praedicta extra Civitatem, & Dioecesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam Dietam a fine Dioecesis eorumdem trahere praesumant. Et de duabus dietis in Concilio generali, quam aliis quibuscumque constitutionibus a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de judicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quae nostrae possint in hac parte jurisdictioni, aut potestati ejusque libero exercitio quomodolibet obviare. Seu si aliquibus communiter, vel divisim a praedicta sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi, aut interdici, seu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, & eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia indulgentia dictae Sedis generali, vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam nostrae jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impedire, & qua cujuscunque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Datum Avinioni XVI. Kal. Decembris. Anno Primo.

Uncis inclusa desunt in Wadingo ad an. 1371.

* Hic desinit Wadingus.

PLA-

# LITERA CLAUSA

*Carissimo in Christo Filio Henrico Regi Angliae Illustri salutem &c.*

COnstituti in suprema militantis Ecclesiae statione, per quam Caesares imperant, Reges regnant, & Principes principantur, ac nostrae considerationis intuitum, vigilis Pastoris more benignis affectibus ad Romanum Imperium convertentes, quod per longa temporum transacta curricula id quidem anxio corde referimus Monarcha quasi caruit salutari, ne indefensum maneat in futurum, ac ut militans in terris Ecclesia in ejus opportunitatibus habere valeat salutiferum defensorem, hodie ex certis justis rationabilibus causis animum nostrum moventibus in nostro generali Consistorio de fratrum nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, ac plenitudine auctoritatis Apostolicae ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac beatae, & gloriosae semper Virginis Mariae, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac exaltationem, & honorem dictae Romanae Ecclesiae, atque nostrum orthodoxae Fidei bonumque, ac promotionem dicti Imperii, & prosperum statum mundi, nominationem, & electionem per dilectos Filios Electores Imperii Romani praefati de persona charissimi in Christo Filii nostri Ruperti tunc Comitis Palatini, ac Rheni Ducisque Bavariae in Regem Romanum electi illustris factas, & omnia inde secuta auctoritate Apostolica confirmantes, & approbantes, ac supplentes omnes defectus, si qui intervenissent quomodolibet in praemissis declaravimus, voluimus, atque decernimus Ipsum Rupertum in hujusmodi Regem electum, & confirmatum ut supra praefertur ad culmen Romani Imperii assumendum, & tanquam idoneum consecrandum, inungendum Imperialique per nos diademate suis loco & tempore illustrandum, prout in aliis nostris superinde confectis literis plenius continetur. Quocirca Serenitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente quatenus eidem Ruperto in Regem Romanum electo, & ad Romani culmen Imperii promovendo super iis, quae ad Regem, & Imperatorem spectare noscuntur in omnibus opportune exhibeas eidem assistentiam auxiliis, atque consiliis quovis casu debitam & devotam, ita quod mutua inter ejus illustrem celsitudinem, tuamque Serenitatem gratia, gratos sortiatur effectus, & nos eamdem Serenitatem tuam possimus propter hoc in domino non immerito commendare. Datum Romae apud S. Petrum Kal. Octobris. Anno Quartodecimo.

---

# CLEMENTIS VI.

## EPISTOLA.

*Provisio super Unctione, Consecratione, & Coronatione Imperatoris.*

An. 1347. CLemens Episcopos servus servorum Dei carissimo in Christo filio Karolo Regi Romanorum Illustri salutem &c. Pontifex, cui rex aeternus, & summus in persona Beati Petri Apostoli aeterni vice Clavigeri caelestis simul, & terreni Imperii, & plenitudinem potestatis concessit supra conventos fideles suae curae commissos, immolans, & intendens circa ea, quae fidelibus ipsis ampliora pacis, & justitiae offerre commoda existimat, tanto diligentioribus se tenetur impendere studiis, quanto ad hoc injunctae desuper Apostolicae servitutis officium ipsum familiariter & purget, & quia regnantium recte ordinata regimina nutrire consueverunt justitiam, & Christiano populo pacem dare Pontificis ejusdem auctoritas, cui dictum legimus per Prophetam: Ecce constitui te super gentes, & super regna, ut evellas, destruas, disperdas, & dissipes, aedifices, plantes, ad erigenda, & dirigenda hujusmodi regimina prout ad suam spectat solicitudinem nequaquam debet tepescere, sed potius operosas apponere, cum expedire conspicit, manus suas. Sane dudum Imperio Romano per obitum clarae memoriae Henrici ultimi Romani Imperatoris vacante duo videlicet quondam Fridericus Austriae, & Ludovicus tunc Bavariae duces in Regem Romanum in discordia electi ut dicitur extiterunt. Denique Friderico humanis rebus exempto, Ludovicus praedictus propter ipsius excessus culpas, & crimina, & alia demerita detestanda, qui totum vulgata per orbem per fel. record. Johannem Papam XXII. praedecessorem nostrum de Fratrum suorum consilio extiterit omni jure, si quod eidem Ludovico ad Regnum, vel Imperium Romanum ex electione discordi praedicta vel alias competere poterat quoquomodo judicio justo privatus, & subsequenter de haeresi, & schismate sententialiter condemnatus. Nos autem ad apicem summi Apostolatus postmodum, licet insufficientibus meritis, assumpti, attendentes quod ex iis Regnum, & Imperium praedicta diu vacaverant, & vacabant, & ob hoc Sancta Romana Mater Ecclesia per longa tempora suo caruerat, & carebat speciali advocato, & legitimo defensore in catholicae Fidei, & ejusdem Romanae, & aliarum Ecclesiarum, & libertatis Ecclesiasticae, reique publicae grande praejudicium multiplex detrimentum, & multarum periculum animarum; ac hujusmodi discordiis, & periculis, quae tolerare salva conscientia non poteramus, ulterius occurrere paternae solicitudinis studiis cupientes, Principes tam Ecclesiasticos, quam saeculares, ad quos jus eligendi Regem Romanum, & Imperatorem postmodum promovendum pertinebat, auctoritate Apostolica monuimus, eis districtius injungentes, ut pro electione Regis, & Imperatoris, ut praedicitur promovendi, de persona idonea facienda conve-

venirent invicem, & ad electionem hujusmodi procedere non different, alioquin Apostolica Sedes, a qua jus, & potestas hujusmodi electionis ad principes pervenisse constat, eosdem super hoc de opportuno remedio provideret. Praefati vero Principes salutaribus monitis nostris hujusmodi devota se promptitudine conformantes, ac certis die, & loco pro electione hujusmodi celebranda, illi videlicet, qui debuerunt, potuerunt, & voluerunt interesse, convenientes in unum, post diligentem deliberationem, & tractatum, prout tanti magnitudo negocii requirebat, habitos inter eos, te Marchionem Moraviae, nunc etiam Regem Bohemiae in Regem promovendum, & postmodum in Imperatorem Romanum, unanimiter, & concorditer elegerunt. Tuque deliberatione praehabita super hoc ad instantiam electorum praedictorum & aliorum multorum electioni hujusmodi consensisti. Post haec autem venerabilis Frater noster Arnestus Archiepiscopus Pragensis, & dilecti Filii Magistri Joannes de Pistorio Decanus S. Joannis Trajectensis, & Nicolaus de Luctemburgo Praepositus Satmensis, Pragensis Decanus, & Geraldus de Magnato Archidiaconus de Bauchesio Constantiensis Ecclesiarum Capellani nostri, necnon nobilis vir Didemarus de Pictavia miles Procuratores, & nuncii Tui ad nostram praesentiam super hoc destinati, habentes ad infrascripta omnia plenum, sufficiens, & speciale mandatum, sicut per patentes literas tuas tuo sigillo munitas nobis extitit facta fides coram nobis, & fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus in solemni & publico Consistorio, praesente tam Praelatorum, & Clericorum aliorum, quam laicorum multitudine copiosa fidelium, constituti pro parte tua inter caetera proponere curaverunt electionem ad Regem Romanum de te ad Imperium postmodum promovendo ab omnibus Principibus tunc in electionem hujusmodi vocem habentibus, qui ut praefertur debuerunt, voluerunt, & potuerunt interesse, fuisse exorditer, & unanimiter celebratam. Teque ut praedicitur electioni hujusmodi filialem reverentiam, quam tu ad nos, & eandem Romanam Ecclesiam Matrem tuam gessisti, gerebas, & geres, & proponis gerere in futurum sinceris affectibus exponentes, ac inter alia supplicantes tibi nostros favores, & gratias exhiberi, necnon inunctionem, & consecrationem per manus nostras impendi, teque Imperiali diademate coronari, offerentes se paratos, & promptos pro te in animam tuam praestare debite nobis, & eidem Ecclesiae fidelitatis, & cujuslibet alterius generis juramentum. Tandem autem praedictis procuratoribus per se, & una cum dilectis filiis, nobilibus viris Henrico Comite de Salinis, Gantero de Montilio, Gerardo de Ufflis, & Johanne de Aspero Monte militibus Treverensis, ac Valentinensis, & Virdunensis Dioecesis, ac Radulpho dicto Losh. officiali Trajectensi Procuratoribus, & nunciis tuis una cum eis per alias literas tuas similiter constitutis haec omnia pluraliter petentibus, ac devote offerentibus coram nobis. Nos praemissis per eosdem Procuratores, & nuntios tuos propositis diligenter auditis, factaque nobis de hujusmodi electione concordi, ac unanimi plena fide, eaque, necnon persona tua in quantum patiebatur absentia diligenter examinatis, ac de tuis fide, probitate, ac conditionibus omnibus, quae requiruntur in illo, qui est electus ad Imperialis culminis apicem sublimandus, cum pluribus Praelatis, aliisque magnae auctoritatis viris, qui tuos mores, conditiones, & statum plenius noverant, inquisitis, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & Beatae ac gloriosae Virginis Dei Genitricis Mariae, Beatorumque Apostolorum Petri & Pauli, & exaltationem & honorem Ecclesiae, & bonum & promotionem Imperii praedicti, & prosperum statum Mundi, de fratrum eorumdem consilio te in specialem nostrum & Ecclesiae filium suscipimus. Tibi nostros favorem & gratiam concedentes. Personaque tua, cujus nos & iidem fratres nostri specialem prius notitiam habebamus idonea reputata, te denominamus, denuntiamus, assumimus in Regem, in Romanum promovendum Imperatorem, eamdem tuam approbantes personam, & sufficientem & habilem declarantes ad suscipiendam Imperialis Celsitudinis dignitatem, ac decernentes unctionem, declarationem, consecrationem & coronationem Imperialis diadematis tibi per litteras opportunas loco & tempore impendendas. Supplentes omnem defectum si quis aut ratione formae suae tuae aut electorum praedictorum personarum qui electioni tuae interfuerint, seu ex quavis alia ratione, seu causa in eadem electione intervenerit quovis modo ex certa scientia, & de Apostolicae Sedis plenitudine potestatis. Praecipientes etiam omnibus fidelibus, & vassallis Regni & Imperii praedictorum, ut tibi tamquam Regi & Romano Imperatori promovendo pareant, & obediant efficaciter & intendant. Et nihilominus ibidem a Procuratoribus praedictis, & amicis tuis ad hoc ut praemittitur plenum, sufficiens, & speciale mandatum habentibus, prout ipsum nobis frequenter obtulerunt, fidelitatis accepimus juramentum. Attende itaque, fili carissime, quaesumus, & intra praecordia tua diligenter revolve dona magnifica, & multiplicia beneficia, quibus te largitor bonorum omnium in suis benedictionibus dignatus est praevenire. Illaque sibi devotione humili & operosis affectibus recognoscens ad ejus mandata, & beneplacita in omnibus te coapta, & vitare stude summopere quae suae offendunt oculos Majestatis. Pone gressus tuos semper in semitis mandatorum ejus, & ejus ministros condigna prosequi honorificentia non omittas, praefatamque Romanam Ecclesiam Matrem tuam, quae internae caritatis officio, ac affectu de tui status & honoris augmento solicita redditur, filiali venerari reverentia semper stude. Justitiam dilige, veritatem ama, sectare pacem, aequitatem serva, & clementiam, quae amicos, & devotos multiplicat, amplexare; & inde laetentur caeli, exultet terra, & de tuis benignis, ac virtuosis actibus universae rei populus hucusque vehementer afflictus hilarescat. Jugo tuae dominationis superbae mentes hostium reprimantur contritae, & depressae subditorum tuorum cum ope tuae misericordiae releventur. Te virtus gratiae caelestis terribilem tuis inimicis faciat, pietas subditis benignum ostendat. Tuisque felicibus temporibus in pulchritudinem pacis populus Christianus . . . . . . in fiduciae tabernaculis habitet, & in requie opulenta quiescat. Tuque & aliis bonis operibus in conspectu divinae majestatis acceptus post multorum annorum curricula de terreno, & temporali regno ad Caelestis, & aeterni regni gloriam merearis. . . . . Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum concessionis, monitionis, denunciationis, declarationis, assumptionis, approbationis, constitutionis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Avinioni VIII. Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

# GREGORII XII. LITERÆ.

## INDULGENTIAS ARIMINENSI CATHEDRALI CONCEDIT.

*Hæc est Copia litterarum Apostolicarum Domini Gregorii Papæ Duodecimi de Indulgentia plenæ remissionis omnium peccatorum per ipsum concessa Ecclesiæ S. Columbæ a primis Vesperis usque ad secundas in Festo Epiphaniæ singulis annis suo motu proprio, præcedentibus tamen sibi, & ejus mentem moventibus nonnullis magni, & mirandi stuporis omnibus oriundis, & incolis de Civitate, Comitatu, & Territorio Ariminensi pœnitentibus, & confessis. Exemplata de mandato Reverendi Patris & Domini Domini Hieronymi Episcopi Ariminensis.*

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Etsi quælibet loca pia prompta veniunt devotione Fidelium veneranda, quanto magis illa, quae fluctuanti Petri naviculae sincera pietate, & ferventi caritate subvenire proravimus, debent veneratione digna culi, & perpetuo decorari. Sane cum essemus in Civitate Gajetae, ad quam de Civitate Austriae Aquilejensis dioecesis schismaticorum perfidia nos impulerat invadendo hostiliter, & inhumaniter prosequendo, ne ordinatum per nos canonice in Spiritu Sancto ibi legitime inchoatum sacrum Generale Concilium pro unione, & pace Universalis Ecclesiae sponsae nostrae, ad quam puro, & sincero corde prout semper fecimus intendebamus, compleri posset, prout non potuit eorum nequitia adversante, & oporteret prout oportuit propter hujusmodi persecutiones, & quandam pestiferam pactionem eum tunc Rege Ladislao per iniquitatis filium Baldassarem Cossam a suis sacrilego ausu vocatum Johannem XXIII. factam, adeoque essent nobis itinera clausa, & ipsorum perfidorum laqueis tam per terram, quam per mare insidiae positae, & paratae, & omnia circumventa, quod nec modus discedendi tutus, nec locus aderat, ad quem declinare possemus, praeterquam Civitas nostra fidelis, & filialis Ariminensis ex prompta & inextinguibile devotione dilecti filii nobilis viri Caroli de Malatestis Domicelli Ariminensis pro nobis, & eadem Ecclesia in ipsa, & nonnullis aliis Civitatibus, & locis nostris, Vicarii, & Provinciae nostrae Romandiolae Rectoris, & unionis hujusmodi fervidi zelatoris, qui Deo datus, & nostra justitia informatus non pepercit periculis, laboribus, & expensis, spretis oblationibus quibuscunque & comminationibus impiorum, & sicut Altissimo placuit, qui noluit fidem Petri deficere, pro qua etiam exoravit. Supervenerunt ex insperato, & contra solitum morem illis diebus, videlicet circa finem mensis Octobris duae Naves mercatorum Venetorum, una ab Oriente, alia ab Occidente ibidem mirabiliter concurrentes, super quibus cum timore, & tremore, tanquam undique hostibus circumdati, exceptis dilectis filiis Gajetanis, qui erga nos tunc, & semper fidelissime habuerunt, die ultimo dicti mensis nobis superinde recessu pro peremptorio termino assignato a dicto Rege ascendimus, & sicut ille voluit, qui nos creavit, inter piratas, & perfidos quaerentes animam nostram maria ambo incolumes transivimus, & ad partes devenimus Sclavaniae, mutatis tamen fustis cum altera navium praedictarum illuc nos conducere non valebat. Et tamen in quinque barcunculis nos, & venerabiles Fratres nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, qui tunc tres numero nobiscum erant, mare ipsum transivimus per diem naturalem mirifice ipso duce, qui aquis imperat, atque ventis, in omnium stuporem ad portam Cesenaticam applicantes, quo sequenti die discessimus sociati Apostolico filio nostro Carolo, & facta pernoctatione in Bellarie, altera die occurrentibus nobis dilectis filiis Clero & populo Ariminenti processionaliter, & devote civitatem ipsam nostram Ariminensem intravimus in vigilia siquidem Nativitatis Dominicae, ut sicut eo tempore lux suae claritatis infulsit, ita sponsae suae, ne malevolorum faucibus absorberetur indulsit. Ut igitur ista tam stupenda, & cunctorum miranda oculis in timorem Dei cunctis temporibus memorentur, ipsaque nostra Civitas Ariminensis in sua Cathedrali Ecclesia ipsi Romanae Ecclesiae immediate subjecta, & sub vocabulo S. Columbae constructa singulis annis commemoratione hujusmodi gratuletur, & congruis honoribus frequenter, eoque libentius Christifideles confluant ad eamdem quo se senserint dono caelestis gratiae esse refertos, de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus vere poenitentibus, & confessis de Civitate, Comitatu, & Territorio Ariminensi oriundis, vel alias incolis, qui a primis vesperis vigiliae, usque ad secundos vesperos Festi diei Epiphaniae domini nostri Jhesu Christi, qua quidem die post dictum nostrum adventum ibi missam primam celebravimus, ipsam Ecclesiam devote visitaverint annuatim plenam remissionem omnium peccatorum suorum concedimus per praesentes. Nec per hoc intendimus aliis quibuscunque indulgentiis, & gratiis, quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis quovis modo, & quacunque auctoritate indultis eidem Ecclesiae aliqualiter derogari. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostrae concessionis quam intentionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Arimini VIIII. Kal. Aprilis Pontificatus nostri Anno Nono.

PLA-

# PLACITUM ECCICCONIS

*Missi Othonis I. Imperatoris habitum Ferrariæ coram Petro Archiepiscopo Ravennate anno 970.*

Ex Archivo Capital. Major. Ecclesiæ Ferrar. transmisit D. Canonicus Joseph Scalabrini.

An. 970.

IN nomine Patris & Filii & S. Sancti. Anno Deo propitio Pontificatus Domini Joannis Summi Pontificis & universalis Papae in Apostolica sacratissima Beati Petri Sede quinto, imperante Domino perpetuo Augusto Octone a Deo coronato pacifico Magno Imperatore anno Regni pietatis ejus, in Italia vero nono, & Domno Otone item a Deo coronato Imperatore ejus filio anno tertio die sexto mensis . . . . . Indictione tertiadecima Ferrariensi. Dum resideret in judicio & in generali placito Domnus Eccico Comes Missus & Missus Imperialis, simulque cum eo Liucius Episcopus S. Cremonensis Ecclesiae in mansione Pedeplana . . . . . . . quae est posita in ipsius burgo Ferrariensis singulorum hominum justitias faciendas & altercationes deliberandas residentibus & astantibus cum eis maxima pars populi multitudo bonae opinionis & laudabilis famae pariter eorum nomina plura notantur; idest in primis Domnus Petrus Archiepiscopus S. Ravennatensis Ecclesiae, Adelbertus Episcopus Bononiensis, Stubernis Episcopus Liviensis, Joannes Episcopus Corneliensis, Leo Episcopus Ferrariensis, & cum eis residebant Domnus Paulus dictus de Civitate Ravenna, Dudo Saxenas, Dudunus . . . . . Ferrariensis, & Joannes dictus . . . . . Ferrariensis Cives, Aldo judex Sacri Palatii, Guarino & filio supradicto Guarino, Tarraudus & Arrardus Sigizonis Comitis Romualdus . . . . . Germanis Ducibus Romualdo . . . . dreas amabilis, Deusdedit de Ponte Agusti, Petrus Consul qui vocatus de Gregorius, Autonius qui vocatur Acius, Leo qui vocatur de Andrea, qui vocatur filio Severi, Ursus Dali Germanis Ducibus . . . . abodo & alio Petrus Tabellicus similiter de Ferraria, Petrus filius Romanus Consulis qui vocatur Deieudo, Joannes judice de Caput Sandali, & alio Joannes qui vocatur de Ardoino, Joannes qui vocatur Rusio . . . . . qui vocatur de Brasida, Petrus de Rainsredus, Martinus qui vocatur Preconatio, & me praesente Dominicus Tabellius . . . . de Civitate Ravennae & aliis & caeteris in nostrorum illorum hominum praesentia . . . . . tus est supradictus Liucius Episcopus Cremonensis Ecclesiae de parte pro Comitato Ferrariense adversus praedictus Domnus Petrus Archiepiscopus S. Ravennatensis Ecclesiae dicens ei: Quaero tibi commodo habet & detinet Harimanni habitatoribus in locis, quae vocantur Curolo, & Tammara & de Caput Sandali usque ic Ferraria seu & Arimanni quod habuerunt in castro Ficariole vel infra plebe S. Mariae, quae vocatur Trenta venire, custodire debeat, & ipsius servitium vel ipsam ministrationem quae ad meis antecessoribus, qui istum comitatum Ferrariense detinuerunt fecerunt & vos mihi aliis . . . . . . . d tis. Ad haec respondens supradictus Domnus Petrus Archiepiscopus dicens ad eum . . . de ipsis hominibus, qui vos dicitis ad Curolo & Tamara & omnibus aliis meis Coloniis & residentibus habitatoribus in rebus quod est juris sanctae nostrae Ravennatensis Ecclesiae habeo contentiones Domni Apostolicis quas mihi continent, Domni Martini Sanctissimi Papae & Domni Agapiti & Johannis seu Leonis, necnon modo postea supradicto Domno Johannes Sanctissimo Apostolico & mihi ex inde confirmavit Domno Octono Rex quando in Italia ingressus est & postea illum coronatus fuit, similiter illum alia vice per suum praeceptum confirmavit ut nullus meus residentes habitatoribus in rebus sanctae nostrae Ravennatis Ecclesiae nec liberos nec servos ad nullius alius Placitum pertinere debeat neque per nullam ministrationem publicam facere nec tibi supradicto Liucio Episcopus neque ad istum mum comitatum Ferrariense neque ad nullam aliam districtionem nisi ad meum Placitum tam illi venire debeat & in meam districtionem stare secundum meam contentionem & confirmationem quae mihi concessa sunt, & etiam tu infrascripto Liucio Episcopus in eodem Placito fuisti quando meo Senior Octonem Imperatorem Placitum jussit detinere ad Sanctum Georgius, & ego illic per legem vincere viso fuit & in ipsa noticias quae exinde habere viso sum inibi scribere viso fuistis. Haec audiente jam supradicto Domno Heccico Missus & Missus Imperialis jussit ad supradictum Domnum Archiepiscopus ipsas suas praeceptorias & suas confirmationem quem ex inde dicebant habere coram suam praesentiam ostendere & relegere fecisse quia ipso Domno Misso diligenter volebat ipsas suas sponsionem audire; statimque hoc audiente Domnus Petrus Archiepiscopus jussit & constituit, & suum Missum nomine Sergius Presbyterum Sanctae Ravennatis Ecclesiae & direxit illum usque in civitatem Ravennam pro ipsas subscriptionem adducendum. Quae ita factum est. In die autem tertio seu & stante ipso Domnun Imperialis Misso de civitate Ferrariense venit in vico qui vocatur Caput Sandali residente in palacio in mansione de Guilteroi propter definictionem faciendam unde altercationem habebat supra dicti Johannis Evangelista cum Guarino de Ferraria & cum illo sendebat Domnus Paulus dictus de civitate Ravennae & Guarino de Ferraria & Guarino Filio suo Romualdus dux, Adelbertus & Sergius germani seu Romualdo filio supradictus Sergius Dux Petrus subdiaconus Sanctae Ravennatis Ecclesiae & filius quondam Johannis Ducis, Paulus de Acto Andreas de Stunabilis, Deus dedit de Ponte Augusti Petrus Consul de Gregorius de Ferraria, Leo de Andreas, Dominicus qui vocatur Siringo Johannes de Arduino . . . . Et Leo qui vocatur Lincio germani Gualt. . . . Johannes Gudice de ipso loco qui vocatur Caput Sandali Dominicus qui vocatur Guto seu & aliis caeteris quae longum est ad scribendum & . . . . constitutus supradicto Domno . . . . Petro Sanctissimo Archiepiscopus & apretemavit suas praeceptoias & confirmationem in eodem Placito qui superius dictum est, & ipso Do. Misso relegere jussit, & volens eum . . . . quae relectae sunt in eodem Placito per Georgium Presbyter & Notarius S. Ravennatis Ecclesiae & in ipsa praeceptoias & confirmationem Dom. Johannis relegebant quod . . . . . fidentes in rebus Sanctae Ravennatis Ecclesiae ad nullus Placitum publicum ire debeant neque nullam ministrationem publica facere uiti ad Pontifex Sanctae Ravennatis Ecclesiae in perpetuum stare & permanere . . . . . perlectae fuissent statim pro ipso Dom. Misso dixit quia istam contentionem & confirmationem bonae sunt & in perpetuum debeant permanere & ipso Dom. Paulus dictus similiter cepit . . . . dare & dicere judicamus nos ipsas praeceptoias quae domni Apostolici constituerunt & privilegiis Domni Imperatore confirmaverunt in supraseripta vestram Sanctam Ravennatem Ecclesiam & stabilissimas permaneat de quantacunque ibi relegitur de jura & dominium Sanctae Ravennatis Ecclesiae . . . . . ssus Domni Octonis Imperatoris & in hoc dijudicatum subscripsi.

. . . . . . dijudicatum subscripsi
. . . . . . oc dijudicatum subscripsi
. . . . . . dijudicatum subscripsi
. . . . . . in ho dijudicatum s subscripsi
. . . . . . o de Ferrara in hoc dijudicatum subscripsi
. . . . . . drea in hoc dijudicatum subscripsi
. . . . . . de Amabilis in hoc dijudicatum subscripsi
. . . . . . de Ponte Agusti in hoc dijudicatum subscripsi

✠ Ad Albertus Episcopus Bonoliensis in hoc dijudicatum subcripsi
✠ Johannes Episcopus Corneliensis in hoc dijudicatum subscripti
✠ Leo Episcopus Ferrariensis in hoc dijudicatum subscripsi
✠ Sergius Presbyter Sanctae Ravennatis Ecclesiae in hoc dijudicatum subscripsi
✠ Georgius Presbyter Notatius San. Ravennatis Ecclesiae in hoc dijudicatum subscripsi.

## MONACHORUM LUCENSIUM

# AD HENRICUM I. IMPERATOREM EPISTOLA

## CONTRA SARABAITAS.

*Henrico Dei gratia Imperatori, semper Augusto l. ca. por. & omnes eidem Congregationis Fratres debitam Orationem in Domino.*

Ex MS. Cod. Bibliot. Canonicor. Major Eccl. Lucensis.

An. 1002.

MEminimus vestrae Majestatis, quae olim nobis legationem mittens, quod pro ea Dominum precemur, oravit. Quod nostra fraternitas assidue egit. Itaque meminisse debet vestra Celsitudo, quod fuit, quod eras, meminisse quod fuisti, aliquando parvus, sed & divina dispensante clementia factus es magnus. Unde rogamus, ut quanto major es, tanto humilies te in omnibus, ut coram Domino invenias gratiam, ne quod absit, in te fiat sermo, quod Profetico ore prolatus est, dicens. *Dejecisti eos dum allevarentur*. Scriptura dicit, quia Dominus esurientes humiles implevit bonis, & superbos divites dimisit inanes. Hinc ad Saul dixit Dominus: *cum esses parvulus in oculis tuis*, caput te constitui in tribubus Israel; ac si aperte diceret: magnus fuisti mihi, quia despectus tibi. Sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus mihi; quod David tradidit, cum Regni sui potentiam coram arcam foederis Domini despiceret, dixit: *Ludam & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis*. Etenim Nabuchodonosor Rex, quia erectis superbiae cornibus plusquam hominem esse putavit, more ferino nemorosa prata per septem annos lustravit. David vero, quia sa in omnibus humiliavit, prophetiae secreta rimavit. Unde scito, te esse Sanctae Ecclesiae filium & protectorem, in qua praelatus es, ne quod absit, ut destruas, sed ut a perversis hominibus ejusque subversoribus omnibus viribus munias; ita dumtaxat ut quos illa convertere sua praedicatione nequiverit, gladio perimas. Igitur notum sit vestrae potentiae celsitudini, nostris in finibus Monasterium esse, quod cognomento Sextus vocatur, in quo degunt quidam ex pessimo genere Sarabaitarum, qui nulla regula approbata experientiae Magistri, sicut aurum fornacis, sunt in plumbi natura molliti; adhuc operibus servantes saeculo fidem, mentiri Domino per tonsuram noscuntur. Quibus pro lege est desideriorum voluptas, & quod nefas est dicere, etiam feminarum sunt amatores. Quos cum ejusdem Coenobii Pater corriperet, & ut a tantis malis cessarent, imperaret, conati sunt de ejus morte tractare. Quod cum ei compertum fuisset, Romanae sedis Antistitem petivit, & quid de tantis malis judicaret, inquisivit. Qui protinus ei praecepit, ut nostrae Congregationis Monachos acciperet, eosque in praefato monasterio in praesentia Episcopi, ad cujus Dioecesem pertinet locus ille, caeterorumque bonorum hominum; Domino servituros disponeret. Hos autem, qui juxta S. Benedicti regulam obedire nollent, foras expelleret: praeterea, qui hujusmodi rei contradictor extiterit perpetuo anathemate subjugavit. His autem patratis, venit quidam, Arinisius nomine, qui dixit se a vestrae magnitudinis solio missum esse, qui seductis populis, nefandam seditionem commovit, & accepta pecunia nostros Coenobitas, una cum praedicti monasterii Patre, foras expulit, & schismaticos intromisit. Et ut verius dicam, Dominum dejecit, & Diabolum introduxit. Quid plura? Abbas namque in tali exilio defunctus est: Unde Apostolica Sedes valde tristatur. Quapropter rogamus vestram regalissimam nobilitatem, ut quodquod Sanctae Ecclesiae offendit, emendare non recuperabiliter corrigat. Sed agnito Creatore suo, cujus imperio cuncta subsistunt elementa, semper quod placitum est, perficiat; quatenus nunc & semper in Regno perpetuo feliciter gaudeat. Amen.

# BULLA GEBEARDI ARCHIEPISCOPI RAVENNATIS

*Qua confirmat Monachorum quorundam donationes.*

Ex Archivo Capitulari transmisit D. Joseph Scalabrini Canonicus Major. Eccl.

In nomine Patris & Filii & S. Sancti anno Deo propitius Pontificatus Domni Benedicti Summi Pontificis & universalis Papae in Apostolica sacratissima Beati Petri Sede octavo, die trigesimo mense aprilis per indictionem . . . . Ferrariae.

*Gebeardus Servus Servorum Dei divina gratia Archiepiscopus Sanctae Catholicae Ravennatensis Ecclesiae oblator exiguus.*

An. 1020.

CUm summae divinitatis potentia in sacra regiminis arce non meritorum gratia sed ineffabili suae potestatis arbitrio per multorum op. . . . nos locare dignatus est, illud nos ambire cotidie. . . . ad perennem capessendam indulgentiae censuram pertinere potissimum, . & fore dinoscitur ut & beatissimorum sanctorum & maxime intemeratae Virginis Mariae necessitudo me adire compellit suffragiis & propriis viribus ad tantam sarcinam perferendam nequaquam ex isto idoneus . . . . . prece placentia ejus matris oraculo subilenter si non in omnibus in quibusdam tamen praesulatus officio dignitatem vitae nec moribus valeam adequare. Igitur ego Gebeardus humilis atque peccator Sanctae Catholicae Ravennatensis Ecclesiae Archiepiscopus cum ordinariis clericis Sanctae nostrae Ravennatensis Ecclesiae nec

non

non cum consensu confratrum meorum in suo vere cœnobio Beatissimae Theotocos Virginis Mariae in quo Guido Presbyter praeesse videtur, modis omnibus providere, constituere, atque confirmare anteriora praecepta & insuper quae in illis releguntur, iceft Ecclesiam S. Petri Apostoli cum curte sua interna, quae vocatur Ussulat & cum omnibus suis pertinentiis sicut in anterioribus praeceptis relegitur. Similiter confirmamus in praefato monasterio curtem integram, quae vocatur Monterionis cum fundis & appendicibus suis . . . . . . Ecclesiam monasteria quorum haec . . . . . videlicet S. Stephani quod vocatur majoris & S. Barbatiani . . . . bariae atque S. Stephani quod vocatur junioris, & Monasterium S. Mar. . . Enodochium cum omnibus rebus & pertinentiis suis; etiam confirmamus tibi praefato Guidoni & per te in praelibato Sancto ac venerabili Monasterio tuisque successoribus in perpetuum omnes cartas enfiteoticas quae a nostris clericis monstratae sunt. Et insuper concedimus & confirmamus in supradicto Monasterio idest manum unic laboratum qui vocatur de Casale quem usque modo detinere visi fuerimus a jure nostra tend & . . . consistit territorio Ariminensi plebe S. Savini, in terra . . . . ab uno latere strata publica, ab alio latere possidet Comes Ariminensis, seu a tertio latere rivus qui vocatur Temise; atque a quatto latere juris S. nostrae Ravennnatensis Ecclesiae. Insuper confirmamus in perpetuum eidem praenominato monasterio omnes res & pertinentias quas cum habetis vel detinetis per quemcunque modum vel titulum Sancti Lu. . . . . . mansiones terras vineas sylvas paludes, vel piscarias a nostra Ecclesia vel a Monasteriis eidem nostrae Ecclesiae subjectis. Quae igitur omnia memorata loca vel sicut supertus legitur & subtus, videlicet ratione concedimus atque confirmamus tibi tuisque successoribus pro remedio animae meae meorumque successorum, quatenus & tu & tui successores & confratres qui ibi sunt vel qui per tempora ibidem ordinati fuerint orationes quae in tuo anteriore praecepto, quod a nobis in tun praefato monasterio conceptum est releguntur adimplere vel facere debetis & quae pro omnibus rebus & praeminentiis quas vos vestraque praefata Ecclesia detinere videmini a jure Sanctae nostrae Ravennatensis Ecclesiae pensionem persolvere debetis nostrisque successoribus vel S. nostrae Ravennatensis Ecclesiae auctoribus in festivitate Sancti Apolenaris. *Quod reliquum erat hujus bullæ casu apud me periit.*

# JUDICATUM LUCÆ HABITUM

## PRO BONORUM INFANTIS DIVISIONE.

Ex Archiv. Monast. S. Nicolai Lucensis.

An. 1098.

IN Christi nomine. Notitia brevis pro modernis & futuris temporibus ad memoriam habendam vel retinendam quod infra Lucensem civitatem, in casa Sarpertii judicis & missi Domini Imperatoris praesentia jam dicti Sarpertii judicis & aliorum Judicum, scilicet Antonii Signorecta, Roberti Benedicti, Leonis Causidici, Alberti Notarii, Ugonis filii B. M. Alberti Alboni filii, B. M. Ghetti Boni filii, B. M. Andreas, Robertus & Brunectus generum filii B. M. Bonacciani cum Bonifatio infantulo genero eorum, & filium suprascripti Bonacciani, & cum Cecio filio B. M. Rustichi, & Frediccione filio Alboni consanguinei eorum. Venerunt praesentia suprascripti Sarperti judicis & missum Domini Imperatoris, & aliorum qui ibi aderant, & petierunt, ab eodem Sarperto judice divisionem facere de aliquantis terris, quae communiter habebant, eo quod ipse Bonifacium infantulum inspartire & minime jure aliter dividere valebat; & dedisset ei missos de sua praesentia, ut eas divisissent & aestimassent. Tunc ipse Sarpertus judex direxit missos de sua praesentia secundum legem duo viri estimatores, idest suprascriptum Cecio & Frediccione consanguinei suprascripti Bonifacii infantuli ad terras ipsas, ut vidissent & estimassent, qualiter ipse exinde infantulum deceptum non esset. Tunc ipse Cecio & jam dictum Frediccione ambulaverunt super ipsas terras, & viderunt & estimaverunt, atque renuntiaverunt, quod ipsa divisio bona & justa esset, & ex hoc ipse infantulum dannietatem non habeat. Sic stantem ipse suprascriptus judicem & missum Domini Imperatoris pro puer auctoritate Domini Imperatoris sueque mercedis. Dedit ei ex pubblica anctnthate sicut ei postulaverat licentiam, jam dictam divisionem facere. Tunc ipse Bonifacium infantulum cum ipso Cecio & Frediccione consanguinei & tutores eorum per virgam, quam in sua tenebat manu tradidit atque investivit ex publica anctoritate suprascripto Uberto & Brunecto generi sui ad suam proprietatem in placito & sorte seu divisione stante de duabus peziis illis dictis, qui esse videntur in loco & finibus Verciano prima ex ipse cum Cassina super se habente, seu curte & orto; insimul prope Ecclesia sancti Stephani, quae capita ambo tenet in viis publicis latum, vene intra, & dimidia sepe Matalde relicte quondam Raneri, & aliud latus vene intra, ubi Uberti Ceramati generi Manciorini & illa secunda, quae campum dictum Cardetoro, quod unum caput vene in via publica & aliud caput vene in . . . . . . . . de filiis . . . . . latus unum vene in ipsa & dimidia fossa Rameri quondam Stephani Presbyteri, & aliud latus vene in via & fossa de filiis quondam Carbonis de Santo Miniato. Hanc autem suprascriptas duo petiis de terris quos una ex ipsis cum Cassina super se cum fundamento & omni edificio suo & curte & orto; insimul & illa, secunda quae est campum qualiter ab omni parte circumdate sunt per designata loca in integrum cum inferioribus & superioribus suis, seu cum accessionibus & ingressibus suis, ut dictum est ipse Bonifatium infantulus cum suprascripta consanguinei eorumdem ex publica auctoritate per istam virgam, quam in sua tenebat manu de istis duabus petiis de terris jam dictis generis suis investivit ad eorum proprietatem in parte & sorte divisione stante; & insuper spopondit seque Bonifatium infantulum ex publica auctoritate ad ipsum jam dictum Rubertum & Brunectum generos suos, quod si unquam in tempore ipse Bonifatium, vel sui haeredes, vel eorum summissa persona, vel eorum ingenium eisdem generis suis, vel suis heredibus, aut . . . . . . ex praedictis duo petiis de terris dederint, vel habere decreverint, essent, aut causassent vel removissent, sive intentionassent, aut molestassent, aut placitum frangere fecissent aut si exinde apparuisset fundamentum vel factum per quod ei exinde ulla intentione aut danneitas vel molestia existat aut deveniat pro quolibet ingenium, quod computari debeat, ipseque Bonifacium infantulum vel sui heredes eidem generis suis vel suis heredibus, aut cui ipsi exinde dederit, vel habere decreverit poenam argenti optimi libras quadraginta, unde ipse Robertus, & Brunectum generi fecerunt eidem Bonifacio genero eorum meritum annulum unum aureum pro ipsa investatione & divisione atque consponsione confirmandam praesentia jam dicti Avvocati, & Missum Domini Imperatoris & praedictorum Judicum & reliquis. Hoc factum est anno ab Incarn. Domini nostri Jesu Christi Dei aeterni millesimo nonagesimo octavo, sexto Idus Julii. Indictione sexta. Sar-

Sarpertus Judex & missum Domui Imperatoris interfuit.
Antonius Judex Sacri Palatii interfui.
Benedictus Judex sacri Palatii interfui.
Robertus Judex sacri Palatii interfui.
Ugo, qui ibidem fuit, & suprascriptus Alboni, qui ibidem fuit, & suprascriptus Bonum, qui ibidem fuit.

Conradus Notarius Domni Imperatoris, qui hunc Breve scripsit, & ibidem fuit.
Ildibrandus Notarius Domni Regis tacum illud exemplum.
Sighinulfus Notarius Domni Imperatoris autem . . . . . . illud vidi & legi unde unicum exemplum factum est hic subscripsi.

Loco Sigilli.

# JUDICATUM MISSORUM IMPERIALIUM.

Ex Archivo PP Canonicor. Regular. Lateran. Papiae.

An. 1164.

DIe Sabati, qui est octavus dies mensis Februarii. De discordia, quae versabatur inter Dominum Joannem gratia Dei abbatem ecclesiae sancti Petri Caeli aurei, nec non & Dominos de Castello dum in Campo essent apud Modoetiam pro duello faciendo secundum quod judicatum fuerat ab Opitone Buccafolle in praesentia Domini Rainaldi Coloniensis Ecclesiae electi, & totius Ytaliae Archicancellarii & imperatoriae majestatis legati, quae erat de districto & albergariis & frodo & aliis multis diversis conditionibus super rebus quas Ecclesia sancti Petri de Caelo Aureo possidebat in valle Obside (sic) & in valle Intrasca. Supradictus Abbas & Gilius Prior consensu aliorum fratrum qui ibi erant, & advocatorum, scilicet Alberiei advocati & Alberici filii Cone, & Ugonis de Palacio, & in praesentia Domini Henrici Leodicensis Episcopi & Comitis Corolini & Marcoaldi de Glonbae, & aliorum multorum nomina quorum infrascripta sunt. Istus Johannes abbas & Gilius Prior fecerunt securitatem per sacramentum in manibus istius Domini Rainaldi electi, & supradicti advocati juraverunt tactis sacrosanctis Evangeliis, quod quicquid eis praeciperet de discordia, quae vertebatur inter istam Ecclesiam, & Dominos de Castello remota omni occasione observabunt & observari facient. Et similiter Domini de Castello, scilicet Marcius & Cavalcasella, & Olrigarius & Albertus Barbavaira & Albertus Gritta juraverunt, quod de tota discordia quae vertebatur inter praedictam Ecclesiam & ipsos, & omnes parentes eorum observabunt omnia praecepta quaecumque istus Dominus Raynaldus archicancellarius eis praecepit, remota omni occasione observabunt & alios suos parentes observari facient.

Sequenti vero die infra pontilum Solarii de Moetia juxta ecclesiam Sancti Joannis de more istus Dominus Rainaldus Coloniensis Ecclesiae electus & Archicancellarius praecepit Dominis de Castello sub debito sacramenti, qui finem facerent adversum istam Ecclesiam, & fecerunt finem & refutationem per se & per eorum submissam personam adversus eandem Ecclesiam. Nominative de omni districto & honore & albergariis & frodis & investituris, & mannis, & arbollorieiis & casiis & agnellis & porcellis & precariis & bannis & placnis & pullis & investituris castaldorum, & omnibus aliis conditionibus vel fictis, quae dici aut nominari possunt, quae dicebant se debere habere in istis rebus sancti Petri in valle obside, & in valle Intrasca, ut liceat isto abbati a suis successoribus facere de istis rebus omnibus quicquid eis placuisset, & eis fuerit opportunum absque contradictione istorum dominorum de Castello suorumque haeredum, excepto de homicidio & adulterio & perjurio & de his tribus causis, scilicet hoc modo, quod ipsi domini de castello non accipient per se, nec per eorum submissam personam pro homicidio ultra solidos viginti imperialium; pro adulterio decem solidos Imperialium, pro perjurio solidos sex Imperialium. Eo modo si ista maleficia publice facta fuerint bannum isto modo accipiant, & non amplius, sin autem querela de istis maleficiis ante eos facta fuerit. Placitum ante eos ventiletur & definiatur & devictis secundum istum modum bannum tollant, & nihil amplius per aliquem modum tollere debetur. Et praecepit eisdem Dominis de Castello sub debito sacramenti ut secundum quod justum est observetur, & omnes alios suos parentes, qui in istis rebus aliquid juris se habere dicebant jurare & finem facere simili modo facient facere si sunt quindecim annorum. Et eodem die Istus Dominus Raynaldus Coloniensis Ecclesiae electus & Archicancellarius praecepit justo Abbati & Priori & Advocatis sub debito sacramenti ut facerent finem adversus Dominos de Castello de istis tribus placitis, scilicet de homicidio & adulterio & perjurio; tali modo, ut pro homicidio accipiant solidos viginti Imperialium, per adulterium solidos decem Imperialium, pro perjurio sex solidos Imperialium, & nihil plus. Quia Abbas de istis tribus placitis se intromittere non debet, donec ista tria placita ante dominos de Castello fuerint definita, & bannum pro istis tribus maleficiis, ut justum est, receperint. Postea vero istus Abbas & sui successores pro his maleficiis & pro omnibus aliis rebus habeat potestatem de suis hominibus & eorum rebus faciendi quod ei placuisset sive de bannis, seu de omnibus aliis conditionibus sine contradictione istorum Dominorum de Castello, suorumque haeredum. Et debent istam concordiam firmam & ratam habere, & habebunt. Et inter se fecerunt finem & refutationem una pars adversus alteram, ita adtende ut supra V. de omnibus maleficiis & de omnibus rebus ablatis & offensis usque hodie commissis sub poena tali, quae est centum marchas argenti, medietatem Camerae Imperatoris, & medietatem Abbatis; ut si Abbas superit hoc quod supra V. similiter tantum componat. Et praecipimus istis Dominis de Castello quod a se & ab aliis omnibus hominibus istus homines Abbatis defendantur, & hoc praecipimus ex parte Domni Imperatoris, unde duo Brevia concordiae scripta sunt uno tenore.

Factum est hoc anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo quarto isto die Indictione duodecima.

Eodem anno, octavo die mensis Marcii die Dominico. In burgo Palancie juraverunt Martinus, & Guilielmus fratres Cavalcasellae, & Arditio frater Olrigatii manibus suis propriis ad sancta Dei Evangelia; eo modo quo firmam & ratam habebunt concordiam factam inter ipsos & Ecclesiam Sancti Petri Celi aurei similiter ut V in carlis concordiae factae se scienribus, si Deus illos adjuvet & illa sancta Dei Evangelia. Interfuerunt Roglerius, Catassius, Syrus, Mulinarius presbyter de Cavagrasseo, Ardicio de Bruiln, Olricus de Monticelln de Novaria testes.

Interfuerunt Albericus de Besuto, Guifredus de Dever, Albertus de Cedra, Jacobus de Castelliono, Marcho Oliverius de Romagnano, Rodulphus de Fitilliaira, Roglerius Catasius, Gualterius Catapejus, Allo vexillifer, Opto Buticella, Aimannus Xañ, Josfredus de Burgo, Alliorus Buccafol. Carbonus de Piscaria, Petrus Buccafol. Girardus de Lomello, Carnelevarius de Curte, Petrus Catassius, & multi alii testes.

Ego Turco judex & notarius Sacri Palatii hoc Breve concordiae scripsi. Loco Sigilli.

Ego Raynaldus notarius interfui & hanc sententiam scribere feci & subscripsi. Loco Sigilli.

JOAN-

# JOANNIS DOMINICI MANSI
## IN SEQUENTEM EPISTOLAM
# PRÆMONITIO.

*Gaufridi ( ita enim a Ciacconio appellatur ) Castellionei Mediolanensis Epistolam hic subiicio contra Pisanos datam, & a me exceptam ex Archevo Archiepiscopatus Lucani signatam* ✠ ✠ *D. Porro in bellis quæ ineunte sæculo XIII. inter Pisanos Lucensesque exarserant occupata sunt a Pisanis oppida quædam ad Lucensem Archiepiscopatum pertinentia. Frustra Honorius III. Summus Pontifex apud Pisanos precibus monitisque institit, ut occupatam Ecclesiæ Lucanæ ditionem restituerent; quare Guifredus seu Gaufridus, Apostol. Sedis in Hetruria Legatus, jussu Pontificis adactus fuit ut excommunicationis sententiam in Pisanos injustos detentores ferret. Qua de re vide Ughellium* in Lucensibus, *ubi de Roberto Episcopo Lucensi agit. Huc Epistola nostra pertinet.*

---

# GUIFREDI S. R. E. CARD.
## EPISTOLA

*Qua Pisanos excommunicationi subdit, pro injuste retentis Oppidis Lucani Episcopatus.*

*Venerabilibus in Christo Patribus Archiepiscopo, & Capitulo Pisarum Petrus Prior S. Fridiani Lucani licet indignus salutem in Domino.*

Ex Arch. Archiepiscop. Luc.

An. 1225. Circiter.

Literas Domini Legati recepimus in haec verba. Guifredus miseratione divina tit. S. Marci Presb. Card. Apost. Sed. Legat. Dilecto in Christo filio Priori S. Fridiani Lucani salutem in Domino. Ad tuam credimus notitiam pervenisse, quod dudum tulimus excommunicationis sententiam in Vicarios Potestatis Pisani, & ipsius Civitatem ....... consilium pro eo quod possessionem Castrorum Ecclesiae Lucanae juxta praeceptum nostrum venerabili Patri Lucano Episcopo restituere non curabant. Deinde crescente contumacia eorumdem nos cum eis excommunicavimus Potestatem & Consilium ejus, iterum Judices omnes, Tabelliones, & omnes Officiales, & quoslibet alios ipsius Civitatis, qui eis in hoc praestarent consilium, auxilium, consensum seu favorem, nisi infra festum omnium Sanctorum proxime tunc praeteritum possessionem ipsam restituerent dicto Episcopo, justa interpretationem nostram petitam, & acceptatam ab ipsis. Omnes quoque Cives Pisanos denunciamus esse perjurios, pro eo quod praecepto nostro facto sibi sub debito juramenti praestiti, non parebant. Alias nihilominus poenas eis, nisi resipiscerent, comminantes. Ad haec Civitatem Pisanam subjecimus Interdicto, districte inhibentes, ne praeter Baptismum parvulorum & poenitentias morientium, aliquod ibi celebretur divinum Officium, vel exhibeatur Ecclesiasticum Sacramentum, ac virtute obedientiae districte praecipientes Archiepiscopo, & Capitulo Pisano, ut publicent omnia supradicta, ipsamque interdicti sententiam observarent, & facerent observari. Sed neque Cives Pisani possessionem dicto Episcopo curaverunt restituere saepe dictam, nec iidem Archiepiscopus & Capitulum praedicta publicarunt, nec ipsam Interdicti sententiam servant, vel faciunt observari; praeceptum nostrum sic indurata facie contemnentes, ut eis vere possit adaptari propheticum illud: *erunt sicut populus, sic Sacerdos*. Licet ergo saepe, & non semel tantum, eorum inobedientiam experti fuerimus & invenerimus eos in multis abuti nostrae patientia lenitatis; adhuc tamen experiri volentes utrum in eis inveniri possit aliqua obedientiae, seu devotionis scintilla, eisdem Archiepiscopo, & Capitulo iterum in virtute obedientiae districte praecipiendo mandavimus, ut praedictos Potestatem, Consilium, Judices, Tabelliones, necnon omnes Officiales, & quoslibet alios in hoc eis praestantes consilium, auxilium; consensum seu favorem in personis, vel rebus, infra octo dies post susceptionem literarum nostrarum, denunciantes excommunicationis vinculo innodatos, & praecipientes usque ad satisfactionem condignam arctius evitari praedictam interdicti sententiam observent irrefragabiliter, & a suis faciant subditis observari ex parte nostra praedictae Potestati & ejus Consilio ac toti Civitati Pisarum, denuntiando expresse, quod si in sua persisterint contumacia, sub vinculo excommunicationis curabimus districtius inhibere. Ne quis dictos Cives in hujusmodi duritia persistentes in suis receptet hospitiis, neque cum eis aliquid exerceat commertium vel contractum, & omnes qui eis tenentur vinculo juramenti ab eodem vinculo absolventes eorum mercimonia praecipiemus, ubicunque inventa fuerint, detineri; alias contra eos & Civitatem ipsum modis quibuscunque poterimus aliis, acrius processuri: praeceptum autem nostrum saltem hac vice taliter adimplere procurent, quod ipsi similes sententias non incurrant. Nos enim ex nunc in eosdem Archiepiscopum & Capitulum excommunicationis & interdicti sententias promulgamus, quas, nisi praedicta omnia infra præscriptum terminum curaverint adimplere, ipsos incurrere volumus, ad nostram praesentiam in personis propriis sic excommunicatos & interdictos continuo accessuros. Ideoque discretioni tuae, auctoritate qua fungimur, in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus eisdem Archiepiscopo, & Capitulo in praecepti nostri executione cessantibus tu eos excommunicatos & interdictos publice nunties & facias ab omnibus arctius evitari; eis auctoritate nostra praecipiens, ut sic excommunicati & interdicti in personis propriis ad praesentiam nostram accedant. Datum Mediolani XVI. Kal. Decembris.

AD

## AD GEMINAS COLÆ DE RIENZO EPISTOLAS

# PRÆMONITIO.

*Nicolai de Laurentio, sub nomine Colæ de Rienzo historia, sat notior est, quam ut hic commemorare necesse sit. Vir isto eloquio potens, sed & audacia valentior tantum enixus est ut Tribuni dignitatem, quae tunc summa erat Romae, sedentibus Avenione Pontificibus, obtinuerit, anno 1347. Novo auctus honore crevit & arrogantia, quam diu non ferentes Romani, nec tolerantes Romani Pontifices virum impotentem audacia e Principatu deturbarunt, & ex Urbe expulerunt. Igitur exul & miser profugit in Bohemiam ubi carceri mancipatus est, traditusque Clementi VI. Pontifici. Avenionemtranslatus urbem non carcerem mutavit, ubi diu elanguit, donec sub Innocentio VI. solutus vinculis libertatem, at pristinam dignitatem non obtinuit anno 1353. Quas hic exhibeo epistolas, scriptae ab eo sunt in exilio adhuc agente.*

---

## EPISTOLÆ DUÆ NICOLAI DE LAURENTIO, VULGO COLA DI RIENZO.

### *Tribunus Populo Romano.*

Ex MS. Cod. Biblioth. Canonicor. Lucens.

POpule meus quid feci tibi, precor, edissere; quid me aliud effecit nisi collapsae publicae rei zelus? Quis cives contra civem furor nos incitat, qui usque in amorem prosperi vestri status exarsi? Quid fratres in fratrem insurgitis? Ego sum, ego sum qui dentes vos devorantium obscindebam Adjuro vos per eum, qui noscit omnia, prius quid quaeritis noscire; quid vultis discutite, quid & quare petitis. Voluntate vester sum, cur vestram obruitis facturam? Nostran. cur funditis? Reparationis vestrae repararium cur deletis? Quicquid vestri habeo, tollite; non abdico; non est opus ense repetere, quod ensis vero attulit, non vis, non dolus mihi reserarunt vestibulum; immo clavis. Solam itque personam juri meo vendico. Illamque Urbanis si a ratione exislii trucidare. Non sum quid me vobis esse jam libuit; illud esse desii ante quam id me non esse velletis. Unus sum de vestris plebeis humilimus, promptus irruere in quodcumque. Plebs irruat, & fremere quicquid fremit. Pareite, deprecor, pareite vestro contribulo minimo non Tribuno, dirigire gladium in propria viscera, quandoque dediscite. Aborsum ipsum *aenere* (sic) reculatis. Nondum sitim hujusmodi bibulae telluris compescuit, jam longi temporum cruoris Romani persluvium, quo longe minus inebriari potuit. Totum orbem fervor, obsecro, sanguinis bullientis circa corda deserveat, ipsius irae fumosa caligo dehiscat, quae lumina rationis obumbrat, qui domuistis feritatem agrestium populorum, nobiles animos poterimus non domare? Veniam, agite flagito, veniam supplex quaero, delictum fateor, in quo etiam vero deliqui, denique si mihi nolitis ignoscere, infami fabulae Romani nominis ignoscatis. Sed heu mihi quid faciam? Clamor invalet, intumescit strepitus, vocumque tumultus mari sonant; namque faces & saxa, saevis animis irrevocabile vulgus. Quid agam, feram obvia pectora; an mulcebo? Nec hoc vero nec illud. Non est licitum attingi contra populum populari; nec orandi locus. Quis enim vulgus potuit disculpare? Semper enim vulgi est inextricabilis error, & Romani praecipui ad arma commoti. Meum monimentum, mea suasio esca foret eorum incendii furiosi, qualia fiunt aqua stillamina magnae flammae. Me miser! Quod ergo superest? Quo ferar mors, patet; fuga latet. O viri parum pii? Ex quo mihi via nulla suggeritur dicite tamen laeti. Quae precor lex Justiniani vestri me judicat, judicate. Sed quia abest necis titulus, necem sine titulo pro titulo conscribatis. Eccine bonum certamen, pro vobis certantibus sunt coronae. Heu vanam sortem? Nemo tam dies habuit faventes, ut crastinum sibi posset polliceri. Sperabam debitum naturae naturaliter solvere, ac ubi per acerba fata contingeret me intempestive enari, abire rogavi potius injuste quam juste. Nunc ergo debito anticipato naturae vitam ipsam virtuti non minus digne persolvam. Deus Deus Deus meus adesto mihi, qui nunquam omittis misereri & parcere, a quo sancta desideria, recta consilia, justa sunt opera, ignosce in me inhiantibus, remitte adversus me conspirantibus, conterentibus me indulge, & interventu mediatricis tui & hominis gloriose, da servo tuo de peccatis, ut possim contrito illam quam mundus dare non, attingere gloriam atque pacem. Dat. &c.

### *Idem Romanis.*

O Quam profana dicta sunt contra te civitas Babylonis! Tu opprobrium & blasphemia, & exemplum, & stupor omnibus, quae vicinae sunt gentibus & per omnes terrae ambitus praedicanda. Tu postquam virga ferrea, demolita rubigine, fecisti corrigere nationes ingravata es in horribilitate stragum, tenere perditam monarchiam, unde eo usque deventum est, ut apud quos virtutum fulgore insignium Romanorum fama non attigit, rumor vitiorum exectabilium percrebescat. O quam beata & excelsa sedes in majestate malorum, ubi non est mediocre mirandum, tibi, savescente fortuna, simul succurrit & vitio, quod est in adversum sententiis omnium sapientum! Heus age grandeva parens proot palpasse recolis plures, olim tuae rei praesidentium exterminati sunt, secti sunt nil mirum; tibi namque aut hoc popośecrat eorum immanitas, aut quaevis alia positarum transgressio sanctionum. Exempla praetereo sicut in atrocitate Neronem, in transgressu Caesarem, vel praecipuum numen tuum, cui quidem genis madidis, comisque diffusis armatum dum sualili maturius monitis transitum Rubiconis. Sed virum hunc, virum unquam innocuum, virum affecto patrio secundum, qualis ejus saevitia, vel qua-

qualis ejus praevaricatio condemnavit? Hic erat æquus, pius, misericos, non praeponderans, sed gestans continue animum ferreum, hic lacerantes te, miseram vero dolentem hebetudinem sensuum collidebat. Hic o quam bonum, o quam incompensabile bonum Pharaonem illum nefarium pseudoprophetam, qui actione non subacta deploravit vineam Domini, Sabaoth, ceterisque villis tibi circumcisis jam tandem te venientem subvertere consternavit, hic tua statuta celebrans, & si qua condebat, dictabat hoc ratio juxta emergentis temporis qualitatem. Proh dolor dum puellares annos agebas vivendi eras regali in potentia & doctrina, nunc vero insanis annis decrepita tuisque moribus es omnibus odiosa; & tu ejus inenla gens truculenta, gens impia, gens omnis inventrix nequitiae, quid in malitia gloriaris? nec etiam, ut ait poeta, hoc dixisse semel satis est. Juvat hucusque morari quae vos latrialis furia incitavit, diripere vestro proficuo totum raptum. Quae tetra, quae canina rabies fecit vos bibere sanguinem innocentem, sanguinem, inquam, mundum, sanguinem commaternum, & iisdem namque pedibus, quibus paulo ante virum hunc repetistis, letalius letaliter imperistis, & eodem ore, quo vivat vivat cantaveratis eidem, moriatur pariter proclamastis, & isdemque manibus, quibus in resumptione plaudebatis ipsius, eum transfudistis, distraxistis, membratimque cesis cecidistis; quid hac insolentia infandius, quid obscenius, quidve infaustius? nempe poteratis, evocatum istum honestius saltem ultra cedere & sic eum ignominia revocare? Istiusmodi blandimentis alienigenas vestros convictui convitatis. Sed unum aliquid videre videor, quo tanti flagitii deliniri posset asperitas, quia videlicet in catalogo vestrorum gestorum scelestium non primo pingitur haec rubrica quemadmodum scriptum est, plurimos occidistis in urbe hac, & implestis vias ejus interfectis, fac conclusionem, qua terra plena est judicio sanguinum, & civitas plena est iniquitate. Jubilate igitur, jubilate & vos ubicumque degitis, ferte quoquomodo lucem sine pavore. Recolite, quam jam lucis orto sydere frigebatis. Venator ille, qui dispergebat vos, corruit, aures ergo arreptas deponite. Spissatum anelitum moderate, ad speluncam properate intrepide; non est qui exterrescit, silva tacet, venite ossium ejus fragmenta rodere, venite ocius cum aliis exultetis. O decus dudum Italiae, urbs apex orbis in bonitate lucerna; quando constantiae reminisceris & fidei? Quando unanimitatem resapies? quando justitiam? quando ut illam, quae te vexit ad astra curam sanctam reipublicae readdisces? Idcirco te exhortor egregia rimari, quando tecum non pigeat, qualis & quanta fuisti quae te omnia esse, nil aliud quam intrinseca dissentia refragatur, te namque ultra monarchale fastigium Christus Dominus de terris gentilium prælegit; te specialiter adamavit, te dum Petro apparuit sacrato pede calcavit, te principum Apostolorum & aliorum martiriis comparavit, ut eorum immarcescibili sanguine tua humus crassata in te fundaret sacratissimum solium sponsae suae. Et quid plura? te adoptans in filium constituit judicem plebis suae. Cujus quidem casus admoneat, attenteque considera, quod dilectus adeo ille populus fuerit, denuo qui dejectus in praesagiis Ezechielis, & aliorum sanctorum vatum hoc comminantium saepe stade. Non deinceps degeneres, non vageris, non sis labilis plus in labes. pudeat ex cursu tot temporum frigido jacuisse cubiculo, a lectura jocalia præpara, quibus ad thorum concilies sponsum tuum. O tecum genus morbidum ac principandi, falsae cupidinis semper languens, de qua nunquam spoliare te potuit ratio, nunquam fides, nunquam experientia dimoveret. Quod quidem vanum esse ad liquidum clamant storici, & a moralibus diffinitum. Bonum non est quod cui addicitur bonum non facit, nec eum eidem superadditur magis bonum. Nec censendum bonum quod statim spondet & fugit, & quod fascinando interimit possessorem, non est hic per se inconcussa felicitas, non hic immortalis gloria. Quid referam vata tristia veterum. Ille tot regum parens caret sepulcro Priamus, & flamma indiget ardente Troja. dormiant prisca, ut tangantur integrius moderna, tangamus quantos occasus, & insperatos, & asperos principum populorum vidimus his diebus. Quocirca qui summa petit unde ruat tabulata sitiunt; videmus fulmina plurimum incultare cacumina; magna puppis alta freta non scindit, quando ultra penarum amplam sarcinam sit variis discriminibus onerata, parva vero & laeta fertur, & tuta per aequoris margines tantum repens. Arbor eminens multis fecunda ramusculis ultra pondus ipsorum, quo premitur, prona est venturum procellas recipere & everti; ac levis arundo nuda graminibus his solummodo quatietur. Felix Amiclas, infelix Cæsar, huic immensa Terrae climata classis nimia parum erat; illi vero angusta casa brevis navicula plusquam satis. Quid ergo nosmetipsos hic fallimus, dissimulamus, & scimus; lex est ista naturae genitum omne corrumpi omnino; alternantis fortunae mos est crebra vertigo. Das artifex ac opus praeteremit. Sola virtus rutilans permanet in aeternum. Audi quod amicus ille praeter lumen fidei senxit. Nunquam stygias fertur ad umbras inclita virtus. Vivite fortes nec Leteos sæva per amnes nos fata trahent, cum summas exiget horas. Consummatura dies iter ad superos gloria pandet, hic meus pius est labor, sed periculosa praesumptio, scire quos mordere pariter & nescire; sed nempe ista non loquor ut alloquar, sed ad hoc me ansit erumpere dolor Romani imperii se summersi. Datum Avinioni per Colam Rentii tribunum.

# INNOCENTII VI. PAPÆ

## EPISTOLA

### *Ad Romanos recomandatoria contra Joannem de Vico.*

SEmper in conspectu Romanae Ecclesiae nostrae, sicut ager plenus, cui Dominus benedixit, fides vestra redoluit, & a fructibus cognita clarior semper emicuit erga illam, dum per usum mansit laudabilis, & per augumentum continue, velut juventus aquilae renovatur. Probavit hoc Domini nostri liberalis oblatio, in qua libertatem, quam omnes super omnia communiter appetunt, vestro libero arbitrio submisistis. Probavit beneficiorum ab ipsa Ecclesia perceptorum grata memoria, ad quorum continuationem, & ampliationem tanto vos potius obligastis, quanto gratitudine plenior vestra devotio seriosius id recensuit, quantoque per eis ad vicem rependii semiparem asserens ex humilitate professa est reverenter, vestra omnia nostra fore: hujusmodi ergo devotionem, fidemque vestram debita gratiarum actione prosequimur, & eamdem obligationem vestram gratantius acceptantes, intendimus ad curam regimen vestrum eo diligentius atque solertius studia nostra convertere, quo vos peculiarem populum, & spe-

ſpeciales filios prout eſtis noſtros, & ipſius Eccleſiae cognoſcentes, attente cupimus, ut apoſtolicis praeſidiis communiti, & adjuti favoribus nullorum agitationem fluctuum, aut procellarum turbines, praeſtante Domino, & intercedente beato Petro Apoſtolorum principe, de cetero ſentiatis. Quod ut effectum operum, prout cordi gerimus, perpendatis, dilecto filio noſtro Ægidio titulo S. Clementis presbytero cardinali apoſtolicae ſedis legato dedimus per alias noſtras literas in mandatis, ut ipſe vobis pro futuris ſex menſibus de idoneis officialibus authoritate noſtra provideat, & cum expedierit, & commode poterit, de auxilio gentis armigerae, ſubvenire procuret, ut omnis quorumlibet noxius appetitus ſub Illcito refrenetur, & inſolens elidatur audacia, quo vos quietis dulcedine perfrui uberius valeatis. Et quoniam ad conterendum beſtiae monſtruoſae, de puteo fecis egreſſae, Joannis de Vico videlicet elata cornua, in quibus blaſphemiae nomina ſcripta ſunt, ambaſſiadores veſtri, quos benigne recepimus, & quorum in commiſſis eis negotiis induſtriam laudamus, & fidem ſinceris affectibus obtulerunt, univerſitatem veſtram attente rogamus, quatenus oblationem hujuſmodi, ex qua, utique grata nobis, gratiorem praeſtolamur effectum, ſic opere compleatis, quod nos, quae ad bonum ſtatum veſtrum, qui ex hoc etiam procuratur, favorabiliter dirigendum ſpecialiori dante proſecutionibus intendimus compenſare; Legatum, quoque factum per bonae memoriae Anibaldum Epiſcopum Tuſculanum in augumentum ſtudii Romani ſi perquiſita bona fuerint inventa, ſufficere mandabimus, & faciemus eum integritate perſolvi. Favemus enim libenter deſideriis veſtris in omnibus, & in his maxime, in quibus non privata commoda quaeritis, ſed lucra publica promovetis. Denique veſtris petitionibus adnuentes venerabili fratri Poncio Epiſcopo Urbevetano, noſtro in ſpiritualibus in Urbe vicario, per alias noſtras literas ſcribimus & mandamus eidem, ut ad urbem ipſam referat, ut commiſſo in ea ſibi vicariatus officio vacans inſolentes Clericos maxime ſtatum ejuſdem Urbis pacificum turbantes corrigat & caſtiget, ac ad pacem invicem & cum aliis eis odioſis habendam arceat & compeſcat. Datum Avinioni IX. Kal. Apr. pontif. noſtri anno ſecundo, nativitatis vero Domini 1354. VII. indict. Innocentius.

---

# DE CONCILIO BASILEENSI MONUMENTA NONNULLA.

## LITTERA MISSA PER REGEM ANGLIÆ

### *Oratoribus Regis Aragonum, & ſimiliter ſcripta Oratoribus Electorum Imperii.*

*Nobilibus, & egregiis Viris Sereniſſimi Principis Regis Aragonum fratris, & conſanguinei noſtri cariſſimi Oratoribus in ſacra Baſilienſi Synodo conſtitutis Amicis noſtris cariſſimis.*

Ex codice Mediceo.

HEnricus Dei gratia Rex Angliae, & Franciae, & Dominus Hiberniae nobilibus, & egregiis Viris Sereniſſimi Principis Regis Aragonum fratris, & conſanguinei noſtri cariſſimi Oratoribus in Sacro Baſilienſi Concilio conſtitutis ſalutem, & ad Dei laudem, ſanctaeque matris Eccleſiae conſolationem ſana, & ſalubria concilia impertiri. Nobiles, & egregii Viri, amicique noſtri praedilecti. Ambaſiatorum noſtrorum, quos ad laudem in vinea Domini ſubeundum Baſileam deſtinamus, fide didicimus ex relatu, quod nuper in orbe militantis Eccleſiae nubes quaedam horrendae diſſenſionis, & diſcordiae, & ignis invaleſcens quaſi naſcentis ſchiſmatis univerſalis Eccleſiae coeperunt propinquare firmamento, quae ſi liberum fuiſſent ſortita volatum materiam domus Dei mox in dilatum duxiſſent incendium non facile mitigandum eorum ſaltem induſtria qui feruntur ejuſdem potiores extitiſſe promotores, imo non ſine maximis laboribus, & diſpendiis Catholicorum Principum, ſicut priſcorum temporum exempla manifeſtant. Quod ne contingeret, vos amici noſtri praedilecti, aliorumque Principum Ambaſiatores, & noſtri communicato conſilio, unanimique voto proteſtationibus congruis rogatubus & requeſtis contra ruinam domus domini fortes vos exhibuere pugiles, muros inexpugnabiles, ancoraſque tutiſſimas ad Petri naviculam adverſus imminentium periculorum fluctus, & ſaeviciam praeſervandam, ea ſicut credimus, conſideratione, qua noviſſis ſaeculi Principes Deo rationem reddituros propter Eccleſiam, quam ab eo jugiter conruendam receperunt, de quibus, ſicut legitur, ille rationem exigit, qui illorum tuitioni Eccleſiam ſuam credidit; quam Deo pariter, & hominibus acceptiſſimam, conneaamque diligentiam ſi non impendere curaſſetis, in proximo futurum erat, quod in mundum univerſum ſe diffunderet fiamma ſchiſmatis deplorandi, quo terra contremuiſſet in ſeditione volgarium, aera ſe colliſiſſent in condenſione Principum; & rueret velum Templi in diviſione Pontificum & ceterorum humilioris gradus Clericorum; ſicque, quod abſit, fieret quidem deſolatio Eccleſiae, claritas verteretur in tenebras, quae totius Orbis intuitum flebiliter eclipſaſſent. Haec amici noſtri praedilecti quamprimum vobis intimare, & ad praemiſſa ſic viriliter ſagaciter, & ſolerter peragenda ſit, & fuerit vobis, & aliis Ambaſiatoribus, & noſtris cor unum, & anima non minus una: eximiam nos extulerunt mentis in laetitiam eatenus, ut laxatis lactam in libertatem cordis noſtri fibriis, nos velut Angelici conjubili corde gloriam decantavimus in altiſſimis Deo, & pacis donum hominibus bonae voluntatis, ob hoc videlicet, quod dominicae fuerit complacitum pietati pro Eccleſiae ſuae tranquillitate his negotiis ſic animas Principum miniſterio ſuorum Ambaſiatorum devotionis unanimis in amplexu ſoederare. His adjecit Ambaſiatorum noſtrorum praedictorum aſſertio, quam recepimus, ſingularis venerationis praerogativa, qua complecti dignum ducitis votivam ſtatus noſtri proſperitatem, & omnia, quae quovis titulo nos perſpiciunt, & contingunt. Qua de re refundimus vobis grates noſtras exurgentes intimis de praecordiis veſtras circumſpectiones ſuppliciter exorando, quatenus in dilectione, quam ad nos noſtraſque concipitis (quod gratiſſimum gerimus) jugiter permanentes ſimul pro diſſuſione ſchiſmatis praelibati nomine dicti fratris, & conſanguinei noſtri manus, ſicut hactenus, ſic apponatis efficaces, quod ab opere tam pio veſtrae caritatis devotio nullatenus jam deſiſtat, donec Chriſtianiſſimi Principes pacis Eccleſiaſticae Zelatores ſummi Pontificis pulſent praecordia, ut juſtis, & rationabilibus ſacri Baſilienſis Concilii votis, & deſideriis ſe velit inclinare, ut maneat paſtoris unitas, ovilis integritas, & deſideratae pacis jocunditas in Eccleſia Jeſu Chriſti.

Datum ſub privato ſigillo noſtro apud Palatium noſtrum Weſtmonaſterii XXII. die menſis Julii.

PARS

# PARS CUJUSDAM LITTERÆ MISSÆ DE ILDEBERGA

*Per quemdam Doctorem illius Universitatis, & fuit missa ad Romanam Curiam uni nostrorum.*

Ex cod. Medic.

PRaeterea heri in partibus istis tribulatio est magna tatione processus habiti contra Romanum Pontificem per residentes Basileae. Verum processu finito quia multi reclamaverunt, missus erat quidam Episcopus Laudensis ad Ducem nostrum, & alios electores, & ad Augliam ad informandum ipsos de processu, & quod merita deberent approbare. Sed responsio data sibi ex parte Principis non placuit sibi, & ut spero, Dominus Dux non obediet illi processui, si, & in quantum Papa velit confirmare in tribus casibus, quos (sic) ipsum est inchoatum. Et idem facient, ut spero, alii Principes Electores. Et illi Principes per doctores universitatis sunt informati qualiter ipsi Praesidentes non poterant illum creare in Cardinalem, nec Cardinali Rothomagensi providere de Vice-Cancellariatu, & alia de Civitate Avinionensi, & etiam ponere collectiones fructuum &c. Quoniam ista non sunt de praemissis casibus, nec eos tangunt. Sicque, ut spero, Electores instabunt, ut effectus processus ad tempus suspendatur, & interim mittent suos versus Papam Dominum nostrum Eugenium.

Item Ambasiatores Regis Angliae videntes, & percipientes talem processum noluerunt incorporari Concilio, sed recesserunt pro majori parte &c.

---

# VENCESLAI IMPERATORIS PRIVILEGIUM

*Quo arx Massæ Lunensis datur in feudum Petro Lantis Pisano Legum doctori.*

*Vinceslaus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus & Bohemiæ Rex nobili Petro Lantis de Pisis legum doctori Apostolicæ Sedis Nuntio dudum ad Majestatem nostram destinato nostro in Romana curia advocato fideli dilecto gratiam regiam & omne bonum.*

Ex MS. Cod. Biblioth. Canonicor. Major Eccl. Lucens. An. 1396.

QUamquam universorum fidelium suorum commoditatibus de innata sibi benignitatis clementia regia teneatur celsitudo intendere & eorum fideliter procitrare (*sic*) profectus, ad illorum tamen singularitate quadam se conspicit quasi ex debito fore obnoxiam quo pro honore suo in promotionibus & agendis suorum familiarium vider cum fideli diligentia in alienis partibus laborare. Hinc est quod consideratis multiplicibus tuæ bonitatis & virtutum meritis, gratis quoque & studiosis obsequiis, quibus in promotionibus nostrorum familiarium in Romana curia majestati nostræ te hucusque acceptum reddere studuisti & reddere debueris & poteris præstantius in futurum. Quocirca horum intuitu & universos liberos tuos ex te legitime descendentes auctoritate Romana Regia & de certa scientia nobilitamus & ad nobilitatis gradum gratiosius elevamus seque & præfatos tuos descendentes legitimos nobiles constituimus facimus creamus, decernentes & universis & singulis honoribus privilegiis gratiis communitatibus juribus & dignitatibus & nunc in antea ubique locorum uti valeatis potiri quibus cæteri nobiles utuntur & quomodolibet potiuntur. Cæterum de uberiori munificentiæ nostro dono cupientes quotidianos labores tuos aliqua notabili retributione gratiosius compensare teque regalibus nostris servitiis & servitorum ac familiarium nostrorum promotionibus deprompta efficere promptiorem, castrum seu arcem Massæ Lunensis diocesis quod ad nos & sacrum Romanum Imperium pertinere dinoscitur cum ejus Burgo villis pascuis sylvis nemoribus montibus alpibus venationibus aquis piscationibus rivis fluminibus maris littoribus vasallis vasallariis juribus regalibus & non regalibus; & signanter cum Villa S. Vitalis, cum villa Colis, & cum villa post Rocham sive subtus Rocham, & cum aliis suis pertinentiis si & quantum ad nos pertinent in toto vel in parte & nos eadem de jure conferre possumus tibi & tuis legitime descendentibus in feudum dedimus contulimus & donamus damus virtute præsentium auctoritate Romana Regia gratiosius conferimus, & donamus; ita videlicet ut tu & præfati tui descendentes legitimi prædictum castrum Arcem Massæ cum suis pertinentiis supradictis a nobis successoribus nostris Romanis Imperatoribus Regibus & ab ipso Romano Imperio tenere possidere in feudum debeatis eo modo & forma quibus alia bona feudalia a nobis & nostris antecessoribus & a Sacro Romano Imperio hactenus possideri in feudum consueverunt; servitiis tamen & juribus nostris Imperii & aliorum quorumlibet semper salvis. Dantes & concedentes tibi & præfatis tuis descendentibus legitimis virtute præsentium auctoritate Romana Regia in præfato Castro seu Arce Massæ ejusque territorio & districtu vassallis vassallagiis & aliis hominibus quibuscunque merum & mixtum Imperium & omnimodam potestatem. Præterea ut tu & præfati tui descendentes ad obsequia nostra & Imperii sacri tamquam nobiles & Imperii feudales eo quidem possitis fieri aptiores arma seu signum armaturæ prout in præsentibus Prætoris magisterio describuntur vobis auctoritate Romana Regia concedimus & largimur; & decernentes & volentes expresse cum appropriatis uti, tu & præfati tui descendentes legitimi arma præscripta cum appropriatis sibi coloribus tam in galea quam in clipeo ubique locorum in jocis & serio, & generaliter ubique, & in omni militari exercitio ac in nostris & Imperii sacri servitiis gestare & portare libere valeatis. Non obstantibus constitutionibus & legibus in contrarium facientibus quibuscunque quarum tenores præsentibus pro sufficienter ac specialiter & de verbo ad verbum haberi volumus pro expressis supplentes, omnem defectum si quis forsitan obscuritate seu dubia intentio vel verborum aut sententiarum solemnitas obvenisset seu alias quomodolibet compertus fuerit in præmissis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ nobilitationis donationis concessionis largitionis & decreti paginam infringere seu quovis auso temerario contraire. Si quis autem contrarium attentare præsumpserit præter indignationem nostram gravissimam pœnam quinquaginta Marcharum auri purissimi se noverit irremissibiliter incursurum ab eo, qui contrafecerit irremissibiliter exigi & earum medietatem Regalis nostri gratis applicari præsentium sub regiæ majestatis nostræ sygillo testimonio literarum. Datum Pragæ anno Domini MCCCXCVI. die decimaoctava Octobris Regnorum nostrorum anno Bohemiæ XXXIV. Romani vero XX primo.

# MONUMENTA

## AD CONCIL. BASILEENSE SPECTANTIA.

### *Facti narratio usque ad supplicationem inclusive.*

Ex Cod. Alsempiano autographo.

TEmpore electionis celebrandae post obitum recolendae memoriae Domini Othonis ultimi, dum vixit, Ecclesiae Treverensis Archiepiscopi Rupertus Comes de Veinenburg. Officiarii, Oppidani, & incolae; ut Dominus Ulricus quasi eis omnibus prae ceteris acceptus, nec alius per eos esset acceptandus, eligeretur, instantissime postularunt, quamdam impressionem, quantum in eis fuit, non modicam facientes. Sed Domini de Capitulo, tunc saltem undecim Dominum Jacob de Sciek eorum concanonicum elegerunt, & solus Dominus tunc Praepositus Treverensis cum quodam sene absente, qui procuratorem constituerat dictum Dominum Ulricum elegerunt. Nihilominus dictus Dominus Ulricus confisus in potentia saeculari, quae pro eo aderat, dumtaxat duabus innitens vocibus, altare cum candela accensa temerarie ascendit, & gerere se voluit pro electo, & si tunc officiati Ecclesiae dicto comiti adhaerentes, qui secum conspiraverant, habuissent colorem aliquem dandi possessionem castrorum ad statim sibi dedissent. Sed nec Capitulo, nec Domino Jacobo de Sciek plus, quam tres partes vocum habenti voluerunt possessionem hujusmodi assignare, imo requisiti per Capitulum desuper responderunt, quod se unissent, & concordassent, non tradere alicui possessionem, quousque unicum Dominum haberent, quem de jure respicere tenerentur, & hoc totum factum est, ut ex post gestis apparuit, pro Domino Ulrico praedicto, quem licet non esset electus, sperabant a Sede Apostolica mediantibus ipsorum precibus dictam Ecclesiam impetrare. Unde dictus Comes personaliter, & aliqui ex officiatis pro se, & aliis, atque oppidanis cum Domino Ulrico, & pro eo Romanam Curiam transiverant, ubi dictus Dominus Ulricus contra praetensas consuetudines Ecclesiae, quas nunc pro se allegat, nisus est Ecclesiam pro se modis omnibus, quibus potuit, impetrare opponendo defectus contra Dominum Jacobum, ejus electionem, & cum eligentes &c. Et si Papa tunc providisset sibi, ipse nec consuetudines, aut privilegia Ecclesiae curasset, sed mediantibus suis conspiratoribus possessionem Ecclesiae habuisset. Verum commissa causa per Papam tunc Dominis (1) Senensi nunc Papae, & (2) Placentino Cardinalibus, quum partes hinc inde, & nuncii Capituli audirentur, nonnisi contentiones, & jurgia sequebantur. Quibus intellectis ne propter hoc Ecclesia vacationis incommoda diutius pateretur, segregatis propter melius animationibus partium, Papa tandem matura deliberatione praehabita de consilio suorum Fratrum ex certa scientia motu proprio fecit translationem Domini Rabani, qui nec Procuratorem, nec denarium minimum pro hujusmodi in Curia tunc habebat, de Spirensi ad Ecclesiam Treverensem, & dictus Dominus Ulricus non solum non se opposuit pro tunc, sicut nec debuit, sed benignam licentiam, & etiam nonnullas speciales gratias a Papa, & a Sede Apostolica postea reportavit. Dominus etiam Jacobus non se opposuit, sed provisioni Apostolicae acquievit, ita quod caussa tunc omnibus in Curia videbatur, sicut, & fuit, legitime & irrefragabiliter terminata, maxime quum Dominus Jacobus, qui plus offensus se poterat reputare, in hujusmodi nihil ulterius attentabat. Venerunt plures de Romana Curia ad partes referentes translationem praedictam, & se interfuisse, & audisse, de qua etiam multi Principes Electores, & alii, nec non privatae plurimae personae per suos amicos certas literas receperunt. Itaque in civitate, & Dioecesi Treverensi, & in partibus Rheni superioribus, & inferioribus erat de hoc publica vox, & fama. Fuit etiam hoc scriptum Domino Rabano praedicto per quemdam nuncium alienum. Dominus Rabanus praedictus, jam pluribus scriptis de hoc, ac etiam relatibus certificatus non praecipitanter, sed matura deliberatione cum aliquibus Principibus, Proceribus, nobilibus, ac praesertim amicis, & consanguineis suis praehabita, ex quo possessio illius Ecclesiae tunc adhuc erat vacua, nec aliquis se intromittere videbatur, nec cadebat in cor alicujus honesti hominis, qui post & contra provisionem apostolicam tam solemniter factam per virum Ecclesiasticum non electum, nec aliquem colorem habentem deberent talia, ut sequitur, attentari, humiliter assumpsit onus, & ut obedientiae filius, consensit translationi mittens procuratoria ad curiam in hujusmodi requisita. Scripsit etiam aliquibus officialibus & subditis Ecclesiae, & aliquibus personaliter loquebatur, antequam dictus Comes, & Dominus Ulricus de Curia reversi fuerant amicabiliter eis significans, quod tamen alias sciebant & se offerens pro Ecclesiae, & omnium ad eamdem spectantium utilitate facere quicquid posset. Sed illorum aliqui surdis auribus praetereuntes non curaverunt. Alii dixerunt, quod nondam haberi litteras Apostolicas, nec pallium, & ideo non esse curandum. Alii se remiserunt ad Comitem de Veinberg, & ejus adventum. Sciebant etiam foedus secum initum &c. Comite autem in suo de Curia reditu prope Spiram veniente Dominus Rabanus Archiepiscopus eum invitavit, & secum de materia loquebatur. Ipse se etiam remisit ad alios officiatos, sine quibus nollet respondere, sicut & ipsorum aliqui se remiserant ad eum, ex quo etiam apparuit conspiratio. Interim Dominus Rabanus Archiepiscopus adhuc nec titulum Archiepiscopalem sibi ascripsit, nec se de administratione aliqua in Treverensi Ecclesia intromisit, expectans, ut decuit, Apostolicas literas, & pallium, pro quibus miserat, sibi assignari. Audiens tamen, quod nonnulli Ecclesiastici, & saeculares subditi Ecclesiae Treverensis debebant in Confluentia convenire, & aliqualiter intelligens, quod quaedam novitas prae manibus habebatur, ad captandam benivolentiam, & juxta posse praeveniendum, ne aliquid contra Sedem Apostolicam, & ejus provisionem attentaretur, misit solemniter Ambasiatores suos Ecclesiasticos, & seculares explicantes bonam intentionem suam, & offerentes eum, ut supra. Sed illi, quorum tamen aliqui fuerant in Curia praesentes, finxerunt se nescire, & in populo seminaverunt nunc Papam, nunc Dominum Rabanum Archiepiscopum mortuum, nunc Papam revocasse translationem, nunc litteras, & pallium in Curia arrestatas, & similia dicentes, quod Dominus Rabanus nunquam litteras vel pallium reportaret, quum tamen litterae, & pallium essent in via, nec bene potuissent humano modo festinantius advenisse. Sicque conspiratores illi per diversa mendacia tenuerunt populos in suspenso, quousque partim minis, & terroribus, partim prece & pretio aliquos de Capitulo, qui prius Dominum Jacobum elegerunt, traxerunt ad partem suam, & partem Domini Jacobi militem, qui pro filio suo multa exposuerat, promissione magnae pecuniae sibi facta induxerunt, quod pro filio electioni dudum factae renunciavit filio nescio, & ignaro, tum quod consilio ficte requisito layci conspiratores praedicti jam scientes quid facturi essent, petierunt se tanquam simplices informari, quomodo se debe-

(1) Gabriele Condulmerio Card. Senensi, postea Eugenio IV.
(2) Branda Castilioneo Cardinali Placentino.

deberent cum fortaliciis, & munitionibus Ecclesiae habere, cum tamen scirent Romanae Ecclesiae voluntatem. Nonnulli quoque clerici & layci jam per aliquos ex eis suffarcinati dixerunt, quod illi layci juris gnari deberent habere respectum ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis nescientes, quod illi jam retorserant magnam Capituli partem, & sic congregato tandem in Treveri Capitulo non tamen ad electionem aliquam faciendam, aliqui de Capitulo, Decanusque, & alii jam retorti praesentaverunt illis conspiratoribus Dominum Ulricum pro Domino Treverensi, nonnullis tamen ex Canonicis tunc manifeste, & adhuc hodie contradicentibus & aliquibus absentibus minime vocatis pariter, & ignaris, sicque habito sigillo Capituli Dominus Ulricus praedictus recepit possessionem castrorum, & municionum per officiatos secum prius conspirantes, & fidelitatem, & obedientiam oppidanorum, & aliorum de territorio Treverensi, quorum nonnullis plura condicta fuerunt, & promissa in damnum Ecclesiae, & mensae Archiepiscopalis, scribens se tunc ad tempus Dominum Treverensem, & ad tempus Gubernatorem Ecclesiae Treverensis. Inter haec omnia Dominus Rabanus Archiepisc. tam Capitulum, quam alios Praelatos, & Clericos Civitatis, & Dioecesis Treverensis, necnon officiatos, & oppidanos, aliosque subditos Ecclesiae Treverensis per nuncios, & scripturas saepius avisavit, & amicabiliter antea, & postea requisivit, quod se Sanctae Romanae, & universali Ecclesiae conformarent, & non permitterent fieri in ejus praejudicium novitatem. Sed illi, licet eis certissime constaret de translatione, & provisione per Papam facta non voluerunt advertere permiseruntque dictos conspiratores seducere subditos Ecclesiae mendaciis, & aliis supradictis modis. Venientibus tandem litteris Apostolicis, & pallio Dominus Rabanus hoc pluribus Ecclesiae subditis clericis, & laycis significavit non tamen litteras publicando, quia non patebat tutus accessus, sed viae undique observabantur ad praecavendum, ne aliquae litterae super Ecclesiam Treverensem publicarentur, sed scribendo & manifestando se pallium, & litteras habere, & paratum quibuscumque videre volentibus exhibere in loco habili, atque tuto. Verum Dominus Ulricus, & sui complices videntes, quod tituli prius per eum in Ecclesia Treverensi assumpti non erant idonei, nisi se scriberet electum, maxime ut haberet colorem se taliter qualiter contra provisionem Apostolicam, quam jam supprimere non poterat defendendi; procuraverunt quandam talem qualem novam electionem per aliquos Canonicos Treverenses fier!, ac si etiam per renunciationem Domini Jacobi vacaret, qui tamen nunquam renunciavit nec patris renunciationem gratam habere voluit, sed sedi Apostolicae obedivit, & sic primo tunc Dominus Ulricus fecit se electum Treverensem diu post Castrorum possessionem habitam nuncupari, & contra Papae translationem, & provisionem, ac si post suam praetensam electionem facta esset, tunc primo appellavit. Quibus ad audientiam Papae tunc ex fama publica deductis Papa Dominum Franciscum de Falangis de Mantua solemnem doctorem, & Nuncium Apostolicum super his ad regem, & Principes Electores, & alios destinavit, sibique certas literas apostolicas ad eosdem, nec non specialiter ad Dominum Ulricum, & Comitem de Veinburg, & Capitulum Treverense super hac materia dedit, quas idem Dominus Franciscus Domino Ulrico per Cursorem Apostolicum, & Comiti, atque Capitulo per alios Nuncios destinavit. Sed cursor Apostolicus, & alter ad Comitem missus per complices Domini Ulrici capti diu detenti, diris carceribus mancipati, & occultati fuerunt, eratque fama publica, quod essent ambo submersi, quia eodem tempore visi sunt quidam alii in illis partibus submergi, & credebantur & dicebantur a multis illi tunc fuisse, qui ad terrorem aliorum Dominus Ulricus, & Comes dissimulaverunt, & continue prohibuerunt in omnibus passibus ad se, vel Treverense territorium litteras apostolicas pervenire. In dictis autem litteris, quarum copias Dominus Franciscus habuit, & multis principibus, & aliis communicavit, erant graves censurarum sententiae, & magnae poenae ipso facto, nisi Dominus Ulricus desisteret, & Comes sibi non adhaereret, atque Capitulum Dominum Rabanum admitteret, per Papam, ut patet ex tenore inflictae: in quibus Papalibus poenis, & censuris, nec non illis a jure contra prohibentes ad se litteras Apostolicas pervenire, & similia perpetrantes inflictis, Dominus Ulricus, Comes, & Canonici rebelles non sine magna haeresis suspicione continue, & adhuc Dei timore postposito sordent; propter quod, & alia praenarrata, merito eis & eorum adhaerentibus esset omnis audientia deneganda. Verum quando Dominus Rabanus vidit, quod haec omnia non proderant, quod tyrannides continuarentur, & Ecclesia Treverensis miserabiliter invasa occuparetur, habuit recursum ad executorem sibi per sedem Apostolicam deputatum, qui (scilicet Dominus Episcopus Herbipolensis) per edictum monuit, requisivit, & mandavit Dominum Rabanum admitti, & sibi obedientia fieri sub poenis excommunicationis, interdicti, privationis, & inhabilitationis &c. juxta tenorem litterarum Apostolicarum. Has autem poenas executor scilicet eo rigidius promulgavit, quia ut praemittitur rebellio exigebat, & eis difficile fuit processum etiam per edictum publicari, & verisimile erat indicium, quod declaratio diu suspenderetur, sicut & fuit factum per varia media successive. Nam Serenissimus Rex, aliqui Electores, & alii Principes concordiam quamdam ad beneplacitum Papae, inscio Domino Rabano, sciente tamen executore conceperunt, propter quam donec sciretur mens Papae, declaratio, cujus terminus aderat, ex officio fuit suspensa, & Dominus Rabanus haec audiens personaliter ad requirendam voluntatem Papae, ne se Regi, & Electoribus temere videretur opponere, profectus est ad Curiam Romanam. Interim Papa Martinus defunctus, & Sanctissimus Dominus Eugenius est electus, ad quem Dominus Rabanus transiens in via percepit; quod Papa, & Domini Cardinales perceperant ex fama quamdam concordiam per Reges, & alios Principes conceptam, quam tamen concorditer renuere acceptare, quia perniciosa foret exemplo. Nihilominus Dominus Rabanus personaliter accessit Papam, & se, Ecclesiam, atque statum suum totaliter submisit Apostolicae Voluntati. Sed idem responsum habuit, prout in via intellexit, scilicet quod Papa omnino cum omnibus Cardinalibus nullo modo vellet illam concordiam acceptare, nec aliquo modo quantum in eis esset consentire, vel permittere talem invasorem in Treverensi Ecclesia sub quocumque titulo remanere. Quo percepto quum non appareret alius mediator, quorum tamen plures ex parte Regis, Principum, Electorum, & aliorum, necnon partis adversæ debuerant Romam venisse, Dominus Rabanus Archiepiscopus recessit ad propria. Papa quoque scripsit juxta praemissa Regi, Principibus, Capitulo, & aliis pluribus mentem suam, prout in diversis Apostolicis litteris continetur, quae pro majori parte praesentatae fuerunt, sed plures propter metum non poterant praesentari. Sic Dominus Rabanus ad propria est reversus, & adveniente iterum termino declarationis faciendae ad Dominorum Moguntini, & Coloniensis Archiepiscoporum primo, deinde Revereodiss. Domini Cardinalis Legati instantiam fuerunt factae prolixae supensiones pluries successive. Postmodum ultra eandem a tempore primæ contumaciae fuit declaratio facta, quae advenientibus quotidie ad Romanae, & universalis Ecclesiae, ac dicti Domini Rabani ut Archiepiscopi obedientiam hominibus Ecclesiasticis, & saecularibus utriusque sexus, dum sperabatur evenire bonus eventus; fuit ad instantiam Sacri Basiliensis Concilii non sine detrimento, & praejudicio Domini Rabani per spatium

tium duorum mensium sub reintrusionis forma relaxata, & nec antea, nec interim de nullitate, aut validitate processuum unquam fuit aliqua mentio facta. Sed Dominus Ulricus, & sui complices quamvis nec coram Concilio in Basilea, nec alibi voluerint ad aliquam viam amicabilem consentire, nisi sibi Treverensis Ecclesia remaneret, per plura media nisi sunt aliam relaxationem ad redimendum tempus etiam minis, & terroribus extorquere. Sed dictus Dominus Rabanus ad ulteriorem generalem relaxationem per mensem, vel ultra faciendam, quia nimirum docente experientia sibi, & vere obedientibus Romanae Ecclesiae praejudicabat, & adversarios confortabat, noluit consentire; sed bene pro euntibus ad dietam amicabilem tempore dietae ante, & post per tempus congruum processus voluit relaxare. Sed pars altera noluit talem dietam acceptare plus ad relaxationem generalem, quam ad dietam, ut tempus iterum redimeret, tunc aspirans. Nunc vero quidam Magister Nicolaus de Cusa, qui ut dicitur, contra Papae, & Sedis Apostolicae potestatem, imo contra Ecclesiasticam libertatem, scilicet quod layci, seu populi Episcopos eligere possent, praedicavit, appellationes fabricavit, & hujus rebellionis magnum fomentum diu extitit, atque pro Domino Ulrico multa diverticula quæsivit, plures fictiones mendosas facere non erubescens seipsum quam callide sub spe pietatis, & bonæ intentionis a processibus ad tempus nunc lapsum sub reintrusionis forma absolvi procurans, atque promittens, quod interim vellet operam dare cum diligentia ad pacificandum istam causam, & si non pacificaretur, quod ipse saltem post illud tempus vellet mandatis Apostolicis obedire, & se, & sua medio tempore disponere, ut posset Dominum Ulricum deserere opportune: ad quam absolutionem Dominus Rabanus inductus per aliquos notabiles fautores propter bonum pacis consensit. Sed dictus Magister Nicolaus quidquid potuit contra Dominum Rabanum, & pro Domino Ulrico confixit, proposuit, & sicut prius instantissime procuravit, dixitque quod vellet viam aperire concordiae, quae deberet Papae, Concilio, Domino Rabano, & multis placere; & tandem nullam aliam aperuit, nisi quod Dominus Ulricus in effectu maneret Archiepiscopus, vel saltem coadjutor, & totalis in temporalibus administrator, spiritualibus, & modica pensione pro Domino Rabano reservatis; ad quod Dominus Rabanus noluit consentire, tum quia Papa, & omnes Domini Cardinales nolunt aliquem titulum Domino Ulrico assignare in Ecclesia Treverensi, tum etiam quia malum videbatur sibi exemplum, quod spiritualia in tam insigni Ecclesia deberent a temporalibus separari, & nollet esse nuncius talis novitatis, sed bene si pars altera pro congruo statu sibi scilicet Domino Ulrico aliquod castrum cum competentibus redditibus, aut simile vellet reservare, pro bono pacis vellet rationabiliter consentire ad redimendum istam vexationem tam Ecclesiae, quam personae. Videns itaque Magister Nicolaus praedictus, quod appropinquabat tempus reintrusionis suae, & quod relaxationes, & suspensiones sibi deficiunt, convertit astutiam suam ad viam annullandi processus, quod tanto tempore nullatenus redarguit, & metipse consuluit observari. Porrexit supplicationem plura notorie falsa narrans, & sibi ipsi, ubi de obedientia Cleri loquitur, si bene adverterit, contradicens; fingensque se pro Clero agere, cum tamen magna pars Cleri in Civitate, & Dioecesi Treverensi a prætensa appellatione recesserit, & Dominum Rabanum pro archiepiscopo receperit, & veneretur, seque obtinuerit restitui, & absolvi. Ipse quoque Nicolaus & dominus suus Ulricus Clerum obedientem quotidie persequantur, captivent, trucident, spolient, & quidquid molestiae possunt inferant incessanter. Totum autem, & principale intentum suum est, sub hac saepe praetensa nullitate Domino suo iterum redimere tempus apostaticae invasionis, & tyrannicae detentationis suae, nec appellationes, de quibus loquitur, fuerunt admittendae, cum nullum in jure habuerint fundamentum, & etiam per sedem Apostolicam ex certa scientia sunt taxatae, nec unquam est visum, vel auditum prius in tali casu super provisione Ecclesiae particularis Sede Apostolica non vacante ad Concilium appellari. Imo tempore Concilii Constantiensis quamvis dominus quondam Joannes XXIII. in sua obedientia nominatus, esset in vita scandalosus, & in tripartito tunc schismate dubius in Papatu, sicut docuit rei eventus; tunc ante suam depositionem non reperitur Concilium Constantiense aliquam appellationem in caussis particularibus admisisse, seu talem caussam aliquam commisisse, sed in primo deposito fuerunt primo judices deputati &c. nec etiam hic mandatur aliquid exorbitans, sed solum receptio, & admissio Apostolicae provisionis cum tanta maturitate factae per Papam defunctum, & per ejus successorem ex certa scientia confirmatae sub poenis in jure frequentius repetitis: & ubi constat de tam notoria invasione, poenae sunt merito exaggerandae. Cum vero principales Actores scelerum non possunt aliter compesci, necessarium est eis subditos, adhaerentes vel sequaces, etiam posito, quod non sint omnino culpabiles, sic puniri ex caussa cessante culpa. Hunc autem compescendi modum, qui plerumque tangit principum, vel tyrannorum Ecclesiae rebellium populos, vel subditos innocentes, Ecclesia non sine ratione maxima dictante Sancto Spiritu adinveuit. Unde illum modum redarguere, prout in supplicatione praemissa innuitur, non est aliud, nisi potestatem, & juridictionem Ecclesiae enervare, & per consequens ad haeresim declinare. Illam vero praetensæ, & superstitiosae nullitatis caussam per Concilium committere, esset omnino Domini Rabani jus, & obedientiam Sedi Apostolicae factam elidere, & omnes Ecclesiae filios de bono opere ultra persecutiones, quas alias tyrannice patiuntur, lapidare, rebelles confortare, & iniquissimam detentionem, & prophanationem Treverensis Ecclesiae in manibus tyrannice prolongare, considerato praesertim, quod olim Canonici Treverenses gerentes se pro capitulo Treverensi, & aliqui proconsules, & Consules Oppidorum Ecclesiae Treverensis jam inceperunt domino Ulrico eos occupanti movere quaestionem, & sibi improperare, quod non servaverit pacta inita, & promissiones sibi factas, quia eum taliter qualiter admiserunt. Quare pro parte domini Rabani Archiepiscopi Treverensis petitur humiliter, & instanter, dictam supplicationem per sacrum Concilium non admitti, commissionem non fieri, & primordiis tam suspectis, & iniquis protractionibus minime locum dari, quin potius dictum Magistrum Nicolaum excommunicatum, interdictum, privatum, & inhabilitatum repelli, & pro tali haberi, reputari, pariter & vitari; justicia haec dictante, salva tamen in omnibus sacri Concilii determinatione, ac reverentia debita, & condigna.

Praemissa facti narratio fuit dudum concepta ante dimidium annum, vel paulo minus ad impediendam admissionem cujusdam petitionis, vel supplicationis per Magistrum Nicolaum de Cusa tunc in Concilio porrectae, se fundantem in quibusdam praetensis appellationibus pro quibusdam de Treverensi Clero successive interpositis, quae sunt partim nullae, partim frivolae, partim reprobae, & desertae; & etiam major pars Cleri, Civitatis, & dioecesis partim nunquam appellavit, & partim hujusmodi appellationibus renuntiavit, & ad obedientiam Domini Rabani convolavit, contra quam supplicationem tunc plura scripta juris, & facti fuerunt in Concilio producta, fuitque illa supplicatio in oppositum circa margines postillata. Postea magister Nicolaus praedictus videns se frustratum intentione sua illa vice fecit quasdam protestationes in sacro Concilio in scriptis recipiens desuper a Notariis Concilii publica instrumenta, mediantibus quibus in partibus productis credebat Clerum pro quo protestatus fuerat, indu-

cere

cere, ut resumeret divina. Sed licet aliqui simplices resumpserint credentiam hujusmodi a sacro concilio emanasse; tamen non habuit apud intelligentes inventum, fueruntque dictae protestationes tunc etiam ad oppositum in marginibus postillatae, sicque ea inspectione dictarum appellationum, supplicationis, & protestationum, necnon scriptorum, & postillatorum in contrarium, & facti narratione praemissa, cuilibet intuenti apparere potest iniquitas earumdem. Postea dicta supplicatio fuit iterum in deputatione de quaestionibus per quemdam Magistrum Helvicum provecta circa medium mensis Februarii. Sed de protestationibus nulla est mentio facta, quia si bene inspiceretur, sunt contrariae supplicationi, & per eas quodammodo receditur a petitis in supplicatione, & sacrum Concilium in eis non modicum deprehendit reprehendendi, ut in postillis contrariis est signatum, & super ista supplicatione negotium jam noviter dominis praecognitoribus est commissum. Sed revera nil per adversantes aliud quaeritur, quam redemptio temporis, & vexatio domini diuturna, per quam tandem compellatur jus suum relinquere indefensum, quum jam fere triennio duraverit ista causa: dicti vero Magister Nicolaus, & Magister Helvicus licet fingant se pro Clero quodam prosequi negotium, sive causam; tamen principaliter sunt hic pro Domino Ulrico Castra Treverensis Ecclesiae occupante, cui adhaerent, & eum in suis iniquitatibus defendunt. Nam in congregationibus generalibus tam contra literas Civitatis, quam contra scripta praetensi Capituli se pro eo manifeste opposuerunt eumdem posse tenus excusantes. Nunc autem praetensi Canonici, vel olim decanus, & Capitulum Treverense porrexerunt petitionem, & scripserunt sacro Concilio, prout ultimo in Generali Congregatione fuit manifestatum, & si dictae petitiones admitterentur, Domini Rabani viri Archiepiscopi exploratum jus, quod jam per Dei gratiam vicinam habet executionem, multum enervaretur, & ulterior executio impediretur, omnis in illa caussa obedientia Romanae Sedi & mandatis Apostolicis desolaretur, venientes ad obedientiam retardarentur, & rebelles, ac praesertim invasor Treverensis Ecclesiae confortaretur: quae omnia utique non sperantur a Sacro Concilio faciliter permittenda, salva ejusdem auctoritate penitus illibata.

Post haec Illustris Princeps Dominus Willelmus dux Bavariae Protector Concilii ad importunam aliquorum instantiam provexit unam peticionem pro subditis, & incolis de dominio Ecclesiae Treverensis, aliqua pro magna parte falsa narrans, & tandem petens, quod censurae contra illas tamquam innocentes tollantur, vel saltem ad tempus relaxentur, quia velint dicere coram Concilio innocentiam suam. Si autem hoc admitteretur, tunc intrusus omnino haberet intentum, & Dominus Rabanus, & sibi obedientes totaliter confunderentur, & Romanae Ecclesiae provisio annichilaretur, & ejus executio penitus invalida redderetur, quod utique non crederem ad honorem Concilii vel profectum.

# SUPPLICATIO AD CONCILIUM, ET COMMISSIO.

Ex eodem Cod. Altempsiano.

SUpplicatur Sacrosancto Concilio facto subsequenti misericorditer optimo remedio provideri, & caussam judicibus committi infrascriptam. Reverendus Pater Episcopus Herbipolensis auctoritate Apostolica, ut Clerus Treverensis infra certum terminum debitam, & consuetam obedientiam Reverendo Domino Rabano tamquam Archiepiscopo Treverensi praestaret, processus sub poenis censurarum emisit citans nihilominus per edictum nisi hoc faceret ad videndum se declarari incidisse, aut dicendum caussam, quare non. Comparuit procurator Cleri dicens, & in scriptis producens debitam & consuetam obedientiam Cleri, asserens, & certificans eumdem executorem de illa, & quod eamdem dudum habuisset, & suo tempore habebit illis prius habitis, ad quae accessorie obedientia sequitur. Et in alio quodam termino appellavit, ne ultra oblata gravaretur, aut procederetur ad declarandum. Executor non advertens producta & oblata, processit ad declarandum declarando utriusque sexus homines excommunicationem, interdictum generale, & speciale cum multis aliis poenis incidisse, mandans nihilominus, licet mandatum ad hoc minime se extenderet, ubilibet servari interdictum usque ad nonum diem, ubi quisquam Treverensis etiam extra Dioecesim videretur, ex quo multa scandala in fide, divino cultu, moribus, Ecclesiastico statui adversantia absque culpa exorta sunt, & dietim oriuntur, quibus per Sacrum Concilium absque mora pie foret succurrendum, ne talibus inauditis exorbitantiis innocentissimi intra, & extra Dioecesin punirentur, quod Deo, juri, & omni rationi adversatur. Et ne vicina haeresis nefanda (proh dolor) latenter diffusa cum vilipendio censurarum, Ecclesiasticique status contemptu in dies usque crescat, pauci sunt, qui non arbitrentur, eum maximum esse censurarum abusum, per quem Deo devotis innocentissimis Christicolis non solum divinus abstrahitur cultus, verum & ea divinae institutionis sacramenta, quae pro peccatorum remedio, & acquirenda gratia instituta noscuntur, absque causa etiam poenitenti subtrahuntur. Nullus enim dubitat sacras Censurarum promulgationes rectius fieri debere ob eorum salutem, qui extra Ecclesiam sunt, ut redeant, quam in insontes ob cujuscumque proprii commodi maxime temporalis, & Ecclesiasticarum Eleemosynarum assecutionem. Quod quidem commodum huic rei occasionem dedisse nonnulli opinantur. Verum appellatum est ante ipsius declaratoriam ad sacrosanctum Concilium propter denegationem justitiae, quia Papa appellationes interpositas per bullam cassavit. Tamen non obstante appellatione servatum est licet cum magno detrimento rerum, & personarum periculo generale interdictum, quousque ejus relaxatio sub reintrusionis forma extat concessa; petita est admissio appellationis, & datio judicum in Concilii plena congregatione cum protestatione nullitatis, & ex causis rationabilibus. Ante reintrusionis diem procurator Cleri iterum appellavit protestando se saepe judices petivisse, & quod de nullitate instructus esset Clerus, & etiam periculum corporum, & rerum eum stimularet, & arctaret ad amplius non servare interdictum; & si contingeret non servare, quod hoc non fieret in vilipendium, & contemptum censurarum, quas nullas credit, sed ob eorum nullitatem, & innitendo appellationibus interpositis, si ita contingit, se divinis cum Dei timore immiscebit. Iterum petiti sunt judices appellationis, & nullitatis. Quum ergo rationi & juri consonum videatur, ut haec supplicatio admittatur, & oppressis per gratiam & juris remedia subveniatur, supplicatur devotissime congruo remedio praedictis exorbitantiis gratiose obviari, caussamque Cleri appellationis, & nullitatis cum omnibus incidentibus, & connexis, absolutione ad cautelam, citatione, & cunctis aliis pro executione caussae, & caussarum nunciis judicibus sacri Concilii committi de speciali mandato sacri Concilii. Audiant judices Concilii: citent si, & prout de jure, & justitiam faciant.

Placet Johannes Cardinalis S. Petri
Placet Johannes Patriarcha Antiochenus
Placet Franciscus Episcopus Cumanus
Placet P. Offic. Patavien.

SUP-

# SUPPLICATIO

## AD CONCILIUM BASILEENSE.

Ex eodem Cod. Altempsiano.

REverendissimi Patres, & Domini metuendissimi. Quia jamdudum multis crebris vicibus magnas instantias Paternitates vestrae Reverendissimae audiverunt hoc in loco pro parta devotissimi hujus sanctae Synodi communis Cleri, dominii Episcopalis Ecclesiae, & Dioecesis Treverensis per me procuratorem eorum humiliter effusas, quatenus Paternitates Vestrae oculo pietatis, & paternae compassionis oppressum satis injuste, imo innocentissime Clerum per processus Reverendi Patris Episcopi Herbipolensis praetensi executoris Apostolici respicere, ac misericorditer suadente aequitate tantis periculis occurrere vellent, satis in longum saepe pericula illa & divini cultus, & ministrationis sacramentorum, & prophanationis, & corporum & rerum jactura exposita sunt septem retrolapsis mensibus; deinde maxima cum instantia, ut certae interpositae, ac interpositarum appellationum caussae a praefato Domino executore ad istud sacrosanctum Concilium admitterentur, & datis judicibus examinarentur, ut id demum quod justitia dictante fieri per Clerum cognosceretur, non omitteretur cum submissione de parendo juri petitum saepissime extitit, & tamen aliquorum studio licet majoris partis assensus ad hoc accesserit, hoc hactenus impetrari non potuit. Et denuo supplicatio provecta deputationibus, ut saltem exorbitantiae, quae in hujusmodi processibus contra omnem aequitatem continentur, ex quibus scandalum, & vilipendium censuratum, & animarum pericula oriuntur dietim, ut sicut nulla sunt de facto tollerentur, & caussa appellationis, & appellationum judicibus cum caussa nullitatis committerentur. Et licet major pars iterum ad hoc consentire videretur, tamen adversariis practicantibus usque modo neque unum, neque reliquum potui impetrare. Verum est, quod consentientibus tribus deputationibus, ut justitia fieret, adversarii ut eamdem quoad possint impedirent, quoddam scriptum in deputatione de omnibus plenum injuriis, scandalis, & erroribus objecerunt, in quo quidam falso injurioso scripto ultra ea, quae non parum auctoritatem hujus sacri Concilii, & personarum in hoc loco existentium videntur inculpare, subsumitur, quia Papae quisque resistens offensor divinae Majestatis, hostisque publicus censendus est, non solum Domino Udalrico de Mundelscheit, & sibi adhaerentibus poenitentia est denegand a, imo & victus. Dubitando etiam interserit, an alicui conveniat de factis Romani Pontificis cognoscere, si in fide devius inventus non fuerit, quum ipse sit, cujus judex solus Deus sit, apud quem sua conscientia eum aut excusabit, aut accusabit, neque in hoc Concilium excipitur, imo ad concludendum Concilium se non posse intromittere in hac caussa. Hoc ita assumitur. Quantum hoc scribere deceat contra honorem personarum sacri Concilii, quae non paruerunt dissolutioni Papae, ac etiam contra auctoritatem sacrorum Conciliorum, quae, ut vult scriptura, non possent Papam, nisi in fide judicare, vos Paternitates Reverendissimae, vellem attente ponderare, ut saltem tales turbatores cum scandalo arcerentur, qui tanta praesumptione se erigunt contra veritatem. Omnes scitis, quod manifestus est error scribere, & dicere poenitentes non debere admitti, aut sacramenta necessaria ad salutem posse Christianis subtrahi. Nonne tamquam confessi, & convicti illi censendi sunt, qui talem errorem in scriptis porrexerunt? Scribunt ibidem Clerum de haeresi suspectum, & longo tempore fuisse in sententiis. Vobis omnibus constat, etiam si processus validus foret, sicut non est, quod tamen pauci sunt menses, quod omnes fuerunt vere absoluti. Scribunt maximas injurias contra me, & me esse excommunicatum, licet sciant, & audiverint saepe a me, quod ante omnem citationem fuerim incorporatus huic sacro Concilio, & ante illam citationem, virtute cujus quaedam praetensa declaratoria me dicit incidisse, fui in hoc loco semper petendo judices, & submittendo me sacro Concilio. Quid sentiatis de decretis hujus sacri Concilii, vos ipsi Patres Reverendissimi judicate; & quoniam non fuit pro me quominus caussa, & caussae appellationum pro parte Cleri interpositarum ad hoc sacrum Concilium tam ab processibus praetensis Domini Herbipolensis, quam reintrusione domini Ratisponensis fuissent judicibus dudum commissae, imo stetit per partem adversam, quae hoc solerti diligentia impedivit: & quia etiam dietim majora pericula oriuntur, & orientur maxima, si praetensi nulli processus, & nulla reintrusio ea forma qua sonant, amplius servarentur, protestor primo coram Omnipotenti Deo, & Sancta sua Ecclesia hoc in loco congregata, quod Clerus Treverensis Dominii Ecclesiae ejusdem saltem fuit promtissimus, & ita hodie est obedire Sanctae Matri Ecclesiae in omnibus, & per omnia. Protestor secundo, quod licet processus declaret utriusque sexus homines Dominii Ecclesiae Treverensis excommunicationem incidisse, tamen quia constat executorem ad hoc nullum habuisse mandatum, ut patet in executoria, prae timore illius declarationis, aut praetensae excommunicationis curati non desistent, quin sacra ministrent. Protestor tertio, quod constat apertissime de nullitate processuum, quoniam executor neque in principio, neque in medio, neque in fine formam sibi traditam servavit aliter monendo, ex alia causa excommunicando, & aliter interdicendo, & declarando, quam sibi commissum fuit, ut patet applicata commissione ad processum. Ideo si contingat non servari interdictum, quod hoc non fiet aliquo modo in contemtum censurarum, sed ob nullitatem processuum, & ne propter sententias nullas divinus cultus postergetur. Protestor quarto, quod si processus Domini Herbipolensis non fuissent, & essent nulli, quia tamen de absolutione, quae facta fuit per Dominum Ratisponensem omnibus constat, & de reintrusione non constat, aut quod ipse ad reintrudendum habuerit potestatem, aut commissarius committendi sibi, imo potius creditur, & praesumitur ex multis causis contrarium: ideo quamvis Clerus usque modo cessum divinorum satis stricte in finem, quod partes citius concordarentur, servaverit, cum nunc experiatur partem adversam laborare, ut in jure audiatur, non intendit amplius cessum divinorum servare, sed Deo prout tenetur, suum famulatum juxta assumtum officium tribuere ut sibi, & suis periculosis necessitatibus, quibus, ut notorium est, multipliciter in corpore & rebus propter cessum divinorum subest, absque omni contemptu cum omni reverentia & timore subvenire, & ex praefata reintrusionis, aut etiam praetensorum processuum, ut profertur per dominum Herbipolensem fulminatorum caussa, & caussis amplius non debere cessare, nisi aliter mandaverit sacrum Concilium, attentis supradictis, & maxime sua diligentia prosequendo interpositas appellationes tam diu, quousque per hoc sacrum Concilium de hoc convinctum aut aliter declaratum fuerit pariter, & mandatum. Protestor etiam, quod nullitates processuum, & reintrusionis, diligentia

Cle-

Cleri in prosequendo appellationis, impedimenta partis adversae, motiva, & rationes, quae hactenus Cletus cessum servavit, & amplius non intendat, nisi ut supra scribitur, ac etiam protestationes in hoc sacro Concilio factas principibus, Electoribus, vicinis, Communitatibus, & aliis manifestabuntur in finem, & effectum, ut cunctis pateat, nihil temere attemptari per Clerum praefatum, sed semper hoc egisse, & agere velle, quidquid cognoverit Deo gratum, juri & rationi consentaneum. &c.

---

# DECRETUM, SEU EPISTOLA

## SACROSANCTAE GENERALIS SYNODI BASILEENSIS.

Ex eodem Codice Altempsiano.

SAcrosancta Generalis Synodus Basileensis in Spiritu Sancto legitime congregata Universalem Ecclesiam repraesentans universis, & singulis Christi fidelibus, Praelatis, & Principibus per Germaniam, & praesertim per provinciam, & Dioecesim Treverensem constitutis salutem, & Omnipotentis Dei Benedictionem. Dudum Ecclesia Treverensi, cui quondam Otto Archiepiscopus Treverensis, dum viveret praesidebat, per obitum ipsius Ottonis Archiepiscopi, qui debitum naturae persolvit Archiepiscopi solatio destituta, felicis recordationis Martinus Papa Quintus Venerabilem Rabanum Archiepiscopum Treverensem tunc Episcopum Spirensem a vinculo, quo Spirensi, cui tunc praeerat, tenebatur, de consilio Venerabilium Fratrum suorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, & Apostolicae potestatis plenitudine absolutum eumdem ad eamdem Ecclesiam Treverensem transtulit, ipsumque illi praefecit in Archiepiscopum, & Pastorem, & licet regimen, & administratio bonorum dictae Ecclesiae Treverensis vigore translationis hujusmodi eidem Rabano Archiepiscopo deberentur, de jure tamen postmodum quidam Ulricus de Mandelscheit, qui se gerit pro electo Treverensi translationem, & provisionem praedictam, ut praemittitur, factam & quarum non erat ignarus, temere, & facto se opponens se in Ecclesiam Treverensem, illiusque regimen, & administrationem praedictam intrusit, illaque occupavit, & detinuit, prout detinet indebite occupata. Ortaque praeterea inter Rabanum Archiepiscopum, & Ulricum praedictos super regimine & administratione praefatis, & illorum occasione materia quaestionis, nos qui salutem, & pacem cunctorum fidelium interno desiderio sentire, & per pacificationem Archiepiscopi, & Ulrici praedictorum, nec non totius Cleri, & populi Civitatis, & Dioecesis Treverensis exquisitis laboribus, & indefessis studiis caritativas vices, & exhortationes viis, & modis congruentibus sollicite impendimus, quum non possemus efficere, quod speravimus, tandem ea debito Universalis Ecclesiae, quo singuli in justitia debitores existimus, ad instantiam dilectorum Ecclesiae filiorum Magistrorum Officialis Basiliensis, & Hugonis &c. promotorum, & procuratorum caussarum, & negociorum hujus Sacri Concilii deputatorum, ac auctoritate ejusdem Universalis Ecclesiae Rabanum Archiepiscopum, & Ulricum praedictos, nec non omnes, & singulos praedicto Ulrico adhaerentes, aliosque, qui sua quomodolibet interesse putarent, per edictum publicum quibusdam locis publicis tunc expressis partibus illis vicinis oppositum citari mandavimus, & fecimus, ut certo termino peremptorio competenti tunc expresso Dominus Rabanus Archiepiscopus, & Ulricus personaliter, & in eorum propriis personis ad docendum, & fidem faciendum per legitima documenta de jure, titulo, possessione, & proprietate, quae se in dicta Ecclesia Treverensi, seu ad eam habere praetenderent. Ceteri vero legitime ad ostendendum caussas coloris, & adhaesionis suae, si quas haberent, comparerent coram nobis processuri in caussa hujusmodi etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii sola facti veritate inspecta usque ad diffinitivam sententiam, prout exigeret rationis, & quia propter intrusionem, occupationem, & detentionem ipsius Ulrici fuerat contra ipsum, & complices, ac adhaerentes suos per censuras Ecclesiasticas usque ad interdictum, & alias poenas auctoritate Apostolica processum, nos pro tunc ne Ulricum praefatum, ejusque adhaerentes se excusare, & eorum adventum ad hoc Sacrum Concilium retardare contigeret, interdictum hujusmodi in eos, nec non patriam Treverensem, & alia illius loca justa tenorem processuum latum a tempore, quo Ulricum personaliter, & adhaerentes hujusmodi, ut praefertur ad nos veniendi, justitiamque recipiendi caussa iter illud sine dolo, & fraude acciperent inchoando usque ad nostrum beneplacitum suspendimus. Demum vero Rabano Archiepiscopo, & Ulrico praedictis coram nobis comparentibus post diversas altercationes inter partes habitas nos venerabilibus Dominico miseratione divina titulo Sanctae Mariae in via Lata Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinale Firmano nuncupato, ac Amedeo Archiepiscopo Lugdunensi, ac Ludovico Episcopo Fisensi commisimus, ut ipsi considerato etiam statu Ecclesiae Treverensis de ipsorum Rabani Archiepiscopi, & Ulrici juribus, & monumentis, praefatisque aliis circumstantiis universi sollicite inquirerent, & se informarent, & quae convenirent nobis fideliter referre curarent, prout postmodum nobis in generali nostra congregatione ad id specialiter congregata facere curaverunt. Nos itaque praemissis relatis omnibus per nos diligentius digestis, & recensitis ad promotorum praefatorum instantiam praefatum Ulricum ad concludendum, & concludi videndum, necnon ad nostram diffinitivam sententiam audiendam in caussa hujusmodi citari fecimus ad certam diem peremptoriam competentem, in qua praefato Rabano Archiepiscopo nobiscum constituto, & promotoribus ipsis praefati Ulrici non comparentibus contumaciam accusantibus, & in ejus contumaciam concludi, & sententiam ipsam ferri petentibus, nos in generali congregatione nostra ad id specialiter indicta constituti reputantes eumdem Ulricum quo ad hoc, prout erat monito contumacem in ejus contumaciam in caussa hujusmodi conclusimus, & habuimus pro concluso, necnon visis prius de novo, & diligentius inspectis omnibus, & singulis actis, actitatis, habitis, & productis in caussa hujusmodi, & ipsis cum diligentia recensitis, & examinatis, & habentes prae oculis solum Deum, de cujus vultu judicium prodiit, & cujus oculi aequitatem videnr, de omni nostro consilio, & assensu per nostram diffinitivam sententiam diffinivimus, pronunciavimus, & declaravimus praefatum Rabanum Archiepiscopum olim Episcopum Spirensem habuisse, & habere plenum, & canonicum jus ad dictam Ecclesiam Treverensem, eumque ipsius verum, & indubitatum fuisse, & esse Archiepiscopum, & Pastorem, dictoque Ulrico nullum in eadem Ecclesia Treverenti, seu ad eam jus competisse, sive competere, ac eum ab occupatione dictae Ecclesiae Treverensis, ejusque terrarum, castrorum, & oppidorum, juriumque, & pertinentiarum omnium earundem, ac ipsius in illis intrusione amovendum fore, & amovimus, praefatumque Rabanum Archiepiscopum in Ecclesiam Treveren-

verensem castrorum, oppidorum, juriumque, & pertinentiarum praedictarum, corporalem possessionem inducendum fore, & induximus. Regalia quoque, & alios honores Archiepiscopis Treverensibus pro tempore existentibus impendi consueta impendenda fore, & per carissimum Ecclesiae filium Sigismundum invictissimum Imperatorem impendi, & concedi debere, de quibus etiam auxilio brachii saecularis Imperialis ipsius quantum opus fuerit, eidem Rabano Archiepiscopo impendendis eumdem Imperatorem hortati fuimus, requisivimus, & admonuimus, & hortamur, requirimus, & monemus. Nos itaque praefatum beneplacitum cessasse pariter, & expirasse de harum serie litterarum declarantes ipsius Rabani Archiepiscopi supplicationibus inclinati &c. Mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios praemissa executioni debitae demandantes eumdem Rabanum Archiepiscopum in corporalem possessionem Ecclesiae Treverensis, castrorum, oppidorum, juriumque, & pertinentiarum praedictorum amoto exinde Ulrico inducatis auctoritate nostra, & defendatis inductum facientes sibi a dilectis Ecclesiae filiis Capitulo ipsius Ecclesiae Treverensis, praedictoque clero & populo obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, atque ab eisdem populo, necnon dilectis Ecclesiae filiis nobilibus viris, universisque vassallis Ecclesiae Treverensis fidelitatem solitam, necnon consueta servitia, & jura sibi ab illis debita integre exhiberi, & nihilominus legitime super his per vos habendis servatis processibus eos quotiens expedierit aggravare curetis, contradictiones auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii saecularis, universis & singulis sententiis, poenis, & censuris in, & contra praefatum Ulricum, & complices, & adhaerentes suos dudum antea perlatis & declaratis in suo robore duraturis. Ceterum si ejusdem Ulrici, vel aliorum, quos hujusmodi processus concernent praesentia pro monitionibus eis, & citationibus de ipsis faciendis nequeat tute haberi, nos vobis, & cuilibet vestrum monitionem, & processus hujusmodi, ac citationes quaslibet per edictum publicum locis affigenda publicis, & vicinis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad notitiam monitorum, & citationum hujusmodi pervenire valeant, faciendi plenam & liberam concedimus tenore praesentium facultatem, ac volumus, quod processus, monitiones, & citationes hujusmodi perinde arctent ipsos monitos, & citatos, ac si eis praesentialiter, & personaliter intimati & insinuati fuissent, constitutionibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque; aut si praefato Ulrico uniter, vel divisim a Sede sit Apostolica indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per litteras quaslibet non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum &c.

# EPISTOLA
## CONCILII BASILEENSIS.

Ex eodem Codice Altempsiano.

SAcrosancta Generalis Synodus Basiliensis in Spiritu S. legitime congregata universalem Ecclesiam repraesentans universis, & singulis venerabilibus Archiepiscopis, & Episcopis, & per infrascripta collecta exigenda, & colligenda deputatis per nationem Germanicam ubilibet constitutis salutem, & Omnipotentis Dei benedictionem. Reprehensibile quippe videtur, dum majores Militantis Ecclesiae Praelati in arduis ipsius Ecclesiae necessitatibus, quibus eos intendere Pastoralis officii debitum exigit, & requirit, remissi inveniuntur, & ad onera, quae diuturnae sollicitudini pro Christifidelium statu, auctoritate, Dominio ampliando incumbunt, solitas operas non impendunt ad ea maxime, quae ab omnibus facile valeant supportari. Cum igitur dudum haec Sacrosancta Synodus provida moderatione juxta concordata nationum quarumlibet ab ipsis suscepta statuerit, & ordinaverit, quod omnes, & singuli Metropolitani, & alii Antistites, necnon Ecclesiarum, ac Monasteriorum quorumcumque Praelati excepti, & non excepti cujuscumque dignitatis existent praestaciones, seu collectas eis, ac quibuslibet ipsorum pro supportandis oneribus incumbentibus impositas infra certum tempus cuilibet ipsorum praefigendum sub censuris Ecclesiasticis solvere tenerentur prout in certis aliis litteris nostris desuper editis plenius continetur; & sicut ad nos relatione pervenit, nonnulli ex vestris in exequendis mandatis nostris nimium remissi fuerunt, ita videlicet quod taxas seu collectas vobis, & vestris Ecclesiis, & cuilibet vestrum, & vestrarum Dioecesium Praelatis impositas per vestros ad haec deputatos exigere, & exacta nobis hactenus destinare minime curastis in maximam orthodoxae Ecclesiae jacturam, bonorumque operum retardationem, & nisi Ecclesiae & Christifidelium statui in praesentiarum provide consulatur, cunctaque in melius reformentur, non in ejusdem Ecclesiae modicum futuris possit temporibus dispendium redundare. Qua de re vos omnes, & singulos, & quemlibet vestrum tenore praesentium requirimus, & hortamur, vobisque, & cuilibet vestrum.

# FRAGMENTUM ANONYMI
## *Cujusdam ad SS. Dominum Nostrum Eugenium Papam IV.*

Ex MS. Cod. Reverendiss. Dom Marcelli Micheli Cathed. Eccl. Lucen. Canon.

ETsi multa, Beatissime Pater, superiore tempore facto Basileensi Concilio divinitus collata praesidia singularem Patribus Synodalibus laetitiam & consolationem attulerunt, nihil tamen sibi unquam contigisse existimarunt quod eorum mentibus magis jucundum, ac delectabile fuerit, quodque gratius, libentiusque audierint; quod cum certissimis adventantibus nuntiis tuum ex Urbe discessum intellexerunt. Ex ea namque urbe, quae hostium incursionibus, armorum strepitibus, agrorum depopulationibus undique conflagrabat. Ubi foris bella; Domi seditiones plurimorum abundabant. Ex hoc gaudet non parum Sacra Synodus, & ex omnibus mentis praecordiis jubilat, & exultat; neque injuria. Quid enim Christi Ecclesiæ tutius, quid jucundius contingere potest, quam sui veri Pastoris salute, consilio, praesidio, & auxilio confoveri. Verum Beatissime Pater profectionem illam tuam eo majorem, ampliorem que Sacrae Synodo laetitiam, & jucunditatem attulisse existimes, quo plus sinistri quiddam a Po-

pulo

pulo Romano Sanctitati tuae illatum fuisse fama deferret. Ex quo enim multa pericula, & discrimina tibi imminere intelligeret, doluit medius fidius non mediocriter magna cum admiratione secum animo volvens quonam pacto plerique adeo audaces, & sacrilegi fuerunt, qui te Christi indubitatum Vicarium, & Petri naviculam gubernantem comprehendere, detinere, & militum falange custodire præsumpserint.

Vellem vidisses quanta molestia, quo moerore hunc Sanctitatis tuae casum omnes audierunt. Incredibilem profecto ad te devotionem, fidem, & affectionem intellexisses. Neque enim tantam, tamque gravem injuriam aequo animo poterant substinere. Dolebant Pontifices, afflictabantur Sacerdotes, totus denique Clericalis ordo taedio, & pallore premebatur. Idque summa cum ratione. Si enim moeret exercitus Imperatore, & belli duce amisso; si lugent filii, parentis praesidio, & consilio orbati; si Principem suum beneficum, liberalem, pacificum, mansuetum, universi cives deplorant ex lamentabilibus vocibus prosecuti: quis laudabit ipsum Sanctae Synodi dolorem, quem ex ducis, gubernatoris, parentis, ac principis sui amissione suscipiebat. Convenerunt autem persaepe ipsi Patres, ut in hisce periculis tuis suum tibi consilium, & auxilium exhiberent, suamque erga Sanctitatem tuam, benevolentiam & caritatem ostenderent.

# EPISTOLA ANONYMA

## DE REBUS CONCILII BASILEENSIS.

*Egregio, & peritissimo viro D. N. sacrorum Canonum licentiato, totus tuus &c. S. P. D. insuper etiam cui nulla par est in salutatione, offert seipsum.*

Ex MS. Col. Bibliotb. Augustæ Vindobonensis.

MEmores Lini pauperis discipuli Socratis, qui dum alii preciosa sibi obtulissent munera, ipse dixisse fertur. Alii preciosis venerati sunt te donis, & sibi meliora, videlicet scipsos reservarunt; ego autem meipsum tibi offero &c. Scis enim, frater dignissime, quo in loco Jo. An. hanc salutationem singulari praerogativa fulgere commemorat. Excitatus a te, frater venerande per novissima tua missula, ut aliquid tibi de necurrentibus scriberem, prompta voluntas, qua tibi semper placere cuperemus, tepescentem commovit calamum; sub confidentia tamen ne imperfectum meum arguas; sed firma caritate parcas insciemtiae meae; tolerésque insipientem, cum ipse sis sapiens. Et qui te qui & mihi dignissimus es, singulari voce nunc vista: ne mireris, quoniam & Ciceronis io hnc imitor vocem, qui dum Julio Caesari scripsit, non solum & singulari apud cum sermone usus est, sed & se anteponendi audacia fretus, cujus & multi post eum digniores Poetae insecuti sunt semitas; licet modernorum apud quos dum assentario plausúsque humani favoris inolevit, vecordia stilum hunc sustulit e medio. Unde si id mihi lo temeritatem adscripseris, libenter patiar errorem meum cum tali viro communem. Inde me nec poetam tibi videri quaero; cum si aromata aliqua in me lateant tu ipse novisti; e cujus manibus priscis diebus ortae sunt sortes meae. Si autem dixero quod poetarum amator non sim, ero quasi legis praevaricatori similis, mendax. Epistola igitur strata e lenibus calamis si sit tibi grata, poteris ex brevibus his plurima concipere verbis. Legatus hic durat, & pleno regnat pontificio jure, quem etiam omnes populi venerantur & clerus. Itaut omnis schismatis nomen hodie videtur ablatum. Quis tantae pestis origo? Heu solus Rex fuit ille, qui Petri naviculam naufragam naufragare ipse fecit. Velit Deus ac Papa Nicolaus, perversus (*sic lego ambigens*) pastor novus inficiat gregem, ut pecus pecudem aegra. Utinam aliquando redeant in mores tempora priscos; & post hanc nebulam serenus vesper aliquando reluceat, Ecclesiaque cum ejus sponso victoriose resurgat. Augurier, frater dignissime, ut teipsum tacitus interroges, an sim qui fuimus dexteri, an sim mutatus ad levam. Respondeo cum sic homini (*sic*) hodie res facta vetent sueritque sic voluntas in Coelo, invitus bibam cum ceteris succum hunc & quamvis amarus. Scis enim juxta Mar. Tull. in Tusculanis quaestionibus, quod omni in re consensio omnium gentium naturaliter lex putanda est, nec solium praeeminentiae datum est mihi, ut juxta ordinem Ecclesiae tanquam minimus superioribus etsi libeat, liceat resistere; nisi saltim hic error articulum fidei, extra quem nemo salvatur, contingeret; cum eo casu quisque fidelium impugnantibus fidem resistere teneatur & praedicare super tecta &c. alias succederet verbum illud: *Dum caecus caecum &c.* Et quamvis hujus sententiae fortior cultor existerem, dum tamen hodie inter arcana mentis praecordia acutius revolvo quomodo veritates hae tibi pernotissimae in Concilio conditae & quibus atque satis (*sic*) viis aggregatae fuere & quomodo directae, non negatur a modernis contradictoribus articulus ille, videlicet: *Unam, Sanctam, Catholicam, &c.* imo articulum hunc profitentur, astrucittes, ut excusationis mendicent suffragium, licet tamen falso, amplius Basileae Ecclesiam non subsistere &c. Certe lentescit nunc in me fervor ille animique zelus; neque assentior huic ita immobiliter, ut prius inhaeseram. Insitum mihi tamen semper retinebo quod declaratio harum veritatum ab ore Ecclesiae, quae in factis fidei errare non potest, processerit. Dices forsan me fore io hoc globo verborum mihimetipsi contrarium; sed non dubito, si in caritate verba mea metiaris, catholicam videbis continere veritatem. Suffecerit mihi palpebris tuis pellem hanc oduxisse tenebrarum, ut & inde tibi emergat occasio tem hanc visendi cumulatius ex te, eum solus adhuc peregrinus in factis Ecclesiae constans in Agrippinensi clero clares; & licet inde insigni laurea sis dignus, cave tamen, frater, ne diutina pectoris tui religio in pertinacia comitetur &, pace tua dixerim, prudentibus prudentiorem te faciat, ne qui multa possides, bonorum dispendium compares plurimorum. Vides quomodo Argentinenses apud quos tibi refugii locum aliquando statuisti potiusquam (*priusquam*) Colonienses moderno obedientiae errore labefacti (*sic*) evanescere. Nec heu! est hodie quisquam Antistes, qui non, licet, ut optime ex Jo. An. expoficione novisti, hoc nomine sortiantur, ut ante alios stare teneantur, D. N. Papae pedum sibi optet oscula beatorum; unde tu similiter & requie . . . . displicentem hunc parem casum. Dum, auspice Deo, aliquando nos fata revinxerint. Non sic in aenigmate tibi loquar, prout hujus epistolae verba instar habere videntur; sed facie ad faciem palam tibi faciam ea quae hic cartae committere pertimesco, quoniam nescio, si ad te legationis meae fida nuncia pervenerint. Sciens autem tunc an sim qui fuerim, an homo evaserim alter; & quod sit duci sermonis hujus ad te misterium. Scis enim quod non solum vincere sed vinci se pati speciosum est, ubi victoria detrimentum parit, nec stat semper hominis fortuna, dies una per omnes. Quisquis plus justo non sapit, ille sapit, ut Marci Valerii in Marciliali (*sic*) toto sententia est. Ex verbis hiis

totis pluriora ( *fic* ) concipe meis ; unum tamen velim, frater digniffime, ne te lateat quod Papa nofter omnes caufas nationis Alemanniae illarum partium quibus neutralitas idolum fuit, fufpendit, nolens eas amplius ftrepitu judiciali volvi in curia. Similiter & Vicecancellarius manus claufit, ne ad eafdem partes fuo fungatur officio caufas committendo &c. Sic & D. Legatus fuae jurifdictionis falcem reftringit ; imo extra forum poenitentiale nullus fere Legati folio potitur. Nefcio fi ventus dietae Gebennenfis ufque ad eos pertigerit. Ipfi hic licet operas regum illorum, quorum parte media unionis Ecclefiae Gebennenfis confoederata dicuntur, nihil pendere videamur; verum tamen corda eorum itaut quafi in Spiritu aliquam amaritudinem inde emerfuram fibi perhorrefcant. Et ut de virtutibus Legati aliquid tibi referam, ipfe adeo fedulo, adeo prudenter, adeo provide ad dandam pacem Germaniae caeterifque rebus gerendis intentus eft fuamque diligentiam impertitur, ut ex ocio negocia, & ex negociis ocium nullum admittat. Perfitire te Spiritu viden, qualiter Rex inter Hungarorum rabiem Bohemorumque furiam verfetur, & an fuis obnixis adverfis cum undique erectis cornibus ad tranfeundum alpibus urbemque aditurum, & demum Caefaream petiturus coronam accinctus fe paret ad iter. Hungarorum millium equorum caterva quae huc pro pace componenda advenerat his diebus cum ruptura, prifcis relictis diffidiis, hinc nunc abfceffit. Legatus, cui pax haec multum eft cordi, pro novae conventionis dieta inftauranda apud Hungaros diebus jam multis curam geffit; & ut paucis multa complectar, Hungari colla paci fubdere nolunt, ne petitionum fuarum votivi victores evadant. Finaliter autem fuis literis quas originales D. Legatus legendas, fui gratia, communicare dignatus eft, ipfum ut ad eorum aedes fe transferat inftancius invitant; pollicentes circa S. Georgii feftum proximum apud Budam generalem Regni conventionem inftituere fe velle, ubi examinari poffit an media per D. Legatum Regis parte oblata juftitiae eorum digna fint vel interiora; unde in hac re D. Legatus anxius multum confternatur animo, quoniam ad id tempus ad diaetam Pragenfem Bohemorum, qui & pro habendo D. eorum Ladislaum fe alias adverfus regem arms commovere comminantes, fimiliter impetu magno certare videntur, cum Oratoribus Regis fe acceffurum pollicitus eft. Nefcit igitur D. Legatus quo partitu ufurus fit. Ego tamen utilius teneo quod Hungaris relictis, juxta defiderium qui jam generofiores curiae fuae tirones multos Oratores depatavit ad Bohemiam fe convertet (*fic*) Ecce imminentem abfceffum Legati a locibus Auftriae declinaturi; tandem poft exceffum Bohemiae ad Reni partes diminas Veftphalorum guerras fedatur. Timeo fi Hungaris non fedatis Legatus hinc abfcedat, quod hic non mora tuta, fed fuga tutior erit, quoniam minantur horrifice Hungari innumeris minis. Eft etiam populus ferox; imo pejor eft fi terra parit; tunc optimus ipfe necaffe meliorem gentem Bohemia tenet. Quod ergo inter tot guerrarum ftrepitus Rex Italiam petiturus fit, mihi difficile eft creditu. Et licet fibi magna caefareum obtet diadema, difpofitionem tamen non video ut propere rem hanc perducere poffit (*ad*) effectum. Nec fentio quod ingref-
non cupio fus ejus iis omnious qui Italiae dominantur foret pacificus. Aragonum enim rex ibi fceptra verfat qui faevus eft & hirfuto multo truculentia ap. (*fic*) An fint ifta fatorum curfu commiffa ego novitatum harum aurufpex cenferi nolo: fi fic res nunc eft, ruere tamen pejus poteft, quoniam vaga eft, quae res hominum fortuna gubernat; maxime principis hujus, quem cum hodie ad opus aliquod Dii ftimulant, abftrahit cras tota cupido; immo immemor ipfe Imperii &, ut verum fateamur, uvarus pecuniam paucam perdere timet; contingit eum perdere multam. Infuper, frater digniffime, Vienna nunc cum Ferdinandum Hifpanum hofpitem tenet, quem mirum in modum alias apud nos ftupidum vulgus ftupebat; itaut aliqui Antichriftum eum mentiti fint. Ego amantiffima converfatione hodie fibi convictus fum; citra tamen detractionem rem referendo, non fentio eum virum illum effe in quinquagefimo gradu prout hominum apud nos infirma opinio mirabat. Ecce fluctuantis faeculi debile fundamentum, quod tam prompto concurfu inanibus novitatibus aures praebet. Item accidit his diebus: rarum unum quod mihi in genere fuo omni raritate rarius effe videtur. Alias dum Hungari, de quibus fuperior epiftola commemorat, in palatio Regis hic fe repraefentaffent, nefcio quo eventu actum eft ex turba unus folitam divifam D. Regis videlicet illarum quinque vocalium A. E. J. O. V. prout principum mos eft, aliquo inter figno fe ad invicem oftentando difcernere cum opprobrio deteftatus eft, & illico Rex, nefcio fi indignatus, aut feminea pufillanimitate ductus, omnibus in locis, Ecclefiis, caftris, & aedibus, imo & a veftibus facris divifam hanc deleri fuo regio juffit edicto. Ecce res haec ne augurii quid portentive orbi defignet ego lafciviam calami hac in re cohibere mihi debitum cenfeo, quoniam decet ut fobrio eloquio dignaque veneratione tanti Principis gefta in digniorem partem referam. Caeterum & alia novitas diebus his gefta, qua & timoratorum hominum corda dolorofe fauciata fuere. Advenerunt huc, Regiam majeftatem ejus ex fpeciali fuper hoc falvo conductu muniti acceffuri Oratores Bafileenfes, viri utique praeclari & infignes, videlicet D. H. de Offenburg miles venerabili canicie jamdudum decoratus, & Officialis Bafilienfis, doctor apud regiam celfitudinem; quare praeceptis fuis regiis fuper tollendo & auferendo falvum conductum iis qui adhuc S. Concilium & Ecclefiam apud Civitatem fuam repraefentant cum honeftate, prout id vere multis juftis lucidifque rationibus ufi funt perfuadere, parere non poffent, fe excufantes; & illico exiit edictum, ut quamcunque intraffent Ecclefiam inibi ceffatum fuiffet a divinis. Imo & gravitas magna habita eft apud confeffores antequam abfolutionis beneficium iis, qui eis & in eorum hofpitio, prout ego participarunt, impertiri vellent. Ecce pietatis Ecclefiae religionis infperatam fubverfionem. Sunt etiam hodie prioribus mandata tranfmiffa ut falvum conductum Bafileenfibus tollant &c. Intelligo tamen probiffimorum civium fidam conftantiam, a tali dedecore committendo propter ignominiam fe velle praefervare immunes. Infuper dum cartae hujus fulorum (*fic*) harum committere femina novitatum, ecce novus clangor intonat qualiter ab uno latere Teucri, ab alio Hungari adverfus regem cornua levaverunt; ecce apud fines Stiriae quae paterno jure fibi cedit caftra moventes, unde omnibus imperii curis fufpenfis ad propriae telluris defenfionem fe parat ad arma verfus Traciae orafque Stiriae facie vertens; hinc fecefiit ad propria. Valeat tua dilectio fraterna, & in his anguftiis fic cautius ambula ut tunc poenitere non incipias cum non erit poenitudinis locus. Nefcio quid apud vos agat amabilis aetas, eft enim hic gloria videre fatum quem paravit florida vallis; raritate tamen imbrium vita fegetum aliquatenus eft prorogata. Cupio per te cordialiter recommitti fratri noftro Cor. Magiftro L. cui cum fit altera pars tui harum novitatum nihil celabis fed participem facies. Memores mei ambo feliciter annis fubfiftite pariter & perpetuo profpere. Ex Vienna.

ANO-

# ANONYMI EPISTOLA

## CONTRA LUDOVICUM SFORTIAM.

Circa an. 1500. Ex MS. Cod. Capit. Cathedr. Eccl. Lucens.

LOngissimam epistolam cum brevissima commutasti. Habeo gratias pro tanto officio, rem enim perquam gratam mihi fecisti sapienter omnia percensens; sed in primis Ludovicum nostrum non nisi bene perstrinxisti. Addis gemitus tuos, nec cessas futura pericula deplorare. Age, esto bono animo, mi Vincenti. Ubi pascebant colubri, lilia efflorecunt: idem Ludovici nomen auditur in Gallo. Tantum trucissimi Mauri mores, inexpleta ingluvies, rapacissimae attenduli hominis manus abscessere. Ensi praeferendus est baculus Regnis; & pellito apiti longe splendidius coronarum lapilli semper pronunuere. Pro fortibus habes Francos; pro violentis Flaminiis, virginis origine proditos, Gallos. Num meministi quantus in eo fastus erat? Quanta sapientiæ praesumptio? Quam intolerabilis arrogantia? Avaritiam quisnam ferre ultra poterat? Insolentia illa conviviandi se adeuntibus, si paulo a libidine sua deflexisset, quam erat praeceps, & insulsa? Prae se sapere valebat neminem: & vitulabatur sibi intra cubiculum cum scurris, & parasitulis, si quando quempiam spectatae sapientiae hominem probris instillet. Probum virum evexit unquam neminem. Nobilitatem omnem aut substulerat, aut depresserat. At praeter famelicos paucos advenas, & esteros honorum, neminem in aulicam familiam asciverat Omnis illius vita in dolo, technis, astu reposita erat; simulator & dissimulator nulli conferendus; fides ex utilitate tantum constabat. Illius foedus, amicitiam, societatem ita stabilem non Italia solum, sed orbis totius Principes cognoscebant, quantum ea propriis commodis conducebat. Quod scribarum decurias lassaret: quod speculatores in singulis regionibus collocasset, quod perniciosissimis tabellariis quorumcumque consilia anteverterat, idcirco magnam sibi paratam gloriam aestimabat. Carpere & adulari, fallere & polliceri, virtutis ac solertiae primam laudem apud se vindicabat. Magnificentia verborum nemo elatior. Ad virtutem & populorum normam si quando inclinabit, non alia jam ratione, quam sui conscientia, ut conspirationibus occurreret, ut subditorum studia, opes, consilia recognosceret; ac nihil unquam meditatus est, dixit, fecit, somniavit & in publicis aut privatis rebus, in quo non aliquorum tranquillitatem interturbaret. Nullus aulicorum in vestitu sub tam misero duce decor; & sese tantum mollissimis quibusdam totum permiserat. Rapinarum, & expilandi auri inventores, venefici, delatores primum apud illum locum assequebantur. Conspectum illius non aliter quam lividissimi & petulantissimi, quod erat principis, boni omnes devitabant. Ingratus, immisericors, inexorabilis, & in ulciscendis injuriis memoriae pene faemnilis. Non ego id miror, quod illum defecerint amici, populi, cives, quod illum sui, ut ita dicam, alumni, sua idola, sui contubernales omnes in ipsà calamitate contempserint, destituerint, dereliquerint. Sed id miror, quomodo tandiu in fide, officio, observantia, devotione perstiterunt. Cui jam non suspecta erat illius perdita blandities? Cui jam tam mobile ingenium, atrox & virulentum, formidabile non erat? Quid umquam in vita fecit, quod arte fraude simulatione vacaret? Aut quid umquam cuique contulit, permisit, indulsit, quod non ad proprium commodum referret? Ad quod aut metu aut ostentandi sui vanitate impulsus non esset? Illa religio, ille Dei cultus, illa numinum observatio, an non erat vulpina plane, & tegendis solum criminibus assimulata? Nolo disserere de Joanne Galeatio nepote, imperii cupiditate veneno sublato. Desolatam praetereo Aragoniam domum & eversam funditus hujus occupandi dominatus aviditate Neapolitanum Regnum sileat: turpis in fratres impietas: conticeant tot nobilissimorum hominum rabie plusquam canina dissipatae, extinctae familiae. Quod confers scelus invocationi Turcorum, quorum sævo impetu parum abest, ne omnis intereat Religio Christiana? Illae animae quae hactenus perierunt, cui perierunt? Quae tanta in poenas sceleris sunt tanti supplicia? Non meminerat Cotignolanum se esse; e vilissimis mulionibus progenitores suos ad tantum imperii fastigium conscendisse. Ipsum demum nefariis coedibus, enectis, oppressis, in servitutem depositis nepotibus, scelera & perfidia Insubriam occupasse. Ego, ut aliquando dicam id, quod verissimum est, populum illum Mediolanensem ignavissimum, socordissimum, torpentissimum, qui hæc tam serviliter perferret, judicavi, appellavi, vocitavi. Ac futurum sum numquam ratus, tandiu, quin aliqua exurgeret aliquando ultrix tantorum scelerum cœlestis anima; tam dirumque draconem, ad stygios lacus immergeret: bene caeci Insubres, si illam Horarum recitationem, illam templorum frequentationem assimulatam non cognovere. Bene illustri Itali omnes, si non tam impurum veteratorem, in Christianos Turcum concitaturum, ipsum Acheronta revoluturum non animadverterunt. Versutum ingenium & versipelliculare cognoscebat opinionem Religionis ad firmamentum regni plurimum conferre. Cum tamen ad explorandos populorum animos, ad noscitanda Principum consilia, ad quaslibet peragendas proditiones solis ferme Religiosis uteretur, quae erat illa religio? nihil in religionem, nisi ex ejus voto, ac nutu fieri. An fortasse par sit Ecclesiasticis censibus corradendis? Praeterierit ulli cœnobio, ulli templo, ulli tuguriolo quisquam, quem non ipse designaverit? Quam irrita erat Antistitum sine hujus astipulatu Pontificia declaratio? Sed adde: praefecit ipse umquam, aut integrum, aut doctum, aut morigeratum hominem? An non semper visus est probos, & sapientes praeter deliros astrologos, quibuscum insaniebat, odisse? Scilicet erat Deus in Cælo; in terris Maurus unus. Scilicet totus ventosus erat, totus tumor, totus vesana elatio. Docuit eventus, quantum jam odissent istos mores Superi. Ac mihi videntur tarditatem ejectionis gravitate ignominiae compensasse. Ubi illa cribra alternis manibus impulsa? Ubi trabs intorta ad rubricam securibus accisa? An non illa eum sua satis monere debuerant inventa? Ostentet adhuc fulgura & imbres, reposita manibus cum aquis tonitrua: ejusmodi sunt pacis & belli arbitri. Muliebrem animum, faemineam imbecillitatem, turpissimam ignaviam fœdissima declaravit fuga. Tu dic queso, quid ille tam fœde, tam repente, tam fugit meticulose? Conscientia ne scelerum, an virium imbecillitate, aut potius suorum perfidia? Si avare, si crudeliter, si insolentissime populos rexit, quam ullius perfidiam voles detestari? Aut quorum ille non profutura subsidia debuit expectare? Si suorum eum prodidit perfidia, quae magis ridicula est sapientia, qua tantum sibi assurgebat, qua ita viveret, ut sui cum proditori forent? Aut in tam exquisito hominum selectu, id saltem non prospicere; quomodo inter eos tuto posset permanere? Ergo virium debilitas in fugam pertulit. Dic rursus, (quae magis pudenda res est) quot in hostium exercitu pugnatores erant, a quo Insubria est omni depulsus? Cum Rege Gallico ita res mihi non est agi visa. Unus eum civis cum pauco sibi a Gallis attributo exercitu triduo cum tam ostentato ducatu dejecit, deturbavit, profligavit; quod si tam ina-

inanes erant vires, quid mugiebat? Quid Italiam dictis territabat? Cur pacis, & belli arbitrum? Martis, aut Palladis moderatorem se tandem praedicare non cessabat? Verum oportuit sic, inquis, quandoquidem res bellicae opinione plerumque solent constare. Oportebat, inquam, si sapiens, si magnanimus haberi voluit, in suo imperio viriliter, & gloriose in suorum sanguine occumbere. Sed totus in auro erat, quod abstulit: satis strenue sibi fecisse videbatur, si thesauros auferret: si coactos in tam truci Tyrannide praedarum acervos poterat asportare. Errabit, video, invisus Principum Regias lustrando, cum tot mortes, tantum opprobrium una posset morte terminare. Unius virtus tantum Sfortianis peperit Imperium; unius scelus, & ignavia abstulit. Crede mihi, nulla perpetua est iniquitas; nec male partorum possessio potest esse diuturna. Quam felix potuit esse Sfortianorum gloria, si hic in ea progenitus numquam fuisset; si illorum splendorem istius scelera non commaculassent; illorum gloriam hujus si non consoedasset ignavia. Tu ergo, mi Vincenti, quiesce animo; ne fortunae mobilitatem, ne cujusque perfidiam accusa. Mirandum potius, quomodo non eum ante mille tam dirum, tam scelerosum, tam rapacem, tam vanum, tam petulantem hausetunt venena, tela premerunt, confecerunt exitia. Attolle in Caelum manus, & Deo gratias age, quod immanis est nobis sublatus draco, jam dira amota tirannis; tam exitialis extincta hydra. Quam nisi Alcides noster gloriosissimus Triulcius contudisset; actum de nobis penitus erat; ac praestat, aeternorum omnium saevitatem pati. (quam tamen spero nullam fore) quam sub illius contactu perpetuo malo contabuisse. Vale.

# LEONARDI ARETINI

## IN LAUDES IMPERATORIS

## ORATIO.

Ex Cod. Reverendiss. D. Martii Micheli Canonici Cathedralis Ecclesiæ Lucens.

UT laudes tuas, gloriosissime Princeps in hoc brevi collationis spatio commemorare aggrediar, non tempus modo multitudini dicendorum, sed verba quoque magnitudini rerum tuarum defutura conspicio. Nam quis usque adeo promptus ingenio, quis usque adeo lingua excitata, atque veloci, qui possit justitiam vel fortitudinem tuam, & vel pace, vel bello inclita facta nedum exornare dicendo, sed enarrare numerando? Aut cui tam grandia verba sint, & tam plena oratio, ut magnitudinem rerum tuarum adaequare possit? Legimus quosdam Reges bello praestantes, eosdem tamen in pacis artibus defecisse; quosdam rursus ad urbanas conversationes aptos & mites, imbelli uno gloria succubuisse. Aliis quibusdam acritatem ingenii, aliis praevidentiam, aliis eloquentiam, aliis formam, aliis liberalitatem, aliis magnanimitatem defuisse. In te uno, mirabili felicique concursu, cuncta, quae laudari merentur ita conveniunt, ut ipsa inter sese de excellentia certare videantur. Idem fortissimus bello, idem in pace humanissimus; nec facile quis dixerit utrum ferocior in hostes, an in subjectos clementior. Nam de liberalitate, magnanimitate tua, ceterisque animi & corporis dotibus tacere omnino melius est, quam pauca referre. Testantur res clarissimae, & magnificentissimae pro salute Romani Imperii, & pace Christianorum a te gestae. Quis tutos ab infidelium armis nos praestitit, nisi admirabilis virtus, & fortitudo tua, qui tanquam verus pugil Christianae fidei adversus illorum conatus, & arma te semper opposuisti? Quis rursus populum Christianum scissum inter se, ac laceratum, variisque Pontificibus tanquam idolis quibusdam inhaerentem ad unitatem integritatemque reduxit, nisi incredibilis prudentia, & providentia tua? cujus rei gratia etiam terrarum orbem peragrasse videmus, nec tuis laboribus pepercisse, ut aliorum labores auferres. Haec itaque, & alia praeclarissima a te vel pace, vel bello gesta commemorare desisto victus magnitudine rerum tuarum, & temporis brevitate. Ceterum quo plura perfecit virtus tua, eo magis te homines intuentur, & omnia adversa, & gravia per te emendari posse confidunt. Debere enim te putant quoniam Imperatorem; posse autem te sciunt, cum anteriora prospiciunt. Nam de voluntate bona nemo ambigit. Devotissimi vero, & fidelissimi filii tui, qui se pedibus Serenitatis humillime recommendant; nobisque injunxerunt quaedam pro eorum parte vestrae Majestati secreto explicanda, quae cum tempus dabitur referabimus.

# AD INNOCENTIUM TERTIUM

## SEPTIMUM PONTIFICEM

*Leonardi Aretini prologus in phædrone Platonis philosophi maximi feliciter incipit.*

QUi laudant Sanctitatem tuam beatissime Pater, opus certe bonum ac pium agere pergunt. Sed contra tamen atque ipsi volunt, efficere videntur. Rem enim supra suas vires aggressi, cum magnitudini ejus parem praestare non possent, tantam audientibus illam videri faciunt, quantam ipsi verbis queunt referre, cum in veritate longe sit major. Ego autem summas ac veras laudes in ipsis operibus tuis abunde, Pater, arbitror, nec eloquentia omnino indigere, qui in summo fastigio rerum summaque licentia constitutus, ita salubriter omnia gubernas atque moderaris; ut universi homines probitatem ac sanctimoniam tuam magnopere admirentur.

Haec cum per se ipsa illustrissima sint, tum ea de causa magis elucent, quia exsolvantur magis a saeculo nostro jam, nec multis annis in ecclesiam Dei reduci posse credebantur, quae a te intra paucos menses summa cum prudentia videmus reducta. Te enim antistite nihil ambitionis, nihil iniquitatis, nihil omnino sordis auditur aut cernitur; tu omnem pompam, omnemque indignam potentiam repulisti; tu non vi nec armis, sed jure ac legibus valere voluisti;

sti; tu domus Dei accepto flagello, domum orationis reddidisti. Pro quibus profecto rebus universi fideles, si modo fideles esse volunt, optare debent te immortalem, si res ita fieri pateretur, ut oves Dominicae sub tam optimo pastore diutissime pascerentur. Sed cum inter ceteras tuas laudes doctrina sit quoque rerumque scientia, putavi fore non ingratum si aliquid studiorum meorum in tuo nomine ostenderem. Itaque rem pretiosam & valde luculentam, sanctissime ac beatissime Pater, ad te mitto, Platonis scilicet librum de *Immortalitate animorum*. Nam cum illum apud Graecos legerem, multamque in eo libro pie ac salubriter doctrinam intuerer; digna mihi res visa est quam in Latinum verterem, & tuae majestati destinarem, ut cui animarum salus & cura caelitus mandata est, iis intelligere possit, quid de immortalitate animae summus Philosophus sentiret.

Erit igitur hic liber, ut opinor, tibi viro doctissimo atque humanissimo non ingratus; ceteris vero omnibus valde utilis, cum ad doctrinam & intelligentiam, tum ad rectae fidei confirmationem; neque enim minima pars religionis est, quae ad animas nostras post mortem hominis pertinet. Qua in re licet christiana doctrina nullo indigeat adjumento, cum omnia usque adeo plena ac firma sint, ut in neminem penitus nisi omnino insipientem ulla dubitatio jam cadere possit; tamen erit ista non mediocris ad recte credendum accumulatio, si videbunt hominem philosophum ex omni gentilitate acutissimum ac sapientissimum idem quod nostri de anima sensisse: quanquam non in hac dumtaxat parte rectae atque verae fidei Plato sentit, sed in aliis multis, ut minime equidem admirer fuisse nonnullos, qui opinarentur Ebraeorum libros huic Philosopho non fuisse incognitos; cernentes enim tantam doctrinarum convenientiam, nullo pacto sibi persuadere poterant ut ex proprio sensu Platonem illa dixisse, sed aut a Hieremia propheta didicisse, cum in Ægyptum profectus est, aut in sacris libris, quos septuaginta Interpretes in Graecam linguam transtulerunt, legisse arbitrentur. Quod etsi temporum supputatio non patitur; tamen ex hoc intelligi potest id quod ego nunc ostendere volo, me scilicet eum Philosophum ad te mittere, qui a vera religione cui tu divino nutu præfectus es nequaquam abhorret, sed tantam habet convenientiam, ut fundamenta sententiarum suarum ex nostris libris putetur sumpsisse. Sed jam satis; ad interpretationem accedamus.

# LEONARDI ARETINI PRÆFATIO

## *IN ORATIONES HOMERI.*

Ex MS. Cod. Bibl. PP. Congr. Matris Dei Luc.

ADmirari nonnunquam soleo cum alia permulta divinitus apud Homerum scripta; tum illud in primis quod in tanta vetustate, jam tum dicendi gloriam & artem in honore fuisse ostendit. Nam & Oratores per Trojani belli tempora praecipuos nominat Ulixem & Nestorem; & Achilli adolescenti traditum praeceptorem asserit, quo dicendi peritus efficeretur. Id vero cum ita sit, ridere licet eorum assEverationem, qui a Corace, & Tesia Siculis inventum dicendi artificium tradidere, cum per Homeri tempora tam multis antea seculis oratorem jam cognitum fuisse appareat. Est enim Homerus antiquissimus graecorum omnium, quorum scripta legantur. Nam Lini quidem, & Orphei, qui Homerum antecedunt aetatibus vel nulla, vel admodum pauca, & ea ipsa incerta scripta circumferuntur. Denique illa quae dicuntur Orphei carmina Aristoteles non Orphei, sed Pythagoreorum cujusdam fuisse carmina existimat. Ex quo fit ut Homeri scripta pro vetustissimis habeantur. Ipse certe ita causas tractat: cum accidit ut ei sit Oratoris officium effingendum, ut non rudis & inchoatus, sed expolitus plane ac pene perfectus in eloquentia videri possit.

Nam & cernit acute quid sit in causa, & mature disponit, nec rationes modo affert ad rem probandam, verum etiam motus adhibet animorum. In qua una re maxime dominatur Orator. Illud praeterea in eo Poeta mirabile quod cum tria sint dicendi genera, unum subtile & pressum, alterum grande & concitatum, tertium inter haec medium, quod tum modicum, tum mediocre, tum temperatum vocitamus. Haec ipse genera & intellexisse prudenter, & servasse diligenter apparet. Ostendunt hoc vel tres Orationes uno contextu apud Achillem habitae. In quibus subtile illud dicendi genus Ulixi tribuitur, ac per omnia servatur. Grande vero Achilli. Mediocre autem Phenici. Ego ergo cum essem ab aliis solutus curis, quo me ipsum oblectarem, has Homeri Orationes oratorio more in latinum traduxi. Relinquens enim epitheta, quae propria poetarum sunt; oratori autem nullo modo congruunt, sententias ejus, & verba cetera servato eorum ordine solutam in orationem conjeci. Fecisse autem me probabiliter, gravitas ipsa, quae resultat ostendit. Neque enim si Poetam decet adjunctionibus uti, ut dicat mare navigerum, & terras fructiferas, & nive cava, & dentibus albis, & alia hujusmodi, propterea oratori ea decere permittemus. Nam poetae quidem multa conceduntur, quo in re ficta delectet, & quo pedes numerique facilius impleantur. Oratori autem qui est veritatis actor, hæc superflua verborum adjunctio, & fidem rebus, & auctoritatem prope minueret, ac puerile quoddam in re seria redoleret. Itaque cum Oratoribus interdictum sit illis uti, nec nos ea transferre in orationes solutam debuimus. Cetera vero sic a nobis servata sunt, ut nihil de suo ordine sententiisque perierit.

### ARGUMENTUM.

AChille irato, ac pugnare nolente, Trojani Græcos quibusdam præliis superatos in Castrorum munimenta compulerant, eosque per noctem obsidebant. Graeci autem tres Legatos mittunt ad Achillem maxima offerentes munera, rogantesque, ut arma caperet. Fuerunt autem Legati Ulixes, Ajax, Phenix; qui cum ad Achillem venissent, benigne ab eo suscepti, & ad mensam invitati prius cenaverunt cum eo, finitaque demum mensa orationem habuerunt. Erat vero indignatio suscepta ab Achille ob Briseidam puellam sibi per Agamennonem ademptam.

Cum apud Achillem cenassent legati, finisque edendi foret, Ajax Phenici annuit. Ulixesque intelligens dicendi tempus venisse, impleto vini poculo Achillem provocavit. Salve Achilles. Mensæ quidem epularum, (*sic*) qui nobis abunde fuit, & apud Atridem prius, & nunc apud te opipare accepti. Sed non epularum cura nobis est, o Achilles; sed illud maxime angit animum, quod nimis grande periculum intuentes dubitamus servari ne possint naves, an sint omnino periturae, nisi tu insurgas, & auxilium feras. Trojani enim elatis armis prope naves, & munimenta castrorum nostrorum castra ipsi posuerunt. Ignibus eorum omnia circumlucent, ajuntque repelli non posse, quin munimenta transgrediantur, ac naves invadantur. Textus Homeri incipit

Jupi-

Jupiter ab ulto coruscans prospera illis signa ostendit.

Hectorque magnus suis fremens viribus Jove confisus aperte furit, nec homines jam, nec Deos veretur: tam acris rabies eum invasit. Jactat enim, quod primum aurora apparuerit, naves se incensurum, Græcosque in ipsius incendii fumo necaturum. Ac vereor equidem vehementer, ne has illas minas Dii confirment, nobisque fatale sit in Troja procul a Patria diem obire. Sed tu insurge o Achilles; ac licet sero, tamen aliquando Graecos a tanto periculo conserva. Tibi enim ipsi postea dolor, ac pœnitentia esset, nec re confecta remedium hujus mali reperire posses. Quamobrem advenire debes, & priusquam clades accepta sit, quemadmodum cladem illam repellas cogitare. O generose certe puer Peleus quo die te Agamennoni misit, in hunc utique morem admonuit. Nate quidem mi, potentiam Pallas, & Juno tibi dabunt si volent. Tu vero magnitudinem animi pectore tuo compesce. Nam cum humanitate ac benevolentia in rebus versari melius est. A contentionibus vero absis, quae saepe ad res non probas impellunt; ut & apud seniores, & apud juniores Graecorum probatus magis, honoratusque existas. Ita te senex admonuit, tu vero oblitus fuisti. At saltem nunc desiste, atque iram, atque mentionem animi depone. Tibi Agamennon pretiosa dabit munera, si iram dimiseris, quae, quot, & qualia sint, ut ipsemet in tentorio suo repromisit, recensebo. Septem tibi tripodes dabit speciosos. Decem vero auri talenta, lebetes splendidos xx. Duodecim equos cursu vincere assuetos. Nec sane pauper, nec inops vir ille foret, qui tanta possideret, quanta hi equi premia sunt ex victoriis consecuti. Dabit insuper mulieres sex forma egregias, & operum gnaras, quas cum tu Lesbum cepisti, ipse sibi praecipuas delegit. Ad has insuper addit Briseydam ipsam, quam tibi abstulit, adjuratque persancte numquam se illam attigisse. Hæc omnia nunc statim dabit. Quod si Trojam expugnare Dii concesserint, tunc auro navem impleas usque ad satietatem licebit.

Et insuper mulieres xx. quae post Elenam pulcherrimae sunt Trojanorum, tu ipse accipies. Cum vero in Graeciam redierimus, generum te sibi esse vult, teque pariter ac Horestem existimabit, qui unicus ei filius summis in deliciis educatur. Tres sibi sunt Filiae Chrysostemis, Laodicæ, Iphianasse, earum quam velis deligas uxorem licebit, ac domum tuam adducas. Dos insuper tanta dabitur tibi, quantam nemo adhuc parens filiae tradidit. Septem siquidem urbes dabit Cardamylam, & Enopam, & Sacram Pyeliam, Pherasque opulentas, & Anthiam pinguem, pulchramque Epiam, & vinolam Epidassum, quae omnes Urbes prope mare sunt sitae non longe Apylo. Earum habitatores sunt tuo sceptro constituti, te velut Deum muneribus, donisque honorabunt, ac verebuntur. Haec tibi desistenti ab ira Agamennon adimplebit. Quod si te Agamennonis odium implacabiliter tenet, ejusque dona rejicis; at aliorum te Græcorum omnium respectus permoveat, eorumque laborum, periculorumque miserearis, qui te ut Deum honorabunt. Nempe magnam es hac re gloriam nanciscere, cum eo in loco sit Hector, & tam propinquus, ut congressum tuum vitare non possit, qui aperte furit, jactatque neminem Græcorum omnium, qui ad Trojam venerint sibi parem reperiri.

---

*Ad hunc respondens Achilles ita locutus est.*

OPorteret me quidem, o generose Ulixes, ad oblata suasionesque respondentem vestras, propositum animi mei praecise ostendere, ne postea vos mihi aliunde assidentes replicantesque, inanem verbis operam suscipiatis. Quod enim nunc dixero, id firmum denique, & immutabile permanebit. Nec ullum porro genus hominum magis odiosum est mihi, quam eorum, qui aliud occultant in mente, aliud proferunt in ore. Hos ego aeque ac stigias undas toto animo detestor. Dico igitur vobis aperte, neque Agamennonis, neque ceterorum Graecorum suasiones quicquam apud me esse valituras. Quippe cum gratia nulla habeatur pugnanti cum hoste, & si assidue nimium quis pugnaverit, aequoque in honore probus, atque improbus sit, parique in sorte degat qui multa gesserit, & qui ociosus, imbellisque perstiterit; nec mihi quicquam plus sit pro laboribus, & periculis, quos continuo subivi, vitam meam ferro, hostibusque obiiciens. Utique velut avis nidum habens nullam quietem capit, sed laborat assidue. & quod praedatur, ad pullos, ac nidum refert, nec quicquam per se retinet in eruminam, & macilentiam: sic ego plurimas noctes insomnes transivi, plurimos dies sanguine madentes peregi, atterens me praeliis & certaminibus commodorum gratia nostrorum. Navibus quidem a me oppida duodecim capta sunt. Terrestri vero pugna XI. Urbes circa Trojam expugnavi. Ex his omnibus praeda maxima, opimaque suscepta, cuncta ad Agamennonem retuli.

Ille vero in Castris sedens cum haec meis periculis parta suscepisset, maximam eorum partem sibi retinuit, pauca admodum impartitus est; quin etiam quae ceteris proceribus dedit ea salva sunt. Me vero unum Graecorum omnium praemio nudavit, ablata muliere, quae mihi ex praeda contigerat. Hanc igitur habens seipsum cum illa jacens consolatur, atque oblectat. Qua enim de causa quaeso cum Trojanis bella gerunt Graeci? Qua de causa Atrides hunc exercitum adduxit? An non gratia Elenae per Trojanos raptae? An igitur Atridae soli ex omnibus hominibus mulieres suas amant, ceteri vero non amant, vel potius, ut quisque nostrum opitulatus est ita maxime suam diligit, atque amat, ut ego illam diligebam ex animo quoque bello paratam. Cum ergo me per contumeliam nudaverit praemio atque deceperit, desinat experiri amplius, atque tentare. Mihi enim cognoscenti probe ipsum, atque ita scienti numquam persuadebit. Quare una tecum, o Ulixes, & cum aliis proceribus Graecis consultet Agamennon, quemadmodum naves ab hostili igne defendat. Et si multum suscepit post alienationem meam, muro castra circumdederit; latisque, ac profundis fossis munierit, stipitesque in terram crebros defixerit, aggeremque, vallum effecerit; ne per hunc quidem modum illas valebit ab Hectore tutari? At dum ego pugnabam una cum aliis Graecis, hic idem Hector, qui nunc tam insolenter se jactat, nunquam audebat a muris Trojanis discedere, nec longius progrediebatur in praelium, quam a porta ad arborem fagi. Quibus etiam locis cum me semel expectasset, vix manus meas effugit.

Equidem cras prima luce sacris Jovi, ceterisque Diis factis constitui naves implere, & in patriam reverti. Quod si prosperam navigationem dederit Neptunus, tertia die Phytiam me perventurum esse spero. Auri vero, & argenti, & mulierum satis superque habeo. Nam & domi multa reliqui hoc proficiscens, & hinc multa feram, quae mihi ab illis rapina supersunt: haec ita ut dixi Agamennoni referte, publicaque & aperta sit relatio, ut intelligant ceteri Graeci, atque caveant, si quem adhuc decipere cogitavit. Est enim impudentissimus semper in verbis. Nec tamen quisquam talis vultum meum aspicere sustineret.

Nec ego re, neque consilio sibi unquam adero. Satis est quod me semel fraudaverit, ac deceperit: proinde jam taceat, & pro sua stultitia secum ipse tabescat. Dona vero, quae affert, odiosa sunt mihi. Sperno enim illum, atque ejus munera; nec si decies, viciesque totidem daret, quod nunc possidet, nec si insuper multa cumularetur, nec si quid Ægypti, Thebae intra se habent ubi centum portae sunt,

& per

& per earum singulas viri ducenti cum equis & curribus egrediuntur, nec si mihi tot daret, quot sunt arena & pulvis, ab hoc me proposito dimovebit, prius quam poenas mihi omnes det, atque persolvat. Filiae vero conjugium nec volo equidem, nec recipio, non si illa cum Venere de pulchritudine certet, non si cum Minerva de operum artificio contendat. Alium sibi ille quaerat generum, qui sibi conveniat, & qui major sit me. Mihi quidem si domum incolumis rediero, uxorem pater Peleus dabit. Sunt vero per Acajam, & Thessaliam multae procerum filiae, quarum unam mihi eligere licebit animo meo congruentem.

At certe jam pridem impellit animus, ut accepta uxore mihi jucunda domi manens bonis paternis fruar. Nam vitae quidem meae nihil par existimare debeo, nec si tot sint pretiosae res, quot Trojani habuisse feruntur ante obsidionem Graecorum, nec si tot sint munera, quot templum Apollinis Delphici intra limen claudit. Etenim certa quidem talia sunt, ut reparari possint, ac rursus acquiri. At vita hominis nec redire potest cum semel amissa est, neque rursus reparari. Deaque Mater Thetis inquit duplicem fati viam mihi esse propositam. Nam si apud Trojanos manerem, versarerque in bello, reditum mihi in Patriam negarent. Ceterorum gloriam sempiternam fore. Sin vero in Patriam abirem, perituram mihi gloriam, sed vitae spatium longissime habiturum. Itaque ego aliis quoque suaderem Graecis, ut relicta Troja in patriam suam quisque revertatur, praesertim cum jam nullum belli finem discernant, fidentibus Trojanis, animisque eorum erectis. Quocirca Ulisses aliique redeuntes senioribus, quorum deliberatio haec est, dicite, ut aliud consilium videant pro tutela navium, & populorum salute. Nam quod adhuc secuti sunt, ut hic videlicet permanerent infenso me, ac pugnare nolente, nequaquam tutum consilium est. Phenix autem apud me maneat, cras ut simul naviget, si ei videtur; nam contra judicium animi compellere ipsum nequicquam velim. Haec ille cum dixisset finem fecit.

## TEXTUS HOMERI.

POst Achillis orationem silentium aliquod diu secutum est, admirantibus cunctis vim ejus dicendi, per quam adeo fortiter renuerat. Sero tandem Phenix ætate grandævus, verba ejus accipiens ita locutus est; lacrimis plurimis effusis quoniam de navibus valde sollicitus erat.

Si tu quidem, o splendide Achilles, abire statuisti, eaque sententia sedet animo, ne penitus Græcorum naves ab igne hostili defendas, iræque & indignationi parere mavis, & quonam ego postea modo sine te, o dilecte fili, hic remanerem? Me nempe tibi tradidit Peleus pater, qua die Phytia ad Atridem misit cum esses tunc admodum adolescens, & bellandi pariter discendique ignarus, per quas quidem artes viri gloriam nanciscuntur. Itaque ea de causa me misit, quo te hæc docerem, verborumque ut orator, & rerum ut actor esses. His ego rationibus a te relinqui non paterer, ne sine me Deus ipse spondeat ex hac senectute ad juventutem primam reducere.

Qualis eram cum primo Græciam dereliqui patris Amytoris indignationem fugiens, qui mihi Pellicis gratia iratus erat, hanc ipse Pellicem ita amabat, ut Matrem meam uxorem suam illi postponeret, ac posthaberet: Mater vero ea contumelia affecta me orare non destitit, ut cum ea Pellice rem haberem, quo Senem despiceret. Ego autem matri parens feci.

Pater vero hoc celeriter sentiens multa adversus me imprecatus est, stigiosque invocavit Manes ne unquam ex me filius gigneretur, Deique inferni Pluto, & Proserpina illius execrationem audierunt. Mihi post hac suadere nemo potuit ut irata Patre in aedibus remanerem. Nempe multum sodales mei, multum nepotes circa me consistentes precabantur, ac retinere pergebant, multaeque hostiae mactabantur Diis, multi pingues Vulcano adurebantur Sues, multum vini ex doliis paternis libabatur. Novem per hunc modum noctes circa me vigiles steterunt, per vicem custodiam, nec unquam ignis extinguebatur. Cum alter in aula, alter pro foribus Thalami arderet. Sed cum X. nox venisset, tunc ego clam aperto Thalamo, ac murum aulae perfacile transgressus aufugi latens custodes, & ancillas domesticas. Vagatus aliquanto per Graeciam tandem Phytiam ad Peleum Regem deveni. Is me libens volensque suscepit, amavitque unice, non secus ac filium Pater amaret, meque opulentum fecit, multo populo mihi tradito.

Incolui vero in extrema Phythiae parte. Dolopes sub mea ditione habens, ac te, o Achilles, tantellum suscipiens educavi ab ipsa pueritia, ex corde te diligens, cum tu neque ad mensam vadere cum alio, neque cibum aut potum suscipere velles, nisi super mea genua sederes. Quoties tu mihi vestes super pectora madefecisti vinum refundens in illa infantili educatione? Ita ego tibi multum laborem impendi, sic mecum statuens, ut cum Dii filios mihi non darent ex me genitos, te mihi filium facerem, quo indecentem aliquando a me interitum repelleres. At, hercle o Achilles, magnitudinem animi tui doma, neque enim te decet immutabile cor habere, cum ipsi quidem Dii mutabiles sint, quorum virtus, & robur, & honor longe magis pollet, hii tamen precibus hominum, placationibusque flectuntur, si qui primo peccaverint. Nam deprecatio ancilla est magni Jovis, clauda pedibus, & straba oculis, quae post offensionem incedens, tunc demum cogitat. Offensio autem celeris est, ac pedibus integra, eaque de causa longe antecedit, damna inferens hominibus per universum orbem, deprecatio autem sequitur postea; quicumque tamen ancillas Jovis reveretur, magnam ei postea utilitatem affert, exauditque ejus vota, qui vero eam rejicit atque repellit, ipsa postmodum ad Jovem profecta orat, ut simul cum offensione ad hujus damna incedat, quo ille poenas luat, ac perferat. Tu ergo, Achilles, Jovis ancillam reverere, quae & aliorum corda inflectit. Nam si haec dona, quae nunc Atrides offert non offerret, sed in proposito illo suo perstaret, non ego te iram deponere, neque Graecis quibusvis indigentibus auxilium ferre suaderem. Nunc autem cum tibi magna statim munera dare velit, & alia postmodum se daturum spondeat, virosque ad te miserit amplissimos, qui deprecarentur, eligens tibi amicissimos ex toto exercitu, horum tu neque verba neque preces contemnas. Nam primo culpandum non erat, quod iram suscepisses. Sic enim de clarissimis viris memoriæ proditum est, quamvis vehemens indignatio, iraque eos coepisset, tam & precibus, & muneribus sese implacabiles non praebuisse. Memini ego ejus quod nunc dicam, etsi non novum sit, sed jamdiu contigit: bellum inter Curetes, Etolesque acerrimum gerebatur circa urbem Calidonem; properabant enim Curetes urbem illam capere, atque diripere. Defendebant autem Etholii. Hoc malum inter eos Diana concitarat, irata quod sibi Thalesia pro frugibus Eneus Rex non fecisset; cum ceteri omnes Dii sacrificii suscepissent honorem, sola Diana inhonorata remanserat, sive ille oblitus fuerat, sive non putarat agendum. Ob haec igitur irata Dea terribilem setis, ac dentibus immisit aprum qui regionem Enei totam vastaret; hic & alia damna inferebat innumera, & arbores saepe radicitus evellens cum ipsis pomis ad terram prostrabat. Eum tandem aprum Meleager Enei filius interemit, venatoribus multis, & canibus ex finitimis urbibus ad hoc ipsum convocatis.

Nam tantus erat aper, ut eum numquam cum paucis hominibus domare potuisset; & qui antea conati fuerant, magnas reportaverant clades. Sed cum

peremtus esset aper, magnem rursus certamen, ac rixas circa illius caput, & seiosum tergum Diana injecit Curretas inter & Etholos. In eo bello quamdiu Meleager pugnare voluit, tandin Curetes deteriori loco fuerunt, vixque mœnia proprii oppidi tutabantur. Sed cum ira, & indignatio Meleagrum pervasisset, qui & aliorum quamvis sapientum profundis pectoribus saepe insedit, nec amplius bello gerendo interesse vellet, sed apud Cleopatram Uxorem in thalamo sedens moestus infensusque perstaret, tunc Curetes audaciam sumere, ac plus posse in dies coeperunt, & Calidonem jam ipsam oppugnare. Causa vero irarum haec erat. Altea mater ob mortem fratris Meleagro filio infesta, caput ejus horrendis imprecationibus detestata fuerat, genibusque procumbens, ac terram manibus pulsans, Ermem caeterasque infernas pestes in necem filii magno cum gemitu invocarat. Exaudierantque manes ab imis tenebris. Ob id Meleager iratus, ac toto corde infensus thalamo inclusus pugnare renuebat, & jam Curetes circa urbem strepere, ac mœnia ipsa, & portas magno tumultu quatere audiebantur.

Cives ad Meleagrum confugientes Patriam servare precabantur. Sacerdotes cum sacris ad eum mittebantur, orantes, ut assurgeret, atque arma caperet, & Urbem defenderet. Offerebant magna insuper munera ex uberrimo Calidonis agro, ubicumque vellet jugera quinquaginta suo arbitratu sibi deligeret partim nudam, partim vitibus consitam. Multum Eneus Pater senex ipsum precabatur stans in limine Thalami, ac fores pulsans, genuaque filio submittens; multum etiam fratres orabant, multum & ipsa Mater; sed obstinate persistens, continuo magis renuebat; multum etiam amici, quos ille & plurimos, & studiosissimos sui habebat, precabantur. Sed nec hi quidem movere ejus animum potuerunt. Dum hæc apud Meleagrum frustra agebantur, Curetes expugnata murorum parte, urbem intrarunt, & injecto igne cremare coeperunt, atque urbem diripere. Tunc Cleopatra uxor plorans exanimata virum adiit & deprecata est, narrans omnia mala, quae per hostes in urbe capta fieri consueverunt.

Viros, inquit, interficiunt, Urbem in igne deflagrant, pueros alii capiunt, & in servitutem adducunt. Alii puellas, & matres suas ad stuprum rapiunt. His demum Meleager excitatus surrexit, arma induit, impetuque in Curetas facto ex urbe praecipites egit. Sic ille quod prius malis, ac pulcherrimis muneribus acceptis facere renuerat, tandem sine ullis muneribus fecit. Sed tu nequaquam ita agas, o Achilles, neque te fortuna tua huc impellat, ut incensis jam navibus succurrere velis. Sed bona suscipe, quae tibi offeruntur. Te enim pariter Diis Graeci honorabunt. Quod si absque donis tandem pugnabis, & si periculum repellas, non tamen par gratia, atque honor tibi erit.

FINIT ORATIO PHENICIS AD ACHILLEM.

# POGGII BRACCIOLINI

## EPISTOLA.

### *SERENISSIMO REGI ARAGONUM POGGIUS.*

Ex MS. Cod Reverendiss. D. Martii Michell Cathed. Eccl. Lucen. Canonic.

CUm multa nuper egregia de tuis gestis, optime Princeps, fama ipsa & sermone hominum audissem, gratulabar aetati nostrae; gaudebamque eluxisse hoc tempore nobis aliquem, in quo superiorum Principum, qui jure boni sunt habiti, virtus & sapientia resplenderent. Nam cum eis quos his nostris seculis, vel audissem vel cognovissem, tum multa ad bene imperandum tum maxima doctrina defuissent, deplorabam persaepe rerum publicarum calamitatem, quibus tam raro boni Principes contigissent. Hanc inopiam & aliquoties in meis opusculis sum conquestus, & in eo maxime libello, qui nuper est a me editus *de Principum infelicitate*; neminem enim eorum conspiciebam, qui vel daret operam sapientiae, vel amaret sapientiae studiosos. Itaque dolebam doctorum virorum vicem, quibus nulla virtutis suae praemia essent constituta, neque ullus campus daretur in quo suum possent ingenium in aliorum laudibus exercere. De te autem plurima ferebantur, quæ mihi vestigia quaedam ejus quem optabam principis viderentur. Sed ea paulo erant nobis obscura, tum bellorum strepitu obvoluta, tum propter hominum in diversa pro affectu tua gesta interpretantium relationem. Nunc vero eam nostri a te oratores viri ornatissimae civitatis revertissent, ita multis verbis, ita exemplis pluribus tuam prudentiam regendi, virtutemque in administrando regno extulerunt, ut quæ audieram antea, parvulae, quaedam & pusillae prae his, quae recensebant, & pusillae esse viderentur. Nihil vero praestantius, nihil magnificentius, nihil gloriosius excogitari potest, quam quae ab illis sunt de tuis laudibus explicata. Vere enim te regem, & eo nomine dignum affirmant, cum id tibi sit propositum ut non propriæ, sed reipublicae utilitati, cum nihil tibi praeter laudem & gloriam quae virtutis praemia esse consueverunt, quaerendum ducas. Nam cum & distent reges a tyrannis, quod alteri ad communne, alteri ad proprium commodum suas dirigant cogitationes; tua prudentia reipublicae commodis & quieti solummodo consulit, id sapienter judicans nequaquam a communi bono tuum posse ullo modo esse sejunctum. Est haec excellens res atque ardua ita praeesse aliis, ut tuis laboribus, vigiliis, curis ceteri otium & requiem consequantur; ita omnium utilitati, & commodis consulere, ut abiicias proprii boni cogitationem. Sed nihil difficile ei qui sibi persuasit nihil nobis in vita praeter honestatem & laudem esse expetendam: quam viam qui doctrina, aut studiis literarum, aut naturae bonitate ingrediuntur, immortalem adipiscuntur gloriam, & pene divinam: hanc tu amplexantem minime mirandum est, cum virtutes plurimae quarum praeceptis obtemperas administer, comitesque existant rationibus tuis. Primum quidem exquisitam quandam esse justitiam aequitati conjunctam affirmant, quae veluti reliquarum est virtutum & rerum omnium publicarum fundamentum, cujus cum etiam permulta jam edideris summa cum tua laude & gloria, sapienter quidem faciens eam colere virtutem sine qua nulla imperia, nulla regna, nullae civitates, nullae respublicae, nulli hominum coetus, nullae neque publicae, neque privatae res possunt consistere. Tantam vero ejus virtutis vim esse sapientes volunt, ut ea virtutum mater reliquarum esse videatur; certe rerum publicarum tamquam animam esse affirmant; huic admixtam clementiam dicunt, atque humanitatem; gratissimam rem his qui sub alterius ditione vivunt. Dulce est enim patere profugium calamitosis, & errorum nostrorum, homines enim sumus, spem aliquam impunitatis esse propositam delinquentibus

tibus

tibus. Nam ita in multis offendimus omnes, ut nisi adsit clementia & misericordia, veniam aliquando erroribus præbens, desperatio quaedam vitae sequeretur, summo & inexpiabili in dominantes odio & malevolentia. Gaudet enim quilibet veniae locum esse, & cum regno perfectum, qui pœnam referat non ad maleficii vindictam, sed ad subditorum salutem. Plato quidem scribit eam legum mentem esse debere, ut ex animadversione cives meliores fiant. In quo elementiae vis est permaxima, si tamen delectus hominum habeatur; sunt enim quidam, in quibus clementiam servare summa esset crudelitas; non est elementia parcere facinorosis, aut scelestibus, sed punire, & communi prospicere utilitati. Illud quoque gratum est admodum populis, quod tuae aures adhibentur omnium vocibus, quodque te facilem praebes, etiam minimis, quamvis non sint habenda minima, sine quibus magna esse non possunt. Sed summam benevolentiam & gratiam conciliat patere ad te adhuc omnibus, & omni tempore audiri abs te subditorum preces & querelas; nulla arma, nullos satellites latus custodire, nullas timere insidias; dignitate superiorem, humanitate reliquis parem esse. Arces tuas in quibus reliqui firmissimum ponebant præsidium patere aditum omnibus: magni id animi & singularis virtutis opus: magnum quidem est vitae praesidium in virtute, qua quis munitus est vitam securam degit: etenim quid timere debet is quem nulli timent? non sceptro aureo aut eburneo stabiliuntur imperia, sed benevolentia & amore, & id sapientissimi regis opus, malle diligi, quam timeri. Timor namque solet subditos efficere ac reddere inimicos, cum nulla res gravior eis, quam timor continuus, existat; quo fit ut nemo velit diutius timere; cum vero quem diligant cupiant imperio esse, & vitam exoptent longiorem. Adjiciunt superioribus liberalitatem & beneficentiam, quibus virtutibus nihil naturæ hominum accommodatius Cicero noster ait. Hæc præ ceteris reges decent, & spectant ad benevolentiam comparandam. Quid enim amabilius, quid delectabilius, quid pulchrius quam opem ferre quamplurimis, & in summa rerum copia esse minime opulentum? Cirrus ille superior a Zenophonte celebratus cum a Lydorum rege reprehenderetur quod nihil in thesauris haberet, essent autem regibus maxime necessariæ: ostendam, inquit, infra paucos dies quantum auri possideam atque argenti. Missis nuntiis ad Satrapas, & Præfectos suos, quos Provinciis praefecerat, rogavit ut quantum quisque auri posset ad se deferri curaret. At illi magnam vim auri miserunt, ita ut opinionem regis superaret. Coacervatim unum in locum ostendit regi; quo conspecto, obstupuit ille cum multo plus esset, quam quod a Cirro coacervari potuisse arbitraretur. Remisit autem statim aurum dicens, se thesaurum habere absque custodiendi cura, & molestia servandi. Ita Rex sapientissimus maximum thesaurum esse existimavit ditare quamplurimos, & benefitio suo amicos reddere opulentos. Nam cum in omni conditione & statu, tum praecipue regio, cumulandi solicitudo & avaritia culpanda est: inanis est cura & stultitia non parva omnia possidentem partem aliquam velle percipere. Continentiam vero, temperantiam, innocentiam mirabilem in te esse praedicant: nemini in regno vim inferri: nemini injuriam fieri: leges valere & armis esse superiores. Itinera quæ antea a latronibus infesta erant, tuta esse ac parata: securitatem omnibus esse propositam, compressam licentiam militarem; latrocinandi consuetudinem ablatam; nihil agricolis, nihil cuiquam pacato eripi: quae sola res tibi praestat nomen immortale. Te tamen tamquam cælo demissum ad eripiendos populos de tyrannorum, ac praedonum faucibus, quibus prædæ erant; admirantur, cum optata quiete, cum summa fruuntur libertate vivendi, æquam esse omnibus justitiæ legem. Sed quoniam reliquarum veluti auriga & moderatrix virtutum dicitur etiam prudentia; haec enim earum usum docet, & quatenus sit progrediendum nostris actionibus praescribit: adjunxit tibi longus rerum usus & experientia longior vivendi magistra, tum in capiendis consiliis, tum in perficiendi studio prudentiam singularem. Regis quidem omnes summa temperantia & animi moderatione, summa pietate veluti bonus parens prospicis communi saluti; nullum dictum insolentius, nullum superbius factum, nullus arrogantior gestus; rarius imperas, ut libenter pareant: ita illi serviant, ut nihil timeant; amare enim illos notissime docuisti: magni profecto consilii est, & animi bene ad juventutem instituti, diligi a suis quam timeri malle, & id assequi, ut tibi magis subesse velint, quam aliis praeesse. Quid loquar de affectione quam habes ad publicam pacem omnium, cum te regem pacis appelles: magnum nomen, & quod omnia imperia superet, omnes excedat triumphos! Ingens haec est laus, & nescio an macula ulla esse possit. Certe nulla res mortalibus est salutarior, nulla gratior, nulla sanctior: ita illius sola commemoratio jucunda est, ut ejus sola homines conquiescant. Hac nominis significatione ostendis id quod a sapientibus dictum est, bella suscipienda esse ut in pace vivamus; neque enim bella nisi spe pacis suscipienda sunt. Iniquus est enim, & reprobus, qui bellum ex bellis fecit. Itaque si in hac, tam digna Rege, voluntate perseverabis; id opere repraesentans, quod significas, videbis omnium, qui unquam fuerunt virtutes, & gloriam superabis. Xenophon doctissimus vir atque elegantissimus, Cyri, cujus antea meminimus, vitam pluribus voluminibus complexus describit justi Principis mores, officia, virtutes; multas ei tribuit laudes, tum armis tum pace partas, nihil omittens eorum, quae in optimo Principe reperiuntur. Eum librum, Cicero ait, Africanum superiorem semper in manibus habere esse solitum; & ipse asserit se totum id volumen legendo contrivisse, & certe omnia benevivendi accepta, omnia honestæ vitae instituta, omnes virtutes, quae ad Reges spectant, illo Opere continentur. Sed ut ipse Cicero testatur, non ad veritatem historiae illa, sed ad normam justi imperii conscripta. Ita non quid Cyrrus egerit, sed quid agere justus Princeps debuerit Xenophon prosecutus est. Idem Agesilai laudes ita refert singulatim atque extollit, ut potius orationi & ingenio scribentis, quam virtuti Agesilai tribui videantur. Nemo unquam melior, nemo sanctior, nemo sapientior potuit describi. Nactus est ille hominem disertissimum, qui ea quae obscura erant ac tenuiora, verborum sententiarumque lumine illustraret, & re parva verbis augendo faceret maxima. At vero tuas virtutes si quis mandare literis voluerit, nulla fictione, nulla simulatione, nulla exornatione egebunt; veras laudes, veram gloriam inveniet, in quibus scribentis ingenium, summa cum gentium approbatione longe poterit, lateque versari: sunt enim in conspectu omnium posita tua praeclara facinora, & ea ita eximia, ut potius de veris virtutibus quis aliquid omittat, quam queat aliquid fingendo addere. Non enim ficta, sed vera, non ignota sed cognita, non audita, sed perspecta virtus, & quae in oculis omnium versetur, amplam scribendi materiam suppeditabit. Divum augustum inter optimos Principes historiae referunt, ac felices; & sane postquam solus imperavit & Pisoni pepercit, summa moderatione & aequitate animi usus est. At bello postquam civili, multorum sanguine civium, proscriptorum bonorum direptione, quibus ut vinceret, juventutem exercuit, non effugit maculam crudelitatis. Impius quidem fuit in patriam, quae cum se adversus Antonium armasset, contra jus, fasque, nefaria in eam arma, inita cum Antonio societate, convertit. At tuae res gestae & regnum adeptum omni caret labe crudelitatis; nullus effusus a te sanguis, nulla civium proscriptio, nulla direptio bonorum, nulla caedis vestigia visa sunt. Victoriam ipsam, quae natura sua insolens & superba est, tua humanitate vicisti; adversariorum injurias tua clementia superavit, cum bonis restitutis

eis pepercerls, quibus jure victoriae juste poteras irasci. Trajanum & .n. ac Aurelium, Antoninos, antiquitas ut bonos Principes laudavit; neque immerito; ex his enim, qui hactenus inter Gentiles imperarunt, virtutibus & imperandi modestia principatus eis tribuendus videtur. Sed tamen nullus ex ipsis fuit, in quo non plura desiderarentur. Tibi vero adesse videmus omnia, quae in Principibus commendantur, justitiam, clementiam, humanitatem, prudentiam, liberalitatem, ut nihil desit, quod justi imperii ratio requirat: tu pacem, tu quietem, tu otium omnibus concessisti; tu, securitate firmata latrocinandi licentiam militibus abstulisti: quare nescio an quid aliud gratius & acceptius populis esse possit. Quid est enim aliis in locis, in quibus hae gentes armis deditae versantur, quod quisquam, tanta est latrocinandi licentia, proprium suum ducat; quare nescio an quid infelicius possit hominibus accedere? Tu vero id tua virtute effecisti & severitate vindicandi, ut quilibet manus abstineat a rapina, ut puniantur raptores, ut vindictae judicioque subsit violentia, ut denique securius nunc in campis homines, quam in urbibus quondam, aut privatis hospitiis, degant, ut seculum hoc tuum aureum dici possit, quo sublatis militum terroribus pace fruantur omnes, quiete & securitate laetentur. Astraea ipsa, quae quondam propter iniquitates hominum in caelum migrasse dicitur, ad regnum tuum jam revertisse videatur. Non loquor adulandi causa, quippe qui nihil a te sum postulaturus; & id vitium longe a me semper abfuit. Equidem judico id summam mihi attulisse felicitatem, nostris temporibus talem Principem versari in terris, qui doctorum hominum parens existimetur, qui talibus resplendeat virtutibus, ita ut rari hucusque fuerunt, qui vel paulo tolerabiliores existerent, ut portenti loco videatur bonum Principem reperire. Sed omnia praeclara rara. Fuit antiquis Principibus summum literarum studium & doctrinae: at nostri tum Reges tum Imperatores in Scithiae urtem videntur profugi, ignari prorsus quantum conferant literarum studia ad excolenda instituendaque ingenia eorum, quos Deus aliorum regimini tutelaeque praefecit. Inventi quidem sunt nonnulli, qui. . . . . . natura & ea egregia evasere excellentia viri ad excolenda virtutis officia. Sed rarum id arte atque difficile; neque enim amplecti virtutem facile potest, aut ejus praescripto vivere, qui nesciat, quid virtus, existat una an plures, differant an idem sint, quod cujusque officium, quatenus exercendae, qua ratione in campum & in actum deducendae; quae omnia tum excellentium virorum tum & doctissimorum hominum literis & doctrina, percipiuntur. Arduum videtur profecto quempiam posse virum egregium evadere, & omni cumulatum laude, qui literarum studia contemnat. Itaque maxime laudanda & extollenda videtur tua sapientia, quod virtutes tuas multo usu & laboribus partas, doctrina & multarum lectione rerum amplificare atque ornare voluisti. Nam ab his, qui tecum vivunt familiarius cognovi, quotidie aliquid temporis te literis impertiri, & doctorum hominum vocibus, atque eorum familiaritate recreari; idque quod est praeclarissimum delectari admodum priscorum sapientissimorum gestis; & ea veluti exemplar ad imitandum tibi esse proposita. Sed ut suspicionem adulandi effugiam, constituam mihi finem dicendi, & te solum ad imitandum hortor. Sed eum omnes virtutes colas, hortor per omnipotentem Deum, ut ad humanitatem, clementiam & liberalitatem velis esse propensum, quae virtutes ita gratae populis esse solent, ut firmamentum regni praecipuum stabileque esse dicantur, nullae ejusmodi Principibus insidiae, nullae simultates, nulla odia, nulla sunt pericula extimescenda.

# ANTONII PUCCI TUDERTINI

# ORATIO

*Edita per Antonium Tudertinum.*

Ex MS. cod. Reverendiss. D. Martii Michelis Cathedr. Eccl. Luc. Canonici.

MAximum, & amplissimum munus M. D. Optimates Nobilissimi, hodierno die ad me delatum video. Cum de justitia, & de gubernanda Republica dicturi sumus. Num haec tantum in se ponderis habent, ut nedum eloquentissimum, doctissimumque Oratorem, verum etiam philosophum sapientissimum, ut Platonem ut Aristotelem exposcere videantur: nulla enim virtus est inter mortales, quae majores vires habeat ad Rempublicam conservandam, atque tuendam, quam ipsa Reipublicae recta & aequa gubernatio, quam justitiam sapientissimi viri appellare voluerunt; cujus formam atque venustatem si perspicere liceret, tanquam in divinum numen conversis oculis ejus amore omnes homines caperentur. Nam & Lucifer, & Sol, ceteraque sydera hujus splendore vincuntur. Hinc est quod prisci illi prudentissimi viri tot fasces, tot honores, tanta ornamenta, tantam pompam, ut Littores, ut Apparitores, ut insignia, subsellia, sedes, nostras regias aedes huic instituere, atque dedicavere: huic Praetores, huic Tribuni, huic Reges, Ædiles, Augures, Consules, Senatores tanquam ministri operam & officium suum impertiuntur. Quae profecto si e media hominum societate tollerentur, nulla domus tam magnifica esset, nullum praesidium tam munitum, tam opulentum, nulla urbs tam clara, tamque potens, nullum regnum tam amplum, tam splendens, quin in ultimam pernitiem dilaberetur. Hinc infensissimae civium & apertae inimicitiae, hinc rapinæ, hinc stupra, & adulteria, hinc incestus & incendia, hinc Deorum immortalium contemptio, hinc nefandae cædes, hinc civium strages perpetrantur. Hinc est quod innumerae, & potentissimae urbes Meciae (a) ut Micenae, ut Thebae, ut sapientissimae illae Athenae, neglecta justitia, in fumum, & in cinerem abiere. Ex quibus quidem reliquiæ fundamentorum fere atque vestigia propter civium dissensionem, & injustitiam remanserunt. Si vero haec virtus in urbibus colitur, servantur Lares, Dii Patrii venerantur, Arae Deorum muneribus implentur, hostiae Diis mactantur, laeta jucundaque libertate Cives fruuntur. Exultat universa Civitas, hostes propulsantur, regna fortiter tuentur. Summus Deus noster, ut sacris in libris legitur, cum populus ejus justitiam, & mandata divina servabat, omnia illi secunda tribuebat; cum vero secus agebat, multis calamitatibus, nunc fame, nunc ferro, nunc peste afficiebat, & regnum Regibus quoque cum vita auferebat. Hoc in Rege Saule, & Salomone & multis aliis regibus perspicere licet; quamquam Salomoni propter pietatem David Patris sui unam dumtaxat Tribum dimiserit. Sed quid opus est tam remota, & tam externa exempla pervagari, cum ante oculos pervulgatissimum atque clarissimum exemplum in Latina regione habeamus? Audistis, ut arbitror, cives nobilissimi, atque acceptissimi ex annalibus, & a majoribus vestris, Romanam Urbem, quae in conspectum vestrae Urbis, ut ita dicam, po-

(a) al. Græciæ.

sita

fita est, totius orbis terrorem olim Imperium habuisse. Nunc aut propter Civium injustitiam atque dissensionem, amisso omnium rerum imperio, in opprobrium eorum, & miserabilem conditionem redactum esse videtis. Nam postquam cives ob invidiam, & dominandi superbiam contra se se gladios civiles converterre, necatis bello civili ultra quinquaginta & centum millibus civium paulatim imperium decrescebat. Et nec tributa a Regions, & populis amplius exigebantur, nec exercitus contra eos, qui a fide populi Romani desciverant, mittebantur. Deus immortalis quis hominum est tanta ingenii tarditate obtusus, tam mollis, tam effeminatus, qui si opes, si divitias, si splendores, si apparatus, si imperia, si triumphos Romanos primum contempletur; demum si rapinas, si stupra, si dilacerationes urbis, si disjectos triumphos, si demolitas regias aedes, & Deorum templa, non oculos ponat, non obstupescat, non cupiat, non ardeat, ut Horatius Cocles civis Romanus pro Patriae salute se totum exponere? non concordiam, non justitiam colat? non Aristidis aequitatem, qui in senatu, inquit, Rempublicam Atheniensium, totius fere Orbis terrorem, numquam salvam esse posse, nisi se, & Demosthenem in baratrum ejicerent, concupiscat? Habetis cives praestantissimi toto orbe terrarum patriam nobilissimam. Nam in omnibus partibus suis haec urbs praestantissima est; habet enim cives quamplurimos & ingenio & moribus, & splendore rerum clarissimos; habet agrum latissimum & uberrimum, multis urbibus dominantem, bonas artes innumeras, plateas latissimas, viasque pulcherrimas, domos & templa magnifica, latis altisque muris tamquam insigni corona pracincta; habet præterea suburbana, & villas ita magnificas, ita omnium voluptatum usibus plenas, ut Paradisus haec loca, non villae appellanda sint. Nemo est profecto ea peregrinis gentibus, qui hanc urbem propter sui pulchritudinem non amet, non admiretur, non extollat; non denique judicet omnium bonorum atque voluptatum copiosissimam, opulentissimamque catare. Cujus laudes, atque præstantiam quisquis uberius percipere cupiat, Leonardum Aretinum hac tempestate Oratorum principem de laudibus Florentinis legat. Nam hic & Orator, & Philosophus postquam splendorem, ac præstantiam hujus urbis animadvertit, copiosissime laudes ejus explicavit; & ita ornate, ita graviter, ita copiose hujus excellentiam laudavit, ut etsi nunquam Florentinas historias scripsisset, pro hac laude, in vita multa præconia, multas coronas, in morte statuas & in foro & in curia erigere deberetis. Quis igitur optimatum est, qui noctu, dieque justitiam, & optimam Reipublicæ gubernationem meditari, & exquirere non debeat, ut Patriae gloriam, sibi splendorem atque libertatem, & posteris clarissimam hæreditatem comparet? Parva profecto, parva argenti, atque auri pondera pro ipsius Patriae dignitate fuerunt, eaque ad ipsam tuendam, atque conservandam consumpsistis: omnes labores, omnia discrimina, omnes cruciatus, omnia denique mortis genera adeunda sunt, ut hanc tam clarissimam urbem servetis; ne hujus jucundissimæ possessionis habitacula hostis occupare possit. Itaque cum noveritis primo excellentiam, & justitiæ emolumenta, injustitiæ vero detrimenta, capessenda toto animo justitia, judicandum graviter, prudenter atque sapienter, & odia civium, quae perplurimas urbes funditus everunt, omni industria, omnibus viribus extirpanda, puniendi homines nefarii, detrudendi in carcerem, impii tradendi tortoribus, perfidi & proditores aut necandi, aut ex urbe pellendi: Seditiosis quoque in Republica, ex quibus dominandi superbia extat, exquisita pœnarum genera, & inauditos cruciatus statuere. Decet autem servare innocentem, bonos fovere, tueri humiles, justos extollere, & praeconiis ingentibus honorare: & concordia quoque splendidissima illa virtus, quae divitias, quae regna, quae Imperia comparat atque tutatur, seminanda inter cives, atque colenda. Deus immortalis, quid clarae, quid potentes virtutes sunt, Justitia, atque Concordia; cum nec sydera, nec orbis terrarum, nec humanum divinumque genus durare possent, si justitia, & concordia non moderarentur, atque tuerentur? Adducerem M. D. Optimates praestantissimi, plura etiam clarissimorum virorum exempla, atque rationes ad gubernandam disponendamque Rempublicam. Sed longius forsan, & praeter multorum audientium voluntatem progrederer, cum diu haec res hoc in loco a sapientissimis viris graviter, sapienterque agitata sit. Praeterea novi sapientiam, novi acumen ingeniorum vestrorum. Nam cum animo, & cogitatione animadverto quanta bella, quantum hostem, & quod diu haec civitas hostem infensissimum passa sit; & quod non solum ærarium exhaustum fuerit, verum etiam omnes cives, omnes fere pecunias, multaque pretiosissima supellectilia pro tuenda Republica exposuerunt: non solum sapientiam vestram admiror, verum etiam miraculi loco esse duco, adhuc imperium hujus urbis, ne salvum dicam, sed intactum esse. Multae sunt profecto, cives clarissimi, laudes vestrae propter fortitudinem. Multa certe essent praemia, ac statuæ omnium Optimatum propter sapientiam, multae coronae civiles. Sed temporis angustia, & orationis prolixitas relinquere me illa cogit. Verum illud nullo modo praeterire possum, quam recte, quam aeque, quam juste superiores Domini gubernationem urbis administraverint, quod neque timore, neque amore tanquam fortissimi bellatores ulla in re unquam flecti potuerunt. Laudari itaque ac admirari magnopere debent; etsi de more essent statuae, omnibus erigendae forent. Decet igitur vos M. D. qui in praesentiarum eundem magistratum adiistis, omni labore, omni industria, omnibus denique viribus superiorum Dominorum gesta pro dignitate vestra imitari, ut Patriae gloriam & utilitatem, vobis nomen aeternum ac laudes immortales adipiscamini. Nunc cum tantum de his rebus, quae meorum pretium sunt disero, finem me omnino facturum polliceor. Illustrissimi Domini, ac Sapientissimi Patres conscripti, ceterique cives, homines prudentissimi cum a vobis omnibus hoc tam praeclaro magistratu, quo nunc fungor, ornatus sim, longe beneficii immemor viderer, si saltem signa aliqua gratitudinis erga vos non exprimerem. Vellem profecto Patres Conscripti vestri gratia multae mihi essent militum copiae, multae urbes, latissimumque agrum, ut urbi huic vestrae foveas, acies praesidiaque maxima ad propulsandos hostes vestros jungere possem. Non sum tanti, non haec merui. Sed quidquid in me est, & quidquid ego possum, illud omnemque industriam meam, omnem laborem, omnia discrimina ad ipsam usque mortem pro salute hujus Imperii polliceor; utimini me pro voluntate vestra. Nulla res tam magna, tamque parva esse posset, quam aut difficilem, aut me indignam existimarem; omnia mihi facilia, omnia honesta videbuntur: & haec non solum Reipublicae vestrae polliceor, verum etiam privatim omnibus Laribus, omnibus Civibus. Est praeterea Rex noster vir illustrissimus hujus vestrae urbis amantissimus, illum, obsecro, amate. Scitote hunc ad omnia officia vobis impertienda paratissimum fore.

F I N I S

JOAN-

# JOANNIS DOMINICI MANSI
## IN SEQUENTEM EPISTOLAM
# PRÆMONITIO.

*Post obitum Philippi Mariæ Angeli Mediolani Ducis, cui urbs Placentina parebat, cives ejusdem ad Venetos accesserunt, eorumque dominationi se suaque omnia sponte submiserunt. Exitio id fuit Civitati & populo; nam Franciscus Sfortia Vicecomes Mediolanensium Dux valido comparato exercitu statim accurrens, urbem Placentinam arcta obsidione cinxit, variisque secundis præliis attritis obsessis, tandem, subito facto impetu per mœnia Urbis, apertamque ultro ab uno ex Thadæi Marchionis Estensis portam, undique in eam irruptio facta est. Miseranda tunc expugnatæ urbis rabies, cædes, sacrilegia, sacrorum prophanatio, quorum lacrymabilem descriptionem hic habes in epistola a quopiam scripta, cujus nomen & Patria avulso in codice folio ignoratur.*

---

# EPISTOLA RESPONSIVA
## CANONICO PLACENTINO,
## *ET EJUSDEM CIVITATIS CIVI, SUPER URBIS STRAGEM.*

Ex MS. Cod. Bibloth. PP. Matris Dei Luc.

SUper miserando ac cunctis seculis inaudito Placentinae tuae Urbis excidio adscribere ad tui solamen tuorumque concivium me tuae venustissimae precantur literae, ipsius exitii flebilem narrantes historiam, quam pro dicendi materia pene tuis usus verbis hic primum interseram, nullum notando nominatim ne pater, non tam solari miseros, quam lacerare scelestos. Igitur ut ex scriptis tuis colligitur, anno ab ortu Dominico 1447. XVI. Kal. Decembris miserae Urbis mœnia hostilis irrupit exercitus, ipsamque totam Sacomano exposuit: captivi ducti fuere hinc inde viri, adolescentes, ephebi, pueri, infantes, & decrepiti, religiosi cujuscumque gradus & sexus diversis adeo cruciatibus affligendo, ut mors ipsa tantum mortalibus invisa, vita tali jucundior suaviorque haberetur. Praetereo adolescentulas tam scelerate corruptas, captivatas, & ab armigeris asportatas, nec non adolescentulos, in quibus sic injuriose immaniter ac nepharium sodomiae vitium expletum est, ut illud antiquum Sodomae & Gomorrae ad comparationem hujus sacrificium quoquomodo fuisse affirmare audear.

Hic non contenti religiosos omnes cujusvis conditionis captos verberibus innumerabilibus caedunt, in compedibus sine cibo & potu detinent, ad torturas eculeosque configunt; in religiosas ac devotas cujuslibet generis stupra ac sacrilegia exercent; ac inexcogitatis tormentis in tantum insaeviunt, ut & Neronis & Domitiani, Datianique atque Maxentii nec non ceterorum Imperatorum sive Praefectorum crudelitate crassantium tormenta nedum aequaverint, verum & cumulatissime superarint.

His omnibus omissis, ac etiam domorum fere omnium ruinis sepositis, Deum ac Sanctos non verentur: ingrediuntur divina oracula, ad terram altaria costernuntur, ecclesiae & monasteria utriusque sexus ligone sulcantur, effodiunt sepulcra & penitus destruunt. Restat & aliud tremendum facinus, & cunctis seculis memoria retinendum:

Corpus namque B. Justinae Virginis & martyris, quod in Ecclesia nostra majori venerabatur ab omnibus, cum reliquiis multorum Sanctorum asportantur & pedibus conculcantur. Organa, Sacristiae missalia, calices, cruces mucronibus fractae fuerunt; & sanctum baptisma violatum, maculatum & denigratum pollutis manibus; ac insallatae in cœna ab ipsis diabolis oleo sancto confectae fuerunt, & derisorie commestae: Corpus Domini nostri Jesu Christi sacratum de tabernaculo extractum, quod magis est omnibus supradictis, dilaceratum est, & ferreis instrumentis perforatum, dum esset in terra, & ab aliquo alteri traditum derisorie ad comedendum. Quid plura? postquam omnia conculcarunt, devastarunt, rapuerunt, & cum suppliciis taliae exiguntur a nihil habentibus, viris religiosis quoque & monachis, ita ut cogantur miserrimi ac mœstissimi, quibus ditissima res mors esset, discurrere per alienas aedes & urbes ad se suosque vinctos redimendum. Hucusque tragaediam lugubrem ornatissime tua est epistola prosecuta.

Heu me virorum miserrimum! Cur non jam primis annis mortuus fui? Cur non animo luteum, & jamdiu languorum arietibus quassatum corporis evasit carcerem, ne infelices aures ista transfoderent? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte ab aeternis temporibus inaudita facinora? Utinam essent in me illa viscera pietatis, profecto dicere possem: corrui cum audirem, conturbatus sum, cum viderem, emarcuit cor meum, tenebrae stupefecerunt me. Babylon dilecta mea posita est in miraculum.

Quod si haec Propheta pius super invisa & inimica Dei civitate deflebat etiam antequam evenirent, sola futurorum longe post revelationem tremefactus & caligantibus oculis tenebras passus. Quid ego super urbe carissima non jam in posterum, sed de praesenti tam atrociter excisa, quid rogo, quid faciam? Nunquam in aliqua mundi parte expertus sum homines tam benignos tam pios, tam pro Deo zelantes tam infatigabiles. Sed quomodo tractaverunt nefarii Sathanae satellites tanti meriti viros? Praeda publica facta urbs est. Stupra, incesta, flagitia, sacrilegia quis exprimat? Sodomiticum foetorem exhorreo, corporum cruciatus audire non valeo. Sed in his fortasse vel infanda luxuries, vel inexcusabilis avaritia reddat excusatos. Esto, fors enim & ad foeda voluptas, & ad dira cupiditas impellebat. Ceterum

quis

quis ferat a Christicolis tam immaniter temerata solemnia? Numquid vel a corpore martyris vel ab Eucharistia sacrosancta aurum excutere cogitabant, vel illud calcibus tunderent, hoc ferro confoderent? Horrescunt aures, meus hebet ista revolvens.

Quid quaeso fatur, homines erant isti an daemones? Conferamus eos si placet maligoissimis & hominibus & daemonibus, ac sceleratissimorum maximis, & videbis eos infausta flagitiorum gestare trophaea. Ab initio Mundi usque nunc solemnium Historicorum aliquanta peteniri; nunquam, Deum testor, talia legisse me memini, non hoc fecisse Assyrios, non Chaldaeos, non Persas, Medos, Parthos, Scythas, Ethiopesve, non Macedones, aut Poenos, ad extremum ne ipsa Danielis crudelissima fera, Romanum imperium, dico, tanta fecisse describitur. Haec ipsa Martyrum membra ferreo dente contrivit purissimam Virginem martyremque Justinam: quidam tortor suppliciis rimans excussit spiritum, cadaver reliquit intactum. Hoc vero carnificum novum genus exanime corpus & tale corpus sacratum quippe conculcat pedibus calcibusque tundit.

O Beatissima Justina, te bis martyrem facere voluerunt! Inter flagitiosissima ab exordio mundi facinora, illud primatum tenet, quo Deus interfectus est, sed hos non impares quin & videbis proximare facinore. Judas argento magistrum prodidit; hi ut cupidiores, ceu fama pervolitat, auro Christum vendiderunt: Pilatus, Cayphas, livorque pharisaeus Salvatorem cruci affixit; hi, quod dictu horror est, ipsum ferro transfodiunt, tanto utique nequiores, quanto illi mortalem Deum, immortalem isti impassibilemque transfigere non verentur. Obstupescite caeli super hoc, & omnis terra tremiscat. O immensa Dei clementia, o inexcogitata patientia! Cur non tunc caelum dedit, & hiscens terra nefandos homines in chaos absorbuit, qui utique omnes anteriores superavere flagitio! Videamus an forte Daemonibus conferantur. Certe sacra scriptura, ut Jacobus testatur apostolus, daemones credunt & contremiscunt. Quis enim audacissimorum malignissimus daemonum sacrum Christi corpus auderet contingere? Quis olera cruda oleo sacrato perfundere? Ergo isti atrocitate cunctos vicerunt homines, superarunt Daemones. Tu eos diabolos nominasti, recte quidem sed imperfecte, debueras archidiabolos appellare; nullus enim pessimorum spirituum hoc facere praesumsisset. Heu heu frater, ad qualia tempora devenimus, ut homines iniquitate diabolos vincant. Unam controversiam, quae inter quosdam aliquando nostrorum ventata est, enormitate scelerum definisse videntur; quam ut intelligas, noscere debes, quod de singulis Angelorum ordinibus, instigante dracone, sic illum quippe scriptura notavit, plurimi corruerunt, qui quanto sublimiores erant in gratia, tanto profundius in poena mersi sunt; sicut & res quaelibet communius quo ab altioribus venit, eo profundiora pertransit. Dicunt ergo quidam ad nullorum daemonum aequalitatem, quosvis homines perducendos, cum hominis malitia diabolicam non aequiparet, & per consequens ab aequissimo judice damnatio mitior irroganda sit: aliis e diverso contendentibus ad spirituum singulos damnatorum ordines homines posse rapi, cum non sit amborum nequitia dispar, immo nonnumquam excedit homines. Hanc sententiam Chrisostomus tenet, quam & Thomas non abnuit. Hanc per omnia vera esse, urbis tuae persecutor atrox non verbo, sed ense declaravit. Igitur immanissimorum duces scelerum, non jam ad infernales Principatus, Dominationes aut thronos, sed in ipsa merguntur tartarea Cherubim atque Seraphim; ubi quanta sit doloris atrocitas, quanta tormentorum immensitas, quis mente concipiat, ne dicam ore quis exprimat. Nec tamen illos putes ad hoc subito rapiendos; oportet enim eos primum in hoc mundo extrema perferre malorum, ut sic ad decorem divinae justitiae afflicti & cruciati coram oculis hominum, sedibus tandem tartareis intrudantur. Plerumque enim in tantum excrescit hominis malitia, quam in divino examine aeterna damnatio illi sufficiat, minime judicatur. Sed hic infert immensa supplicia, & illic irrogat sempiterna, & in talibus impletur precatio sancta Hieremiae, qua ad Deum clamat, duplici contritione contere eos: quod se facturum eidem Prophetae, utque licenter dicamus, Placentiae quoque nostrae Dominus pollicetur dicens: Omnes, qui te comedunt, devorabuntur, & universi hostes tui in captivitatem ducentur, & qui te vastant, vastabuntur, cunctosque praedatores tuos dabo in praedam. Si autem requiras cur pius Dominus tantis malis eam subdi voluerit: ego quidem divinorum inscius arcanorum, ipsam in divino judicio duobus maxime criminibus arbitror impetitam.

Primum siquidem, quia Dei servos tantis irrisionibus lacessitos, de suis tandem finibus expulerunt. Aliud vero quod horum extitit causa divisio maxima partium atque sectarum, & sic miserae urbi per omnia contigit, quod apud praedictum Prophetam paulo superius inquit: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua, non est qui judicet judicium tuum, ad alligandum curationum utilitas non est tibi. Omnes amatores tui obliti sunt tui, te non quaerunt; plaga enim inimici percussi te, castigatione crudeli propter multitudinem iniquitatis tuae dura facta sunt peccata tua, & dura ultione plectenda. Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuae, & propter dura peccata tua feci hoc tibi. Nec mirari debes in hoc turbine bonos cum malis involutos. Una tritura est areae, pariter grana cum paleis feriuntur conculcantur excutiuntur, & tamen hoc ad horrea mittit, illas ignis absumit. Sic in eversione civitatis, mali criminum poenas dantes impatienter arserunt, boni velut aurum sordibus purgati Domino per patientiam gratiores facti sunt. Unum fuit judicium, sed tamen eventus, retributionisque sors varia, & ex eodem conflatorio, alii aurum, alii ferruginem extraxerunt, & alii ad nihil utilia toleravere supplicia, alii per quae coronam meruere caelestem. Sic Deus noster magistrorum doctissimus ejusdem igne judicii alios cruciat, alios purgat. Nec tamen illi evasere reatum, qui tantae crudelitati se dedere ministros.

Non enim eis fuerat patefacta sententia, nec adsaeviebant, ut irae supernae judicium exequerentur, sed ut avaritiae propriae vel trucitati consulerent. Unde nequaquam Christi, sed adventantis Antichristi extitere ministri, quem esse jam proximum suis operibus attestantur. Cum enim omnium mortalium sit ille nequissimus, quo magis appropinquat, eo homines truculentiora committunt. Difficile tamen aliquid invenies his sceleratius, quod ipsi patrarunt. Ex quo recte concluditur jam jamque ejus adventus instare. Pestem quam generalem in proximo esse nonnulli medicorum rationabiliter autumant. Quibus & nos assentimur, alia tamen ratione permoti; nos enim peccatorum immensitate superati divinam iracundiam orbi desuper imminere non ambigimus, illi vero monstruosis novitatibus perterrentur. Quis enim audivit unquam Januario mense tonitrua in frigidissimo signo videlicet aquario exeunte sole. Restat ut in Cancro & Leone nix veniat.

Cum autem tempora eos cursus mutant, morbos generant. Audivi praeterea, nec incerta fama vulgante, fidem praebens, sed ipsius armenti dominos a me serio requisitos, quod in hac regione mense... Placentinam cladem insecuto: bos enixa est foetum, cujus anterior medietas canis, posterior equus erat, quodque terribilius cum longiusculis acutisve dentibus ortus tris ore canino linguas habebat. Quidni monstra nascantur, cum homines monstruose vivant?

Ipsi ex rationabilibus bestialiter, imo & diabolice degunt, & vacca mundum videlicet pecus & mansuetum immundum & immitem rabidumque & lasci-

sci-

ſcivientem protulit natum. Stolidum hominis genus bruta docuit natura quid vivat. Mutavit illa prolem, mutarent illi mores. Et quoniam abundavit iniquitas, jam multorum refriguit charitas; & una interjecta ſententia ſubdit Dominus, & tunc veniet conſummatio, nec dubium, mundi; quae cum proxima ſit, ut ex magnitudine ſcelerum poenarumque cognoſcitur, abiit a te cariſſime, ut de rerum amiſſione tuarum lugeas. Abſit, inquam, a Chriſtiano, ut de perditione terrenorum doleat, cui promittuntur regna caelorum. Quid enim tibi avarus mucro, quid cruenta manus tollere potuit? Nempe quod minimum erat, quod periturum, quod poſt paululum deſerendum ſive per mundi finem, ſive per tui. Ve autem tibi ſi virtutibus inops eras. Nam ablatis temporalibus rebus, ſi virtutes animi non habebas, ex utraque nudus parte remanſiſti. O vere beatum! qui virtutibus dives fuerit; has opes avara manus non invenit, ſed nec ſaevus tortor inquirit. Pro his nec arma ſumuntur, nec bella cientur. Sed qui his affluit, perenni pace & ſecuritate laetatur; inter rerum rapinas, corporeoſque dolores omni voluptate Deo praeſente perfruitur. Haec infidus ridet auditor, ſed tamen vera ſunt. O utinam mortales inſani, tantum pro his veris acquirendis divitiis inſudarent, quantum pro caducis. Nolite, ait Dominus, theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi aerugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Haec enim omnia facile peritura, urbis tuae ruina teſtatur. Quae ergo vecordia pro his ſemper laborare, illis ſemper intendere, quae tam leve diffugiunt; aeternas negligere, de veris opibus non curare. Quînam Chriſtiani nomine gloriatur qui viam graditur Chriſto contrariam. Omne quidem quod eſt in mundo, ut Johannes inquit, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitae. Hoc eſt quod mundani homines nil quaerunt niſi voluptates, divitias, glorias.

At vero Dux tuus Jeſus tramitem contrarium ambulat, ſuiſque ſequentibus praecipit ambulare, certe requirens, ac deſideranter amplectens dolores, egeſtates, opprobria. Haec totis viribus mundus fugit, & quanta poteſt Chriſti amor celeritate proſequitur. In his tribus omnis ſacra eſt fundata religio; per quae virtutes omnes mirabili velocitate conſequimur. Ubi eſt, ait Salvator, theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum, ſive in caeno, ſive in caelo. Deſiderabilis nempe, pretioſiſſimuſque virtutum theſaurus eſt quae & in praeſenti vita inraptibiles, animum ſancta & ſincera voluptate reficiunt, in morte comitantur, poſt mortem beatificant. Quae eſt ergo poena, quis dolor, quae nex, quam pro eis acquirendis non debeamus amplecti? Pro his & vigiliae breves, & jejunia levia, verbera dulcia, opprobria ſuavia, oratio delectabilis, amiſſio rerum facilis, tormenta ridenda, & quotidianae centenaeque mortes jocundiſſime debent apparere. Profecto ſi amor Chriſti noſtra ad ſe praecordia rapuiſſet, ita eſſet, ut dico. Quanta autem exultatione, quanta fortitudine, quantoque vultus gaudio, Sanctos praeteritos vidimus in tormentis. Audi quod Vincentius tuus apud Prudentium jambico metro & ipſo pulcherrimo furenti reſponſum dedit Judici.

Tormenta, carcer, ungulae, ſtridenſque flammis lamina, ipſa poenarum ultima mors Chriſtianis ludus eſt. Et judex: vinctum retortum brachiis, ſurſum deorſum tendite, compago donec oſſium divulſa membratim crepet. Dum ergo duceretur ad poenam ac dira ſupplicia tortores ſuae poenae praeveniens, moras carnificum arguebat. Cumque parata eſſet horribilis candentis ferri machina, ut tribunal ſponte rogum conſcendit intrepidus, ac ſtans immotus erectis in caelum luminibus Dominum precabatur. Dumque crudeliſſimo igne terretur, & laceratis carnibus interna paterent, dum pruna ſale reſpergitur, & crepitantis ſalis ad viſcera tela jaciuntur, & toto corpore diſſipatur; an luget, an queritur, an gemit? Prudentius dicat. Ridebat hic miles Dei, manus cruentas increpans, quod fixa non profundius intraret artus ungula. O miles invictiſſime, fortiſſimorum fortior, te ipſa ſaeva & aſpera tormenta victorem tremunt? Ubi eſt Placentinorum nunc noſtrorum fortitudo, qui ſuas & fortaſſe viliſſimas reculas inconſolabiliter lugent?

Fuerunt & alii duo nobiliſſimi juvenes in Alexandris metropoli, qui ſub perſecutore Decio a militibus comprehenſi, ducite nos, inquiunt ad aras: ſique eos immolare velle putantes, ad templa rapuerunt. Tum illi carbonibus accenſi, quibus arae tegebantur, ambas inſerunt manus & dicunt; ſi ſubtraxerimus manus, ſacrificaſſe nos credite; ſic perſtiterunt immoti, quoad omnis caro in focum defueret. Tantus ardor amoris animos occuparat, quod ignis exterior refrigerium putabant. Sic Polycarpus Johannis apoſtoli diſcipulus, cum captus ab impiis ligandus eſſet in ignem, ne videlicet fuga ſublapſus declinaret incendia. Nolite, ait, filii, nolite hunc ſuſtinere laborem; ipſe ego ſolutus pro nomine Domini flammis in mediis adſtabo. Fecit, ut dixit, & aeternum triumphum martyr intravit. Quid dicam de tepiditate modernorum temporum, ubi charitas penitus extincta eſt? Homines erant illi ſicut & nos paſſibiles atque mortales, ſed vis amoris intrinſecus a nobis longe diſtantior quam omnia exteriora aequaliter contemnebant. Par erat illis dolor, voluptas, laus & opprobrium, egeſtas & copia, & cuncta tranſeuntia pariter conculcarunt, ad ſola aeterna ſemper intenti; quae qui fideliter ruminat, praeſentis damna non ſentit. Sed jam dicendi finem epiſtolaris cogit anguſtia. Unum eſt in quo oculos te aperire cupio: te mundus irriſit, rebus ſpoliavit, carceris poedore foedavit, ad alienas urbes mundus exules truſit. Et tu igitur ardenter inſurge, ad caelum caput erige, ad ultionem tui contra mundum animo flammas intende. Te prior ille contempſit; debueras contemptum incipere, ſaltem contemne poſterior. Eum abiice jam abjectus; deſpice, vel deſpectus. Tutus tranquilluſve religionis portus, ampliſſimo charitatis ſinu, te cum tuo miniſtro laetanter expectat. At ſi forte non ficto, ſed vero impedimento, quod minime novi, tantum bonum amplecti non praevales; animo ſaltem eſto quod amictu non potès, eſto moribus, quod profeſſione non fueris. Vale.

## INCIPIT NICOCLIS REGIS

### *Oratio ab Iſocrate edita & a Cl. Viro Januario Veronenſi in Latinum traducta ad Ill. Leonellum Eſtenſem.*

SÆpius ante oculos res humanas proponenti mihi Leonelle princeps, munus ſane venerabile ſingulari admiratione proſequendum, conceſſumque divinitus, regendi ratio cenſeri ſolet. Nam cum homo, divinum certe animal, mortaliſve Deus ita creatus ſit, ut dominari poſſit in cetera; ac caelum, maria, terras, & quae in eis ſunt, ſubjecta ſuis haberet uſibus: cui dubium eſſe queat, hunc ipſum, de quo loquor, hominem immortali Deo in primis jucundum haberi gratum uniceque dilectum, cui familia-

ris

ris sit, & divinitatis participatione cognatus? Quod ideo tibi facile persuasum vel cognitum potius fieri confido, quia scitum illud sapientissimi oratoris credo. Nihil est Principi illi Deo, qui omnem mundum regit, quod quidem fiat in terris acceptius, quam concilia coetusque hominum jure sociati, quae civitates appellantur, harum rectores & conservatores hinc profecti, huc revertuntur.

Si quis igitur opem vel ornamentum illis afferret, eo majores illi habendae forent gratiae, quo in Dei animal & in civitates ipsius latissime pateret officium. Quocirca dies mecum noctesque verso, qua ratione honores curasque tuas fulciam, quibus boni Regis munia cum omnium admiratione ac laudibus obire pergas. Et quamquam cum per te, tum vero paterna virtute ac sapientia polleas; non dedignaberis tamen pro tua modestia, si ut Agamennoni Nestorem, sic & tibi fidelem ac prudentissimum consiliarium addidero, cujus ductu atque peritia, tibi tuorumque saluti & dignitati graviter & commode consulas: his humanitatis & studiorum fructibus acceptum a majoribus lumen amplificabis, Regium gloria illustrabis ordinem. An te ipsum Nestorem vel sentis vel appellas inquies? Minime medius fidius. At Isocratem jungere tibi paro eximium quidem philosophum, & Nestore, pace dixerim sua, nequaquam hac parte inferiorem. Cum proxime Latinum tuo nomine vel ea causa feci, quod eum libellum avide legas Isocratis, quo in subditos regem instituit, hunc illi quidem socium coaptes, quo invicem subditos in Regem instruit. Sic omnino ex parte absolutum habebis regentis officium.

# EPISTOLA MONITORIA.

*Ex eodem Cod.*

EP. V. suo amatissimo filio I. P. I. dicit. Peropportunae ad nos tuae literae ad Kal. Octobres delatae sunt, quas mihi reddidit Silvester noster, amantissimus tui & ornatissimus adolescens. Agis plura in eis accommodate quidem copiosissimeque ad rem. Demum si in faciem quempiam a sapientibus permittimus commendare, legi ibi dialogum Ciceronis: tanta est in eis elaborata venustas eloquii, fluvius quidam eloquentiae longe lateque seipsum diffundens, quibus rebus quid quantumve possis in arte ipsa dicendi luce clarius enitebat. Verum de iis infra paulo diffusius. Ad Silvestrum venio non ineruditum juvenem, moribus optimis perimbutum, literis humanitatis nostrae perdocilem. Is uti scribis ac res ipsa perdocuit, Patavium urbem advenerat disciplinarum omnium magistram atque parentem, quo secularibus doctrinis ingenium suum omne contexeret. Est sane adolescens ardentis ingenii, lepidus, peracutus, limata est oratione politus, qui nihil sibi beatius contigisse putarit, quam si ad summum philosophiae gentilium apicem convolaret. Huic generi doctrinarum omne studium puer ingeniosus intulerat; hic mens, hic labor, hic animus perintentus. Denique perbeatum sese fore arbitrabatur, si sophismatibus dialectice consectandis, cujus jam antea domi prima rudimenta perceperat, annum hunc integrum concessisset. Inde sese in reliquum tempus, ad altiora parabat; existimans splendore doctrinae nancisci sibi in posterum honorem, gloriam, voluptatem, fortunas, ac reliqua, quae falso quidem vitae hujus mortalis ornamenta ducuntur. Venit igitur Paduam, relicta domo, parentibus, patria, suorum consuetudine propinquorum, quae prope cuncta sunt dulcia, quo posset literarum atque doctrinarum omnium supellectilem variam suo desiderio vendicare. O immodicam mentis humanae cupiditatem nullo limite circumscriptam? Quid enim? Ignorabat quippe qui brevi spatio foret sapiens Deus, desiderio ejus immenso satis abundantiusque facturus. Igitur divertit ad nos, quam cum tuis literis, tum vero suis moribus commendatum perbelle ac humane suscepimus, utpote quem aciei nostrae cupiebamus inserere.

Erat porro miles vagus ac liber, nullis adhuc majorum sacramentis militaribus implicatus, quem casu invenisse putavimus, veluti in taberna emeritoria constitutum. Igitur quem nullis muniebatur insignibus, nullique exercitus cujusque parebat duci, enixi sumus illum sub imperatore Christo intra castra nostra deducere, illum hortari, illum monitis saluberrimis flectere, quo Regi seculorum immortali & invisibili soli Deo totis animis militaret. Neque enim huic nostro praeclarissimo Principi, quem Ebreo vocabulo Deum nuncupamus, potest quicquam esse acceptius, pergratius, honorabilius, quam milites plurimos in suum exercitum cogere, qui neglecta seculi pompa atque militia vellent sub tali Domino omnem suam operam, fidem, magnitudinem animi consecrare. Sciebamus nempe apostolicum illud, quod alta memoria retinebamus inscriptum. Qui converti fecit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, & operiet sibi multitudinem peccatorum. Itaque Silvestrum hunc aspiciebamus vias seculi dealbatas incedere, pelagus sapientiae saecularis fallacissimum navigare, patere illum facile tartareorum incursionibus piratarum. Quid ultra prosequor Johannes mi: Coepimus solerter cum adolescente studioso agere de bonorum finibus atque malorum, uti secum putaret, quid summum bonum, quid summum malum definiretur a Doctis: item non detrectaret audire, quae ad utrumlibet semita pro voluntatis arbitrio & contentione perduceret. Sciret omnia seculi blandimenta fore fallacia universa, adumbrata, simulata, morthera. Nihil tandem de humanis studiis constare sub coelo: cum juxta vates nostros infallibili veritate subnixos, in cunctis studiis, quibus callet cura mortalium, vanitas vanitatum, & plurima animi dominetur afflictio. Itaque debere illum omnia quae orta sunt, alto corde contemnere, tanquam quae ad suum occasum sint celeritate incredibili reversura. Salomonem sapientissimum producebamus in medium, qui cum regum gloriosissimus extitisset, functusque esset cuncti generis voluptate, nihil insuper negasset sensibus, quod concupiscibile judicasset; tandem sese convertens ad universa opera quae fecerant manus suae, ad labores innumeros studiorum, in quibus frustra sudaverat, vidit in omnibus vanitatem & afflictionem animi, ac nihil permanere sub sole.

*De fallaciis seculi.*

Hortabamur perinde juvenem promptulum ad discendum, ut ad sapientes priscos, qui philosophiae omnem operam impendissent, oculos attentissimos jaceret; quid gloriae ex tanta contentione docendi & disputandi certamine ex palestra illa literaria fuissent apud posteros consequti. Plane illi ipsi Philosophi, qui in scholis tanquam in tabernis unguentariis buccis crepantibus feruntur in caelum, Socrates, Plato, Aristoteles, ac reliquum garrulorum vulgus apud inferos miserrimi cruciantur. Quid autem prodest illis sempiternas luentibus poenas, qui ore hominum insulsissimis laudibus commendantur? Congebamus in medium rationes, quibus Philosophi perniruntur ostendere uti quisque ingenio potuit atque doctrina, quo in rerum genere beata vita sit posita. Neque enim in voluptate ut Epicurei; non in decoro virtutis, ut princeps Stoicorum Zeno; non in speculatione theorica, ut Peripatetici fere omnes, summum bonum fore locatum, sed in Dei nostri certissima atque clarissima visione affirmabamus esse quaerendum. Inde & consequens fore, voluptatem omnem sensuum, ut vitam pecudum explodendum.

*De virtute quae non censeri potest summum bonum.*

Sed summi boni dignitas aestimanda est in assecutione virtutis, nisi illa tam celsa, tam potens, tam divina sit virtus, quae incommutabili ac beato Deo queat animum immortalem mirifica contemplatione conjungere. Qua de re irridendam prorsus Stoicorum sententiam uti levissimam ducebamus, qui a seipso beari hominem existimarent, cum ipsa virtus hominis, quae creata est quidem, & a bono Deo munere gratuito donata, summum bonum esse non possit. Definiebatur ergo a nobis, uti reor, dispositio quaedam & gradus ad beatam vitam, non in qua esset penitus finis ultimus constitutus. Sed neque Peripateticorum rationem quadratam aut probabilem opinabamur omnino, quibus admodum familiare est dicere, tantam pulchritudinem, tantam vim inesse doctrinis, quas praecipue intellectuales vocant, ut earum spectaculis oblectationeque mirifica, non dubitent animam in fragili ac mortali corpore posse fore beatam. O stultitiam singularem! Quid enim absurdius, quid sententia ista potest esse perversius? An in vita hac ipsa, quae morte finitur, potest ulla vera esse felicitas? Verum quae aut quanta fuerit illa jocunditas, quanta beatae vitae illa perfunctio, quae vel non de Deo rerum principe nude perspecto constiterit, sed de quibuslibet spectaminibus doctrinarum, vel etiam si suavis fuerit & minime contemnenda, necesse sit eam cum carnis interitu labefactari.

Arguebamus igitur, & Aristotelem vocitabamus ineptum, qui felicitatem contemplativam, nescio quam possibilem mortali homini somniasset in corpore; cum neque scientia omni ex parte queat istic esse perfecta, neque Deus videri possit aperte, in quo solo Salvator noster beatam vitam esse definit. Inde vero ad academiam Socratis divertebamus, & auctore Platone omnium rerum separatas quasdam contemplabamur ideas, quas siquidem menti divinae pro incommutabili ratione inesse dixisset, nihil esset porro quo nos catholici Platonis sententiam reluctaremur audire.

At quidam non mediocri auctoritate Philosophi, sive ostensionis sive invidiae causa (nescio Deus, scit) Platonem acrius insectantur, quod exemplaria quaedam universalia separata per se, per se viventia, per se stantia, ipsi quoque Deo coaeterna crediderit; e quibus sensibilis mundus iste omni cum suo ornatu ac specierum perfectione profluxerit. Enim vero si ita persensit, intolerabilis eum plane fefellit opinio, quod opificem Deum extra se aliquid praedicaverit mutuasse; unde qui ex formis inspectis in varia distincta genera universam hanc molem expresserit.

Neque enim summum & incorporeum immensae insuper virtutis Deum veluti fabrum quempiam aut artificem cogitamus, qui ad procreandum quicquam egeat ulla materia, quae ab eo postea subsistentes deducatur in formas; aut illum necesse sit extra mentem suam ideale aliquid intueri, quo architectus omnipotens artem dirigat fabricandi. Puerilia porro sunt ista & vanitate plenissima, ac hominum pro humana consuetudine nonnisi corpora cogitantium. Academicos super omnes philosophos a vero abhorrentes demirabamur omnino, quia cuncta incerta fore sensissent, abstrusa esse omnia, nihil nos sentire, nihil cernere, nihil omnino quale sit posse percipere. Contorta sunt plane ista, & ut ajunt, aculeata sophismata, quibus fallacissimae conclusiunculae subnectuntur. Nam sapientem dumtaxat opinantur hunc virum, qui existimet se nihil scire. Sic circumfusa tenebris crassis universa pari modo deliberant, ut nulla acies humani ingenii tanta sit, quae verum sciat, quae penetrare in caelum possit, abyssos terrae contueri. Verum Democriti illius insani irridebamus ineptias, qui accusaret naturam, quae in profundo puteo veritatem obstruxerit. O insipientissimum sapientiae genus! dubitabat ille si esset Deus, aut quisnam iste esset omnipotens, quo universa constarent. Sic dissensio varia concertatioque multorum, qui se philosophos videri volunt, nos Deum nostrum ignorare cogebat, quippe qui nescire nos facerent, cui mundi Principi serviremus. E contra vero ostendebamus Christum Jesum pietatis justitiaeque doctorem, nos ex his eruisse, qui sese cognoscendi verum Deum, possidendi, amandi facultatem copiose fecisset. Ex ea re sane gaudio triumphabamus ingenti, nos esse ab eo redemptos, illuminatos, postremo erectos ad immortalitatis beatae spem; quibus doctrinis pascimur quasi pabulo veritatis, humana despicimus, cogitantesque supera atque caelestia, inferiora haec nostra, uti exigua ac minima contemnenda perducimus. Et quidem contra Philosophos ista ac pleraque alia loquebamur. Exinde ad Poetas ipsos divertebamus, qui adolescentulis nostris lectione assidua, quantum labis morum, quantum lasciviae, quantum incendii atque libidinis pepererint, nos piget dicere. Quid mihi Terentius, Plautus, Ovidius, quid comicorum omnium impudica lingua atque volubilis ad eruditionem proficit, quae moribus afficit castioribus. Quo sane consilio, qua mentis sobrietate perlegero, qui mihi scenam flagitiorum struunt, qui me turpi voluptate demulcent, qui denique adolescentis animum vesanum ac furentem saevo amore conficiunt? Leges utique molliculos eorum versus, non ut peccata devites; sed ut sciantur, si ignota sunt tibi. Si vero ea sine magistro didiceris, lenocinio quodam suaviore verborum, captivum magis animum tuum reddent.

Sed haec miseria est & amentia singularis, poetas legere, quo miserior aut vecordior sis, qui si in divinas offendisses literas, scires nempe quantum malum & amarum sit, scripturis sanctis omissis, reliquisse te Dominum Deum tuum. Scires insuper quantum corrumpunt bonos mores confabulationes pessimae, quod verbum fuit ex Poeta Graeco, ab Apostolo Paulo in nostrum dogma justissime vendicatum. Quid igitur de poesi ipsa dixerim, nisi omnia ferme mala tanquam ex fluvio quodam libidinum inde procedere? Nam grammaticem rethoricem dialecticem nemo doctus ignorat posse nos ad scientiam pietatis adducere, atque in usus legitimos evocare, si vetus proverbium observaverimus: ne quid nimis. Neque vero doctrina ejusce, sed nimietas in vitio est: sane dies noctesque torqueri in spinosissima arte, quam Logicem Graeci vocant, quanta vesania. Oro enim te quanta ista sapientia tua rebus necessariis, & ad beatam vitam pertinentibus usquequaque neglectis, fallaciis tantum intendere; ut cum sillogismum, disputans in foro formaveris peracutum, arcem minervae supremam te existimes consecutum? At vero de physicis quid loqui oportet, qui sese naturam contrectare manu ac palmo continere delirant? Hos porro infelices dixerim atque lacrymarum fontibus diluendos, qui cum naturam & formam, tempus & locum subtilius penitant, quid sint ipsi ubi aut quo fructu juvant, miserandi prorsus ignorant. Itaque qui finem beatae vitae prorsus ignorant obliti, uti caeci ruunt cum suis discipulis in praeceps. Qui tandem fieri potest, ut sapientes & sanos & cordatos homines existimemus? Sane stulta fuit meo judicio sapientia haec, quae te docet ut nescias, quem cum teipsum non pergis discere, tua bona venia dixerim, hominem te convertit in asinum.

An non ista cecinit vates ille summus David illustrissimus Prophetarum? Verissime enim ajebat in psalmo: *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Dicebamus haec, & adolescentis Silvestri animi arguebamus, ut honorem suum agnosceret, agnitum amaret, animam adversum carnem defensitaret. Quid enim eo honore praegrandius, quo quisquam ratione vigens, Dei summi illustratus imagine? hac quippe intelligit, hac discernit, hac novit homo, quid Deus est; hac verum & falsum, honestum & turpe, bonum & malum certissima pervestigatione distinguit. Quid quod ea imaginis tam sublimis est dignitas, ut cuncta animantia idem homo consilio & liberi arbitrii sublimitate praecellat?

Nam

Nam & quaenam claritas illa est, qualis, oro, praestantia, qua justus quisque possit esse beatus? Quod autem & quale illud gloriae genus exmerit, cum tandem corruptibili exutus carne, & juxta apostolum in eandem imaginem transformatus, Deum suum meruerit revelata facie conspicere, possidere, perpetua charitate diligere.

At quanta quaeso calamitas, quanta miseria, honorem hunc ingenitum labefactare divinum, tum & Dei ignoratione & sui, tum perditissimorum dedecore scelerum, quibus praeclara illa similitudo ipsius vel turpis redditur vel subobscura? Sic profecto contigit, ut homo jumentis insipientibus comparetur. Fiat, inquam, sicut equus & mulus, in quibus nulla est ratio, nulla sapientia, nulla speciositas intellectus. Igitur cum haec pluraque alia in sententiam istam in adolescentis auribus cunctaremus, principio quidem bellandi, nostris disputationibus sese surdum inobtemperantemque reddebat. Aderat Theodorus pr. frequentissimus adlabat concertationibus nostris, qui etiam pro eruditione insigni de contemptu seculi nonnulla in commune ferebat. Aderat & Gaspar noster, vir utique multa perdoctus, ita etiam copiosa dictione refertus, qui plura deducebat in medium, quo animum juvenis tum pronunciandi suavitate, tum rationum firmitate molliret.

At Silvester his, quae proposita fuerant, acri ingenio repugnabat; nam auctoritas cum auctoritate, & ratio cum ratione confligens, ad quos demum victoria pergeret, & non parvum videbam nobis fecisse discrimen. Magna itaque pugna utrinque commissa, & incertus diu extitit colluctationis eventus. Adolescentia quippe & mos, ut ajunt, a cunis molitus, tum vero gloriae inanis ambitio veritati potentissimæ adversabantur acerrime, adeo ut adolescentis animus a ratione percaptus, & in nostra ferme castra perductus. Vi ingenti iterum e potestate nostra per nescio quos gregarios milites auferrent. Sane argumenta ipsius, quae cum veritate certabant, tam imbecillia erant, tamque parum firmitatis habentia, ut nisi barbara hostium turma venisset in aciem, statim primo impetu Silvestri mens devicta, triumphatoris Dei cessisset imperio.

Ceterum cum saepenumero conveniremus in praelium, diesque aliquot ipsa colluctatio instauraretur, ambigua accidit, ut perturbatis militibus barbaris, qui pene victoriam retardabant, continuo veniremus in bonam spem, hominis animum, veluti relictum oppidum, invadendi. Enim vero fugata appetitione honoris falsi, tum etiam curiosissimae superstitione scientiae funditus terrae demissa, sui insuper extincta auri in posterum coacervandi, magnum nobis apertum est ostium atque ingens oblata facultas, quo voluntas adolescentis in Principis nostri deditionem sponte veniret. Denique cum diu eventu dubio certatum esset, tum vero plura forent jacula veritatis ignitae a nostris intra munitionem perjacta murorum; ut vidit Silvester jam non posse se utcumque tueri, oppidum animi sui relinquere, imperatori maximo Deo se dedere ultro deliberat. Quid ultra, mi Johannes dixerim? Silvester iste, qui heri & nudius tertius tam durus extiterat, qui antea turrem Damasci extruxerat bellatricem adversus civitatem David, qui expugnare molienatur arcem, quae est in monte sanctissimo constituta, continuo & humilis factus & supplex, rogat sese assumi in sortem Sanctorum, in lumine, in potestatem nostri ordinis se totum praebet, pollicetur mundum funditus velle deserere, nil sibi de pristina seculi fatetur complacere militia. O ineffabilem prorsus Deum, in cujus potestate sunt corda! Quid enim? Silvester utique tuus nunc coepit vivere. Ille, inquam frater tuus qui mortuus fuerat, Deo se vocante, revixit, qui perierat, a Patre pietatis nuper est inventus. Vivere porro iste jam coepit, qui liberatus a peccato, servus autem factus Deo, habet, juxta Apostolum, fructum suum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam. Cur istud quidem? Cum hæc mutatio dexterae excelsi; hoc Dei consilium, hoc singularissimum benivolentiae munus e caelo. Denique, juxta Prophetam, apparet plerumque his, qui non quaerebant eum, nonnunquam invenitur ab his, qui terga vertebant. Itaque adolescens is, cui tam difficile videbatur, cunctas spes pessum vitae dare mortalis, modo castris nostris insertus, inter commilitones Christi perjocundus incedit. Nam & tanta modestia, humilitate, religione Imperatori nostro deservit, ut nihil desiderabilius se optasse significet: nihil deploret acerbius, quam hanc illustrem tamdiu distulisse militiam. Gratulare igitur fratri tuo & illum perbeatum esse atque esse judica; qui scientiam secularem hoc in divinum dogma felicissima compensatione mutavit. Jam carmina Virgiliana non canit, non Plautum, non Terentium tenet in manibus, non sonat Horatius in ore ejus, quam totus est Dei. Sic omnia poetarum ludibria veluti stercora est arbitratus, ut Pauli apostoli vestigia sequens, Christum Dominum lucrifaciat. Videas illum psalterium David mirabili resonare camena; sensus Prophetae illius incredibili studio vestigare. Stupeas, illum de Scripturis divinis accuratissime cogitare, illasque vel ardentius legere vel suavius quam perantea saecularia perlegisset. O ingens plane consilium, ac divinae pietatis admirabilis gratia! Quis ejusce unquam excogitasset eventum; jam olim pro infallibilis praescientiae ordine ac aeterna dispositione firmatum? Enim vero, Johannes mi, quod ista miramur, qui psallentes quotidie Domino confitemur, quam bonus est plane, quoniam in seculum misericordia ejus: nam & legimus ipsi Deo epitalamico in psalmo a Propheta cantatum: Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent in corda inimicorum ejus. Id sane, quia completum videmus, cum ineffabili gaudio verissimum arbitremur. Quid enim Christi Jesu sagittis acutius, quid jaculis ejus penetrabilius? quibus jam evangelio caelestibus doctrinis & miraculis coruscante, totum sibi orbem terrarum omnipotens veritas per discipulos subjugavit. Lege actus apostolorum, lege Pauli epistolas, lege gesta clarissima Martyrum atque triumphos, videbis potentiam Regis nostri, videbis sagittas ejus acutas; quibus factum est, ut nemo sese a calore verbi ejus possit abscondere. Nam & qui pridem disciplinae militari regis nostri, adversabantur Romani Caesares perinique, postea ejus imperio, ardore incredibili paruerunt; & ita paruerunt, ut qui adversus Christum certare solerent, postea pro fide ejus illustranda publicas leges & edicta proponerent. Quid quod plerique Philosophi, qui veram religionem ore rabido fulminabant, postmodum veritate percepta, illam vel fuso sanguine, vel fortissimis libris defensitare curarunt? Adde quia & nonnulli judices, qui credentes quosque in Christum exquisitis suppliciis necare sanctissimum atque justissimum extimabant; postea pro nostris judicati ad mortem, pro eadem fidei confessione universa tormentorum genera constantissime sustinuerunt. Bene igitur sagittæ Dei potentis acutæ, quibus sub principatu ipsius, ultro populi ceciderunt, ut in corda inimicorum Regis decertantes, religionem fundatissimam tuerentur. Ceterum de his alias, si quando fuerit uberior disputandi oblata facultas, ne epistulares supergrediamur angustias. Habes interim unde tuo de Silvestro apprime gratulere. Ad tuas modo revertor epistolas, quae magnum porro eloquentiae specimen praeseferunt. Verum enim si tuis de studiis voluerim meum prorsus subjicere judicium; vereor satis, ne uti filius patrem jure tuo incusare me queas, qui quicquid abs te minus recte dictum factumve fuisse putavero, idem ego christiana libertate non arguam. Legisti apostolum cum ad Ephesios scribit, parentibus pariter & liberis præcepta praebentem. Ibi filios adhortatur, ut obediant parentibus suis, id justissimum esse confirmans. Sed & illic patres commonefacit adhortans, ne ad iracundiam provocent filios suos, magis vero educare contendant in disciplina, & correctione Domini.

*Nunc ad Johannem se convertit.*

Eam apostoli praeceptionem, & ego, o fili, erga te quidem libenter utitur, quem spiritu amoris dumtaxat, non carnis propagatione genuerim. Cupio, te optimum virum esse, cupio te religiosissimum Dei servum, gravem, perfectum, divinis literis insudantem. Cum autem epistolas lego tuas, ita ex eis nobis olent oratorum ipsa gymnasia, ita Ciceronis & Crispi sensus atque ornamenta sectaris, ut nuper de officina eorum tua scripta videantur exisse. Porro Prophetas, Apostolos, Evangelistas prophetiae doctores nusquam vel raro commemoras. E contra Marcum Tullium ita illis tuis epistolis praefers, ut quasi Deum quem tuum atque magistrum consecrasse omnino significes. Sed id fieri certe tum nostra religio, tum vero institutum tuae professionis abhorret. In Christiani ore perfecto haec fordet oratio, quae primo vestibulo tumorem gentilem impietatemque praescribat. Fides quippe catholica philosophos oratoresque contemnit, ut Christum humilem consectetur. Nescivit Socrates, nescivit Plato, quod credimus, Aristoteles ignoravit hoc caeleste mysterium. Non credimus Ciceroni de natura Dei, de religione, de fide. Non credimus Philosophis, a quibus extat ratio totius veritatis explosa. Et quidem pleraque philosophi oratoresque dixere, quae, auctore Augustino, tanquam ab injustis possessoribus a nobis sunt usurpanda vindicandaque in usus idoneos. At aliud est a praedone rapere veritatem, quam jure non vendicat, aliud vero sociali quodam foedere, praedam dividere cum praedone. Denique quid insulsius potest esse, vel vilius quam missis legis nostrae firmissimis testimoniis per fragiles Gentilium flores, per Ethnicorum sententias futiles, auctoritatem munire divinam? Hoc inquit Cicero in Tusculanis, hoc in natura Deorum, illud in suis officiis, astipulavit Oratorum Princeps; illud Plato asserit in Fedrone, illud in suo Thimeo recensuit; hoc ille Philosophus, illud ille orator astruxit. O inanis pompa verborum, quae dum se prodit, nescio quo pacto impietatem & ignorantiam suam pariter profitetur! Videas nonnullos nostri ordinis sacerdotes, qui omissis veri fontibus vivis, de Ægypti coenosis puteis, objurgante Hieremia, aquam turbulentissimam bibunt. Eja vero Joannes mi, si Ebraei sumus, si vere ad Israel populum pertinemus, si expoliantes Ægyptum, transmisso mari rubro, terram Promissionis expetimus, ascendamus in montem Syna cum Moyse, ubi scriptam in spiritalibus tabulis cordis nostri legem Dei igneam mereamur accipere. Sed & cum populum reliquerimus barbarum, a quo aurum argentum pretiosam vestem, cunctumque variae supellectilis cultum, Dei jussu suscepimus mutuo, destructis Ægypti idolis, universam hanc praedam in tabernaculi vasa conflemus. Nota est historiae veritas vetustissimae, quam in exordio legis audivimus. Sane haec figura praecessit ut sciamus, si quid in nobis superest humanae doctrinae, quam ex Ægypti opibus nobiscum detulerimus in desertum vitae monasticae, id totum fore pro Christi gloria in obsequium fidei consecrandum. Igitur si habes saecularis sapientiae aurum, si eloquentiae argentum olim in thesauros tuos accuratissime congessisti, si quicquam apud te est fulvi rutilantisve metalli, vide ne figmentis simulacrorum pristinis, id est externarum literarum studiis mancipetur. Conflandum est porro in camino ardentis fidei, atque igne charitatis divinae magis magisque purgandum, ut possit ornamentum in caeleste formari. Postremo in numerorum libro est proditum quod huic rei significandae conducat: hoc est inquit praeceptum legis, quod Dominus mandavit Moysi: aurum, argentum, aes, ferrum, plumbum, & stannum & omne quod potest transire per ignem, igne purgabitur. Typus porro est rei sanctissimae iste pulcherrimus. Quippe omne metalli genus, quod ex mundanis nobis disciplinis exuperat, in fornacem projiciatur fidei, diligentissimeque condetur. Tum demum, ut ait Propheta, igne examinetur, probetur terrae, purgetur septuplum, ut in formam ecclesiasticam omnino conversum, divinis institutionibus coaptetur. At vero ne in longum decurrat oratio (satis superque enim sapienti est dictum) jam tandem festinemus ad finem. Habes plane, suavissime Johannes mi, quod de tuis literis sentiam; quae tametsi alias ornatissimae sint, atque accurata dictione perlustres, attamen sane meo judicio (ignosce parenti libere filium objurganti) minus quam velim, christianam redolent gravitatem. Neque vero me id putes dicere, ut eloquentiam contemnam tuam, sive quod tui contundam acumen ingenii, quod admirabile & praeclarum est quippe. Cave id omnino ne credas, de amantissimo tui Paulo, cujus fides in observandis amicis jam antea tibi perspecta est. Quod enim libere te admoneo tanquam filium carissimum mihi, cui benevolentia afficior singulari. Sobria ergo & gravis admodum, ac religione referta tua semper decurrat edictio. Nihil illic petulans & indecorum, nihil inflatum omnino, cuncta vero ibi sint lenia, pietate splendida, religione decora; nullus illic scientiae secularis ornatus, qui adulterinis fucis, faciem veritatis exterminet. At vero ea sit in Christiano facundia, is orationis splendor, qui commendet prorsus ecclesiasticam disciplinam; miris insuper laudibus catholicae ecclesiae praeseferat auctoritatem. Talis profecto cum fueris, adgaudebo tibi plurimum & laetabor qui post oratorum flores atque praecepta, viam veritatis elegeris, quam sequare. Tum vero in lege Domini voluntas tua, & in lege ejus meditaberis die ac nocte, tum cum Moyse & Maria sorore ejus calcans mare rubrum sicco vestigio, & de Pharaonis servitute durissima liberatus incredibili cum jocunditate clamabis: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem projecit in mare.* Sed & populum Dei cum Propheta cantantem ineffabili cum modulatione miraberis, *In exitu Israel de Ægypto domus Jacob de populo barbaro. Facta est Judaea sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.* Felix Israel qui reliquit Ægyptum? Beatus, inquam, qui de populo barbaro transmigravit in patriam! Utique his spretis Ægyptiorum cibis in Deserto Syn, quod Hieronymo interprete, mandatum rite significat, manna caeleste depascitur. Felix equidem adolescens reversus ad cor, revocatus ad patriam, qui contemptis porcorum siliquis inflantibus ventrem, ex longo postliminio reductus in domum suam, redditus patri pio, comedet vitulum saginatum. Is plane ornatus fidei annulo, candidissimam indutus sapientiae stolam, pedes insuper calciatus in praeparationem evangelii pacis, solido cibo vescetur veritatis inventae. Itaque intrabit in sanctuarium Dei, & eruditus in sapientiae domicilio, intelliget caelestium novissima fecenlorum. Suget mel gratiarum de limpidissima petra, quae juxta Apostolum Christus est: oleum item hauriet sacramentorum de saxo durissimo. Magna quippe, mi Johannes, haec sunt, magna profecto, quae si ipsa veluti primitias spiritus degustaveris, secularia literaturae splendorem, caecorum oculos perstringentem, meo arbitratu penitus floccipendes. Unde haec rogo sedule meditare. In his te assidue exerce; has tuas arbitrare delicias, ut cum dies supremus accesserit, qui forte ab unoquoque nostrum longe non est, in his interim enutritus disciplinarum pascuis divinarum, aliquando in tuam patriam deducaris. Ibi plane, ut ait Propheta, pasceris in montibus Israel, in montibus excelsis erunt pascuae tuae. Ibi pasceris in herbis virentibus florentissimae veritatis, rerum scilicet mutabilium rationes incommutabiles intuendo, & in pascuis uberrimis visionis beatificae jocundabere. Pascet te Deus aeternitate, veritate, bonitate, quae ipse est, & ut ovem electam accubare te faciet Deus Trinitas in congregatione sanctorum. Quamobrem fuge, dilecte mi, a dogmate seculari, & ad vocem sponsae cohortantis te in Canticis Canticorum, assimilare Capreae hymnuloque Cervorum, saliens in montibus, transiliens colles, super mon-

tes

tes aromatum. Vale jam tandem & ora pro me. Ex Patavio de monasterio Sancti Johannis in Viridiano IV. Nonas Martias 1444.

Lusi tecum his literis, Johannes mi, joci quippe nostri sunt ferii, sed nec tamen prorsus illepidi. Tuo & meo patri Cla. esse atque esse me facito commendatum. Tibi vero persuade, te magis ac magis a me amari.

# DE MORTE NICOLAI ESTENSIS

## *Ill. Principis Ferrariæ.*

Ex eodem Codic.

TAntus est dolor, quem suscepi ex jactura Cl. Principis optimique tui genitoris, Marchio illustris, ut illum sine lachrymis, quae plurimae concidunt, mandare nonqueam literis. Doleo siquidem plurimum, & quotidie magis anxius sum, quod e medio sublatus est maximus Princeps ac sapientissimus parens tuus, in quo spem sitam habebat Italia cuncta maximam, perturborque vehementius evenisse hoc ea tempestate, qua rebus Italiae afflictis, ac tot Italorum totius pene mundi variis & diffidentibus animis & tranquillitatem expetitam & quietem summam videbatur allaturus. Defleverunt & lugent obitum illius omnes Italiae urbes, gemunt Principes, mutatione vestium dolorem animi significarunt seniores. Contuderunt matronae pectora; flavos virgines evulserunt capillos, dolent, gemunt, anguntur animo, perturbantur omnes. Cogitant qualem amiserint Principem, eum profecto in quo summa extabant omnia. Nam quis in gerendis rebus & pacis & belli est eo sapientior, quis justior, quis humanior, quis modestior? quem fidissimum expertus est divus Caesar, quem sanctum Pontifex summus, quem humanissimum, quem sapientissimum existimaverunt praedicantve omnes. Quare cum tantus omnium fuerit & sit ex ea re dolor, tu re Marchio magnanime, qui optimo clarissimoque genitori tuo simillimus & esse & dici studes, ac omnium oculos, qui sapientiam illius admirabantur, amabant, colebant, debes in te conjectos existimare, judicabis hunc animi tui dolorem futurum tibi minus diuturnum quo plures maximos & heroes animadvertis hujus tunc jacturae ac molestiae participes. Nemo est ex illis quem Princeps ornatissimus ac prudentissimus parens tuus tibi & suavissimis fratribus tuis amore summo non conciliarit, & obsequio singulari non devinxerit. Cujus rei fidem maximam funereus attulit illius dies, in quo tot astantes habuisti mœroris tui socios atque participes. Ego autem pro magnitudine beneficiorum illius in me plurimorum me, & filios meos mihi carissimos ditioni tuae sic offero, sic dedo, ut servitutem meam ac meorum optem erga te & praeamantissimos fratres tuos fore sempiternam. Vale, Princeps ornatissime, hic moerori tuo modum statue & in tuorum numero subditorum, vel si mavis servorum, incipe ac perge me & filios meos computare. Ex Placentia Nonis Januarii 1441.

*A tergo*. Excelso Principi ac illustri Marchioni Domino Leonello Estensi, Domino suo maximo & persingulari.

Petrus de Plaza ducalis Placentiae commissarius dominationi vestrae obsequentissimus.

# RESPONSIVA AD PETRUM DE PLAZA.

Ex eodem Codic.

SPectabilis ac generose vir amice honorande. Quod semper credidimus nobisque persuasimus id ex vestris nuper ad nos datis literis plane cognovimus, idest vos ex amicis intimis & inter alios singularibus, felicis memoriae illustris domini genitoris nostri, nostraeque domus extitisse, ac perseverantius permanere. Nam tanta sunt, tamque illustria, quae de prudentia, justitia, animi magnitudine, liberalitate, elementia summa, pacis inter dominia Itala firmandae cupiditate, ipsius domini olim genitoris nostri nimia caritate dicitis, ut qui tam bene tamque vere dicentem amicum neget, ant invidus sit aut sibimet non amicus. Sunt praeterea, quae in nostram tantae jacturae consolatione adducitis tam gravia tam philosophanter dicta, ut si dolorem nostrum levare minime potuerint, lenire saltem valuerint. Pro iis igitur & quod vos, filios vestros, bona, & quicquid estis tam libero animo nudaque voluntate nobis offertis, gratias habemus vobis immensas, & oblationes eas tanquam depositum reservamus, ut cum opus fuerit eas depromere & in usus nostros convertere valeamus; de nobis hoc pollicentes, amicum vobis & vestris omnibus esse perpetuoque fore, paratosque ad omnia vobis placita promptissimos nedum verbis, sed reipsa semper existere. Valete. Ex Ferraria die VIII. Januarii 1442. Leonellus Marchio Extensis.

*A tergo*. Expectabili & generoso viro Amico nostro honorandissimo D. P. de Plaza ducalis Placentiae urbis commissario.

NOn leve incommodum, ne dicam facinus est, C. P. quod haec urbs venustissima Ticinensis, quae litterarum studiis reliquas antecellere solet, nefariis quibusdam hominibus refertissima esse judicari facile possit; etenim jam sextus agitur mensis, quod ex multis hujusce civitatis locis pleraque latrocinia nocte confecta sunt, & itidem saepenumero fuit; spoliatas domos afferrem in medium plures, nisi maximae occupationes vestrae mihi persuaderent apud vos strictim atque summatim monimentis verba tradi semper oportere. Sed hoc unum & vulgare quidem mali genus est. Reliquum vero unicuique vestrum eo admirabilius esse videbitur, quo ceteris in civitatibus inauditum atque raro rarum magis esse consuevit. Hac in urbe autem ita frequentatur, ut tam quamlibet noctem quam solem pervagantibus umbra comes est, consequatur. Sic itaque hic loci crebro insultus hominum fiunt, & domorum aggressiones, ut non in otio, verum in praelio vita agi nostra videatur. Reliquas tacebo tempestates, quae novissime fuerunt tres, ante vestros oculos ponam, consultissimi P. Stephani Cutice domum lapidibus atque etiam armis, velut castrum expugnantium bis invaserunt; neque inde alio sese receperunt, quando per horam infestissime illam antea bellavissent. Non est ipse Stephanus homo quem aptum bello aut contentioni parens natura progenuerit, sed literis & legibus, optimis animi disciplinis. Peregregium istud hac in studiorum urbe monimentum & memorabile quidem esset, nisi alterius magnitudine premi atque subobscurari

Ex eodem Cod.

rari

rari contigisset. Nam his etiam temporibus ita se quidam animo comparavit, ut evaginatum ensem manu tenens alienam domum nocte sit ingressus, & vi quam temeritas illi suggerebat, illaesus & incognitus & si antea perceptus esset est egressus. Res mira & pene incredibilis: aggreditur unus domum refertam hominibus, & sese fidens, & gladio tuens intactus egreditur. Dehinc, pauculis diebus interjectis, ea cogitur hominum copia qui . . . . . . tueri, & alius timori esse possent. Sed ubi opportunitatem loci maleficio eorum obstare perceperant, quod solum poterant, saxa illius tecta domus circumvolare faciebant. Nec illam obscuri sed illustres & legum & canonum studiis deditissimi duo habitant viri, clara totius Alamannae nationis, quae hanc patriam incolit ornamenta. Ac nimirum domesticos eis omnes incendio quodam ii concitare valuerunt, qui nobilissimo sanguine procreati, alter ex Henrico Lusfrii comite magnifico editus, reliquus autem baro; ingenti honore primates aliorum semper habebantur. Sed quid tantum res aliorum sequor, C. P. quando in me non minus etiam illi conspiraverint, meam sic e fenestra domum lapidibus expugnaverint, ut qui tum audiebant, concidisse domum, tantus erat ictuum sonus, arbitrarentur. Ita igitur ita sedulo in urbe, quae pacatissima esse debet, tempestas exoritur. Quare tollite, quam primum tollite jacta hujusce rei fundamenta prudentissimi P. Supplicia luant, qui jam cogniti sunt, & complices suos, & si tormentis notos efficiant omnes; quod nisi e medio tollantur, aut hac ex urbe saltem eiiciantur, insultus, latrocinia, caedes hominum media luce factas esse saepenumero intelligitis.

Ex vestro felici studio Ticinensi VIII. Martii 1431.

Dominationibus vestris obsequentissimus Artistarum & medicorum Rector G. Placentinus.

*A tergo*. Patribus Consultissimis Dominis Ducalibus Consiliariis & opitulatoribus ejus maximis.

# GASPARINUS PERGAMENSIS

## ANDREÆ JULIANO SALUTEM.

Ex MS Cod. Biblioth. PP. Matris Dei Luc.

ETsi pridie cum ad te scriberem pluribus verbis, apud te contendissem ut longiores epistolas a me de cetero non desiderares, maxime nunc praecipue brevitatem incusarem; sed cum tunc brevitatem meam nostrarum occupationum ratione & non gratam, necessariam tibi reddiderim, facile veniam ex te spero, præsertim cum te magistro brevitatis utar. Habeo tamen tibi gratias & magnas certe. Cum enim nec breves quidem postquam te totum amicis & reipublicae præbueris literas a te acciperem; id studuit ut si breves, crebras tamen postea reciperem. Ut autem ad te veniam, scio mi Andrea tuam in nullo curam cessasse ut frater meus & item tuus primum haberet locum. In qua re quid adversus valitudinem tuam egeris, quid Daniel meus, velim credas, etiam vobis tacentibus, latere me non potest. Tantum dicam id egistis vestra solicitudine ut quamquam negotio infecto ad me reversus esset aliquando, plus voluptatis ex vestris in fratrem meum studiis percepissem quam molestiae, quod tot labores conatusque in cassum suscepti essent. Considera igitur quid de re hac sentiam, cum diligentiam vestram quae tanta fuit ut major esse (non) potuerit; & successum qui talis extitit ut fortunae ne dum non male *mihi* præter, sed ultro gratiam dicam & scripsi & intellexi; bene se res habuit & forsan quo tardius eo gratius. Voluit enim fortuna hanc difficultatem ipsam non impedimentum muneris esse sui sed fidei & amoris nostri probationem & documentum. Duplicasti autem mihi gaudium cum ad me novissime scripsisti te exemplar *illustris comitis* in epistolas *Senecæ* (forte Senecæ) tenere. Mitto ut jubes ultimum quinternum ut exempletur per deficiens in . . . Cura ut id perficiatur quam citius fieri poterit. Scis me hoc in primis optasse ita ut nihil amplius. Epistolas ad Atticum quas optas cum potui ad te misi; citius id perfecissem sed neque apud me erant neque cui committerem præsto erat. Vale & nostrum Danielem quantum opto jube salvum esse. Datum Patavii 6. nonas Julii.

# FRANCISCI ARETINI

*Ducalis legati ad Paulum II. Pontificem Maximum*

# ORATIO HABITA.

LÆtissimus & jucundissimus de te nuncius, Paule pontifex maxime nuper ad Franciscum Sphortiam illustrissimum ducem nostrum allatus est, quo te certantibus studiis, & mirabili patrum consensu, qui sanctæ sedis apostolicæ antistitem creare debebant, ad summum pontificatus fastigium delectum accepit. Cujus laetitiae cum multae aliae causae enumerari possunt, quas pro temporis ratione explicare longum esset, tum nobis tres praecipue fuisse videntur. Prima illa & omnium potissima visa est quod intellexit princeps noster id quod plerique omnes viri graves & industrii judicant, neminem alium hoc tempore pontificem maximum designari potuisse, cui christiani nominis tutela & defensio adversus immanissimam Turcorum gentem commodius ac fidelius crederetur. Scit enim ac probat magnopere memorabilem illam Caesaris dictatoris vocem, qua dixit semper sibi rempublicam dignitate propria & vita fuisse cariorem, cujus laudem verius, ut existimo, bonus poeta in Catonem Uticensem contulit. Proxima deinde causa equidem verissima atque honestissima fuit singularis in te ipsum & perpetuus ipsius amor, quem tu non solum mutua benevolentia & caritate promeritus es, qua homines qui nos ipsos diligunt juxta Hecatonis Stoici sententiam pari affectu complecti & observare inducimur; verum multis & magnis in eum tuis meritis & officiis. Annectitur huic privatae gratiae publicum tuae patriae illustrissimae cum principe nostro foedus & animorum colligatio, qua non minus quam ipsis con-

conventis & monumentis publicis in rebus suis & consiliis junguntur, atque ita utrimque statuunt seu bonam seu malam fortunam alterius eorum utrisque communem esse debere. His rationibus adductus Dux noster, ut privatum animi sui de te judicium & affectum palam omnibus faceret, simul ut fidem & devotionem suam in sanctam sedem apostolicam testaretur, legatos tuos ad te visendum & salutandum ac suo nomine in pontificem maximum suscipiendum transmisit. Sed mihi cui pro munere legationis injunctum est de tua amplissima dignitate, virtute, & gloria disserere, non leve onus aut contemnendum impositum. Est enim in primis materia grandis, immo vero maxima & copiosissima, quam parva ingenia, ut ait Hieronymus, capere non possunt. Ea sicut magnis & disertis viris sua copia & splendore vim dicendi uberiorem & expeditiorem praestat, ut est apud Euripidem clarum poetam; ita si dispari ingenio & doctrina tractetur, nitor ejus & majestas dejicitur atque exolescit. Tum illud per se vel illis ipsis qui eloquentia plurimum praestant magni oneris est ac discriminis plenum, ut Tullius ait, suscipere ac profiteri se esse omnibus silentibus unum maximis de rebus magno in conventu hominum audiendum. Adsunt enim permulti qui acrius atque acutius vitia judicent, quam recta videant. Itaque quidquid est in quo offenditur, id continuo; caetera quae laudabilia sunt obruit. Unde fit, ut etiam qui optime dicunt, quique id munus promptissime & ornatissime praestare possunt, & expectatione hominum & eventu dubio actionis suspensi in ordienda oratione turbentur, haereant, pertimescant. Quae si viris paratissimis ad dicendum evenire solent, quid mihi nunc spei aut animi esse censeres, nisi me tum parendi necessitas, quae per sese apud omnes excusabilis est, cum tua in rebus omnibus peculiaris mansuetudo & benignitas recrearent, reficerent, adhortarentur; quibus potissimum ducibus & adjutricibus fretus permittam securius vela ventis, atque petenti orationi eventus prosperos imprecabor.

Principio igitur mihi de tua excellentissima dignitate, de apostolatus tui eminentia pauca delibanda sunt, quem si longe supra hominem esse ostendero, si Dei omnipotentis judicio omni creaturae praelatum, si te ejus nutu & voluntate pro salute reipublicae ad id culminis evocatum docuero, illud obtinebo, ut opinor, ut quidquid a me posterius de tua excellenti virtute & bonitate dicetur, haud dubie ab omnibus comprobari debeat. Unde autem aptius de tuo summo praesulatu dicere ordiar, quo magis idoneo auctore uti possim quo te pater B. clariori efferre praeconio quam quo Nicolaus pontifex, vir sanctus & disertus qui te in apostolatu praecessit usus est? immortalis videlicet rerum omnium conditoris Dei & Christi ejus; non enim, ut ait ille quaelibet terrena sententia, sed illud verbum quo constructum est caelum & terra, per quod omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit ecclesiam. Illius certe privilegio fungitur, cujus auctoritate fulcitur. Te enim Salvator noster in Petro, cujus in locum suffectus es, cujus auctoritatem obtines ecclesiae caput, janitorem aulae caelestis, noxarum omnium ac criminum expiatorem simul & arbitrum constituit. Tibi supremi & aeterni regis agenti vicem apud mortales singularis & insueta prioribus saeculis potestas concessa est. Adversus hanc non praevalent portae inferi, ut ipsius Salvatoris nostri verbis utar; huic subjicitur tenebrarum potestas, hac improbi & nefarii coercentur, fideles vero eam verentur & colunt, ac supra mortalem conditionem honoribus prosequuntur. Intueri licet non modo regum & principum colla tuis suppliciter advolvi genibus, ac te ipsum ut Dei vicarium venerari, verum ipsos imperatores qui augusti appellantur, apud quos summa terrenae ditionis est, qui regna & imperia aliis elargiuntur, quorum majestas & potentia dum respublica Romana florebat, diis aequalis ac comparabilis apud gentiles videbatur. Neque vero haec ipsa pontificalis dignitas, etsi apud christianos maxime floruit, non magnis honoribus apud alios celebrata est, quippe enim sciamus pontificatum maximum Romae quo tempore Deorum error & superstitio vigebat, magno in honore habitum fuisse, plurimumque ei ab imperatoribus reipublicae delatum & veteres historiae indicant, & Gregorius pontifex, vir in apostolatu sanctissimus, in epistola ad Mauricium Caesarem confirmat, in qua etiam, ut brevi multa colligam quae accuratius explicare non est hujus temporis, & graviter & verissime Scripturae veteris testimoniis comprobat, sacerdotes ipsos tum angelos, tum Deos ab ipso immortali Deo saepe appellari. Quae si merito jureque de aliorum Sacerdotum dignitate praedicantur, qui tibi ministri & subjecti sunt ac velut membra capiti inserviunt, si eos constitutos super gentes & regna Hieremias profert, dilectus Domini & in utero sanctus, pronuntiat; qualis, oro, tua potestas aestimanda est, aut quo tandem nomine decorari debes? illo videlicet quo te Dominus Jesus, ut Leo pontifex sanctus facundissime dixit, in consortium individuae unitatis assumptum id quod ipse erat voluit nominari, dicens: *tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*; ut aeterni templi aedificatio mirabili Dei munere in Petri & successorum ejus soliditate consisteret. Ad hunc tu locum humano fastigio augustiorem, ad haec maxima christianae reipublicae gubernacula, Paule pontifex maxime, non tam humano quam divino consilio, ut mea habet opinio, provectus es. Quamvis enim non a Deo institutum & provisum putem cum illustrissima Venetorum urbs, incertum majori pietate an fortitudine bellum maximum & honestissimum adversus regem Turcorum grandi impensa maximis apparatibus susceperit, ut homo Venetus, satus familia nobilissima, & qui patriam unice semper dilexerit princeps christianae professionis deligeretur. An non ista satis perspicua & luculenta indicia sunt, te ideo, auctore Deo, pontificem ordinatum quia belli incepti rationibus maxime conducebat, quia tu eo constantius & validius rem sis gesturus, quo te praeter nostrae religionis caussam, quae communis & aequalis omnibus esse debeat, singularis patriae amor ad id negocii acrius ac vehementius impellit. Illud praeterea non absurde dixerim, etsi ista quisque pro ingenii sui captu atque aestimatione accipiat, Petri sedem ac maxima regna & imperia plerumque Dei jussu & speciali providentia deferri, ut parum sibi mathematici, nihil hominum consilia aut astutiae artes vindicent.

Neque vero tu ad molem tantarum rerum evocateris, non tibi tempore periculoso admodum & difficili habenae reipublicae committerentur, nisi vir probatissimus & in omni genere laudis consummatus esses. Quid enim quod ad gentem vel ad patriam vel ad genus vel ad dotes corporis aut animi pertinent quod in te amplissime laudari non possit? Si gentis dignitas requiratur, ex Veneta provincia es, quae & multitudine urbium, & earum opibus & potentia & origine incolarum nobili ac vetusta jampridem illustris & famosa est. Neque enim viris doctis est incognitum Venetos aut Trojana stirpe editos, ut Catoni placet, aut, ut alii volunt quorum sane assertio frequentior est, e Paphlagonia ad Trojam profectos amisso rege eorum Filomene Antenorem in Italiam sequutos; aut Gallorum stirpem esse, quae a Gallis Venetis juxta oram Oceani Britannici incolentibus originem duxerit. Si patriae splendor & amplitudo, quae & ipsa ad felicitatem nonnihil confert; sic enim Simonides Poeta, Lincorum scriptor, docet bene perspecta ratione in primis opus esse patriam habere gloriosam. In ea urbe natus es, quam recte quis opibus & divitiis, magnitudine imperii, gloria rerum gestarum, multitudine excellentium virorum urbem regum appellaverit, ut olim Cyneam Pyrrhi regis praefectum de urbe Roma dixisse ferunt. Sed tu forsitan tam illustri urbe oriundus

dus nullas majorum imagines praetefers? nullo splendore familiae tuae effulges? Immo vero necessariis & parentibus tuis non minus clarus & eminens quam . . . . . . . Nam ut omittam tuae nobilitatis stemmata, quae a longissima origine per viros optimates & reipublicae principes in gente Barborum patritia repetenda essent; ut sileam de germani tui, viri memorabilis & excellentis praeclaris rebus, quas foris denique magnifice gessit; quanto amore & caritate Francisco Sphortiae duci nostro fuerit devinctus, quam illi carus & inter praecipuos amicos numeratus; Quis nostrum Eugenium pontificem maximum non meminit, avunculum tuum, apud quem tu semper pro eximia in eum pietate & observatione filii locum obtinuisti qui cum te prius aliis titulis insignibus decorasset, tandem S. R. E. Cardinalem fecit, ascripsit senatui ecclesiastico, erexit in columnam ecclesiae, quae mox egregia virtute & magnis in rempublicam meritis in montem excelsum evasura erat. Quis unquam virum illum divinum oblivioni demandare potest? aut ejus immortalia in rempublicam beneficia non summis exornare laudibus? Vidimus initio sui pontificatus undique insurgente procella turbari ac misceri omnia. Vidimus flagrantem bello Italiam, audivimus urbis Romae nefarios tumultus, & ne quid nostris calamitatibus deesset, piscatoris navicula magnis fluctibus in Basiliensi concilio agitata ac vexata est. Quo quidem tempore virtus ejus viri maxima enituit, fecitque fidem invicta animi stabilitate, fortunae impetus eludens, veram esse Plutarchi, nobilis philosophi, sententiam, quam in vita Eumenis Cardiani scriptam reliquit: Magnitudinem animi & constantiam longe melius explorari ac discerni rebus adversis quam secundis; cumque e magnis emersisset fortunae fluctibus, dissipasset scelestorum hominum factiones & conatus, qui discordiam optimatum ecclesiae & scisma fovebant, orientalem ecclesiam nostro dogmate magno labore & sumptu, majore gloria copulasset, postremo vitae suae tempore omnia composita & pacata relinquens, praecipuam illam gloriam adeptus est quam Septimius Severus augustus, vir bello & pace insignis, moriens supremis verbis suis velut clarum & memorabile facinus sibi ascripsit, accepisse videlicet initio sui imperii rempublicam turbatam, relinquere vero tranquillam & quietissimam.

*Ita semper scriptores ejus aetatis pro satirici.*

Sed ego te, Paule pontifex maxime, juxta Satyri nostri sententiam, tuorum laude tantummodo minime censeri velim, nec te illis annumerari, quos Cicero in legis agrariae impugnatione commemorat, majorum sola gratia, & illustribus avorum monumentis primis honoribus fuisse ornatos. Tu ipse Pr. B. tu inquam, tua virtute laboribus plurimis viam struxisti ad fastigium quo nunc evectus es. Cum enim multa sint animi bona, quibus homines aditum sibi ad gloriam & commendationem hominum parare possunt, tum illa praecipue aestimantur per quae viri fortes sine emolumento ac praemio cum labore ipsorum aut periculo; aliorum commoda & salutem procurant. Deus est, inquit, ille Plinius mortalis juvans mortalem, haec ad aeternam gloriam via, hac proceres jere Romani, hanc tu ab ineunte adolescentia ingressus perpetua ac indefessae vitae consuetudine consectatus es. Nullus per hos annos plurimos quibus Cardinalis dignissimo officio functus es tuam operam expetiit, cui non eam promptissime & humanissime praestiteris; nullus calamitosus aut iniuria lacessitus tuam opem imploravit, cui non praesto omni studio & industria affueris. Nec te unquam ratio temporis aut valetudinis tuae tenuit quin beneficentia tibi ionata in omnes utereris. Quanti per te oppressione & miseria levati sunt? Quoties te assertore & patrono injuria & calumnia depulsa est? Quam multi tuis honestati beneficiis? Didiceras, credo, praeclarum illud Ciceronis dictum: nulla re alia homines propinquius accedere ad Deos, quam salutem hominibus dando, nihilque esse tam populare quam bonitatem. Haeserat animo tuo tenacius Apostoli sententia, qua caritatem magnificis laudibus extollens longe eam omnibus virtutibus anteponit. Haec te virtus, Paule, ad summum pontificatum extulit; haec tibi aeternitatis aditum & regiam caelestem aperiet; hanc te nunc maxime & vehementissime complecti oportet, quo major commoditas & occasio exercendae virtutis offertur. Juvisti hactenus privatos homines. Multa etiam praeclara facinora ratione per te patrata sunt; multa sapientissime tuis monitis & consiliis publice instituta. Sed tua excellentissima dignitas & status praesens majus quiddam & sublimius nunc a te postulat. Attolle animos B. pontifex, & ut te ipsum superare possis, ac tuas laudes jam partas pulcherrimo rerum certamine tecum contende. Sit ante oculos Constantinopolis urbs regia Imperatorum domicilium, alter religionis nostrae oculus, quae in Asiae Europaeque angustissimo divortio adversus Scithicarum gentium impetus primum condita, paulo ante per summum Christianorum dedecus ab hostibus saevissimis capta & direpta est, fuitque levior clades & ignominia cum Gallieni augusti temporibus milites nostri eam trucidatis omnibus nefario scelere spoliarunt, quo tempore Bisantium dicebatur, quam nunc cum ab hostium furore & foeda barbaria dejecta & afflicta jacet. Illud militaris disciplinae per licentiam bellorum civilium corruptae peccatum & labes dici potest, nec ultra progreditur; hoc tacitam nobis victoriae confessionem extorquet per ignaviam nostram barbaris concessam. Quid ego nunc regni Bosttensinae vallitatem, regis infelicissimum & atrocem exitum, ab insolentissimo hoste trucidati, Illirici populationem, caedes, incendia, & incommoda deploremus? Quid Italiae & Pannoniarum, quibus hostis imminet, non leve discrimen ante oculos ponam. Dies & facultas dicendi deficerent, si haec omnia pro rerum dignitate & periculo recensere vellem. Quin potius immortali Deo & agendas & habendas gratias cumulatissimas reor, qui te opportune admodum rebus fessis opem laturum ad id fastigii praefecerit.

Habes in hac re Venetos tuos adjutores, qui magno animo ante omnes hostem adorti, religionis & fidei suae clarissimum specimen omnibus dederunt. Habes complures alios reges & principes, & in primis Franciscum Sfortiam illustrissimum Ligurum & Gallorum ducem, hominem * ut paulo ante retuli tibi conjunctissimum ac deditissimum, cujus laudes nunc pro merito exequi nec nostrae modestiae esset, qui ejus legatione fungimur, nec mei ingenii & facultatis. Praeterea ubi perspicua rerum adsunt testimonia non esse opus verbis aut eloquentiae floribus optimo Oratore dicente didicimus. Is nunc te ipsum, Paule pontifex maxime, per nos, qui ejus jussu ad te profecti sumus, in summum religionis nostrae Antistitem atque unicum ecclesiae caput recognoscit, veneratur, colit, observat, ac velut optimo parenti, & christianae reipublicae principi colla submittit. Tibi se cum pro tuae majestatis celsitudine, tum pro veteri benevolentia & caritate qua juncti estis, omnia . . . . . . profitetur. Itaque nos ejus nomine quidquid virium potentiae, dignitatis Franciscus Sphortia habet, habet autem haec omnia opulentissime ut nosti; libenti & promptissimo animo tuae magnitudini offerimus ac dicamus.

---

* Felinus in fine haec addit: *Praesens haec resecata fuit jussu ducis.*

QUem hominem quando dixi totum dixi; adeo ejus singularis fama & virtus per ora hominum volat. Quae enim ustio in toto orbe a nostris finibus tam remota & separata est, quae Francisci Sfortiae gloriam & rerum gestarum magnitudinem non acceperit? Quis regum aut principum eum non pro summo & primario imperatore nostro-

ſtrorum temporum multorumque antea ſaeculorum non ponat? Quis bello audacior? nemo promptior, conſilio gravior & expeditior. Belli ſeu pacis ſtudia repetas a radicibus alpium ad fretum ſiculum, quo Italiae longitudo terminatur; a Varo flumine in Liguribus uſque ad Polam urbem; in flumen Arſina, qua latitudo Italiae protenditur, vix regio ulla aut provincia nominari poteſt, in qua Franciſcus Sfortia aut per ſe praeſens, quod frequentiſſimum fuit, aut per ſuos duces & exercitus, quod aliquoties evenit ſuis monitis & conſiliis inſtructos praeſtantiſſima rei militaris facinora non ediderit. Profligavit ſaepiſſime ac fudit exercitus maximos; & robuſtiſſimos Italiae duces virtute & rerum geſtarum opinione aut delevit, aut decepit aut in fugam vertit. Urbes & oppida muniriſſima armis, viris & omni machinarum genere inſtructa innumerabilia pene cepit. At nequid virtuti & probitati ejus detraheretur ita bellum ſemper geſſit, ut tamen pacis conſilia in animo haberet. Ita viatorias ſuas moderatus eſt, ea victas clementia & moderatione affecit, ut P. Cornelium Scipionem, illum dico qui Annibalem evertit, vel victoriae ſelicitate vel ſingulari moderatione & humanitate rediiſſe crederes. Neque iſta a me breviter perſtricta ſunt quaſi Ducem noſtrum laudibus ornare voluerim, altioris id eſſet ingenii, ac majoris operis, & cui orator eloquentiſſimus ſuccumberet aut invideret. Exercitatio quaedam potius & ſtimulus hic fuerit, quo alii ad bellum quod inſtat capeſſendum & res magnas gerendas animentur. Qua ratione virorum illuſtrium ſtatuas publice collocari Auguſtus juſſit; & P. Scipionem, qui Numantiam delevit, dixiſſe ferunt: quando res egregias majorum ſuorum animo complecteretur excitari ardorem quemdam in ſe ſolitum qui extingui non poſſet, donec magna illa facinora adaequaſſet. Sed ut ad Franciſcum Sfortiam redeam tantus ac talis vir conſilio, armis, nunc opibus imperio clariſſimarum urbium pollens te ipſum Paule pontifex maxime &c.

# FRANCISCI ARIOSTI

## JURISCONSULTI FERRARIENSIS

## EPISTOLÆ ET ORATIONES.

*Franciſcus Arioſtus R. P. Claro Juris pontificii conſulto, Venerabilive in Domino Jeſu. Patri novo hodie Sacerdoti D. Ludovico Arioſto S. P. D.*

QUum nuper ex caritate tua Venerabilis Ludovice acceperim, te ad ſeptimum Kal. Majas pro pontificali Georgiano ſummo omnium noſtratium phano primam tuam miſſatum ſolemnia Divo Pio, & ſapientiſſimo Principe noſtro & illuſtri omni Eſtenſi gente, civitateve univerſa, & florentiſſima ſpectaturis, pro dignitate celebraturum: Dignum penſavi, iiſdem pene, ſive & amplioribus adhortationibus affari, quibus alias dum rem, ditionemve Strozzam ad Caſtellarianum & gererem & ſuſtinerem, Peregrinum Corianeum familiarem meum ad tantum ſolemnium cerimoniarum ſeſe per id tempus accingentem de penitiſſimo corde me affatum memini. Quantus ergo, & quam celſus in gradu, ac quam dignus hodie ſis futurus, puto te non ignorare, Venerabilis Ludovice admodum presbyter: Quoniam cum immaculatum agnum ſub honorificentiſſima & ſacratiſſima hoſtia propriis tractaturum te manibus certior es, qui pro nobis fieri homo dignatus eſt, ut nos omnis caeleſtis regni dignos efficeret. Nam ſi illuſtris cujuſvis principis theſaurum eſſes acturus inter ſaeculares praeſtantem, & ſummo te in loco conſtitutum utique judicaremus. Sed quoniam maximi & omnipotentis Dei, & Domini noſtri ſuperſubſtantiale Verbum illud admirabile conſecraturum te, ac pro noſtris admiſſis oblaturum concernimus, Quiſnam erit tam excors, qui te nedum admirari, & pro inſigni honore ac ſpectatiſſimo non debeat? Sed & vereri ſane & colere? Ipſeque imprimis tibi congentilis, Quippe qui licet chriſtiani deferam nomen, Chriſti tamen neque ſatis idoneum imitatorem, neque etiam admirabilis miſericordiae ſuae operum ferventem cultorem me ſentio. Quis namque praeſenti hoc in fluctuanti miſeriarum ſalo aeſtuans, importuniſſimiſve procellis exagitatus, ut ipſe ad penitiſſimi peccatoris ſolitudinem intra magnificentiſſimum arcani cordis templum ſecedens inaeſtimabilem aeternae majeſtatis gloriam tecum agnoſcere, piiſſimae matris, & ſacratiſſimi Domini ſacrarii incomparabilem beatitudinem, tot beatiſſimas ſanctorum ſedes, beatorumque ſpirituum ordines, & mirabilia orbis, & caelorum opera intelligere poterit, ſive ſatis apprime conſiderare, quonam pacto ſecundum nos, atque ex nobis integre, & vere ſubſtantiam ſumpſit ſuperſubſtantiale verbum iſtud, eaque & geſſit, & pertulit, quae humanae ipſius aſſumptionis electa atque praecipua fuere? ſive abunde ſatis advertere valeat, dominum per ignem & aquam, frigus, calorem, famem, ſitim, calumniss, infirmitates, obbrobria, flagella, & per mille, ut ſic dixerim, mortis illecebras fore imitandum; & non modo derelinquendum, ſed & omnibus carhatis viſceribus complectendum, amandum, colendum, fruendum. Potiſſimum quum per clementiſſimae omnipotentiae ſuae invariabilia & incomprehenſibilia quotidiana beneficia, memoriter & intemporaliter admodo peregrinari deceat, ubi nedum ipſe peccantium omnium miſerrimus decido, ſed & qui grandiora perſonant, altiuſque ſenſere, ſicco nuſquam veſtigio contendere potuere. In praeſentia itaque ad te me converto Venerabilis Ludovice te vehementer orans, ex pietate Arioſtum tuum parumper ſuſtineas inextricabilibus pene ſaeculi erumnis obligatum. Quoniam quae ex ingenti noſtra in te caritate proveniunt, pro cari congentilis tui, & vicegermani officio, prove inſtantis temporis qualitate, & pro virili noſtra etiam imbecilli ſerio explicantur. Poſtquam igitur ad tam ſalutare ſacrificium non ſine divino nutu aſſumptum te conſpicio, hortari te ad decus, hortari quoque ad gloriam, & ad ſalutem non dubito, quaſi hoc ſingulare peculiareque, & fideliſſimum ſcriptum, licet de humili mea, & abjecta conditione, ex cordis tamen abundantia depromptum, caras inter tuas ſis reconditurus ſarcinulas. Primum quidem omnium de ſummi Dei & optimi voluntate hodiernum hunc natalitium diem te ſortitum fuiſſe, ne ambigas licet: atque eam ob rem neceſſe tibi fore tantum opus divinumve miniſterium integre navare, & vigilantiſſime perficere, ne in Hieremiae illud deteſtandum incaute decideris, eum intendenter praedicans exclamet: *Maledictum eum qui facit opus Dei fraudulenter, & deſidioſe*. Quinimmo audenti & magno ani-

animo pergas obsecro, ac quamprimum pretiosissimum monile illud, & latentem illam veritatem, salutarem illam hostiam, veram illam lucem, Panem illum electorum, vitam illam permanentem intra manus istas tuas tersissimas, irrefragabili confirmatus fide, totus contritione resolutus admiraveris, consideraveris, contemplaveris, adoraveris. Ah libeat quaeso firmiter credere, & constanter tenere, in eo pane velatam esse divinae essentiae divinitatem illam; illam inquam, quae in magnificentissimo victoriosissimo, & saluberrimo redemptionis nostrae vexillo ✠. impassibilis latuit, ibique adesse invisibilem veram illam totam humanitatem, pro te meque in eo passibilem, & mortalem factam; ibique vivum illum pelicanum, qui pretioso proprii corporis sanguine indignissimos nos, ingratissimosque pascendo redemit, in eoque mundissimo holocausto solum eum esse, qui salvare nos potest. Atque hic Davidici illius reminiscitor carminis: *Miserere mei Deus*: hic gratuita ipsius repensitans dona, hic ex iis gratias agens indesinenter, hic proprias de his abusiones memoria tenens, hic divinorum mandatorum transgressiones recogitans, hic ad tanti muneris inhabilitatem tibi proponens, hic ad lapsus proclivam propriae fragilitatis inclinationem indolens, hic ad peccatorum pelagus meditans, hic meritorum tuorum humilitatem, & vilitatem considerans ex corde auxilium poscito: nam in horas videmus quam benigne ad se in veritate redeuntes colligat, sui oblitos quam dulciter admoneat, remotos a se quam suaviter revocet, quam clementer poenitentibus indulgeat, quam fortiter perseverantes custodiat; quam tenaciter secum stantes contineat, quam intendat ut contemnentes se corrigat, ignaros ut erudiat, confitentibus ut ignoscat. Illic tibi quaeso veniat in mentem adultera illa, quae cum solo Jesu sola remansit; quemadmodum vulnerata cum medico sanante; quemadmodum misella cum summa misericordia: Haud aliter mi religione pater in cordis claustro consistens solus cum solo eo ipso sacratissimo Jesu Christi corpore debellata instanti terrenarum cogitationum acie, fugato carnalium, & murentium passionum exercitu, expulsa mundanarum illecebrarum colluvie, omni ingenio & totis viribus remanere debes. Ibique idipsum humillime, & reverentissime ut pientissimum parentem affare, ut aequissimum judicem vere, ut clementissimo principi supplica, ut vehementi advocato sortem tuam commenda, ut denique verum amicum roga, quatenus de saecularium desideriorum sollicitudine, de ebullientium curarum inundatione, de importuna falsarum imaginum concussione, de continuarum angustiarum compressione, de communi rerum omnium perturbatione, ac de peccatorum situ demum, ac tabescentia liberatus, audire illud veritatis mirandum, & observandum mereare: *tolle grabatum tuum, & ambula*, tamquam de diuturna contumacia, & extrema pene divinarum rerum ignoratione, caelesti gratia factus doctior ad beatam illam sedem, quae in patria tuo miti nomini hodie construi coepta est: *Osanna*: decantando celeberrimis supernorum civium associatus choris libere proficisci contendas, ut hoc pacto secundum Domini opera laborando juxta apostolicam sententiam devotis actionibus tuis optatum tibi, & praestolatum incrementum merito ipse clementer praestare dignetur, ad quem solum spectat & gratias, & perennem impartiri vitam. Quo in loco nostri memineris precor, ac ne quaeso pigeat inter devotissimas oratiunculas tuas anceps misertimae Ariosteæ sortis fatum ex pectore dedidisse: Tuae etenim caritati ingenti fidimus multum, quia in ista prima & adeo celebri consecratione tua inæstimabilis misericordiae fontis sui rivum largiter adaperiat, ut nostram vix alioquin inextinguibilem sitim facile & benigniter, prorsusve sit præstricturus. Cæterum autem illud tecum vi caritatis non obticuero; etsi in pontificum jure sapiens consultos doceas; ut videlicet ad Christi haec consilia quatuor fideliter attendas, quae vobis venerabilibus sacerdotibus praecipua traduntur, cave semper in mente & in memoria habeas teneasve: ad mansuetudinem scilicet & ad profundam humanitatem, veritate asseverante, *si quis percusserit te*, & reliqua ad spiritus paupertatem, jubente veritate; *si vis perfectus esse, vade*, & reliqua: Ad perfectam castitatem, veritate imperante, *qui possunt habere habeant* & reliqua: ad inflammatam caritatem, edicente veritate; *orate pro persequentibus* & reliqua: Quæ omnia clarae generis nostrae benignitati miti isti naturae tuae, celsove ingenio tuo, modestissimae vitae tuae, & laudatissimis tuis istis quum conveniant moribus, facile assequuturam spectatam pietatem tuam omnia securi fidimus: quae ad adipiscendam Sancti Spiritus illuminationem idonea magis esse possunt. Postremo ipse, pudicave & carissima conjux Paula cereos illos duos de florentissimae patriae more, tuae erogans Reverentiae. Quo ineffabile illud & reverendissimum ac adorandissimum Jesu Christi verum Corpus, & Sanguinem, quod dum ad invocandam, consecrandum, & sacrificandum adeo humiliter, & adeo venerabiliter accingeris, illustrare, & honorare queas. Devotis tuis orationibus interim freti, tam dignissimo conspectui intentissime nos dedas. Bene vale.

Ex Carpineto septimo Kal. Majas
Anno MCCCCLXVIII.

# EPISTOLA

## FRANCISCI ARIOSTI JURISCONSULTI

### *Ad Justinianum Cavitellum.*

FRequenti litterarum tuarum lectione, neque sine incredibili jucunditate mirifice recreatus sum. Quod nedum quae fama ad nos delata fuerant confirmari inde intellexerim, Ducalem videlicet te ob unicam & singularem virtutem tuam tam ampli, & pacati Borsiani regni propraetorem designatum: & quod maxime in provinciam cum summa auctoritate in praesentia te contuleris, sed quod & te salvum accipio, ac pristinae illius honestis rationibus quaesitae amicitiae, quae mihi, regnante quondam divo illo, & doctissimorum virorum amatore & fautore Leonello nostrum Ferrariensium dignissimo Principe, cum gravissimo parente tuo N. Cavitello fuerat, abunde memineris: simulve quoniam & perpetuare eam, & pro tua celsa bonitate augere, praesto te velle & re & scripto & praestantissimo scriba meo Francisco Scrophigno verbo enunciante per occasionem significas; quum amplissimae ditionis tuae auctoritatem accommoda ac ad Ariosteos honores fore promptam adeo liberaliter offers. Hic igitur an nun non moveri, an nuo non solari, non refici debeo? Quando ex inspersto quodammodo tantum amicorum mihi tua urbanitate, praestantia tua, tua ista benignitate mihi comparaverim, ac si paterno haereditario nomine, eos quos tunc temporis jurisconsultorum specimen illud adeo ferventer amabat, & caros tene-

tenebat, tam humaniter, tam caritative pro peculiari primordio habere, & complecti, & anteferre omni ingenio studeas. Qua ex re gratiarum turbam tuae auctoritati digne habendam censeo, & ideo Ariostum tuum debiturum sedulo profiteri libet, ac ut Maximus Sandeus sororius meus, qui viceparentis imperium in me tenet, agnoscat oppido curabo; vel quod non ignorem secum tibi esse de maximis florentissimae patriae nostrae Ferrariae negociis assuetudinem quandam haud quidem vulgarem, quod & caeteris congentilibus meis facturum me non eo inficias, ut cum omni ex parte ingenii tui excellentiam ament, vereanturve auctoritatem. Id quoque ferventius ob Ariosti tui de se benemerita tua faciant, quoniam potissimum nullis suffragantibus meritis meis, me & amore, & honore adeo incredibiliter afficias: quos quidem ipse actutum spero gratissime laturos, licet Ariostus tuus in tam florida gente omnium sit humillimus; neque ideo decet, Justiniane humanissime, adeo dignis epythetis humi prope jacentem prosequi, & quod lingua, fortunis, forteve minimum valeam, & cui satis superque asciscendum duco, Ducali & humana plusquam benignitate per hujuscemodi magistratus qualibus fungimur, cum hac vita quod reliquum superest transigere posse: atque eam ob rem cum ad Julias Kal. prorogatum per proxima superiora comitia praetoriana hanc mihi Carpinetinam jurisdictionem intellexissem, & ad id temporis spectatum Lucam Bertanum Nonantulianae praeturae designatum, & quia ad Mozadellias cum ingenti commodo, & honore vices ducales gereret, eo ipse per ipsius resignationem animum applicui, ceu nuper tuae auctoritati perscripsi, quo tuae auctoritatis virtute me sibi forte suadente successorem constitueres: nunc vero quoniam audio Charybdeum fretum tot motus, tantas variasque nunc habere agitationes fluctuum, quantas perturbationes habet, & quantos aestus res Mozadellensis, decidi animo. Cum autem ne praecarissimo vicefratri meo Federico Galleano molestiam uspiam inferrem, ni forte pacatis rebus a tua laudatissima virtute aliud ipse pro tua admiranda in me caritate Ariosto tuo suaderes: nam fidelissimo, & amantissimo Justinianeo arbitrio Ariosteam sortellam usquequaque prorsus subiicio. Bene vale.

Ex Carpineto Kal. Martias MCCCCLXX.

# EPISTOLA FRANCISCI ARIOSTI
## JURISCONSULTI FERRARIENSIS

### *Ad Legatum Bononiae in commendationem Carthusiae Ferrariensis.*

REverendissime in Christo Jesu Pater & Domine Domine mi singularis & colendissime. Cum universa haec regio tuae sincerae fidei merito per sedem apostolicam demandata sese felicem atque beatam, ob tuam caelitus demissam delegationem, firmiter putet, quod tuis ineffabilibus innatis a natura ipsa ornamentis, vitaeve, ac morum praestantia, rerum fauste gestarum experimento freta, nullis se perturbationibus concuti, sive ullis angustiis quassari posse penset, vel eo maxime, quod admirabili tua prudentia lapsa, ut ille diceret, erigas, fatigata repares, & omnes in rectam lineam, ad videlicet religiose christianeque vivendum pro tua probatissima sapientia deducis: ideo ipse etsi peccantium maximus ad Reverendiss. D. tuae pedes provolutus Carthusiensis ordinis factum quoddam insolens, quoniam dignissimus ejus factus es divina providentia protector, vi caritatis succensus, ipsi tuae Rev. D. palam facere institui, tum ut commissi gregis electi partem tuearis, atque defendas; tum autem ut quorumdam reprobum sensum ita pro tua singulari sapientia dignoscas, ut quamvis in partem animadvertendum esse religiose censeas. Quod si nunc me ipsum hanc in rem erumpentem fortassis admiratere; illud velim Reverendiss. D. tua non ignoret, quo mirari omnino desistat, longum esse post me clarissimorum, & amplissimorum virorum ordinem mecum idem sentientium, idemve indolentium, ac idem optantium, & qui, me tandem scribente, manus retraxerint, pensames Reverendiss. D. tuam auctoritatis non parum humilitati meae adhibituram; cum de re minime dubia serio me tractaturum siderint. Ut ergo propositi mei summam accipias Reverendiss. D. sic habeto. Temporis nuper ex generali Carthusiensium Synodo ut commissarii hoc in Ferrariense Coenobium a divo pio, & Illustr. Principe ac rectissimo Duce Borsio Estensi longe instructum, longeve opulentius fabrefactum, quam antehac in Italiae ora consuetum esset, demissi sunt ut, quoniam novum est, & in eo quorumdam monachorum contumacia quicquam suboleverat, novis legibus & institutis informarent, ambigua dirimerent, dissidentia componerent, infelixque lolium ab ipso tritici grano cribrando secernerent. Quod sane aequitati jurique, & ipsius Carthusiensis religionis conservationi, constantive augmento cedebat; nisi a senioribus, ut ille penitus, egressa esset iniquitas de Babylone. Et ut rem aggrediar, satis superque Reverendissimam D. tuam, & fama, & reipsa venerabilem hunc patrem in Domino Jesu D. Jo. Momfortinensem novisse puto, quod quamplures annos per sacram Carthusiensium haeremum sancte integreque versatus non immerito in probatissimum ac dignissimum praefectum huic magno atque magnifico Coenobio a patribus designatus est, ac si verus anachorita, & salum hoc imbecillis vitae nostrae annavigandi sapientissimus, gubernator sanctos mores suos, ac ingenium suum penitus religionem redolens, hosce nostrates monacos edoceret. Sicque etiam sese hac in parte gessisse tuam R. D. non ignorare certior sum, ut facile intelligat quemadmodum per omne id temporis, quo sub se haec ipsa monacorum congregatio floruit, nedum pro priore, sed pro ipsius religionis adinventore aestimatus est: Unum tamen quoniam adversarius noster tanquam leo rugiens semper circuit quaerens quem devoret, dum superiori tempore pro Illustr. & sapientissimi Domini nostri Ducis Mutinae hujus Carthusiae dotis donatione apostolica confirmatione, divini Principis favore, & assensu interveniente impetranda Romanam in curiam se concessisset. En spiritus malignus quosdam in monachos ceu lupos inter oves, pastore absente, introivit, ibique saeviter ab vicepriorìs obedientia pauci illi declinantes usque ad constantem rebellionem propria temeritate, & diabolica instigatione devenere; quod verendus hic pater per felicem ejus reditum non sine amaritudine, & ingenti dolore comperiens adeo moderate causam cognovit, ut dignitatis suae auctoritatem vehementer adauxerit; ac eam ob rem cum quendam jure captivasset, quo sibi gloriari de malitia sua non liceret: Ecce quidam ex his corrupto custode, confractisque vinculis, in quibus etiam commodissime, & honestissime distinebatur; temerario ausu fugitivus & omnino rebellis, nescio quibus laicis & pro-

profanis auxiliis, in Carthusiam iter arripuit; ibive contra veritatem de venerabili Patre nostro, suisve discipulis molitus plurima commentitus est. Sic tres ii judices praesertim quod eorum aliquos optimo patri nostro infensos dignoverat ab eo petiti, efflagitati, & fictionibus, & mendaciis fugitivis imbuti delegati sunt: ii ergo ad vetus odium antehac conceptum animum referentes; tum autem ad nefarii rebellis suggestionem succensi, primo in congressu conviciis, & contumeliis, ac ignominiis, quibus magis mortificantem spiritualiter, non decuit, adeo verendum patrem non secus afficere, ac si famescens & mendicus lupus in innocentem, & jacentem oviculam invasisset; ibique bone Deus qualibus calumniis, quantis injuriis, quantove diverso minarum genere non culpabilem animam vexaverint, ulcerarint, laceraverintque, non est nostrum hoc loco recensere, neque solum eum patrem, sed & duos hos venerabiles monachos probitate vitae, & celebri sanctimonia praeditos Dominum Jacobum Ferrarium hujus ordinis procuratorem, Martham alteram non ab re hactenus appellari emeritum, ac dominum Andream Pannonium vicarium dignissimum, virum utique exemplatis vitae, & divinae scientiae doctrina illustrem, mitem, pium, & omni religiosa dote refertissimum, & tanta nostra in urbe, ac apud sapientissimi Principis nostri D. B. splendidissimam aulam auctoritate venerandum, tandem Rev. D. ad id, ut sic discrim vesanae ii judices Susannae judicibus nequaquam dissimiles devenere; quod, postquam dolus non fuit in eo inventus, & postquam malignitatis antea conceptae machinationem adversus tantum innocentiae, & ob sapientissimi Principis nostri prudentiam intervenientem omnino exequi non valuerunt, quod tamen nequiter potuerunt, injuria, & injustitia evidentis eorum malignitatis indicatricibus inconsiderate declararunt. Primum ipsi quidem liquido inobedientes, & constanter rebelles fugitivos & execrabiles nedum impunitos dimisere, sed & in pristinum eorum statum reliquerunt, & ita ac si nunquam minimum eorum perpetrassent, in quibus adeo perperam collapsi penitus perierunt. Contra vero hunc verendum patrem tam amplae religionis sine macula speculum, & hosce duos venerabiles commonachos ira exardenter excanduere, ut obsequentissimi Prioris patris dignitatem non aliter arctaverint, ac si vilissimus esset ea in religione conversus, omnes ferme habenas de prudentissimi ipsius manibus abstrahentes, ut non excellentissimo solum ordini Carthusiensi, sed & nobis, qui devoti sumus mirabilem addant ruborem, ut pudeat manu hac laica tantum levitatis, tantumve abominationis exarare. Procuratorem vero integerrimum virum, ac si dissipator extitisset sine causae cognitione, impetu iracundiae ab procuratione absolvere. Venerabilem autem D. Andream Pannonium hactenus vicarium meritissimum, & virum innocuissimum contra omne fas, omni amplissimo Cenobii hujus officio per universum vitae suae tempus, rem inauditam, nulla adhibita ratione temere & inconsulte privavere. Quid haec mirari licet? sive quid hic nobis immorando indolendum; quoniam tantorum judicum haberi maxime non solum contra propriam ut paulo ante religionem rebellio, sed etiam adversus, & contra sacram apostolicam Sedem manifeste constet? Superiore anno Rev. D. singulare apostolicum breve ad venerandum patrem D. Priorem nostrum emanavit, in quo quidem sub excommunicationis vinculo, & in sanctae obedientiae virtute Sanctimonialium B. Antonii monasterii cura, omni remota exceptione, suae R. demandata est, & ut brevibus agam reverenter accepta, maturissimeve, & sanctissime hactenus coepta: ac, ut nihil Rev. D. tuam lateat, id ideo impetratum est, quoniam tanti monasterii ipse sapientissimus noster patronus & Princeps; in eoque soror quaedam ipsius neptisque suae celsitudinis cum circiter sexaginta professis ex urbis nobilibus sancte religioseque sub probatissima vivunt observantia. Itaque sub viridi patris nostri disciplina Deo hactenus per hosce paucos menses militabant; cum Carthusiae commissarii, quibus de actum est, quibus auctoribus, sive qua auctoritate ignoratur, ab ejuscemodi cura propria malignitate cum arcuerunt, & eam sibi penitus inhibere praesumpserunt, & quod maturissime & motu proprio Sedes Apostolica constituit, ii contraire, & enervare adeo impudenter attentarunt: proh nefas, & utique execrabile factum! Quis enim tam excors, ac tanto furore duci posset, ut haec adeo insipienter, adeoque crudeliter perpetraret? Quam ob rem ad Rev. D. tuam, ad tuam Summam rerum tenentem in hac regione ditionem provoco, ut unus ex enormiter legis, & ex iis qui de contra fas omne jusque perpetratis offendimur, scandalizamur, devote humillimeque supplicans ac obtestari non dubitans Rev. D. tuam, qua divinitus datum est, ut a se protegantur, ut defendantur, ut eorum probe & sancte gesta exaltentur, & super candelabro colluceant. Nusquam virtutem, nusquam morum claritudinem invidiae seu malignitatis calce contundi sinas, contusam quinimmo refoveas, & ita venerandum patrem nostrum D. Priorem, ac duos eos venerabiles commonachos tuearis atque respicias, ut prorsus pristinam in conditionem sors eorum dignissime restituatur. Ad sanctimoniales vero nostras sic animum benigniter inducas tuum R.me D. ut in piissimam hac causa tam pretiosarum oviculiarum tuarum curam ad animum tuum, ceu ad proprium verumve pastorem pertinere omni ex parte declares. Quae omnia cum ad Rev. D. tuae summam spectent auctoritatem, non vereor quin graviter, & mature tete, ut in reliquis e te fauste gestis soles, feres, ut facile brevique simus cognituri, justos justificari undique, sordidos autem passim sordescere oportere. Bene valeat Rev. D. tua.

Ex Ferraria idibus Juniis MCCCCLXVII.

# EPISTOLA

## FRANCISCI ARIOSTI JURISCONSULTI

### AD DIVUM HERCULEM ESTENSEM NONDUM FERRARIÆ PRINCIPEM

*In commendationem Felini Nepotis sui.*

FRanciscus Ariostus Illustri, & Magnanimo Divo Herculi Estensi plurimam salutem D. Nihil me unquam magis ad te litteris meis adeundum pellexit benignissimum Ill. Estensis gentis columen, Dive Hercules, quam hodiernum clari, & excellentissimi ingenii Felini Sandei praecarissimi nepotis mei factum quod caelitus datum esse conspicor: sacratissimorum jurium lumen, in eo adhuc adolescentulo te Ducali Borsianave cura, & patriae spe, quibus magis possis nervia impraesentiarum ceu alias

dexter

dexter occepisti annuente splendescere, qui quum tua, ut ille prope sit factura, quoniam licet ab optimis parentibus esset, bonum tamen esse a tua magnanima benignitate sibi comparavit; ideoque jampridem tuae singulari virtuti sortem veram omnem jure consecravit. Cum enim superiori eo anno, quo post passim palantem pestem divina misericordia in patriam tuto regredi datum est, Felinum e primis pontificii juris elementis excessisse, seque admodo praeceptioni accingere accepisti: an non ex liberali Ducali patrioque aerario sibi annua stipe decreta per clarissimos gymnasii magistros ad sacrosanctorum decretorum canonicam interpretationem publico favore designari mansuetissime jussisti? Quippe cuique dignum & quam sollicitans addideris calcare, supervacaneum foret hoc loco disserere: nam cum ea in parte, ea sanctorum patrum dignissima instituta omni studii sui conatu enucleare, & enodare incepisset, ubi de Romani & summi Pontificis potestate subtilissime disputatur, adeo argute, adeo eleganter se gessisse meminimus, ut ob mirificum illud omnes obstupuisse decuerit, neminem videlicet tanta in urbe nedum juris utriusque condiscipulum, sed neque jurisconsultum quidem, sed neque etiam theologum nostrum hunc ipsum adolescentulum pro magistro usque dedignatum. Sed parum quidem dico, cum suo ipso in decreto onere sibi satis esse, uti fere omnes assuevere, facile potuisset: at amplius quidem sedulo animosissimo Felino nostro, non sorte, non precario ut plerumque evenit accedebat, quod ipsius eminentis ingenii celsitudo omnes vehementer excitabat; ut vacante cujusvis clarissimorum sede, unus ipse hic noster, uno omnium ore, & tua benignitate senatuque tuo auspicatis subrogaretur: nam si venerabilis Theodosius spetia Pontificum jurium vetus interpres praestans, sive in Germaniam ad Augustum Caesarem, sive alias in urbem ad Summi Pontificis pedes delegebatur Ducalis orator: nemo alius quam adolescentulus noster sive a gymnasii majoris benignitatis tuae ductu Theodosiam inferebatur in sedem. Etsi quando Bellencineus ille fructuosissimus & gratissimus locus humanissimo suo, & edocumatissimo sessore vacuus remansisset: an non Felinus jure quodam proprio omni auspicato Ferrariensis gymnasii concilio, & senatoribus cunctis tuaque mansuetudine eum sibi vendicabat. Cumque superiori aestivali solstitio excellens hic jurisconsultus Philippus Perusinus, ac gymnasii Ferrariensis singulare condimentum gravibus inureretur febribus, non ne ex universa viribus operam dantium juventute, & ex tuo senatusque consulto Felinus noster selectus est, qui Philippeas merito subiturus esset vices? At postremo ubi paulo ante humanissimo illi quonam, & sublimis animi Ugoni Trotto tanto jurisconsulto, mortifero laboranti morbo sublector quereretur; quinam quaeso & apud gymnasii clarissimos magistros, & ante tuum hunc prope divinum conspectum suffragiis senatoriis unanimiter convenientibus, nisi noster Felinus decretus est: ac si propria ejus decretorum interpretatio tanto ingenio parum esset, sibique diei & aestus uti fortissimo equid pondus deferendum fuisset. Quas ob res tantum sibi animorum conquisivit, ut in se omne gymnasium oculos convertat; & studiorum suorum desideratum constituat finem: ac si prope diem non dubiter tua perspectissima benignitate fautrice hoc doctore mirifice profecturum, & ut intelligas quanto animo Felinum nostrum universi prosequantur, juvat perstringere, quae de homine ex publico concilio inito hesterno die tuo accipiente senatu prae se tulere, quo propensum ad Felinum nostrum animi prudentis tui judicium ad se amplectendum, augendum, fovendum violentos incendas: Gymnasii ergo civilis & canonici princeps una cum Illustribus gymnasii praesidibus, juriumque interpretibus clarissimis, & universis juri operam dantibus Senatum tuum introgressus, & pro more honorifice admissus communitatis suae graviter perorans, & tanti concilii commodum decusve omnium vice senatui commendavit: & adeo quidem ut in spectati Felini Sandei singulari doctrina, (ut in P. Scipionis prudentia Romani rem suam) studiorum suorum spem summam fore penitus senatus dignosceret. Qui in eodem fato iisdemve auspiciis, quibus praeclarus quondam jurisconsultus Ugo Trottus noster Pontificium jus interpretabatur, a gymnasii magistris clarissimis non admitteretur male universitati suae consultum fore, quoniam neminem pace omnium dixerit, aut ingenio, aut fiducia doctrinae, sive tantae praeceptioni magis idoneum novere, aut qui gratior sibi unquam esset futurus, qui plenum de se periculum dederint: ideoque eorum commoditati mirifice accessurum, si se hac in parte pro votis respexerint, ac tanto eorum commodo, tanto patriae splendori, & inexplicabili eorum desiderio facere satis dignabuntur. Quibus sane & pro rei locique ac temporis qualitate, quod a Magno jurisconsulto Annibale Gonzaga graviter, & pro votis eorum responsum est: a sapientissimo quoque Ludovico Casella reliquis consenatoribus annuentibus confirmatum est, & adeo quidem ut in spem maximam erectum gymnasium omne ac solatum abierit: quamobrem licet ipse tanti senatus princeps tunc temporis regia quavis praepeditus cura non consedisses, quoniam tamen ejus summam tenes oratus sis humiliter precor, tam perspicacis, & vivacis ingenii Felinei devotissimi tui, ut abunde superque nosti partes totis ulnis amplecti, fovere, & adjuvare; & tantae universitatis preces vacuas ire non sinere, & amplissimi civis tui, nostrive omnium, qui te admiramur, & unice colimus supplicationes Leonellia illa prisca, & prope divina ac parentalia vestigia imitans benigniter respice. Quum caelo favente futurum speremus uberes, & dulcissimos fructus ex hujuscemodi plantis tuam benignitatem quondam suscepturam. Bene vale humilis & prope infelicis Ariosti tui non immemor.

Ex libraria cella X. Kal. Decemb. MCCCCLXVII.

---

# FRANCISCUS ARIOSTUS

*Claro philosopho & gravissimo Medico Bonfrancisco Arlotto Regiensi S. P. D.*

QUum amplum atque magnificum Carthusiensium Monasterium, quod aestivo in suburbano magnanimus ac Illustriss. Mutinensium, & Regiensium Dux hic noster, & temporum nostrorum principum splendidissimus Borsius Estensis ingenti opum vi longe opulentius, longe instructius quam antehac in Italia consuetum esset extruxisset; Vacuus ipse ad duorum tamen Apostolorum Christianam hodiernam concelebrationem mentem contendens adiissem; Venerabilis hic noster Andreas Hungarus tanti haeremi Monachus en sese mihi obtulit, vir primum omnium scientiae doctrina praeditus, & sacrarum litterarum edocumatissimus, ac anacoritalis disciplinae singulare, & spectandum exemplar; tum autem caritatis zelo adeo defervens, ut inenarrabilis pene pietatis vi aestuans alterum Zelotem hodiernum ad Simonis instar, & alterum fidei coreulum exardens in Judae vicem digne dici, ac jure appellari undique possit. Quod cum alias, & saepe numero acceperis, in praesentia maxime intelligas velim: nam

ubi

ubi primum librariam hominis ingressi sumus cellam (haec enim vivo adhuc mihi, & hoc in praeteritionis meae infelici tempore tumulus est) suae illae ad te ante oculos occurrere; quasi fidei meae ex corde commendans, quo tuae dignissimae auctoritati eas fideliter reddi juberem, de tuorum morum integritate, & naturalium excellenti scientia diffusum sermonem faciens in tantum incensus est, ut illud subjiciens, te videlicet in recidivam incidisse, nonnisi gemitibus, nonnisi utique lachrymis Ariosto tuo duriter, & graviter accipienti rem intiare potuerit: Quod profecto non tantum noti, non tantum amici, non dicam cognati, sed & ipsius inquam veri, & pientissimi parentis officium est. Qua quidem in re id hominem indeficienter angebat quod solandi tui seu visendi coram sibi facultas sufferretur. Quandoquidem sibi is inesset animus, quem dum proximo sextili febribus ad finitimos angelos detineri sentiebas, cum frequenti & pio accessu monachorum & suo illo Venerabili conspectu te ingenti angore plurimum levatum dicere solitum ajunt, quando potissimum illud tibi in mentem veniebat quod ad sedandum languorem cari nobis ceu geminae accederent alae; veluti enim eis ad pastum aves, ad fontes, ad nidum sine labore sine anxietate feruntur, referunturque, & ab insidiantium imminenti discrimine liberantur; sic & iis laeto vultu juvantibus adhortationibus, salubribus consiliis, & perspicua caritate, cujus admirabili frangimur virtute, oblectamur, erigimur, liberamur, & de prope desperata vita in meliorem ac felicem multo immutamur, ac producimur. Quod itaque cum re ipsa juxta exardentis animi sui desiderium efficere minime valeat; illas dedisse, voluisse, quae iis inseruntur constituit; ut sui quodammodo ipse reminiscens instantem molestiam mitiges, & forti constantique animo, uti caetera soles adversitatia idem ipse infractus propellas: Nam licet philosophum profiteare, cujus proprium est sibi ipsi sese ducem, sibi ipsi sese magistrum praestare, non tamen quae ex ejus penitissimo pectore, & tuae gravitati deditissimo proveniunt, non nisi lenire, nonnisi denique curare posse tibi ipsi habes persuadere: Et animum non quidem ad quotidianas illecebras, ut ad aestus, ut ad administrantium inscitiam, ad farmaca, ad potiones (nam ad haec nauseare anilis mulierculae est) ne fastidio conterare applicare debes. Sed ante omnia ad supersubstantialis illius indeficientis verbi omnipotentiam, qua utique agimur, hinc vero ad praeservandum illud fragile corpus quamquam in divini numinis templum dicatum, tum autem demum ad amicorum, ad parentum, ad propriae famae, ad honoris proprii utilitatem & decorem gloriamque dedenda est mens ipsa: Quae omnia altro mihi sese offerunt, quod certo sciam te Christianissimum imprimis, & optime sancteque de Deo sentire, sciamve te naturae commoda non aspernari. Quod autem in parentes patriamque sis gratissimus, vel inde perpendimus quod nuper liberum te nusquam profecto censeas, ni intra eorum ulnas, in eorum amplexus sospes rediisses: Quonam vero pacto amicis honorique facere satis possis quod omni ingenio curare ut valeas? Quo inter philosophantes ceu princeps ut assoles gymnasium Ferrariense, & gymnasii fautorem divum Pium, & excellentissimum Ducem Borsium illustres. Immo vero etiam quod te languente dispereunt tuo illo expectato adventu in spem erigas ignoramus: An num es nescius philosophantium coronas te adveniente disputationum floribus intexturas, absente vero languendo perituras. Qua fit ut si id tua causa factum iri concernant, quo auctore, quo duce uti, fruive possint profecto tolles quando te ament, te unum honorent, te solum digne vereantur, qui tibi doctrinam, qui decus, qui splendorem possis addere, quo solo naturae vim, quo unico rerum causas dilucide cognoscere valeant. Quid ergo vir insignis agis? Quid moraris, quid non te ipsum superas, & quid te torquent nervis omnibus non exterminas? ut tanto bono fxveas, totve inhiantibus animis opem auxiliumque feras? quale ii afferre illis consueverunt, a quibus pro Diis, ut ipse in terris, ut sic dixerim habiti sunt. Bene vale & salutem tuam ocius diligenter curato, & te ipsum solator ut ipse consolandi nostri causam praestes: Iterum vale ex Venerabili Patri meo Andrea Hungaro Cartusiano.

Ex Ferraria quarto Kal. Novembres anno MCCCCLXIIII.

Altiprandum gravem jurisconsultum, & germanum tuum, ac virum integrum ex me salvere jubeas precor: ac illud te obtestari licet, ut si bene valenti tibi visendi Reverendiss. Vestrum Regiensium praesulis facultas praestetur, Ariostum tuum dignissime Rever. suae commendare quantisper possis libeat.

Venerabilis Pater quum ex tua Reverentia discessissem has excudi, in quibus tuae includentur: Sed oro relegas, & rescribas, si quid in eis sit castigandum, tua enim lima uti velim: dehinc remittas, ut transcribam, & in eis tuas recludam. Bene vale mi Pater, & pro tuo infelici Ariosto ores precor. Ven. Patrem D. Math. ex me hortator, ut salutem curet.

# F R A N C I S C U S   A R I O S T U S

## FELINO SANDEO NEPOTI SUO S. P. D.

PLures ex tua singulari praestantia Feline nepos accepisse me scito, quas ipse quidem ignoro; etsi a nemine viventium gratiores, & acceptiores perlegam: plus ne tamen Ariosto tuo doloris, an autem jucunditatis accreverint: quandoquidem angores meos tacendo tecum dissimulare, & supprimere hactenus necesse habuerim; nam si ad eas zuccareas & ingenii tui celsitudine dignas respondendi rerum fesso huic calamo licentiam dedissem; ingratius fortassis quam res ipsa exegisset perlatae fuissent, quod nonnisi ex jure tumultuanti animo, & procelloso provenissent: nunc vero sedatis pacatisve rebus tum temporis omnia secum ferentis diuturnitate; cum vero ne tantum ingeniorum, tantum amoris in me tui videar aspernari, neve de me tantum de caetero queri videare. Quum in horas in me tui ardor quidam cor inurens tui videndi, te contemplandi, te admirandi violenter succendatur, ad vehementias has tuas prorsus pellectus irrumpendi silentii occasionem sumpsi. Ipse igitur ut ad partes respondeam, licet ad non esse admodo contendam; tuam tamen mansuetudinem, ne dicam pro non ente habere me, sed pro eorum summo, dignissimove in pretio & honore non vulgari aestimare: ideoque ubi quamquam succensere iis, qui decori, splendorive Felineo insurrexissent fuerim visus, jure id a me factum ne ambigito. Quum inestimabili vi amoris in excellentem virtutem tuam permotus, quicquid tuae praestantiae valuissem possemque impendere, nomen & famam respiciens, omni ex parte conferrem. Eam itaque ob rem ad jucundissimum illud, & rarissimum nomen tuum si erigebar, si recreabar ne mirator. Quod autem me obsecras amem, sic velim intelligas pro peculiari accessione habere me

ubi

ubi pergas pati me non observari modo sed a tanto virorum diligi in quantum existi: ac si quando propriae prudentiae, quae prope nulla est inniti aliquotiensque videar, non sane intelligor; angi etenim premique licet intra infelix hoc pectus, & Domino Jesu fluctuantis Ariosteae cymbae sortem ancipitem credere convenit: quandoquidem non habeam cujus alterius prudentiae inniti queam: posteaquam in me pietatis pristinae viscera indigne concludi, & consuetae caritatis flammam undique restingui concernam, datam crediramve fidem non sine acerbissimo dolore falli posse videam; sed haec alias: quam humilis, & desertus admodum hic tuus Ariostus nedum despectus est, sed nec honos, nec decus, neque piissima ipsius causa ulla respecta. Et denique ad tantum infelicitatis deventum, ut ad cordis radices gladius mihi ac quidem re admotus sit. Ad Cumanam perfidiam me reicio, quoniam falso putas dulcissime nepos Ariostum tuum te eos sibi praetulisse pensasse. Quum etsi universi juris civilis ingentia Bellothea volumina dono ultro dignitati tuae eshibuissent, nullus tamen mihi locus secus existimandi de te daretur, ac si Ariostam causam seu Sandeam esses gloriosae tuae vocis munimine fretus patrocinaturus tutaturusve: missam ergo opinionem eam cassamque facito, quod autem Felino meo deliciis meis, & splendore meo insalutato ratem solverim atrocibus perfidissimorum Cumanorum immerito lacessitus injuriis ob tam constanter laesam patientiam meam justum in furorem decidisse me non inficiari licet. Quare cum hic me teneas ad tuarum calcem respondeo: quemadmodum videlicet mi Nepos vitae mihi dulcedo, ut ille pariter & gloria te amo, & adeo ut ignorem quem nam mortalium dignius, aut ardentius amem, sive amare debeam, possimque. Et hujus ratio tot secum desert adamantinas catenas, ne nedum humano disrumpi ingenio sed neque nummario quovis pretio exolvi quirent: praeter congentilitatem qua clarissima muliere Francisca pientissima parente tua, & observanda sorore interveniente mihi congentilis ortum habuisti: praeterquam inaestimabilia tua ornamenta, dotesque praecipuas, quae te ita efferunt, ut ad ea omnia aequanda ne dum superanda conterraneorum nemini aditus relictus sit. Tantus enim in te honos abundat, tantum refulget gratiae, ut singulari amore non solum me ad te mirandum, sed omnes invites caritate, omnes attrahas affectione, devincias humanitate, possis omnia persuadere. Itaque ea omnia, quae te illustrant, & obligatum me tuae virtuti continent in medium prodere & tantum adstruere opus anilis imbecillitatis meae hic non est locus: sed quoniam suavitatem tuam degustando cognovi nimirum si in te delector, in te instauror, in te reficior, ad te rescribens beari videor: Itaque intemporaliter fideque alacri, & sincera te digne amo, observo, colo; amabo, observabo, colam. Bene vale, & ubi commendationes de me valere posse pensas, eas innitenter facias quaeso caraeve parenti: & clarum philosophum meum phisicumve, & dulcem Ludovicum cum omni Sandea florenti salvos ex tuo Ariosto facito.

Ex Carpineto Kal. Novembribus MCCCCLVIII.

# FRANCISCUS ARIOSTUS

## *FELINO SANDEO NEPOTI SUO S. P. D.*

SI nec unde optatiores litteras perlegis dulcissime Nepos quam quae hinc, ubi tuus Praetor designatus est Ariostus proveniunt nulli hominum dubium este debet: quoniam quae aliunde tuae urbanitati redduntur, licet etiam ex totius orbis cardinibus mittantur, aut proprio commodo intendunt, sive proprio inserviunt honori. Sed quae de nivosis his montibus, & ventosis his cautibus recipis non nisi verum amorem, integramve, & spectatam tuae mansuetudini referunt caritatem: Et idcirco si a nobis tuae factum satis fuerit virtuti, utique laetamur, vel eo quia gravi auctoritate tua apposite discretum sit, quamobrem taciturnius tantisper tecum perrexerunt. Sed quod alias ad me perscribens ingenui animi tui valvas adeo patentes feceris subdoleas, illud perhorrescens, ne quid fortassis Ariosteas offenderit aures, sic me animum induxisse meum scito: Nil penitus ex Felineo isto pectore tot congestarum virtutum templo exire posse, quod nedum Ariostum tuum tantis pressum malis, ne dicam possit laedere, quinimmo quod se non mirifice delecter, foveat, augeat, recreet. Tanti Felini mei vires animi, tanti acutissimi ingenii vim, tanti humanitatem pendo: Quod si uti scribis per occasionem diffusius ipse, & frequentius litteris mecum egeris quam in praesentiam ob ingens gymnasii serventis pondus tuae humanitati adjunctum, & ad commentandos canones, & ad eos pro dignitate interpretandos te intendere oporteat: ac si esses insupportabile onus delaturus, officio quidem ipso inserviens: an nun gratissimum perlaturum me putaveris, ubi de patriae magnificentissimae conditione, de excellentissimi Principis pii divi nostri quotidianis, & praeclaris ac memorabilibus gestis, de omni Sandea gente, genteve Ariostea; tum autem de amicis, & congymnasiarcis tuis, potissimum vero de discipulis tuis; quot scilicet illustres te digna honorent, observent, vereantur. Quo ex loco sacratissimarum sanctionum diurnas assumpseris lectiones: Quem Felineae virtutis aemulum gymnasii magistri constituerint copiose descripseris: Nam licet ipse uti paulo ante ad dissolvenda juris pontificum aenigmata sedulo intendas, & adeo audientium tuorum numerosae catervae adolescentulam etiam aetatem tuam satis esse vix quire ingemiscere videare. Quid juventutis imbecillitatem cum singularis praestantiae tuae virtute penditas? Ne quaeso ad mulierculeas tantum animorum deflectas querelas: sed ad ea constanter attendas, quae divinitus adeo benigniter caeli obtulere: Eave ita discrete cognoscas necesse habeas, ut ea ad summam gratiarum demissam tibi caelitus adscribas: Ibique dilucide deprehenderis merito nostra triumphanti in patria, & ab principum sapientissimo, ac ab ipsis patriae patribus istam in escelsam jurisconsulteam sellam clarum Felinum meum dignissime designatum. Quippe qui ni vivacis ingenii, placidæve & facilis audientiae modestissimum, memoriosissimum, doctissimum, & dulcissimæ conversationis prope virum te admodo intellexissent; currum istum tuum sapienti aurigae tibi unsquam devehendum demandassent. Quantum ergo accurati studii, quantum vigilis curae, & exercitationis, quantum anxiae sollicitudinis tibi sit opus ad tantum aestimationis servandum, pensandum tibi fore arbitror: unum tamen ex in medium lege illud attulerim dulcissime Nepos ut ille, ut ne quid nimis: Est enim unaquaque in re adhibendus modus: neque propriae vigor ipse, virtusve naturae praetereundus est: ne corpusculum ipsum tanti animi domicilium per incuriam pro derelicto habere, sive algere, calere, famere, sitire, aut somno laxari, aut vigiliis confringi praeter aequum

quum finere videamur. Quinimmo tibi virenti adhuc, seu quoad virum tuum impleveris cura omnis praestanda est, ut quid ipse spe, fiduciave doctrinae illa tua insatiabili pro corpusculi custodia, & praeservatione discernis minime ad pientium parentum, & clari physici, & medici germani tui prudentiam reiicias. Par etenim est, & aequabili consentaneum, ut quemadmodum in jurium disciplinis ii tuae cedunt elegantiae; sic & gravissimis ipsis ac fidelissimis tuis in benevivendi norma, cujus rationem sapienter callent pariter pro tua mansuetudine concedas. Optimi namque parentes nobis in hoc saeculo non aliter sese nobis exhibent, quam rerum omnium ipse sator Deus, quae nobis magis utique conveniant non ignorantes quam ipsi nos: ac ideo dum eorum copia divinitus nobis conceditur, & eis parere, & obsequi, ac pleno deferre jure ipsis debemus. Quod sane licet a tua admiranda mansuetudine cumulate fieri certior sim, quoniam tamen ceu gloriae cupidum sonipedem quempiam laxis decurrentem habenis, frenum plerumque ita mordicus apprehendentem non sine trepidatione videmus, ut incassum sistere se equitem conari compatiamur, donec pernix in praecipitiorum aliquid sessorem seque provolvendos, ac periclitandos deturbaverit: Vereri sic licet dulcissime Nepos, ne & ipse quamquam laudis zelo permotus pellectusve solus ea inter tot volumina perpetiare, quae etsi honoris titillationem, & commendationis pruriginem in praesentia moveant, inposterum tamen quod Deus pienter avertat propriae virtutis prosternationi non intendant: ac si in eo quid non sine delectatione cum labore incredibili a te partum fuerit a te ipso ita sit incaute curatum, ut posthaec diutius id facere non queas: quod quanti foret momenti quantumve a tua sit prudentia praecavendum, obnixe matures precor. Memini dulcissime Nepos, splendidissimum illud civilis sapientiae lumen Ludovicum Pontanum in formoso suo aetatis flore naturae propriae vim exuperasse, & quum inter veteres Jurisconsultos summo in gradu constitutos jam posset non inferior considere, falso tandem ratus naturalis virtutis consternationem posse ingenii valorem succendere, semifatuum dementemve ante vitae terminum diem suum extremum obiisse: & in isto Pontificum jure in quo adeo sudans versaris, Philippus Pistoriensis succurrit, qui junior intumescente Bononiae quamquam amplissimo gymnasio ad Ananiae tanti juris interpretis aemulationem adscriptus, tum a Nicolao Pontifice in urbem ob excellentiam advocatus concistoriales inter facile primus habitus est. Ibique tantum sarcinarum patrociniorum adeptus, hisque adeo undique pressus, ut multo ante naturae diem per id temporis Leonellianus honoratus orator in urbe defecisse non sine amaritudine viderimus. Plurimorum apud alios exempla inducerentur, qui contra propriae naturae virtutem contendere annixi, frustra tandem contra tetendisse intercepti visi sunt: at mansuetudini tuae mi Nepos hosce ipsos in mentem revocarim quod eos & intus, & in cute, ut ille fatve superque noverim: ac ut non eorum more vigorem illum tuum excellentem atterere pergas, sed ut aliorum periculo cautior primum omnium a temetipso partes omnes tuas irrimando speculeris modererisve. Tu autem ut ne pigeat eos moderari sinere, & iis parere qui tui etiam Domini Jesu gratia curam & sollicitam habent, & habere debent, & quod habeant peculiariter delectari debes: hac enim eadem ipsa nocte Aurelium Augustinum super Matthaeum attestantem accepi: nunquam ad remedium pervenire posse qui curari negligat, aut erubescat. Caeterum quod commentari coeperis non utique placet Feline Nepos vel eam ob rem, quod te laterem lavare discernam: quomodo enim multo post tempore annis decurrentibus, hos eosdem canones, super quibus nunc es additus interpretari dabitur. Certior esse debes, aut te multa tunc temporis ex iis retractaturum, sive nonnulla digesta magis ex peregrinantia additurum. Quo fit ut quoniam per diversas mundi partes tua illhaec instantia scripta passim disseminata fuerint, non erit, qui sive retractationes, sive additiones serio sit habiturus, ac ita ut scripta tua quamquam diminuta perfectaque quandoque aliis videbuntur. Sed illud summopere commendarem dulcissime Nepos, ut si forte provectioribus discipulis gratiora commentaria esse compereris, quamvis ipse seligeres inter legendum majora ut de Pontificum potentia, & eam te dies festos eleganter exarante adhiberent: Per inferiatos vero dies ad processum textualem intendens, ibique de sapientissimis quibuscumque saccum ita comprimeres, ut eorum vim virtutemque ad apum exemplar exuggeres, grandiaque eorum volumina quantulam in præclaram summulam quotulamve cogeres. Subinde vero argutissimas limitationes tuas, & speculata ista tua florentia inventa subiiceres. Inde vero de his omnibus & personatis & propriis subtiliter, & eloquenter ut assoles pro quotidiana considens sella discipulis accipientibus dissereres: nam eo pacto serio procedens, & gymnasio universo mirifice satisfaceres, & honori tibi non vulgari accederes. Cum autem gymnasii magistris quos quidem memini anno superiori quanta instantia curaverint ne jura interpretantes commentarentur, rati juribus operam dantes plurimum detracturum si adscripti juris processum non intenderetur. Haec tecum mi Nepos dulcissime qua aequabilia putem: idcireo fideliter ac si cella in libraria apud me solito more confabularem descripta sunt. Non autem eruditionis, aut disciplinae ullius gratis, cujus vacuum me sentio, licet amore fideve irrefragabili exundantem prorsus intelligam. Accedit quod ex me literas libellos referentes desideras, & ipse pari modo itidem dulcissime Nepos desidero. Sed tot variis licet futilibus negotiolis praepedior, ut ni sumpto calamo ad te perscribendi gratia haec tecum ipsa originariola dimittam, neque perscribendi alias, neque has excribendi tempus mihi possem suppeditare. Qualescumque ergo perlegas non es nescius de qua intestina pectoris parte raptim defluxerint. Ad mitem Ludovicum meum adolescentulum adhuc jam duorum tantorum patrum Hieronymi Benedictive patrem factum, & quia eorum alterum amor iste Dei Theophilus de sacro levarit fonte nil aliud dixero, ut quod praesagire licet celebrium nominum eorum inventorem caelitus ea nomina indixisse monitum; ac si pulcherrimum fas quoque foret florentibus & felicibus Sandeis in aedibus astore, qui religionis fragrantiam quapiam in parte redoleret. Sibi igitur ex nobis congratulator hortatorve, ut quoniam vacuus est, tantum sibi interdum ocii nanciscatur, ut quae ipse de rebus apud vos gestis jure perscribere non potes ad me pro argumento suscipiat, quoniam ipse & rerum novarum avidus sum, & simul ut intelligam finat, ne tantae juventae florem humanitatis studiis proclivum deliciis emarcere. De claro philosopho meo Joanne Francisco quid dixero, cum eos qui rimari superiora adnituntur, haec nostratia humilia facile floccifacere didicerint? Verum venustam Peregrinam ex me moneto, ne de caetero ad eum animum advertat, qui Lycomedis imitatorem se praestare coepit: sed Penelopem eam satius respectet, quam jurisconsultus inde petitione haereditatis septies octenos enixam constantissime refert. Tum vero demum claris parentibus quanto magis possis me dato Nepos dulcissime, ac orato maximo Ludovico Casella divinus iste noster plurimum me dedat Pater. Te autem oratum velim, maxime clarissimo Castello commendes. Bene vale.

Ex Carpineto pridie nonas Decemb. MCCCCLXVIII.

FRAN-

# FRANCISCI ARIOSTI
## JURISCONSULTI

*Ad Beatissimum Pontificem summum Sixtum Quartum Savonensem de rebus summo in Pontificatu suo a sua Majestate gerendis, devota & adhortatoria protestatio.*

Ex MS. Cod. Canon. Cathed Eccles. Lucen. VIII.

541.

COmplures variasque res de tua hac nova, & sancta intronizatione nonnullos perscripsisse puto Pater Beatissime, Sixte Quarte Pontifex maxime Christiani Orbis instaurator, felicitas pariter, & gloria. Sed quae magia ad Beatitudinis tuae rem artineant quam quae nescio quo fatu tuam in majestatem charitatis vi impellente permotus, tum reipublicae Christianae zelo succensus hoc locello perstrinxero fore difficillimum existimo. Cum his etenim illa, & si grande sonent ac omni referta elocutione tibi novo piscatoris naviculae gubernatori omni jubilationis genere congratulentur, partesque tuas caelo dignas pro dignitate studeant efferre, ac ad caelitus crediti tibi gregis sollicitam prorsus necessariam curam naviter gerendam omnibus ingeniorum viribus incendere adnitantur; cum tamen quae scripsero de te ipso quondam in minoribus agente, mox vero pontifice summo antehac, vel secundo prope anno jam exacto a me deprompta sunt, conferre non ausim. Quoniam ii ceu mortalium unusquisque in te jam constanti post felicem, & fortunatissimam summum in Pontificem creationem tuam fideliter quidem & devote congratulantur, magnificant, & adhortantur; ipse vero religiosissimi, & angelici viri, quo de post paulo serio historiam accipies, spiritu edocumatus longe antehac cecini, quae rudi hoc calamo ordine adhuc subiicere urgeor. Quod sane ideo scripto instaurare in praesentia mihi animus est, ut quoniam sanctificatam beatitudinis tuae promotionem, non profecto sine Sancti Spiritus illustratione institutam intelligam, naturali etiam quodam prudenti ductu omnium eminentissimo, & per superadditam gratiam dilucide dignoscis facilius in iis ipsis gerendis rebus, quae majestati tuae Pontificiae obeunda incumbunt, vehementius exardeas, inflammatius uraris: Nam divina gratia accepimus, & duos admodum annos ingenti demorati sumus desiderio magnum quiddam; immo vero caelicum quiddam, quod nisi de summi rerum opificis nutu & voluntate fieri poterat; ut ex Savonae ditione fortunato sub sydere sitae ante tunc tertium futurum annum adeo fragrantis odoris spiritus exiret, qui nostri Christiani orbis virtutem, scelerum fetore, & pereuntis prope fidei dolore prostratam mirifice esset confortaturus juvaturusque, quod mihi secundo jam anno exacto dum Regiensi in agro ad fertilissimos amplissimarum Carpinetarum montes ducalis essem designatus praetor, Venerabilis quidam religiosus B. Hieronymi eremi accola, & ad ipsius assertionem illius passim visitator demandatus ea pertransiens, ac a me pie, & gratanter exceptus, post multarum rerum confabulationem divino quodam modo afflatus spiritu asseveranter, & constanter pronosticavit praedixit, prophetavit, quemadmodum per ea tempora claro jurisconsulto, & insigni equiti aurato Luchino Nigro beatae dignationis tuae conterraneo, tunc apud Mutinenses maximo in pretio, & honore jusdicenti, me serio perscripsisse memini. Quippe qui casu quodam praetorias dimissorias ad me dans epistolas per earum subscriptionem pro Savonae oriundo deprehensus est: atque ideo futuram odorificentiam tunc intelligens, unde & quemadmodum habuissem integre descripsi oravique observaret, ut si quando caelorum benignitate fragrantem eum odorem, quovis tempore felix Savona manaret, Ariosti sui amice meminerit, curavitve tam grate, tamque salubris enunciationis grata odoris illius suavitate quotula in portiuncula suum Ariostum participem facere: ac ne sacrae Majestatis tuae beatitudinem res ea omnis lateat litterarum mearum ad clarum Luchinum copiam iis addicere placet. Tum autem quid de tam fortunata deve tam Christiano orbi salubri nominatione, electione, confirmatione, ac caelesti intronizatione sanctitatis tuae singulari devotione meae obvenerit exarare liber, cum id sane nescio quibus auspiciis in tantum mihi additum fuit, meque in tantum dulciter vexaverit suaviterve distorserit, ut ab septimo die ante idus sextiles ex quo præcolendam beatitudinem tuam exhortari ad ea, ad quæ jubetur, imperatur, edicitur, prorsus pellectus sum, impulsus sum, demum coactus sum, adhuc ipsorum iduum Septembrium nullus devotioni meæ quietis locus donatus sit. Sive id accepto felicis recordationis prædecessoris tui Paoli secundi Veneti obitu, & ante pensatum illud pro summo sortiendo Pontificatu sanctam in conclavim ingressum de illa necessaria tuæ sanctitatis successione cum eviscerata exhilaratione passim palamque prædicans præ gaudio, & lætitia in tantum ad sellandum provocabar, coarctabar, ut plerique impotem mentis me, & prope delirantem fuisse iterum attestentur, ut fidelissima testis est inter alios universa hæc Ferratiensis B. P. Francisci urbica conventualis, & suburbana venerabilis, ac eximia veneratione culta cremus; tum vero B. Claræ Cœnobiorum sanctimonialium summum hoc urbanum, & excellentissimo in honore dignissime habitum, ac humilis hæc pauperum Jesuatorum nostratium schola præclarum obedientiæ exemplar, &, ut ingentem amantissimorum, & fidelissimorum contestium numerum prætercam, tres ii excellentissimi inducendi veniunt, qui beatissimæ auctoritati tuæ noti digneve cari sint, magnus in primis hic jurisconsultus, ac insignis auratusve eques Justinianus Cavitellus totius amplissimi Herculei principatus proprætor emeritus: tum autem perspicacissimi, & rarissimi ingenii philosophus simul, & clarissimus medicus Albertinus Chychinius Cremonensis. Accedit & venerabilis iste perpetuus magnanimi Herculis Estensis dignissimi Ducis nostri orator Bonfranciscus Arlottus Regiensis Pontificiæ Archidiaconus, philosophus pariter & theologus non vulgaris, sive id cælitus in me licet peccantium omnium infelicissimum insensibiliter infusum fuerit, vel forte sancti viri depromtum illud oraculo simile cum nonnullis aliis hinc & inde super sanctitate tua habitis, quæ longum esset differere, vehementi cogitatione succensus fuerim nescius sum. Illud tamen certo scio accepto hoc ipso calamo, quo litteris mandare hæc conceperam, quæ tam obnixe silere prohibebar, inquietudinem illam perjucundam, sive rectius eam animi delectabilem ægritudinem, qua tantisper angebar cum harum descriptione pacari utique cœpisse: Nec quidem aliter quam si vehementi illi, & amœno languori, qui ad concepta depromendum tantopere impellebar, curationi locus tempusque adhiberetur. Quamobrem cum antehac pusillus ipse mortales inter & rerum parum expertus tantum beatitudinis sanctimoniæ, tantum Apostolo-

stolorum principem referens humili hoc rudique scribendi genere adira perhorrescerem, qui tutum illud probatumve ab ineunte ætate didicerim: Vilem prædam magnos hiatus implere minime solere ante oculos proponens, en quemadmodum sanctitatis tuæ pietate fretus quam semper sibi usui mansuetudinem semper caritatem fuisse perhibeant; & antehac mente labans magnopere erectus & mirifice consolatus ac incredibiliter ad omnia serio explicanda, quibus de agi oportet, animatus sum, vel eam ob rem quod per omnem religiosæ vitæ tuæ tempus universæ religionis partes uti veræ sanctæ obedientiæ professor tutorque singularis fovisti, juvisti, amplificasti, & hoc tempore, divina providentia Christianissimus Pontifex sacrosanctæ parentis Ecclesiæ jura respicere, tuerive, atque defendere præsto sis. Posteaquam ergo te optimum pastorem, & diu demoratum divina providentia consecuti sumus, qui eo dulci dolore maxima spe videlicet tantæ tuæ beatitudinis tenebamur, quantum putas præsentiæ sanctitatis tuæ dulcedinis plenitudine nos omnes, ac universum orbem tuum Christianum repleri, atque redundari? Quod si saulla illa supernorum indulgentia non superfuisses, & creditum tuæ sacræ Majestati Domini ovile gregemque opido juvaturus, & continuo confortaturus paulo ante juxta suprascripta pronostica non suscepisses, an num omnipotentis Domini Ecclesiam rerum admodum fessam ac senescentem invictam & decrepitam extremamve ætatem proximos scelerum fetore, Turcorum invasione, depopulatione, obsidione, Christianarum rerum portione, & fidei infirmitate defecturam prorumpere tanquam in præruptos prominentis scopuli cautes navem instante tempestate prorsus frangere necesse fuisset. Isto tuo Savonenti refocillanti odore opus erat, quem felix ea patria proferret, quo prostrata pene omnia Ecclesiastica ministeria confortarentur, juvarentur, augerentur. Neque iden tantummodo produxisse tuam beatitudinem tam salutiferi odoris mineram juvaret, ni quemadmodum aromatizantia contereretur. Illa enim veluti spiritum difficillime sinn contrita diffundunt, ita & Sanctitatem tuam per consilii, audaciae potentiae, & justitiae molam fortissime conteri oportet, ut per individua illa demum contrita in seipsum versa, & usquequaque fragrantiam angelicam dispersura floris eredita scelerum fetorem omnem Domini Jesu Christi monarchiam inficientem extermines, vim omnem pestilentem, & tam atrociter comminitantem infestamenque expugnes, ac triumphans sacratissimae Crucis & adorandissimum vexillum passim victoriosissimum libero gressu vagari posse cures. Sic enim angelicam in tua beatitudine infusam virtutem ( quorundam haud quaquam probabili exemplo ) non emarcuisse socordia quandoque constiterit, quae licet hoc tempore hac in pace nonnullis quiescens tranquillo in honore considere videatur; nihilominus si de Pontificalis Majestatis tuae throno singula diligenter irtumando discutiens ad Christium orbis orizonta oculos conjecerit, omnia amaritudine, afflictinnibus omnia, omnia timore, persecutionibus omnia compleri profecto discernet, per quas omnes probari eam tute habes qui florere eam & eum ipsius floris odore tandem incredibiliter victorioseve triumphare oportet. Per illiusmodi nanque opera nbnixe elaborandum est, postquam de prophetato fomite tuae beatitudinis odor tantisper desideratus divina providentia statuit quem sane ad Magdalenae illius instar super Domini caput infundere Sanctitati tuae incumbit, & velie quidem sibi incumbi debebit quoniam gentium magistrum innuentem accepimus Domini Jesu bonum odorem tunc ubique locorum latissime fragrare, cum virtuose quidquam operamur, & aliis bene operandi & magistrum praebemus, & exemplo sumus; sic quoque profecto D. Jesu Ecclesiam odore complemus cum necessario bona fecerimus opera; & id nil esse aliud quam fragrans illud unguentum super reverendissimum, & gloriosissimum Dominicum caput infudisse. An non fortassis sapientis illud de tua etiam majestate intellexisse asseverare verebimur: mandragoras illas odorificentissimum & felicissimum pomorum genus, in portis nostris odorem emisisse? Per quas tuam Majestatem facile deprehendimus, quae summo ingenio & memoria dignis operibus, laudatissimaque fama in Domini Ecclesiam non sine caelesti numine ingressa virtutum semina per ea ceu fructuum illorum odorem diffundat. Et cum fama rerum omnium doctrina vitave immaculata, & Deo prorsus data super mortales omnes laudem perennemque gloriam apud ipsum omnium opificem merito sit consequutura. An num celsum illud eminensve nardi nomen assequi non contendes, quae tam spirantis odoris suavitatem, summi tunc Sacerdotis perfectam & exemplarem vitam ostendens perfundebat ut universi Templi Domini magnitudinem, hoc est omnem divinorum cultum, facile compleret? Nunquid tymiama illud restauratissimi odoris esse velle perhorresces, quod tamopere Domino gratum acceptumve incensi altari, & in Sancti Sanctorum conspectu, ubi propitiatorium celebrabatur, devoti Sacerdotes offerebant, cum pius, cum misericors, cum ingeniosissimus architectus labantem, & ruinam minitantem Ecclesiam reparaturus, restauraturusque, inimitabilium virtutum tuarum odorificentia Christicolis nobis datus sis? An ignores florentes vineas illas, quas in canticis Sapiens per quam fragrantem odorem diffudisse decantant, fortunatissimam intronizationem tuam omni ex parte nobis Christifidelibus floruisse, vernorumve florum suorum salubre nobis spiritum perflasse, atque ideo nunc jucundissimum tempus adventitasse, in quo Domini benignitate, clementia Domini rerum a tuae majestatis beatitudine spiritualiter & temporaliter gerendarum versicoloribus floribus, & eorum fragrantiae ubertate omnia cumulatissime conspergantur? Atqui de congesta tuae Sanctitatis virtutum fragrantia canticam illam dicere etiam abnegabimus? Virgulam fumi de mirtae thuris & universi pigmentorum pulveris aromatibus Sacrosanctae Romanae Ecclesiae rite spirasse? Cum paulo ante peractis a tot Apostolicis patribus tot solemnibus severisve scrutiniis tuam in humilitatem, in pietatem tuam, tuam in singularem omnium disciplinarum doctrinam in summam tuam mortales omnes inter sapientiam, uno omnium ore tandem secundo numine consensum est, qui cum triumphanti odorificentissimorum operum tuorum vexillo universa Christiana devoto in promissionis terram pacisve, & quietis, ac omnimode tutelæ, scilicet tot annos affectuose adeo expectati, tot annos adeo ferventer desiderati Pontificatus tui tempus de diuturno nimis admodum errore, de deserto altero, de Faraonis alterius manu, de aliis innumeris tempestatibus, de perpetuo admodum altero terrore, denuo volente Domino omnino introduci debeat. Sed & ubera illa quæ vino pulchriora videbantur, & conspicuus unguentorum odor ille odoramentorum genus omne exuperans, quæ sapiens alia in cantica tantopere commendat, nimme de beatitudinis tuae uberibus, & de odore tuo etiam intellexisse sapientem liquido constat? Quare quemadmodum ubera illa duæ testimonii tabulæ fuerant, de quibus populi pro Domini præceptis exhauriendis, observandisve scientiam lactentium more sugere, haud aliter de tuæ sanctitatis scientiarum omnium, & religionis plenis uberibus, sacrarum disciplinarum veraeve devotionis fragrans iste lacteus liquor a devoto populo tuo lenissime, & ad promissam satietatem sugendus erit; vel donec aspiret dies universæ pacis, verive cultus in tempore nostro, ut veluti scribens ad Romanos Apostolus illud de novo intellexit testamento, quando noctem per veterem insalutiferam legem præcessisse, ac diem propius illucescere per tantisper præstolatum Domini Jesu adventum prædicabat: ab Evangelizante quoque Luca

ca confirmatum quando legis & prophetarum tempus ad Joannem usque in quo testamenti novi dies adaperiri cœpit, tenebras nominat. Ita & quoniam pace omnium dixero fatior gregi Domini cura pro bona ipsius convalescentia recuperanda tutelave atque salute adhiberi hactenus potuisset, quatenus ceu per tenebras ambulaverimus gloriose, & aromatizantia omnia spirantis coronationis tuæ die superadventante ea procurare instanter habeas, quae deiscentem nutantemve Apostolorum Principis cymbam tua opportuna, integra tua, & sancta tua gubernatione pro nostrorum omnium expectatione corroborent, morbosusque tuus admodum grex inficii prope contagio, sibique per nebulosas, & olentes tenebras indicto depetiens novi pastoris sui salutoris tymiamathis suffumigio ac pretioso unguentario illo virtutum odore, scilicet scientia tua, sancta disciplina tua, sapientia tua suscepta soletur, liberetur, erigatur, beetur. An non forte consonantissimæ lyræ quondam tuæ super cantica solemni modulatione canentis memineris, qui per fructus illos cyprii arboris, nardi, croci, cassiae, & cinami cum universis Libani lignis, mirræve & aloes cum pretiosissimis omnifariam unguentis odoram Domini populi devotionem in promissionis terram aspirantis intelligens, de populi pariter tui, tuam in novam Pontificiam majestatem mirifice spirantis innuere videtur? Ac si ceu paulo supra pro sancto illo pronostico, scelerum fœtore & fidei debilitatis dolore prostratum sese magnopere consolaturus, & magnifice confortaturus esses. Et non secus quidem quam si felix alter auster longe lateve perflares, ad conflatum Hieronymus Matheum commentans redolentes liquores, & salubres odores per Libanum de aromaticis arbustis defluere contestatur; sic ergo verenda tua undique sanctitas Dominicum populum reficere, ac quantisper valeat instaurare utique debet: ne incassum e cælo demissum tantum de opportuna creatione tua praesagiorum passim constet, vel eoque ejusmodi enunciationes non sine divina providentia descendere ad nos consueverint: Perfla igitur B. Pater viridarium tuum, & de cælitus tuae sanctitati infuso spiritu scintillas infunde, & tuae Beatitudini non sine vi numinis demandatus Christianus recreabitur orbis. Quoniam de Apostolici collegii tui dignissimis cardinibus, tanquam de odoriferis amœnissimi tanti viridarii arbustis aromata illa probarissimos mores tuos, divina praecepta, sanctas novas institutiones tuas, novam sacrosanctae Ecclesiae instaurationem, & tutelam, & orthodoxae fidei confirmationem mirifice redolentia cum odorificentissima fragrantia abundantissime defluet. Quod quam vehementi instantia, quam perpetua sollicitudine, quamve & flammato corde ab colendissima tua Sanctitate pendendum, aggrediendum, navandum, & prius perficiendum sit hinc dignoscas licet. Primum quidem ne Sancti viri enunciata illa ceu superna monita pro oraculo obtemperanda, socorditer tempsisse videamur; quam submovendus ante omnia inficentissimus scelerum fœtor ille occurrat in tantum admodo nubes conscendens, qui caelo abominabilis cum ipsis auctoribus suis, ni pristinam apostolicam propediem repares fortunam, in proximum fulminandus relinquitur. Tum vero qui Christiani nominis hostis ille truculentissimus in orbis tui fronte terra marique expeditionem instruens, & in ipsius limine propemodum pulsans ad subeundum fines tuos accinctus est, ni haec diuturna nimis ac populo sancto tuo perniciosissima ab armis vacatio sanissimo tuo consilio, validissima ope tua, invictis auxiliis tuis tremendissimo edicto tuo, & summa tandem auctoritate tua continuo cessaverit. Quod si ad opportunissima sua praesidia colendissima Sanctitas tua mentis aciem direxerit, nil sane sibi deesse conspicabitur (modo titubantem quodammodo Italiae rem primum omnium sancta fide sua confirmet stabiliatve) quod ad invincibilem cogendum, sive per continentem, sive per maritimam oram exercitum sat esse possit. Nulla enim est tam grandis, tam eminens tamve superexcellens potentia, quae ad subsequendum Venerandissimae Crucis vexillum accita, ne dum pro contumaci haberi velit; sed quae ad gratiarum cumulum sibi non adscripserit obsequi posse, & pro Christiani nominis defensione, pro salute propria, pro rerum omnium factore, pro communi nostrorum omnium parente, pro rerum omnium Domino, prore eo vere charitatis exemplari, qui ut nos redimeret, adeo vilissimam & turpissimam oppetiit mortem, socia arma animosissime sumere. En potentias omnes, en mundi tui principatus omnes, & ipsum Christianissimum Caesarem solito in ocio ulterius torpescere sinere, indecorum censeri, cum maximae laudis, & gloriae, & salutis cupidos esse, nemo est qui nesciat. Quae quidem cum hac via longius & honorificentius quæri quam ulla alia queant, nihil est profecto, quod retardare eos ad movendum contra immanissimum, & infestissimum turcum possit. Omnes auro & pedestribus equestribusve copiis ac navalibus munimentis ad subsequendum praesto erunt, dum advoces, dum edicas, dum sacrosancta Cruce praevia iter, confertissimos licet effeminatissimos in hostes prorsus exterminandos ferro ad aperiendum ostendas, intendas, vadas. Non enim tempora nostra viribus, non ingeniis, non illustribus viris, & ad unumquodque maximum, & praeclarissimum incundum factum aptissimis, orbata sunt. Et ut externas ac maximas potentias simulque Serenissimas nostras Respublicas; dum vero regales Majestates, & bellicosissimos plerosque praeterea principes, non ab te succurrat magnanimus Divus Hercules III. Ferrariensium nostrorum Dux, sacrosanctae parentis Ecclesiae obedientiae devotissimus filius, quem quidem nuperrime nobis omni legitimo successionis jure, & his dextimis auspiciis, qualia gloriosae Estensis genis nemini antehac contigisse memorant, solemnissime nominatum, electum, confirmatum, & uno omnium voto secundum universam urbem speciosissimo invectum equo, tum ab exultantium cervicibus delatum, tyara margaritea, aureoque gemmatoque sceptro, & reliquis ducalibus insignitum ornamentis conspicuum, ceu divinitus tot suis populis, tot suis amplissimis civitatibus datum cum inæstimabili gaudio, publica laetitia, & inauditis alias plausibus, cum omnifariam orationibus, & jubilationibus triumphantem conspeximus, honoravimus, admirati sumus, ac si ullus unquam magis desideratus, magnificentius patriae nostrae salutem præservaturus aucturusve, tantæ molis principatum assecutus fuisset, tanquam omni virtutum genere pollens in cæterorum principum corona veluti, ut ille diceret, reliquos inter flores in divitis Domini hortulo floret flos jacyntinus, ita & formæ pulchritudine, validi corporis robore, dexteritateve, & promptitudine, ingenii acumine, solertiaque, & consilio ac prudentia, & in re militari singulari peritia, ac rerum a se strenuissime gestarum gloria mirifice fulgeat. Et quamvis in eo hic immorari minime licuisset, nec vero etiam silentio præteriisse decuisset, ut de ipsius laudationum acervo paucula hæc non fuissem complexus, quo tua colendissima sanctitas intelligat, gratiam hanc a Domino in rebus nostris afflictis ob Divini quondam principis Divi Borsii obitum assecutos nos fuisse, ut nullius alterius ditioni subiiceremur quam Herculeæ. A qua quidem inæstimabilis, & tantus urbi nostræ honor increscit in horas, ut pro votis, & secundis rebus in dies florere eam ipsam vehementer admiremur, simulque ut sacram tuam non fugeret majestatem esse divum Herculem, qui cum animi magnitudine fiduciaque virtutis, sine contentione facile cæteros antecellat, in eum benignam merito exercere mentem possit, & quem benevolentia, beneficentia, & charitate dignissime valeat afficere, ipsiusque præclara omnibus in

rebus sive in re consultanda, sive in bello gerendo, virtute pro opportunitate uti fruive queat: Maxime tum admirabilem tuæ sanctitatis fragrantiam uti magni instar numinis ex nunc pro officio vereatur, & dignissime colat. Quæ profecto res ad adjuvanda præsidia plurimum afferre momenti potest. Postrema autem postquam pretiosissima, & Ecclesiæ Sanctæ Dei peculiarissima odoramenta, quibus de hactenus actum est, admirandæ sanctimoniæ tuæ ac excellentium virtutum tuarum partes aspiciunt, & id quidem non aliter quam si earum fertilissimum essent seminarium, de quo totius terrarum orbis magnitudo expleri deberet, haud sane longius immorandum erit quominus undecumque olentia feridave omnifariam scelera fervere, quin æstuare, ut passim ebulliendo despumant, dignoscantur, adhibito sanctæ correctionis redolenti suffumigio opido funditus evertantur: interimque ceu paulo ante præstita per universam Italiam, & omne imperium tuum fide publica ne sese regnantes mutuo lacessant petantve, adversus teterrimum Turcum arma parentur. Sacrosanctæ crucis vexillum in eum solemniter edatur quatenus sanctitatis tuæ odorificentissima pronosticata, inimo prophetata fragrantia divini nominis hostem propellat, in fugam vertat, ferro, tandem, & igni omnia sua absumat: cum potissimum domi etiam irrefragabilia, & omnium aliorum summa non defutura sint præsidia, in quorum vi atque virtute longe sane intentius, quam in unaquaque valentium peditum cohorte, quam in unaquaque fortissimorum equitum acie, quam in unaquaque copiosissima turritaque classe, & quam in unoquoque tormentorum sive cæterorum bellicæ artis machinamentorum genere fidendum est. Hæc sunt Domini promiscui generis servorum Domini præcepta servantium, & voluntarie claustraliter Domino sacrificantium, & in vita, & probata, & religiosa, perseverantium populi. Quippe qui pro armis, pro bellicis instrumentis, lacrymis & orationibus innituntur: hi namque sedulis divinis officiis, frequentibus jejuniis, assiduis disciplinis, iteratis supplicationibus (& quibus datum est) mentalibus precationibus, & rarissimis illis mentis excessibus, pro tympanis, pro tubis, pro gladiis, pro clypeis, pro toracibus, pro prœliis, pro vulneribus in acie invadunt, manus conferunt, acriter dimicant, plagas plures, quam præliantes accipiunt, inferunt, hostem fundunt, fugantque, vincunt nobiscum, in tropheis nobiscum exultant, de eaesis denique prædaque opima, & captivis nobiscum absentes gloriose triumphant, cum redolentissimus operationum suarum odor, ceu benedictorum aromatizantium fumus in domum domini nostri super thronum, & agno intemporaliter sedentis conspicuus, ratus, gratus, & acceptabilis pro nostra omniumque & temporali, & spirituali salute constanter conscendit. Persta igitur Beatissime Pater velut felix auster viridarium tuum, & de excelitus tuae sanctitati fragrantissimo infuso spiritu scintillas infunde, & tuae Beatitudini non sine vi numinis demandatus Christianus recreabitur orbis. Ex quo satius obire omnia possis, libet majestatis tuæ beatitudinem his impeccabilibus sapientiae verbis affectuosissime, & devotissime affari: Det tibi Dominus veram aeternam illam sapientiam, quae stat ante thronum majestatis suae, ut tecum sit, tecum elaboret, donec non ignores, quid apud Omnipotentiam suam acceptum sit futurum. Scit etenim omnia, omnia intelligit, & sensim deducet te per opera, quae facturus es sobrie, & liberabit te in manu potentiae suae: tum vero acceptabis ea, & voluntatis suae doctus eris, & juste dispones super gregem suum, ut fias dignus sedis aeterni Patris tui. Amen. Bene & fortunatissime vale Christianissime, & Beatissime Pontifex, devotae, & adhortatoriae Ariostene protestationis frequenter non immemor.

Hoc postremo pietatis opus addere fidenter institui, quam cum ad haec pia & charitativa officia pronum me, & natura, & consuetudine per omne vitae tempus cognoveris, hisce quoque in ingravescenti admodum aetate mea commoveri me ad peculiarem utique adscisco gratiam, quemadmodum hoc loco tum bona sanctitatis tuae venia facere contingit; nam cum angelicus hic nostras observantissimarum sanctimonialium chorus beatae illius Domini vexilliferae Clarae, tam numerosi, & tam speciosi virginalis exercitus imperatricis invictissimae munitissimum cœnobium Corpus Christi nuncupatum incolens, devotum Ariostum suum summae Pontificiae majestati tuae praescripturum accepisset, illud addere obnixe jussit humillimum videlicet sese una cum verenda sua, & tam exemplari vicepraefecta, ac tum colenda odora sua vere longe, lateve religionis flagrantiam spirante Violanta Malatesta dignissime praefecta Beatitudinis tuae majestati magnopere commendarem. Quamobrem etsi peccantium miserrimus tanto mandatarii nomine minorem omni ex parte me sentiam, quam ab tanta sanctimonia commendari me humilitati meae potius salubre & peculiarissimum foret Imperio; tamen adeo charitativo utcumque parere pientissima sanctitatis tuae dignatione fretus institui, qui itaque universum hunc justificatissimum, & religiosissimum chorum quantum humana haec mea fragilitas commendationis capax esse potest non secus do, trado, atque commendo, quam si universum cum ante Beatitudinis tuae majestatis in Pontificalibus sedentis thronum, stratum humi, supplicemque, suasve in multis maximisque miserationibus tuis preces prosternentem, admirabilis pietatis tuae oculis concerneres, devotissime orans, ut pro nodosae chordulae illius quacumque accedente sorte nunquam destituendae, qua religiosissime adhuc praecingeris auctoris sublimia merita; perque illius omnipotentiam, qui crusixus de complicatis tot coruscantibus seraphicis alis igneos illos micantes radios ad stigmatizandum ipsum, & transfigendum constantissime dimisit, ita sese respicias, ut ipsius mandata ab humilitate mea plene relata in quavis impartiendarum gratiarum portione effectualiter videantur. Cum ea parum minori mihi facienda omni jure esse censeam, quam si ab oraculorum aliquo devotioni meae indicta fuissent, vel ob id maxime ut ex innumeris vehementer admirandis, & rem nomenque Ferrariense summopere spectantibus, hoc solum stupendum in praesentia subiiciam, quod omnia florentissimae, ac fortunatissimae patriae nostrae nuperrimae tantisper comminitantia prorsusve adversantia, & gravissime ea facile oppressura consilia adeo venerabilium claustralium oratis precatisve clementissimas Domini Jesu aures non effugientibus magna in parte protinus eversa fuere. Quae sane res pro rependendo quapiam in parte pro jure meo hoc beneficiorum maximo promptius audentem ad tam spirituali choro digne obsequendum me facit quod ad tantas insidiarum magni conatus inundationes, perniciosasque, & violentas eruptiones quam maximas in tam formosam, in tam florentem, in tam pacatam patriam nostram moliebantur, quibus resisti posse alias negabatur, orationibus, vigiliis, jejuniis, lacrymis, & disciplinis firmissimum, & solidissimum sese obicem, validissimo sincerae fidei vallo exaggeratum adeo animose anteposuisse considero. Item Beatissime vale semper.

Sanctissimae & Colendissimae Pontificiae Beatitudinis tuae humillimus servus Fr.

LIT-

# LITTERARUM ARIOSTARUM

## AD CLARISS. LUCHINUM

*Quibus de supra pronostici biennalis Fide actum est copia.*

*Franciscus Ariostus Peregrinus insigni equiti aurato clarissimove Jurisconsulto ac dignissimo ducali Mutinensium pratori Luchino Nigro Savonensi S. P. D.*

QUando tuo nomine in iis accepto, quas nuper pro splendidi viri Joannis Livizanei attestationis receptione, ad me praescribis, & quod potissimum esses Savonensis, juvat tecum ea communicare, quae hoc Septembri ab Eremita quodam hac peregrinante de tua inclita patria inter alia intellexerim: cum is apud me, ut Deo datus soleo, blande esset exceptus. Erat is aspectu venerabilis, licet statura pusillus, duos secum comites sibi profectos, & asellum pro sarcinulis, & inopi commeatu habens, & qui seniles tanti patris artus interdum lassos juvaret. Cum ergo pro humilitatis meae modo refecti librariam hanc cellulam introgressi essemus, quam pro recreanda solitudine mea instruxi, majestatem hominis admirans inter legendum accepi, uti profecto erat, sese rerum expertum valde, & impense litteris eruditum, ac naturalium & supernorum edocumatum, quod quidem maximum erat religiosissimum, vel eo quod divino prope spiritu mea sententia assantem concernebam; tantum mihi mente excedere videbatur, mecum in his inferioribus agens: hic igitur ante alia B. Ambrosii divinum illum exameronа super sanctum Moysiacum primum Geneseos incidimus, quem mihi ante oculos vice enchiridionis teneo, quem quidem ipse etiam adeo memori mente, & in memoria tenet, ac si diuturnum tempus in eo omni studio curave convigilasset. At ubi ad ea mirabilia de caelorum orbisque terrarum creatione, & ipsorum ornamentis devenissemus, multa sane praeclara scite, prudenter, ac christiane interpretabatur, & hinc ad futura nostratia sensim nescio quo fato descendentem non modo prophetare, sed prorsus prophetare dixisses: sive ipse quod parum sciolus mirum in modum illa omnia comprobabam, sive quod non sine irrefragabilibus rationibus ea differere & affirmare videretur, quae sane de naturalibus, aut desuper caelestibus pensare contingebat: Nonnulla hic de Antichristo, plura de Ecclesiae statu, pleraque de principibus quibusdam, tum autem quaedam de mundo hoc nostro Christiano serio disquirens, tandem in fortunatissimam patriam tuam Savonam universum suum de ingenio derivavit sermonem, & hoc non secus ac si de procellosa tempestate quadam, tranquillo & sperato in portu pro ardenti voto suam conclusisset carinam, assertive quodammodo protestans quondam videlicet fore ac paulo post ante tertium annum, ut ex Savonae ditione fortunato felicive sub sydere sitae adeo fragrantis odoris spiritus exeat, ut nostri Christiani orbis virtutem scelerum fœtore, & prope pereuntis fidei dolore prostratam mirifice sit confortaturus, juvaturusve: finem hic dulcissimi sermonis faciens velut praesuborta in homine caelesti ingenti quadam laetitia, nil ultra posset differere; nullis a me precibus deflecti potuit, quo illud dilucidius declararet, sive quod dies aliquot apud me demorari vellet: quin ac si ordinis sui fuisset visitator accepi ex Petrasancta Lucanorum quondam colonia supero mari imminenti Urbinum Flaminium sibi iter necessario protinusve arreptum, mox Venetias se petiturum, ac inde Adriaticum in Vayvodam Pannoniae finium per Illirci sinus vadum unde se oriundum fecerat trajecturum. Nomen Georgio erat tanto viro, qui vere veluti ille nominis hujus auctor armatae militiae eques contra Jesumastices animose, fortiterque praeliabatur; ita, & hic noster fidei lorica, & justitiae armatura indutus, religione defervens ad subeundum unumquodque pro sacrosancto Christi nomine discrimen accinctus continuo videbatur. Ego secum pedes hosce cautes nostrates descendi sedulo, subitum nimis tanti patris abscessum ingemiscens deploransve, ac mihi meisque humiliter orantibus devote tandem benedicens in pace nos redire jussit. Quantam ipse ad gratiam adscripserim sancti viri potuisse singularem virtutem admirari, non sane facile scripsero, licet septem tantummodo horas a diei videlicet illius mihi fausti tertia ad primam & vigesimam, qua me tantisper obstupentem reliquit sese frui, secum fari, immo se audire, & maxima ipsius deprompta servare incredibili cum jucunditate licuerit. Haec ipsa omnia tuae virtuti eques insignis fideliter aperui, quod te Savonem & non ignobilem civem literis tuis ut paulo supra accepi; simul ut tecum mihi foret in posterum familiaritas, qua ob tuam praestantiam ob quam tantae sedis, quantam etiam ipse aliquando ducali benignitate conscendi, sapientissima Borsiana dignatio te dignum fecit, tuo in hoc humili Ariosto omnia posse te de caetero tibi persuadeas. Qua in re si quid quandoque cognosces Venerabilem Georgium illum me internuntio enunciasse, quod beatae quodammodo patriae tuae sit accessurus honori, decori, splendorive; Ariosti tui memineris precor, qui de florentissimae Savonae fortunato successu, & venerabilis ejus viri, & tuae praestantiae causa non mediocriter laetabitur, congaudebitve; modo fidem illam, quam dignum te auratum equitem servare debet praestitam imploro, ne horum quicquam cujus illa in vice, cui jus digne dicis reveles; facile enim vatem me hinc haberi onnulli Ariosti nominis insidiatores fortasse commentiri studerent. Cum nil nisi meram alienae sapientiae pronosticationem referam, ac si indigne falsove ridiculus dici posset, qui diversa profitens, ut ipse caeli, & charitatis vi ductus tuam hac ex insperato via subrepit in familiaritatem. Quod si quando prae intestino gaudio horum portiunculam cuique amico celare non posses, ut plerumque evenit, fidem tuam equestrem adjuro, ne Ariostum hic nomen detegat: extra autem provinciam ubi parum sive minimum notus sum non magnifacio, tuae spectatae prudentiae arbitrio id linquens; dummodo felicis patriae tuae, si tamen Dominus dederit futurae odorificentissimae fragrantiae illius tua sive aliena benignitate simus futuri participes. Bene vale, ac in posterum tuo pro arbitrio utitor Ariosto.

Ex Carpineto Septimo Idus Decembres 1469.

BEA-

## BEATISSIMO DOMINO NOSTRO PAPÆ SIXTO IV. Fr. Ar. R. Fe.

DEvotam adhortatoriam protestationem isto involucro membraneo mitto P. Beatissime quoniam honestis perpeditus causis apostolica limina neque petere, neque sacram majestatem tuam pro omni meo jure vereri, & colere, neque pro suscepti argumenti dignitate eam publice declamare usque licet, ubi omnia Deo Patri nostro placita de meritis meis equanimiter do, quae ardentibus fortassis nimis affectibus meis non correspondent: At postquam scripto id agi oportet; illud devotissime ferventerve peto, ut si quid benignas Sanctitatis tuae aures quovis modo laedens offenderis, Ariostae inscitiae elementer dare digneris, quippe quae humanae imbecillitatis vi pariter peccasse potuerit. Sin vero gratum quicquam, & summae tuae auctoritati opportunum perlegeris, id omne Domino Deo nostro conferendum putes; qui nescientium oscula quandoque gratiose adaperuerit; felicissime benemerentissimeve semper vale.

Ex Ferraria nonis Octobribus 1471.

Sanctitatis tuae

Devotiss. Servus

Fr. Ar. Fe.

### FRANCISCI ARIOSTI PEREGRINI JURISCONSULTI IN SIXTÆUM HOC PONTIFICALE INSIGNE

*EPIGRAMMA.*

*MIraris truncum aridulum folia aurea nobis*
*Robureum glandes & peperisse Jovis?*

*Mireris hic fructus Saturno Rege quotannis*
*Afficit, auratu, nam nisi seclu petit.*

*Sixtæa sunt auro fulgentia tempora frondes,*
*Et felix juglans pulchriter usque docent.*

*Lætemur donec spectabilis iste thyara*
*Pascit oves quando temporu prisca tulit.*

## FRANCISCUS ARIOSTUS JURISCONSULTUS FELINO SANDEO NEPOTI S. P. D.

UTinam Dominus vehementer imprecata tua nobis benigniter oblecundet: ideoque vellem ut scriptis meis fieret, ut dum ipsa vatarent, officium meum tuam in mansuetudinem obscurum esse non posset. Accedit ut ad singula, quae litteris praestanti scribae meo ad me dedisti respondeam, sic habeas. Cum nil admodo tua spectata virtute peculiarius habeam nusquam fugiturum me praesentia tua, & quam innumerae suboriuntur in dies causae, quibus praetura mihi abesse non licet: ideo factum iri putes velim, ut ingratissime tulerim ad sacrosancta proxima futura Natalitia, non modo dulci patria, Sancto Principe affinibus, amicis dies quinque de viginti frui non potuisse: sed Sandea ista florenti familia, & quod maximum est Felino meo, quem sortis ac fortunarum & Ariostei animi prorsus aerarium fore praecarissimum, & fidelissimum institui: itaque neque in urbem desideratissimam concedendi me laborem subterfugisse putari possum, neque non veniendi utique ardentissimum: modo ut paulo ante ea cessarent, sive paulisper cederent, quae me magnam in partem alterant, distorquentque praeter recuperatam fere virtutem gravi quadam, ut coram accepisti, febre autumnali praeter solitum prostratam. Sed dabitur Deo volente, dabitur profecto aliquando ut horum meminisse utrique nostrum coram dulce sit futurum, quod in praesentia litteris agere non sine gemitibus, & animi plerumque anxietate fieri potest, ut & ipsum te fecisse facile conjecto, cum de earum Ecclesiarum collationis sperata sorte non sine fellito ore frustratum te memineris, tum etiam de collegae stipe adaucta; tuae vero virtuti quodam modo detracta. Quae sane etsi jure praestantiam tuam moverint, pensare tamen debes Feline nepos sic tuam probari ultro his incrementis virtutem oportere: neque illud ad extremum adscribere infortunium, cum non multo post, avunculo fidito, valde ampliora Felinia terga sequentur. Haec fortassis prae tenera adhuc aetate, pace dulcis dixerim nepotis, & si librariae, & alii doctoreae suppellectili conduxissent, tum fortassis temporis, tum studii, tum Felinei splendoris abstulissent, ut sero creditae felicis sortis te poenituisset: dulce mihi crede philosophus asserit a rebus gerendis necessario otioso, ut tibi alienum esse. Quare te hortor plane, maxima tua studia, cum illarum curarum voluntaria sive oblivione, sive ignoratione prosequare, donec eo perventum sit, quo aspiras, & aspirare desideras, quod ni fallor est summam isthic juris Pontificum summam interpretandi sedem, & ubi virum auctoritate plenum admirabuntur, putasne primas sedes, & in patria non solum, sed omni in amplissimo, & dignissimo loco defuturas? Quid ergo hac in aetate uri curis anxiis, & anhelis duci te finis, ac si in infortunatissimo, & infelicissimo apostatae esses invisurus. Tu autem futili, & levissimo illi pone hos animos tua ista digna, & laudatissima praestantia indignos dulcissime nepos, sive caelos qui non ab re hucusque aetatem tuam ingenti virtute superare te dederunt ea pendere, quae claro ingenio tuo, & honestissimis conveniant partibus: tibi ergo superest, ut quam piissimos carissimosque divina gratia parentes habes, dulcesque germanos tibi obsequen-

ſequentiſſimos, qui ſummam tui curam habent, nec tuae manſuetudini quidquam deeſſe concernis, quod ſive ad opulente neceſſaria vivendi, ſive ad honeſtandum te undique ſpectent: ſtudiis etiam id temporis applices, quod ad promovendum te ſpei dare ſolitus eras: illi beneficia rectoribus indigentia ſine invidia habeant. Tu digniſſimi rectoris nomen adoleſcens ſervabis adaugebis; ille ſtipem cum propriorum iarium adulteriis, & ſtupris mille abominabilibus quiſitam adauxerit immeritam. Tu creditam digniſſimam ingenii, & doctrinae elegantia cum ſumma caſtimonia, ſumma ſobrietate, ſumma pudicitia Sandea ſuſcipito, eo contentus, quod infelix iſthaec temporum conditio deferat. Cum maxime nulli conterraneorum gloriari liceat te tua in ætate eſſe, aut vita, aut moribus, aut doctrina præſtantiorem; ideoque cum ad laudandos progreſſus tuos animum applico, queri te indigne comperio, quoniam dolorare tuum, ſperare tuum, non labori quidem, non anxiæ ſpei eſt adſcribendum, ſed penſatis penſandis laudabili vitæ penitus adſciſcendum: vivunt enim qui chriſtiane & apud Deum, & homines ita ſe gerunt, ut ipſe qui paſſim gratus, paſſim acceptus omnium judicia ad laudem, & gloriam tuam tibi tua virtute merito comparaſti: hoc videre eſt, mi dulciſſime nepos, hoc vere quieſcere, hoc ad gloriam ire non ſine perpera jucunditate eſt. Ad taedioſa illa promiſſa commentitia nil aliud Felinc nepos dixero quam quod centies ſuper eorum inverecundo auctore, tua cum manſuetudine contulerim; nil videlicet ejus verſipellis illecebris duplicius eſſe, fuiſſeve nil ſpurcitius, ſive ſceleſtiſſimi hominis illius mollem adoleſcentiam, ſive ad unumquodque flagitium pronum ejus virum, ſive ſenem ſe tenaciſſimum, & omnium vitiorum genere maturum ſpeculeris. Unde fit, ut nonniſi maxime commendem eum, qui ſua ab conſuetudine fit alienus, & ſecum aſſuetum ſe ab eo prorſus, qui ſe abdicet. Durum eſt enim non inſici, qui ſe tanto contagioſo morbo quovis modo ſe admoverit. Quod autem urbem petere tunc ſideribus impellare, cum poſt anni futuri revolutionem decretalium ſanctionum primum optimis ſueris auſpiciis interpretatus, tuo prius peregrino auſpicato. Quid aliud referam non habeo, in quo ut paulo ante nolim mi nepos dulciſſime ad ea animum adhuc applices. Quinimmo cum eas incideris cogitationes ad craſtinam tete conferas lectionem: & quidquid ſuper futuris ibi triumphis, ſive illuſionibus fantaſticis eſſes temporis daturus, ordinariae illi lectioni, & ipſius declarationi accommodes. Non enim laterem lavabis, ſi fideliſſimis, atque amantiſſimis noſtris conſiliis parueris, quae ſunt ut ipſis fatum tuum permittas expendere numinibus. Ad id vero, quod in promovendo jure pertinax perſiſtas non niſi te laudare non poſſum, qui juſtam undique proſperam agas tuearisve cauſam, judicium de pontificali tecum diſpenſatione tuum omni ex parte, ut magnanimi in caelum poneas; ſed quod meas gratiſſimas ſuſceperis non minor ſane, cum aliunde eloquutiores habere poſſis, fideliores vero, ſive amantiores minime: indolui homini illi novello eruditiſſimi, & faceti ſſimi Martialis mei cauſam rejectam, quod tamen æquanimiter perſero quoniam libraria ſingularis, & ſapientiſſimi viri cella in penitus diverſi ingenii manus reciderit. Cura quaeſo ne maximum meum ſolatium incaute depereat. Omnis haec familiola tuis & paternis mirifice recreata eſt, ſi tamen de locanda Sigiſmunda verbum referres; inſtato ergo ut ſuper ea referendo cumulate ſolemur, & graviſſimis parentibus nos omnes pro more, & officio dato, omnique fortunatae Sandeae. Poſtremo ſummatim quod nuper clariſſimo Patri noſtro ſcripſi accipito, & tanquam caro avunculo tuo eſſes ſalutem omnem reſtituturus oro ſibi additus ſis ut aſſequar: hinc ſcilicet quam difficillimum, & praejudicialiſſimum foret hoc tempore abſcedere. Silli ad julias Kal. cupio, & juriſdictionem prorogari. Tunc autem in campum Regianum demandari, ſi tamen medio tempore, vel quocunque ſindicaras pauperum facultas praeſtaretur. Scito me omnia haec laxis habenis relicturum, quod utinam Dominus fortunet. Mi nepos, meum corculum, ego etſi in patriam veniendi ſim incredibiliter ſuccenſus, non ſum tamen, qui non penſitem ſortis meae ſtatum humilem, cujus prorſus in praeſentia everſio fieret, ſi quo fato per haec tempora redire nocte haberem. Quod & ipſe conſiderare potes ſi poſthabito ingenii tuo mei viſendi deſiderio omnia aeque libraveris: Itaque non honori, non decori Arioſto conſulit, qui ſecus ſentit: Ego ſi circiter adhuc annos tres peregrinavero, non puto, ſi modo vita ſuppetat, quin cum laude, & honore non ſim remeaturus. Bene vale, & reſponde.

Ex Carpineto x. die an. Kal. Januarias
MCCCCLXVIII.

Mitte obſecro mi nepos taccuinum anni futuri cum diebus inſorratatis, qua in re non tantum te onero, quantam clarum Jo. Franciſcum meum ad cujus profeſſionem id ſpectat: itaque ſeſe avunculi ſui gratia orato, & arciorato. Iterum Bene vale.

---

# EPISTOLA POGGII AD NICOLAUM

## DE IMPERATORIS SIGISMUNDI CORONATIONE PER EUGENIUM P. IV.

*Pogius Nicolao ſuo plurimam ſalutem dicit.*

Ex Mſ Cod. Bibliothecæ Ill. D. Lucchesini Lucchesini Senatoris Lucenſis.

QUamvis ſciam, mi Nicolae, non admodum probari tibi, haec noſtri temporis facta referenti, ut opinor, animum ad illa priſcorum virorum geſta, magnifica quidem atque omni laude digna; tamen recentiora etiam minime tibi arbitror contemnenda; ea praeſertim quae perraro & cum aliqua extimatione nominis ac rerum dignitate fieri ſolent. Sunt quidem permaxima judicanda illa quae legimus, quae admirari citius, quam imitari noſtri homines poſſunt; ſed tamen non nihil ad eorum dignitatem atque amplitudinem ſcriptorum ingenia contulere, quod etiam parva quaedam ita luculenter deſcribunt, ut habeantur pro maximis. Noſtra vero & nos ipſi ſpernimus, eaque verbis atque indignatione quadam animi inſectamur, & ſi qua aguntur memoria digna, ſcriptorum inopia obſoleſcunt, ut non tam ſua culpa quam noſtro vitio parva ac ridicula videantur. Verum ſentiant caeteri quod volunt, ego parvis iſtis quae dantur, quaeque longo intervallo temporis videmus, delector, ſi quando contingat aliquam nobis ipſis priſtinae imaginem gloriae repraeſentari. Qua in re duplici fruor voluptate, altera tenens quae oblectant oculos, cum ſint procul ab uſu noſtro remota, altera complectens cogitatione ſuperiora illa quae admiramur. Referam igitur tibi adventus Caeſaris noſtri ad urbes ejuſque coronationes: at tu quaeſo inter legendum, avoca mentem a curis privatis, quibus te aliquan-

aliquando angi necesse est, aliqua mecum fruaris voluptate, rudiens ea quae paucissimi aetatis nostrae viri meminere. Te vero velim, ut omissa acri illa censura, qua praesentibus rebus uti soles, si reliqua displiceant, vel saltem me confabulantem patienter auscultes. Qua die Caesar urbem introiit? Ingressus est Ascensionis Domini die, & ea porta secundum antiquas cerimonias, quae est pene sepulcrum Adriani. Omnis populi multitudo, viri pariter & mulieres se ad conspiciendum quo iter facturus erat effudit. Urbs Roma in XIII. regiones nunc descripta est, paulo minore hominum numero qui olim fuit, cum erat in XIV. distributa. E regione qualibet annis singulis deputantur electi ex ordine equestri adolescentes octo ad celebrandos publicos ludos, qui se equosque veste varia conteeri personanque, diversamque ludorum pompam ducunt. Hi reliqui quoque etiam solemnius sacrorum ludis de more adesse consueverant, Regem praecedere, diemque festum agere jussi sunt. Praeibant ergo Reges primum omnium varii generis impedimenta, longo quidem ordine, partim ad cultum corporis, partim ad usum militarem accommodata. Sequebatur equestrium virorum ingens numerus, tum civium tum peregrinorum, qui sibi ex urbe obviam ierant, tum diversae Regum, Principum ac populorum legationes, in quibus & Graeci Imperatoris oratores erant, attrahentes in se ora atque oculos omnium admiratione quadam, tum propter vestimentorum, capitisque mira quaedam tegumenta, tum vero comarum barbarumque prolixitate. His intermixti praecedebant proceres permulti, qui variis ex locis ad hanc celebritatem convenerant. Subibat deinceps tubicinum ac tibicinum turba, multique praeterea vario sonorum strepitu aures astantium replentes. Post hos aderant, quos remli ea singulis regionibus instituti ad ludos, serica quaedam vexilla tenentes manibus, & ipsi suo ornatu insignes. Succedebant dehinc magistratus omnes urbis, & qui publico alio officio funguntur suo quoque habitu. Nonnulli vero & aurea veste, qua se equosque contexerant. Quae ipsi priscum esse habitum asteverant. Pone subsequebantur pedestrium agmen partim gestantium olivarum ramos, partim eas quas ipsi facolas vocant, nomen antiquum non reperi, licet haec res sit moris vetustissimi, cum & in arcubus triumphalibus coram Imperatoribus & aliis in locis ante Consules interim fasces deferri solitas vetustissimae sculpturae testentur, quas cum ipsi manibus simul ad nutum moverunt, festivam quamdam ac popularem praebent ex tintinnabulorum sonitu alacritatem. Praecedebat hos, quod priscis Imperatoribus mos fuit, egregius adolescens veste purpurea atque aurea Cæsarie argenteos nummos populo spargens, insuetum spectaculum, sed imperatorio munere dignum. Postremo Sacerdotes antecedebant Regem canentes hymnos. Ipse demum Cæsar albo vehebatur equo, sub aureo pallio, quod nobiliores deauratis hastilibus deferebant, caeteris spectaculis excellentior; etenim aspectu perhumanas, ridenti similis, facie hilari atque liberali, barba subcana ac prolixa, ea inest in vultu comitas ac majestas, ut qui illum ignorarent, ipso conspectu & oris egregia specie ceterorum Regem opinarentur. Post enim secuti sunt armati equites nostrates, ex his quibus Pontifex stipendium praebet. Hoc comitatu ad ecclesiam beati Petri majorum more profectus, atque a Pontifice sedente pro gradibus templi ante porticus exterioris fores exceptus est, inter dissonas plaudentium ac tumultuantium diversarum gentium voces. Inde cum ad supremum altare una profecti essent, peracta solemni missa, alter ad destinatum, alter ad solitum palatium divertit. Habes introitum. Nunc accipe coronationem, quae in festo Pentecostes pridie Kal. Junii subsecuta est. Scio morem hunc Imperatoris coronandi, qui nunc servatur, non esse priscum, sed initium sumpsisse olim a Carolo Magno Francorum rege, qui, cum Constantinus cum Leone filio apud Grecos imperarent, atque ipse reliquique jam dudum antea Imperatores Italiam undique bellis confractam, tunc vero hinc a Longobardis gente aspera, hinc a Mauris oppressam omnique praesidio destitutam & pene exinanitam reliquissent; urbs autem in extremis esset difficultatibus, vocatus a Stephano Romano pontifice in subsidium urbis, victo Desiderio Longobardorum, Barbarisque subactis, a populo Romano ob ejus merita Imperator appellatus, a Pontifice coronatus est. Quae observata a posteris consuetudo coronandi, ad nostram usque aetatem descendit. Priscis autem Imperatoribus, ut nosti, lauream coronam in triumphis gestare mos erat; concessa enim a Senatu triumphandi potestate, & ejus laureae coronae deferendae tributum erat, triumphantium insigne. Primo Caesari dictatori licentia coronae laureae perpetue gestandae concessa extitit a Senatu; qua postmodum reliqui Imperatores pro libidine usi sunt, contempta superiorum auctoritate. Verum quoniam mos ille obsolevit omnino, nec solum ex usu sed ex memoria quoque hominum abiit, hunc recentiorem per septingentos ferme annos servatum antiquum esse arbitramur, atque abjicientes illa quae jam usus explevit, sequamur quae a nostris majoribus religiose instituta, & ad nos usque traducta consensus Christifidelium comprobavit. Nostri Imperatores cum eliguntur ante consecrationem coronationemque Romanorum Reges appellantur, perverso vocabulo, quia pluris existimandum esse videatur Imperatorium, quam Regium nomen. At vero prisci Romani post expulsum Tarquinum Superbum, ob odium Regum, nomen Regium funditus sustulerunt, Senatusconsulto statuentes, ne quem deinceps Regem in urbe esse liceret; cum Imperatores permulti quotannis re bene atque feliciter adversus hostes gesta, a militibus honoris causa appellarentur. Unde & inter ceteros aetatis suae Principes civitatis M. Tullius Cicero in Asia est a militibus dictus Imperator. Julius autem Caesar cum saepius post partam victoriam esset imperator ab exercitu appellatus, non Imperatorium aut Regium sed Dictatorium nomen usurpavit; tantum sibi odium Regis nomen in urbe contraxerat. Cum autem cuperet Regis nomen, vereretur autem populi indignationem, molitus expeditionem in Parthos, atque asserens in libris Sibillinis contineri, nonnisi a Rege Parthos superari posse, se Regem dici procuravit, quod maturandae mortis suae causam praebuit conjuratis. Nullus autem sequentium Imperatorum se Regem Romanorum dicere ausus est. Imperatoris vero appellatio perpetua Caesarum non erat, sicut nec Consulis, nec Praetoris, nec Tribuni plebis. Nam & priores illi Augusti, cum Caesares illi Augusti cognomine continue uterentur, vario numero quosdam septies, quosdam majori, alios minori numero inveniemus appellatos Imperatores, Consules, Tribunos plebis; dignitatis enim non officii nomen id fuit. Nam re prospere adversus hostes gesta mos erat honoris gratia, Consules, Proconsules, Praetores & salutari & dici a militibus Imperatores. A quo autem principium haec nova tum Regis tum Imperatoris nominandi consuetudo defluxerit, ignoro; existimo autem hoc a Barbaris derivasse, qui cum priscas historias ignorarent, neque verborum vim tenerent, esset autem frequentius apud eos Regis nomen utpote sub Regibus viventes, Imperatorem vero unicum ac rarum viderent, id excellentius arbitrati sunt, quod rarius atque insuetius conspiciebant. Utrumque tamen hoc adoleverit, id plane constat, non satis scite hanc appellationem a posterioribus introductam. Verum ineptissimus ego, qui auribus doctissimi hominis haec refricare ausus sum.

Cum dies coronationis advenisset, ingressus interiorem Ecclesiae porticum, Caesar ante portam, quae dicitur argentea juramentum quoddam Pontifici praestitit de more superiorum. Tum profectus in templum superius pone majus altare ad dexteram assistens inque morem Diaconi inductus ab Episco-

po

po Hostiensi sacro oleo inunctus est. Hinc existimo Augusti nomen olim descendisse, loca enim, ut scis, augurio consecrata, Augusta antiqui appellabant; quod nomen tanquam sanctum a Senatu indictum est Octaviano. Hanc per observationem, & nostri quoque Imperatores post consecrationem, Augusti vocitantur. Post hæc ad Pontificem celebrantem ad Altare accessit, a quo osculo exceptus, interque celebrandum, primum alba mitra capiti imposita, ita ut cornua ejus ad tempora erigerent, aurea desuper coronatus est. Consueverunt superiores Imperatores olim usque id loci, ad frena Pontificis, pedibus iter facere, quod ne iste servaret podagra prohibitus est. Tum vero sceptrum ensemque nudum ei Pontifex tradidit tanquam Christi militi, qui armis si opus esset in Romanam Ecclesiam & Christi fidem tuendam defendendamque susciperet. Peractis ex more solemniis, pluviali veste indutus est. Inde tum Pontifex tum Imperator equum ascendentes una versus pontem Adriani proficiscuntur. Cum vero constitissent ad sepulcrum Adriani, Pontifex domum rediit; Imperator vero ita ut descenderat mitratus coronatusque cum veste sacerdotali ad Basilicam Lateranensem abiit, inter populi laetantis varios plausus. Supra pontes autem cum transiret, descendentes ex equo complures strenuos viros atque adolescentes militaribus insigniis donavit. His rebus universa civitas ad summam hilaritatem effusa est ad diu tam festi pulchritudinem. Et is omnium, quos unquam viderim celeberrimus illuxit, qui ut gaudium summum attulit, ita oro ut pacem secum concordiamque importet. Vale, mi Nicolae, & si longior fui, ne mireris, ociosus enim sum, & tecum loquor libentissime. Tu vero responde cum libet. Romæ prid. non. Junii 1433.

---

## IN SEQUENTIA VETERIS ÆVI MONUMENTA

# JOANNIS DOMINICI MANSI

## PRÆFATIUNCULA.

*Illustrissimo D. Lucchesino Lucchesini Lucensi Senatori Amplissimo gratiæ mihi publice nomine referendæ sunt plurimæ, quod mihi concesserit volumen antiquum curtuceum nondum adulto sæculo V. scriptum, in quo anecdota plura fere omnia ejusdem sæculi continebantur. Ex his insigniora selegi quæ collectionem hanc meam illustrent. Hinc factum est, ut cum sero ad manus meas Codex iste pervenerit, plura simul hic referuntur, quæ commodius juxta præscriptam mihi methodum in prioribus editionis meæ voluminibus inserenda fuissent. Insuper cum huic volumini destinaverim simul omnes dare epistolas Romanorum Pontificum, ac reipsa dederim; hic tamen invenient lectores nonnullas Eugenii IV. & Pii II. seorsim ab aliis exhibitas, sicut & extra collectionem Monumentorum Concilium Basileense spectantium dantur hic epistolæ quædam illinc producendæ. Hujus transpositionis meæ veniam dabunt lectores, quippe qui bene norint, hunc esse collectorum morem, prout singula veniunt in manus, proferre in publicum, neglecta sæpe temporum serie.*

---

# LITERÆ MORBASNI PRINCIPIS ORGANIÆ

## AD CLEMENTEM VI. ROMANUM PONTIFICEM.

*Morbasnus Heberi cum Fratribus suis Cerabi & Jusbaydi Imperatoris Organiæ collaterales pugiles & in partibus Achayæ Domini, Magno Romanorum Sacerdoti juxta merita dilecto.*

Ex Cod. Bibliothecæ Illustriss. Domini Lucchesini Lucchesini Senatoris Lucensis.

NUper auribus nostris intonuit, quod in partibus Italiæ ad partem & postulationem populi in basilicis vestris facite publicationem indivulgari quod quicumque arma sumpserit contra nos, & nostros suorum in hoc saeculo remissionem peccatorum, eisque vitam beatam promittitis in futurum, cujus veritatem occulta (*sic*) fide decrevimus per adventum quorundam peditum cruciferorum, qui nuper in Venetorum navigiis transfretarunt; propter quod admirari cogimur vehementer, quia dato quod a summo tonante vobis data esset potestas ligandi animas, vel solvendi; tamen in hoc maturius procedere deberetis, neque Christianos & maxime Italicos crucis insignitos caractere inducere super nos, cum secundum quod Patres nostri annuntiaverunt nobis, populus noster Turcorum innocens fuit mortis & injuriae Christi vestri, & cum terrae & loca sanctuaria vestra sunt possidentur per nos: immo populos Judæorum semper exosos habuimus & habemus, quia prout in historiis antiquis chronicis nostris audivimus, ipsi proditorie & pro invidia eundem Christum vestrum & prophetam Ierosolymis tradiderunt præsidi Romanorum, quem in Crucis patibulo mori fecit. Ac etiam admirari compellimur, quod surgant Italici contra nos cum latens amor nos matet (*sic*) ad dilectionem ipsorum, eo quod ipsi & ipsorum magnalia a Trojanorum sanguine processerunt; quorum auctores fuisse scimus Anthenorem, & Eneam Priami Magni de stirpe creatos, in cujus locum ducturi sumus Imperium in partibus Europae, & secundum repromissiones nostras quas a Diis nostris patres nostri habuisse noscuntur, Trojam magnam restaurare intendimus, & fortis Hectoris sanguinem ulcisci, ruinamque nobilium Graecorum Imperio subjugando, & nostrae Palladis furtum punire in transgressores. Insuper intendimus cretas & alias marinas Insulas, quas Venetorum populus antedictus extorsit a nobis Imperio repromisso totaliter vindicare, easque nostrae subjicere dominationi. Idcirco prudentiam vestram requirimus & rogamus quatenus

ex grat..... in arcibus vestris per terras Italiae missis ad instantiam sæpe dicti populi Venetorum silentium imponatis non provocantes amplius contra nos sub pietatis specie populum Christianum. Cum erga vos nullam guerram propter credulitatem habemus, cum nihil nobis referat si Christum colitis, quia ipsum reputamus fuisse prophetam, neque enim vos ex lege ipsius potestis aliquem ad credulitatem compellere. Si autem lis aliqua vel discordia orta est inter nos & populum Venetorum, hoc accidit quia ipsi indebite nullo justitiae muniti colore, non sub Caesaris nomine vel alicujus Monarchiae cui ex lege aliqua temporalia sunt commissa, sua superbia & temeritate jamdudum quasdam Insulas marinas & alia loca, quae ut sicut diximus sunt Imperio repromissa crudeli tyrannide summergunt, quae tolerare non possumus cum factorum tempus & nostrae repromissionis instat, propter quae & alia potestis merito & debetis ab inceptis desistere; & specialiter cum audiverimus ipsum populum Venetorum fore alienum a vita & moribus Romanorum, quia secum nec legibus vivunt, nec moribus continentur, sed se solos existimant, cum certa ambitu abiicientibus meliores suorum superbia; deorum nostrorum, & Jovis auxilio ad exterminium deducemus. Alioquin, si ab inceptis vestra prudentia non desistet, ampliare conabimur vires nostras sumpto auxilio Divi Imperatoris Organiae & aliorum Orientalium Regum, qui simulant hodie se dormire, quorum muniti auxilio trahemus a finibus terrae armatorum acies copiosas, per quas non solum contra pedites vestros cruciferos resistemus, sed etiam contra vos Romanam, Germanam & Gallicam militiam interdum hostiliter obviare, ac demum favente Neptuno per mare Despontiacum & Dietmaticum cum innumerabili nostro navigio Zeffiri flatibus & artificioso ducti naviglo intendimus pertransire & orientalem plagam praesertim contra Dalmatiam & Croatiam visitare. Ambages.

Datum anno Machometi DCCXLV.
in introitu Caldey.

# JO. DOM. MANSI
## IN SUPERIOREM EPISTOLAM
## ADNOTATIO.

*ORganiam insulam maris Arabici extra fines Persicos, nunc Muziram dictam, Geographi non ignorant. Insulares illi utebantur olim, sicut & nunc pariter aera Mahomedica, adeoque annus aeræ 745. reddit annum Christi 1344. eundem scilicet in quo Crux in Turcas Romano Pontifice Clemente VI. indicente prædicata est. Marbasani hujus meminit Raynald in Annal. ad eundem an. qui & scribit eundem Principem exercitui Infidelium adversus Crucesignatos præfuisse, nec tamen id efficere potuisse quin Smirna a Christianis expugnaretur, & dum eam sibi recipere tentaret cum suis cæsus est an. 1348.*

# ORATIO PORCELLI
## AD DIVUM CAESAREM SIGISMUNDUM ROMAE.

Ex Cod. Biblioth. Ill. D. Lucchesinii Lucchesini Senat. Lucens.

CUm multa in hodiernum usque diem, dive Caesar, quae sane sunt gravi & accurata oratione dignissima memoriae occurrerent, nihil profecto clarius, nihilque admirabilius compertum est, quam de his rebus posse dicere, quibus illustrissima tui nominis amplitudo aeternam laudem, summamque gloriam consequuta est. Quamobrem & si parum pro meritis rerum abs te prudenter beneque gestarum vel ornate vel graviter, vel copiose dixerim, veniam supplex postulo; quod certe me scio solita pro mansuetudine tua, humanissime Principum, facile impetraturum, nec immerito quidem, cum neminem unquam tanta eloquentia fuisse crediderim, nec tam divino atque incredibili genere dicendi praeditum qui magnitudinem laudum tuarum, multitudinemque beneficiorum in omnes benemeritos non modo oratione satis ornare, sed enumerare aut consequi possit. Itaque non omnia, dive Caesar, hac in oratione complectendi cupido incessit, sed quae visa sunt majori laude dignissima, quamquam cuncta quae tua majestate procedunt laude & gloria paria sunt, summatim differam. Ac unde tibi quispiam dixerit principium sumpseris quae quibus anteferes? Testor immortalem Deum, dive Caesar, non tam me rerum tuarum copiam, quam modum mihi in dicendo majore cum difficultate quaesivisse. Verum quanto magis magisque cogito, quatuor summo Imperatore inesse oportere mihi persuadeo, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & felicitatem. Ab his itaque tamquam a rebus fortissimo ac sapientissimo homini, & summo Imperatori longe necessariis suo ordine mea proficiscatur oratio.

Surge itaque rei militaris scientia, decus, & tenacissimum firmamentum Romani Imperii. Surge, inquam, & priores tibi hujus summi principis laudes vendica. Si quis fuit, fortissime Caesar, aut esse unquam debuit quem rei militaris scientia decoraverit, pace majorum dixerim, majestatem in hac re tuam illi jure optimo anteponam. Namque, ut dimittam id ab avorum atavorumque tibi natura datum praeesse, imperare & regere, tua tamen singulari quadam prudentia, fortitudine atque exercitatione adeo illa consequutus es, ut non modo viventium, verum etiam eorum qui ab initio sæculi fuere gloriam superaveris. Quis enim majestate tua in hoc laudis genere praestantior censeatur? qui ab ineunte adolescentia maximis bellis in militiae disciplinam tamque acerrimis hostibus summa cum magnanimitate profectus es; qui sub armis imperatoriis juvenili aetate sensu seniore tantum militans, maximorum tandem exercituum imperator summus virtute tua esse meruisti, quo posteaquam ab hoste perventum est plura victor bella gessisti, quam ceteri legerint, plures provincias subjugasti quam ceteri concupiverint: tanta est enim in majestate tua, dive Caesar, scientia militaris, tanta militum tuorum observantia, ut nullo unquam abnuente non majorum institutionibus

bus imo ſuis imperiis functa ſit, & plus ſibi conſilio, quam armis adeo in te perfecerit, ut Pieriam illam noſtram ſalutationem mereatur.

*Salve invicte pater Romani gloria, Caeſar,*
*Nominis, aeterno non conceſſure Trophaeo*
*Martis, & Auſoniis non conceſſure Triumphis.*

Statuam huic igitur parti finem dicendi ſi te varia ac diverſa bellorum genera in Parthos, glorioſiſſime Caeſar, inque religionis Chriſtianae rebelles non modo geſſiſſe, verum etiam tua militari ſcientia fortiter confeciſſe declaraverim.

Jam vero virtus me tua invictiſſime Caeſar, excitat, quae ſecundum ſibi locum in dicendo jure optimo vendicaverit. Quid eſt enim per immortalem Deum ſingulari virtute tua admirabilius? quando illam contemplari velimus prudentiam quae maxime naturam attingit humanam; quae tanta eſt in te uno, quantam in reliquis umquam imperatoribus fuiſſe intellexerim. Teſtantur id, ſapientiſſime Caeſar, tua geſta inclyta, quae acta conſtanter & praeviſa prudenter, quemadmodum cuncta Porcius Cato, aut ſuperior Scipio ſolebat, & a callidis doloſiſque acerrimorum hoſtium actionibus liberarunt, & innumeris te trophaeis, admirabilibusque triumphis decoravere.

Quid de aequitate tua dixerim juſtiſſime Caeſar, quam quidem tam conſtanti tamque perpetui animi voluntate ab annis uſque teneris adminiſtraſti, ut non adverſus eos modo quibus cum ſimiliariter vixiſti, verum etiam cum his quibus cum nulla pax, fides nulla, ſanctimonia nulla, nulla denique religio eſt, juſtitiam fidemque ſervandam tuo ab incorrupto exercitu eſſe volueris.

Jam tandem quali moderatione praeditus ſis, continentiſſime Caeſar, pedetentim videamus. Haec ſiquidem ea in te eſt qualem in M. Coriolano, qualem in Curio, qualem in C. Fabricio legimus, qui ex ſuis victoriis cum ceteri pecuniam ſolam, ipſi gloriam retulere; neque enim te dira auri, argentique ſitis tuo ab incorrupto propoſito devocavit: Non libido ad voluptatem, non amenitas ad delectationem. Tanta igitur temperantia, tanta manſuetudine, tanta ubilibet humanitate uſus es, ut hi beatiſſimi eſſe videantur, apud quos diutiſſime commoratus es. Praetereo beneficentiam atque liberalitatem tuam, humaniſſime Caeſar, cui nec Senatum populumque Romanum qui Aſiam bello captam Atalo regi tradidit; nec A. Fabium Maximum qui patrimonium pro captivis redimendis vendidit; nec poſtremo Agrigentinum regem Giliam cujus opes communе omnium patrimonium erant, comparaverim.

Quid loquar tua de humanitate, & clementia, dive Caeſar, quarum dulcedo barbarorum dura etiam ingenia penetrat, vincit iram, proſternit odium, hoſtilemque ſanguinem hoſtilibus lacrymis miſcet. An Q. Metelli humanitas, qui Celtiberorum animos ita cepit, ut eos in deditionem S. P. Q. R. redigeret. An Emiliani Scipionis pietatem, quae Diis ornamenta templorum, & regibus ſanguinem ſuum reſtituebat, humanitati & clementiae tuae quiſquam competere auſus ſit, qui hoſtes vel ſanguine, vel cum magni auri pondere redimendos cum in manum tuam devenerint donatos vita (quod de Julio Caeſare in Domicium ducem Pompejanum audivimus) & quam magnis muneribus, datis etiam qui eos proſequerentur comitibus remiſiſti: praeſtabilius eſſe judicans hoſtes humanitate quam armis vincere. Proh Deum atque hominum fidem! quid in Imperatore Sigiſmundo humanius, qui cum ceteros dignitate ac virtute antecellat par infimis facilitate eſſe videatur! Jure itaque ac merito non tamquam tibi inhaerentem humanitatem, ſed te eundem cum illa e caelo lapſum omnes intuemur.

Nunc alio mea me, dive Cæſar, oratio provocat, quare tua in auctoritate parum inſiſtere non gravabimur. Difficile dictu eſt quantum conſilio, quantum armis valeas, dive Cæſar, ac longe difficilius quanta comitate, atque affabilitate ſermonis animos multitudinis ad benevolentiam allicis, & milites comi appellando ſermone devincis. Quæ omnia intuentes tuam intelligentiam & ſapientiam pluſquam cæteros arbitramur. Tanta te fidei integritate ſummam propter auctoritatem tuam domi militiæque ab univerſis publicis, privatiſque viris obſervatus es: ut ſummo pro jure haberi voluntas tua debeat. Haud inimici Chriſtianæ religionis hoſtes acerrimi nomen tuum appellare ſanctiſſimum non dubitavere. Et cujus unquam principis tam fortes fuere exercitus, qui imperatoriam majeſtatem tuam pugnando non timuerint, & victi manſuetudinem non dilexerint. Quæ cum ita ſint felicitatem tranſeamus.

Quis eſt enim per individuam Trinitatem aura fretus ætherea quae majeſtatem tuam, dive Cæſar, ſcientia militari praeditam ſingulari virtute decoratam, & ſumma imperii auctoritate praeminentem? quis inquam feliciſſimam, & fere majeſtati Divinae conſimilem non praedicaverit? apud quam non ea modo ſunt omnia quae haberi in terris ab illuſtribus viris ſolent, verum etiam quae (ut omnia paucis includam) virum animi heroicum excogitare poſſunt. O felicia tempora! O rerum conditionem optimam! O urbem Romam pace, opibus ac rerum felicitate in Auguſti primi tempora reſtitutam. Tu modo dare operam quam diligentiſſime velis ut Sanctiſſimum primo Papam Eugenium ſumma divina prudentia antiſtitem, pace tua dixerim dive Caeſar, cedant divinis mortalia, nam & apud majores qui ſuperſtitioſi fuere religioni ſummum ceſſit imperium; deinceps imperatoriam majeſtatem, duo mundi lumina in ſinum tuum ſine invidia, & abſque animorum perverſitate cuſtodias; ut poſteaquam imperiali corona luſtratum, ſumma cum expectatione S. P. Q. R. divinum Sigiſmundi caput extiterit; atque tum utriuſque Monarchae ſumma caritate, & obſervantia ardentius utramque ad haereſes extirpandas inſudare concupierit, & ad unitatem Eccleſiae & ad Chriſtianorum pacem, quae & immortali Deo & hominibus gratiſſima eſt; poſtremo ad infidelium vim terra marique omnino tollendam, aut ſi id minus fieri poteſt ſaltem extenuandam elaboraverit: Quibus rebus non modo prudenter inceptis, verum inviolabili quodam vinculo conſervatis, dive Caeſar, ſummam eſſe felicitatem tuam, qualem in Q. Metello legimus, mortalium feliciſſimo oſtendes ampliſſimas in hoc ſæculo laudes, & aeternam gloriam conſecuturus. Poſtremum eſt ut ubi functum pace corpus acquieverit, novum ſidus inter clariſſima caeli empirei ſidera connuberabere.

---

De hoc Porcello Neapolitano inſigni ſui ſeculi XV. Poeta & Hiſtorico vide addit. ad Fabricii Bibliot. Medii Ævi to. VI. V. *Porcellus*.

# PETRI DE MONTE VENETI

## EPISTOLA AD GEORGIUM CÆSARINUM.

*Is nunc est Episcopus Brixiensis. (Ita legitur in Cod. eadem manu.)*

PEtrus de Monte Georgio Caesarino salutem. Dum sarcinulas meas componerem Georgi carissime, ut ea hac pestilentiae procella, quae tanquam ventus urens hanc patriam nuperrime devastavit aliquo me transferrem delatae sunt mihi litterae tuae, quae amicissimi animi desiderium pariter & affectum significabant. Eas uno, ut ajunt, spiritu totas perlegi: in ipso enim eram proficiscendi articulo; atque ut celeriter discederem, & aeris intemperies, & aliorum omnium fuga compellebat: Nunquam posset sibi quisquam in animum inducere quo impetu, qua frequentia hujus nostri scolastici ordinis viri hinc migraverint; adeo quilibet suae salutis anxius videbatur; itaque ego abiens Celsanum me contuli, id autem rus est in agro Vicentino, ubi perpulcrum est videre collium viriditatem, vallium amenitatem, aeris temperiem, prospectum quoque latissimum, & undique patentem. Miraretur forte alius consilii mei causam haud probe intelligens quidnam esset quod cum urbes plurimas, aut oppida adire potuerim, clarissimis repleta civibus quorum gratissima consuetudine delectari potuissem tugurium quoddam rusticanum delegerim: quibus facile respondetur quoniam quantum studii, & diligentiae a majoribus nostris in agro colendo adhibitum sit; in medium adducetur Marcus Cyrrus cum de Sannitibus, de Sabinis, de Pirro triumphasset. L. Q. Cinciunato aranti nunciatum est eum dictatorem factum esse. M. Valetius Corvinus dum agros maxima diligentia coleret, vitam ad centesimum annum usque perduxit. Tantum enim & amenitatis, & jocunditatis apud veteres illos haec res rustica habuit, ut in ea nonnulli excellentissimi viri sese totos dedicaverint, quod a Cicerone nostro in Catone majore & luculente, & elegantissime disputatum est certe scio. Verum nolis existimes Georgi frater his auctoribus me consilii mei causam defensurum, longe enim diversa mihi fuit deliberandi ratio, alius animus, mens alia. Memoria siquidem tenebam me apud gloriosissimum Hieronymum legisse populos maria pluria transisse, varias lustrasse provincias, varias peragrasse urbes, ut unius hominis nomen toto orbe consequerentur; & quem fama pervolante cognoverant coram quocunque viderent vel ejus doctrina, vel gratissima vivendi consuetudine pellecti. Unde ad T. Livium lacteo ut ipse ait eloquentiae fonte manante de ultimis Hispaniae, Galliarum quoque finibus plerique nobiles advenerant, & quos ad sui contemplatores Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit: possem id tibi multis exemplis comprobasse, quae quoniam apud illustres auctores habentur, tibi quod scio non esse incognita consulto praetereo: his defensionibus, his causae meae patronis, ideo Celsanum me contulisse intelligas, ut cum eo viro vitam ducerem, cujus sunt egregii mores, excellens ingenium, mens gratissima, voluntas optima, studiorum assiduitas, postremo suavissima consuetudo: Is est Hermolaus Barbarus clarissimi, & excellentissimi Francisci nepos, quem tanti facio, quanti ejus aetatis neminem, cui cum essem, ut nosti, singulari quadam, & perpetua familiaritate conjunctus, nequissem profecto sine multis molestiis hoc tempore ab ipso segregari. Demosthenem in speculo domi actorem componere solitum esse legimus, ut in oratorio munere, quod sibi faciendum, quid omittendum esset oculis suis videret, & Socrates adolescentulos monuit, ut seipsos crebro in speculo intuerentur, ut formosi quidem corpore animum viciis non dehonestarent; deformes vero se virtutibus pulcherrimos redderent. Ego vero nescio quod praeclarius speculum, atque ad formandam vitam commodius intueri possum, quam si Hermolai mei mores sequar, atque vestigia, qui omnem vivendi rationem componit, & ordinat, cujusque amicitia quemadmodum nectare, & ambrosia, utpote dicunt, dii alebantur: sic ego nutriri animum sentio: adest praeterea Daniel ejus frater speciosissimus quidem juvenis, ceterum non minus virtuti deditissimus, qui eo splendidior est, quo gratior, & pulcro veniens de corpore virtus adjuvat; inter hos Barbaros quidem genere, & nomine sed re ipsa humanissimos, qui omnes a se barbariem ac inhumanitatem abdicarunt, quis posset non esse jocundissimus, aut cum his vivere, cui possit non esse gratissimum? Nostrum vero hoc tempore studium est clarissimorum auctorum libros lectitare, bonarum artium disciplinis libenter incumbere, mutuis sermonibus, disceptationibusque insistere: quibus alter alterius diligentia quemadmodum ferrum ferro acuitur. Delectamur nonnunquam laxandi animi causa, venandi, & aucupandi artibus, quibus cum corpus refocilletur, animus ad optimarum disciplinarum studia apprime disponatur; vegetata enim & strenua ingenia quo majores excessas sumunt, eo vehementiores impetus reddunt: huic autem nostrae consuetudini, & felicitati, quid aliud deesse existimabimus nisi Georgium nostrum, quem ita diligimus, ut nihil nobis sine ipso faustum, ac felix esse futurum ex omni parte arbitremur. Verum quae fortunae sors acerba, corporum praesentia nos segregavit, tui memoriam colimus, de te loquimur, de te sermones effundimus, te optamus, & quem praesentia habere non possumus, saltem recordatione tenemus, & cum quo loqui non datur, de ipso nunquam loqui desistimus. Id autem cum omnibus nobis gratissimum sit tum mihi in primis qui tantum sibi debeo quantum nullam unquam delere poterit vetustas, aut oblivio. Cogitanti vero mihi quidnam hoc tempore a me fieri possit quod aliqua ex parte hoc aes alienum minuerem, quo pro maximis in me beneficiis tuis tibi devinctus sum, ea praevaluit apud me sententia, ut aliquod tibi litterarum munus transmitterem: inter ambigendum vero evenit in mentem Francisci Comitis cognomine Carmignola insignis obitus, quem tibi cum perpetuae posterorum memoriae commendandus videatur, pro viribus ingenioli mei describere institui, ut hoc scribendi studio cum absente absens loqui videar, & corporum distantiam hac litterarum praesentia minorem constituam; hanc autem mortem etsi tibi minime expedire sciam, a me descriptam legi, mihi tamen id summopere expedit, ut in te gratus, & sim, & videar. Alexander ille Macedonicus, cum magnum auri pondus Xenocrati dono misisset, idque Xenocrates repudiasset quod sibi regiis muneribus opus non esset; si Xenocrati inquit mea non expedit uti munificentia, mihi tamen opus est, ut in eum hac utar liberalitate. Ita quamvis mea scripta tibi minime necessaria sunt, ea tamen huic tempori & nostrae familiaritati convenire existimavi, in quibus non quid potuerim, sed quid voluerim quaeso animadvertas. Cum enim tuis litteris certior reddar earum omnium rerum, quae apud vos geruntur, indignum esse arbitratus sum, amori in me tuo hoc scribendi studium minime respondere. Jam itaque rem ipsam aggrediar. SA-

TIS

TIS credo nisi mea me fallat opinio, tibi persuasum esse Georgi amantissime quantum fortitudine potentia, prudentia, benignitate, pietate, clementia, rebus deinde terra, marique gestis, Senatus Venetus, reliquos populos antecedat. Is autem cum verum principantis & dominantis officium duobus maximis capitibus contineri animadverterit, dum alterum totis viribus complexus est, alterum minime negligendum indicavit, adeout difficile admodum cognitu videatur, in quo ipsorum majorem operam adhibuerit. Primum equidem hoc est, ut qui ejus ditioni ac potestati subditi sunt, quam beatissimi sint, & pace, tranquillitate, gaudioque perfruantur: rerum denique suarum libertate laetentur; & id sane non injuria: hoc enim mediusfidius recti principis, & jullissimi Senatus officium est, humanitate, clementia, benevolentia, charitate, non timore, crudelitate, iracundia suae dominationis fundamenta firmare, ne dum populis, ac civitatibus hoc pacto imperitare conantur, ipsi sese in magnum vitae discrimen conjiciant; neque ab adversariorum insidiis locum sibi usquam tutum esse cognoscant: Quemadmodum de Dionysio legimus, qui cum tyrannica lege suis imperaret, omnium pertimescebat injurias; quodque risu dignissimum est, cultros metuens tonsoricos, candente carbone sibi adurebat capillum; & in cubiculares thoros, quos veluti castra quadam latissima fossa cinxerat undique positis excubiis, seipsum ligneo ponte recipiebat. Quid vero tam praeter rationem & rerum publicarum regimen quam in subditos saevire, eos tormentis, doloribusque afficere, rebus suis spoliare, quas maria plurima navigando diversas adeundo provincias, variis se immiscendo periculis, sibi, & suis quaeritare conati sunt: Ab hac siquidem saeviendi arte & inhumanitatis officina, principum mortes, & rerum publicarum eversiones processisse credendum est. Sicut enim malus est custos diuturnitatis metus, sic contra benevolentia fidelis est ad perpetuitatem: testis est Phalaris tyrannus, in quem Agrigentini ob ejus saevitiam impetum fecerunt: Testes sunt plerique alii qui dum crudelitate sese nobilitare conati sunt, summo cum dedecore perierunt. Romanus vero populus qui diu imperium subditorum commodis, & beneficiis magis quam injuriis tenuit, regum, popolorum, nationum portus fuit, & refugium. Postquam vero in socios tyrannide & iniquitate, in cives crudelitate uti cepit, maximi illius imperii gloria brevi extincta est: Unde apud excellentissimum vatem Homerum non omnes reges a Jove sceptrum habent, sed qui boni sunt, & qui summum studium adhibent, ut subditi quam beatissimi sint. Hinc Augustus cum summum imperium adeptus esset, se non prius gloriari tam sapienter, quam graviter dicebat quod eam dignitatis sedem conscendisset ubi plurimis benefacere liceret. Secundum vero caput est ut hostiles propulset impetus, & inimicorum injurias longe a suis finibus repellat. Quid enim prodesset domi multa comparaile nisi comparata servarentur, & ab hostium impetu foris militibus, ac vitae discrimine custodirentur. Agustus Caesar cujus memoriam cum fuerit princeps prudentissimus libens repeto longe plus laudis & fructus Alexandro futurum dixit, si quae adeptus erat tueri & conservare potuisset quam comite fortuna res maximas gessisse, aut regni fines late ampliasse: Haec duo Principis officia sapientissimus ille vir Graeciae Solon nobis significavit, qui statum reipublicae duabus maxime rebus constare dicebat praemio inquam & poena: haec idem Poeta maximus his versibus decantavit:

*Excudent alii spirantia mollius aera*
*Credo equidem & vivos ducent de marmore vultus.*
*Orabunt causas alii, caelique meatus*
*Describent radio, & cadentia sidera dicent.*
*Tu regere imperio populos Romane memento;*
*Hae tibi erunt artes pacisque imponere morem*
*Parcere subjectis, & debellare superbos.*

Quorsum haec? ut etsi multis in rebus senatus Veneti prudentiam facile possis agnoscere, in hoc tamen magis ac magis elucescat quod hoc instituto, hoc consilio, hac denique ductus auctoritate, ut veri principis partes suscepisse credatur pro dissipandis regulis ac tyrannis, qui aliorum sedes injuria intercipiunt, amplissimum semper terra marique paravit exercitum, ut propulsatis hostium copiis atque potentiis pacem nobis, & aurea saecula constitueret. Id vero cum antea saepius tum proximis temporibus, quibus cum adversus PHILIPPUM MARIAM illustrem Mediolani ducem variis de causis belligerandum esse, Senatus lacessitus ac pene coactus instituisset, talis terra paratus collectusque fuit exercitus, qualem raro nostra viderunt saecula, & rarius est visura posteritas. Id autem magis propulsandae injuriae causa quam dominandi libidine factum fuisse facile sibi persuadebit, qui Senatus nostri studium, ac diligentiam memoria verterit, quae in hoc maxime servata est, ut se suis ita contineat finibus, ut ejus subditi pace, otio, omni denique commoditate potiantur: bellum autem facere patrum suffragio nunquam decretum est, ut late fines extenderentur, ut aliorum jura, terminosque invaderent, ut agros devastarent, ut respublicas perverterent, ut popolos vexarent, ut captivos adducerent, ut urbes incenderent, ut omnem ferme Italiam dominandi cupiditate quemadmodum ceteri conturbarent: Quin potius impellente necessitate, ut se ac suos ab hostium incursibus custodirent, & quam maximis vigiliis, sudoribus, periculis, & expensis suae ditioni subiecerant conservarent: Hujus autem amplissimi exercitus comitem centuriatis comitiis ducem ac Imperatorem constitutum fuisse neminem later. Is enim posteaquam ipsius ducis Mediolani imperium sua opera, diligentia, & industria confirmasset, ab eo insalutato, ut ajunt, hospite, discedens Venetias se contulit, eam inquam urbem, quae virtute, potentia, fortuna terras moderatur & maria. Quid de Coriolano, & Temistocle clarissimis imperatoribus, hoc quidem Romanorum, illo vero Atheniensium legimus? Quis possit hoc loco mi Georgi omnia ad unguem immortalia beneficia commemorare, quae a Senatu nostro in Francisco collata fuerint? profecto si omnia corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce sonarent, nunquam satis digne satisve accurate a me explicari possent: pauca tamen ex multis breviter, stricteque dicenda sunt: Primum quidem a Senatu benignissime exceptus, summa cum humanitate tecto hospitioque susceptus, inter senatorios viros unus constitutus est, quod paucis admodum principibus, & id sane amplissimi muneris loco fieri vidimus, neque ab re: quid enim potest esse manificentius, quid liberalius, quam hominem alienigenam ne dicam domo tantum tectoque recipere, diffidentem rebus suis confirmare? sed tam excellentissima patria, tam illustrissimo Senatu donare, ubi sunt boni viri, fortissimi Imperatores, aequissimi praetores, consules egregii, senatores optimi, censores severissimi, eloquentissimi oratores, diligentissimi patres familias? Quare si Cicero saepenumero laudi, & gloriae sibi esse existimat, quod in Catilinae furores consul designatus sit; si Marcus Perpenna jure laudatur utpote qui consul fuit antequam civis: cogita ipse tecum quantum muneris Francisco Senatus concessit a quo non solum civis sed & patricius, tanti denique exercitus princeps, & imperator creatus est: Nasci quidem ex opulentissima patria, & praeclaris decorari muneribus naturae, aut fortunae beneficium est tam bonis, quam malis, tam doctis, quam indoctis, tam sapientibus, quam insipientibus commune: Natum vero ex inferiori loco, & abjectis parentibus, qui vix milio & mucido rugientem satiare ventrem poterant, illustrem nancisci patriam, hoc immortale beneficium, nisi ingratis conferatur judicandum est: Domus illi magnifica senatusconsulto donata est: quae per tot amplissimos porticus, tot arcus, tot ornatissimos thalamos divisa est,

ut

ut non civi conveniens, sed principi ob ipsius superbiam judicetur. Mitto hoc loco tibi commemorare quot auratas vestes, quot serica indumenta, quot splendidissimos habitus senatus largitione habuerit: Taceo uberrimas possessiones, domos, ac villas magnifico sumptu aedificatas, quas nostris opibus adeptus est. Credo te memoria tenere eum diem, quo maxima in eum liberalitate, & munificentia senatus usus est, dum fortissima quaedam, & opulentissima oppida in agro Brixiensi illi dono data sunt, eorumque Comes designatus, ubi gladii potestatem, & in facinorosos homines animadvertendi summum denique imperium adeptus est: Quibus quidem rebus eum ex ignobili gloriosum, ex inope divitem nostræ reipub. studio, & auctoritate factum esse nemo probus rerum extimator negare audebit. Quid multa? tam illustrissimi senatus, tam potentissime reipublicæ dignitas, splendor, & auctoritas in unius hominis manu, & potestate constituta esse videbantur. Cum enim senatus certior esset quot victorias, quot triumphos Franciscus ex hostibus reportasset, cumque disciplinae militaris prudentissimum esse intelligeret, eum tantae rei bellicae proposuit, praeclarum illud Agesilai rursum secutus, qui a Lacedemoniensibus interrogatus quid facturi victores essent, respondit, si prudentissimus imperator rem gereret, horum immortalium beneficiorum causa Francisci Comitis nomen ad extremos usque terrarum fines perductum, & senatus nostri liberalitatem, & beneficentiam, & Francisci felicitatem omnibus nationibus, populis, regibus, ac principibus declaravit, adeo ut inter excellentissimos, ac fortissimos imperatores & belli duces, quos hac ætate laudari videmus ipse primus facile videretur. Cum enim omnibus cognita, & perspecta esset senatus nostri prudentia, integritas, & sapientia, quisque sibi persuadebat, eum gloriosum & dici, & haberi imperatorem, quem is tam magnifico proposuisset. Quis huic Francisci felicitati Tullii Hostilii fortunam aequabit, qui etsi agresti tugurio natus adolescens pecoris pascendi curam gereret, validiori tamen ætate Romanum imperium gubernavit: Quid huic illa Servii felicitas comparanda, qua e servili conditione ad Romani imperii fastigium deductus est. Quid Marcus Varo, qui ad consulatum ex macellaria patris taberna conscendit: Quid reliqui, qui humili loco nati, vel fortunæ beneficio, vel propriæ virtutis adjumento clarissimi evasere: Nonne a Francisco gloria, & felicitate æquatos ac superatos illos esse confitebimur: his honoribus, his dignitatibus, his denique beneficiis ornatus pariter, & decoratus Fran. Comes adeo elatus est, ut nihil ejus superbia intolerabilius, nihil ejus insolentia turpius, nihil ejus fastu pompa detestabilius, ita humanos exivit mores, ut merito Circes pocula sumpsisse videretur. Quae ut in fabulis est Ulixis socios in varia ferarum monstra vertebat; erat enim ejus mens nescia fati, sortisque futurae, & servare modum rebus sublata secundis. Mirum profecto est dicere in quantum sese extulerit superbiam, inhumanitatem, ac impietatem: exercebatur ad odia, animabatur ad injurias, & quod autem crudelius est, & horribilius humano sese sanguine depascebat. Taceo multos excessus, multos furores, multa scelera, quae Francisci crudelitatem, & sævitiam ostendunt, adeout facile cuiquam persuaderi possit, plures homines ejus opera, studio, & diligentia extremum clausisse diem quam conservatos fuisse. L. Silla crudelissimus judicatus est, qui quinque millia Prænestinorum cum abjectis armis humi supplices corpora prostravissent, interficienda protinus, & per agros spargenda curavit. C. Marius M. Antonii caput abscindi mandaverat lotis manibus inter cenandum magno animi, & verborum impetu aliquandiu tenuit. Cartaginenses vero Attilium Regulum palpebris resectis vase quodam inclusum in quo acutissimi clavi undique penetrabant vigilantia pariter ac continuo dolore necaverunt. Crudelia quidem hæc & ab humanis sensibus horrentia: Caeterum si ad Francisci impietatem referantur, æquo forte animo toleranda; illi enim satis suæ cupiditati factum esse existimabant, cum eorum mandato atque imperio hujusmodi sæva perpetrari intelligebant. At Franciscus contra nihil actum esse arbitrabatur, nisi humano sanguini proprias manus injiceret, ac totum corpus guttis cadentibus deturparet. Non dubito te audivisse quot homines apparitoris sibi usurpans officium furca suspenderit, lancea perforaverit, ense jugulaverit, quot præcipites in declivium compulerit, quot deinde hominum membra frustatim laniaverit. Stupet animus dum haec scribo, manus tremit, caligant oculi, lingua balbutit, & vox faucibus haeret. Qua in re prius secum versasse videtur, quod Cicero meminit optandum esse, ut hi qui aliis praesunt legum similes sint, quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate ducuntur: Humanitas enim cum in omnibus laudanda sit, tum is maxime qui aliis dominatur, hac comitate, hac facultate studiosissimos omnes, ac benevolos tibi ipsi reddet, quod in apibus plane perspicimus, quae ducem suum propter ejus erga se curam, & diligentiam nunquam deserunt; quin potius cum multa significatione benevolentiae quocumque proficiscatur insequuntur: ita fit ut commilitones, & belli socii exterique praefecti pro ipsorum ducis imperio, & incolumitate, modo mitis sit, & tractabilis, nulla discrimina, nulla pericula, nullas denique mortes subterfugiant. Tanta fuit in hoc homine temeritas, atque elatio, ut adversus senatorios, & patricios viros, qui in ipso exercitu rei frumentariae, & aliis, quæ opportuna erant sua prudentia consulebant sæpenumero, semper insurgeret, eos parvifaceret, negligeret, verbis lacesseret, injuriis denique inhonestis, ac turpibus prosequeretur; & quorum suffragiis ad tantæ dignitatis, & gloriæ gradum conscenderat, in illos ingratus erat, & videbatur: nostri vero tanquam prudentissimi cives, & salutis suæ, & reipublicæ cupidi cuncta æquo animo tolerabant, ne illius mentem indignatione perturbarent, apud quem summa totius rei constituta esse videbatur, in cujus denique manu, salus, & detrimentum tanti exercitus consistebat, illum Romanorum spiritum, vereque virilem animum inducentes, quod pro tutando imperio non solum injurias, aut contumelias, sed & vulnera, & mortes pati voluerunt: Quid plura? tam ingratus tamque inhumanus redditus est, ut novum quoddam & id sane horrendissimum moliri cepit, quod cum tibi narrare, & ultra progredi cupio prorumpit dolor antequam verba & indignatione præit, ac molestia in ipso meatu faucum spiritus coarctatur. Cum ipso enim Mediolani duce composuerat, seu spe præmiorum, aut dominandi cupidine sive auri sacra fame, quæ mortalia pectora cogit, nostrum exercitum perdere, belli duces eximiosque præfectos captivos hostibus tradere, milites perdere, omne denique hujus clarissimi Imperii lumen, uno, ut ita dicam, impetu brevi extinguere. Id autem apertissimis rationibus, & evidentissimis argumentis Senatui patefactum hujus conjurationis viros manifestissime declaravit: multis possem indiciis id tibi in præsentia comprobare, quibus improbissima, & nefaria Francisci cupiditas detegitur, ex quibus velim hoc unum sufficist. Etsi hujus excellentissimi Senatus nostri splendorem, sive ab his quos colit antiquitas, sive ab his, quos veneratur hæc ætas, principibus plurimis in rebus superari aut aequari patiar, in hac tamen singulari, atque incredibili deliberandi, & consultandi maturitate omnes principes, omnia regna, cuncta imperia, omnes denique civitates huic cedant imperio necesse est; in quo nihil efficitur nisi prudentissimorum patrum consilio, sapientia, & auctoritate probatum laudatum & sancitum sit, nihil potest in hac republica cujusquam potentia, odium, livor edax, nihil divitiæ, familiaritates, consanguinitates, clientelæ, nihil currus triumphales, aut ex hostibus victoriæ. Sed hæc omnia superat justitia, temperantia, aut æquitatis ratio: firmissimum enim reipubli-

publicæ vinculum ipsi patres existimarunt justitiam, & æquitatem, quam sane civitatis nervum quis appellabit? possem hoc infinitis probare exemplis, & privatis domi forisque ab ipsius urbis Venetæ cunabulis apertissime declarare ni vererer in re non dubia multis uti persuasionibus. Quæ cum ita se habeant: Quis tam invidus; aut certe improbus rerum judex existimabit, tam prudentissimum imperatorem, tam fortissimum principem, tam fortunatissimum præfectum, Senatusconsulto morti traditum esse, in quo salus, incolumitas, & tutela hujus imperii consistebat, modo fidus extitisset, nisi ejus fraudes, doli, figmenta, calliditates lucidissime apparuissent. Cum enim, ut inquit Cicero, principio generi animantium omni sit a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura sciat: Quae vero sint necessaria requirat, & paret, ut in nautis contingit videre animantibus: quanto magis id ab hominibus fieri debere judicabimus. Quis enim nautas tam fatuos, aut improvidos esse arbitrabitur, qui suae navis magistrum navigandi artis instructissimum, & suae salutis avidum in mare praecipitem demergant. Aut quis adeo esse inhumanos filios putabit, qui patrem nacti optimum, & augendae rei familiaris peritum, ac conservandae cupidum, ejus vitae, ac incolumitati non consulant, imo illius mortem quærant: haud passus itaque est summus ille omnipotens Deus tantum scelus horrendum, atque ingens in nostros homines perpetrari, qui pro totius Italiae salute, pace, otio & tranquillitate semper bella gesserunt, quin potius hanc saevissimam conspirationem ad lucem perduci voluit, ut ei provide occurreretur, & tantae reipublicae, quae est optanda fore perpetua, splendor & gloria servaretur. Jussus igitur Franc. Senatus litteris Venetias redire quamprimum praesentiam sui exhibuit, ut qui calliditatibus suis & versutiis confisus dolos suos minime patefieri posse, sibi persuadebat: ductus est in Senatum, ibique multis, & variis sermonibus, ut fit, dies consumpta: Adventantibus autem noctis tenebris hi, quibus a Senatu idoneis impositum erat pro officio suo, eum ducunt ad carceres, illumque sibi locum designatum esse dicunt. Admiratus Franciscus ac totus ira percitus, diversis clamoribus ethera replebat, multa in nostram Rempublicam beneficia commemorans, dolensque, & ingemiscens, hoc sibi tanquam laborum præmium exhiberi: multis tandem retro, citroque ductis eorum patrum, qui aderant imperio, & auctoritate carceres ingressis, ab ipsis ne dubitaret persuasum est; in ejus enim Senatus potestate, & ditione erat, ubi nihil furore, odio, ac iracundia; sed maturitate & deliberatione, ac consilio disponebatur; his dictis commentariensis custodiae pariter ac diligentiae commendatur: postridie de scriba & famulis, quorum praecipue opera utebatur. in Senatu habita quaestio est, a quibus quid extortum fuerit haud scimus: hoc unum credimus rem eo ordine, & modo patefactam, ut in ipsum Franciscum manus injici posse justissimum judicatum sit. Non enim illum neque convictum, neque confessum neci tradidissent; datus itaque quaestioni Franc. & multis variisque modis torquendi membratim conquassatus, tandem morte dignus judicatus est. Interim antea ut res magis magisque Incresceret uxorem ejus ad se venire sub bona custodia Senatus coegit, quam hujusmodi rei conscium fuisse augurror conjectura. Eam postquam Senatus audivit, ac diligenter muliebres animi dolos investigavit, in ea maxime firmatus est sententia, qua Franc. morti tradendum fore judicaverit. Postea vero quam id ita in Senatu sancitum est, statuta die accedunt ad eum duo Senatorii viri, quibus id publice impositum fuerat, eique mortem Senatus imperio nunciant, & ut se pararet, jam enim tempus imminere hortantur. Id cum audivisset Fanc. visus est forti, & constanti animo tolerare, ac sese ornata veste indui jussit, ut qui illustris vixerat, atque insignis, illustrior, atque insignior, ut ipse diceret, extremum vitae diem clauderet: ductus tandem ad mortem, qui hisce mortibus deputatus est, in conspectu populi, in oculis omnium capite truncatus, vitam cum morte commutavit. Nolo hoc loco, Georgi dulcissime, praetermittere singularem quandam fidem & diligentiam canis cujusdam adversus Franciscum. Is enim canem sibi educaverat, qui nunquam ab eo discedebat, imo illum quocunque pergeret insequebatur, cujus in Francisci solertia, & quaedam quoque humanitatis effigies, etsi antea multis in rebus cognita fuerit, in hoc tamen ejus obitu majorem in modum perspecta est; cum eo enim in carcere habitavit, illum ad supplicium mœstus, ac gemebundus sociavit, neque prius ab ipsius cadavere discessit, quam id ad Ædem sacram delatum sepulturae traditum fuerit. Ex Venetiis postea rediens, quasi ea civitas sibi infesta esset, in qua herus mortem obierat Patavium venit, ubi in eo palatio biduo triduove permansit, ubi Franciscus veniens intraverat, eum ubique solicite perquirens, cibum non petens aut potum, deinde illinc abiens ad heriles lares perrexit vociferans continue, & Francisci mortem, quibus poterat lamentationibus ingemiscens. Eum tandem prae dolore mortuum plerique affirmant. Qua quidem in re venit in mentem, quid apud illustres auctores de fide canium scriptum comperio. Athenienses bello Punico ut saluti suae consulerent relictis mœnibus mari se crediderunt, his e littore cum magna celeritate solventibus, canis Xantippi senioris præ desiderio pene mori videbatur, nisi cum hero suo traduceretur: Id autem cursu, cauda, murmure, latratu significabat. Itaque dum medios inter fluctus ad herilem tranaret navim, Xantippus fugiens substitit, & anxium domini cupiditate, canem excepit; postea cum apud ipsum canis interiisset; ne res digna memoria oblitteraretur, honorificum illi sepulchrum excelso quodam in loco construxit. Bellorum autem civilium tempestate cum civis quidam Romanus humi prostratus jaceret, canis prope allabat heri corpus modo lambens, modo murmurans, irruentibus dehinc inimicis, & caput dormientis abscindere properantibus, canis morsu, latratuque reluctabatur; pro hero sese opponebat, ictus intrepidus excipiebat, adeout illi non ante homini caput quam cani vitam, & id quidem multis vulneribus auferre potuerunt. Pirrhus rex inclytus cum aliquando iter ageret, in canem quendam incidit super occisi domini corpore vigilantem, admiratus bruti animantis diligentiam postquam cognovit eum triduo in eadem tolerasse, dato sepulturae mortuo, canem secum adduxit; paucis post diebus cum ad recognoscendos milites tanquam Imperator prudentissimus Pirrhus sederet, canis prope quietus jacebat, juxta quem cum hi, qui herum occiderant praeterirent, eos canis cognovit, anxiolisque & iracundis insurgens latratibus, in Pirrhum oculos saepenumero retorquebat, ut qui domini occisores, quibus posset modis significaret. Id autem non solum regi, sed & militibus omnibus, qui aderant homicidarum suspectionem injecit, quo illi in quæstionem dati cædemque confessi ultimo supplicio, canis illius solertia affecti sunt. Hanc canis sui fidem vellem Franc. imitatus fuisset, & a bruto quodam suae vitae exempla suscepisset, ne tam insigni, tamque ignominiosa morte periisset. Bona ejus, praeciosa vestis, suppellex, & omne argentum tanquam ob læsae majestatis crimen damnati sub hasta positum est. Uxori ac filiolis quibusdam apud Tarvisium relegatis ex publico alimenta praestari Senatus consulto decretum est. Habes mi Georgi frater hanc Francisci mortem, quam celeriter a me descriptam pro ipsius loci, & temporis qualitate, quam si tecum rectissime animo vertens intelliges vera esse, quae a claro Tragediarum scriptore Seneca his versibus decantantur.

*Vos quibus rector maris atque terræ*
*Jus dedit magnum mortis atque vitæ*

*Finite*

*Ponite inflatos tumidosque vultus.*
*Quidquid a nobis minor extimescit*
*Maior hac nobis Dominus minatur*
*Omne sub regno graviore regnum est.*
*Nemo tam divos habuit faventes*
*Crastinum ut possit sibi polliceri*
*Nemo confidat nimium secundis*
*Nemo desperet meliora lapsis.*
*Miscet haec illis prohibetque Cloto.*
*Stare fortunam rotat omne fatum.*

Et profecto sese res ita habet, breves sunt hominum dies, inanes cogitationes, incerta consilia, caducae spes, honores fragiles, quae tanquam flosculi vento decidunt agitati; sola virtus est homini stabilis, & fortunae possessio. Quod Bias philosophus animadvertens omnia, inquit, mea mecum porto. Praeclare siquidem Solon neminem dominum vivere beatum, qui ad ultimum usque vitae diem ancipiti fortunae subjecti essemus. Declaravit id modo Franc. quem eodem temporis momento & illustrem, & ignominiosum Imperatorem vidimus: dum ejus superbia prompta conscendit, praeceps labitur in profundum: hujusmodi sane saeculi felicitates, dignitates, honores, commoditates magnis admixtae sunt periculis: quandiu hujusmodi fluctibus agimur, nihil firmum aut stabile a nobis possideri credamus: nolite credere o Principes, nolite esse securi: licet enim in modum stagni fusum aequor arridat; magnus is campus montes habuit inclusos, intus est periculum, intus est hostis, tranquillitas ista tempestas est: hinc prudentissime Regem quemdam dixisse ferunt priusquam diadema sibi traditum capiti suo imponeret: O nobile inquit magis, quam felix diadema, quod si quis recte cognoverit, quam multis, & variis solicitudinibus, anxietatibus, & periculis refertum esse judicabit: adeout nec humi quidem prostratum susciplat. Sentio nisi me continuerim Georgi carissime longius me vagari quam epistolae ratio patiatur, aut ab initio mecum ipse instituerim, sed ignoscas velim rei ipsius magnitudinem, vel potius singulari in re benevolentiae meae, cujus causa ideo ita & loqui videor. Revocandus est itaque calamus, si illud prius a te impetravero ut Reverendissimo, ac excellentissimo domino meo domino Cardinali germano tuo, tuis me commendes litteris; cupio enim illum abs te fieri certiorem me measque fortunas, suae reverendissimae dominationi in primis post tibi, ac universae Caesarinorum familiae jamdiu dedicatas fuisse, modo in me aliquid sit, quod vobis adjumenti quidquam afferre valeat: optaremque permaxime aliquam mihi dari occationem, qua meam in vos fidem, benevolentiam, & dilectionem omnes facile intelligerent: nullum enim discrimen, nullum onus subterfugerem, quo vestra dignitas aliqua ex parte tueretur, vel augeretur. Vale

Ex Celano nonis quintilibus MCCCCXXXI.

# CAROLI II. SICILIÆ REGIS

## LITERÆ AD BONONIENSES.

*Carolus II. Dei gratia Rex Hierusalem & Siciliæ Ducatus Apuliæ & Principatus Achaiæ, Andegaviæ Provinciæ, & Forqualcherii comes Nobilibus & sapientibus viris amicis suis carissimis Potestati Capitaneo Ancianis, Consilio & Communi Bononiæ salutem & sincera devotionis affectum.*

Ex Cod. de quo in Præfat.

DIvinae provisionis atus (*sic*) quae in sui dispositione non fallitur, neque fallit, ne genus humanum per abusum liberi arbitrii non laberetur, dum par in parem imperium non haberet, ad ipsum regimen reges constituit, & variis aliis statuit dignitates. Hujus siquidem immensa potentia stabilivit

An. 1284.

imperium, regemque firmavit; per hanc profecto reges regnant in soliis, & portans qui libere regitur super terram; haec nos quoque licet indignos & immeritos principibus regalis praefecturae fastigiis adornatos, haereditatis paternae dignitatis habere voluit successorem. Nam nobis longo jam tempore infestis eventibus fatigatis ad sinum recurrentibus Sacrosanctae Romanae Ecclesiae matris nostrae, mater eadem in amplexus occurrens, diem nostrae coronationis ad hunc diem Dominicum, in festo videlicet Pentecostes, duxit deliberatione praehabita, ut haereditatis ejusdem successionem verus haeres acciperet statuendum; quo quidem die sponsus inclitus ejusdem Ecclesiae Christi vicarius cum festivitate celebritatis solemnis propriis manibus nos regali diademate coronavit. Quod ideo vobis tamquam amicis carissimis nunciamus, quia scimus dimiter vos velle de nobis prosperos audire rumores, & honoris nostri cum gaudio felices expectare successus, quos versa vice desideramus ardentes auditu percipere prosperi status vestri, ac Universitatis vestrae prosperitatis & pacis successivis rumoribus incrementum.

Datum Beatae eadem die Dominica post coronationem nostram Regnorum nostrorum anno v.

# LITERÆ CONCILII BASILEENSIS

## AD HIERONYMUM DE PRAGA

## MONACHUM CAMALDULENSEM.

*Sacrosancta Synodus Basiliensis, in Spiritu S. legitime congregata universalem Ecclesiam repraesentans, venerabili viro Fr. Hieronymo de Praga professo conventus Camaldulensis salutem, & omnipotentis Dei benedictionem.*

Ex eodem Cod.

QUia servo Dei loquimur, illi scilicet qui se totum in holocaustum Deo obtulit, non arbitramur opus esse multis ad id persuadendum, quo nihil carius Deo esse potest. Quoniam multa ad rem bellicam pertinentia fere per quindecim annos pro extirpanda haeresi Bohemica attentata sunt, plurimi maximi exercitus manu potentissima Bohemia profecti nequaquam profuerunt, quinimmo quo plus armis vexantur, eo magis indurantur & crescunt, visum est Spiritui S. & nobis aggredi pacis & mansuetudinis remedia, ut quod vi & terrore humano effici non potuit, fiat caritate & humanitate; nec allum modum nos in Spiritu S. legitime congregatos decere existimamus, quam in spiritu lenitatis fra-

fratres nostros errantes ad viam veritatis reducere. Proinde in principio nostrae congregationis eosdem fraterna caritate ad nos vocavimus, offerentes illis pacem & concordiam. Et quia hactenus conquesti fuerant nullam potuisse habere audientiam, nos per literas nostras eam plenam & in libera forma obtulimus. Ut autem hoc sanctum opus maturius expediatur, solemnes nostros Oratores ad loca Bohemiae nobis vicina transmisimus, qui rem istam diligenter curarent. Hi nostri Ambasiatores tandem in oppido Egrae cum Ambasiatoribus Bohemorum videlicet Praganensium, Orphanorum, & Taraboritarum, inter quos erant ductores illius gentis, concluserunt quod ambasiata omnium statuum Regni huc ventura sit, petierunt sibi super quatuor articulis responsionem dari, ad quos se demum reduxerunt. Conjecturamus hic ante mensem Septembris futuros esse. Narrant hi nostri Nuncii tanta cum caritate utrinque hoc negotium conclusum fuisse, ut spem maximam reductionis illorum concipiant: multa asserunt in hujusmodi tractatibus intervenisse propter quae tam ipsi quam nos valde speramus, ipsos nobiscum conciliandos. Recesserunt tandem ex agro se mutuo amplectentes & prae laeticia lacrimantes, illis nostros exhortantibus ut hoc opus quam citius expediatur. Quid aliud hinc concipi potest, nisi quod Spiritus S. sub cujus alis haec sancta synodus obumbratur, vult armis suis, caritatis videlicet & mansuetudinis, non ferri aut calybis hanc haeresim ab Ecclesia Dei eliminare? Ut autem haec res mature & diligenter transigatur, decrevimus, mediante gratia Spiritus S. ut reductio illorum facilius effici possit. Inter alios autem ad te oculos nostros direximus, quem tum pro idiomate, quo cum illis communicas, tum pro summa sacrarum literarum peritia, tum pro tuae sanctae vitae exemplo, tum etiam pro gratia, quam scimus te apud Deum meruisse, hac re ante omnes idoneum judicamus. Quocirca in virtute Spiritus S. & sanctae obedientiae tibi districte praecipiendo mandamus, quatenus visis praesentibus, omissis omnibus rebus iter ad nos properes. Mandamus etiam Conventui tuo, ut viaticum tibi ministreut, quod eidem restituere pollicemur. Pro expensis autem tam hic quam in reditu tuo faciendis nos, ut decet, providebimus. Accingere igitur, serve Dei ad iter, & pro saluta tot animarum hunc modicum laborem subire non recuses. Existima Spiritum S. non homines tibi praeceptum fecisse. Vale Basileae v. Junii 1432.

*A tergo.*

Venerabili viro Fratri Hyeronymo de Praga professo conventus Camaldulensis.

# PII II. LITTERÆ AD PHILIPPUM

## *Burgundiae Ducem.*

*Pius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nostro in Christo Jesu nobili viro Philippo Duci Burgundiae salutem & Apostolicam benedictionem.*

Ex eodem Cod.

CUm viderimus anno superiori mentis nostrae oculis quanta imminerent Christianae religioni pericula, nisi Turcorum minis, ac furori quam prope occurreretur, misimus ad te venerabilem fratrem nostrum Episcopum Ferrariensem, qui nostra tibi consilia patefaceret, ac tuam opem implorarer, teque de voto tuo commoneret. Respondisti ut Principem nobilem decebat, & religionis amantissimum: velle te desiderio nostro satisfacere dixisti, missurumque mense Octobris legatos ad nos, qui de re tota transigerent. Recreasti nos tuo responso, spemque nobis pulcherrimam praebuisti, fidem Evangelicam tuis praesidiis adversus Machometicam impietatem salvatum iri. Expectavimus Oratores tuos; non venerunt in tempore; cecidimus magna spe, doluimus; nescivimus quo nos verteremus; praetentavimus nos aliquorum Principum animos; non invenimus qui sponsam Christi Ecclesiam, sanctamque religionem consolaretur: cuncti post sua desideria vadunt publicae salutis obliti. Interea saevissimus Turcorum Princeps Machmetus congregatis validis exercitibus terra marique Christianum populum crudelibus laceravit modis; Lesbum insulam nobilem Christiano homini parentem invasit, cepit diripuit, & infelices omnes animas in Asiam transportavit puerorum & mulierum; viros autem palis affixit. Misit demum in Hungariam, & in Valacham suos duces, & maximas intulit clades fidelibus populis. Novissime vero Bosnam ingressus est, & tamquam tempestas horrida, cuncta vastavit, oppida munitissima expugnavit, ac protrivit; Regem omni auxilio destitutum in captivitatem adduxit; Regno universo potitus est; Regina inops atque infelix dum Turcos fugit, Christianos nequiores invenit, a quibus capta detinetur, ut quidam putant, Turcorum Principi dono danda. Discurrit omnem Illyridis oram absque adversario victor exercitus. Trepidant vicini omnes, & qui minus potentes sunt prius se dedunt quam adeantur. Dux Stephanus a filio invaditur, qui cum potenti manu Turcorum adversus Patrem bellum gerit, & ei magnam partem Regni ademit. Ragusaei quamvis moenibus altis atque gravissimis urbem muniverint, impetus nihilominus tam validi ac ferocissimi hostis formidant; non putant posse resistere; implorant moesti & anxii undique auxilia. Scanderberchius inducias cum hoste pepigit, quamvis plerique asserant eum ad Turcos omnino defecisse, quod nondum exploratum habemus. Veneti, quamvis potentissimi sint, non tamen metu vacant, cum hostis vires animo volvunt, cogitantque quae possint inveniri remedia, quibus modis tantus impetus declinetur; praeparant arma, viros, naves, & alia ad bellum necessaria, facturi extremum pro religione conatum, si a reliquis Christianis non deserantur. Hungari quoque quantum possunt tantum conantur, & suis pectoribus tamquam pro ictibus reliquam Christianitatem defendunt; trepidant tamen scientes sese impares esse tantis hostium viribus. Cuncta in metu constituta sunt, nec spes hactenus ulla data est, quae possit labantes retinere animos. Quasi dormiant Christiani Principes, ita orthodoxae fidei mala expectant; omnes acquiescunt & nemo succurrit. Tu primus inventus es, carissime fili & Princeps Deo amantissime, qui nos & reliquam Christianitatem in hac amara constitutione tantaque tribulatione consolari ac recreare dignatus es, qui per dilectum filium Lucam nuncium nostrum ad te missum litteras dedisti ad nos generosissimi animi tui indices, in quibus Oratorum tuorum tardiorem missionem excusas, & te prorsus missurum in Festo Assumptionis Virginis Mariae affirmas, facturumque omnia pro nostro desiderio ad expeditionem contra Turcos obeundam; petisque ut in eodem tempore legationes Italiae apud nos habeamus cum quibus res ipsas defensionis fidei votive ac feliciter transigi queat; quoniam ad illa te paras, quae per Ferrariensem Episcopum petivimus. *Benedictus Pater Domini nostri Jesu Christi Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribula-*

*bulatione nostra, nec deserit nos in tempore malo*. In tempore aptissimo venerunt literae tuae priusquam serpant venena serpentis mortiferi. Retinebit haec tua deliberatio nutantes animos, & omnes mentes confirmabit, quae labare quoque modo videbantur. Laudavimus mirum in modum constantiam tuam, ac magnitudinem animi tui, quae perseverat in proposito suo, & quae Deo vovit nullo pacto vult esse irrita, nec audit consilia in contrarium data. Et quis te non magnis praeconiis ad caelum tollat, qui unicus es inventus tempore afflictionis fidem Christianam defensurus, qui, & si aetate provecta excusari posses ad homines manens, & quod restat aevi inter cognatos, & carissima pignora traducens, mavis Deo servire, & cum laboribus & anxietatibus maximis pro sancto Evangelio decertare? Digna haec mens tuo genere, dignum propositum Francos illos unde originem ducis imitaris, qui nullos pro fide Christi tuenda labores, nulla pericula devitarunt, atque ideo Deus eorum regnum in posterum continuavit. Perge, fili carissime, agere ut polliceris; praepara te ad tuum eventum, sume arma & scutum, & veni in auxilium populo Dei, & esto Salvator Christianitatis. In periculo constituta est religio nostra, nisi adjuves. Turci Bosnam occupaverunt ea quo Regno & Ungariae & Germaniae imminent, & in Italiam sibi portam aperuerunt; nam brevis est ad Forum Julii transitus. Irruent Adriatico mari civitatibus Venetorum, quae in littore Dalmatiae sunt, quas si occupaverint, quod absit, clausum est mare Venetis & omnis navigatio interdicta, quoniam Venetiis classes sine remigiis Sclavonicis armari non possunt. Occurrendum est prius quam ista fiant; danda sunt auxilia Venetis & Ungaris, quae nisi tua virtute parentur, difficile est aliunde opem afferri. Nosti quibus cladibus Italia afflicta est in Siciliae Regno; nosti Germanorum conflictationes. Hispania & Anglia valde remotae sunt Provinciae & suis domesticis dissensionibus agitantur. Solae Galliae quiescunt, quarum vires tu ipse afferre potes cum favore, carissime fili Francorum Regis potentissimi & Christianissimi, qui si nolit exire Regnum, potest tamen multis aliis modis expeditionem in Turcos juvare. Dux Mediolani pro sua magnanimitate, ut confidimus, non deerit huic operi, nec Dux Mutinae, qui alias Mantuae magnificentissime se obtulit. De Januensibus parum sperare licet, quibus est opus auxilio aliorum. Florentini florent & possunt, si volunt, plurimum afferre praesidii; & volent, ut credimus, si videritur rem serio geri; nec reliqui potentatus Italiae auxilia denegabunt, excepto Regno fatigato nimis ac prorsus exhausto. Mitte igitur, fili, Legatos tuos ad res firmandas ut polliceris, & praepara te quantocius ad veniendum; nos legationes Italiae ad tempus designatum ad nos vocavimus nec dubitamus adfuturas. Interea Cardinalem Tusculanum Legatum de latere ad Venetos mittimus, qui cum Senatu eorum de rebus necessariis transigat, ostendat animum nostrum & spem bonam faciat. Noli dubitare, juvabit Deus causam suam, nec sinet suam sponsam perire. Nos, fili, quantum significavimus tibi per Ferrariensem adimplebimus; exponemus animam pro nostris ovibus, quae Christi sunt, & illum bonum Pastorem imitabimur. Tu & nos aetate graves ponemus ante oculos velamen juvenum principum, & fortasse multos excitabimus. Esto certus, fili, quoniam tu & nos, Ungari & Veneti, etiam si alii sileant, perficiemus cum laude & honore Dei hoc justissimum bellum; quia venient multi sine mandato principum, & in Asia erunt motus multi & in Graecia, & manus Dei erit nobiscum, quae vinci non potest. Expectamus cum desiderio tuos Oratores, & tuum adventum, facturi omnia quae nostro incumbunt officio. Misericors Deus, qui tuae majestati sanctum inspiravit propositum, corpus tuum incolume, & animam perseverantem in suo servitio conservet.

Scripta Tibure manu propria VI. Non. . . . Julias MCCCCLXIII.

# LITERÆ EUGENII PAPÆ IV.

## *Ad Universitatem Parisiensem.*

*Eugenius &c. Dilectis filiis, ac Universitati studii Parisiensis.*

Ex eodem Cod.

QUia sedes Apostolica sempes se benignam, ac propitiam præbuit erga Universitatem Parisiensem matrem vestram; & nos per vestigia prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum incedentes nostros favores vobis libenter exhibuimus, hac consideratione inducti, ac integritate sapientiæ vestræ confidentes, qui sedem Apostolicam debita reverentia prosequuti fuistis, in hac temporum turbatione devotionem vestram hortandam ac requirendam esse duximus, ut sensus vestros excitetis pro vestra & sedis apostolicæ justitia defendenda. Cum autem nonnulli cæca cupiditate, & ambitione inflammati qui Basilienses nuncupantur, exaltationem & amplitudinem eorum ex rerum turbatione ferentes temeritatis ac perversitatis arma assumpserunt contra nos & sedem prædictam; & cum nec justitia, nec veritate inniti possint, ad calumnias, tamquam ad perfugium, & arcem suorum scelerum recurrunt: hortamur devotionem vestram ut in hac necessitate ecclesiæ spiritus vestros excitare atque inflammare velitis ad utiles, & sanctas cogitationes in his quæ Dei honorem vel nostrum & memoratæ sedis respiciunt. Hæc siquidem cura digna sunt omnibus, qui christianam rempublicam salvam esse volunt; præsertim vobis qui idcirco sacris literis operam dare debetis ut non permittatis quod sacrosancta ecclesia inquinetur schismaticorum contagione, qui venena sua per omnium mentes serpere machinantur, incedentes per dæmonum vestigia qui cum justo Dei judicio perpetuis cruciatibus damnati sunt, cæteros alios eodem damnationis laqueo irretire conantur. Itaque talibus nefariis hominibus aures patefaciendæ non sunt, nisi fortassis a vobis eximia doctrina sacrarum literarum, & præcipua integritate præstantibus, ut eorum venenatas loquacitates specie quadam honestatis contectas detegatis, & eorum sceleratos ac nefarios ausus, sapientia vestra conteratis. Denique ut a supervacuis hortationibus abstineamus, expectamus, ut ab universitate vestra, quæ omnium bonarum artium & divinarum disciplinarum officina est, fructum suorum laborum hoc necessario tempore ipsi Deo, fidei, nobis & Ecclesiæ exhibeat, quos profecto salutares fore existimamus. Nos vero neque Ecclesiæ neque nobis ipsis deficiemus, & paternam curam & caritatem erga præcipuam filiam nostram Universitatem Parisiensem re ipsa & effectibus ostendere procurabimus. Data Florentiæ Kal. Octobris.

Dictata per D. Cincium de Roma Secretarium Papæ.

EJUSDEM

# EJUSDEM LITERÆ

## *Ad Episcopum Malleacensem.*

*Eugenius Episcopus servus servorum Dei Ven. Fratri Episcopo Malleacensi salutem & Apostolicam benedictionem.*

BEnedicimus & laudamus Deum qui carissimi in Christo filii nostri Joannis Paleologi, Romanorum Imperatoris illustris, & Ven. Patris nostri Josephi Patriarchae Constantinopolitani & Graecorum Praelatorum corda inspiravit, & sancta eis subministravit consilia. Cum octava die praesentis mensis Venetias appulerint & ad Civitatem Ferrariensem pro oecumenico concilio ibidem celebrando propere venturi sint, fraternitati tuae significandum duximus etiam, ut una nobiscum in Domino gratuleris & vero gaudio implearis. Nam ab hujusmodi Graecorum adventu jacta sunt fundamenta pacis & unionis in Dei Ecclesia, quam Divina suffragante clementia nostris etiam temporibus cum grege Dominico nobis credito assequutos esse speramus. Hunc Graecorum adventum Clero & populo tibi commisso ad communem eorum laetitiam denuncies, & ut hoc sanctum opus orationibus ad Deum missis, & processionum solemnitatibus, & aliis piis operibus adjuvent deducere studeas. Verum quia tuae devotionis, & fidei ardor & zelus erga incrementum christianae religionis, & sedis apostolicae nobis notus est, ut hujus communis & salutaris boni particeps sis eandem tuam fraternitatem ex corde requirimus & hortamur in Domino, tibi etiam in virtute sanctae obedientiae, & praestiti juramenti praecipimus & mandamus ut confestim iter assumas ad hoc oecumenicum concilium & hanc Dei causam, quae caeteris rebus praeponenda est accedas, ut in eo, Spiritus Sancti gratia adjuvante, per tuam & aliorum Praelatorum scientiam, adsistentiam, & sapientiam ea tractentur & agantur, quae ad ipsius laudem cedant, fidei christianae unionem & incrementum, Ecclesiae reformationem & exaltationem Ecclesiae suae sanctae. Super his autem commisimus dilecto filio Luciano de Sancta Agatha, legum doctori, latori praesentium, Nuncio nostro, nonnulla referenda tuae fraternitati, quibus velim fidem praebere.

Data Ferrariae X. Kal. Martii anno Pontificatus nostri VII.

---

# LITERÆ JANUENSIUM

## AD DUCEM MEDIOLANENSEM.

### *De rebellione sua tempore quo Rex Aragonum præda fuit Januensium & ductus Mediolanum.*

Ex eodem Cod.

SCimus, Illustris Princeps, quod motus nostros non miraberis, nisi quia tam lenti fuerint. Nam si intra tui pectoris arcana coacervasti graves injurias, despectionesque, incommoda, violentias, ignominias, quibus nos universamque rempublicam hanc indigne affecisti provocastique, debes jamdudum profecto hujusmodi nostram tarditatem accusasse; praesertim cum nostra natura soliti non simus dura perferre imperia. Nam quanto te magis ereximus in sublime, eo magis atque magis calcasti oppressistique nos. Mille namque modis & foedera & pactiones quibus gratia regum tuum nomen interpositum erat, infregisti nobis. Universas Italas nationes, nobis inimicas fecisti, ut pro voluptate non necessitate totum aerarium ac vires nostras haurires. Rectores dedisti nobis improbos & corruptos; quosque inhumaniores habuisti, eos nos diutius perpeti voluisti. Praesertimque illum violentissimum, carnificemque rapacissimum Opizium de Alzate, qui ut omnia pro voluptate sua volebat efficere, ita nihil omnino sine pretio agebat, Senatum nostrum quem & Reges & Principes contremiscunt, assiduis contumeliis affecit, carceri tradens, rapiens, violans, lanians; uxores alienas per ejus truces famulos rapi patiens. Ærarium & substantias nostras pro voluptate disperdens, dissipans, nihil omnino omittens quod ignominiam nostram accederet, nosque in vindictam tantorum facinorum provocaret. Neque profuit nobis millena repetitio querelarum; nam si voluimus Oratores emittere ut casus nostros & conquestus tibi referrent; vel prohibiti sunt venire ad te, vel si aliquando accessere, admissi non sunt tuo conspectui ne morbis nostris medela daretur. Si classes pro tuo appetitu instruximus, praeposuisti Commissarios penitus ignaros, & turbulentos, quorum perversum imperium tot probos Januenses apud Sorgatum perdidit. Itaque multifarie multisque modis datum est nobis manifeste intelligi adversus nos universamque Rempublicam Januensium conjuratum esse; eo quod nihil aliud quam nos deduci ad nihilum excogitare gloriamque nostram funditus delere, quod sane manifeste patuit eum de tanta classe Aragonensi virtus nostra tibi dederit triumphum; quo, si ut decuit, usus esses quam facile erat te atque nos totum Latium dominare rerumque victores evadere. Studuisti quoque gloriam nostram in Savonenses, genus vile atque impotens transferre; quemadmodum pollicitus fuit dux Poenorum Annibal de Imperio Romano Campanis, quorum vires nostrum Imperium ut sunt polliciti minime pessundabunt. Voluisti praeterea nos antiquo & inhumanissimo nostro hosti colligare Catelano videlicet Regi inque illius manibus brachio nostro deponere regnum Neapolis, a quo Reipublicae Januensium salus pendet, ut inimicus noster posset in nos undique vertere nobisque navigationem qua vivimus tollere; pro cujus regni salute tantum sanguinis tantum auri tantumque sudoris hac proxima tempestate a nobis expositum est. Sunt & plurima, quae carta grandis non caperet, inter quae numeratur illa Gajetanorum Oratorum injusta, atque injuriosa detentio, eaque coactio damnosissima & contra jus atque fas in hujus Reipublicae grave discrimen. Volueris ad Imperatorem Constantinopolitanum emittere Benedictum de Forlivio, qui rem nostram pretio venundaret & quasi erroris (*sic*) proposito submergeret undique nos. Sed quid dicemus super re frumentaria, qua urbem hanc opprimere velle jamdudum visus es? Ad illud gravissimum quod Bonifacium oppidum nostrum preciosissimum capitali nostro hosti dare voluisti; & cum non potueris Portum Veneris

atque Illicum nostri Imperii tradidisti, quibus illi nos infringere facilior esset potentia. Non effecerunt insuper pro tuis meritis tantum universi Lombardi, quantum nos; & in hoc satis te abunde monstrasti habere nos extra numerum tuorum, cum excluseris omnes omnino Januenses ab omni arcium custodia, quasi de nobis non confideres. Si controversia inter Lombardum & Janoensem vertebatur coram hic tuis praesidentibus; statim Januensis pro Samaritano habitus est, perversoque judicio qui justitiam fovebat carceri tradebatur. Caeterum deventum est tandem ad excidium, & ultimum terribilium. Quidam namque ex tuis ipsis Lombardis, quos tanti facis, nos certiores fecit super abominando facinore quod patrare veniebat Arisminus in capita nobilium civium nostrorum universaeque urbis praedam: quo quid horribilius aut terribilius dici posse non videmus; nam si pater in filios excogitat; quid ultra restat de omnium jurium, legum & officiorum perversione? Neque enim potes illa inficiari. Stant relatus & testimonia plurium Lombardorum; sed extat certior fides & judicium tuae dominationis excelsae, quae Arismino tradideras; sunt & alia clarissima argumenta quam plura, quae extendi manu, nec calamo prae magnitudine possunt. Illud tamen praetermittendum minime est, quod nostris persuasionibus cum Rege Renato tam pro nobis tam pro te exponere finxeris; & alio ex latere rebus illis neglectui datis, tam damnose quam incommode, ea pacta cum hoste nostro perverteris in nostram perniciem. Taedet nos singula numerare quae studiose atque ex animo in nostram perniciem conflata sunt, omni pietatis officio omniumque tantorum beneficiorum postergata memoria, quorum magnam quidem partem cum apertis ocellis praeterimus. Neque putet tua dominatio excelsa nos fuisse adeo hebetis vel obtusi sensus ut te non cognosceremus quo animo erat erga nos excelsa tua dominatio. Sed nobis expectatum est si fata aliquando nobis converterentur. Verum expectatio nostra nedum vana sed periculosa nimis fuit, nam tam diutius expectavimus quod nobis pene usque ad interitum convalvit. Dominus itaque pius justus & multum misericors, qui juxta Davidicum verbum destruit consilia Principum, nec passus est ultra nos opprimi suscitavit in nobis spem libertatis, & quemadmodum olim populum Israel eduxit ac liberavit de Ægyptiorum servitute; ita jussit nos imperium, tuorum officialium jugum excutere, effecitque ut universi arcium hujus urbis custodes & stipendiarii, in quibus fracta & spreta civium dilectione, spem tuam posueras, non expectato ense vel sagitta, nobis illa redderentur, praeter Castelletum quod bene & cito capere stat sententia. Potes, Princeps Illustris, hos armorum motus aut galearum excussiones, non nobis, sed ineptis rectoribus, quos nobis dedisti, imputare, tuoque minus justo imperio, tuaeque de nobis negligentiae. Verum ut tandem his verbis finem imponamus, illud est quod jam claudi volumus. Tuum nimis durum imperium, tam grave nobis, pro nobis non facit. Stat universis Januentibus sententia: sub vera libertate esse, quam si disposueris non vexare, nosque tibi habere amicos faventesque, persuade tibi id facile & opportunum esse futurum; sique nostra amicitia uti volueris, comperies illam tibi & facilem & opportunam. Et si fortassis decreveris nos vexare hostesque habere, nostraeque saluti remediare, quaelibet expedire sententia est. Sed illud est quod volumus in primis, per tuam dominationem excelsam nobis statim reddi castra omnia atque arces, que per Riperiam & ultra Jugum tuo nomine detinentur. In quo cognoscemus quo pacto semper te velis habere nobiscum.

Datum Januae MCCCCXXXVI. die 18. Decemb.

## NOTA.

Urbs Genua Philippo Mariae Mediolanensi Duci parebat, quo tempore Mediolanenses in Alphonsum Aragoniae Regem qui regnum Neapolitanum occupaturus venerat arma moverant, commissoque insigni praelio & copias ejus fregerunt, & regem ipsum captivum Mediolanum duxerunt. In ea vero bello Genuenses insignem operam duci suo praestiterant. Mediolanensium dux non tantum illis ullas gratias habuit, sed & regem liberum dimisit nequidem consultis Genuensibus; quod illi ferentes acerbe ab eo rebellarunt asserentes se in libertatem. Hoc est argumentum harum literarum.

# CLARISSIMI ORATORIS GUARINI VERONENSIS

## AD ILL. PRINCIPEM NICOLAUM MARCHIONEM ESTENSEM

### *gratulatio pro revocatis ab eo in gratiam Hispanis.*

Ex eodem Cod.

TUis ex rebus praeclarum aliquod facinus, illustris marchio Princeps, quod magnanime collaudare, & scriptis meis, qualiacumque sint, posteritati commendare crebro conatus sum. Sic enim pro mea in te fide & tuis perpetuis in me beneficiis quaedam animi grati signa protulissem. Verum enim vero vel ingenii mei parvitas, vel ipsius rei magnitudo saepe conantem deterruit, ne mea potius detegeretur imbecillitas, quam tuae virtuti lumen accenderem. Nam, ut auctor est Crispus, eorum qui fecere virtus tanta haberi solet, quantum res ipsas extollere potuerunt praeclara ingenia. Hodierno autem die tam admirabili tam singulari sapientia & humanitate refertum, vereque Principe dignum factum edidisti, ut silere nullo pacto possim aut debeam. Iniquum enim ac minime tolerandum esse duxi, ut qui magnas & immortales meruisti laudes, his etiam parvis carere ac fraudari debeas; praesertim cum ipsi medius fidius parietes, moenia, sacra postremo immortalis Dei templa gratias tuae bonitati ac sapientiae habere & gratulari velle videantur. Quoniam quibus pro tua cognita benignitate, mansuetudine & cumitate admirationem & pene stuporem ad tam crudele spectaculum prius incusseras, intellecto nunc denique consilio tuo, ii laetitia diffunduntur, prudentiam admirantur, bonitatemque decantant. Quod cum plurimum vitae utile sit exemplum, & regendis hominibus speculum, quantum in me est, nec praesentibus nec posteris obscurum esse patiar. Nullum vel mediocris curae hominem pro rei novitate latere arbitror, duos natione Hispanos, genere, opibus, potentia sua in gente primarios, cum certis ex causis odia usque ad necem inter se conflassent, ad mutuum vitae ac sanguinis certamen, quod monomachiam appellant, pro nationis Transalpinae more atque jactantia sese devocasse, ignaros quod de jure quidem disceptare virorum est, de vi autem pertinacia capitali dimicare belluarum. Quo genere utendum est, si superiore uti non liceat. Quaeritur pugnae locus & campus, quo tam horrendae rei tamque illegitimae solemnis & legitimus ordo non desit; & quemadmodum inquit Comicus, cum ratione insaniant. Quamobrem diversas ad nationes Regesque, dimissi legati, nusquam postulata impetrarunt, de-

testan-

teſtantibus, ut opinor, omnibus tam crudele ſcelus, ne caedis humanae in ſpectaculum & verius duorum hominum macellum exhiberent & ſeipſis auctoribus conceſſum illud approbatumque facerent. Cum non majores impiis infligendae ſint poenae ac irroganda ſupplicia, quam iis qui ſeſe impietatis auctores duceſque praeſtiterunt, nam qui non vetat peccare cum poſſit, jubet. Ceterorum deinde ſpe deſtituti cum animo & cogitatione cuncta luſtraſſent, tu in primis unus occurriſti, cujus fidei atque tutelae, corpora, honorem, & ſi ita fortuna permitteret, ſalutem commendarent. Tuae ſiquidem amplitudinis gloria non minus Hiſpanias & Gallias quam noſtram hanc pervagatur Italiam, ut quantus inter viros Princeps, tantus & inter Principes Princeps emineas. Adeo enim praeſtans in te vis animi viget ac ingenii, ut quocumque in loco natus fores, magnam ſibi fortunam, & primarium dignitatis gradum facturus eſſes; quia ſtudioſus liberalitatis ac munificentiae ſis; quae virtutes longe ac late mortalium nomen diſſeminare ſolent, nullus eſt ferme qui neſciat, cum ampliſſimorum munerum tuorum nova in dies teſtimonia ferantur. Nec minor es divitiarum contemptor, quas nemo ſapiens concupivit unquam, & plerique anguſti animi ſic amant, ut eos honoris omnis & officii capiat oblivio: publicae quoque ac privatae rei bonas tecum artes geris: in patiendis laboribus non modo duri verum etiam ferrei corporis animique, ſitis, inediae, algoris, aeſtuſque, tolerantia ſane mira; prudentia, fides, manſuetudo, clementia, aſſiduae tibi ſunt comites. Earum rerum fama perducti ii, de quibus loquor Hiſpani, cum liberum abs te diſceptandi & infeſtis haſtis concurrendi ſtadium impetraſſent, tantus amicos & tui ſtudioſos moeror cepit, ut inſtar prodigii tuum immutatum cenſeremus ingenium. Priſtinae compatiebamur lenitati & clementiae tuae, cujus maximam pro hac illiberali, ut rebamur, liberalitate videbaris feciſſe jacturam. Regiam tuam olim & magnorum tuorum benignitatis hoſpitium, nunc infamem carnificinam factum iri. Ante religioſum templum & ſub ipſos ferme beati Georgii oculos impias quaſi victimas necandos eſſe homines. Suaviſſimam domum Eſtenſem ad crudele Diomedis ſtabulum, ac Buſiridis aras eſſe converſandam; & quod dictu deteſtabilius eſt canibus lambendum te duce cruorem effundi. Mirabamur & dolebamus omnes, fateor, non erubeſcam imperitiam meam aperire, quod caeterorum Principum atque Regum exempla & documenta hac in parte non imitareris, a quibus omnes hujus duelli interclusum audiebamus aditum. Bone Deus, quanta hominum mentes caecitas involvit & ignorantia! ut qui alieni cordis arcana & ſapientiſſimorum virorum conſilia temere carpere & inſectari non reformident. Quo flagitantium precibus obſequereris, vel ea te potiſſimum ratio induxit & acuit, magnanime Princeps, ut quod alios aut contempſiſſe, aut timuiſſe perſpexeras, ipſe accuratius ſuſciperes & magnificentius auderes. Qua in re velut poſtea ingens exitus docuit, non de illorum dominatione, ſed de concordia perinde ac in altiſſima ſapientiae & bonitatis ſpecula conſtitutus praevideras. Et recte profecto, nam cum multiplex Regis officium ſit, praeclarum eſt illud in primis, ut hominis conſervationem ſuae fidei commendatam intelligat, & ſumma ope curet. Cujus gratia Deus ipſe pateoſque natura maria, terras, animantia, fruges fructuſque creavit, & homini cuncta ſervire voluit. Cumque reliqua hominis animalia ſint, ſolus homo Dei animal eſt. Proinde nihil Deo gratius, nihil acceptius fieri poſſe dixerim, quam homini, ideſt divino animali ſalutem impertire, eum tutari, illique conſulere, ſimultates tollere, diſſenſiones extinguere, odiaque ſopire. Illos igitur graviſſima oratione & vocis auctoritate, quaſi aliud ageres, perduxiſti, & jurisjurandi vinculis alligaſti, ut ſuum te arbitrum cognitorem haberent atque judicem. Quo in negotio cum pleraque ſint abs te ſumma cum laude & omnium admiratione ſapienter adminiſtrata, non minus illud cuncti uno ore praedicant, quod ſic bellatorum concordiae curam habuiſti, ut & eorum famae, dignitati, decori, & vulgi opinioni conſulueris, ut cum robuſtiſſimorum & animoſorum hominum praedicationem reportarint, obtemperantium etiam & facilium laudem conſequantur. Conſtitutis igitur idibus Octobris pugnae dies; circumſeptum omni parte ſpectaculum, ſtratus arena campus, extructum tuae majeſtatis ſolium, & judicio tuo ſublime tribunal. Qui undique ſpectatum convenerant non ex urbe modo Ferrariae, ſed etiam ex finitimis accitis ipſa novitate populis converterant oculos. Stupebant univerſi; ingentes genitos diverſis partibus orbis inter ſe coiiſſe viros & cernere ferro. Orto repente ſilentio, horror membra occuparat & animos, multiplex metus, ſavor miſericordia & ſtudium inerat. Quodque memoratu durius eſt, fieri dolebant quae ſpectatum advenerant. Animis intenti omnes atque auribus tubae ſignum expectabant; cujus clangores expaveſcebant. Quo dato, inclinatis jam haſtis in vulnera & in caedes mutuas concurſarent. Tu vero, clementiſſime Princeps, praeter omnium expectationem jubens, depoſitis armis ad te alium in locum aliud in tempus venire athletas, certamen diſſolviſti. Dato deinde colloquiis tempore ac loco. Nunc benevola caſtigatione, nunc ſermonis dulcedine, repreſſo impetu, ſic homines demulſiſti, ut primum quidem & ipſa commonefacientis majeſtate, & divina quadam humanitate moti, lachrymas ubertim effuderint. Paucis poſt diebus tua ſapientia perducti in priſtinam gratiam & amorem, compoſitis contentionibus & pacatis rediere animis. Quis non admiratione teneatur? Quis te ſempiternis non extollat laudibus? Cujus opera illud & conſilio videat eos vero amoris vinculo conjunctos, qui tam inexorabiles, immanes, mutui cruoris aviditate ac ſiti deflagrabant, ut antea precantibus amicis, urgentibus neceſſariis, minitantibus Regibus, ſurdas aures obſtruerent. Ducente Deo tuaque comitante ſolertia in te uno, & amici fides, & neceſſarii auctoritas, & Regis poteſtas eluxit, qua verſas rerum vices reddidiſti. Antea impendentem utrinque mortem indolebant, nunc vitae reſtitutos collaetantur: exaturanda plagis odia expectabant, nunc fraterna contemplantur oſcula; mortiferos prius horrebant haſtarum ictus, nunc jocundos intuentur amplexus; quique disjunctis conjurarant animis, in praeſentia ſtricto per urbem incedunt latere. Deſinat Graecia ſuos mihi Amphionas & Orphaeos fabulari, qui ſolerent dulcedine cantus lenire tigres rapidoſque leones, ſiſtere ſerpentes, urſos placare feroces, ſaxa movere lyra, tu benignitate, tu manſuetudine, tu prudentiae artibus feros ac ferreos mitigas, & mundo teſte inhumana & indomita pectora ad charitatem flectis, ad ſuavitatem amicitiamque convertis. Tu barbaram duriciem ad Italicos mores & facilitatem conſuefacis. Hoc tuum illuſtre facinus, & prudentiae ſimul ac pietatis opus reges ipſi contemplentur & nationes; teque magiſtrum accipiant, ut quos in mutuam necem ardentes ferri videant inimicos, in concordiam & priorem gratiam revocare diſcant, erubeſcantque totiens ſub populorum oculos hominum laniatus, & cruorem habuiſſe ludibrio. Hujus incliti facti magnitudinem & excellentiam ponderare ſoleo. Audio, lego tuas & illuſtrium Imperatorum res magnifice geſtas, fuſos, fugatos, caeſos hoſtes, edita paſſim per agros funera, decantatas per ora virorum victorias; quibus in rebus meam tibi non diſſimulabo ſententiam: magna quidem haec, ſed cum plura ſunt quae illorum laudem attenuent. Primum quidem ſociorum & commilitonum communicatio, ne propriae Ducibus commendationes eſſe queant; deinde fortunam ſuo juri non parvam partem vendicat, quae cum in caeteris rebus humanis, tum vero in re bellica plurimum poſſe videtur, & ita

poſſe

posse; ut fortunam omnipotentem & rerum dominam plerique vocare non dubitarint. Hujus autem gloriae, quam hodierno die tua tibi sapientia peperit, cumulum ac splendorem diminuere aut obscurare res nulla valeat. Nullum hic habens socium, non consiliarium, non commilitonem. Tu tibi dux, tu tibi socius, tu tibi consiliarius, tu tibi commilito extitisti. Totaque abs te profecta laus, in te tota redundat; cumque aliis fortassis in rebus fortuna dominetur, in istius sese gloriae non offert; Nicolao Marchioni cedit, tuamque totam & stabilem & perpetuam & propriam esse fatetur; nam, ut Orator magnus ait: nunquam temeritas cum sapientia commiscetur: nec ad consilium casus admittitur. An ulla est mansuetudinis & elementiae cum immanitate ac crudelitate comparatio? Et profecto si hostes vincere aut occidere magnis laudibus tribui vulgo solet: non minus laudabile judicatur afflictos levare, iratos regere, discordes reconciliare & hominum vitae consulere; illud enim belluarum, hoc autem virtutis ac divinitatis est munus. Quo circa sunt & ii quidem magni & docti viri, qui & mirentur & irrideant cum superioribus seculis tam magnificos de trucidatis mortalibus actos triumphos esse legant, aut intelligant, immolatas esse tot victimas, & re prospere gesta Gentiles Diis suis, tot dierum supplicationes indixisse, cum impietas sit alienis insultare miseriis, & ex aliorum lacrymis & calamitate risum sibi felicitatemque conflare. Unde ad multis modis donandos coronis Imperatores innata consuetudo, Romanos Duces de dominis ac truncatis hostibus laurea donari cernimus. Quod si absque cruore confecta res est myrthea corona redeuntes excipit. Olympiae celebri Graeciae spectaculo pugiles dejectis adversariis oleastri insigniri serto mos fuit. Tu autem, benigne marchio, cum viros excellentes ex media morte receperis, & ex acerbissimis inimicis eos benevolentia & amore conciliaveris, quanto rectius, & lauri, & myrthi, & oleae, atque adeo auri corona coronaberis! aut si malueris quernа, qua eos ornabat antiquitas, qui civem ex nece servarat. Quia vero ea consuetudo, sicut & pleraque alia majorum nostrorum instituta deleta est, te indonatum pro mea virili parte non sinam; non quod hisce tam pusillis egeas praemiis; satis enim tibi est pro animi tui magnitudine mens sibi conscia recti & benefactorum recordatio. Sed ut & praesentes & venturi ad virtutem, ad salutem hominibus impertiendam hoc tam memorabili tamque celebrando animentur exemplo: in primis quod Leonellus adolescens praeclarissimus & reliqui illustres filii ad imitationem hoc veloti domestico speculo sese instituant, & ad facilitatem, mansuetudinem, clementiam, misericordiam lenitatemque componant, quae longe stabilior atque gloriosior, quam regni aut divitiarum, est haereditas. His atque aliis virtutibus tuis, cum immortale nomen & sempiternam gloriam non solum tibi & nobilissimae Estensi familiae, quae tum hic, tum in finitimis circiter sexcentos regnat annos, sed toti etiam Italiae comparaveris, pro mea in tuam majestatem pietate & observantia gratulor. Cui & eximias gratias nostrates populi, Reges, & universa debet Italia. Quoniam hoc tuo inclito facto maximum & pene inauditum accesserit ornamentum, in quo tuae laudes non modo nostris, sed etiam Hispanorum & reliquarum gentium linguis celebrandae sunt; sic ut nulla de te silere aetas, aut obscurare tam illustre facinus possit oblivio.

---

# BONIFACII (forte IX)

## EPISTOLA AD LUCENSES

*Ut puniant Ghibellinos Patriae, & Ecclesiae hostes.*

Ex Cod. Bibliot. PP. Cong. Matris Dei Lucens.

BOnifacius Episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis Potestati, Antianis, Consilio, & Communi Civitatis Lucanae salutem & apostolicam benedictionem. Invalescit iniquorum praesentuosa temeritas arrogantium contumelia facinorosa tumescit pacificorum . . . . . trepida mens timescit dum non corrigitur error nequitiae dum . . . . . . ori non imponitur lupatum justitiae, & dum illicite ipsorum poena protelatur in longum. Itaque cum tales de Luca tamquam repleti instigationis diabolicae spiritu & erroris infecti malitia nunc ab antiquo astutia fraudibus ope & opere moliti sint & fuerint in Sanctae Matris Ecclesiae detrimentum, consummationem & dedecus. In partis Ghibellinae protectricis fidei catholicae (*sic*) de praelatione, & odium in Civitatis vestrae devotionis, & scandalum tam publice, quam privatim, quod attestantur opera fama clarat, & approbat testimonium veritatis mentis. . . . quidem . . . . . conscientiae turbat & asperat, & turbavit nisi domorum possessionum & personarum exterminia patiantur. Ah quam nefandum scelus, quam detestabile, quam horrendum, dum quondam gratiae nostrae participes nostris potiti muneribus cum talibus secreto communicantes fabricarent in nos & Ecclesiae Romanae per consequens . . . . . domque Civitatis propriae beneficiorum & gratiae non immunes cum inimicis Lucanae Civitatis laetalibus . . . . . excogitata nequitia subversionem totalem eradicationem gentis & patriae procurarent. Ah quam nefandum scelus, & impium, quam detestabile, quam horrendum. Certe si carnis propriae tot subirent afflictionis patibula, quod posset excogitare mens hominum, vix de ipsorum nefanda militia ultro sumeretur ad plenum. Qua de re caram filiationem vestram, & providentiam affectuosa prece deposcimus, quatenus sic manus vestras in ipsorum bona studeatis ultrices injicere, quod possessionibus & haereditatibus deprivati perpetuum patiantur exilium, & suis facinorosis operibus eversas usque ad fundamentum sentiant sibi domos, ex hoc enim justitiae faventes Imperio Divinam consequimini gratiam . . . . . nostrae benevolentiae & strictius fortituri.

INTER-

# INTERPRETATIO LITERARUM

## PATRIARCHÆ ANTIOCHIÆ AD SS. PAPAM JULIUM III.

*Per R. P. D. episcopum Maronitam & magistrum Ambrosium de Melita ordinis Prædicatorum.*

*Æternaliter absconditus apparuit Jesus Deus noster. Ignatius deficiens patriarcha Antiochiæ.*

Ex eodem Cod.

IN nomine Altissimi cuncta facientis, ac universa mala sanantis, & trium personarum in unitate essentiae ipsi gloria. Ego servus indignus (Ignatius nominatus) patriarcha Antiochiae servus Jesu Christi, qui est Deus adorantium. Nec est fides mea. Altitudo tua, o Deus aeterne, & sanctificatus ab omnibus animantibus, & qui tua persona & potentia cuncta fovisti, in qua etiam omnis intelligentia & potentia miratur, dentur cuncta nobis a te, Domine Deus, quae nos foveant, liberans nos ab omni nos a te elongante, qui es omnia nobis, a quo procedit omnis pax & illuminatio. Amen. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unus Deus aeternus sine principio, dilectissime & carissime Rex, fortissimus semper ante omnia secula, ipsi fortitudo, vivens, immortalis, Pater omnia continens, Filius creator omnium, Spiritus Sanctus omnia vivificans, tres personae in una substantia, in unitate essentiae, cum una voluntate, cum una complacentia, rex unus, una potentia, ac una fortitudo, una voluntas, una via, Trinitas sancta: ipsi humilior, ipsumque adoro; ipse est spes in vita & morte; illi laus & sanctitas; & ab ipso petimus, ipsum desideramus, ut det nobis laetitiam sine tristitia & moestitia, ut simus cimbalum laudantes nomen ejus sanctum cum ordine luminantium, & erimus cum numero electorum, qui tibi placuerunt ex operibus eorum ab Adam, qui est caput & origo nostrae generationis usque ad hodiernum diem. Noli despicere nostra opera non perfecta, quia, nobis scientibus, quod si vere prius intrasses in judicium cum servo tuo Domine, omnes in nihilum redacti fuissemus, nullusque vivus fuisset. Ideo fac nobiscum sicut promisisti nobis ex tua bonitate ac voluntate, sicut ad nos venisti & apparuisti nobis in carne humana nostra passibili ad nostram similitudinem, ut redimeres nos in passione tua vera Paradisum delitiarum, ut haeredes simus in haereditate Patris tui, & simus vocati filii Patris tui caelestis, & fratres tui in vestimento humanae deitatis, quando in tua voluntate induisti eam, cum apparuisti nobis corporeus ex Maria Virgine postquam natus es ex ea, & in fine triginta annorum liberasti Adam suamque progeniem a servitute Diaboli maledicti, sicut te elegit Pater tuus semper pacificus & Spiritus tuus vivens & sanctus, ut manifestaretur mysterium firmum personarum vestrarum in unitate sempiternae essentiae, & voluistis in unica vestra electione in qua nulla est contrarietas neque discordia propter vestrum velle unicum. Quia trinitas personarum firma, inaccessibilis, innumerabilis, incomparabilis creator creaturarum in sapientia erigens a perditione ad bonum sua misericordia. Et si nos diximus trinitatem personarum, tamen non sunt tres Dii contrarii, nec una persona major alia persona, nec minor; nec est aliqua ex eis persona creata, nec minor, sed tres personae in una deitate atque unica potentia, unus Deus longe a mundo, & prope mundo, & respiciens mundum, & mundus eum non cognovit. Non videtur vivificator creaturae, providens creaturae, & eam pascens, creator visibilium & invisibilium, omnia vivificans, providens omnibus: & omnes eum cognoscere nequeunt, nec eum quis comprehendere potest praeter Filius & Spiritus Sanctus: unus Deus, unus Dominus, unus creator, solus adoratus, tres personae, una essentia, una substantia, una permanentia, & non est in trinitate personarum divisio, neque contrarietas voluntatis. Excellentia Patris, genitor & non genitus; pulchritudo Filii, genitus & non genitor; attributum Spiritus processio, nec genitor, nec genitus. Unus Deus, qui invenitur ubique vivens, loquens. Pater praesens, Filius genitus, & Spiritus vivificans, & ipse est unus Dominus, ubique praesens & creator praesentium, praeteritorum & futurorum, atque idem ad nihilum cuncta redigere potest. Quoniam Deus magnus, incogitabilis, incomprehensibilis, remanens ad trinitatem personarum, nullus accedere potest. Et ipse est qui cuncta laetificavit sua misericordia, quae fuit semper secum a generatione in generationem, ut ostenderet nobis unitatem trium personarum sanctarum, quod est nomen filii aeterni, qui est genitus a Patre æterno sine tempore & sine differentia, & nec instans datur in sua generatione, & generatio ejus, qui est genitus ex substantia Patris, sicut splendor solis, & plusquam mensurari potest. Et propter nos & infirmitatem nostram facta est haec similitudo, cum sit ipse infigurabilis, & incomprehensibilis. Et hæc omnia facta sunt propter salutem Adæ & generationis ejus cum voluntate Filii annuente Patre aeterno, & Spiritu Sancto vivo & aeterno, quorum trium electio & voluntas una est, & Filius ex electione & voluntate Patris, & Spiritus Sancti descendit, ut incarnaretur ex Maria filia Joachim ex generatione David, ut liberaret caput nostrae generationis, & renovaret plasmationem nostram, ut redimeret ad suum pristinum statum. Gratias Deo sempiternas sine fine, & sanctificemus sanctificationem quae nos duxit ad viam salutis & paradisi voluptatis, offerentes illi sudores vultus nostri, percutientes pectora nostra; illi gloria & potestas. Accedentes ad deprecandum Genitricem Dei, qui est Deus sæculorum, & ad preces Angelorum spirituum, & sanguinem Martyrum, qui fuerunt martyrizati propter nomen D. N. J. C. & adorationem Sanctorum, & benedictiones Discipulorum Apostolorum; & post ipsos Patres Patriarcharum, qui mortui sunt. Et rogantes petimus ex intima & profunda gratia sua, pulsantes portam liberalitatis & bonitatis suæ, ut dignetur manutenere principatum Patris Patrum. Pater mundus qui est intelligens, & facit quæ docet, magister perfectus, Dominus magnus & sanctissimus, & electus a Principibus & capitibus mundi, qui sedet in sede veritatis cum directione cordis sui in unitate atque concordia populi sui, Dei voluntate atque gratia, electus in sede Petri, qui est concors cum voluntate Angelorum & capitis eorum in cælesti patria sine mobilitate & cum corpore in carne cum capitibus & Principibus mundi; & motus spiritus ejus cum cælestibus spiritibus, Pater noster, corona capitis nostri papa Julius gloriosus, magnus; Dominus Deus eum conservet nobis ad plurimos dies atque annos per orationes martyrum & sanctorum atque angelorum & apostolorum. Amen. Et plus osculor terram sub pedibus tuis, & do obedientiam camerae missae a suo domino, quae Deo volente & concedente conservetur patri nostro, qui est pater patrum, & pater beatissimus, caput Principum, pastor ovium respondentium, habens mentem puram, agens cum

*Julius papa*

*Dat obedientiam.*

recta

recta sunt, plenus misericordia & gratia, gerens vicem verbi Dei, & vestitus veste spirituali, & coronatus mitra gratiae deitatis & ornatus ornamentis atque ordinibus mosaicis, stansque firmus in servitio Aaronico, offerens secreta secretorum sacrificia primaeva, & corona filiorum baptizatorum, ac gloria

*Similatio Papa ad plurimos.*

populi Jesu & similis... Apostolorum, qui sunt ab omni labe mundi. Et tu es quintus Evangelista inter quatuor, qui sunt mundi pastor, medici, & magister eloquentissimus, & plenus sapientia deitatis, similis Melchisedech, ejusque perpetuo sacerdotio, & similis Moysi in pasturatu Dei, qui custodivit viam suae infantiae; tu es etiam trahens populum ad fontem veritatis, similis Paulo praedicanti, sicut filius Zebedaei in sua virginitate, similis Joseph in sua continentia, & similis Isaiae in sua sapientia, & sicut Helias in suo zelo, & similis Helisaeo in sua obedientia, & similis nostro patri Macario in sua poenitentia, & sicut Antonius in sua approbatione & perseverantia, & similis patri Bixnai in sua sanctitate, & sicut Pacumius in sua custodia, & sicut Joannes in sua puritate, & similis Movsi nigro animoso, & sicut Paulus primus heremita in sua securitate, & similis Arsenio in sua solitudine, & socius in libra justitiae, Cornelio in sua virtute, & sicut Job in sua patientia, & sicuti Serapio in suo contemptu, & similis navi margaritis plenae carissimis & pervenit sua navis sancta ad portum salutis; & etiam factus es similis fonti dulci, a quo quicumque biberit, non amplius sitiet, ex doctrina divinitatis, similis sapientiae salutari, inimicus mundi & delitiarum ejus, tenensque firmiter verba Evangelii, docensque factis poenitentiam, docens, inquam, sicut Antonius vestitus vestimentis lucis, cui est veritas sicut veritas sacerdotis, & ordo secundum ordinem Melchisedech in seculum seculi, sicut dicitur de rege Davide, qui electus & unctus est super populum, sicut tu super Ecclesiam sanctam, sciens secreta sancta pora: pater noster & Dominus noster, & corona capitis nostri, auxiliator animabus nostris doctrina divina cum medicina animarum nostrarum, det sibi vitam Deus & victoriam super omnes, detque illi felicitatem & bonum successum faciensque omnia quaecumque vult; & extollatur honor ejus & ex superabundantia abundet totum mundum, & omnibus diebus respiciens fidem, & radices amaritudinis ejus in hoc mundo, flores autem & fructus in paradiso caelesti: Det sibi Deus ut doceat eos, qui volunt doceri, redimens eos in sacro fonte baptismatis a peccatis eorum, parcens illis peccata eorum habensque misericordiam & benedictionem.

*Deprecatio ad Deum pro Papa.*

O Domine Deus defende eum potentia tua, & tua unica Deitate, & absolve eum a vinculis ejus auxilio divino, & cuncti obediant ei in verbo suo, & eligat eum in altitudine sua. O Deus da ei sortem gloriosam, & extendas umbram ejus ad universum mundum. O Deus firma eum in tua voluntate & pace, & amplius da ei sempiternam pacem & pulchritudinem & gloriam. O Deus fac vitam ejus victoriosam, & fidem ejus in veritate ostensam. Eritque sicut stellae planetarum, quae prae caeteris lucent omni tempore suo, & luna ejus surgens ab Oriente maxime lucens. O Deus impleas manus ejus plurimis bonis, & satia eum thesauris. Pater mi papa Julii Domine sedis gloriosae Petri, congregentur tibi cunctae nationes Romanorum. O Domine Deus elonga vitam ejus propter preces meas, elonga vitam ejus in sede sua ad plurimos annos ad generationes, & fac, inimici ejus suppeditentur sub pedibus ejus; facque vitam ejus longam super nos. Amen.

*Dat obedientiam Papa.*

Et post haec humiliter terna vice osculor terram sub pedibus tuis, dansque tibi salutem plurimam cum honore & gloria. Ultimo haec peto a sanctitate Patris mei carissimi fidem orthodoxam stabilem. Quia literae vestrae charitatis pervenerunt ad meam deficientiam & infirmitatem, & legi eas & intellexi, & dixi: hodie venit ad me nuntius, & tamquam excitatus a somno surrexi a mare tribulationum. Ideo quam bonum vestra benedictio nobiscum; quanto magis cum vidissemus in ea benedictiones & salutationes vestras, augmen ambae genae meae. Et exclamavi ad Dominum: fac me invenire partem tecum in oratione patris mei carissimi, & veniat ad me misericordia & remissio omnium peccatorum meorum. Et postquam ego valde intellexi & aspexi, quod ego sim minimus inter capita Sacerdotum, Ignatius nominatus inter primos Episcopos Antiochiae, sicut nominatus sui a fratribus meis Episcopis & Archiepiscopis Patriarcha, cum ego non sim dignus vocari diaconus, gratia illius qui est gratia perfectus, qui est possessor temporis, annorum dierum ac horarum, & dirigit in templo suo quem ipse elegerit atque voluerit; gloria & laus ejus misericordiae, quae ostenditur super omnem suam creaturam de generatione in generationem. Et tu ipse es pater mi. Det vobis Deus nomen bonum & opera accepta, ut veniente die Judicis tremendi, simus cum vultu lucido, denunciantes ante thronum Dei: ecce nos & filii, quos dedisti nobis, audiamusque vocem exultationis, quae dicit: intrate in gaudium Domini vestri. Fiat illud mediantibus orationibus tuis. Amen. Et ego indignus prior orationibus omnium Sanctorum & illorum qui semper se bene habuerunt cum Deo in pace. Et sanctissima & purissima, quae est super omnes mulieres, & pulchrior cunctis virginibus Domina nostra Maria genitrix Dei, quae est verbum creans firmum, quod sumpsit carnem ab ea veram, sicut nos demonstremus nostram esse veram fidem.

*Fides verum.*

Et haec nostra firma fides cum testimonio approbato ex dicto Doctorum verorum, qui fuerunt illuminati a Spiritu Sancto, a quibus exivit fons aquae vivae bibentibus ex ea; & qui biberunt, habuerunt sortem illius, qui est mercator viventibus animis; & ipse est vivus vivificans, lucrans, lucrificarique faciens, & lucrantur redemptionem animarum suarum, reddens eos auscultantes ad Deum ad pasqua caelorum in locis luminis ac lucis. Quoniam fides vera est sicut margarita pulcherrima & carissima, quam qui invenerit, vadit & vendit universa quae habet & emit eam pro ipso tenens eam caram sicuti pupillam oculi sui, quam non furatur ab eo inimicus homo, quia fundamentum margaritarum a mari magno & inaccessibili, a quo mari nullus potest ponere in gutture suo, nec in oculo ejus, neque in corde ipsius, quia statim effundit eam neque in cogitationibus, neque in sapientia ejus, ubi credere debes absque inquisitione in mari gratiae Dei supra creaturam ejus & creationem eorum sine aliquo petente: laus potentiae ejus timentibus eum, quem nullus comprehendere potest, nec ejus potentiam. Ideo nos infirmi petimus a sua misericordia & ab ejus voluntate, ut det nobis bonum intellectum & auxiliemur animabus nostris, qui liberavit eas a malo ad bonum; quia ipse ubique vivens loquitur; & nisi ipse dedisset, nullus habere potuisset; & sine ejus vita nulla esset vita, nec ulla res corporea; & sine ejus verbum, nullum esset verbum nec intellectum nec progenie in progeniem, & in aeternum in suo nomine; inquam in suo nomine glorioso, & illi soli adoratio, qui est Deus creator noster, & ipsa est nostra fortitudo ac sapientia. Te glorificamus & laudamus atque sanctificamus in ordine Angelorum lucentium, qui firmiter sunt astantes in conspectu Dei nocte dieque, & ne simus de illis, qui ceciderunt. Noli nos facere sicut illos qui exierunt de via tua sancta. Et nos Domine non ex operibus, quae fecimus nos, meremur haec, sed ex misericordia tua, quae ostenditur nobis; & in hoc ostenditur tua voluntas super nos, & confitebimur tibi Patri aeterno, & Filio tuo universali liberalissimo, & Spiritui tuo sempiterno & forti ut custodiat nos ab ictu inimicorum contravenientium passioni Christi, tenentes veram fundatamque fidem, ut sit populus tuus fidelis orthodoxus, fortis in opere bono sine deficientia voluntatis; & omni instante clamantes dicimus: o sine prin-

principio & fine caput cujusque principii, & ipse sine principio. O lumen quod nunquam extinguitur: o caput & finis cujusque principii, & altitudo omnium sapientum & omnium numerorum. Tu ipse es finis cogitationis, & tu ipse es solus finis. Da nobis latitudinem, & expecta nos Domine Deus, & ego confiteor paternitati tuae & unitati tuae, & respice deficientiam nostram flabello fortitudinis tuae & auxilio gratiae tuae; & parce nobis Domine in eo quod defecimus & peccavimus tibi. Quia tu solus altus & indeficiens, nec immemor es, & tu ipse es creator creaturarum visibilium & invisibilium, ac factor corporeae & incorporeae naturae. Tibi, Domine gloria ab ipsis sempiterna, & a te, Domine, ipsis misericordia in auxilium & remissionem. Amen. Vos amici nostri qui haec auditis verba, quod Deus noster sempiternus & ipse est aeternus a saeculo in saeculum saeculi, & ipse semper firmus sine mobilitate & sine defectu, & ipse sine principio cuncta principiavit, & ipse ubique locorum est, & ipse est altissimus & ineffabilis in lingua hominum, & ipse est primus intellectus, & genitor verbi aeterni, in quo verbo cuncta creavit; & hoc verbum sine principio & fine genitus sine fractione & differentia temporis nec annorum nec dierum nec horarum aut momenti.

*De aeternitate Personarum divinarum.*

*De processione Spiritus Sancti.*

Et Spiritus procedit a Patre extenditur in Filium, & accipit ab eo sicut nunciatum est nobis ab ipso Filio, qui est verbum aeternum, quando apparuit nobis in carne a pulchra virginitate, & dixit nobis: nunciate Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unus Deus, cum tribus Personis sanctis, & unaquaeque in sua subsistentia firma & immutabili. Et si dicitur Pater, nomen ejus paternitas; & si dicitur Filius, nomen ejus genitus ab aeterno Patre; & si loqueris Spiritum procedere a Patre, & accipere a Filio, firmasti processionem, & Spiritus altissimus super omnia verba. Et si memoretur Pater, Filius cum ipso memoratur; & si memoretur Filius, in ipso Pater & Spiritus memoratur; & si dixeris Spiritum Pater & Filius cum ipso simul tres in unum, & unitas in tribus, trinitas in unitate, & unitas in trinitate, congregatio divisa, & divisio congregata, una voluntas; unica divinitas prima & aeterna in voluntate & dominatione sua, & in arte & liberalitate sua, in magnitudine & regno, liberalis in loquentia, in gloria & laetitia cum charitate & bonitate omnia, quae fuerunt & futura sunt ex charitate, & depositum putum, & bonitas & misericordia, unitas in tribus Personis sanctis. Nec est in ipsis persona prior alia persona, nec una alta, alia infima, nec unus addiscens & alius docens, nec sunt tres Dii contrarii. Nec inter ipsas personas, una vellet bonum, & alia malum faciens. Ideo omnes unus Deus plenus charitate, longe a malo volens bonum, plenus misericordia & charitate, fabricator boni, fons omnis pacis. Et ipse est bonus, pacificus, dives misericordiarum. Et hic est Deus. Et ante eum nec post ipsum cognovi alium nisi ipsum, nec alium capiam praeter ipsum. Ideo ipsi soli me remitto, & ipse solus auxiliator, & ipse est creator temporum, annorum & horarum, & ipse est sciens omnia, & omnes eum nec scire possunt. Creator caelorum in verbo suo, firmansque terram in fortitudine sua. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unus Deus; ipsi omnipotentia creator rerum ac providens ejus creaturae, opifex & providens ejus opificio, omnia vivificans quae habent spiritum, nec vult malum. Quia ipse est thesaurarius misericordiae, & nos cum ipsis usquequo ipse voluerit, & potens pro sua creatura & populo suo, sicut diximus & amplius & in maxima sapientia sua, quia est misericors, voluit ostendere liberalitatem suam in pura sua voluntate. Et voluit creare ordines intellectuales, & harmoniam lucentem, quae dat gloriam nomini ejus, qui sanctificantur in laudibus suis, & ipse non accipit ab ipsis puritatem neque sanctificationem, quia ipse est gloriosus sanctificatus a se ipso & a sua substantia. Ideo ut ostenderet bonitatem suam & magnam etiam charitatem in illo tempore quando ipse elegit effecti sunt angeli lucis, & nominati sunt intellectus secundi, non quia sunt intellectus non tangibiles, quia tangibile est grave, & intellectus est levis & non tenetur. Et ex hac re intellectuali ignea elementali semper viva & sine fine creavit Deus fortis, potens omnia creare, fortitudinem caelorum, & firmavit eam voluntate suae potentiae & deitatis, qui est unus Deus. Pater ipse est qui genuit Filium; & Filius similis Patri in aeternitate, & Spiritus Sanctus aequalis illis in fortitudine caelorum, & in una natura, & in una deitate, & in una operatione; & illis gloria & laus propter bonitatem suam, cooperiens omnem suam creaturam a principio usque ad finem, quando exivit misericordia obumbrans ex thesauro bonitatis & liberalitatis ejus. Et voluit ostendere Principibus caelorum misericordiam, & medelam, & magnitudinem suam, motus in cogitatione bona cum voluntate sua, quae est longe a malo, volens ostendere angelis, quod sint ipsi creati & congregati in laude sua: post plurima tempora & saecula creavit creaturam sensibilem, populum illum & creaturam corpoream, & gravem tangibilem. In prima sua creatione creavit tempus caelum & terram, & omnia quæ in eis sunt, ignem aquam & aerem, & quæcumque creavit ex eis, surrexerunt & creata sunt verbo Dei creante cum voluntate Patris & perfectione Spiritus, & firmavit nomina hominum invidentium inter se ipsos, habentium inter se ipsos diversas naturas, unus habens intellectum bonum & alius carnalis corporens. Et post hæc extensa est ex misericordia sua maxima charitas, & voluit in electione sua bona, quod crearet Adam caput nostrae generationis, & principium nostrae plasmationis. Et dixit haec: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram in verbo & vita ejus, quod est Filius & Spiritus personae ejus æternæ. Et creavit Dominus Adam hominem compositum ex corpore & anima, & fecit eum viventem & loquentem, mortalem, cogitantem bonum, & sapientiam accepit, ut eligeret quemcumque vellet, & fecit eum tangibilem ex levi & grave mundanum sensibilem ex spiritu & carne; & creavit eum Deus ad imaginem & similitudinem suam, & posuit eum in charitate & vita bona in deliciis paradisi pulchri. Viditque Deus, quod Adam esset pulcher in sua bona mente, creavit ei auxiliatricem & sociam mulierem, & dedit illi nomen Eva, & omnia viventia rationalia erunt ab ea & Adamo. Et exultaverunt Angeli in pulchritudine Adæ, quando viderunt eum in voluntate bona similem illis in corde bono sine malo; tunc diabolus iratus invidit illi, & dixit in corde suo superbo & invidioso deperdito: ego insidiabor illi, & faciam eum cadere ad ima profunda, & ivit ad Evam, quae est levis corde, & inexpers mente, & duxit eam ad comestionem fructus vetiti, & dixit: comede o Eva, & da etiam Adamo tuo socio, & eritis scientes bonum & malum. Et credidit ipsa mente sua levi, & comedit, & dedit Adæ innocenti. Tunc ergo Adam faciens contra Dominum suum expulsus est extra paradisum, & fecit eum habitare in terra laboris & fastidii: & effectus est lassus in manum diaboli diligentis superbiam & facientis malum; & non contentus fecit generationem ejus adorare idola, quousque relinquerent creatorem suum. Et quando vidit Deus Adam in miseria, misit nuncios ut nunciarent miseriae ejus. Quæ generatio tenuerat viam malam. Et illi nuncii vocati sunt Prophetae prophetizantes in perfectione & fortitudine Dei mittentis eos. Et ipsi non consenserunt in voluntate sua consiliis malis; & multi ex ipsis fuerunt tormentati ab ipsis in diversis tormentis, & obtinuerunt coronas martyrii, & intraverunt in vitam aeternam. Quando vidit Deus creator mundi iniquitatem eorum & cogitationem ad malum, obtulit se Verbum divinum creator eorum, qui est Filius æternus, cum voluntate

*Creatio Angelorum.*

*Angeli creati fuerunt ante saecula.*

*Creatio Adae.*

*Diabolus tentat primos parentes.*

*Prophetae minores.*

& electione Patris & Spiritus Sancti, ut deſcenderet ad facturam humanam, ut liberaret captivum & gentem Adae & filiorum ejus, & ut oſtenderet ſe ipſum miſerum & pauperem propter ſervum ſuum

*Deus deliberat venire ad hominem.*

Adam, & ſuam creaturam, ut eriperet & tolleret eum ad priſtinum ſtatum gloriae, ut non perderet ſuam creaturam, quam fecerat ſuis manibus ſanctis, & oſtenſus eſt tanquam pauper, cum ipſe ſit dives dilectus, & potens, dans hominibus ea, quibus indigent, alendo eos, dansque neceſſaria providendo eis: & hoc fecit propter ſervum ſuum, ut rumperet ſuperbiam diaboli qui ex electione ſua elegit ſuperbiam. Et quando voluit Pater, incarnatus eſt Filius

*Vocavit Gabrielem.*

aeternus, Filius verbi & naturae divinae. Vocavit Gabrielem caput Angelorum, & ex alto ſecreto, quod nullus ſcire poteſt, ut annuntiaret Mariae Virgini filiae Joachim & Annæ annoſæ ſterili, quae Anna petierat in voto ſuo coram Deo, vovit Deo, & Deus dedit ei, ut in ea deſcenderet Filius aeternus verbum creans in gremio ejus virginitatis & sancti-

*Salutatio Angeli ad Virginem.*

tatis. Et aſcendit, & apparuit ab ea corporeus & vere corporeus ſine ſemine virili & ſine corruptione ſuae virginitatis. Et in illa hora venit Angelus nuntius praedictus, & ſalutavit eam in ſalutatione dicens: Ave gratia plena Dominus tecum. O magna potentia aeterna, quando Angelus dixit: ſalve o gratia plena, ſecunda vice Deus noſter tecum. Gabriel nuntius leviſſimus venit ad eam de alto, & vidit quod intraſſet in puriſſimam, & vidit multos ordines angelorum laudantes & benedicentes eum, non relinquentem Patrem ſuum aeternum. Non potuit Angelus reſpondere, quando eſſet Dominus ſecum, Dominus noſter. Et non dixit Gabriel: Deus meus tecum, ſed Deus noſter tecum, ut oſtenderet quod Deus eſt ſuperorum & inferorum. Et quando Maria ſenſit verbum Angeli, quod nunquam ſenſerat, dixit: & quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Dixitque illi angelus: Spiritus Sanctus deſcendet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, & quod naſcetur ex te, ſanctus & Filius Altiſſimi vocabitur. Et in illa hora concepit, acceptando annuntiationem; & dixit: ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et in illa hora deſcendit in eam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & unitus eſt cum carne, quam aſſumpſit, eamque nunquam dimiſit, nec per ictum oculi: quia unitus eſt cum corpore naturali, & ſubſiſtit in unitate perſonae; nec diviſus eſt a Patre, quia ſic voluit & elegit Pater, ut incorporetur Filius, & effectus eſt corporeus, ut unitus corpori vere, & ſanctificavit uterum Mariae, deſcendens in eam, & unitus eſt Filius æternus in humanitate ſua ſine additione & ſine defectu, nec in naturis nec in perſonis nec in voluntate, nec addidit in trinitate quaternitatem: quia perſona pulcherrima nata a Patre aeterno ipſa eſt quae

*Quod Christus fuit vere corporeus.*

deſcendit in Mariam Virginem, & unita eſt humanitati, quam accepit a natura ſua pura, & natus eſt ab ea temporaliter ſine additione & defectu. Et noli putare, quod incorporatio ejus eſſet imaginatio vel fantaſtica, nec confuſio, nec mutabilis nec ad tempus, ſed quod eſſet effectus ipſe corporeus vere in natura ac perſona. Et nos confitemur, Filium genitum a Patre ante omnia ſecula, & generatio ejus altiſſima, & incogitabilis. Natus ex Domina noſtra Virgine Maria cum corpore perfecto, & anima rationali ſapiente & docta, unita cum eo ſine differentia & diviſione. Nec in aſſumptione eſt mixtio neque diviſio ulla. Ideo verus Deus humanatus, neque eſt alius homo illi ſimilis; & hic Deus huma-

*Nativitas Christi & Angeli laudantes.*

natus perfectus in humanitate ſua, & non aſſumpſit peccatum. Laudaverunt eum Angeli in hora nativitatis ejus in Bethelem Juda, & dixerunt gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus. Et huic Creatori corporeo venientes Magi obtulerunt. Et propter eum qui humanatus eſt propter nos, qui ſumus ſervi ejus adorantes nomen ejus redemit nos ſanguine ejus corporis & humanitatis. Effecta eſt ſtella ante magos oſtendens ab Oriente uſque ad Bethlem. Et propter eum qui eſt Dominus & redemptor noſter in corpore ſuo occidit Herodes pueros Bethlem. Et hic eſt Deus humanatus fortitudo ti-

*Fuga Christi.*

mentium: fugit in Ægyptum, & fregit idola opera hominum; ſtetit ibi uſquequo venit Angelus ad Joſeph & dixit, ſurge, accipe puerum, & vade ad terram Juda; quia illi qui quærebant occidere puerum perditi ſunt. Et hic eſt, quem vocavit Angelus puerum, & in eo nuntiavit Virgini Mariae dicens: Dominus noſter tecum; & hic eſt puer genitus ab aeterno. Et hic eſt puer natus vere a Maria in corpore; & nunquam nominavit Angelus ſecunda vice ſicut ipſum, quia ipſe unus eſt. Et dico & confiteor illi ſoli & credo quod ipſe ſit Deus noſter, qui apparuit nobis ſicut nos, & factus ſimilis nobis ſine peccato, & ipſe eſt Deus noſter incorporatus vere, & ipſe eſt qui effectus eſt corporeus propter nos, & ipſe eſt Deus noſter primus & noviſſimus. Et ipſe eſt Deus, qui creavit Adam, & ipſe eſt qui incorporatus eſt ex generatione Adae, ut liberaret Adam; & ipſe eſt qui docuit Enoch viam bonam & puram; & hic eſt qui purificavit terram a peccato tempore Noe optimi. Hic eſt, qui venit ad Abraham pluribus vicibus; & ipſe eſt, qui dixit Judaeis: Ego ſum antequam Abraham fieret; & ipſe eſt qui apparuit Jacob ſuper ſcalam; & ipſe, quem nominavit Jacob: leo de tribu Juda. Et ipſe eſt qui dixit: hic eſt expectatio gentium; & hic eſt Deus incarnatus qui dedit auxilium Job in ſua patientia, ut oſtenderet patientiam ſuam in ſua infirmitate. Et ipſe idem, quando dixit Job: ego ſcio quod Redemptor meus vivit & apparebit ſuper terram; & ipſe eſt creator Deus incarnatus, quem vidit Moyſes inter ſpinas in monte Syna; hic eſt Dominus noſter Jeſus liberatus, qui liberavit nos in tempore ſuo; hic eſt qui poſuit Jeſum filium Num praedicatorem filiis Iſrael in loco Moyſi prophetae; & hic

*Multi prophetantes de Christo.*

eſt Dominus Deus noſter, qui miſit Samuelem prophetam ungere David regem ſuper filios Iſrael; hic eſt qui dedit Davidi prophetae Spiritum Sanctum, & prophetavit dicens: tu es Filius meus dilectus, & ego hodie genui te; & prophetavit de ejus paſſione & reſurrectione & aſcenſione; hic eſt de quo dixit Salomon filius David: quis poteſt accipere aquam in linteo? Et propter hunc Deum effectus eſt propheta Iſaias, & prophetavit in ſpiritu dicens: ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, quod eſt Deus nobiſcum. Et propter hunc dixit, Dominus ſedit in nube & introivit in Ægyptum, & haec nubes eſt Virgo genitrix ejus. Et propter hunc Deum genitum factum corporeum a Maria, dixit Joſias, hoc eſt tempus petendi in eo, Dominus veniet & nunciabit vobis, & docebit vos puritatem ejus. Hic eſt Deus, de quo prophetavit in ſpiritu Amos, dicens: in illo die ſurget, qui ponit magnitudinem David, & renovabit, & aedificabit, quae erant deſtructa, & ſurgere faciet illos, qui ceciderant a tempore antiquo. Et propter hunc prophetavit Micheas, qui dixit: Et tu terra Bethleem Juda, nequaquam vocaberis minima in Principibus Juda, quando apparebit oculis corporalibus in corpore; & hic eſt Deus fortis corporeus, ſicut Jonas propheta, qui ſtetit tribus diebus & tribus noctibus in ventre piſcis, & Jonas non accepit de ventre piſcis, & corpore ejus, ſed Dominus noſter vere aſſumpſit corpus ex virgine Maria. Et ſuper hunc Deum humanatum prophetavit Sophonias, & dixit: appareat nobis Dominus & prohibeat idola, & deleat, & adorent eum Gentes in omni loco ſuo. Zacharias propheta prophetavit in ſpiritu dicens: ſic dicit Dominus omnia continens, nomen ejus oriens, qui ortus eſt homo corporeus a Virgine, & dixit: laetare filia Sion, & clama filia Jeruſalem Regi tuo venienti tibi ad liberandum te humilis equitans ſuper aſinam & pullum filium ejus; & ſuper hoc Verbum aeternum creatorem prophetavit Hieremias & dixit: ipſe eſt Deus noſter, & non cognoſco alium ab eo, qui dirigit vias pra-

vas

vas & sciens omnia bona facere. Et propter hunc Deum verum, qui natus est de Maria corporeus prophetavit Ahaeuch, & dixit: Deus abest illa rem (*sic*) in dextera Jerusalem aedificata & ad montem Ephron quod est Virgo Maria, quae est sancta loquela. Et hic est Deus antiquus de quo prophetavit Ezechiel propheta dicens in spiritu prophetico, quod ipse debebat incarnari a Virgine Domina nostra, & dixit: haec porta clausa est, & non aperietur, & Dominus Deus Israel intrabit in eam, & egredietur per eam, & ipsa est clausa sicut prius. Et hic est Deus magnus Verbum Patris creator, & propter eum prophetavit Daniel & dixit: viditque Deum in spiritu qui futurus erat homo, & sic dixit: sedit antiquus dierum, & ipse sedens super eum factus est ignis, & sedes inflammata est, & circuivit eum ignis, millia millium, & centena millia assistebant coram eo, & flumen ignis exibat & occurrebat exiens ante ipsum. Hic est Deus super quem Prophetae omnes prophetaverunt, & in ipso cum sua persona in assumptione eum humanitate ejus completae sunt prophetiae omnium loquentium de eo & miracula. Nec sunt ipsi duae personae aut duae naturae post unionem, sed una persona in natura corporea. Ex invisibili enim factus est visibilis, ex non tangibilis, factus est tangibilis, inaccessibilis ad omnes accedit, non coopertus, omnia operit, quem non capit totus orbis, ingressus est in uterum Mariae filiae David. O magna misericordia tua Deus noster, & quam lata est super nos & super generationem peccatricem & deficientem: quia non misit angelum ex principalioribus vel de angelis lucis ut redimeret nos, sed tu ipse in persona pulcherrima natus te ipsum dedisti nobis & apparuisti nobis incarnatus ex Maria Virgine nostra domina propter redemptionem plasmationis manuum tuarum. Et quis est qui posset tibi reddere gratias, quis posset tibi dare gloriam propter bonitatem tuam quam fecisti super nos? Etenim quid est quod nos habemus quod non sit a te? Tibi, Domine, gloria semper propter id, quod charitas tua sit semper supra nos. Et nos confitentes dicimus, quod veniente plenitudine temporis, de quo prophetaverunt Prophetae in secreto quae abscondita erant, & voluit nos liberare a servitio diaboli, & ab ipsa idololatria, & liberavit Adam ovem deperditam, & venit ad nos propter suam misericordiam, & miserans nostri absque hoc quod aliquis vocaret eum, sed venit & descendit & liberavit eos in promissione facta ipsi Adae, & superabundavit mare misericordiarum sui Patris cum sua bona & pacifica voluntate. Et voluit eligere ut Filius aeternus genitus ab aeterno ex concordia Spiritus viventis, vivificantis, procedentis a Patre & accipientis a Filio sine divisione, & non est in illis separatio, neque divisio, aut differentia neque contrarietas in electione. Ideo ex voluntate ejus Pater voluit incarnationem Filii, & Filius incarnatus est virtute Spiritus Sancti, & non sunt tres Dii, sed unus Deus, sicut nos volumus ostendere hoc Deo auxiliante, quando natus est Jesus Christus a Maria filia Joachim & Annae, eum annunciavit ei Angelus Gabriel princeps Angelorum in conceptione sine tactu hominis, & sine semine & sine mixtione hominis in conceptione sua purissima. Et dicimus quod ipsemet misit ad annuntiandum ei, & ipse est creator angeli & ipsius Mariae, & creator angelorum & hominum, & ipse natus est ab ea, incarnatus cum carne humana, & ipse est unus & non duo, & movit Magos reges, ut venirent ad eum cum muneribus, & ipse est creator munerum, quae oblata fuerunt ei, ipsi adoraverunt eum in Bethleem tanquam Deum; & ipse est, quem adoraverunt Pastores, cum videntes oculis suis eum Maria matre ejus & Joseph, & ipse est unus. Et ipse est qui fugit in Ægyptum tanquam homo timens; & ipse est qui confregit idola in Ægypto tanquam Deus, & ipse est unus; & ipse est ille puer, quem portavit Simeon in ulnis suis, & petiit ab eo, ut dimitteret eum a vita sua tanquam Deus, & ipse unus est. Et ipse est quem praedicavit Joannes Baptista inter populum in flumine Jordano, dicens, hic est Agnus Dei, & viderunt cuncti populi oculis eorum, quod esset corporeus & humanatus tanquam homo, & timuit eum flumen Jordane, quia ipse est creator ejus, & ipse est Deus, & est unus. Et ipse est cum quo fuit mater ejus ad Joannem, existentes ambo in uteris maternis, & exultavit infans Joannes in utero matris ejus Elisabeth, quando vidit Dominum suum venientem ad se, qui tenebatur in utero Virginis Mariae ejus matris tanquam Deus, & ipse est unus: & exclamavit Elisabeth & dixit Mariae: benedictus sit fructus ventris tui, & unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me, & ipse detentus in utero vocavit Dominum suum, & ipse est Deus unus. Et ipse est qui baptizatus est a Joanne tanquam homo; & ipse est ad quem clamavit Pater, hic est Filius meus dilectus, ipsum audite, & visus est Spiritus Sanctus in forma columbae descendentis super ipsum tanquam Deus, & ipse est unus. Et ipse est qui fuit ad nuptias in Cana Galileae tanquam homo, & ipse est, qui convertit aquam in vinum tanquam Deus, & ipse est unus: & ipse est qui jejunavit 40. diebus tanquam homo, & ipse est, qui confregit, & vicit diabolum tanquam Deus, & ipse est unus: & inclinavit in terram, & fecit lutum, & posuit in oculo caeci tanquam homo, & aperuit oculos ejus tanquam Deus, & ipse est unus. Et ipse est quem tetigit mulier habens fluxum sanguinis tanquam homo, & ipse est qui liberavit eam ab infirmitate ejus carnali & spirituali tanquam Deus, & ipse est unus. Et ipse est qui tetigit nurum Petri tanquam homo, & liberavit eam a febre tanquam Deus, & ipse est unus. Et ipse est ad quem clamavit Cananea tanquam homo, & ipse est qui expulit daemonem a sua filia tanquam Deus, & ipse est unus. Et ipse est qui petiit aquam a Samaritana tanquam homo, & ipse est qui dixit ei, quaecumque fecerat tanquam Deus, & ipse est unus. Et ipse est qui ivit in solitudinem & desertum tanquam homo; & ipse est qui satiavit eos paucis panibus tanquam Deus, & ipse est unus Deus. Et ipse est, ad quem clamavit leprosus filii David, & ipse est qui sanavit eum. Et ipse est, filius David & filius Dei, & ipse est unus. Et ipse est qui equitavit pullum & ingressus est Jerusalem tanquam homo, & ipse est ad quem clamaverunt pueri osanna & gloria tanquam Deus, & ipse est unus. Et ipse est qui fecit caenam cum discipulis suis, & dedit eis corpus suum vivificans tanquam homo, & ipse est qui docuit, & revelavit quod traditor traderet eum tanquam Deus, & ipse est unus. Et ipse est qui stetit ante justitiam coram Anna & Cayphs & Pilato tanquam homo; & ipse est qui revelavit Petro negationem suam antequam Gallus cantet terna vice tanquam Deus, & ipse est unus. Et ipse est de quo dixit latro existens in sinistra quod esset homo; & ipse est ad quem dixit latro existens in parte dextera: memento mei Domine in regno tuo secundo, tanquam Deus, & ipse est unus. Et ipse est qui se ostendit discipulis suis post resurrectionem suam, & comedit cum ipsis tanquam homo. Et ipse est qui liberavit Simonem a submersione ne submergeretur in mari tanquam Deus, & ipse est unus. Et ipse est qui ascendit in caelum cum corpore & sedet ad dexteram Patris. Et ipse est qui misit Spiritum Paraclitum, & dedit Apostolis donum linguarum loquentium, & est unus Deus. Et hic est Deus noster genitus a Patre aeterno, principium a principio, antiquus ab antiquo; & hic est Deus, qui nunciavit Johanni filio Zebedei: in principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hic est, sine quo nihil esset, ipse est lumen veritatis, & ipse Joannes qui dicit: Verbum caro factum est & habitavit nobiscum, & vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae & veritatis.

*Non sunt in Christo duae naturae.*

*Processio Spiritus Sancti.*

*Multae auctoritates ostendentes Christum esse unum.*

*Leg. Jesus Chr.*

ritatis. Et Johannes Baptista dixit Judaeis, Ego in Patre & Pater in me, & ego scio Patrem meum; quia ego teneo verbum illius: & dixit illis, Abraam pater vester desideravit videre diem meum, vidit & exultavit: & dixit illis: ego sum antequam esset Abraam, & dixit Philippo, qui videt me videt & Patrem meum: & hoc est verum in unitate Altissimi innumerabilis inaccessibilis, qui unitus est in humanitate pura, nec devastatur cum duobus, nec dividit divinitatem suam a sua humanitate, nec in utero, nec in nativitate, nec in illo quod fecit in terra cum apostolis suis inter Gentes, nec in passione, nec in

*Hoc & sequentia lege caute.*

crucifixione, nec in sepulchro, nec in resurrectione, nec in ascensione in caelos, nec in sedendo ad dexteram Patris, nec in futuro adventu judicii vivorum & mortuorum. Ideo nos confitemur in illo

*Una natura in Christo.*

esse unam naturam post unionem, unam personam visibilem & tangibilem. Et ipse est genitus a Patre aeterno, & nullus narrare potest generationem nec principium nec finem antequam esset incarnatus, & in ipsa incarnatione, & post incarnationem est Deus, & est unus; antequam incarnaretur est unus, & filius Dei, & in ipsa incarnatione est Filius Dei humanatus, & post incarnationem est Filius Dei, qui crucifixus est pro nobis; & incarnatio ejus alta super omnem intellectum & cogitationem, sicut generatio ejus aeterna. Ideo Propheta nominavit nomen ejus admirabile. Nam miraculum quando videtur,

*Quod est miraculum.*

non est miraculum; nam omnis res quae videtur, tenetur, & quod tenetur, deturpatur, & quod deturpatur, corrumpitur, & si corrumpitur, deperditur; & omnis res quae deperditur & corrumpitur, non est Deus, nec miraculum. Ideo miraculum est quan-

*Non sunt in Christo naturae neque personae.*

do in se est occultum, quod nullus potest cognoscere, nec ubi est, nec unde venit; & Domini nostri humanatio est miraculum, & redemptio ejus etiam est miraculum, & ipse cognoscit etiam secreta humanitatis & miraculorum ejus, & ipse scit redemptionem, ac humanitatem, & voluntatem, & quod operatus est propter nos in humanitate sua pro nobis; & confitemur in dominio ejus, in principatu atque aeternitate ejus cum humanitate; nec addimus in humanitate ejus naturas, nec voluntates, neque personas. Ideo nos confitemur in illo unam personam & unam naturam incarnatam & indutam corpore propter peccata nostra, & non propter ipsum incarnatus est, sed propter nos; nec dicimus nos, quod ipse habeat plus vel minus; & clare confitemur in illo quod sit Deus filius Dei, Deus spiritu, & Filius Dei verbo; & nos non habemus alium Deum ab illo, qui crucifixus est pro nobis cum corpore assumpto a Maria, nisi illum solum: & hic est Deus noster, qui crucifixus est pro nobis cum corpore assumpto a Maria; & mortuus est pro nobis in corpore, quod assumpserat a Maria. Nec divisit divinitatem ab humanitate, & nunquam dimisit divinitas ejus humanitatem suam quam semel assumpsit. Et quando viderunt e .n Potestates caelorum, vim fecerunt moventes alas suas, ut comburerent Judaeos: & compassa est misericordia ejus, & placavit eos. Ideo stellae ceciderunt & luna obscurata est, & Sol non dedit lumen suum, & porta templi scissa est, & surrexerunt mortui a sepulchris, quando viderunt creatorem suum in ligno crucis. Et firmavit haec omnia Paulus columna fidei, & fundamentum Ecclesiae, & lingua odorifera, qui dixit: si cognovissent Dominum gloriae non crucifixissent; & confirmavit testimonium Pauli apostoli testimonium latronis existentis in parte dextera, qui vidit haec omnia, & dixit: memento mei, Domine, cum perveneris in regnum tuum. Et Dominus noster dixit ei: hodie mecum eris in paradiso. O magnum mysterium, quod ipse fecerit tot tantaque miracula, quae credit Ecclesia sancta, & in fundamento ejus fidei expulsit de medio ejus omnes etiam cogitationes hae-

*Una natura.*

reticas. Confiteor in Christo Domino nostro humanato in unitate personae, & unica natura, quae corporata est. Nec unquam addo in eo duplicia nomina. Et Johannes in sua epistola dicit: annuntio vobis illum, qui fuit in principio, illum, inquam, quem auribus nostris audivimus: nota facio vobis, ut sitis nostri participes cum Patre & Filio suo Jesu Christo: Et dicit, quis est mendax nisi qui dixerit Jesum non esse Christum, & etiam quod Deus verbum non vocetur Jesus Christus, nisi usquequo fuerit incarnatus? Et quis poterit contradicere Mari sapientiae theologo, qui est Filius dilectus, & recubuit super pectus Jesu; & tamen non dixit de Deo humanato, quod sint in eo duae naturae nec duae

*Ed Joannes quando dixit in Christo duas naturas.*

personae. Et hic dixit, qui negat Filium, negat & Patrem, & qui confitetur Filium, confitetur & Patrem. Et dixit: hic qui apparuit nobis est Filius Dei incarnatus, qui solvit facta diaboli; & hic est Joannes filius Zebedei discipulus dilectus & servus in corpore cum voluntate sua pura, & non fecit mentionem in eo quod sint duae naturae vel personae. Et hic est qui dicit: hoc est mandatum Dei, ut credamus in Filium ejus Jesum Christum. Petrus caput Apostolorum, qui dixit: ille, qui peccatum non fecit, & non est inventus dolus in ore ipsius, ille qui passus est, & non est iratus, & tulit peccata nostra, & in cruce sua nos redemit suo corpore. Et nos etiam redemit in sua resurrectione, & ipse est Jesus Christus noster, qui ascendit in caelos, & sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, & ipsi serviunt Angeli & principatus, & congregatio potestatis caelorum. Et quis fuisset caput nostrum absque Simone Petro fundamento Ecclesiae? & tamen ipse nunquam nominavit in Christo duo nomina. Et Paulus lingua odorans, & columna Ecclesiae scripsit in epistolis suis ad Colossenses: Sic donavit nobis Deus rex Filium suum

*Petrus non nominavit Christum duobus nominibus.*

dilectum, illum, inquam, qui fuit nobis redemptio ex sanguine suo, & remissio nostrorum peccatorum. Hic est ille qui assimilatur Deo invisibili, & ipse est principium, & in illo creavit cuncta, quae sunt in caelo & in terra, & angelos & sedes eorum & Principes & Reges; & ipse est caput corporis Ecclesiae; & ipse est primitiae resurgentium. Et Paulus, cujus lingua tuba Dei est, nunciando dicit: pulcherrima pretiositas Christi est, quod sit creator Angelorum, caelorum, terraeque, ac omnium rerum, quae in eis sunt. Et sanctus Ephrem dixit: quod Deus Pater non genuit unum, & Maria alium; sed illum qui genitus est a Patre, ipsum genuit Maria; genitus a Patre spiritualiter, genitus a Maria corporaliter, & ipse est Dominus Deus noster Jesus Christus. Et postquam miserat discipulos per mundum totum dixit illis: Ite & praedicate omnibus gentibus, & baptizate eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Et non dixit praedicate vel nunciate duos Filios, nec duas naturas, nec duas personas; sicut dixit, Pater unus, & etiam Filius unus, Spiritus unus, una voluntas, una substantia, Rex unus cum una divinitate, cum una dominatione, incomprehensibilis, nec alicui similis, nec inimicitias habet: hic est Deus noster unus, tres personae sanctae, tria nomina, vel tres facies, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Deus unus. Propter nomen ejus morimur, & in ipso nomine vivificamur. Illi soli adoratio, illum solum adoramus & non habemus

*Christus dicendo ite praedicate &c. non dixit praedicate duas naturas.*

alium Deum praeter ipsum. Gloria misericordiae suae sempiternae. Credimus nos generatio Suriana Jacobita in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, Deus unus, trinitas sancta, non creata, divinitas una aeterna & firma, aequales substantia & voluntate, natura & fortitudine & regno, tres personae sanctae, tres electi altissimi & inaccessibiles, unusquisque in sua persona absque confusione personarum. Pater est generans & non genitus, nec procedens; Filius genitus ab altissima Deitate, & non generans, neque procedens; & Spiritus Sanctus processit a Patre, & accipit a Filio, non generans nec genitus; tres purissimae substantiae immobiles, & quodcunque habet Pater, habet & Filius praeter Paternitatem; &

*Quod credunt Suriani Jacobitae.*

quae-

*Attributa personarum divinarum.*

quaecumque habet Filius habet & Pater praeter Filiationem; & quaecumque sunt in Spiritu, sunt Patris & Filii praeter Processionem; & ipsi sunt unum in una natura, & uniti in una substantia, nec unitas extenditur; & substantia & natura non sunt personae nec subsistentiae. Ideo unus in tribus, & tres in unum; nec personae colligantur & fiunt unum, sicut substantia, natura, & voluntas. Ideo uniti dividuntur & divisi uniuntur; aequales in operibus, & in liberalitate, in regimine, & dominio. Et sic nuntiatum est nobis & intelleximus. Pater, Filius & Spiritus Sanctus unus Deus, & praeter ipsum non adoro quemque. Ideo credo in nomine ejus & ipsi humilior. Et non dicimus inter tres personas divinas tres substantias alienas, nec tres Deos, sicut dicit Arrius presbyter Alexandrinus & Eunomius, qui sunt

*Refutantur multa haereses.*

extra Ecclesiam orthodoxam, sicut etiam dixerunt Indriatiæ; nec triplicem naturam, sicut dixit Arrius pessimus cum suis sociis, nec dicimus personas confusas, sicut dixit Sabellius; nec dicimus quod Spiritus minor sit Patre & Filio, sicut putavit Macedonius; nec dicimus naturam divinam mixtam cum humanitate, sicut aqua cum vino, sicut dixit Eutycetis. Iden quaecumque dixerunt, haec verba sunt extra Ecclesiam. Nam unio divinitatis cum humanitate est unio super omnem linguam & cogitationem humanam, & ipsa est absque confusione & deturpatione. Nec dico personam Filii prius habitasse in carne assumpta, quam Pater formasset corpus, sicut dixit Nestorius haereticus; nec descendit illi corpus e cælo, sicut dixit Marcellinus & Amonius; nec quod divinitas fuerit loco animæ perficiens opus

*Non sunt in Christo duae naturae post unionem.*

ejus, sicut dixit Apollonius; nec visus est in populo in corpore fantastico, sicut dixit Julianus fantasticus; nec sunt in eo duæ naturæ post unionem, quia si essent in eo duæ naturæ post unionem, ubi esset unio? Nam unio est postquam convenerunt duo, & effecti sunt unum sine commixtione & permistione & corruptione, & ipsa unione facta resultavit natura. Et si dicis quod unio sit una, sequitur quod sit unitas. Et si dicis unitatem & sunt duo, sequitur loquela non sana. Ideo nos confitemur in Domino nostro Jesu Christo esse naturam unam ex duabus naturis, & esse unam personam humanatam, nec commistam nec mistam, non confusam, nec mobilem nec falsam. Ideo duæ naturæ convenerunt in unione, & effectae sunt una natura, sicut unitus ignis cum ferro, & sicuti unita anima cum corpore, & sicuti unitum lumen in oculo; & si aliquis dixerit nobis quod anima desiderat illud, quod non placet corpori, & corpus desiderat quod non placet animae: respondemus quod operatus est Dominus Deus noster super nostra opera imperfecta: quando divinitas ejus magis unita est cum sua humanitate nobili in unione inaestimabili, & incomprehensibili; nam si fuisset sicut nostra unio opposita, esset homo sicut nos. Et omnis, qui loquitur cum istis verbis dicit Christum Sadeg (*sic*) I. simplicem. Iste talis, qui dixerit haec, erit ligatus in catenis supplicii aeterni, sed nos qui confitemur eum & credimus in humanitate ejus miraculosa nec plus nec minus. Et acceptamus 318. Patres, qui locuti sunt per Spiritum

*De tribus conciliis generalibus.*

Sanctum congregati in Concilio Niceno propter Arrium anathematizatum; & acceptamus 150. qui congregati sunt Constantinopolis propter Euticerem & Macedonium impios; & acceptamus 200. qui fuerunt congregati in Ephesum propter Nestorium blasphematorem, & acceptamus omnes qui acceptant tria Concilia haec sancta; & eos acceptamus qui non addunt, neque diminuunt ad fidem eorum; ac acceptamus 12. apostolos puros & bonos, qui fuerunt apostoli Domini nostri, qui est Deus noster Jesus Christus; & acceptamus Patres, magistros firmantes fidem veritatis de generatione in generationem usque in hodiernum diem. Et ego minimus inter capita sacerdotum Ignatius indignus facio reverentiam bis & ter Patri meo dilecto, qui est Pater Patrum; & pluribus vicibus humilians me ad

*Dat obedientiam Papae Romano.*

vestibulum portarum camerae, quod continet ordinem pulchrum, quae est investitura papae Julii, qui est successor Patris nostri Petri, caput Patriarcharum Romae, & caput congregationis Patriarcharum mundi sequentium Christum. Et salutans osculor manus pluribus vicibus Patribus carissimis Cardinali-

*Salutat Papam ac Rev. Cardinales.*

bus, reverendissimis, vigilantissimis & assistentibus in servicio Dei in praesentia Domini nostri Domini patri patris patrum papae Julii, & saluto congregationem servientium Jesu & populo orthodoxo, & congregationem Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Presbyterorum, Diaconorum, & congregationem conventuum monachorum ac fratrum claustralium. Amen. Et Dominus sit tibi auxiliator & faciat tibi vitam longam in sede tua; & quando audivi papam Paulum felicem memoriam obiisse ab ista vita ad aliam vitam supernam, precor, vivas, Pater mi, ad plurimos annos habeasque vitam longam, & etiam habeant ipsi Patres nostri Cardinales, sintque illi salvi & sani a malo papae Pauli. Et noli me despicere, Pater mi, corona capitis nostri, cum ausus fuerim scribere hoc & tot verba; sic enim decebat scribere nostram fidem ad vestram sanctitatem, ut videas si illa continetur veritas vel non, quia tu es fornax ferri ruginosi, in quam quodcumque ingreditur ruginosum, exit purum. Sic sumus nos miseri respicientes ad Deum & ad vestram sanctitatem; firmate quaesumus nostram fidem veram, quia nos non habemus nec plus nec minus propter hoc quod scripsimus, & lator praesentium perveniens ad vestram praesentiam discipulus Moyses presbyter, qui alias osculatus est pedes sanctitatis vestrae, tibi eum recommendamus omni tempore, quia est filius obedientiae, & intelligent verba mea, & Dominus misereat mei in orationibus vestris. Amen. Amen. Amen.

*Dicta multorum Sanctorum Patrum.*

Insuper habetur ex dictis S. Athanasii, qui confessus est genitum a Patre in Altissimis, generatio aeterna, & est innumerabilis. Ipse est natus ex virgine. Quis est qui adoret divinitatem Christi, relicta humanitate ejus? vel quis adoraret filium hominis, relicta divinitate? vel quis memoraretur in adoratione duorum, adorans unum praeter alterum? vel duo aequaliter? Non acceptat Deus nec numerat illos inter fideles. Et dicitur ex dictis Athanasii, non convenit fideli ponere in Christo divisionem post unionem, quoniam separaretur adoratio ubi adoratur alter praeter alterum. Et hoc non est factibile; quia pervertitur adoratio Christi, relicta adoratione humanitatis ejus, quia ipse unus est, divinitas & humanitas ejus; & non adoro alterum sine altero neque aequaliter; fieret enim aut adoratio duorum dominorum aequaliter, vel unius Domini plusquam alterius, vel adoratio unius Domini & alterius servi. Et quicumque tenuerit hunc ordinem egressus est a fide Christianorum. Et dixit S. Athanasius: Verbum factum est caro, & caro est ipsum verbum, & non est ipse unus ex hominibus sed est Deus perfectus, verus effectus homo; & dolor etiam in verbo, & verbum non convertitur, & non doluit cum voluntate verbi in suo corpore & ipsum nec dolet. Athanasius etiam dicit: ipse qui natus est, ipse est Deus altus, & ipse est, qui accepit dolores, & ipse est operator miraculorum; & dicit sic, quia nullum miraculum assimilatur miraculo in hoc opere Dei, unum in unitate substantiae cum sua divinitate; sic etiam nullus scire potest unionem substantiae divinae cum humanitate sua, substantia inquam divina, qua est longe a malo & a doloribus, suscepit nostros dolores. Dixit quoque Cyrillus patriarcha Alexandrinus, quod assumpsit humanitatem cum divinitate in una unitate sicut ignis cum ferro ignito, quae licet erant contrariae inter se, tamen in unione eorum effecti sunt una natura. Nam sicut natura ignis accensus in ferro, efficitur corporeus in ferro, tunc remanet quod sit ferrum & sit ignis. Et quando percutitur ferrum malleo, ignis percutitur, & ferrum patitur igne existente illaeso. Et dixit Cyrillus, qui-

cum-

cumque dividit intelligentiam Evangelii, & separat opera Domini & numerat alterum ab altero, vel divinitatem ab humanitate, hic mittetur in exilium & damnationem. Et dixit Cyrillus qui non credit verbo Dei Patris, quod ipsum sit unitum cum corpore in persona una cum corpore Christi, qui est unus Deus & ipse humanatus, sit ipse anathema. Et dixit etiam Cyrillus in sua epistola ad Succisosum Episcopum Caesareae qui est in partes Caesariae, quod nos filii hominum qui sumus creati ex anima & corpore, & ipsi sunt diversae naturae ante unionem & post unionem efficiuntur unus homo absque hoc quod devastetur anima unita cum corpore; sed efficiuntur una res corporata, & corpus non est factum anima, sed corpus cum anima effecti sunt una natura, & unus homo. Et dixit S. Alexander Papa Romanus, & S. Jacobus Episcopus terrae Isrug, & S. Ephren Surianus, qui omnes convenerunt in una veritate, quod manus, quae fecit Adam, ipsa est quae condemnata est clavis super lignum crucis; & os quod insufflavit spiritum viventem in Adam ipse est qui bibit acetum myrratum. Atque pes & manus, in quibus ingressus clavus, fundaverunt mundum. Et dixit Paulus Papa Romanus in epist. sua quinta: propter unionem divinitatis Jesu Christi D. N. in humanitate sua nominatus Deus non negavit divinitatem suam unitam cum humanitate sua. Et si dicis hominem sua humanitate, quam assumpsit in carne sua, non potes negare dominationem suam, nec eam dividere in duas naturas post unionem. Et nullus est qui negat dominationem suam, nec dividitur ad duas naturas post unionem; & sicut homo est ex duabus rebus videlicet anima & corpore, quae licet sint diversae ante unionem, post unionem tamen efficiuntur natura una, & vocas eum corporeum, & anima est semper cum ipso; & si nominas animam, non relinquis corpus. Et dixit Joannes Os auri Patriarcha Constantinopolitanus in quadam homelia nativitatis Virginis, quod descendit in ipsam sol justitiae, quem nullus scire potest, nec de eo loqui potest aliquis intellectus, & apparuit ab ea redemptio. Et dixit Johannes, quod lumen aeternum natum est, & effectus est homo cum hominibus non recedens a sua divinitate, sicut erat in sua divinitate, in qua nullus eum videre, nec de eo alloqui potest; & est lux inaccessibilis, quam nullus scire potest. Tamen ipse passus est pro homine, & dives effectus est propter nos pauper, & dixit, quod voluit ipsum ostendere, quod ipse esset Dominus totius creaturae.

*Subscriptio.*

Exivit haec epistola ex domo & conventu Zafaran a servo humili Patriarcha Antiochiae ad dominum patrem patrum Papam Romanum 1551. a Christo, ab Alexandro vero Conenio 1862. 28. mensis Madii.

*Suprascriptio.*

Perveniet ista epistola, Deo volente, ad manus patris patrum Papae Julii, qui sedet in sede Petri Romae.

## NOTA.

Ignatius XVII. dictus XIII. Jacobitarum Antiochiae Patriarcha anno 1552. fidei suae professionem ad Julium III. Romanum Pontificem misit. Hanc vero ego ex corrupto Cod. ad me transmisso a viro docto Josepho Fabiani Senensi accuratam cum publico communicandam censui ratus nondum lucem vidisse. Verum postquam typis commissa fuit, sero tandem intellexi jam diu antea evulgatam fuisse ab Andrea Masio viro doctissimo, veniam proinde ab aequis Lectoribus peto.

# JOANNIS DOMINICI MANSI
# PRÆMONITIO
## IN SEQUENTEM FRATICELLORUM HISTORIAM.

*Hanc Fraticellorum Historiam scripsit Fr. Joannes Ord. Minorum, ut est in Præfatione. Servari illam Romæ in Bibliotheca Collegii Capranici docuit me per literas D. Silverius Orbini J. V. D. significavitque curaturum se ut accurate describeretur; quod & præstitit diligenter. Ut vero hic darem in causa fuit, quod fere tota contextu sit ex literis, instrumentis, & diplomatibus, quæ huic volumini destinata sunt.*

# CHRONICON DE GESTIS
## CONTRA FRATICELLOS AUTHORE JOANNE MINORITA.

*Incipiunt Chronicæ gestorum Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Joannis Papæ XXII. contra opinionem Fraticellorum; & maxime contra Magistrum Michaelem de Cesena tunc Ordinis Fratrum Minorum Ministrum Generalem.*

Quoniam secundum Apostolum Ignorans ignorabitur. Et secundum Augustinum, & Jura, Ignorantia crassa, & supina, seu affectata non excusat pœnis, sed accusat. Ideo ego Frater Joannes Ordinis Fratrum minorum cupiens ea quae de quaestione orta tempore Domini Joannis, qui se Papam XXII. appellat de paupertate Christi, & Apostolorum, ejus gesta, & facta pro, & contra, & Causas gestorum, & factorum exprimere. Ne ignorantis quæ cunctorum errorum Mater est, ut in Decretis legitur, sit occasio delinquendi; & a plenitudine Catholicæ Fidei deviandi, & ne tot & tanta hinc inde gesta pulchra, & utilia infructuoso silentio tegantur, futurae memoriæ tradere. Et ne de memoria hominum per successionem temporum abigantur. Ad utilita-

til'tatem legentium, & maxime intelligentium in unum volumen per modum Cronicæ, quantum Deus permisit, dignum duxi redigere a fundamentis, ut sequitur inchoando.

Anno Domini millesimo CCC. XXI. Fratre Michaele de Cesena sacrae Theologiae magistro existente Ordinis Fratrum minorum ministro Generali sui ministerii anno sexto, quidam beguinus, seu bisocus fuit captus in Civitate Narbonae pro facto hæresis per Archiepiscopum Narbonensem, & Fratrem Joannem de Belna Ordinis Fratrum Praedicatorum Inquisitorem haereticæ pravitatis: Qui beguinus inter alia asserebat; quod Christus, & Apostoli viam perfectionis sequentes, nihil habuerunt jure proprietatis in speciali, nec in communi. Qui Inquisitor volens judicare dictum beguinum, convocavit ad Concilium omnes Priores, Guardianos, & Lectores Religiosorum, & quam plures alios sapientes. Inter quos fuit Frater Berengarius Talonj Lector in conventu Fratrum minorum de Narbona; Et inter cætera praefatus Inquisitor fecit legi praefatum Articulum de paupertate Christi, & Apostolorum ejus, pro quo volebat beguinum hujusmodi tanquam hæreticum judicare. Praefatus vero Frater Berengarius Lector super dicto Articulo requisitus, respondit, quod hoc dicere non erat haereticum, sed dogma sanum, catholicum, & fidele, maxime cum hoc esset per Ecclesiam in Decretali, *Exiit qui seminat*, diffinitum. Quo facto, ac si asseruisset hæresim praefatus Lector, dictus Inquisitor eidem præcepit, ut dictum suum in præsentia omnium revocaret. Qui Lector revocare noluit aliquo modo: Dum cogebatur revocare illud quod erat sanum, catholicum, & tanquam tale per Ecclesiam diffinitum. Et timens ex hoc contra justitiam multipliciter aggravari, ad Sedem Apostolicam solemniter appellavit. Et cum appellatione sua venit Avinionem, ubi praedictus Dominus Joannes cum sua Curia residebat. Et in consistorio coram eo jam tamen informato de opposito comparuit, & proposuit dictus Lector. Qui Dominus Joannes Papa præfatum Lectorem fecit in Curia sua arrestari. Et publice proposuit hanc quæstionem. Utrum videlicet pertinaciter affirmare Dominum Jesum Christum, ejusque Apostolos, non habuisse aliqua in speciali, nec etiam in communi foret haereticum censendum. Et formam ipsius quæstionis in scriptis, omnibus, & Prælatis, & magistris in Theologia in sua Curia existentibus tradi fecit. Volens igitur dictus Dominus Joannes de dicta quæstione, & quibusdam aliis diffinire oppositum eorum, quae in dicta Decretali *Exiit* extitit diffinitum, ut postea patuit per effectum: Primo suspendit excommunicationis sententiam latam in dicta decretali *Exiit* contra glosantes, docentes, seu dogmatizantes aliter quam eo modo, quo continetur in ea, ad hoc, ut Prælati, magistri, & alii Licentiati, & Litterati quicumque possent libere diffinitioni, & determinationi Ecclesiae contradicere, & ipsum ad libitum impugnare. Et de dicta suspensione quandam constitutionem, sive ordinationem edidit, & publice promulgavit, formam hujusmodi continentem.

# PRIMA CONSTITUTIO

## *Suspendens Sententias Decretalis.* Exiit.

„ JOannes Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Quia non nunquam quod conjectura profuturum credidit, subsequens experientia nocivum ostendit. Non debet irreprachensibile judicari, si Canonum Conditor, Canones a se, vel a praedecessoribus suis editos, revocare, modificare, vel suspendere studeat, si obesse potius viderit, quam prodesse. Sane dudum fel. rec. Nicolaus Papa III. praedecessor noster quandam Constitutionem declarativam, quae incipit, *Exiit qui seminat*, super regula dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum quam Beatus Franciscus almus Confessor instituit, promulgavit sub certis poenis artius interdicens, ne concordantiae, contrarietates, seu diversae, vel adversae opiniones ab ipsius Constitutionis Lectoribus, seu expositoribus, aliquatenus inducantur. Nec super ipsa Constitutione glosae fiant ab aliquo, nisi forte per quas verbum, vel sensus ipsius, seu constructio, vel ipsa Constitutio grammaticaliter exponatur. Nec Intellectus ipsius per legentem distorqueat ad aliud, quam Constitutionis ejusdem littera ipsa sonat. Glosantes autem in scriptis Constitutionem eandem aliter quam superius est expressum, facientes quod Commentum, Scripturas, seu Libros, ac ex certa scientia, & deliberate determinantes in Scholis, seu praedicantes contra contenta in Constitutione praedicta, vel aliqua, seu aliquod praedictorum. Non obstantibus aliquibus privilegiis, seu indulgentiis, aut litteris apostolicis, quibuscumque personis, dignitatibus, ordinibus, aut locis religiosis, vel saecularibus, generaliter, vel singulariter sub quacumque forma, vel expressione verborum concessis, quae voluit in praedictis quomodolibet suffragari, ipso facto excommunicationis sententiae voluit subjacere. Nos autem attendentes quod argumentis, & collationibus latens veritas aperitur: quod quoque sub eadem litera saepe lateat multiplex intellectus: nec non esse difficile volentibus Constitutionem praedictam perfecte legere ac intelligere pœnas adjectas in Constitutione hujusmodi evitare. Viam veritatis aperire volentes, ac periculis quae ex praedictis possent personae litteratae, maxime scholasticae incurrere, salubriter obviare; praesertim cum de novo exorta sint aliqua dubia, circa quae posset periclitari veritas, & erroribus via pandi, nisi liceret conferri super contentis in Constitutione hujusmodi, & etiam disputare, prohibitiones, & pœnas praedictas tam latas, quam comminatas, & earum effectum in Fratrum Minorum, ac multorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac aliorum Praelatorum praesentia, necnon multorum utriusque Juris professorum, & multorum sacrae Theologiae professorum praesentia, dum Consistorium teneremus, authoritate Apostolica duximus usque ad Sedis Apostolicae beneplacitum suspendendas. Per suspensionem autem hujusmodi nequaquam licentiam cuique intendimus impertiri; quod contra praedictorum Fratrum regulam dogmatizare, scribere, seu determinare, praedicare, seu prave loqui liceat publice, vel occulte. Quinimmo haec omnia, & singula praefata districtius inhibemus. Ne autem imposterum praemissarum prohibitionum, & pœnarum suspensio in dubium revocari valeat, nec alicui propter defectum probationis impingi, quod velut transgressor prohibitionum ipsarum in pœnam, seu pœnas inciderit antedictas. Nos volentes super hoc de opportuno remedio providere cartas, seu membranas suspensionem continentes, eamdemque appendi, seu affigi in majoris Ecclesiae Avinionensis ostiis, seu super liminaribus faciemus. Quae suspensionem praedictam, quasi sonoro praeconio, & patulo judicio publicabunt. Datum Avinioni VI. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno VI. anno Domini 1322.

Subsequenter aliqui Cardinales, & nonnulli alii viri notabiles requisierunt praefatum Fratrem Michae-

ehaelem Generalem Ministrum dicti Ordinis, & totum Capitulum Generale apud Perusium in Festo Pentecostes proxime futurum celebrandum, quod ipsi deffinirent, & determinarent illud quod de dicta quaestione de paupertate Christi, & Apostolorum ejus sentirent, & in scriptis redigerent, ac universis Christifidelibus destinarent. Quorum requisitionibus annuentes, & etiam ex hoc sperantes praefatum Dominum Joannem ad errores dispositum refrenare, ne de dicta quaestione in praejudicium praedecessorum suorum, & fidei attemptarent oppositum diffinire, universis Christifidelibus suam assertionem, & confessionem, ut sequitur destinarunt.

# LITTERA CAPITULI GENERALIS

## *Celebrati in Civitate Perusii de Paupertate Christi.*

„ UNiversis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis. Frater Michael Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister. Guillelmus Angliae, Henricus Superioris Alamaniae, Arnaldus Aquitaniae Provinciales Ministri in Sacra Theologia Magistri, nec non Ugo de Novocastro, & Guillerinus de Alnuch Sacrae Theologiae Doctores, Nicolaus Minister Franciae, ac Guillerinus Bloch Bacalarii in Sacra Pagina, & omnes Ministri, & Custodes discreti, & generalium studiorum Lectores apud Perusium congregati in Capitulo Generali, ipsumque totum Generale Capitulum Ordinis supradicti, salutem, & pacem in Domino sempiternam. Novitis quod nos anno Domini 1322. Indictione 5. Pridie nonas Junii audita, & intellecta quaestione quadam, quae in Romana Curia principaliter agitatur, qua quaeritur, utrum asserere Christum, & Apostolos non habuisse aliquid in proprio, nec in communi sit haereticum: Et requisiti quid de illa quaestione sentiremus, & in scriptis sub nostris sigillis, & subscriptionibus propriis redigere curaremus, visis & examinatis dicta quaestione cum allegationibus, quae pro, & contra fiunt, diligentique & matura deliberatione digestis, determinationi Sanctae Romanae Ecclesiae firmiter, & totaliter inhaerentes, concorditer & unanimiter dicimus & fatemur, quod dicere & asserere, quod Christus viam perfectionis ostendens, & Apostoli eamdem viam perfectionis sequentes, atque per exemplum in alios volentes perfecte vivere derivantes, nihil jure proprietatis, & dominii, seu juris proprii in speciali, & in communi habuerunt, non est haereticum, sed sanum, Catholicum & fidele, maxime cum Sancta Romana Ecclesia Catholica, quae a tramite Apostolicae traditionis nunquam deviasse, aut errasse probatur XXIIII. q. I. a recta, & C. pudenda in fin. hoc expresse dicat, affirmet, & determinet manifeste. Extra de verb. sign. C. *Exiit* Lib. VI. §. porro sic inquiens. *Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam in communi propter Deum meritoria est, & sancta; quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit: quamque primi fundatores militantis Ecclesiae idest Apostoli, prout ab ipso fonte idest Christo hauserant, volentes perfecte vivere, per Doctrinae ac vitae ipsorum alveos derivarunt.* Quae Ecclesiae determinatio lib. VI. per ipsam Catholicam Ecclesiam r c inserta: Et per aliam Decretalem in Viennen. Concilio promulgatam, & in VII. Libro sub titulo de verb. signif. insertam: Et per ipsam universalem, & Catholicam Ecclesiam est approbata. Ac novissime per Sanctissimum Patrem Dominum Joannem divina providentia Papam XXII. in dicta sua declaratione edita super regula, & statu Fratrum minorum, quae incipit: Quorumdam exigit, est eadem declaratio plurimum commendata, tanquam salubriter edita, solida, lucida, multaque maturitate digesta. Et testante Canone XIX. dist. Si Romanorum, illud, quod pro sano dogmate sedes apostolica comprobavit, semper teneri debet acceptum: Nec ab eo licet alicui quomodolibet resilire XXIIII. q. 1. haec est fides. In hujus autem nostrae opinionis, & communis ac concordis sententiae testimonium, & munimen praesentem seriem de communi consensu omnium nostrum sigillis, & subscriptionibus propriis Generalis ministri, & nominatorum superius magistrorum, ac Bacallariorum in Sacra Pagina: nec non & quatuor Provincialium ministrorum, videlicet, Thomae Provinciae Bononiensis, Petri Provinciae Sancti Francisci, Fernandi Provinciae Castellae, & Symonis Provinciae Turoniae duximus muniendam „.

Datum Perusii Anno, mense, & die superius memoratis.

Præfati vero Minister Generalis, magistri, & Bacallarii in sacra Pagina in dicto Capitulo Generali consistentes de dicta quaestione per se aliam diffinitionem, & determinationem viribus, & rationibus confirmatam fecerunt, formam hujusmodi continentem.

---

# ALIA LITTERA

## *De eadem quæstione viribus confirmata.*

„ UNiversis præsentes Litteras inspecturis, Fratres Michael Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, Guilhermus Provinciæ Angliæ, Henricus superioris Allamaniæ, Arnaldus Aquitaniæ magistri, & Hugo de Novocastro, ac Guillerinus de Almuch, Guillerinus Bloc in sacra Theologia magistri, necnon Nicolaus Provinciae Franciæ minister, salutem, & pacem in Domino sempiternam. Novitis quod nos Anno Domini 1322. Indictione 5. septimo Idus Junii apud Perusium congregati in nostro capitulo generali, & requisiti specialiter, quid sentiremus de quaestione subscripta, diligenti prius deliberatione, & matura super ea, & ipsam tangentia collatione præhabita, Respondemus, ut immediate inferius continetur. Ad quæstionem qua quæritur utrum asserere quod Christus, & Apostoli non habuerunt aliquid nec in proprio, nec in communi, sit hæreticum. Dicimus, & fatemur concorditer, quod asserere, quod Christus viam perfectionis ostendens, & Apostoli eandem viam perfectionis sequentes, & in volentes perfecte vivere derivantes, nihil jure proprietatis Dominii, seu juris proprii in speciali, vel in communi habuerint, non est hæreticum, sed sanum, catholicum, & fidele; & quamvis ad hoc multas rationes habeamus, & plurimas authoritates sanctorum, tam latinorum, quam Graecorum, qui veluti duo Cherubim in medio Tabernaculi Domini alas suas extentas in hoc puncto conveniunt; & velut duo Seraphim in Templo id ipsum alter ad alterum clamare non cessant. Subscriptae tamen rationes, & auctoritates causa brevitatis sufficiant, quo ad praesens. Prima igitur ratio talis est. Nulla asser-

tio

tio est haeretica quae fundatur super determinationem, & confirmationem multiplicem Sanctae Romanae Ecclesiae, sed asserere Christum, & Apostolos non habuisse aliquid in proprio, nec in communi, ut praedictum est, fundatur super multiplicem determinatoonem, & confirmationem Sanctae Romanae Ecclesiae; Ergo hujusmodi assertio non est hæretica. Major est evidens cuilibet Catholico, cui & concordant multa C. Decreti ut XXIIII. q. 1. C. a recta, & C. pudenda in fine. Et Augustinus contra Epistolam fundamenti dicens: Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae authoritas commoneret. Minor probatur per decretalem extra de verbor. sign. C. Exiit §. porro lib. VI. ubi sic habetur. *Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta, quam Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit: quam quoque primi fundatores Ecclesiæ militantis, prout ab ipso fonte hauserant in volentes perfecte vivere per doctrinæ ac vitæ ipsorum alveos derivarunt*. Quæ quidem Decretalis per aliam, quæ incipit *Exivi de Paradiso* in Viennensi Concilio promulgatam, & in VII. lib. sub titulo de verbor. signif. insertam, est ab Universali Ecclesia approbata: Et novissime per Sanctissimum Patrem, & Dominum Dominum Joannem divina providentia Papam XXII. in quadam sua declaratione edita per eundem super regulam, & statum Fratrum Minorum, quæ incipit, Quorundam exigit, est approbata, & quam plurimum commendata tanquam salubriter edita, solida, lucida, multaque maturitate digesta. Probatur minor videlicet, quod assertio, qua dicitur Christum, & Apostolos non habuisse aliquid in speciali, vel in communi, ut præmissum est, fundatur super determinationem, & confirmationem multiplicem Sanctae Romanae Ecclesiae. Secunda ratio est hæc. Nulla assertio qua dicitur Christum, & apostolos servasse altissimam, & perfectissimam paupertatem est hæretica. Sed asserere Christum, & Apostolos nihil habuisse in proprio, vel communi, est asserere ipsos servasse altissimam, & perfectissimam paupertatem: Ergo assertio hujusmodi non est hæretica. Probatio majoris, & primo per rationem: Quia Christus, & Apostoli fuerunt principium, & mensura, & exemplaria cujuslibet perfectionis Evangelicae. Principium autem, & mensura, & exemplar principale perfectissime, & altissime continet omnes perfectiones, quae ex illis exemplantur, seu etiam mensurantur. Ergo perfectio paupertatis Evangelicae sicut & aliæ perfectiones Consiliorum fuit in Christo, & Apostolis perfectissime, & altissime. Probatur etiam per auctoritates, primo de Christo per illud Hieronymi ad Eustochium dicentis quod Christus pauperrimum, & abjectissimum se ostendit. Idem etiam Hieronymus de Apostolis loquens in Epistola ad Exuberantium dicit. Nemo Apostolis pauperior fuit. Nemo tantum pro Domino dereliquit. Probatio minoris. Quia perfectissima, & altissima paupertas est illa, quæ ex se, & essentialiter ex intrinseca ratione sui excludit majorem sollicitudinem temporalem. Dicimus autem per se, & essentialiter ex intrinseca ratione sui ad differentiam illius sollicitudinis, quæ oritur ab extrinseco, non ab intrinseco statu paupertatis, videlicet, ex infirmitate illius, qui sollicitus est circa temporalia acquirenda, & habenda ultra id quod necesse est, vel illius quæ oritur ex defectu charitatis in hominibus, per quam consueverant Christi pauperes sustentare, & eis de quotidianis necessariis providere. Sed paupertas illa qua nihil habetur in speciali, vel communi ex se, & essentialiter ex intrinseca ratione sui magis excludit sollicitudinem hujusmodi, quia bona temporalia etiam in communi habita mentes possidentium illaqueant, & afficiunt aliquo modo, & suos possessores reddunt sollicitos ad bona temporalia conservanda, defendenda, acquirenda, & amplianda. Reddunt etiam suos Possessores timidos, & sollicitos, ne talia bona communia perdantur, aut diminuantur, aut super eis aliqua injuria inferatur. Unde non omnino sinunt animum esse liberum, sed reddunt eum quodam modo compeditum. Sicut clare dicit Augustinus de Verbo Domini sermone XII. Minimi autem sunt, qui omnia sua dimiserunt, & secuti sunt Christum, & quicquid habuerunt pauperibus distribuerunt, ut Deo sine sæculari compede expediti deservirent, & ab oneribus mundi liberati, velut pennati sursum hæreant. Secundo probatur per determinatiobem, & confirmationem Ecclesiæ in regula Beati Francisci sic dicentis, C. de observantia paupertatis. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos carissimos fratres meos hæredes, & reges regni Cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit; hæc sit portio vestra quæ perducit in terram viventium; cui dilectissimi totaliter inhærentes nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub Cælo habere velitis. Quod autem hic loquatur de paupertate, quæ excludit omnia in proprio, & in communi patet. Et ex verbis quæ hic exprimuntur, si diligenter attendantur, & ex declarationibus quamplurium summorum Pontificum specialiter Gregorii XI., Innocentii IV., Alexandri IV., & Nicolai III., qui hanc paupertatem declarant esse illam, quæ nihil admittit in speciali, nec in communi, ut in supradicta Decretali *Exiit* §. porro dicitur. Porro cum regula ipsa expresse contineat quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sit quoque declaratum per eundem prædecessorem nostrum Gregorium IX., & nonnullos hoc servari debere tam in speciali quam in communi. In esdem quoque decretali dicitur, & eodem §. in fine patest. Itaque sane intelligentibus claret ex prædictis regulam ipsam quoad abdicationem hujusmodi non solum observabilem, possibilem, licitam, sed meritoriam perfectam; & eo magis meritoriam, & perfectam, quo per ipsam professores ipsius, magis a temporalibus propter Deum, ut prædicitur elongantur: hucusque verba Decretalis. Ad hanc autem minorem probandam est auctoritas in collationibus Patrum Coll. X. sic dicens: Revera quæ major, aut sanctior potest esse paupertas, quam illius qui nihil se præsidii, nihil virium habere cognoscens, de aliena largitate quotidianum poscit auxilium, & vitam suam, atque substantiam singulis quibusque momentis divina ope intelligens sustentari, verum se mendicum non immerito profitetur. Confirmatur ista ratio tota authoritate Eusebii super Mathæum sic dicentis. Prohibebat autem eis, scilicet, Christus Apostolis auri, & aeris possessionem, praecipiens: *ut nec peram, nec baculum, nec calceamenta, nec geminas tunicas, immo nec panem, nec argentum portare deberent, qui ad alienas partes debebant transmitti, sumens experimentum fidei, & animositatis eorum; siquidem habito in mandatis vitam extremæ ducere paupertatis, ut usque de diurno nutrimento, nec binas tunicas possiderent, nec uterentur calceamentis, sic quoque totum mundum circuirent*. Et sequitur, *putabat, inquit, conductos arrhabones regni Dei, nec quicquam eorum quæ monachales appreciantur, condignum extimare debere datis sibi Cælestibus opibus*. Ubi notandum, quod per hoc quod hic dicitur Apostolos habuisse in mandatis vitam extremae ducere paupertatis, confirmatur major praedicta rationis antedictae, quae dicit Apostolos altissimam, & perfectissimam servasse paupertatem: per hoc quod dicitur, nec quicquam eorum, quæ monachales appreciantur eos condignum extimare debere, ostenditur, quod eorum paupertas talis fuit, quod ni-

hil habebant in communi, quasi in hoc consistat perfectissima, & altissima paupertas, per quod confirmatur minor. Monachales enim dicuntur communiter, qui nihil habent in proprio; habet tamen eorum communitas aliquid proprietatis, & dominii in communi. Quod autem eandem paupertatem Christus tenuerit, quam Apostolis iniunxit, patet per Hieronymum in Epistola ad Eustochium dicentem, *non poterat habere Dominus, quod prohibuerat in servis dicens. Nolite portare sacculum, nec peram &c.* Tertia ratio est haec. Nulla propositio debet dici haeretica, cujus oppositum non exprimitur evidenter in Sacra Scriptura, nec secundum se, nec secundum expositiones Sanctorum, vel cujus oppositum secundum determinationem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non apparet evidenter Catholicum, vel cujus opposita secundum determinationem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel cujus opposita ex aliquo prædictorum evidenter, & necessario non concluditur. Sed opposita hujus propositionis negativae, scilicet, Christum, & Apostolos nihil habuisse in proprio, nec in communi, eo modo habendi quo superius est expressum, non habetur evidenter aliquo trium modorum praedictorum. Ergo illa propositio negativa non est haeretica. Major patet per sufficientem divisionem. Nec oportet addere, nec supra articulos fidei, quia omnes, vel ex Sacra Scriptura, vel ex determinatione Ecclesiae evidenter habentur, & expresse. Apponitur autem in qualibet conditione, vel membro evidenter, quia argumentum solum probabile, vel sophisticum, quod videtur trahi ex aliquo praedictorum, non convincit oppositum suae conclusionis debere haereticum judicari. Minor probatur quantum ad singulas sui partes. Prima quod opposita illius non exprimitur evidenter in Sacra Scriptura secundum se accepta. Quia si sic, hoc praecipue esset per hoc quod dicitur de emptione, & venditione discipulorum Jo. Cap. 2. 6. & Luc. 9. & 10. & in aliis locis diversis. Ac per hoc quod dicitur de loculis Jo. 12. & 13. Ac per hoc quod scribitur in actibus, quod erant illis omnia communia. Sed per nullum illorum, vel consimilium habetur opposita propositio praedicta evidenter ex Sacra Scriptura secundum se accepta. Non per primum ubi agitur de emptione, & venditione, quia vendere, & emere non solum sunt actus habentium dominium, sed possunt esse actus dispensatorum, vel administratorum, nullum habentium in re, quæ venditur, vel in pecunia de qua emitur dominium. Et ideo per verba talia non habetur determinate, nec per consequens altera pars, scilicet, habere est dominium. Dicimus ergo ad omnes authoritates de talibus actibus mentionem facientes, quod Apostoli non haec, ut domini, sed ut meri, & nudi administratores talium, & pro seipsis solum simplicem facti usum habuerunt. Et eodem modo respondemus ad instantiam de loculis, & ad omnes auctoritates de hoc loquentes, quod scilicet Apostoli pro se ipsis usum tantum habuerunt in loculis, dispensationem autem pro aliis. Et similiter dicendum est de Christo. Non enim verisimile est, quod Christus, & Apostoli habuerint, vel habere voluerint aliquid per modum summae perfectionis, & professionis Apostolorum repugnantem; hoc tamen esset, si per modum dominii, vel proprietatis aliquid in loculis habuissent. In voto enim professionis Apostolorum cadebat talis paupertas, de quo voto loquitur Augustinus 17. de civitate Dei C. p. loquens de Apostolis sic. Dixerunt illi potentes: *Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.* Hoc votum potentissime voverunt; Et de Christo dicit Hieronymus super illud Matth. 17. *Piscem qui primo ascenderit &c. Tantæ fuit Dominus paupertatis, ut unde tributa pro se, & Apostolis redderentur non habuerit.* Quod si quis obiicere voluit, quomodo Judas portavit in loculis pecuniam. Respondebimus; res pauperum in usus suos convertere nephas putavit. Ad illud de actibus dicimus, quod apostoli non includuntur in illa multitudine sicut patet per Textum ibi p. C. quia discretio ponitur inter illos de multitudine credentium, & inter apostolos qui dicebant, & faciebant miracula. Unde subditur immediate. *Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium &c.* Ed ideo signanter dicit Glos. *discernit* inquit *inter ordinem Doctorum, & Auditorum. Nam multitudo credentium rebus propriis spretis copula caritatis invicem jungebantur. Apostoli vero virtute fulgentes mysteria Christi pandebant.* Et ex hoc patet manifeste, quod sic dicendo non habuerunt apostoli aliquod dominium ibi, quia non comparabantur inter illos, de quibus arguitur. Et dato quod includerentur, non tamen oporteret dici, quod apostoli habuerunt aliquid ultra simplicem facti usum. Ubi notandum quod modus illius communitatis non erat singularis, sicut habent monachi, sed communitatis, qualis erat, vel esse debuerat in statu innocentiae. Et ibi fuisset solum communitas rerum quoad usum, & nullo modo quo ad dominium. Aliter enim posset dici, quod quia habere multis modis dicitur, non oportet quod omnes, qui connumerantur in una multitudine conveniant in eodem modo habendi illa, quibus Communitas indiget pro usu. Per similem modum potest responderi ad auctoritates Expositorum Sacrae Scripturae, & sanctorum, & ad decreta, quae praedictis Sacrae Scripturae, vel aliis auctoritatibus innituntur. Nam inter auctoritates sanctorum, videtur praecipue illa Augustini super ad Adamantium. *Et Dominus loculos habebat, quibus ad necessarium victum pecunia portabatur.* Et illa Chrysostomi in Glos. super illo verbo Matth. qui praecepit ipsis apostolis, ne quid in via tollerent nisi virgam tantum, idest proprietatem accipiendi necessaria. Ergo ultra simplicem facti usum aliquid habuerunt scilicet jus recipiendi necessaria. Prima auctoritas solvitur per hoc quod habuerunt quoad usum quantum ad se ipsos; quantum autem ad alios, quo ad dispensationem, & administrationem, ut supra dictum est. Ad secundum per idem, ubi advertendum quod respectu rerum non habebant nisi simplicem facti usum, respectu tamen illorum hominum, quibus praedicabant, habebant ipsi tale jus, quod illi homines debebant eis providere de rebus ad simplicem usum eis necessariis. Hoc enim est de jure naturali, & divino. Nec per hoc sequitur, quod habuerint in eis proprietatem, vel Dominium, quia per votum non erant capaces talis Dominii. Inter caetera autem quae videntur esse pro affirmativa propositione sunt potissime illa quae ponuntur XII. q. I. Si Clementis C. dilectissimis, & Patagr. quia tua fraternitas, & Urbani simul nos, & Augustinus non dicatis & extra dominii, & prosperi expedit. & Melchiadis C. futuram. Ad quatuor capita decretorum, quae fundantur super illo verbo *erant eis omnia communia*; Ad quod jam respondimus, quia patet solutio ea praedictis: primo quod plus est illud quod scribitur in C. dilectissimis, magis est ad propositum nostrum quam ad oppositum, ubi dicitur: *Communis vita omnibus est necessaria maxime his, qui irreprehensibiliter militare Deo cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari volunt. Communis enim usus omnium, quæ sunt in hoc mundo omnibus hominibus esse debuit, sed per iniquitatem unus dixit hoc esse suum, & alius istud. Et sic inter mortales facta est divisio.* Et sic ex his arguitur, quando probat, vel declarat, quod communis usus fuit apostolorum, per hoc quod dicit, communis enim usus omnibus esse debuit. Aut per hoc probat, quod apostoli habuerunt aliqua in communi, quo ad usum tantum, & habetur propositum, vel quoad dominium, & tunc non probat, tunc quia communi usu non sequi-

tur

tur dominium. Tum quia si non fuisset pactum sic fuisset communis usus; quod non fuisset commune tale dominium, istud patet etiam per illud quod dicitur ibidem. Sicut inquit non potest dividi aer, nec splendor solis, ita nec reliqua, quae communiter data sunt omnibus ad habendum dividi debere, sed habenda esse communia. Ex quo arguitur sic, per hoc quod aer, & splendor solis sic sunt omnibus communia, & habentur ab omnibus in communi, probat reliqua temporalia debere esse omnibus communia si non fuisset pactum. Sed aer, & solis splendor sic sunt omnibus communia, quod sunt communia solum quantum ad usum communem. Igitur nec temporalia fuerunt apostolis communia, nisi secundum usum, vel quoad usum solum, & non quoad dominium. Unde dicit Glos. aer communis est omnibus quoad usum; his concordat decretum VIII. dis. in princ. Ad illud autem de Augustino dicendum est sicut supra de loculis; habebat enim Dominus loculos pro suis, quoad usum, pro aliis autem quantum ad dispensationem, nusquam tamen quoad dominium. Ad C. autem Prosperi dicendum, quod nihil aliud habetur ex eo nisi, quod Prelati debent contemnere propria, & bona communia ecclesiae fidelibus dispensare, & hoc non obviat supradictis. De C. autem Melchiadis nihil aliud habetur quantum ad Apostolos, nisi quod adepti sunt precia praediorum. Et hoc quidem verum est, non tamen tanquam proprietarii, sed tanquam dispensatores, quod plane innuit littera sequens, quae dicit ad fovendum egentes. Ex his igitur omnibus satis apparet, quod cum opposita propositio affirmativa, scilicet non habeatur evidenter, nec ex sacra Scriptura secundum se accepta, nec ut a Sanctis exposita, nec per determinationem Ecclesiae, nec ex aliquo quod evidenter, & necessario sequatur ex eis, quod ista propositio negativa, scilicet, quod Christus, & Apostoli nihil habuerunt nec in proprio, nec in communi modo quo supra dictum est, nullatenus est haeretica, sed sana, catholica, & fidelis. Ad hanc enim conclusionem sunt auctoritates sacrae Scripturae, & Sanctorum VIII. Math. §. 8. *Vulpes foveas habent, & volucres caeli nidos, &c.* Super quo verbo dicit Hieronymus in persona Christi loquens adolescenti volenti Christum sequi, sic. *Cur me propter divicias, & saeculi lucra sequi cupis, cum sim tantae paupertatis, quod nec hospiciolum habeam, & alieno utar tecto*; hoc idem habetur Luc. x. ubi Chrysostomus: *Aspice, inquit, qualiter paupertatem quam Dominus docuerat per opera demonstrat. Non erat enim mensa, non candelabrum, non domus, nec quicquam aliud talium.* Ex his potest argui, quod aut praedicta verba intelliguntur, quod nihil habuit solum in proprio, sed bene in communi; & tunc diceret falsum, quod non haberet, ubi caput suum reclinaret, quia sic habentes in communi bonum habent, ubi caput suum reclinent: aut intelligitur, quod nec in proprio, nec in communi, ut dominus, sive per modum dominii; & tunc habetur propositum. Unde Chrysostomus signanter ait ibidem. Non dixit Dominus habeo quidem omnia, sed contemno, sed dixit, quam non habeo. Ad haec est etiam Anselmus in Epistola de Sacramentis Ecclesiae, ubi de Christo loquitur, & dicit sic: *Pauper ita fuit, ut veniens in mundum, non in sua, sed aliena nasceretur domo, & natus propter loci inopiam in praesepio brutorum animalium poneretur, & vivens non haberet in mundo ubi caput suum reclinaret, nec moriens unde nuditatem suam tegeret, nec mortuus unde involveretur, nec sepulchrum, nec locum habuit, ubi mortuum corpus ejus collocaretur.* Haec de Christo. De Apostolis vero habetur Math. x. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, &c.* Super quo verbo dicit Chrysostomus, *quod orbi terrarum Doctores missurus erit, propter hoc Angelos eos ex hominibus constituens, ab omni absolvens eos vitae hujus sollicitudine, ut una sola detineantur cura quae est doctrinae.* Et sequitur infra: *Attende qualiter omnibus eos denudans, eis omnia dedit, permittens eos in domibus eorum, qui ab eis docerentur manere, & nihil habentes introire.* Et subdit: *Si enim in aliena patria existentes, & ad alienos abeuntes nihil oportet petere quotidiano cibo excepto, multo magis domi manentes.* Ex praedictis igitur & multis aliis, quae ad praesens causa brevitatis omittimus, vestigiis Sanctorum Patrum, & Doctorum nostri Ordinis inhaerentes, quorum nonnullas vices Beatum Patrem, & Fundatorem nostrae Religionis Beatum Franciscum, Antonium, & novissime diebus istis gloriosum Confessorem, & Pontificem Ludovicum praemissam assertionem nostram, & communem, ac concordem sententiam vita, & doctrina tenentes, atque in ipsa dies suos finaliter consummantes Sedes Apostolica ex eorum vita, & miraculis cathalogo Sanctorum descripsit. Aliquem etiam ex his ad Summum Pontificatus apicem Dominum Nicolaum Papam IV. & plures alios ad Cardinalatus, vel Episcopatus dignitatem, utpote clarae memoriae, Fratres Bonaventuram, Ventebegnam, Matheum de Aquasparta, Jacobum de Anania, Gentilem de Monteflori, Joannem de Muro, Joannem de Pethano Archiepiscopum Cantuariensem: Et actualiter nunc viventes Dominos Vitalem Episcopum Albanensem, & Bertrandum tituli Sancti Vitalis presbyterum Cardinalem, nec non plurium aliorum Doctorum insignium, maxime Lincomensis quondam, & Henrici de Gadano nobiscum sapientiam in hac parte. Dicimus, & fatemur quod asserere, quod Christus, & Apostoli modo superius expresso nihil habuerunt in proprio, vel in communi non est haereticum, sed sanum, catholicum, & fidele. In cujus rei testimonium praesentem seriem sigillis, & subscriptionibus nostris propria manu factis duximus muniendam. Datum Perusii Anno, Die, mense superius memoratis.

Supradictam diffinitionem, & determinationem Generalis Capituli, Magistrorum, & Bacallariorum, non solum dicti magistri, & Bacallarii in dicto Capitulo Generali existentes approbaverunt, sed omnes Magistri, & Bacallarii de ordine in Sacra Pagina numero XLI. Parisiis, & in Anglia commorantes hoc idem approbaverunt. Et de hoc fecerunt ejusdem generis patentes Litteras, eorum sigillis & subscriptionibus roboratas.

Qua determinatione, & diffinitione dicti Capituli generalis audita, & intellecta praedictus Dominus Joannes Papa volens jam determinationem praefati Domini Nicolai Papae III. quam diffinitionem dicti Generalis Capituli improbare. Primo quandam Constitutionem improbativam edidit, & publice promulgavit, & ostiis Majoris Ecclesiae Avinionis affigi, seu appendi fecit, formam hujusmodi continentem.

„ Joannes Episcopus &c. Ad perpetuam rei memoriam. Ad conditorem Canonum non est dubium pertinere, cum statuta a se, vel a suis praedecessoribus edita obesse percipit potius quam prodesse, ne ulterius obesse valeant providere. Dudum siquidem fel. rec. Nicolaus Papa III. praedecessor noster attente prospiciens in almi Confessoris Beati videlicet Francisci regula contineri, quod nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem aliam sui ordinis professores, ac considerans diligenter, quod per piae recordationis Gregorium IX. & alios nonnullos praedecessores ejusdem fuerat declaratum, hoc debere servari tam in speciali, quam etiam in communi: Necnon considerans & attendens non-

,, nullos Fratribus ipsis detrahere: Imponentes eisdem quod regulam, & declarationes hujusmodi non servabant: Hic quoque considerans ora contra praemissos fratres oblatrantium claudere, ac professorum ipsorum conscientiis providere, inter alia ordinavit & sanxit; quod omnium utensilium, & librorum, rerumque mobilium praesentium, & etiam futurorum, Ecclesiarum quoque, & oratoriorum, ac cunctorum tam praesentium quam futurorum, necnon & aliorum emptorum de eleemosinis diversis, & oblatorum, seu concessorum dictis Fratribus, in quibus tamen conferentes, seu concedentes ipsi nihil in ipsis sibi ducerent reservandum, proprietas, ac dominium plene, & libere ad se, & Romanam Ecclesiam pertineret, ipsa in se, & antedictam Ecclesiam recipiens, usum facti dumtaxat in rebus, & bonis hujusmodi dictis Fratribus reservato: & quia nonnunquam libros, & alia mobilia supradicta vendi expedit, seu etiam commutari, Fratribus ipsis in eadem ordinatione concessit, ut res ipsas cum rebus aliis quarum usum habere licet ipsis Fratribus dummodo Generalis, & Provincialium ministrorum conjunctim, vel divisim auctoritas intercedat, possent libere commutare. Sed quia Fratribus ipsis pecuniam per se, vel per alium recipere ipsorum regula districtius interdicit; voluit & concessit, quod si vendi contingeret res mobiles antedictas pretio extimato, quod hujusmodi pretium per procuratorem deberet recipi a praefata Sede, vel Cardinalis Gubernatoris ejusdem ordinis auctoritate gubernandum, deputandum per procuratorem eundem in rem licitam aliam, cujus usus ejusdem ordinis Fratribus esset permissus expendendum; hoc adiecto quod possent de vilibus rebus mobilibus, & parum valentibus Fratres ipsi, pietatis, seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa, obtenta tamen super hoc Superiorum suorum licentia, intra, & extra dictum ordinem ordinare. Quanquam autem a Praedecessore nostro pia consideratione haec fuerint ordinata, ipsa tamen hactenus profuisse dictis Fratribus non percepimus, sed potius ipsis, & aliis multipliciter obfuisse. Ipsis quidem prodesse ad statum perfectionis nequaquam potuit reservatio supradicta. Cum enim perfectio vitae Christianae principaliter, & essentialiter in Charitate consistat, quae ab Apostolo vinculum perfectionis dicitur, & quae unit, seu jungit aliqualiter hominem suo fini, ad quam per contemptum bonorum temporalium, & ipsorum expropriationem via disponitur; per hoc praecipue, quod sollicitudo quam ipsa temporalia in acquirendo, conservando, & administrando exigunt, quae plerumque ab actu Charitatis retrahit, amputatur. Restat quod si sollicitudo eadem post expropriationem hujusmodi, quae ante ipsam inerat perseveret ad perfectionem hujusmodi talis expropriatio nil conferret. Constat autem quod fratres dicti Ordinis post factam retentionem dicti dominii non minus, sed satis amplius quam ante ipsam in acquirendis bonis ipsis, ac conservandis tam in Judicio quam extra fuerunt solliciti, quam sint Religiosi alii mendicantes solliciti, habentes aliqua in communi, prout haec nota magistra rerum experientia cunctis recte considerantibus evidentius manifestat: quod retentio Dominii supradicta Fratribus ipsis obfuerit patet ex subsequentibus evidenter. Occasione siquidem retentionis ejusdem Fratres ipsi de paupertate altissima coeperunt inaniter gloriari, quam sibi prae cunctis aliis mendicantibus ex eo praecipue vendicant, imprudenter quod in his quae obtinent nihil ad se proprietatis, vel dominii, sed solum nudum usum facti asserunt pertinere. Profecto si rem plus quam verba vellent attendere, & veritati acquiescere, ut deberent, attento ipsorum utendi modo, & Ecclesiae Romanae placita circa illum, totum contrarium affirmarent, videlicet non relictum eis usum, sed retentum Ecclesiae Romanae dominium esse nudum. Quis enim nudum usuarium poterit dicere, cui rem usuariam licet vendere, permutare, ac donare: procul dubio haec naturam usus excedunt; nec ad usuarium, sed ad dominium potius pertinere: haec evidenter arguunt talem usuarium minime fore nudum; quae quidem de rebus nonnullis mobilibus Fratres ipsi faciunt asserentes sibi per ordinationem hujusmodi hoc concessum. Quod autem non sint nudi usuarii in rebus, quae usu consumuntur evidentius declaratur. In quibus dicere quod usus juris, vel facti a dominio separatus possit constitui, juri repugnet, & etiam rationi. Nec praedecessoris nostri praedicti fuisse videtur intentio Romanae Ecclesiae talium bonorum dominium reservare. Quis enim sanae mentis credere potest, quod intentio fuit tanti ponderis, unius ovi, unius casei, aut unius panis, aut frusti, quae saepe ipsis fratribus conferuntur, dominium Romanae Ecclesiae retinere. Aut si ejus fuit intentio, quis defendere potest quod non realis fuerit talis retentio dominii, sed verbalis? quam quoque non vera sed ficta potius censenda. Adhuc esto quod usus in talibus rebus possit constitui, nudus tamen nullatenus possit dici, cum usus rei consumptibilis usuarii non differat ab usu plenum dominium obtinentis, quod patet quia usus cujuslibet rem totaliter consumit. Constat autem usum habentis plenum dominium minime fore nudum. Ex quo consequi videtur, quod eorum usus nudus minime sit censendus; dominium autem Romanae Ecclesiae reservatum, ex eo videri potest nudum verbale, & mathematicum, quod ex illo nullum hactenus eidem obvenit commodum, nec speratur quod obvenire debeat in futurum. Cum nec intentio reservantis, nec fratrum ipsorum fuit, quod in cujusque alterius quam fratrum compendium cederent res praedictae. Constat autem quod tale dominium, nec habentem ditiorem instituit, nec pauperiorem efficit non habentem. Ex quibus liquet evidenter, quod imprudenter propter retentionem praedictam prae aliis mendicantibus sibi vendicant altissimam paupertatem. Nocuit insuper dictis fratribus retentio praedicta, cum ejus occasione inter fratres ipsius ordinis periculosa suborta fuerint scismata, & dispendiosa pericula subsecuta, quibus hactenus dari finis non potuit, nec speratur quod ad illum ipsa durante valeat perveniri. Rursus necdum fratribus ipsis dicta reservatio obfuit, sed etiam honori Sacrosanctae Romanae Ecclesiae non leviter detrahit, & detraxit. Nunquam non praefatae Ecclesiae derogatur honori, nunc in foro Saeculari, nunc in foro Ecclesiastico; interdum quoque coram pedaneis Judicibus, & plerumque pro rebus parvis & vilibus litigare? Haec tamen occasione ordinationis praedictae fieri cernimus, cum eorum quae dantur, offeruntur, vel alias acquiruntur dictis fratribus, nisi dantes, vel offerentes sibi dominium reservaverunt, sit dominium dictae Ecclesiae Romanae reservatum; propter quod per Procuratores constitutos a Ministris dicti Ordinis nomine Sanctae Romanae Ecclesiae agendo, vel defendendo causae omnes contingentes dictum Ordinem agitantur; Et quod gravius est censendum, Procuratores praedicti multos vexare dicuntur indebite, & in suis juribus multipliciter perturbare. Quae omnia noscuntur in notam, & injuriam dictae Ecclesiae redundare. Adhuc ordinatio praedicta Ecclesiarum Praelatis, & Rectoribus, & multis aliis gravis existere omnium, & molesta monstratur. Nunquam non grave praemissis potest existere, quod ipsos oporteat se Romanae Ecclesiae quae ipsorum domina noscitur, & magistra, ac cum ea agendo, vel defendendo litigare assidue, vel cedere juri suo. Haec tamen oportet facere, cum in multis dicti fratres prae-

,, dictis

„ dictis existere dicantur injurii sicut clamosa multorum Praelatorum, & Rectorum diversarum Provinciarum adhuc in Curia existentium habet insinuatio, qui facta sua palliare nituntur, & defendere per Procuratores ab ipsis dictae Sanctae Romanae Ecclesiae constitutos nomine. Nos itaque praemissis in Consistorio rectae considerationis adductis, multorumque clamoribus excitati, volentes tantis malis occurrere, ac conscientiis, & statui dictorum fratrum, nec non & honori dictae Ecclesiae Romanae, Praelatorumque, & Rectorum, & aliorum indemnitatibus providere; de fratrum nostrorum consilio Sacrosanctam Romanam Ecclesiam tam inutili, tamque periculoso dominio carere potius, quam ipsam habere volentes, hoc edicto in perpetuum valituro censemus, quod in bonis praedictis quae in posterum conferentur, vel offerentur, vel quomodolibet alias obvenire contigerit, fratribus, seu Ordini praedictis non plus juris in illis Apostolica Sedes habeat; nec in ipsis, seu pro ipsis dominium, seu jus aliquod acquiratur, quod quomodo habeat sibi quoque acquiratur in bonis, vel pro bonis, quae fratribus aliorum mendicantium ordinum quomodolibet acquiruntur. Ac insuper statuentes quod pro bonis praedictis recipiendis, petendis, exigendis, defendendis, seu administrandis, nullus quoque Procurator constituatur amodo nomine Summi Pontificis, vel praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae, nisi de ipsius licentia speciali, & mandato. Revocamus quoque quoscumque a quibuscumque taliter constitutos, decernentes irritum, & inane, si secus a quocumque fuit attentatum. Non obstantibus quibuscumque Privilegiis a fel. rec. Mattino Papa, vel aliis praedecessoribus nostris, eisdem fratribus, vel Ordini sub quacumque forma verborum, seu expressione concessis. Per haec autem non intendimus, nec regulae dicti Ordinis, nec privilegiis fratribus ipsis, seu eorum Ordini ab Apostolica Sede concessis, nisi quo ad praemissa, & praemissa tangentia in aliquo derogare, quin imo ea volumus in suo robore permanere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc &c. Datum Avinionis VI. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno VII. Anno Domini 1322.

Prædicta constitutione sub dicta forma brevi edita, & solemniter promulgata Frater Bonagratia de Pargamo Procurator ad hoc specialiter constitutus, sentiens se dicto nomine, & dictum Ordinem ex praedicta constitutione, & contentis in ea provocari, appellavit, & protestatus fuit sub forma quae infra sequitur.

## FORMA APPELLATIONIS

*Per Procuratorem ordinis interposita.*

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Anno a Nativitate Domini millesimo CCC. XXIII. Indictione VI. Die XIIII. Mensis Januarii in Civitate Avinioms in Palatio SS. in Christo Patris, & Domini nostri Domini Joannis divina providentia Papae XXII. in Consistorio Cardinalium more solito congregato, & convocato; ibi Frater Bonagratia de Pargamo Procurator, & Procuratorio nomine Ordinis Fratrum minorum in praesentia praefati Domini Papae & Collegii Dominorum Cardinalium ibidem ad consistorium congregatorum personaliter constitutus, publice dedit, porrexit, & præsentavit praefato Domino Papae, sive Domino Bertrando de monte Favento Cardinali, ibi praesenti, & de mandato ipsius Domini Papae recipienti infrascriptum Libellum provocationis, & appellationis, sive supplicationis; cujus Libelli tenor talis est. Vestrae significat Sanctitati Frater Bonagratia Procurator Ordinis Fratrum minorum ad hoc specialiter constitutus, quod orta olim circa initium Institutionis, & approbationis Ordinis Beati Francisci materia quaestionis super verbis, & intellectu regulæ ipsius Sancti, in quibus dicitur. „ *Regula, & vita Fratrum minorum hac est, scilicet Domini nostri Jesu Christi Sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate;* Et infra, *fratres nihil habeant, seu sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem &c.* „ Et ipsa quaestione ad examen primo Sanctae memoriae Domini Gregorii IX. Juris divini, & Canonici, & civilis multum periti deducta, ipse Sanctissimus Pater post multam, & longam deliberationem, & examinationem ipsam quæstionem diffinivit in hæc verba. *Cum ex longa familiaritate, quam idem Confessor nobiscum habuit plenius noverimus intentionem ejus, & in condendo prædictam regulam, & obtinendo ipsius confirmationem per Sedem Apostolicam sibi astiterimus, dum adhuc essemus in minori officio constituti:* Et infra: *Dicimus itaque quod nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere, sed utensilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere ordo usum habeat: & Fratres secundum quod Generalis Minister, & Provinciales disponendum duxerint, his utantur salvo locorum, & Domorum dominio illis ad quos noscitur pertinere: Nec vendi debeant mobilia, vel extra commutari, aut aliquo modo alienari, nisi Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui fuerit Ordinis Procurator, Generali, seu Provincialibus ministris auctoritatem super hoc præbuerit, vel assensum.* „ Hæc verba diffinitionis Apostolicæ Sedis non regulam ampliantis, seu circa eam aliquid novi statuentis, sed intentionem conditoris, & verba ipsius regulae exponentis, seu declarantis, felicis quoque recordationis Domini Innocentius Quartus, & Alexander IV. Romani Pontifices diversis temporibus successive, dictis verbis regulae cum exacta diligentia recensitis, & in rectæ considerationis judicium deductis, verba dictae regulae & ipsorum rectam intentionem declarando in duabus ipsorum Pontificum declarationibus, sic dicunt; *Dicimus quod cum in ipsa regula contineatur expresse, quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, nec in communi, nec in speciali, debeant proprietatem habere, sed locorum, domorum, librorum, ac utensilium eorum, & eorum mobilium, quæ licet habere ordo usum habeat, & Fratres secundum quod Generalis minister, vel Provinciales dispensandum duxerint, his utantur: Nec vendi debent loca, domus, vel mobilia hujusmodi, seu extra ordinem commutari, aut alienari, quoquo modo a quibuscumque Personis ad usum Fratrum donata, vendita, vel permutata, seu quocumque modo juste concessa, vel translata sint, vel fuerint, nisi Apostolica Sedes, vel Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui pro tempore fuerit Ordinis Gubernator, Generali, seu Provincialibus Ministris authoritatem super hoc præbuerit, vel assensum. Cum tam mobilium, quam immobilium jus, proprietas, & dominium, illis solis exceptis, in quibus expresse donatores, seu translatores sibi proprietatem, & Dominium reservasse constiterit, nullo medio ad Ecclesiam ipsam spectent.* „ Non solum autem praedicti Romani Pontifices, sed plures alii Prædecessores fel. rec. Domini Nicolaus III. & maxime Domini Clemens Quartus, & Gregorius X. in suis litteris, & rescriptis expresse dicunt, quod fratres dicti Ordinis ex professione dictae regulae nec in communi, nec in speciali proprietatem cujuscumque rei habere valent; sed ubi donatores vel collatores quorumcumque bonorum sibi non reservaverint dominium, donata, vel collata eidem ordini ad Romanam Ecclesiam immediate pertinent. Et alibi dicit praedictus Dominus Gregorius X. *Ordo Fratrum*

*trum*

*trum minorum humilitati deditus paupertatis, & rem, & nomen abieeit proprietatis, & quicquid ei obvenire dignoscitur, ipso facto in nostrum, & Romanæ Ecclesiæ dominium transire perhibetur. Quando ergo in locis, quæ ad prosecutionem divini cultus inhabitant occupationes injuriam patiuntur, nobis, & eidem Ecclesiæ Romanæ injuria hujusmodi specialiter irrogatur*. Idem etiam Gregorius X. in
„ Lugdunensi Concilio Sacro approbante Concilio
„ hujusmodi statum, & ordinem ex evidenti utilitate,
„ quae ex ipso universali Ecclesiae proveniebat com-
„ probavit. Insuper praedicti Romani Pontifices ante
„ dictum Dominum Nicolaum III. determinaverunt
„ pluries; & frequenter dictam expropriationem in spe-
„ ciali, & in communi fore altissimam, & fratres præ-
„ dictos in hujusmod altissima paupertate Christum
„ pauperem imitari, & nudos nudum Christum sequi,
„ & eos extremam paupertatem pro Christi nomi-
„ ne pati. Et alibi almus Christi Confessor Beatus
„ Franciscus divina inspiratione calligantis praesentis
„ ætatis tempora fulgoris sui lampade illustravit,
„ viam perfectæ justitiæ præparans in eremo pau-
„ pertatis altissimæ. Et alibi professores dictæ re-
„ gulæ in hujusmodi altissima paupertate perfectio-
„ nem Evangelicam amplexando non solum in sta-
„ tu salvandorum, sed etiam perfectorum existunt,
„ & per suæ religionis observantiam, quæ ipsius e-
„ vangelicæ perfectionis tenet formam in æternæ re-
„ tributionis præmio præcellentem gloriam promeren-
„ tur. Et libellum quorundam magistrorum asseren-
„ tium dictam paupertatem, & vitam non esse pau-
„ pertatem Evangelicam & apostolicam, similiter da-
„ mnaverunt per literas apostolicas districtius inhi-
„ bentes, ne quisquam præmissa, vel aliquod præ-
„ missorum pertinaciter astruere, vel quomodolibet
„ defensare praesumat: Statuentes quod quicumque
„ id praesumpserit attentare tanquam contumax, &
„ Ecclesiae Romanae rebellis ab omnibus Fidelibus
„ habeatur, prout haec, & plura alia circa haec in de-
„ terminationibus, & litteris Apostolicis plenius con-
„ tinentur. Ex quibus liquide patet, quod praefatus
„ Dominus Nicolaus III. in Decretali, quae inci-
„ pit „ *Exiit qui seminat*, „ declarando res, qui-
„ bus dictae regulae professores utuntur, & uti pos-
„ sunt, ad se, & Romanam Ecclesiam pertinere,
„ rem non novam, nec insolitam est aggressus, sed
„ ab antiquis, & pluribus Romanis Pontificibus prae-
„ decessoribus suis veritati, & vitae Evangelicae, &
„ Apostolicae, & sanctorum Doctorum, & Patrum,
„ ipsius Ecclesiae auctoritatibus, & rationibus neces-
„ sariis, divinisque testimoniis, quae credibilia facta
„ sunt nimis firmiter inhaerentibus, provide, & sa-
„ lubriter declaratam, & diffinitam. Nec per hoc
„ aliquod novum jus statuit, sed quod erat detexit,
„ & in publicam notionem deduxit. Nam de jure
„ divino res omnes quae offeruntur, dantur, seu
„ conceduntur pro animarum salute pauperibus prae-
„ sertim dominii non capacibus, utpote, qui se, &
„ omnia sua ex eorum professione obtulerunt Deo
„ in holocaustum medullatum per contemptum o-
„ mnium mundanorum, Deo dantur, & sunt obla-
„ tae, & consecratae, ut habetur Levitic. c. ult.
„ circa finem. Ipsae quoque res sunt Dei, & Cor-
„ poris mystici, scilicet Ecclesiae XII. q. II. C. qui
„ Christi, & C. nulli liceat, & C. praedia, & C. qui
„ abstulerit, & q. III. C. Pontifices: Et plane no-
„ viter per Innocentium, & Hostien. Extra de Cau.
„ poss. & propriet. C. cum super electione; Et ad
„ hoc etiam facit, quod lex civilis dicit, Res Sa-
„ cras, & religiosas in nullius hominis fore domi-
„ nio, sed Dei. Institut. de re divisi. §. in nullius in
„ Tex. & Glos. & XIV. q. I. C. Episcopus. Et
„ Sancta Romana, & universalis Ecclesia omnium
„ Fidelium est illud Corpus mysticum Christi VII.
„ q. I. C. Novacianus, & de Consecratione di. I.
„ C. Ecclesia. Et habetur, & noviter extra de Sa-
„ cram. unction. C. uno ante medium in Sex. ibi,
„ qui secundum Apostolum caput est Ecclesiae, quae

„ est Corpus Christi ipsius. Et Glos. Hostien. cu-
„ jus Ecclesiae fidelium omnium de Jure Divino
„ omnia sunt, ut habetur XXIII. q. VII. C. I. &
„ Prima ad Corinth. III. C. omnia vestra sunt, &
„ XXIII. q. VII. C quod autem. Cujus etiam
„ Ecclesiae Principatus est a Jure Divino, quia Chri-
„ stus totam suam Ecclesiam commisit Petro, &
„ successoribus ejus Romanis Pontificibus per illud
„ verbum Joannis ult. *Pasce oves meas*, & proba-
„ tur XXI. di. c. quamvis, & XXII. di. c. om-
„ nes. Et tali communitati, quae emanat a jure Di-
„ vino XII. q. I. dilectissimis, non est licitum re-
„ nunciare: communitati autem quae emanat a jure
„ humano, per quod unum collegium habet posses-
„ siones, & dominia rerum, & jura distincta a do-
„ miniis, possessionibus, & juribus aliorum collegio-
„ rum, sive communitatum singularium VII. di. C.
„ quo jure, licite, & meritorie renunciari potest pro-
„ pter Deum. Nam sicut una singularis persona po-
„ test a se meritorie, & sancte omne dominium
„ abdicare, juxta consilium Christi dicentis, vade,
„ & vende omnia quae habes, & da pauperibus &c.
„ Sic & unum collegium religiosorum, quod vicem
„ tenet unius personae ff. de fidejussor. l. mortuo.
„ Et in Esdra. Congregatus est Populus, quasi vir
„ unus potest licite, & meritorie renunciare, quod
„ non habeat aliquod distinctum dominium a com-
„ munitate fidelium. Quam abdicationem proprieta-
„ tis omnium rerum Christus, & Apostoli viam per-
„ fectionis ostendentes verbo docuerunt. & exem-
„ plo firmaverunt, sicut sancta Romana Ecclesia
„ determinat, & diffinit. Ex quibus manifeste patet,
„ quod proprietas, & dominium omnium rerum, quæ
„ propter Deum dantur, offeruntur, seu conceduntur
„ tur in speciali, vel in communi Fratribus Mino-
„ ribus, qui ex eorum professione, & regula a se
„ in speciali, & ab ipsorum collegio in communi
„ proprietatem omnium rerum abdicarunt, & in com-
„ munitate Sanctae Romanae Ecclesiae remanserunt,
„ ac ex eorum professione, & regula pedibus ipsius
„ Sanctae Romanae Ecclesiae sunt subjecti. Et per
„ ipsam Sanctam Romanam Ecclesiam in spiritua-
„ les filios sunt recepti, quasi filii parvuli in pote-
„ state patris totaliter constituti, ipso facto, & jure
„ in dominium communitatis Sanctae Romanae Ec-
„ clesiae, & universalis Ecclesiae transferatur. Et si-
„ cut quod datur monacho, qualiscumque sit dan-
„ tis intentio, non transit in ipsius dominium, sed
„ ipso jure, & facto transit in monasterium, &
„ subjacet dispositioni abbatis, etiamsi dans nihil
„ cogitet de Collegio. Sic quicquid offertur,
„ conceditur, vel donatur fratribus dicti ordinis in
„ singulari, vel eorum ordini in communi, ipso
„ jure, & facto transit in dominium Romanae, &
„ Universalis Ecclesiae omnium fidelium, prout
„ etiam praefatus Dominus Gregorius X. in supra-
„ dicto suo rescripto apostolico protestatur. De qui-
„ bus rebus summus Pontifex tanquam universalis
„ dispensator, & administrator rerum omnium, quae
„ Deo, sive propter Deum sunt oblata, praecepto
„ divino tenetur prout expedit ipsis pauperibus pro-
„ videre. LXXXVII. d. C. desolatis, & XII. q. I.
„ C. videntes; unde cum ea, quae a jure Divino
„ sunt, debeant semper firma, atque immutabilia
„ permanere V. di. §. his ita respondetur: Non
„ decet Papam hujusmodi dominium a se, & Ec-
„ clesia quomodolibet abdicare XII. q. II. C. non li-
„ ceat Papae & XXIII. q. IIII. C. Si his qui Prae-
„ latus cum. Et sicut Christus Joan. VI. dicit,
„ eum qui venit ad me non eiciam foras, sic &
„ ejus Vicarium decet dicere, Sanctum Franciscum
„ & professores suae regulae, qui venerunt ad me,
„ & se, & omnia sibi concessa, vel concedenda
„ meae, & Ecclesiae, cui praesum totaliter subje-
„ cerunt, non eiciam foras. Quae, & alia plura
„ praefatus Dominus Nicolaus III. provide, & pru-
„ denter attendens congregata multitudine magistro-
„ rum in sacra pagina, & juris utriusque praecel-
„ len-

„ lentium Doctorum, qui tunc erant in Romana
„ Curia: Et longa, ac diligenti examinatione præ-
„ habita dictorum Praedecessorum vestigiis inhaeren-
„ do, signanter declarando, & non novum jus sta-
„ tuendo, sed quod erat detegendo, sic dicit. *Nos*
*de pia ipsius Confessoris intentione & his quae regu-*
*lam ipsam, & eius observantiam contingunt informa-*
*ti, tam ea quae per praedecessores nostros approbata,*
*& declarata esse noscuntur, quam ipsam regulam,*
*& eam contingentia maturitate plena discussimus,*
*nonnulla in praesenti serie declaravimus, certius ap-*
*probavimus, & approbata confirmavimus*, & infra.
*Ad haec cum fratres ipsi nihil sibi in speciali acqui-*
*rere, vel eorum ordini possint etiam in communi;*
*& cum aliquod propter Deum ipsis offertur, conce-*
*ditur, vel donatur, si secus non exprimat, conce-*
*dentis, offerentis, vel donantis verisimiliter inten-*
*tio fuisse credatur, ut rem hujusmodi oblatam, con-*
*cessam, vel donatam perfecte concedat, donet, vel*
*offerat, a se abdicet, ac in alios transferre cupiat*
*propter Deum. Nec sit persona in quam loco Dei*
*congruentius hujusmodi rei dominium transferatur,*
*quam sedes praefata, vel persona Romani Pontifi-*
*cis Christi Vicarii, qui Pater est omnium, & Fra-*
*trum minorum nihilominus specialis, ne talium re-*
*rum sub incerto videatur esse dominium, cum Pa-*
*tri filius suo modo, & servus Domino, & mona-*
*chus monasterio res sibi oblatas, concessas, vel do-*
*natae acquirant omnium utensilium, & librorum,*
*ac rerum mobilium praesentium, & futurorum, quae,*
*& quorum usum facti ordini, vel Fratribus ipsis li-*
*cet habere, proprietatem, & dominium, quod etiam*
*felic. recordat. Innocentius Papa IV. praedecessor*
*noster fecisse dignoscitur in nos, & Romanam Ec-*
*clesiam apostolica authoritate recipimus; & ad nos,*
*& ipsam Ecclesiam plene, ac libere hac praesenti*
*constitutione in perpetuum valitura sancimus*.„ Et
„ alibi in eadem Decretali dicit; „ *non autem ta-*
*lem abdicationem proprietatis omnimoda renuncia-*
*tionem usus rerum cuiquam videatur inducere. Nam*
*cum in rebus temporalibus sit considerare principium,*
*proprietatem, possessionem, usumfructum, jus uten-*
*di, & simplicem facti usum, & ultimo tanquam*
*necessario egeat, licet primis carere possit vita mor-*
*talium, nulla prorsus potest esse professio, quae a*
*se usum necessariae substentationis excludat. Verum*
*condecens fuit ei professioni quae sponte devovit Chri-*
*stum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium*
*abdicare dominium, & rerum sibi concessarum ne-*
*cessario usu fore contentam. Nec per hoc quod pro-*
*prietatem usus, & cujuslibet rei dominium a se ab-*
*dicasse videtur, simplici usui omnis rei renunciatum*
*esse convincitur. Qui nunquam usque non juris, sed*
*facti tantummodo nomen habens, quod facti est ta-*
*men in utendo pluribus utentibus nihil juris; quin-*
*imo necessariarum rerum tam ad vitae sustenta-*
*tionem, quam ad officiorum, seu status executionem*
*moderatus usus secundum eorumdem regulam, &*
*veritatem omnimodam fratribus est concessus. Nec*
*his obviare dignoscitur, quod Civilis providentia*
*in humanis rebus humane constituit non posse usum,*
*vel usum fructum a dominio perpetuo separari. Quae*
*ne dominium dominis semper abscedente usu redde-*
*retur inutile temporalem utilitatem tantum in con-*
*stituendo prospiciens ista decrevit. Retentio nam-*
*que dominii talium rerum cum concessione usus*
*facti pauperibus non est infructuosa domino, cum*
*sit meritoria ad aeterna, & professioni paupe-*
*rum opportuna, quae tanto censetur utilior, quan-*
*to commutat temporalia pro aeternis*. „ Haec ibi.
„ Ex quibus declarationis praedictae verbis tria ma-
„ nifestissime concluduntur. Primum, videlicet,
„ quod Romanus Pontifex prædicta dicendo, non
„ novum jus statuit, sed quod erat veritatis, &
„ juris declarando detexit; Cum enim dicat, quod
„ illud quod conceditur, affertur, vel donatur fra-
„ tribus propter Deum in persona sedis apostolicae,
„ sive vicarii Christi, qui Pater est omnium, &
„ Fratrum Minorum nihilominus specialis loco Dei
„ transfertur, patet, quod hæc translatio non fit in
„ eum tanquam in hominem, sed in eum vice Dei:
„ Et per consequens quod hujusmodi dominium
„ rerum Dei est, & Ecclesiae ejus Romanae Uni-
„ versalis, & non hominis. Et cum dicat sicut fi-
„ lius Patri, & servus Domino, & monachus mo-
„ nasterio acquirant, sic Frater minor Ecclesiae,
„ sive Christi vicario acquirit. Et de jure constet,
„ quod illud quod relinquitur filio familias ipso fa-
„ cto in Patrem, & quod servo ipso facto in Do-
„ minum, & quod monacho ipso facto in mona-
„ sterium transferatur: Sequitur quod illud, quod
„ relinquitur fratribus minoribus ipso facto in Do-
„ minium immediatum Ecclesiae Romanae, & Vi-
„ carii Christi loco Dei transfertur. Et Gregorius X.
„ per longa tempora ante dictum Dominum Ni-
„ colaum notabiliter dixerat in suo rescripto. Quic-
„ quid obvenire Ordini dignoscitur, ipso facto in
„ nostrum, & Sanctae Romanae Ecclesiae Domi-
„ nium transire perhibetur. Cujus rescripti verba sunt
„ superius enarrata. Patet etiam ex eo, quod idem
„ Dominus Nicolaus in decretali *Exiit*, approbat,
„ & confirmat ea quae in praedictis fuerunt a suis
„ praedecessoribus declarata. Confirmatio autem est
„ juris prius habiti corroboratio. Sic enim descri-
„ bitur extra de fi. minist. C. inter dilectos §. Ce-
„ terum. Et qui confirmat, proprie nihil novum fa-
„ cit, sed quod factum est corroborat. ff. de jurisd.
„ omn. Judic. L. & quia; Imo de novo dare, &
„ confirmare sunt contraria, extra de praescript.
„ C. vehementes §. nec obstare. Unde in idem sub-
„ jectum cadere non possunt, extra de Bapt. & ejus
„ effect. C. majores §. sed adhuc ibi, tanquam im-
„ possibilia se non patiuntur. Quod si in privilegiis,
„ vel constitutione invenitur, damus, & confirma-
„ mus. Necesse est quod diversa recipiam, ut in
„ C. inter dilectos §. Caeterum; veluti quod dari
„ referatur ad actum extrinsecum, quo res, quae
„ est de jure alicujus sibi datur de facto, & con-
„ firmari ad jus, sicut & electio, quae est irrita
„ de jure dicitur per sententiam irritari extra de elect.
„ C. auditis in fin. Sicut in Text., & Glos. Ho-
„ stien. ibi posita notatur, vel exponitur, damus
„ idest datum ostendimus XXIII. q. V. §. hic no-
„ tandum: Quamvis enim qui declarat, proprie non
„ dicatur aliquid novi facere, sed factum ostendere
„ ff. de Testa. l. haeredes palam; tamen opinione,
„ & credulitate hominum, & apparentia exteriori
„ dicitur facere. VII. Matth. XIIII dicitur, quod
„ quando filia Herodis dixit, da mihi in disco ca-
„ put Joannis Baptistae, contristatus est Rex, & paulo
„ ante promiserat, quod volebat eum occidere, &
„ occidisset, nisi populum timuisset, sed contrista-
„ tum dixit, quia quantum ad exteriorem apparen-
„ tiam & opinionem hominum visus est contristatus.
„ Ad hoc etiam facit, quod secundum Augustinum
„ regula valde frequens est in Scripturis, quod di-
„ citur aliquid incipere fieri, quando incipit innote-
„ scere juxta quod Matth. ult. dicitur. Data est
„ mihi omnis potestas in Caelo, & in Terra. Et
„ illud ad Philip. 2º., propter quod, & Deus exal-
„ tavit illum, & donavit illi nomen, quod est su-
„ per omne nomen. Non enim tunc de novo de-
„ dit Pater omnipotentiam filio, & nomen divini-
„ tatis, sed ita dictum est, quia tunc post resurre-
„ ctionem suam incepit magis innotescere homini-
„ bus esse datam. Sic etiam in multis aliis exem-
„ plis in quibus illud, quod est secundum apparen-
„ tiam dicitur quasi fieri jure. Unde qui de facto
„ contraxit matrimonium, quod de jure non te-
„ nuit, dicitur uxorem accepisse, attenta hominum
„ opinione, & apparentia exteriori extra de biga. C.
„ nuper. Quae opinio interdum veritati praefertur,
„ ut ibi notatur: sic & e converso illud quod non
„ apparebit hominibus non dicitur esse, quamvis in
„ veritate sit. ff. de contrahen. emp. l. in lege. Ex
„ quibus in proposito concluditur, quod illud, quod
„ in

in praedicta declaratione *Exiit* dicitur, videlicet ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium, proprietatem in nos, & in Romanam Ecclesiam apostolica authoritate recipimus. Quod etiam fel. rec. Dominus Innocentius Papa IV. praedecessor noster fecisse dignoscitur, refertur solum quoad illud, quod exterius in opinione hominum, & credulitate eorum prima facie videbatur, scilicet, quia dominium, & proprietas non erat Fratrum in speciali, nec in communi: Ergo sub incerto videbatur, quamvis in veritate non esset; unde, & signanter dixit, ne videatur, quasi dicat, quod videtur hominibus ignaris divini juris, & dictae professionis, & declarationis a nostris praedecessoribus editarum, quod proprietas, & dominium ipsarum rerum sit sub incerto. Ideo illud in nos, & Romanam Ecclesiam recipimus, quamvis in veritate sit Ecclesiae Romanae, quod bene patet cum dicit, quod etiam felic. rec. Innocentius Papa IV. fecisse dignoscitur: Et postea subjungit. Et ad nos, & ipsam Romanam Ecclesiam plene & libere pertinere sancimus. Si enim jam erat a suo praedecessore receptum tale dominium, cur superflue iterum recipiebat, cum libertati semel praestitae secundam manumissionem nihil addere, vel detrahere manifestissimum juris sit. C. de indigenda libertate, & apud concilium, manumissione l. r. nisi quia hujusmodi veritas non innotescebat hominibus, voluit eam per solemnem decretalem in corpore Juris ponendam, & in scholiis legendam innotescere. Et sic ut dictum est recepisse dicitur, ex quo innotescere caepit. Quamvis in veritate hujusmodi proprietas, & dominium semper ad Romanam, & universalem omnium fidelium Ecclesiam pertineant, ut supra probatum est. Secundo autem concluditur ex verbis tam ex mente memoratae declarationis dicti Domini Nicolai, & praedictorum aliorum Summorum Pontificum declarationibus, quod ex jure, & ratione, quod dicti fratres in speciali, aut in communi non habent, nec habere possunt ex eorum professione proprietatem, seu dominium in aliquibus rebus cujuscomque conditionis existant, sive sint res, quae usu consumuntur, sive aliae res, quae non consumuntur usu, sed in omnibus rebus hujusmodi habent tantum simplicem usum facti; & quod dominium, & proprietas etiam illarum rerum, quae usu consumuntur, quarum usum facti habent dicti fratres, quomodocumque etiam minimarum acquiritur dictae Romanae Ecclesiae, & semper remanet, & residet penes eam usque ad ipsarum consumptionem; & quod usus facti etiam in talibus rebus, quae usu consumuntur, a proprietate, & dominio separantur; & quod hoc dicere non repugnat juri, neque rationi; sed cum jure divino naturali canonico, & civili, ac ratione omnium concordet. Ex verbis, & mente dictae declarationis Domini Nicolai hoc patet, cum dicat expresse, quod omnium rerum necessariarum tam ad vitae sustentationem, quam ad officiorum sui status executorum solum usus facti fratribus est concessus, & omnium utensilium ac omnium aliorum mobilium praesentium, & futurorum, quorum usum facti fratres possint habere dominium, & proprietas ad Romanam Ecclesiam pertinet; & quod nulla potest esse professio, quae a se usum necessariae sustentationis excludat. Constat autem quod res illae, quae comedendo, bibendo, & induendo consumuntur, praecipue sunt de illis rebus, quae necessario pertinent ad vitae sustentationem, & sine quibus corpus humanum sustentari, sive ali non potest, ff. de aliment. & cit. leg. l. legatis, & l. ult. Constat etiam hoc ex diversis passibus ipsius Decretalis; nam declarans verba regulae quae dicunt fratres nihil sibi approprient, nec locum, nec domum, nec aliquam rem, probans, quod per praedicta verba fratres proprietatem omnium rerum tam in speciali, quam etiam in communi abdicarunt, dicit; Nec quisquam ex his insurgant erronee, quod taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes tanquam homicidae sui, vel tentatores Dei, vivendi discrimini se committant &c. Certum est autem quod nullus homicidas eos vocasset, nisi quia earum rerum, quae ad vitae sustentationem pertinent, & sine quibus corpus ali non potest, proprietatem abdicarunt, cum multi sint, qui non habent domum, nec locum, nec propter hoc homicidae sui esse dicantur. Et de se ipso Christus dicit Matth. 8. filius hominis non habet ubi caput suum reclinet. Super quibus verbis Gloss. Hieronymi dicit, quasi dicat, quid me vis propter saeculi lucra sequi, cum ita sim pauper ut nec hospiciolum quod meum sit habeam, & tecto utar alieno? Haec ibi: Nec ob hoc aliquis sanae mentis, dicet Christum fuisse homicidam sui, vel tentatorem Dei. Item certum est quod in pluribus locis dicta Decretalis faciens mentionem de rebus, quarum usum fratres habere possunt, semper implicat ea illa, quae spectant ad vitae eorum necessitatem, sive sustentationem. Unde post praedicta verba. Nec putet quisquam &c. statim subdit. Sic enim se ipsos committunt divinae providentiae in vivendo, ut viam non contemnant provisionis humanae, quum vel de his, quae offeruntur liberaliter, vel de his, quae mendicantur humiliter, vel quae conquiruntur per laboricium sustententur, qui triplex vivendi modus in regula providetur expresse, & *infra*. Insuper nec utensilia, nec alia quorum usum ad necessitatem, & officiorum suorum executionem. Non enim omnium usum habere debent ad ullam superfluitatem, divitias, seu copiam, quae derogent paupertati &c. Constat autem quod illa quae a fratribus mendicantur, sunt ut plurimum panis, vinum, & vestes, quae ad victum pertinent, quae usu consumuntur. Constat etiam quod omnes res, quibus fratres uti possunt, aut pertinent ad necessitatem vitae, ut sunt alimenta, aut ad officiorum suorum executionem. Ex quibus luce clarius patet quod verba, mens, & intentio dictae decretalis ad victualia se extendunt. Constat etiam quod si fratres possent sibi in speciali, vel in communi acquirere res, quae usu consumuntur, inter quas res sunt, non solum alimenta, sed etiam pecunia, quae assidua permutatione quodammodo consumuntur, ut dicitur Inst. de usufruct. §. Constituitur, sequeretur, quod possit habere pecunias, & res ad copiam in speciali, & in communi. Et sic verba praedictae declarationis, quae dicunt, quod non debent habere usum aliquarum rerum ad divitias, & copiam, quae deroget paupertati falsificarentur. Et similiter verba regulae quae dicunt fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Et quod subditur, vadant pro eleemosina, quod utique non competit divitibus, & habentibus necessaria ad victum. Et quod subditur: haec est illa celsitudo altissimae paupertatis; quae tam singularis commendatio esset valde ridiculosa si fratres possent res quae usu consumuntur sibi appropriare: frustra dictum esset in principio regulae; Regula & vita fratrum haec est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo sine proprio &c. Nec fratres imitarentur paupertatem Christi, de quo dicitur, quod cibo vescebatur alieno. Unde Hieronymus ad Nepocianum: Turpe est ante fores Ecclesiae Domini Crucifixi, & pauperis, qui cibo vescebatur alieno, littores Consulum, & milites excubare. Per quae omnia manifeste apparet, quod regula, & declaratio proprietatem omnium rerum tam illarum, quae non consumuntur usu, quam illarum, quae usu consumuntur a fratribus omnibus in speciali, & in communi penitus abdicavit.

„ vit. Patet etiam ex hoc praedictis aliis decla-
„ rationibus aliorum Romanorum Pontificum, de
„ quibus supra dictum est. Cum in eis dicatur,
„ quod omnium rerum tam mobilium, quam im-
„ mobilium, quarum usum fratres habent, proprie-
„ tas, ac dominium ad Romanam Ecclesiam per-
„ tinet: Et quod Ordo fratrum Minorum rem,
„ & nomen proprietatis abjecit: Et quidquid ei
„ obvenire dicitur, ipso facto in Romanae Ecclesiae
„ dominium transit. Ex quibus patet quod nullam
„ rem mobilem, quae fratribus obveniret a pro-
„ prietate, & dominio Romanae Ecclesiae excluse-
„ runt, sed omnem incluserunt. Et qui omnia &
„ quicquid dixit, nihil exclusit. Extra de Majo. &
„ obe c. solitae ff. de auro, & argento. Lega l.
„ plancius. Et ubi Canon, sive lex non distin-
„ guit, nec nos distinguere debemus ff. de offic.
„ praef. l. III. in fin. De jure etiam naturali,
„ & divino constat quod in omnibus rebus, sive
„ sint de illis, quae non consumuntur usu, sive
„ de his quae consumuntur, usus rerum ipsa-
„ rum non habet dominium, sive proprietatem re-
„ rum annexum, sive annexam. Quia de jure na-
„ turali, & divino omnia quae spectant ad usum
„ hominum, sic sunt communia omnibus homini-
„ bus, ex insti. de re divisi. §. I. hoc enim jus
„ naturale coepit ab exordio rationalis creaturae v.
„ di. in prin. quod ex isto jure non potest aliquid
„ dicere hoc meum, hoc tuum; solum e jure hu-
„ mano, ex iniquitate, & cupiditate gentium pro-
„ cessit. De jure enim naturali, & divino com-
„ munis usus omnium, quae sunt in hoc mundo
„ omnibus hominibus debuit esse, & est. Tolle ju-
„ ra Imperatorum, nemo de aliqua re dicere po-
„ test, haec mea est, haec tua, ut haec manifeste
„ probantur in saepe allegatis C. VIII. di. quo ju-
„ re, & XII. q. I. C. dilectissimis. Et Ambrosius
„ primo libro de officiis dicit sic. Natura enim
„ omnia omnibus esse profudit. Sic enim Deus
„ jussit generari omnia, ut pastus omnibus com-
„ munis esset, & terra foret omnium quaedam
„ communis possessio. Natura igitur jus commune
„ generavit. Usurpatio jus privatum fecit. Haec
„ Ambrosius. Cum igitur usus facti rerum spe-
„ ctantium ad esse naturae conservandum, de jure
„ sit naturali, & divino: Et ab exordio coepe-
„ rit rationalis creaturae v. di. in prin. & XXXVI. di.
„ C. ipso die; Et de jure naturali, & divino
„ non fuerint distincta dominia: sequitur quod de
„ ipso jure naturali, & divino usus rerum, quae usu
„ consumuntur, nullo modo habet annexum meum,
„ & tuum. Praeterea constat, quod proprietas & do-
„ minium Decimarum, & rerum Deo, & Eccle-
„ siae oblatarum est Dei, & Corporis ejus mystici,
„ scilicet Ecclesiae. VII. per Moysem ait Domi-
„ nus Levitic. ult. Omnes Decimae Domini sunt,
„ & illi sanctificantur: qui per eundem de perfe-
„ ctione levitarum loquens numeror. C. XVIII.
„ dicit. Nihil aliud possidebunt decimarum obla-
„ tione contenti, quas in usus eorum, & necessa-
„ ria separavi. In usus, inquit, non in proprieta-
„ tem, & dominium. Hinc etiam, & Papa Inno-
„ centius de rebus ecclesiasticis loquens sic ait, ecce
„ cujus est jus retentionis sit eternum dominium, ut
„ legitur XVI. q. III. C. inter mediatos; & extra
„ de deci. c. tua nos, ibi loquens de Decimis dicit
„ quas Dominus in signum universalis dominii sibi
„ reddi praecepit suas esse decimas, & primicias....
„ Et in Glos. in e. c. super verbo tributa dicit.
„ Ecclesia dicitur habere dominium decimarum, &
„ in hoc consistit privilegium Ecclesiae ut re non-
„ dum tradita ipsa sit domina C. de sacrosanct.
„ Eccl. l. ut inter dominum. Et Innocentius, &
„ Hosti. de Causa possess. & propriet. C. super ele-
„ ctione in apparatibus suis super verbo restituen-
„ dum dicunt sic. Hic autem notandum quod non
„ Praelatus, sed Christus habet dominium, & pos-

„ sessionem rerum Ecclesiae; unde quaecumque ho-
„ mines afferunt Ecclesiis dicuntur esse oblata Deo,
„ XII. q. I. C. res, & C. videntes, & q. II. C.
„ nulli liceat & C. praedia, & C. qui abstulerit,
„ vel Ecclesia l. congregatio fidelium, quae est
„ Corpus Christi Capitis Extra de Sacra VIIC.
„ c. I. ante medium habet proprietatem, & posses-
„ sionem earum XII. q. III. Pontifices. Et si ali-
„ quando in jure invenitur, quod haec bona Deo
„ oblata, sint Episcoporum, vel Praelatorum, vel
„ Capitulorum. Dic ea esse eorum quoad admini-
„ strationem, & gubernationem: Et dicunt esse pau-
„ perum quoad administrationem, unde proprie lo-
„ quendo Praelati dicuntur Procuratores, & non
„ domini Extra de donat. C. II. Ideo nullus dicat
„ patrimonium proprium quod est Ecclesiae, idest
„ pro communi utilitate datum. Haec tamen bona
„ propter communem utilitatem divisa sunt per Ec-
„ clesias diversorum locorum auctoritate summo-
„ rum Pontificum, & Ecclesiae sunt limitatae: Et
„ Episcopis, & aliis Praelatis concessa est admini-
„ stratio eorumdem, ut uniuscujusque necessitas re-
„ levetur. XII. q. I. C. videntes, & C. ex his,
„ & C. Episcopus & C. praecipimus. Haec Inno-
„ centius, & Host. unde patet quod dominium de-
„ cimarum, & aliarum rerum, quae Deo oblatae
„ sunt cujuscumque conditionis existant, sive sint
„ res, quae usu consumuntur, ut sunt decimae bla-
„ di, vini, & olei, & similium rerum, quae usu
„ consumuntur, sive sint aliae res, semper residet
„ penes Christum sive Corpus ejus, quod est Ec-
„ clesia universalis fidelium, & usus, sive ususfru-
„ ctus & administratio earum est ministrorum Ec-
„ clesiae. Ac per consequens sequitur, quod usus,
„ & ususfructus rerum etiam quae consumuntur usu
„ a proprietate, & dominio separatur. De jure au-
„ tem Civili, & Canonico patet, quod etiam in
„ hiis rebus, quae usu consumuntur, usus a proprie-
„ tate, & dominio separatur, puta in servo, filio
„ familias, & religioso, qui in rebus omnibus, quae
„ usu consumuntur habent simplicem facti usum,
„ & tamen nec ad momentum habent proprie-
„ tatem, & dominium ipsarum rerum. In servo
„ enim patet. Ipse enim servus qui in alterius po-
„ testate est, nihil proprium habere potest. Instit. per
„ quas possessio nobis acquirit. §. item nobis, unde
„ nec vestimenti sibi a Domino traditi, nec alterius
„ rei peculiaris habet dominium, nec possessionem ff.
„ de pecul. l. ad vestimentum. Sed proprietas, &
„ possessio residet semper penes Dominum ff. de
„ acquir. po. l. I. §. Item acquirimus, & l. quod
„ servus: & si cibaria servis legentur, procul dubio
„ Domini est, & non servorum legatum, ut dici-
„ tur ff. de condi. & demn. l. filio famil. in fin.
„ Item patet in filio familias, quia in omnibus,
„ quam habet ex peculio profectitio, sive sint ci-
„ baria, sive vestes, aut pecunia, vel alia quae usu
„ consumuntur, solum habet usum facti, & proprie-
„ tas, sive dominium ipsarum rerum residet penes
„ Patrem ff. de acquir. po. l. filio cum similibus.
„ Item patet etiam in Monachis, & aliis Religio-
„ sis, quorum regulae ita est annexa abdicatio pro-
„ prietatis, ut contra eam, nec Summus Pontifex
„ possit licentiam indulgere Extra de stat. Monac.
„ C. Cum ad monasterium in fin. Manifestissimum
„ est quod in omnibus rebus, sive sint de illis quae
„ usu consumuntur, sive de aliis, sic habent sim-
„ plicem facti usum, quod nec ad momentum ha-
„ bent, nec habere possunt dominium, seu proprie-
„ tatem in illis; unde nec vestes quas deferunt suae
„ dicuntur, quoad proprietatem, vel dominium, aut
„ meram possessionem, ut legitur, & probatur XII.
„ q. I. C. non dicatis in Tex. & Glos. & XVII. q. I.
„ C. Monacho, & Extra de sta. mo. C. Monachi §.
„ qui vero & C. super quodam cum similibus, imo
„ non tantum dominium, sed nec usumfructum in
„ rebus aliquibus monachi, sive religiosi hujusmodi in

„ speciali habere possint ut legitur, & notatur XIX.
„ q. ultima C. fin. §. Si qua mulier in Glos. Or.
„ Dominium igitur omnium rerum quibus utuntur
„ Monachi, & alii religiosi, qui habent, & habere
„ possunt proprium in communi semper est mona-
„ sterii, sive communitatis illius religionis, & sim-
„ plex usus facti etiam in his, quae usu consu-
„ muntur est ipsius monachi, sive religiosi: Et per
„ consequens usus earum rerum a proprietate, &
„ dominio separatur: Et quemadmodum regulae
„ monachali essentiale esse dignoscitur, ut nulla
„ privata persona possit alicujus rei proprietatem,
„ sive dominium adipisci; sic essentiale est regulae,
„ & Ordini Beati Francisci, quod nec singuli de
„ ipso ordine, nec ipse Ordo in communi, qui vi-
„ cem unius proprie obtinet, ut est dictum possunt
„ aliquid habere proprium: nec est eis aliquid magis
„ improprium, quam aliquid habere proprium in
„ speciali, vel in communi; & quemadmodum mo-
„ nachus, vel alius religiosus utitur vestibus, cal-
„ ceamentis, & cibis, ac caeteris, quae usu con-
„ sumuntur, ita quod nihil sibi appropriat, quo ad
„ privatum dominium, nec per talem usum effici-
„ tur proprietarius, quia proprietas usque ad con-
„ sumptionem semper remanet penes collegium:
„ sic & Fratres minores utuntur hujusmodi rebus,
„ quae usu consumuntur, & aliis quorum usus est
„ eis concessus; Ita quod nihil in speciali, nec eo-
„ rum religioni in communi sibi appropriant, sed
„ dominium, & proprietas semper residet penes uni-
„ versalem Ecclesiam, cujus est administrator Ro-
„ manus Pontifex, & rector: & quod aliis religio-
„ sis est tota congregatio, sive communitas suae re-
„ ligionis, & eorum abbas, hoc Fratribus minori-
„ bus est tota congregatio Fidelium, quae dicitur
„ Ecclesia Romana, & Summus Pontifex est Ca-
„ put ipsius Ecclesiae. Et sicut quod datur mona-
„ cho, qualiscumque sit res, vel dantis intentio non
„ transit in ipsius dominium, sed totius Collegii, &
„ subjacet dispositioni Abbatis, etiamsi dans nihil
„ cogitet de Collegio: Sic quicquid datur absolute,
„ vel offertur Fratribus minoribus in speciali, vel
„ alicui conventui, vel toti Ordini in communi,
„ transit ipso facto in dominium, & proprietatem
„ Ecclesiae Romanae & subiacet dispositioni Ro-
„ mani Pontificis cujuscumque conditionis sit ipsa
„ res, quae offertur, vel datur, & qualiscumque
„ sit dantis intentio. Praeterea nulla lege cautum
„ reperitur, quod usus simples facti etiam in his
„ rebus, quae usu consumuntur non possit a domi-
„ nio separari. Nec obstat L. *Si uni* ff. de usufruct. ea-
„ rum rerum quae usu consumuntur cum simili-
„ bus, quia non loquuntur in usu facti simplicis
„ qui usus nihil habet proprii Juris annexum, sed
„ loquuntur in usufructu, qui est jus utendi, &
„ fruendi rebus alienis, salva rerum substantia ff.
„ de usufruct. L. 1. Et alibi dicitur, quod jus usu-
„ fructus est quoddam incorporale Instit. de reb.
„ incorpor. unde illae res, quae usu consumuntur
„ proprie non recipiunt usumfructum ff. de usufruct.
„ earum rerum, quae usu consumuntur, L. 1. & 2.
„ & Instit. de usufruct §. Constituitur. Et ideo im-
„ proprie dicitur quod ususfructus talium rerum
„ annexus sit dominio, quia in talibus rebus usus-
„ fructus proprie non consistit. Et ususfructus qui
„ non est, separari, vel uniri non potest ff. de usu-
„ fruct. Leg. 1. Sempronius atalus; nec desinere
„ potest ususfructus qui nunquam cepit ff. de condi.
„ & demo. L. titio ususfructus. Et quamvis in ta-
„ libus rebus ususfructus proprie non consistat, uti-
„ litatis tamen causa ex benigna interpretatione lex
„ statuit quod ususfructus etiam in vilibus rebus con-
„ stitui possit, ut in dicto §. constituitur, & in d.
„ L. 1. & 2. de usufruc. earum rerum, quae usu
„ consumuntur: unde cautio praestanda est ab illo,
„ cui in talibus rebus, quae usu consumuntur relin-
„ quitur ususfructus, ut quicumque per mortem,
„ vel capitis diminutionem extinguitur ususfructus
„ ejusdem qualitatis, & quantitatis res restituantur,
„ aut extimatis rebus certae pecuniae nomine ca-
„ vendum est, quod commodius est, ut dicitur in
„ dicta L. Si VIIII. quae cautio, & actio oriens
„ ex ea succedit loco rei, & habens eam ipsam
„ rem habere censetur ff. de soluti. L. qui sic sol-
„ vit, & ff. de regul. Jur. non separetur a domi-
„ nio, sive ususfructus sumatur in propria signifi-
„ catione, quia secundum hoc in talibus non con-
„ sistit ususfructus, sive sumatur improprie pro quasi
„ usufructu, quia eadem benigna interpretatione qua
„ statuitur in lege, quod in talibus possit constitu-
„ tio esse separationis intelligitur fieri dum praesta-
„ tur cautio de re restituenda, quae cautio, sive
„ actio ex ea competens succedit loco rei, ut
„ est dictum. Ex quibus concluditur, quod secun-
„ dum omnia jura, etiam in his rebus, quae usu
„ consumuntur, usus simples facti a proprietate, &
„ dominio separatur. Unde dicta Decretalis *Exiit*
„ hoc attendens signanter dixit, quod est considе-
„ rare in rebus proprietatem, possessionem, usum-
„ fructum, Jus utendi, & simplicem facti usum
„ inter illa assignans differentiam. Confirmant etiam
„ praedicta, quia concesso quod ususfacti non se-
„ pararetur a dominio, sequeretur, quod Chilitus, &
„ Apostoli, & omnes Sancti Religiosi fuissent pro-
„ prietarii in speciali. Quia cum usus facti in veste,
„ cibo, potu, & aliis quae usu consumuntur spectet
„ solum ad singulares personas, & eis competat, si
„ non separaretur a dominio; sicut Christus, & Apo-
„ stoli, & caeteri religiosi in singulari habuerunt u-
„ sum talium rerum; sic per consequens habuerunt
„ in eis proprietatem, & dominium: sequeretur et-
„ iam, quod Christus, & Apostoli, & ceteri om-
„ nes Religiosi, qui hactenus fuerunt, habuissent in
„ singulari dominia, proprietates, & possessiones pe-
„ cuniarum. Nam cum pecunia inter illas res, quae
„ usu consumuntur computetur Insti. de usufruc. §.
„ constituitur; & Joan. 8. c. dicatur, quod Disci-
„ puli Christi abierunt in Civitatem, ut cibos eme-
„ rent, per quod videtur, quod pecuniam habue-
„ runt ad emendum cibos, sequeretur quod Chri-
„ stus, & Apostoli habuissent proprietatem, & Do-
„ minium, & possessionem illius pecuniae, & quod
„ caeteri religiosi qui potuerunt, & possunt habere
„ licite usum pecuniae, fuissent in singulari proprie-
„ tarii pecuniarum quibus usi sunt, quod dicere es-
„ set contra Evangelicam necessitatem. Nolite pos-
„ sidere aurum, nec argentum, nec pecuniam. Et
„ contra illud quod tenuit, & docuit universalis Ec-
„ clesia Catholica. Tertio concluditur ex verbis di-
„ ctae declarationis secundum omnimodam verita-
„ tem, quod dicta expropriatio omnium rerum tam
„ in speciali, quam in communi, & retentio do-
„ minii apud Ecclesiam multum profuit, & prodest
„ dictis Fratribus quantum ad statum perfectionis;
„ Et quod dominium ipsarum rerum penes Ec-
„ clesiam non fuit nec est inutile, nudum, vel
„ verbale, seu mathematicum, sed multum utile,
„ efficax, & reale ipsis quidem fratribus, quantum
„ ad statum perfectionis profuit, quia ut dicit
„ saepedicta decretalis *Exiit* §. porro, Christi &
„ Apostolorum perfectionem in hujusmodi abdica-
„ tione rerum omnium tam in speciali, quam in
„ communi sequuntur, quam abdicationem Christus,
„ & Apostoli viam perfectionis ostendentes verbo
„ docuerunt, & exemplo firmarunt, & in volentes
„ perfecte vivere derivarunt. Et eam esse dicit me-
„ ritoriam, & sanctam, imo in sua diffinitione Do-
„ minus Alexander Papa IV. dicit: per hoc ipsi fra-
„ tres in eternae retributionis praemio praecellentem
„ gloriam promerentur. Quod etiam patet ex eo,
„ quia abdicare proprietatem, dominium, & jus in
„ omnibus rebus tam in speciali, quam in commu-
„ ni amputat omnem facultatem, & potestatem li-
„ tigandi in Judicio pro rebus temporalibus. Unde

„ eum

,, cum non litigare, & amputare materiam litigandi sit perfectionis, consulente Christo, qui vult tecum in Judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, quia hujusmodi lites ad peccatum inclinant. Et sicut de negociis, de quibus dicit Gregorius quod vix, aut nunquam sine peccato exerceri valent. Juxta illum jam quidem omnino peccatum est in vobis quod lites habetis, idest, ad peccatum inclinant, licet non sit de se peccatum. Ad ea vero quae inclinant ad peccatum, seu verius quae implicant peccatum, necesse est ut post conversionem, animus non recurrat. Et ideo perfectionis est a se litigiorum materiam abdicare. Et sicut abdicatio omnis juris in rebus retento tamen simplici usu facti est perfectionis in singulari persona; sic & in collegio, quod obtinet vicem unius prout dictum est, ad perfectionem pertinet a se omnem proprietatem & dominium, & usum juris, retento usu facti simplici abdicare. Quod etiam confirmatur per rationem, quia quanto magis acceditur ad unum oppositorum, tanto magis receditur ab altero; unde quanto plus crescit amor mundi, tanto plus decrescit amor Dei secundum illud Gregorii. Tanto a superno amore disjungimur, quanto in inferioribus delectamur. Sed per habere proprietatem, & dominium rerum in communi magis adhaeretur mundo, & per non habere magis receditur, & per consequens non habere in communi dominium, & usu facti simplici contentari, amor Dei magis accenditur, & nutritur. Praeterea perfectionis est non providere in futurum, sed omnem suam sollicitudinem projicere in Deum. Unde & frater Petrus de Tarantasia magister in Sacra Pagina, qui fuit Innocentius Papa V. in postilla super illud 2. ad Corinthios VIII. ponens tres gradus perfectionis, & paupertatis dicit. Altissimam eorum qui nihil habent in proprio, vel in communi. Et idem dicit magister Henricus de Gaudavo, & plures alii. Quod autem dictum dominium Ecclesiae fuerit, & sit utile, efficax, & reale patet ex verbis dictae decretalis *Exiit* cum dicit. Retentio namque dominii talium rerum cum concessione usus facti facta fratribus pauperibus non est infructuosa domino, cum sit meritoria ad aeterna, & professioni pauperum opportuna, quae tanto censetur utilior, quanto commutat temporalia pro aeternis, haec ibi. Quod etiam confirmatur ex eo, quod cum Sancta Romana, & universalis Ecclesia de perfectione sua habeat, ut contineat perfectos, & imperfectos, & sit mater omnium Fidelium, cui in persona Petri, cum cura sibi commissa dictum est: Pasce oves meas. Quod est ut dicit ibi Glos. credentes, ne in fide deficiant confortare, & terrena subsidia eis cum expedit providere, adversariis fidei resistere, ac virtutum exempla praebere, & dominia, proprietates, & possessiones rerum sine aliqua sui imperfectione habeat XII. q. 1. C. placuit, ut filiis suis provideat, in eadem causa, q. 1. videntes, & q. 2. C. aurum habet. Et ordo Fratrum Minorum, velut filius in potestate Patris est totaliter constitutus, sic obedientiae, & curae Romanae Ecclesiae, ex suae regulae professione commissus, & per ipsam Ecclesiam in specialem filium adoptatus. Sequitur quod dominium, quod Ecclesia habet, & retinet in omnibus rebus, quibus dicti fratres uti possunt, ut ipsi filii sui licite uti possunt ipsis rebus, non est nudum verbale, seu Mathematicum, sed multum utile, efficax, & reale, cum sit meritorium ad aeterna, & saluti filiorum ipsius multum opportunum: Et sicut ad utilitatem & profectum Patris familias pertinere censetur dominium quod habet in rebus peculii profecticii, quibus filius utitur; sic multo magis ad utilitatem matris Ecclesiae, & Patris spiritualis summi, videlicet, Pontificis, cui cura dictorum pauperum specialiter est concessa pertinet ipsis suis filiis per retentionem hujusmodi dominii providere. Praeterea si susceptio dominii praedicti fuit inutilis, verbalis, mathematica, & perniciosa: Et sic universalis Ecclesia, quae approbavit pluries, & frequenter hujusmodi abdicationem, & receptionem dominii, tanquam sanctam, & meritoriam, & a Christo, & ab apostolis verbo doctam, & exemplo firmatam, a tramite traditionis Evangelicae vitae, & apostolicae deviasse, & errasse in fide, regulam, & vitam veritati apostolicae traditionis adversam confirmando, & in moribus figmenta & inutilia pro veris & utilibus suis filiis ad observandum tradendo; quod esse non potest cum universalis Ecclesia in his errare non possit XXIV. q. 1. C. haec est fides, & C. a recta, & C. pudenda circa finem: unde quod ipsa Romana Ecclesia semel pro sano dogmate in fide, vel moribus comprobavit, semper teneri debet acceptum XIX. di. Si Romanorum. Nec unquam debet novis retractionibus mutilari XXIV. q. 1. C. majores. Et nihil est quod ita nequeat occasui subjacere, quam fides, & vera religio. Nam cum auctorem vitae, vel luminis utraque respiciant recte, & tenebras respuunt, & nesciunt defectui subjacere, ut haec dicuntur C. de sum. tri. & fid. cathol. l. inter claras: & sicut non licet contradicere Scripturae Sacrae, sic nec auctoritati Sanctae Romanae Ecclesiae, cui ipsius Sacrae Scripturae auctoritas innititur; dicente Augustino contra Epistolam fundamenti: Ego evangelio non crederem, nisi me ad hoc catholicae Ecclesiae auctoritas commoveret: & sicut non est fas dicere, quod in Sacra Scriptura falsum aliquod, aut erroneum reperiatur, alioquin totius Sacrae Scripturae auctoritas vacillaret IX. di. C. Si ad scripturas: Sic non est licitum dicere, vel sentire, quod semel Sancta Romana Ecclesia praecipue in his, quae tangunt vitam, & regulam evangelii pro sano dogmate comprobavit, fore falsum, vel figmentum, quia pari modo tota Ecclesiae authoritas vacillaret. Quod autem non semel, sed pluries, & frequenter Romana Ecclesia praedicta approbavit, non solum ea praedictis superioribus declarationibus Romanorum Pontificum, & Sacri Lugdunensis Concilii demonstratur; sed etiam ex eo quod bo. me. Dominus Bonifacius Papa VIII. dictam decretalem *Exiit* in lib. 6. fecit inseri, qui liber est ab universali Ecclesia receptus. Et ex eo quod postmodum coram fel. rec. Domino Clemente Papa Quinto mota quaestione adversus dictam vitam, & regulam, & dictae ecclesiae determinationem ab aemulis dictae vitae, & regulae exterius dicentibus dictam vitam, & regulam non esse vitam Christi, & apostolorum, & dictam determinationem ecclesiae in dicta decretali *Exiit* super hoc factam contradicere Sacrae Scripturae evangelicae, & apostolicae. Qui etiam ad hoc probandum, allegationes quae incipiunt, *Ad honorem Sanctae & individuae Trinitatis*, eidem Domino Clementi Papae in Viennensi concilio tradiderunt; & pseudofratribus dicentibus interius, quod dicti ordinis Communitas suum statum, & regulam non servabat. Et dictis quaestionibus in Viennensi concilio cum exacta diligentia pertractatis, idem Dominus Papa sacro approbante concilio quaestiones hujusmodi determinavit; & de ipsa determinatione fecit fieri decretalem solemnem, quae incipit *exivi de Paradiso*: quam determinationem vestra sanctitas postmodum approbavit, & eam in 7. lib. interseri mandavit, & fecit. In qua decretali dicta abdicatio proprietatis, & dominii omnium rerum in speciali, & in communi, quam Fratres saepedicti ordinis profitentur, tanquam forma, & regula caelestis, & tanquam salutaris doctrina, & toti universali ecclesiae plurimum fructuosa, ac declaratio praefati Domini Nicolai super hoc facta, & dicti dominii per ecclesiam facta receptio approbatur: Et tanquam abdicatio ad

„ perfectionem deducens, & altissima, ac solo Deo contenta multipliciter commendatur, ac pronunciat dictam religionem sanctam, & muris regularis observantiae firmiter undique circumclusam. Ac etiam novissime super hujusmodi declarationibus ecclesiae, *Exiit qui seminat*, & *Exivi de Paradiso*, & super intellectu observantiae dictae regulae Fratrum minorum orta coram sanctitate vestra materia quaestionis post multam, & longam examinationem, & deliberationem præhabitam de consilio Sacri Collegii Dominorum Cardinalium pronunciastis, declarationes Dominorum Nicolai III. & Clementis V. salubriter editas solidas quidem claras, & lucidas, multaque maturitate digestas, & dictam religionem sanctam, & de die in diem, de virtute in virtutem ad perfectionem tendere, terrena despiciendo, & caelestia complectendo prout in constitutione, seu declaratione super hoc facta, quae incipit; *quorumdam exiit*; plenius continetur. Ac etiam pronunciastis dictum ordinem Fratrum minorum ab ipso suae fundationis exordio dicti almi confessoris Christi beati Francisci regulari traditione, & apostolicae Sedis confirmatione fore in vita & doctrina Christi, & ecclesiae ipsius indissolubili quadam textura connexum, fide clarum, spe validum, caritate perfusum, humilitate placidum, obeditione devotum, velut singulare jubar claritatis, & sanctitatis exordio, vitae ac doctrinae verbo per universum orbem claruisse, & ecclesiastico decori multum utilitatis, & inclytae alacritatis plurimum invexisse, & quosdam pseudoprophetas in dictas declarationes dictorum Dominorum Nicolai III. & Clementis V. impingentes, & statum, & observantiam regularem communitatis dicti Ordinis depravantes, ac eidem communitati multipliciter detrahentes, & eorum assertiones damnastis, & improbastis, prout in tribus litteris vestris super his confectis, quarum una incipit, *gloriosam*. Alia, *super omnia desiderabilia cordis nostri*; Reliqua *Sancta Romana, ac universalis Ecclesia*; haec, & alia serosius explicantur: & quod ad meam praefati fratris Bonagratia dicto nomine notitiam noviter est deductum, quod nonnulli dicti Ordinis aemuli de dicta praeclarissima, & saluberrima veritate per praedecessores vestros, & vos determinata aliter sentientes, tacita veritate superius enarrata Sanctitati Vestrae inscripta minus veraciter suggesserunt. Primo, videlicet, quod fratres Ordinis saepedicti post dictam retentionem dicti dominii per dictum Dominum Nicolaum III. praedecessorem vestrum factam non minus, sed satis amplius quam ante ipsam in acquirendis bonis temporalibus ac conservandis tam in judicio, quam extra fuerunt solliciti; cum tamen Sanctitas Vestra, ut superius est expressum novissime pronunciaverit dictum Ordinem muris regularis observantiae undique circumclusum, charitate perfusum, obeditione devotum, velut singulare jubar sanctitatis exemplo vitae, ac doctrinae verbo per universum orbem claruisse, & ecclesiastico decori plurimum utilitatis invexisse, & in eisdem virtutibus permanere, ac ad perfectionem tendere, & de die in diem in altius ascendere, terrena despiciendo, & caelestia complectendo, prout in vestris determinationibus, de quibus superius est habita mentio, plenissime continetur. Quamobrem si aemulorum dicti Ordinis suggestio ad dictum Ordinem referatur, constat eam, salva dicentium reverentia & honore, nulla veritate fulciri, prout vestrae praefatæ determinationes, & diffinitiones vere & salubriter editae cunctis recte considerantibus evidentius manifestant. Si vero eorum suggestio ad aliquos fratres dicti Ordinis, quos dicunt in praedictis culpabiles, referuntur, non debent hujusmodi eorum eloquia in praejudicium status dicti Ordinis, aut infamiam, & confusionem bonorum, & electorum fratrum Ordinis saepedicti converti. Cum teste Augustino, in omni Religione sint boni & mali; & semper militent viciosi cum virtuosis: nec movere debent aliquem convicia, seu peccata aliquorum, ut a via recta, & a data seu approbata regula recedatur XLVII. di. C. quantumlibet, & C. sequenti. Secundo Sanctitati Vestrae suggesserunt, quod dicti Ordinis fratres occasione dictae retentionis dominii de paupertate altissima coeperunt inaniter gloriari, quam sibi, ut ipsi aemuli dicunt, præ cunctis mendicantibus aliis ex eo mendicant imprudenter, quod in his quae obtinent, nihil ad se proprietatis, & dominii, sed solum nudum usum facti asserunt pertinere. Cum tamen, ut dicunt, potius deberent dicti Ordinis fratres, attento ipsorum fratrum utendi modo, & Ecclesiae Romanae placito, affirmare non relictum eis usum, sed retentum Ecclesiae Romanae dominium fore nudum. Quae quidem suggestio & allegatio, salva semper dicentium & allegantium reverentia & honore, non continet veritatem. Neque enim fratres Ordinis saepedicti de paupertate altissima inaniter gloriantur: nec eam præ cunctis mendicantibus vendicant imprudenter: quamvis paupertatis celsitudinem non habere videlicet proprietates, sive dominia rerum in speciali, nec in communi, quam Christus & Apostoli viam perfectionis ostendentes verbo docuerunt,* & exemplo firmarunt: quamquam Sancta Romana Ecclesia pluries & frequenter diffinivit fore Christi, & Apostolorum ejus paupertatem altissimam, meritoriam, atque sanctam, tanquam veri Sanctae Romanae Ecclesiae filii, prout tenentur & debent, defendunt, extollant, & commendent, & usum simplicem facti in rebus omnibus quibus utuntur se habere, & earum rerum dominium ad Romanam Ecclesiam pertinere, cum Sancta Romana Ecclesia veraciter fateantur. Dicere autem usum facti dictis fratribus derelictum non esse nudum, sed Ecclesiae Romanae retentum dominium fore nudum, nihil aliud est quam determinationes, & diffinitiones omnium Romanorum Pontificum, & vestras, ut supradictum est super his editas, nunc dicunt dictos fratres in omnibus rebus, quibus uti possunt habere solummodo simplicem facti usum, & Ecclesiam Romanam earum rerum habere dominium fructuosum tanquam meritorium ad aeterna, & professioni suorum filiorum pauperum opportunum, ac partum Sanctae Matris Ecclesiae sponsae Christi irridere. Tertio suggesserunt Sanctitati Vestrae aemuli supradicti, quod occasione retentionis dominii supradicti inter fratres dicti Ordinis periculosa suborta fuerunt scismata & dispendiosa pericula subsecuta, quibus ut dicunt hactenus finis dari non potuit, nec speratur quod ad illum ea perdurante valeat perveniri. Quae quidem suggestio salva dicentium reverentia, & honore non continet veritatem, cum nusquam post saepedictas Romanae Ecclesiae determinationes super retentione dicti dominii, aut ejus occasione fuerit inter fratres dicti ordinis aliqua quaestio suborta, nec suboriri speretur: sed nec de jure quaestio esse potuit, neque potest, cum de eo quod est in jure diffinitum, & in corpore juris clausum, nulla juris quaestio aliqualiter possit esse C. de furt. & ser. corrup. l. Ancillae subtractae partus. Et quamvis aliquae quaestiones, & dissensiones inter fratres dicti ordinis super observantia dictae regulae hactenus fuerint aliquae subortae, quibus sanctitas vestra Deo inspirante per saepe dictas vestras determinationes laudabilem finem dedit: Non tamen per malos, & perversos Fratres bonorum status debuit, nec debet aliqualiter immutari, aut etiam in aliquo perturbari, imo potius propter bonos mali sunt tolerandi, sicut toleraverunt Prophetae, & Christus, & Apostoli ejus. Et Sancti Doctores Ecclesiae facien-

„ dum

,, dum verbo, & exemplo pariter docuerunt XXIII. q. 2. C. quam magnum, & per totum. Et nulla alia minus vera tam in facto, quam in jure vestrae sanctitati suggessisse dicuntur. Ex quibus suggestionibus, seu causis contentis in quadam Littera, sive nota, quam nuper legi fecistis in Consistorio Sacri Collegii DD. Cardinalium, quae incipit *ad conditorem Canonum*, excitati fuistis, & moti dicto ordine, seu ejus defensore non monito, nec citato, & eo inaudito ad ordinandum, & censendum, & ordinastis, & censuistis, ut Ecclesia Romana tam inutili, tamque pernicioso dominio careret potius quam haberet: Quodque in bonis praedictis, quae in posterum conferrentur, vel offerrentur, vel quomodolibet alias obvenire continget Fratribus, seu Ordini supradictis, non plus juris in illis Apostolica Sedes habeat; nec in ipsis, seu pro ipsis dominium seu jus aliquod acquiratur, quam quod habet sibi quoque acquiritur in bonis vel pro bonis, quae fratribus aliorum mendicantium ordinum quomodolibet acquiruntur. Ac insuper statuendum quod pro bonis praedictis recipiendis, petendis, exigendis, defendendis, seu administrandis, nullus a quoquam Procurator statuatur amodo nomine Summi Pontificis, vel praefate Sanctae Romanae Ecclesiae nisi de ipsius licentia, & mandato; & revocastis quoscumque a quibuscumque taliter hactenus constitutos: Decernentes irritum, & inane si secus a quoquam fuerit attentatum. Non obstantibus quibuscumque privilegiis a felic. record. Martino Papa IV. vel aliis praedecessoribus vestris eisdem fratribus, vel ordini sub quacumque forma, seu expressione concessis. Protestantes quod per hoc non intendebatis regulae dicti Ordinis, nec privilegiis Fratribus ipsis, seu eorum ordini ab Apostolica Sede concessis, nisi quoad praemissa, vel ea tangentia in aliquo derogare; quin imo volebatis ea in suo robore permanere. Attendens igitur ego praefatus Frater Bonagratia dicto nomine jure cautum fore, quod etiam adversos rescriptum, sive sententiam Principis, quod sine quare ex suggestione minus vera processit appellari potest ad eum, quia non adversus Principem, sed adversus Principis calliditatem, intelligitur provocatum ut dicitur ff. quom appella. Sit, & inter quae tempora l. 1. 1. R. & 2. q. 6. §. biduum circa finem, & quod in Canone dicitur, Sententiam Romanae Sedis tunc esse in melius commutandam, cum aliquid fuerit sibi surreptum, non quum ipsa quae bene sunt diffinita retractare voluerit XXXV. q. q. IX. C. Sententiam extra de sen. & re. judi. C. cum olim. Et sentiens me dicto nomine, & dictum ordinem ex praedictis, & pro praedictis enormiter aggravari ab eis; ad vos Sanctissimum Patrem, & Dominum Dominum Joannem Papam XXII. & ad sanctam matrem Ecclesiam, cui praesidetis provoco, & appello. Et si de jure peti in hoc casu debent, seu possunt Apostoli, ego peto instanter, & instantissime: Et subiicio me, & dictum ordinem protectioni, & defensioni vestrae, & Sanctae Matris Ecclesiae. Et protestor ante omnia, quod si aliquid dixissem, vel dicerem, quod absit, aliter quam Sancta Romana Ecclesia sentit, & docet, illud ex nunc revoco, & detestor: Et fateor me firmiter tenere, & credere quod tenet, & credit Sancta Mater Ecclesia Romana: Et me & omnia dicta mea ex nunc ipsius correctioni, & defensioni suppono. Acta, & facta fuerunt prædicta per dictum Fratrem Bonagratiam dicto nomine praedictis die, anno, Indictione, & loco superius memoratis ,,.

Deinde videns præfatus Dominus Joannes Papa, quod praedictus Frater Bonagratia de Pargamo Procurator, & procuratorio nomine a supradicta sua brevi Constitutione *ad conditorem* appellaverat, & eam tamquam nocivam & illicitam juribus divinis ac humanis & rationibus efficacibus impugnabat: nolens ut debebat a suis conceptis erroribus salubriter resilire, sed in eis persistere ac pertinaciter defensare, praedictam brevem constitutionem, *ad conditorem* de ostiis majoris Ecclesiae Avinionis in quibus eam appendi fecerat, & affigi, amoveri praecepit, & eam in pluribus mutavit, addidit, & subtraxit, & quod prius non probatur, rationibus & juribus fulcivit, quantum valuit, errores erroribus cumolando: & sic in pluribus mutatam, & roboratam ad eundem diem, & annum datam dictis ostiis majoris Ecclesiae Avinionis eam appendi fecit iterum & affigi, praefatum vero Bonagratiam pro eo quia dictam constitutionem impugnaverat, quasi per annum tenuit atro carceri mancipatum. Tenor vero dictae constitutionis sic mutatae, & iterum appensae noscitur esse talis.

# CONSTITUTIO

### *Ad Conditorem Canonum*

### in longiori forma.

,, JOannes Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ad Conditorem Canonum non est dubium pertinere, cum statuta a se vel suis praedecessoribus edita, obesse percipit, potius quam prodesse, ne ulterius obesse valeant providere. Dudum siquidem fel. rec. Nicolaus Papa III. praedecessor noster attente prospiciens in almi Confessoris Beati videlicet Francisci regula contineri, quod Fratres sibi nihil approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem sui Ordinis professores: ac considerans diligenter quod per piae recordat. Gregorium Papam IX. & nonnullos alios praedecessores ejusdem fuerat declaratum hoc debere servari tam in speciali quam in communi. Nec non considerantes attendens nonnullos fratribus ipsis detrahere, impingentes eisdem, quod regulam, & declarationem hujusmodi non servabant; pie quoque considerans ora contra praemissos fratres oblatrantium claudere, ac professorum ipsorum conscientiis providere; Inter alia ordinavit, & sanxit, quod omnium utensilium, & librorum, rerumque mobilium præsentium & futurorum, Ecclesiarum quoque, & Oratoriorum, ac Caemeteriorum tam praesentium quam futurorum: nec non & aliorum emptorum de eleemosinis diversis, & oblatorum, seu concessorum dictis Fratribus in quibus tam offerentes, seu concedentes ipsa vel ipsis fratribus ducerent reservandum, proprietas, ac dominium pleno, ac libere ad se, & Romanam Ecclesiam pertineret, ipsa in se recipiens & Ecclesiam antedictam, simplici usu facti dumtaxat in rebus & bonis hujusmodi reservato fratribus antedictis. Et quia nonnunquam libros, & alia mobilia saepedicta vendi expedit, seu etiam commutari fratribus ipsis in eadem ordinatione concessis, ut res ipsas cum rebus aliis, quarum usum habere licet ipsis fratribus dummodo generalis, vel Provincialium ministrorum conjunctim, vel divisim auctoritas intercedat, possent libere commutare. Sed quia fratribus ipsis pecuniam per se, vel per alium recipere ipsorum regula districtius interdicit, voluit, & concessit, quod si vendi contigerit res mobiles antedictas precio extimato, quod hujusmodi precium per Procuratorem deberet recipi a Sede Apostolica, vel a Cardinale Gubernatore ipsius Ordinis deputando per procuratorem eundem in rem licitam aliam; cujus usus esset permissus ejusdem Ordinis Fratribus expediendum, hoc adiecto, quod possent de vilibus, vel parum valentibus Fratres ipsi pietatis, seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa obtenta super hoc superiorum suorum licentia intra, & extra dictum Ordinem

,, ordi-

„ ordinare. Quamquam autem pia consideratione
„ motus dictus Praedecessor noster ordinavh supra-
„ dicta, dicto ordini eatimaus profutura, ipso tamen
„ attento modo utendi fratrum ipsorum, ac dictae
„ Ecclesiae subsecuta per acta circa ipsum non pro-
„ fuisse, sed potius tam ipsis Fratribus, quam mul-
„ tis aliis obfuisse, subsequens magistra rerum ex-
„ perientia noscitur declarasse. Ipsis quidem fratri-
„ bus quantum ad statum perfectionis nequaquam
„ profuit reservatio dominii super dicta. Cum per-
„ fectio vitae Christianae principaliter, & etiam es-
„ sentialiter in charitate consistat, quae ab Apostolo
„ perfectionis vinculum dicitur, & quae unit, seu
„ jungit in via aliqualiter hominem suo fini, ad
„ quam per bonorum temporalium contemptum,
„ & ipsorum expropriationem via disponitur, per
„ hoc praecipue quod sollicitudo quam ipsa tem-
„ poralia in acquirendo, conservando, & dispen-
„ sando exigunt, quae plerumque ab actu chari-
„ tatis retrahit amputatur. Restat quod si sollicitudo
„ eadem potius expropriationem hujusmodi quae ante
„ ipsam iterar, perseverat ad perfectionem hujus-
„ modi talis expropriatio valeat nil conferre. Con-
„ stat autem quod post ordinationem praedictam non
„ fuerunt in acquirendis, & conservandis bonis prae-
„ dictis in judicio, & extra judicium, minus solli-
„ citi, quam ante illam fuerint fratres ipsi, quam-
„ quam sint Religiosi alii mendicantes habentes ali-
„ qua in communi. Adhuc nec utique profuit di-
„ ctis Fratribus ordinatio supradicta, quantum ad
„ hoc, quia propter carentiam talis dominii se pau-
„ periores dicere valeant, quam si res ipsas cum illo
„ quo carere se dicunt domino obtinerent. Licet enim
„ praedecessor noster praedictus dominium earum re-
„ rum, quae ipsis fratribus offerri, seu conferri, aut
„ aliter obvenire contingeret, quorum tamen usum
„ facti habere licet Ordini, vel Fratribus antedictis,
„ usu facti simplici dictis Fratribus reservato, in se,
„ & Romanam Ecclesiam duxit recipiendum, ac
„ libere pertinere decreverit, ut superius est expres-
„ sum: Talis tamen dominii retentio, attento ipsorum
„ Fratrum utendi modo & ejus effectu, ac per acta
„ circa modum ipsum Romanae Ecclesiae subsecu-
„ ta, non ipse ususfructus simplex dici debet, sed
„ potius Ecclesiae Romanae dominium esse simplex.
„ Quis enim simplicem usuarium dicere poterit, cui
„ rem usuariam licet permutare, vendere, ac dona-
„ re: procul dubio haec repugnare noscuntur natu-
„ rae usuarii, nec ad usuarium pertinere. Quae ta-
„ men de rebus mobilibus antedictis faciunt fratres
„ ipsi. Quod autem dominium Romanae Ecclesiae
„ reservatum simplex censeri debeat ex hoc patet,
„ quod ex illo nullum eidem Ecclesiae temporale
„ advenerit hactenus commodum, nec speratur, quod
„ obvenire debeat in futurum. Cum nec intentio
„ reservantis, nec fratrum ipsorum fuerit, quod ad
„ quemcumque alium, quod ad fratres dictarnm re-
„ rum perveniret compendium, quod proculdubio
„ modus utendi ipsorum fratrum, & Romanae Ec-
„ clesiae subsecuta placita evidentius declaravit. Et
„ quia talis intentio fuit ordinantis, ex hoc patet
„ quod illarum terum sibi, & Ecclesiae Romanae
„ dominium dumtaxat retinuit, quarum usum facti
„ licet habere ordini vel fratribus antedictis. Talis
„ autem dominii carentia re in praesenti, ac spe in
„ futurum omni temporali commodo denudati, quo
„ ad paupertatem temporalem quam altiorem prae
„ mendicantibus aliis in communi habentibus sibi
„ vendicant dicti fratres, pauperiorem non efficit non
„ habentem. Quod autem quo ad res, quae usu
„ consumuntur non sint censendi usuarii fratres ipsi
„ ex subsequentibus liquet satis. Dicere siquidem,
„ quod in talibus rebus usus juris, vel facti separa-
„ tus a proprietate seu dominio possit constitui, re-
„ pugnat juri, & obviat rationi. Nec praedecesso-
„ res nostri prædicti videtur fuisse intentio Romanae
„ Ecclesiae talium bonorum dominium reservare.
„ Quis enim sanae mentis credere poterit quod in-
„ tentio fuerit tanti patris, unius ovi, seu casei, ac
„ frustri panis, & aliorum usu consumptibilium, qui
„ saepe fratribus ipsis ad consumendum e vestigio
„ conferuntur dominium Romanae Ecclesiae, & u-
„ sum fratribus retinere? Profecto probabile non vi-
„ detur, praesertim cum illorum dumtaxat bonorum
„ dominium praefatae Ecclesiae Romanae reserva-
„ verit, quorum simplex usus facti pertinere potest
„ ad fratres dicti ordinis, quod nequaquam potest
„ in rebus usu consumptibilibus reperiri: In quibus
„ nec vis utendi, nec usus facti separata a rei pro-
„ prietate, seu dominio possit constitui, vel habe-
„ ri. Et quod de talibus rebus non intellexerit evi-
„ denter ostendit dum respondet legi dicenti non
„ posse usum, vel usumfructum a dominio perpe-
„ tuo separari, quia dominium dominis semper ab-
„ scedente usu inutile redderetur: Quae quidem
„ lex de rebus illis intelligitur, quarum penes u-
„ num, usum, & penes alium dominium possit li-
„ cet inutile remanere. Quod nequaquam in rebus
„ usu consumptibilibus potest esse, cum in illis per
„ usum, vel abusum usuarii substantia talis rei esse
„ desinat, & per consequens, quod proprietas inuti-
„ lis non existat. Cum enim ususfructus prout est
„ jus in re constitutus, qui servitus dicitur persona-
„ lis, & pro quo reales competunt actiones, nihil
„ aliud sit, quam jus utendi tantum rebus alienis,
„ salva rerum substantia, idest, jus percipiendi fru-
„ ctus, & utilitatem aliam aliquam in totum, vel
„ pro parte suo nomine, qui possunt ex re, in qua
„ ususfructus, seu usus constituitur pervenire: pro-
„ pter quod proprietas reputatur inutilis, a qua perpe-
„ tuo ususfructus abscedit: Nec potest ususfructus,
„ seu usus constitui in rebus, in quibus ipsis stantibus
„ usufructuario, seu usuario nulla possit utilitas pro-
„ venire. Patet quod ad hoc quod talis ususfructus,
„ vel usus in re aliqua constitui valeat requiritur
„ quod ex re illa possit fructus vel utilitas alia sal-
„ va ipsius rei substantia ad fructum, vel usuarium
„ provenire. Quod si nulla possit ex re illa utilitas,
„ salva rei substantia provenire, quales res usu con-
„ sumptibiles esse constat, nequaquam possit in re-
„ bus ipsis cuique ususfructus, vel usus constitui,
„ vel a quoquam haberi. Adhuc tamen nec jus u-
„ tendi; Qui non est jus in re nec servitus perso-
„ nalis, sed mere jus personale, pro quo reales actio-
„ nes non competunt, in rebus talibus, vel rebus
„ ipsis jus utendi potest constitui vel haberi, cum
„ etiam jus tale exigat, quod ex re ipsa quae ad
„ utendum conceditur tali modo ad usuarium pro-
„ venire possit utilitas aliqua, ac cum usu perma-
„ nere usuarii, salva rerum substantia, quod nequa-
„ quam potest, sicut ad sensum percipi potest, in
„ rebus usu consumptibilibus reperiri. Rursus nec
„ simplex usus facti, qui non est servitus, nec pro
„ illo competit jus utendi, in talibus rebus potest con-
„ stitui vel haberi. Cum enim uti re aliqua nihil
„ aliud sit proprie, quam fructus rei, seu utilitatem
„ aliquam insolidum, vel pro parte recipere, qui
„ ex ea possunt salva rei substantia pervenire; Re-
„ stat quod re illa uti quis nequeat, ex qua ejus
„ salva substantia nulla potest sibi provenire utilitas,
„ quales res usu consumptibiles esse constat. Ex
„ quibus patet, quod nec usus, qui est servitus per-
„ sonalis, nec jus utendi, qui non est servitus, sed
„ mere jus personale, nec actus ipse utendi sine
„ jure aliquo possunt in rebus usu consumptibilibus
„ constitui, vel haberi, cum quodlibet praemisso-
„ rum exigat, quod ex re ipsa salva rei substantia
„ possit habenti jus utendi, seu utenti, ex re ipsa
„ utilitas aliqua provenire, quod utique nequit in
„ rebus usu consumptibilibus reperiri: nec obviat
„ supradictis, quod ipse praedecessor noster in or-
„ dinatione praedicta etiam illarum rerum, quae ad
„ sustentationem pertinent, sibi, & Romanae Ec-
„ clesiae dominium reservavit. Hoc enim de illis
„ rebus dumtaxat debet intelligi, quae usu non sunt
„ consumptibiles, sine quibus humana vita non est

„ susten-

„ sustentabilis, quae utique non sunt paucae. Licet
„ autem in rebus usu consomptibilibus, nec jus u-
„ tendi, nec ipsis uti possit constitui, vel haberi.
„ Ipsis tamen poterit quis abuti. Abuti autem dum
„ tractatur de rebus usu consumptibilibus pro rei
„ consumptione sumitur, quod ei opponitur quod
„ est uti. Uti siquidem praesupponit. quod cum usu
„ salva rei substantia maneat. Sed abuti eget quod
„ cum actu hujusmodi rei substantia consumatur.
„ Cum abuti nihil aliud sit, quam contra naturam
„ usus uti, in hac materia proprie possit dici. Li-
„ cet autem quis re usibili absque jure utendi ali-
„ quo uti possit; ipsum tamen ut etiam in re tali
„ absque jure utendi separato a dominio, vel con-
„ juncto, nec ab aliquo potest constitui, nec ab
„ aliquo haberi, Et quod talis usus constitui nequeat
„ ex hoc patet, quia dare vel constituere, quod
„ suum non est, nec ad se pertinet, nemo potest,
„ licet interdum dare valeat, aliter quam sit suum.
„ Actus autem ipse utendi ad ipsum utentem per-
„ tinet, in quantum quis suorum actuum per libe-
„ rum arbitrium, & voluntatem dominus dicitur,
„ eum per hoc illos non extendere valeat, vel etiam
„ exercere. Non autem actus ipse utendi ad eum
„ pertinet, qui alii concedit, quod in re sua actum
„ illum valeat exercere, quod utique nihil aliud est
„ quam actum ad rem concedentis, vel rem con-
„ cedentis ad actum suum utens valeat applicare:
„ Sicut qui equum suum alicui commodat, non
„ actum equitandi concedit commodatario, sed quod
„ actum suum in equo suo valeat exercere. Quod
„ non est utique actum utendi simplicem concedere,
„ sive jus utendi separatum a proprietate sive do-
„ minio in rebus quae usu consumuntur nequit con-
„ stitui, ut patet manifestius ex praedictis. Praeter-
„ ea quod simplex usus, idest, sine jure utendi a
„ proprietate seu dominio separatus in re usu con-
„ sumptibili haberi nequeat, sic probatur. Si enim
„ haberi possit usus talis, aut ante actum ipsum,
„ aut in ipso actu, aut post completum actum hu-
„ jusmodi haberetur. Quod autem hoc fieri nequeat,
„ ex hoc patet, quia quod non est nequaquam ha-
„ beri potest, Patet autem quod actus ipse antequam
„ exerceatur, aut etiam dum exercetur, aut post-
„ quam perfectus est, in rerum natura non est, ex
„ quo sequitur, quod haberi minime potest. Licet
„ enim ante actum ipsum quia facultatem habeat il-
„ lum exercendi, per hoc tamen actus ipse in re-
„ rum natura nisi in potentia non existit. Cum au-
„ tem actus est in fieri, nec adhuc quod ipse actus
„ in rerum natura sit potest dici, licet de eo quod
„ sit in fieri possit dici, cum esse rem perfectam
„ significat, quod quandiu est in fieri, non potest
„ alicui convenire, quod enim de actu qui est in
„ fieri, & praeterit, vel futurum est in rerum na-
„ tura jam non est, sed in memoria, vel apprae-
„ hensione tamen est, quare nisi prout in memoria
„ vel apprachensione est haberi nequaquam potest.
„ Quod autem in præsenti fit, momentaneum seu
„ instantaneum est, quod utique magis intellectu,
„ quam sensu percipi potest; unde nec haberi pro
„ tunc nisi pro momento illo, seu instanti in quo
„ fit potest dici. Adhuc post completum actum li-
„ cet si ex ipso facto producta res aliqua fuerit,
„ res ipsa facta haberi valeat, factum tamen ipsum,
„ quod jam transiit, nisi in memoria, ut supradi-
„ ctum est non habeatur. Praeterea si simplex usus
„ absque jure utendi possit haberi aliquo, constat
„ quod non justus esset actus utendi hujusmodi re-
„ putandus, cum ille usus fuerit, cui non compe-
„ tebat jus utendi. Talis autem usus non justus ad
„ perfectionis statum nequaquam pertinet, nec per-
„ fectioni aliquid addicit, sed sibi repugnare potius,
„ ac detrahere noscitur manifeste. Quod autem u-
„ sum injustum conditor canonis fratribus intelle-
„ xerit observare, nequaquam debet aliquis sapiens
„ aestimare, imo quod de justo intellexerit ex eo
„ patet evidentius apparere, quod in eadem ordina-
„ tione curavit adicere, quod illarum rerum dum-
„ taxat in se, & Romanam Ecclesiam recipiebat
„ dominium, quarum usum facti licet habere fra-
„ tribus, seu ordini antedictis. Subjungens nihilo-
„ minus quod non omnium rerum usum debeant
„ habere fratres ipsi. Quantum enim ad usum facti
„ absque omni jure utendi simplicem attinet, nulla
„ rerum quo ad fratres dictoria est censenda. Sic
„ enim de facto uti possunt prohibitis, ut concessis.
„ Quare praemissarum rerum distinctio ad illum u-
„ sum facti est potius referenda, pro competit ipsis
„ Fratribus jus utendi. Quarumdam enim usus re-
„ rum Fratribus ipsis noscitur prohibitus, & qua-
„ rumdam permissus. Ex quo patet, quod usus fa-
„ cti, de quo loquitur dicta ordinatio, de tali in-
„ telligi debeat, qui justus sit, idest, pro quo com-
„ petat jus utendi; & hoc conditor ipse canonis ex-
„ primit evidenter, cum in eadem ordinatione ad-
„ jecerit, quod moderatus usus in expressis rebus
„ ipsis Fratribus est concessus. Praeterea si in rebus
„ usu consumptibilibus possit usus constitui vel ha-
„ beri nequaquam simplex, nec a rei proprietate
„ substantia seu dominio separatus usus hujusmodi
„ possit dici, cum per talem usum, idest, utenti a-
„ ctum, & in ipso actu, & cum ipso actu res consu-
„ matur hujusmodi, ac in ipsius rei exerceatur sub-
„ stantia, nec sine rei consumptione ipsius esse va-
„ leat talis usus. Ex quo patet quod talis usus
„ nec simplex, nec separatus a dominio potest di-
„ ci. Rursus ne dum fratribus ipsis ordinatio prae-
„ dicta non fuit; sed etiam occasionaliter honori
„ Sacrosanctae Romanae Ecclesiae non leviter de-
„ trahit, & detraxit. Nunquid non praefatae Ec-
„ clesiae derogatur honori, si ipsam oporteat nunc
„ in foro ecclesiastico, nunc in seculari interdum
„ quoque coram pedaneis Judicibus, & plerumque
„ pro rebus parvis, & vilibus continue litigare.
„ Hoc autem notum est fieri, cum occasione in-
„ tentionis dicti dominii omnes causae occurren-
„ tes agendo, vel defendendo pro bonis hujusmo-
„ di nomine Romanae Ecclesiae occurrentes agen-
„ do, vel defendendo pro bonis hujusmodi no-
„ mine Romanae Ecclesiae, virtute cujusdam pri-
„ vilegii a fel. rec. Martino Papa IV. praede-
„ cessore nostro concessi super hoc agitentur. Et
„ quod gravius est censendum Procuratores causarum
„ hujusmodi multos vexare dicuntur indebite, licet
„ praedicta attributa talibus Procuratoribus per pri-
„ vilegium antedictum, quoad administrationem bo-
„ norum praemissorum dudum servata non fuit,
„ nec servetur. Quae omnia in notam, & inju-
„ riam Sanctae Romanae Ecclesiae non est dubium
„ redundare. Adhuc ordinatio praedicta Ecclesia-
„ rum Praelatis, & Rectoribus gravius existere ni-
„ mium, & molesta monstratur. Nunquid non
„ grave praemissis potest existere, quod ipsos opor-
„ teat se opponere Sanctae Romanae Ecclesiae,
„ quae ipsorum caput noscitur, & magistra? Ac
„ cum ea agendo, vel defendendo litigare assidue,
„ vel cedere juri suo: hoc tamen oportet illos fa-
„ cere, cum in multis dicti fratres praedictis exi-
„ stere dicantur injurii, sicut multorum Praelato-
„ rum, & Rectorum multarum Provinciarum ad-
„ huc in Curia existentium habet insinuatio. Qui
„ quidem fratres facta sua procurantes nituntur de-
„ fendere antedictos. Nos itaque qui veritatem te-
„ nemur colere, velut ille qui illius qui veritas
„ noscitur, licet immeriti vicem teneamus in ter-
„ ris, illa volentes in Sancta Dei Ecclesia, non
„ quae verbo tantum obtineant, sed quae re potius
„ observari, praemissis in scrutinio rectae conside ra-
„ tionis adductis, ac deliberatione cum fratribus
„ nostris, & multis aliis praehabita diligenti dignum
„ arbitrantes, & congruum professores dicti Ordi-
„ nis non verbis tantum, non simulatis actibus,
„ sed operibus claris virtute suffultis, perfectioris
„ status, ac altioris paupertatis sibi praerogativam
„ prae aliis mendicantibus vendicare: ac nihilomi-
„ nus

„ nus honori Sacrosanctae Romanae Ecclesiae: cujus obnubilari possit gloria, si tam perversae simulationi quae profecto, & ipsis simulantibus officit, & aliis scandali materiam subministrat, dissimulando illis consentire, occurrere: Ac insuper volentes indemnitati Praelatorum, & Rectorum Ecclesiarum salubriter providere: nolentesque in posterum sub praetextu, seu pallio talis dominii verbalis nudi, & enigmatici tanta bona, quamu dicti fratres faciunt inficere, ac fomentum tantis malis, quanta procedunt ex simulatione hujusmodi ministrare, de fratrum nostrorum consilio hoc edicto in perpetuum valituro sancimus, quod in bonis, quae in posterum conferentur, vel offerentur, aut alias quomodolibet evenire continget fratribus, seu Ordini supradictis, exceptis Ecclesiis, Oratoriis, Officinis, & habitationibus, ac vasis, libris, & vestimentis divinis officiis dedicatis, vel dedicandis, quae ad ipsos obvenirent in futurum, ad quae se non extendunt adeo inconvenientia supradicta. Propter quod Constitutionem ipsam ad illa extendi nolumus, nullum jus, seu dominium aliquod occasione ordinationis praedictae, seu cujuslibet alterius a quocunque praedecessorum nostrorum super hoc specialiter editae, Sanctae Romanae Ecclesiae acquiratur, sed quo ad haec habeantur prorsus ordinationes hujusmodi pro non factis. Per hoc autem in his, quae absque dictis ordinationibus in bonis praedictis ad dictam Ecclesiam pervenire vel pertinere quomodolibet poterant, vel debebant nullum eidem parari praejudicium volumus; sed illa sibi expressius intacta & inviolata servamus. Et quia praefatum Martini Papae praedecessoris nostri privilegium dudum servatum, quoad administrationem bonorum praemissorum non extitit, nec servatur. Ac ipsorum Procuratorum officium, qui nominantur a Ministris, & Custodibus dicti Ordinis Ecclesiae Romanae injuriosum, ac multis aliis noscitur molestum, ac etiam onerosum, districtius inhibemus, ne deinceps pro recipiendis, petendis, exigendis, defendendis, seu administrandis bonis, quae in posterum fratribus, vel Ordini praedictis offerri, vel conferri, seu alias obvenire continget, quisquam nominetur, a quocunque instituatur, vel constituatur umodo nomine Sanctae Romanae Ecclesiae Procurator. Nec occasione cujuslibet privilegii Apostolici quicumque administrationem quorumcumque bonorum, quae obvenire fratribus ipsis, vel Ordini continget in posterum in judicio, vel extra, agendo, defendendo, supplicando, vel alias quomodolibet assumere, vel etiam exercere dictae Ecclesiae nomine audeat, nisi de dictae Sedis Apostolicae licentia speciali. Decernentes irritum, & inane, si secus a quocumque in posterum contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque privilegiis a Martino Papa praedicto, vel aliis praedecessoribus nostris ipsis fratribus, vel Ordini sub quacumque forma, vel expressione verborum. Per haec autem dicti Ordinis regulae in aliquo non intendimus derogare; Nec privilegiis fratribus ipsis, vel ipsi Ordini ab Apostolica Sede concessis, nisi duntaxat quoad praemissa, vel praemissa tangentia praejudicium aliquod generare. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Avinionis VI. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno VII. Anno Domini 1322.

Post praedicta volens praefatus Dominus Joannes Papa de supradicta quaestione de paupertate Christi, & Apostolorum ejus in sua Curia ventilata, quod conceperat omnimode diffinire: Et aliter quam praefatus Dominus Nicolaus Papa Tertius & dictum generale Concilium Fratrum in Capitulo Perusino congregatorum, ac magistri, & Bacallarii memorati, constitutionem dictae quaestionis diffinitivam & suorum praedecessorum, & Ecclesiae diffinitionibus, & approbationibus, ac Fidei Catholicae oppositam, edidit & promulgavit publice formam hujusmodi continentem.

## SEQUITUR CONSTITUTIO

*Cum inter nonnullos.*

„ JOannes Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cum inter nonnullos viros scholasticos saepe contingat in dubium revocari, utrum pertinaciter affirmare, Redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec etiam in communi, haereticum sit censendum, diversis diversa, & adversa sentientibus circa illud. Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem hujusmodi pertinacem, cum scripturae sacrae, quae in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expresse, ipsamque scripturam sacram, per quam Fidei Orthodoxae probantur Articuli, quo ad praemissa fermentum uperte supponat continere mendacii; ac per consequens quantum in ea est, ejus in totum evacuans fidem Catholicam reddat ejus probationem adimens dubiam & incertam, deinceps erroneam fore censendam, & haereticam de Fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto. Rursum quoque in posterum pertinaciter affirmare quod Redemptori Nostro praedicto ejusque Apostolis in his quae ipsos habuisse sacra scriptura testatur, nequaquam jus ipsis utendi, seu consumendi competierit, nec illa vendendi, seu donandi jus habuerit, aut ex ipsis alia acquirendi, quae tamen ipsos de praemissis fecisse scriptura sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expresse, cum talis assertio ipsorum usum, & gesta evidenter includat in praemissis non justa. Quod utique de gestis seu factis Salvatoris, & Redemptoris nostri Dei Filii sentire nephas est, scripturae sacrae contrarium, & Doctrinae Catholicae inimicum, assertionem ipsam pertinacem de Fratrum minorum Consilio deinceps erroneam fore censendam merito, ac haereticam declaramus. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Avinionis u. Idus Novembris Pontificatus nostri anno 8. Anno Domini 1323. „

Subsequenter Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo Serenissimus Princeps Dominus Ludovicus Dux Bavariae electus in Regem Romanorum reputans se, & Fidem Catholicam enormiter aggravatos a dicto Domino Joanne appellationem defensivam sui Juris, & Imperii, & impugnantiam dictarum duarum Constitutionum, videlicet, *Ad Conditorem*; & *cum inter nonnullos*, fecit, & interposuit, & publice promulgavit, ostendens, & exprimens in ipsa appellatione plura gravamina, & injurias sibi, & Imperio de facto illatas, & dictas duas Constitutiones manifestas haereses continere. Cujus appellationis tenor noscitur esse talis.

## APPELLATIO LUDOVICI

*Imperatoris.*

„ NOs Ludovicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus proponimus contra Joannem, qui se dicit Papam XXII. quod inimicus sit pacis, & intendit ad discordias, & scandala suscitanda non solum in Italia, quod notorium est, sed etiam in Alamania, incitando Principes, & Praelatos commovendo per nuncios frequentes, & Litteras suscitando, ut contra Sacrum Imperium, & contra nos debeant guerram move-

„ re,

„ re, & pro viribus rebellare: & quod ſit lator di-
„ ſcordiarum, & ſeminator zizaniae inter Chriſti fi-
„ deles apparet manifeſte. Nam publice dicitur, quod
„ quando inter Reges mundi & Principes eſt diſcor-
„ dia, tunc Papa eſt verus Papa, & timetur, &
„ quilibet timet eum, & facit quicquid libet. Ex
„ hoc manifeſte ſe convincens ſitire effuſionem ſan-
„ guinis Chriſtiani. Maxime autem dicere dici-
„ tur, quod diſcordia Principum, Nobilium, &
„ Populi Alamaniae ſalus eſt, & pax Romani Pon-
„ tificis, & Eccleſiae. Unde cum multiplicaren-
„ tur in Alamanis occaſione diverſarum electionum
„ caedes, occiſiones, vulnera, & guerrae, & ſan-
„ guinis effuſiones proh dolor Innocentis, nunquam
„ unam litteram, vel qualemcumque nuncium miſit
„ ad obviandum praedictis periculis, atque malis;
„ cum tam haberet multos in partibus Alamaniae
„ exactores pecuniarum pro ipſo, & Collectores,
„ quibus hoc committere ſine aliquo ſuo onere po-
„ tuiſſet, ſi voluiſſet, vel ſi ſibi cura aliqua de hoc
„ fuiſſet, oſtendens facere contra doctrinam, & vi-
„ tam, & exemplaria Chriſti cujus vicarium ſe men-
„ titur, & dicit. Item actor omnis malitiae factus
„ ſimul, & Judex omnino ſubvertit judicium, &
„ tantum excaecavit eum malitia publice & noto-
„ rie, quod una clavium in ipſo prorſus errante
„ inſontes, pios, & innocentes, juſtos, atque fide-
„ les catholicos, ſicut patet late & notorie in tota
„ Lombardia, & in diverſis Italiae partibus tan-
„ quam patarenos, & haereticos condemnavit: ita
„ quod longe plures, ſi veritatem contineret ſua
„ prava ſententia haeretici eſſent, & haereticorum
„ fautores quam alii. Cum generaliter omnes fide-
„ les Imperii, & devotos nulla alia cauſa obtenta
„ hoc ipſo, niſi quod fideles ſunt Imperii, perpe-
„ tam, & inique pronunciat patarenos: non atten-
„ dens quod tunc manet Petri privilegium ubi ipſius
„ fertur aequitate Judicium. Quod autem una cla-
„ vium erret in ipſo patet, cum membra Chriſti
„ facit, & judicat membra Diaboli, & veros Ca-
„ tholicos tanquam veros haereticos condemnat, &
„ punit. Ipſe autem Phariſaeorum aſſumens ſibi ſu-
„ percilium putat ſe abſolvere, quos Deus ligat, &
„ ligare quos ſolvit. In hoc contra Deum, & Fi-
„ dem Catholicam, & Sacram Scripturam & veri-
„ tatem, & juſtitiam faciendo. Item ſtatuta, & Ca-
„ nones Sanctorum Patrum, & declarationes veri-
„ tatis fidei mutat, & variat, prout vult, & ipſis
„ apertiſſime contradicit, cum tamen inconvulſis
„ radicibus vivat antiquitas, cui decreta Patrum
„ ſanxerunt reverentiam, cum etiam hujuſmodi de-
„ claratio immutabilis ſit omnino. Item quod non
„ recognat, quod Beato Silveſtro Papae, latenti
„ tunc temporis in ſpelunca magnificentiſſime con-
„ tulit Conſtantinus quicquid Eccleſia libertatis ho-
„ die obtinet, vel honoris. Ipſe autem Silveſtri ſuc-
„ ceſſor, ut dicit, male reſpondet Imperio de prae-
„ dictis; imo ſacrum Imperium exterminare nititur
„ per ſas, & nefas, & per omnem modum ſuos fi-
„ deles, & devotos deſtruere. Sicut patet in pro-
„ ceſſu nuper contra Sacrum Imperium, & nos, &
„ juſtitiam noſtram facto, in quo etiam abutitur no-
„ torie plenitudine poteſtatis, quae non niſi ad aedi-
„ ficationem Eccleſiae datur: Et cum non poſſit
„ judicare nec debeat, niſi ſecundum juſtitiam, ma-
„ litioſe & injurioſe juris pervertit ordinem, pro-
„ ceſſus ſuos fundando ſuper notoriis, quae tamen
„ non ſolum ſunt notoria, ſed manifeſte falſa, ut
„ in ſuis proceſſibus clare patet. Item patet eviden-
„ ter quod in dicto proceſſu qui potius exceſſus eſt
„ nuncupandus omnino defuit pars citata, quae non
„ fuit praeſens, nec per contumaciam abſens, nec
„ aliqua de vobis facta fuit citatio, prout poſtulat
„ ordo Juris, cum ſcriptura Canonica teſtetur, non
„ eſſe conſuetudinis Romanis Pontificibus damnare
„ aliquem hominem prius quam is, qui accuſatur
„ praeſentes habeat accuſatores, locumque ad defen-
„ dendum accipiat ad abluenda crimina; & Divina

„ Lex non judicat hominem niſi audierit ab ipſo
„ prius, & cognoverit quod fecerit. Ipſe autem
„ jura divina, & humana omnino ſubvertit. Et bre-
„ viter ipſe pronuncians, quae dicitur facta terror,
„ ſententiam nullam eſſe decrevit, & propter defe-
„ ctum Judicis quod ſuo loco, & tempore, & co-
„ ram quibus debemus, & ubi debemus, manife-
„ ſtiſſime oſtendemus, & etiam oſtenditur. Item
„ apparet intentio ſua prava evidenter, quod ad ex-
„ terminium ſacri Imperii tendit, & noſtrum, &
„ Principum, & devotorum ipſius, cum conſtet
„ Romanum Imperium a Deo praeparatum ad prae-
„ parationem, & dilatationem Evangelii, & ad Ca-
„ tholicam fidem cunctis malignis incurſibus tuen-
„ dam. Et ſic Sacri Evangelii eſt ſubverſor noto-
„ rius, & deſtructor. Item conſtat quod per iſtos,
„ & alios ſuos proceſſus malignos, qui exceſſus
„ verius dici poſſunt, tendit ad exterminium ſacri
„ Imperii, atque noſtrum, & Principum Imperii
„ electorum, & aliorum principum & devotorum
„ Imperii, & libertatis, & dignitatis ipſius, & ad
„ deſtructionem inconcuſſarum, ſacri Imperii con-
„ ſuetudinum, quae apud nos pro jure indubi-
„ tato ſervantur, & ſervatae ſunt ab antiquo. Ipſe
„ Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & Abbatias con-
„ fert parcialiter, & indignis omnino cujuſcumque
„ aetatis ſint, & qualiſcumque vitae, dummodo ſint
„ Imperio rebelles, & inimici; quantumcumque ſint
„ naturaliter vaſſalli Imperii. Nullus autem Impe-
„ rialis per ipſum poteſt quomodolibet promoveri niſi
„ forte ſimulet ſuæ iniquæ voluntati contra Imperium
„ velle favere quantumcumque dignus, & ſuffi-
„ ciens, quantumcumque peritus, & doctus, quan-
„ tumcumque bonæ, & ſanctæ vitæ. Et hoc egit,
„ & agit continue in contemptum Dei, & in da-
„ mnum Eccleſiarum, & in periculum animarum, &
„ notorium praejudicium ſacri Imperii, & notabile
„ praejudicium juſtitiae noſtrae, atque Juris, & Im-
„ perii ſubditorum, & devotorum ipſius. Item pa-
„ tet in proceſſu aperte, ſi tamen proceſſus dici poſ-
„ ſit, qui eſt exceſſus potius cenſendus, quem nu-
„ per feciſſe dicitur quod ad exterminium, & de-
„ ſtructionem ſacri tendit Imperii, & notabile no-
„ ſtrae juſtitiæ atque juris, & ad perpetuum grava-
„ men & præjudicium Principum Imperii electorum:
„ Et ad deſtruendas, & annullandas conſuetudines
„ Imperii approbatas, rationabiles, & praeſcriptas, &
„ ſervatas in factis, & proceſſibus Imperii ab eo
„ tempore cujus memoria contrarii non exiſtit, ut
„ patet in omnibus, & ſingulis capitulis ſupraſcri-
„ ptis, & ſubſequentibus. Primo quia ille cenſetur
„ in concordia electus ad Imperium, qui a majori
„ parte electorum, puta a quatuor electus fuit; &
„ tamen cum nos fuimus non ſolum a majori par-
„ te electorum, imo a duabus partibus principum
„ electorum electi, ſicut notorium eſt; Ipſe tamen
„ tanquam temerarius, & falſitatis amator, & ve-
„ ritatis, & juſtitiae inimicus falſo dicere dicitur e-
„ lectionem noſtram in diſcordia factam eſſe, quod
„ eſt contra conſuetudines approbatas Imperii, &
„ præjudicium Imperii electorum, & in præjudi-
„ cium ſacri Imperii & gravamen, atque noſtrum,
„ & omnium Chriſti Fidelium, & præcipue Alama-
„ niæ ſcandalum manifeſtum. Item cum conſuetu-
„ do Imperii approbata, quæ pro jure ſervatur a-
„ pud nos manifeſte habeat, quod electio in loco
„ ad eligendum Regem Romanorum, & in Impe-
„ ratorem poſtmodum promovendo ſcilicet in Op-
„ pido de Franchefort ab omnibus electoribus, ſi-
„ ve a majori parte ipſorum, ſive etiam a minori
„ dummodo fiat electio a duobus Electoribus ibi-
„ dem præſentibus ad minus, & in die ad eligen-
„ dum præfixa per eum ad quem ſpectat præfige-
„ re, hujuſmodi electus habendus eſt tanquam in
„ vera concordia electus, & ſibi debet obediri, ut
„ Regi a ſubditis, & vaſſallis Imperii, & Corona
„ præberi ſibi in Aquiſgrani quandocumque voluerit.
„ Et ſi qui vaſſalli, & fideles eidem non obedierint

sunt ipso facto omnibus, quæ tenent ab Imperio privandi. Ipse autem malignus maligne ad exterminium tendens sacri Imperii, & Principum electorum, & ad destructionem, & subversionem nostræ justitiæ, atque juris, & consuetudinum approbatarum Imperii, electionem de nobis factam non solum a majori parte, imo a duabus partibus electorum, & in loco de Franchefort ad hoc antiquitus deputato: Et in die ad eligendum praefixo per eum, qui præfigere potuit, falso, & mendaciter dicit in discordia celebratam: Et nos sic electum administrare non posse, nec legitime ministrasse, & homagia, & juramenta fidelitatum, & alia jura Imperii non potuisse egisse, nec posse recipere. Quod constat in omnibus esse falsissimum, & a veritate omnimoda omnino alienum, & contra praedictas consuetudines Imperii approbatas. Item cum sic electi, coronati fuerimus, & inuncti in loco ad coronandum, & inungendum Reges Romanorum electos in Imperatores promovendos antiquitus deputato, videlicet in Oppido de Aquisgrani. Ex quo ex electione prædicta, præcedente hujusmodi coronatione, inunctione subsequente, secundum consuetudines approbatas, quae pro lege servantur est electus verus rex Romanorum, & sibi, ut vero Regi, debet a subditis, & vassallis Imperii obediri, & eidem homagia, & fidelitatis juramenta præstari, & jura Imperii assignari. Ipse autem malitiosus subversor Canonum, & Jurium violator, & consuetudinum prædictarum intendens totaliter ad exterminium sacri Imperii, & libertatum, & dignitatum Imperii, & ad exterminationem, & annullationem Principum Imperii electorum, & omnium subditorum Imperii Alamaniæ totius falso dicitur affirmare in processu, si tamen processus dici potest, qui potius excessus nuncupandus est, quod nobis totaliter & inunctis, & coronatis in Regem, adhuc vacat Imperium, cujus Imperii sic vacantis regimen ad ipsum asserit pertinere. Quod constat esse falsissimum, & ab omni veritate omnino alienum, sicut ex prædictis clarere potest cuilibet intuenti. Et quod nos Marchionatum Brandeburgensem, quem Marchionatum nominat, quem vacantem primogenito nostro cum consilio magno contulimus, & alia multa quæ fecimus, & quæ ad ejusdem regni, & Imperii regimen spectare noscuntur, facere non potuimus, & de facto fecimus. Quod constat omnino esse injustum, & temerarium, & iniquum, & magna falsitate assertum, & de profunditate summae malitiae emansisse, & contra Deum, & justitiam, & contra Imperii & nostra jura, & contra consuetudines approbatas prædictas, & contra sacri Imperii libertatem, & dignitatem, & utilitatem, & contra jura, & libertates principum Imperii electorum, & aliorum principum Alamaniæ totius, & omnium Imperii subditorum, & vassallorum, & in præjudicium, & gravamen praefati filii nostri Marchionis Brandeburgensis, & contra justitiam suam, & jura, & aliorum qui pro eisdem processibus quomodolibet læderentur. Item contineri dicitur in eodem processu, si processus dici potest, qui in veritate excessus notorius est censendus, cum omnino omnimoda careat veritate, & totus sit, & totaliter iniquitate, & injustitia plenus, quod si vassallis nostris favemus, quos favere, & adjuvare juravimus, & pro posse tenemur, qui contra Deum, & justitiam, & omnimodam æquitatem, & in diversis partibus Italiæ, & nonnulla alia occasione, vel causa, nisi quod vassalli Imperii existentes, & in devotione Imperii persistentes nomen Imperii invocant, & suis malignis conatibus quibus eos sibi contra Deum, & justitiam subicere, & subjugare nititur per vias bellicas, & a Dei sacerdotibus alienas, & per tales circumventiones, & fraudes, & dolos varios, & diversos quos pudor est enarrare, ipsos conatur subjicere faucibus inimicorum suorum quos filios Ecclesiae nominat crudeliter devorandos, se, & suam justitiam pro posse juste, & secundum Deum, & veritatem defendunt, crimen ut dicit incurrimus fautoriae, quod absit a seculo. Nos enim veri fideles, atque catholici veri existentes tenemur, & volumus fidem catholicam totis viribus defendere, & defensare, & veros haereticos, & patarenos, & fautores, defensores, & receptatores ipsorum totis viribus impugnare. Sed haec de nobis perperam dicit, quia haec volumus, quae velle debemus. Sicut non decet nos pati, nec volumus, nec debemus, quod nostri vassalli, & subditi impii per vias malignas, & impias ac dolos, & fraudes varias, & commenta diversa veri catholici, & fideles christiani existentes, falso & contra veritatem dicantur haeretici, ut ipsius ex hoc hostium nequitia, atque malitia, destitutos multorum auxiliis, qui adhaerent eisdem facilius valeat conculcare. Quin verius dici potest, & justius eos qui falso contra justitiam eis imponunt talia excommunicatos fore, & arguendos graviter, ac etiam puniendos. Cum falso talia imponentes sint de jure poena eorum, quibus talia imponuntur si vera essent debita plectendi, ac etiam puniendi. Et sic ipse perperam talia agens, ac falso imponens, & imponi faciens est potius poena simili puniendus, ac condemnandus, cum idem ipse contra praedictos sit accusator simul, & Judex, & Testis prout notorium est toti mundo, non sine magno contemptu Dei, & in scandalum fidelium, & praejudicium, & gravamen Imperii, & Imperii subditorum, & devotorum, maxime cum notorium sit taliter ut asserit judicatos de haeresi, quod tamen nobis non constat, nec constitit Fidem catholicam, & articulos fidei, & pertinentia ad ipsam, & sacramenta Ecclesiae, & pertinentia ad ipsa, & quicquid sancta Ecclesia tenet, & praedicat publice coram populis, & notariis publicis, quos ad hoc rogaverunt conficere publica instrumenta, fuisse professos simpliciter, atque fideliter, & hoc non obstante ad testimonium suorum inimicorum capitalium vilium praedictarum, qui possent legitima exceptione repelli, & per inimicos eis judices fuisse, ut dicitur judicatos, & non citatos omnino, vel ad locum omnino notorie eis suspectum fuisse citatos, ubi sine mortis periculo comparere non poterant, nec tenebantur de jure, eis nihilominus petentibus, & in petitione persistentibus, tutum locum sibi assignari, in quo possent sine mortis periculo comparere. In quo comparere prout, & sicut & coram quibus de jure tenerentur humiliter, & devote se offerendo. Sicut in appellationibus, & supplicationibus per eosdem procuratores eorum per instrumenta publica factis continetur expresse, de quibus suis loco, & tempore, & ubi, & quando, & prout, & coram quibus expedierit, & tenebimur, & de jure tenebuntur, parati sumus, & parati sunt praedicti facere plenam fidem etiam per instrumenta publica. Ex quo patet manifesta injustitia, & iniquitas notoria processuum praedictorum, qui excessus potius dici possunt. Nos autem de jure tenemur, & obligati sumus ad hoc proprio juramento, quod in coronatione nostra praestitimus ab injustitiis, & oppressionibus, & calumniis falso impositis, ita vassallos nostros, & subditos defendere, & tueri, sicut ipsi nos defendere, & tueri tenentur, vel si non faceremus, contra Deum & justitiam faceremus, & graviter erraremus. Praeterea cum videremus, & semiremus, & a fide dignis audiremus, & per famam publicam ad nostram notitiam pervenisset, quod diversae partes Imperii praecipue in Italia, ut est manifestum toti mundo, nec aliqua potest tergiversatione celari, commotae erant atque turbatae, imo fere destructae propter falsam impositionem haeresum quam praedictus qui se dicit vicarium

„ Dei

„ Dei, diversis Dei fidelibus, & devotis Imperii
„ fallo imposuerat, & continuo imponebat, & im-
„ poni fecerat videlicet Civitatibus inscriptis, &
„ majoribus fidelibus, & vassallis Imperii in eisdem
„ videlicet Civitati Mediolanensi, Civitati Cumanae,
„ Civitati Pargamensi, Civitati Cremonensi, Civi-
„ tati Vercellensi, Civitati Veronensi, Civitati Vi-
„ centiae, Civitati Eltrenensi, Civitati Vallisvalensi,
„ Civitati Placentinae, Civitati Parmensi, Civitati
„ Brixiensi, Civitati Alexandrinae, Civitati Terdo-
„ nensi, Civitati Sagonensi, Civitati Albinganensi,
„ & diversis aliis villis, Castris, & locis, quae dum
„ prius per fideles Imperii tenerentur, in omni pace
„ erant, & quiete: Tandem nonnullae ex eis ve-
„ xatae per gentes ejusdem dominii, & legati ipsius
„ per intolerabiles eis guerras, incendia, depopula-
„ tiones, & caedes, quae etiam requisitae, quod ad
„ mandatum Sanctae Romanae Ecclesiae redirent,
„ licet omnes de jurisdictione temporali sacri Im-
„ perii, & non alterius esse noscuntur, dum ad di-
„ ctae Ecclesiae voluntatem redierunt sub spe certa
„ fiducialiter eis data, quod bene tractarentur; ex-
„ pulsis ideo omnibus, qui nomen sacri Imperii in-
„ vocabant omnino nequiter fracta quoque fide tra-
„ diti sunt crudeliter inimicorum suorum faucibus
„ devorandi pro libito voluntatis dominantis. Ex
„ quibus omnibus patet satis, quod idem fieri fe-
„ cisset de omnibus aliis si ad eorum potuissent do-
„ minium provenire, quod absit, ad quod est totis
„ nisibus conatus, & praecipue Domino Matthaeo
„ quondam Vicecomiti, & Domino Galeatio Vi-
„ cecomiti Vicariis Imperii in Civitate Mediolanensi:
„ Et Domino Cani de Scala vicario ipsis in Civi-
„ tate Veronensi, & Vicentinae. Et Domino Pas-
„ sarino de Bonacassis Vicario Imperii in Civitate
„ Mantuana, & Mutinensi supradictis: Devotis
„ etiam nostris atque fidelibus Januensibus, qui in
„ fidelitate Imperii persistentes expulsi sunt nequiter,
„ & expulsi detinentur in Civitate Januae per vici-
„ nos ipsorum, ipso Domino jubente, atque man-
„ dante, & in omnibus favente prout est notorium,
„ & omnibus manifestum. Eamdem haeresim, &
„ fautoriam falso, & perperam conatur imponere,
„ & imponi facere Civitatibus, & Terris, quae de-
„ tinentur per ipsos videlicet Civitati Sagonensi, Ci-
„ vitati Nauli, Civitati Albinganensi, & omnibus,
„ & singulis faventibus quoquomodo: & assistenti-
„ bus, & auxilium, & consilium, & favorem prae-
„ bentibus publice, vel occulte: Et omnibus, &
„ singulis Civitatibus & Terris, & nobilibus, &
„ vicariis antedictis involucris, & generalitatibus,
„ quae comprachendunt omnes Imperii devotos at-
„ que fideles praecipue Civitatem Lucanam, & Ca-
„ struciunt de Interminellis vicarium Imperii in
„ eadem Civitate: Et Civitatem Pisanam, & nobi-
„ lem Virum Comitem Nerium regentem Civita-
„ tem ipsam: Et Civitatem Aretinam, & dilectos
„ Imperit, & fideles nostros: Et nobiles de Petra-
„ mala, & nonnullos alios Marchiones, Marchio-
„ nem praecipue Montis ferrari, Marchionem Salu-
„ tiarum, Marchionem de Ceva, & omnes alios
„ Comites Imperii Palatinos, & alios Marchiones,
„ & Comites, & Barones, qui omnes sicut veri
„ Catholici firmiter credunt, & simpliciter confi-
„ tentur. Nunquid fideles, & devotos Imperii sic
„ crudeliter tractatos, & immaniter de tanto, &
„ tali scelere contra Deum, & justitiam judicatos
„ debemus deserere, & tot & tantis oppressionibus
„ contra Deum & justitiam indefensos? Certe ne-
„ quaquam. Cum manifestum sit, & in Corpore
„ Juris redactum Imperatorum & Principum anti-
„ quorum, ne occasione religionum, haeresumque,
„ quaestionum permittantur Provinciae Imperii com-
„ moveri, atque turbari, aut aliter qualibet praece-
„ ptione injungi, & subjugari provincias, imo pro-
„ videndum esse cum competenti utilitate fidelibus,
„ & quae facta sunt oportet diligentissime perscru-
„ tari, & nullo modo permittere contra Imperii prae-

„ ceptiones aliquid fieri occasione religionum, vel
„ haeresum, sed praedictis haeresibus Deo amabilis,
„ & decens, & conveniens terminus detur, ut &
„ Orthodoxa fides custodiatur illaesa, & indemnitas
„ juribus fiscalibus procuretur, & devoti, & subje-
„ cti Imperio a praedictis falsis impositionibus illæsi,
„ & inviolati serventur. Quanta autem hujusmodi
„ sit commotio totius Provinciae; Quanta autem
„ turbatio tot, & tantarum, & talium Civitatum,
„ & tot, & tantorum nobilium, talis & tanta ca-
„ lumniosa oppressio quilibet sanae mentis advertit.
„ Item ipse non sequens viam, cujus se dicit vi-
„ carium, sed potius contraria agens Barones, &
„ Praelatos Regni Alamaniae Imperii vassallos, &
„ multos, & plures Principes, & vassallos Imperii
„ & multos de Italiae partibus excitare visus est,
„ & inducere per litteras, atque nuncios frequentes,
„ quod nobis & Imperio rebellarent, & rebellantibus
„ nobis adhaereant inducendo eos per hoc ad transgres-
„ siones juramentorum, & fidei, & effusionem non
„ modicam, quam, ut crudelis crudeliter sitit, san-
„ guinis Christiani, sicut vobis constat, & aliis
„ constare potest, & constabit suo loco, & tem-
„ pore per ipsius bullatas litteras, & per relationes
„ illorum quibus talia commisit, & committit: Qui
„ sicut viri probi, atque fideles Sacri Imperii atque
„ nostri commissiones tales abominantur, & abhor-
„ rent. Non sunt haec Pontificis opera, non Vi-
„ carii ut se nominat Jesu Christi, sed crudelis, &
„ diri Tiranni, qui in profundum malorum digno-
„ scitur descendisse, & ad exterminium Sacri Im-
„ perii, & nostrum intendere toto corde; ad hoc
„ autem venenum suum plenius evomendum in di-
„ cto processu, sive excessu mandare dicitur subdi-
„ tis juris Ecclesiasticis, & mundanis, seu secula-
„ ribus, etiam cujuscumque status, vel conditionis
„ existant, etiamsi regali, vel quacumque alia prae-
„ fulgeant dignitate sub pœnis gravibus inflictis vel
„ etiam infligendis, ne nobis tanquam Regi Roma-
„ norum, & in Regem Romanorum electo pareant,
„ vel intendant, aut ne praestent auxilium, consi-
„ lium, & favorem. Quod constat esse manifestis-
„ sime iniquissimum, & omnino injustum, & im-
„ pium, & ad effusionem gravem pertinere sangui-
„ nis Christiani: & contra nostram manifestam ju-
„ stitiam atque jura, ut ex prædictis apparet, & con-
„ tra libertatem, & dignitatem, & utilitatem Sacri
„ Imperii electorum, & aliorum Principum, & o-
„ mnium Imperii subditorum. Et contra consuetu-
„ dines Imperii approbatas praedictas, quae pro lege
„ servantur, & servatae sunt ab antiquo, praecipue
„ contra consuetudinem approbatam, atque serva-
„ tam ab eo tempore, cujus memoria contrarii non
„ existit, qua cavetur, quod si vota Principum ad
„ quos spectat eligere, ad eligendum convenientium
„ dividantur in plures, & duo in discordia eligan-
„ tur, alter electorum, qui potentior fuerit, & prae-
„ valuerit debeat obtinere; sed victoriam vobis con-
„ tulit plenam, atque plenissimam misericors Do-
„ minus, ad quem bellorum spectat victoria, ut vi-
„ cto hoste, & adversario conculcato potentiorem,
„ atque victorem nos fecerit per misericordiam suam.
„ Licet electio adversarii nulla fuerit, & nullum jus
„ tribuere eidem potuerit, nec nostro in aliquo de-
„ rogare, quia a minori parte Principum fuit ele-
„ ctus, videtur a duobus: Et quia facta fuit ex in-
„ tervallo post primam electionem nostram: Et ideo
„ ut nulla nullum sibi jus tribuere potuit, nec no-
„ stro in aliquo derogare. Item quia electio sua
„ facta fuit non in loco debito de Franchenfort,
„ & sic nulla de jure, & per consuetudines appro-
„ batas praedictas. Item quia facta fuit non in ter-
„ mino & die praefixo ad eligendum per eum ad
„ quem spectat praeligere, & sic nulla per Jura com-
„ munia, & per consuetudines Imperii approbatas,
„ quae pro jure servantur. Item quia coronatus fuit,
„ & inunctus in Regem non in loco ad hoc an-
„ tiquitus deputato, videlicet Aquisgrani, & ex plu-

,, ribus aliis rationibus evidentibus, atque causis,
,, quas numerare, & esprimere non expedit, velut
,, notorias, & manifestas. Diffusius autem patere di-
,, citur veneni praedicti in processu, imo excessu prae-
,, fato totaliter iniquitatibus, & injustitiis pleno, dum
,, reservasse sibi dicitur, quod possit pendente dila-
,, tione contra nos procedere prout sibi videbitur
,, espedire. Ex quo manifeste patet odium noto-
,, rium, quod ad sacrum Imperium, & nos gerit,
,, & sua maligna intentio, & manifesta iniquitas &
,, injustitia judicantis, & ex animo, & ex ordine,
,, & ea causa. Item manifestissime patet quod de
,, Sacro Imperio, & nobis prius inimicum capi-
,, tale constituit: & nos & devotos Sacri Imperii
,, videlicet persequendo, & rebelles hostes Imperii,
,, videlicet locorum publice, & notorie confoven-
,, do, inimicorum nostrorum, & Sacri Imperii, uten-
,, do consiliis, immo se ipsum. & actus suos, &
,, opera sua dirigendo in omnibus, & per omnia
,, consiliis eorumdem. Et post haec Judicem no-
,, strum se constituere nititur contra antiquos Ca-
,, nones decernentes, quod suspecti, & inimici Ju-
,, dices esse non debent. Praeterea cum constet, &
,, notorium sit omnes Reges Romanorum electos
,, etiam in discordia licet electio nostra haberi de-
,, beat omnino ex causis evidentibus pro concordi,
,, ut superius est narratum. Et tam Lotharius, quam
,, Corradus, tam Philippus, quam Otto, tam Ri-
,, chardus, quam Alfonsus, tam Adolfus quam
,, Albertus electi fuissent in discordia, tamen admi-
,, nistraverunt semper Imperium, sicut & potuerunt
,, de jure. Nec per quemquam Romanum Ponti-
,, ficem praesumptum fuit, quod nuper noscitur at-
,, tentatum per ipsum in praejudicium & gravamen
,, notorium Sacri Imperii & Principum aliorum.
,, Praeterea electione nostra a majori parte, Imo a
,, duabus partibus principum facta, & quae ex causis
,, evidentibus, & notoriis dicitur esse legitima. Nobi-
,, lis vir Fredericus Dux Austriae licet non in loco
,, electionis, nec in die ad eligendum praefixa a longe
,, minori parte principum, videlicet a duobus tantum-
,, modo se eligi fecit in Regem. Et ex praedicta ele-
,, ctione non solum nos qui de jure notorio potera-
,, mus, & debebamus, possumus, & debemus, admini-
,, stravimus, imo etiam ipse Fridericus, cum in admini-
,, stratione sua ipse procedens, Imo verius excedens fa-
,, vit pro posse suo, sicut notorium est, & manife-
,, stum, nec aliqua potest tergiversatione celari.
,, Nunquam non tamen solum nobis sicut nec de-
,, buit, nec potuit, sed nec ipsi Frederico, quem
,, administrare sciebat administrationem quomodoli-
,, bet interdixit. Cum tamen, & ante assumptio-
,, nem suam, & post ipsam jam per annos octo,
,, & ultra administraverimus, & administrare nos
,, sciret notorie, ac etiam evidenter, sicut potera-
,, mus, & debebamus, possumus, & debemus, ut
,, patet ex supradictis. Ex quibus manifestissime pa-
,, tet quod non justitiam, non veritatem prosequi-
,, tur in praedictis, sed ad praedicta movetur ani-
,, mo iniquo, & malo, & ad plantandum in mun-
,, do discordias, & scandala, per quae sanguinis
,, effusio possit sequi, quas visus est totis viribus
,, per universa mundi climata seminare. Item per
,, diversas mundi partes, & provincias persequens
,, Imperiales, & sacrum Imperium parti eos impu-
,, gnanti favet, & favit, prout est notorium toti
,, mundo ipsos filios carissimos Ecclesiae appellan-
,, do, & conando pro viribus subjugare devotos
,, Imperii, & fideles eorum faucibus devorandos;
,, adeo quod se jactat quod remanebat in brevi de
,, Imperialibus omnibus, & Imperio adhaerentibus
,, unus, cum ipsum destruxerit, & confuderit. Ita
,, quod nemo de Imperialibus, & Imperio adhae-
,, rentibus, atque fidelibus remanebit, quod absit.
,, Et nos ex juramento quod in nostra Corona-
,, tione praestitimus tenemur, & obligati sumus
,, ad resistendum viriliter, & obviandum impietati,
,, & crudelitati praedictae, ne manus ipsius plenae
,, sanguine, & animus ejus crudeliter sitiens san-
,, guinem Christianum possit complere, & imple-
,, re, quod contra praedicta cogitaverunt, coepe-
,, runt, & conceperunt. Item non sequens viam
,, ejus cujus Vicarium se dicit, qui nascendo pa-
,, cem fecit annunciare in terris, & vivendo pa-
,, cem servavit, & finaliter pacem suam relinquen-
,, do discipulis suis reliquit, cum nobiles viros de
,, Graubach, & de Trevelingen, & de Suffen Co-
,, mites ad Legatum ejus in Italiam Legatos no-
,, stros de latere, nostros mitteremus facturos ejus
,, pace, & auxilio pacem, & concordiam inter
,, partes, quae illic sibi bellum & duras guerras
,, movebant, continue ipsarum partium invitatione,
,, & pietatis officio excitati, ipse renuebat, & bel-
,, lum, & obsidionem fidelibus Mediolanensibus
,, paravit, & parari fecit, sicut in illis partibus est
,, notorium & manifestum. Quod tamen professio-
,, ni suae nomine congruebat, dictos Comites in
,, nostrum, & suorum, vel verius in ipsius vitu-
,, perium dimisit inhoneste nimium. Item ipse cru-
,, delis usurpator jura Principum, Imperii privata
,, negocio indiscusso, parte inaudita nititur usurpa-
,, re. Cum enim vacante Imperio Comiti Palatino
,, Reni de jure, & approbata consuetudine Impe-
,, rii approbata hactenus observata inconcusse prae-
,, sertim in partibus Alamaniae jus competat admi-
,, nistrandi jura Imperii, feuda ecclesiastica, & tem-
,, poralia conferendi, & cuncta alia negocia dispo-
,, nendi, Ipse in dicti Principatus, & Principum
,, suorum injuriam contendit, quod in nullum casum
,, sibi competit ad se administrationem vacantis Im-
,, perii pertinere. Item in Consistorio manifeste
,, dixit, quod ipse ad conculcandum Serpentem
,, aeneum, Imperium Alamanorum omnibus tem-
,, poribus suis laborare vellet, & intendere toto
,, posse sicut effectu declarat operis, & approbat
,, tota die. Item nobis electis, & administrantibus
,, jura Imperii Vicarios constituisse dicitur. Ipsum
,, quoque Imperium sic usurpare sibi satagit, & co-
,, natur & tamquam vulpis subdola, nunc nobis,
,, nunc Duci Austriae, qui se ingessit ad Impe-
,, rium se favere fraudolenter ostendit, ut nos ad
,, Invicem concitaret, & ipse vobis contendentibus,
,, & invicem nos exterminantibus partem suam red-
,, deret pinguiorem. Ille enim inimicus pacis, ho-
,, stis Imperii, qui venit mittere non pacem, sed
,, gladium pro statuendis saltem treguis inter nos,
,, vel faciendi pace, vel de statuenda justitia, nec
,, manus apposuit, nec operam ullam dedit diii-
,, gens guerras, & sitiens sanguinem, ut animam
,, suam inebriaret sanguine Innocenti, & contra
,, occupationem, vel subversionem Imperii suos ap-
,, petitus malivolos satiaret. Non sufficit autem sibi
,, temporalis Imperii jura attentare, & subvertere, &
,, in Coronam nostram, ac fidelis Imperii tam ne-
,, quiter desævire, nisi & in ipsum Dominum nostrum
,, Jesum Christum, Regem Regum, & Dominum
,, Dominantium, Principem Regum terrae, & ejus
,, Sacratissimam Matrem, quae ejusdem voti, &
,, status cum filio in observantia paupertatis visit,
,, & Sanctum Apostolorum Collegium ipsorum de-
,, nigrando vitam, & actus insurgeret, & in do-
,, ctrinam evangelicam de paupertate Christi altissi-
,, ma, in qua exemplaris perfectio exterioris vitae
,, ipsorum de pleno, & perfecto mundi contem-
,, ptu, tanquam in fundamento mobili est firma-
,, ta. Quod fundamentum non solum sua mala
,, vita, & a mundi contemptu aliena conatur sub-
,, vertere, sed haeretico dogmate, & venenata do-
,, ctrina in praedicationibus publicis, & solemnibus,
,, & variis assertionibus affirmando asserit Chri-
,, stum, & Apostolos habuisse bona communia in
,, communi, eo modo, quo alia collegia habent.
,, Quod dictum est notorie haereticum, & propha-
,, num contra Evangelii Sacrum Textum. Innume-
,, ta enim fuit dicta Sanctorum, Prophetarum prædi-
,, cantium Christi paupertatem altissimam, cujus re-

,, nova-

„ novator fuit principalis Seraphicus vir Franciscus.
„ Tota enim silva Sacri Evangelii, quo ad Christi
„ ortum, incolatum, & exitum, & dicta Sancto-
„ rum Doctorum, & discipulorum ipsorum Apo-
„ stolorum, usque ad hæc tempora, omnia clamant
„ Christum scilicet, & Apostolos vixisse in altissima
„ paupertate prædicta, quæ consistit in nihil ha-
„ bendo civiliter in hoc mundo. Quod si quæratur
„ quid vult dicere altissima paupertas, de qua Apo-
„ stolus dicit altissima paupertas eorum &c. Respon-
„ det Innocentius Papa V. Alta paupertas est ha-
„ bere pauca propter Deum propria. Altior quae
„ nulla habet propria, habet tamen in suo collegio
„ in communi. Altissima quae nihil habet in hoc
„ mundo in proprio, nec in communi: Et haec fuit
„ Christi, & Apostolorum. In hoc immobili funda-
„ mento almus Christi Confessor Franciscus Pater
„ ejusdem Ordinis Ordinem fundavit: Et sancta
„ Mater Ecclesia regulam quam Christo sibi reve-
„ lante composuit, approbavit, & confirmavit; &
„ per plures Romanos Pontifices, videlicet, Hono-
„ rium III., Gregorium IX. Innocentium IV., A-
„ lexandrum IV., Innocentium V. Nicolaum III.
„ & IV., & per diversos alios Pontifices Roma-
„ nos declaravit, omnibus una concordi voce di-
„ centibus, quod haec est regula Evangelica Chri-
„ sti, & Apostolorum imitativa, quae nihil habet
„ in hoc mundo proprium, vel commune. Sed in
„ rebus, quibus utebantur, & utuntur, habebant,
„ & habent tantummodo simplicem facti usum. Et
„ ut regula, Beati Francisci ostenderetur vere a Deo
„ existe, & ut non oporteret professores ipsius time-
„ re, ne perirent penuria, ad subventionem pauper-
„ tatis ipsius probata est multoties miraculose eidem
„ totius mundi machina deservire, prout in vita ip-
„ sius per Ecclesiam approbata plenius continetur.
„ Et ut apparet evidenter praesentibus & futuris re-
„ gulam a Beato Francisco editam, & ab Ecclesia
„ confirmatam esse vere illam, quam Christus Apo-
„ stolos docuit, & in se ipso exemplo firmavit,
„ quo ad hunc articulum eandem regulam in suo
„ anctore Francisco dignatus est Jesus Christus bul-
„ lare stigmatibus suæ Sacratissimæ Passionis. Un-
„ de & paucis elapsis diebus a conditione ejusdem
„ regulæ, meruit stigmatibus insigniri, ut non præ-
„ sumeret homo mortalis evertere bulla plumbea,
„ quod immortalis Deus regnans in Cælo suæ pas-
„ sionis & Crucis signaculis stabilivit: & omnes
„ Romani Pontifices praedecessores istius, & plura
„ generalia concilia cum multa devotione, & reve-
„ rentia praedictae regulae continentiam per pauper-
„ tatem altissimam, quae est in nihil habendo mun-
„ dane in proprio, vel in communi multiplicibus
„ rationibus confirmaverunt. Hic autem oppressor
„ Christi pauperum, vitae Christi, & Apostolorum
„ inimicus praedicta omnia parvipendens, ac volens
„ Christi paupertatem altissimam de medio tollere, &
„ sub miris dolis, & fraudibus, & venenatis fallaciis
„ ipsam totaliter annullare, duo nefanda statuta, in
„ quibus haeresiarca, & haereticus perfectus cum aliis
„ assertionibus alias factis notorie comprobatur, & in
„ Christi vitam blasphemus, & sacris diffinitionibus
„ Sanctorum piorum Pontificum praedictorum aperte
„ contrarius promulgavit. Quae constitutiones ipsum
„ sicut manifestum haereticum & de corpore Ec-
„ clesiae praescissum incidisse in sactum damnatum
„ haereseos, & per consequens ab omni statu prae-
„ lationis depositum ejecerunt. Prima constitutio est
„ promulgata per ipsum in Avinione 6. Idus De-
„ cembris Anno Domini millesimo tercentesimo
„ vigesimo secundo, quae incipit *ad Conditorem Ca-*
„ *nonum*. In cujus constitutionis textura quam vi-
„ liter, quam inepte & irreverenter ad praedictum
„ ordinem professorem altissimae paupertatis, &
„ quam haeretice contradicat constitutioni catholicae
„ fel. rec. Domini Nicolai III. & declarationibus
„ praedictorum Pontificum patet perlegenti: & in
„ ipsa constitutione involvi, & confundi multas sen-
„ tentias Juris, & prophetiae, & nostrae fidei non
„ tam sermonibus imperitis, quam haereticis, & in-
„ sanis. Et ex affectibus pravis, & personarum de-
„ fectibus insipienter, & haeretice arguit contra sta-
„ tum religionis minorum Fratrum Christi imitato-
„ rum devotum, Catholicum & sublimem, & in
„ magnum opprobrium ipsius ordinis, & contume-
„ liam summi legislatoris Christi Jesu per cavilla-
„ tiones legum Principum mundanorum nititur,
„ ipsius perfecta consilia, quae verbo docuit, & e-
„ xemplo firmavit, tanquam impossibilia denigrare,
„ imo verius ut haereticus annullare; non attendens
„ quod omnis lex humana Christi consiliis est sub-
„ jecta: & hunc statum de simplici usu facti saepe
„ vocavit, & vocat in suis assertionibus mathema-
„ ticum, hypochritalem, & deceptorium, impossi-
„ bilem ad servandum, & nullum: & haeretice as-
„ firmavit quod talis expropriatio in communi, quam
„ Christus, & Apostoli servaverunt, & Fratres mi-
„ nores ipsorum imitatores observant, non est per-
„ fectior statu aliorum collegiorum habentium in
„ communi, qui possum pro his, quae habent li-
„ cire litigare. Qualis autem imprudentia, & qualis
„ haeresis est illud quod in eadem constitutione al-
„ legat, quod dominium retentum per Summos
„ Pontifices, & Patrimonio Sanctae Romanae Ec-
„ clesiae reservatum de rebus in quibus pauperes
„ Evangelici solummodo simplicem facti usum ha-
„ bent, eidem Ecclesiae extitit inutile, & damno-
„ sum: quia nullum ex hoc consecuta est commo-
„ dum temporale. Vere de officina haeresis Epicu-
„ rii, qui nihil ponit de alia vita, vel sperat, vide-
„ tur emanare lamentum. Quod satis concludit
„ ipsum a se Dei evacuasse timorem, & de super-
„ nis praemiis nihil sperare. Et nunc ex quo talis
„ est, non est mirum si a se repulit tale dominium
„ tanquam inutile quod aurum non congregat, nec
„ argentum. Est ne inutile vero Pastori Christi vi-
„ cario, sicut ipse se dicit, per cujus retentionem
„ Evangelici pauperes vivunt, per quorum ora Ec-
„ clesiastici cantus Deo in divinis officiis ubilibet
„ jubilantur. Verbum Dei, & veritas fidei per cun-
„ cta mundi climata seminantur, & per fidelia con-
„ silia, & hortamenta salubria, & vitæ sanctæ exem-
„ pla animæ fidelium de faucibus Dæmonum eruun-
„ tur. Vere quia est animarum proditor & non pa-
„ stor praedicta damna reputat, & non lucra. Ut
„ autem pateat quomodo tam in ista constitutione
„ *Ad Conditorem*, quam in alia, *Cum inter nonnul-*
„ *los*, quam promulgavit 2. Idus Novembris, con-
„ stitutionibus, & diffinitionibus praedictorum Pon-
„ tificum, maxime Domini Nicolai III. evidentis-
„ sime contradicat. Attendendum est, quod prae-
„ fatus Dominus Nicolaus pro immobili fundamen-
„ to perfectionis Evangelicae, quoad altissimam pau-
„ pertatem dicit. *Dicimus quod abdicatio proprie-*
*tatis hujusmodi omnium rerum, tam in speciali quam*
*etiam in communi propter Deum meritoria est, &*
*sancta, quam etiam Christus viam perfectionis osten-*
*dens verbo docuit, & exemplo firmavit, quam quo-*
*que primi fundatores Ecclesiæ prout ab ipso fonte*
*hauserant in volentes perfecte vivere per doctrinæ,*
*ac vitæ ipsorum alveos derivarunt.* Et quod ista
„ regula recte sit vita Christi, & apostolorum quoad
„ paupertatem dicit in haec verba. *Hi sunt il-*
*lius sanctæ Regulæ professores, quæ Evangelico fun-*
*datur eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo fun-*
*datorum militantis Ecclesiæ Apostolorum ejus ser-*
*monibus & actibus firmatur, hæc est apud Deum*
*& Patrem munda & immaculata religio, quæ de-*
*scendens a Patre luminum per ejus filium exem-*
*plariter & verbaliter tradita, & demum per Spi-*
*ritum Sanctum Beato Francisco, & eum sequenti-*
*bus inspirata totius in se quasi continet testimonium*
*Trinitatis.* Quæ verba quantum distant a blasphe-
„ miis hujus haeretici, & blasphemi superscriptis cui-
„ libet satis patet. Dicit etiam idem Nicolaus in-
„ fra. *Nam cum in rebus temporalibus sit consi-*

*derare*

*derare praecipuum proprietatem, possessionem, usumfructum, jus utendi, & simplicem facti usum, & ultimo tanquam necessario egeat, licet primis carere possit vita mortalium, nulla prorsus potest esse professio, quae a se usum necessariae sustentationis excludat: verum condecens fuit ei professioni, quae sponte devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare Dominium, & rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam.* In quibus verbis claret aperte quod prae-
„ dictus Sacer Pontifex Nicolaus, & praedicti alii
„ Pontifices ipsum praecedentes in suis diffinitioni-
„ bus & verbis praedictis per clavem scientiae tan-
„ quam veri Summi Pontifices aperte & expresse
„ diffinivit, paupertatem Christi, & apostolorum
„ perfecte consistere in expropriatione cujuslibet tem-
„ poralis dominii civilis, atque mundani rerum o-
„ mnium hujus mundi, & sustentationem vitae ipso-
„ rum in solo, & nudo consistere usu facti. Quo
„ solo ut asserunt, & praecipue Nicolaus praefatus
„ indiget vita mortalium, licet jure utendi, & usu-
„ fructu, & proprietate, & dominio quolibet possit
„ carere meritorie, & perfecte, & tanto perfectius,
„ & Christo decentius; quanto magis per solum,
„ & nudum simplicem facti usum observatores pau-
„ pertatis hujusmodi ab omni jure temporalium ab-
„ strahuntur. Decens autem fuit Dominum nostrum
„ Jesum Christum qui caelestes divitias, & rerum
„ mundi contemptum venerat praedicare, perfecte
„ in se relinquere mundi divitias, & ut perfectos
„ imitatores suos doceret suis consiliis relinquendas,
„ & quod solo usu necessario vitae mortali eorum
„ summa perfectio esset contenta. Nec praedictis
„ obstat, quod hic veritatis subversor dicit in sola
„ charitate perfectionem consistere. Quia nos de illa
„ paupertate loquimur, quae ex Seraphico ardore
„ divini amoris, & summa appretiatione caelestium
„ calcat omnia temporalia quasi lutum. Et hoc
„ summum charitatis gradum in mente praesuppo-
„ nit, & in conversatione extrinseca hujus amoris
„ ostendit incendium per contemptum omnium mun-
„ danorum: huic paupertati altissimae, & perfectae
„ hic haereticus manifestus perversis statutis, & ne-
„ fandis operibus se opponit, & nobis est fide di-
„ gnorum veridica relatione relatum, quod hic in
„ statu Christi, & apostolorum impingens, qui pau-
„ pertatem evangelicam suprascriptam in Fratrum
„ minorum regula propagarunt. Dixit coram ma-
„ gnis viris fide dignissimis de ordine supradicto,
„ quod jam a magnis temporibus forte a XL. an-
„ nis, vel circa conceperat regulam Beati Francisci
„ tanquam fantasticam, & impossibilem ad servan-
„ dum, & si Deus daret sibi potestatem destruere,
„ & tollere, ac minorum ordini aliam dare, qua
„ posset bona in communi possidere sicut aliae re-
„ ligiones faciunt; praelatis majoribus dicti ordinis
„ etiam suasit acute, & efficaciter, sicut probari po-
„ terit loco, & tempore manifeste, quod regulam
„ novam reciperent, in qua habere possent aliqua in
„ communi, & suam rejicerent tanquam ad servan-
„ dum impossibilem, & fatuam, quae tamen per-
„ fectionem evangelicam continet evidenter. Ex quo
„ patet, quod sicut inveteratus haereticus, & prae-
„ cisus ab Ecclesiae corpore, & vera fide non po-
„ tuit ad Pontificatum assumi. Et postquam ipsius
„ manifesta est haeresis in constitutionibus promul-
„ gatis incidit in factum damnatum haeresis, & sub
„ proprio, & notorio scelere haeresis est ab omni
„ statu dejectus. Constitutio *Cum inter nonnullos*
„ diffinit haereticum dicere nihil Christum, & ejus
„ apostolos habuisse in speciali, & etiam in com-
„ muni. Cum nullus sanae mentis negaverit ipsos
„ habuisse necessaria vitae. Sed in praedicationibus,
„ & sermonibus asserunt firmiter, quod ipsi habue-
„ runt eodem modo, quo habent caetera collegia,
„ quae bona possident in communi. Luce igitur
„ clarius patet quod diffinire voluit, & intendit fo-
„ re haereticum dicere Christum, & apostolos ni-
„ hil possedisse in communi civiliter, & mundane.
„ Et sicut ostensum est supra, sicut impudens hae-
„ reticus Christi Evangelium, & sanctos Prophe-
„ tas, & Doctores antiquos Sacrae Scripturae, &
„ diffinitiones praedictorum Summorum Pontificum,
„ ut blasphemus, & sacrilegus falsum continere, &
„ mentiri dicit aperte. Quod etiam esse haereticum,
„ & vesanum universitas Fratrum minorum in ge-
„ nerali eorumdem Capitulo Perusii congregato a-
„ perte sensit, & sententiavit expresse asserendo quod
„ dicere Christum, & apostolos nihil taliter habuisse
„ in communi non erat, nec est haereticum, sed
„ sanum catholicum, & fidele, & per sanctos Pa-
„ tres, Summos Pontifices tanquam catholicum dif-
„ finitum, & contrarium reprobatum, & tanquam
„ reprobum excommunicationis, & anathematis sen-
„ tentia innodatum. Et ordo fratrum minorum sic
„ istam veritatem asseruit, quod universis Christi
„ fidelibus ipsam tenendam inviolabiliter tanquam
„ omnino catholicam publicavit, & nunciavit; &
„ ministrorum, & magistrorum in sacra Theologia,
„ qui dicto Capitulo praeerant sigillis munivit ad
„ majorem rei certitudinem, prout etiam in eorum
„ litera per mundum universum dispersa plenius, &
„ seriosius continetur. Quod enim per clavem scien-
„ tiae per Romanos Pontifices semel determinatum
„ est in fide, & moribus rectae vitae est immuta-
„ bile, eoque Ecclesia Romana est inerrabilis in fide,
„ & veritate: Nec potest dare regulam falsam, vel
„ malam in recte vivendo, nec in recto judicio
„ veritatis Ecclesia Romana potest sibi esse contra-
„ ria. Si enim in uno esset falsa, vel sibi contra-
„ ria in omnibus vacillaret. Et super hoc funda-
„ mento generale Capitulum se in praedicta littera
„ fundavit. Nam quod semel per Summos Ponti-
„ fices Dei vicarios per clavem scientiae est diffini-
„ tum esse de fidei veritate, non potest per succes-
„ sorem aliquem in dubium revocari, vel ejus quod
„ diffinitum est contrarium affirmari, cum hoc agens
„ manifeste haereticus sit censendus. Cujus veritatis
„ origo & fundamentum est, quia fides Catholica
„ est de vero perpetuo, & immutabili fundamento.
„ Et ideo quod semel est diffinitum verum esse in
„ ipsa fide, & moribus, verum est in aeternum,
„ & immutabile per quaecumque. Secus autem est
„ in his quae statuuntur per claves potestatis, nam
„ saepe quod uno tempore expedit fieri, alio tempo-
„ re expedit prohiberi. Constat autem praedictos
„ Pontifices, & Concilia generalia secundum claves
„ scientiae contrarium apertissime diffinivisse, & li-
„ bellum, & dicta magistrorum asserentium dictam
„ paupertatem, & vitam non esse paupertatem evan-
„ gelicam, & vitam apostolicam sententialiter da-
„ mnaverunt per suas litteras districtius inhibentes,
„ ne quisquam praemissa, vel aliquod praemissorum
„ pertinaciter astruere, vel quomodolibet defensare
„ praesumat: Statuentes quod quicumque hoc prae-
„ sumpserit attentare, tanquam contumax & Eccle-
„ siae Romanae rebellis, & haereticus ab omnibus
„ fidelibus habeatur, prout haec & plura alia circa
„ hoc in determinationibus, & declarationibus, &
„ litteris apostolicis super his confectis plenius con-
„ tinetur. Liquet igitur quod praedictis constitutio-
„ nibus contraria faciens incidit in factum damna-
„ tum, & se ipsum involvit damnatione haereseos.
„ Similiter in secundo articulo ubi diffinivit haereti-
„ cum dicere, quod non habuerint jus utendi illis
„ rebus, quas eos habuisse sacra Scriptura testatur,
„ quia ex hoc concludit, ut dicit constitutio usum
„ eorum non justum fuisse, fallax, subdolus, &
„ dolosus, & ignorans, perfectionem Christi vitae,
„ vel eam malitiose impugnans, semetipsum sic ar-
„ guendo decipit, & confundit. Nam sicut dictum
„ est abdicatio omnis juris in cujuscumque rei pro-
„ prietate, vel in usu ejus, est sancta, & meritoria
„ propter Deum, & a Christo in se ipso servata,
„ & apostolis imposita, & ab ipsis sub voto con-
„ sumpta. Nec propter hoc ullus usus facti ad su-

„ sten-

stentationem naturae in Christo, & in apostolis convincitur esse non justus, sicut hic vitae Christi contrarius concludit. Sed tanto justior, & perfectior, ac Deo acceptior, & mundo exemplarior, quanto plenius renunciatum est omni juri, per quod possit sic utens pro usu hujusmodi quomodolibet contendere, & in judicio litigare. Et sic patet manifestissime quod in utraque constitutione convincitur esse haereticus manifestus. Praeterea apparet manifeste, quod quicumque dicit hanc paupertatem altissimam, quae est lampas nostrae fidei, & fundamentum non praecellere vitam, & professionem habentium in commoni sive in proprio, necessario concludit Christum non suisse verum Christum, nec Messiam illius, quem lex, & Prophetae promittunt. In aestimatione enim divitiarum sive commutium, sive propriarum est principale fundamentum, & janua singularis Antichristi, & totius erroris judaici, & etiam Sectae Saracenorum. Cum enim lex, & prophetae in verborum superficie promittant tempora Christi sive Messiae, & per ipsum dari eis regnum plenum divitiis, & opulentia, inextimabile, & universale Dominium mundi, & hoc sub illis figuris metaphoricis magnificent miro modo; sicut quilibet videre potest in Scripturis divinis, & Prophetis; si verum est melius & divinius esset vivere in communibus divitiis, sive propriis, quam in altissima paupertate prout constitutiones praedictae loquuntur, tunc necessario sequitur, quod Christus ad litteram debuit talia ferre secum. Quia illud quod melius fuit pro se habere debuit, & dare Judaeis. Tum etiam quia tunc nulla ratio est quare lex, & Prophetae in promissione divitiarum, & maxime istarum, quas promittit pro tempore adventus Christi, sive Messiae, ad litteram non intelligantur de divitiis temporalibus sicut littera sonat. Certum est autem Christum ad Judaeos in abundantia diviciarum non venisse. Ergo sequitur ex illis necessario Christum non fuisse verum Christum, nec verum Messiam. Et tunc apertissima est janua ad concludendum verum Christum, & verum Messiam adhuc in plenitudine divitiarum ad Judaeos venturum. Et post hanc viam paratur janua, & fundamentum sectae Antichristi, qui se verum Christum dicat, & Messiam. Paratur etiam via ad errores Judaeorum, ac judaizantium qui dicunt Christum non implesse prophetias eorum, & promissiones eis factas per Prophetas, scilicet, quod veniret in abundantia divitiarum Messias ipsorum. Et sic disponunt ad errorem incipientium Antichristum, quem dicunt esse verum Christum, & Messiam eorum, qui implebit promissiones eorum per Prophetas factas, vivendo in multitudine divitiarum, & abundantia. Ex hoc fundatur error Sarracenorum, qui felicitatem divitiarum, & luxuriarum pro beatitudine aeterna ipsis promittunt, prout in lege eorum manifeste patet. Et e contrario si dicamus quod paupertas altissima sit verior, & divinior, sicut in veritate est, totus Judaeorum error, & expectatio vana funditus enervatur. Sequitur enim quod quicquid lex, & prophetae promittunt eis de divitiis, & opulentia regni Christi, sive Messiae, intelligatur, & intelligi debeat de spiritualibus divitiis, & opulentiis, & nullo modo de temporalibus. Et tunc habebunt credere Christum fuisse verum Christum, & verum Messiam datorem felicitatis spiritualis, & verum Regem, & Deum summum. Et breviter quicquid spirituale de Christo credimus, credere cogentur omnino, & totam Scripturam veteris Testamenti, quoad omnia dicta de Christo, & Messia spiritualiter implenda, & non sonare aliud nisi spirituales divitias, & glorias. Ex hoc etiam tolletur secta Sarracenorum, legis & error, quae felicitates & divitias temporales repromittit. Sic patet quod conclusio Constitutionum praedictarum, quae concludunt contrarium, & quod felicior status, & divinior est habere in proprio, & in communi, sicut caetera Collegia habent, quam altissima paupertas quam profitentur hujus sacrae Regulae professores, est origo & fundamentum totale sectae Antichristi, & errores Judaici, & Sarracenici, ut superius est probatum. Praeterea Constitutio *ad Conditorem*, expresse concludit errorem, quia quod alii Romani Pontifices antedicti per clavem scientiae declaraverunt, scilicet vitam non habentium in proprio, nec in communi esse altissimam paupertatem, & a Christo institutam, atque servatam, ut in Decretali *Exiit*, & in diffinitionibus praedictorum Pontificum aperte videtur. Quia si retentio dominii talium bonorum datorum pauperibus nihil retinentibus in communi facta per Summum Pontificem est inutilis, quare & receptio & donatio est inutilis ad perfectionis statum. Sed quod sit inutilia secundum hanc Constitutionem, & sic inutilis, & perfecta secundum Decretalem *Exiit*, & secundum Decretalem *Exivi*, & etiam secundum Gregorium IX. Innocentium, Alexandrum, Alexandrum IV. Innocentium V. & Nicolaum III. patet. Sequitur igitur necessario contrarietas inter Constitutiones, & diffinitiones praedictorum, & hanc Constitutionem manifeste, quia haec Constitutio dicit inutilem, & alii perfectam dicunt donationem Deo factam. Dedicatio autem sui, & suorum, & receptio talis donationis est a lege divina, quae praecipit, & consulit praeceptorum, & consiliorum observantiam, & ita retentionem. Praeterea quomodo potest Ecclesia Romana ordinare, quod servi sui, & filii sui sibi non acquirant ut in Decretali *Exiit* §. *Ad haec*. Ista autem Constitutio tollit jus acquisitionis Christi, & Ecclesiae, & per consequens tollit jura servitutis Dei, & etiam pauperum. Ergo haeresim continet manifestam. Praeterea haec Constitutio dicit pacificam circa modum ipsum Romanae Ecclesiae subsecutam, & sic patet contrarietas quantum ad statum. Nam Romana Ecclesia per pacificam non tollit modum status, licet docuerit modum talem observandum. Sed quia Constitutio *ad Conditorem Canonum* manifeste in statum impingit, patet, quod primis Pontificibus supradictis contradicit expresse. Ergo verus haereticus est censendus. Praeterea haec Constitutio dicit quod dicere posse separari dominium in rebus usu consumptibilibus est contrarium rationi, & juri. Sed manifestum est quod omnes religiosi nihil habent in proprio, licet aliqui habeant in communi. Igitur etiam in his non separatur usus a dominio in talibus rebus. Ergo omnes essent proprietarii in alimentis, & vestimentis, & pecunia, & sic etiam Christus fuit proprietarius, & Apostoli secundum hoc. Et per consequens omnis vita monastica religiosa ficta & falsa est illa ratione. Doctrina etiam Christi est ficta Math. XVIII. Si vis perfectus esse &c. Et sic perfectio vitae Evangelicae consisteret in habere in proprio, non in communi licet pauca, & vilia. Et sic totalis ratio principalis perfectionis vitae Evangelicae esset circa usum pauperum, & vilium, & nullo modo esset in abdicatione proprietatis, quod est contra diffinitiones Pontificum praedictorum, & contra Decretalem *Exiit*. Ergo Conditor Constitutionis *Ad Conditorem* vere haereticus est censendus. Praeterea dicit constitutio *ad conditorem*, quod carentia talis dominii pauperiorem non facit non habentem, nec habentem ditiorem: licet contrarium est, quia nec Nicolao, & aliis Pontificibus supradictis nec Christo, & Apostolis, nec Religiosis omnibus repugnaret in proprio talia habere; hoc autem est contra fidem Catholicam, & contra Scripturas Sacras, & destrueret omnem religionem & ordinem aliqua habentem in communi. Nam habentes in communi nihil possunt ha-

bere

„ bere in proprio, ut in Decretali, *cum ad monasterium*. Ergo conditor constitutionis *ad conditorem* verus, & perfectus haereticus est censendus. Praeterea in ipsa constitutione dicitur, quod specialis retentio Romanae Ecclesiae nihil facit speciale ultra alios mendicantes qui habent in communi quoad altissimam paupertatem quae est non habere in communi: nam tunc nihil perfectionis adderet non habere in communi. Et sic Romana Ecclesia & omnes dicti Pontifices, & omnes sacrae scripturae Doctores in Christo, & Apostoli qui habuerunt, & docuerunt altissimam paupertatem approbarent simulationes esse atque figmenta, quod dicere summum est haereticum. Ergo conditor constitutionis *ad Conditorem* haeresiarca verus, & perfectus haereticus est censendus. Praeterea si talis retentio specialiter facta addit aliquid supra alios mendicantes habentes in communi, oportet necessario quod per Ecclesiam non habentibus in communi provideatur in necessariis, ut licite uti possint, quod fit per retentionem oriam ex hoc quod tales perfecte dantes se Deo, nihil retinendo nec in proprio, nec in communi, sed devote profitendo altissimam paupertatem, quam Christus verbo docuit, & exemplo firmavit, & ejus Apostoli servaverunt in se ipsis, & aliis servandam tradiderunt. Constat autem quod Ecclesia se, & sua dantes non potest abicere, nec debet: ergo contra praedicta statuens vere hæresiarcha & haereticus est censendus. Praeterea Constitutio dicit, quod non est honor Romanae Ecclesiae praedictum dominium reservare, sed hoc est expresse contra legem Dei, quia Ecclesia debet pascere oves Christi Joan. ult. & defendere contra quoscumque oppressores, & impugnantes; ergo conditor hujus constitutionis vere haeresiarcha, & haereticus est censendus. Praeterea in dicta constitutione dicitur hujusmodi dominium esse perniciosum, & sic reputant perniciosum, quod factum est, & inventum per ipsum Christum, & Romanam Ecclesiam: nam Dominus Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. & Nicolaus III. in Decretali *Exiit*, & Clemens V. & plures alii Romani Pontifices in declaratione hoc dominium Sanctae Romanae Ecclesiae fore declarant. Non tamen propter hoc novum jus statuentes, sed quod erat in veritate ab ipso jure divino potius detegentes: ergo conditor constitutionis *ad Conditorem* vere haereticus est censendus, aut omnes supradicti Pontifices haeretici fuerunt, quod nullatenus est sentiendum, sed de illo potius, qui contrarium statuit veritati, & omnibus supradictis. Praeterea dicit Constitutio supradicta Romanam Ecclesiam non plus debere velle in talibus, qui nihil retinent in communi quam in aliis mendicantibus habentibus in communi; quod est contra rationem voti, & doni. Quanto enim plus Deo, & Ecclesiae datur, Ecclesia ibi plus habet. Sed professores altissimae paupertatis plus dant, quia nihil sibi retinent in communi, quam in aliis mendicantibus sibi retinentibus in communi: ergo Ecclesia plus accipit. Nisi velimus dicere quod non habere in communi nihil facit ad perfectionis statum: quod dictum esset contra Christum, & Apostolos, qui paupertatem altissimam servaverunt, & servare docuerunt, & professores ipsius, & contra Scripturas Sacras; & tunc Ecclesia diceretur approbare figmenta, & destruere Christi jura, quod est omnino hæreticum. Igitur conditor constitutionis *Ad Conditorem* ex praedictis omnibus, & singulis vere haereticus est censendus. Item est Sacramentorum impius prophanator, & contemptor, & Sacrorum Canonum malignus, & temerarius violator, atque subversor, & generalis status Ecclesiae subdolus, & praesumptuosus, & temerarius immutator multifarie multisque modis, & de praedictis monitus quod se corrigat omnino se corrigere non vult, nec se correxit, imo est in prædictis omnibus incorrigibilis omnino; & sic hæreticus est censendus. Item Terrae Sanctae est impius & infidelis & crudelis, & thesauros pecuniarum, quos de diversis Mundi partibus exegit, & exigit, & exigi facit, quos sancti prædecessores sui statuerant, atque decreverant in terræ sanctae subsidium convertendos, & convertere consueverant; ipse in praedictum subsidium non convertit, imo in effusionem impiam, & crudelem sanguinis Christiani, & suo dolo seu lata culpa, quae dolo comparanda est, dictae terrae sanctae non facit debitum subsidium, & sic perditur quotidie, & perdita est, & devenit ad manus impiorum Saracenorum inimicorum terrae Sanctae, & Dei, & hostium Christianae fidei. Heu proh dolor! quibus in prædictis, & multis aliis favere videtur, contra fidem Catholicam, & contra totum populum Christianum, & tamen pro prædicto subsidio, & ejus occasione per totum mundum exegit, & exigi fecit praecipue in Alamaniæ partibus magnos pecuniarum thesauros de decimis duplicatis, & triplicatis, & de annalibus sive fructibus beneficiorum vacantium, quas, & quos per totum quasi mundum exegit & exigi facit, præcipue in Alamaniæ partibus, & regno Arelatensi, & in diversis Italiæ partibus: Et tamen dictæ terræ Sanctae desolatae crudeliter non subvenit; imo proh dolor, omnino desolata manet, absque aliquo subsidio, vel succursu, quod est contra fidem Catholicam, & contra omnes Christi fideles, qui Christiano nomine decorantur, & in Dei contemptum, & omnium Christi fidelium scandalum manifestum. „ Quibus sic propositis idem rex Ludovicus protestatus fuit, dixit, juravit, provocavit, & appellavit, & supposuit legendo in scriptis, ut inferius continetur.

---

# PROTESTATIO

### *Dicti Regis Romanorum.*

„ NOs Ludovicus Dei gratia Romanorum rex, & semper Augustus protestamur, quod praedicta non proponimus, nec dicimus propter odium aliquod ipsius, qui se dicit Joannem Papam XXII. quia non habemus cum odio, sed injustitias suas, & maleficia sua praedicta; nec in injuriam, nec in infamiam ipsius, sed propter zelum fidei, & propter devotionem quam habemus ad sanctam Dei Ecclesiam, cujus defensor, patronus, & advocatus existimus, quam sub dicti Domini praesidentia periculose deprimi, ac deformitatem enormem, & jacturam pati videmus compatientes sibi ab intimis: Et propter Sanctam fidem Catholicam, quae proh dolor, languescit sub ipso. Et propter relevationem sacri Imperii, & Principum, & vassallorum suorum, & devotorum ipsius: Quod, & quos ex juramento tueri, & defendere tenemur, ad quorum exterminium ipse intendit, & nostram, & nostrorum justiciam confovendam, quam opprimere injuste incepit, & pro posse intendit. Sed & propter illa quae de ipso, & factis ejus audivimus, & sentimus, & ea verisimilibus conjecturis, & probabilibus, & ex factorum ipsius evidentia clare patet. Et ex aliis quampluribus articulis suo loco & tempore declarandis, etiam ad sancta Dei Evangelia tacto libro juravimus omnia & singula supradicta nos credere vera esse; & quod de praedictis talia poterunt probari contra eum, quae secundum statuta sanctorum Patrum sufficienter sufficient ad eum haereticum judicandum. Juravimus etiam nos pro viribus contra eundem prosecuturos praedicta in Concilio generali congregato in loco tuto atque securo ad honorem Dei, & exaltationem fidei Christianae & sanctae Dei Ecclesiae, & sacri Imperii, & principum, & de-

„ voto-

„ votorum, & vassallorum ipsius conservationem, & augmentum Domino concedente. In quo nos favente Domino intendimus personaliter interesse, supponentes idem sacrum Imperium, & Principes nostros, & subditos, & vassallos, & devotos nostros, & adhaerentes nobis, & adhaerere volentes nunc & in futurum bona sacri Imperii, & nostrorum, & nostra, & dignitates, & status sacri Imperii nostri, & ipsorum, ponentes sub protectione divina, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, & dicti congregandi Concilii, & sanctae Matris Ecclesiae, & Apostolicae sedis, & Apostolici Catholici, & legitime futuri summi Pontificis: licet enim pudenda patris proprio libenter pallio tegeremus, ob favorem tamen Catholicae fidei, & devotionem, quam ad sanctam Romanam Ecclesiam matrem nostram habere tenemur, fidei negocio, & Ecclesiae statui consuli cupientes, pro vitando dispendio scandali generalis nequeuntes urgente nos conscientia praedictas, & alias ipsius nequitias sub connivencia, & dissimulatione transire, cum super praedictis ex frequentibus clamoribus per fide dignos saepe, & saepius conculcatis ejus opinio vehementer sit, & notabiliter aggravata, praedictum concilium generale pro praedictis petimus congregari cum instantia repetita. Nos autem ne dictus Joannes qui animose, & injuriose contra nos, & sacrum Imperium jam incepit procedere, & processit, ut dicitur nullo prorsus juris ordine observato, & procedere gravius comminatur, impedire satagens, ne sua in lucem veniant opera tenebrarum, convocationem, & congregationem concilii hujus generalis directe, vel indirecte impedientia, vel aliter, quam status sacri Imperii, & noster, & principum nostrorum & subditorum ipsius in ipso integer existat, contra sacrum Imperium, nos, & statum nostrum, & jura sacri Imperii, & nostra, & terras ipsorum, & nostras, Ecclesias, praelatos, principes Ecclesiasticos, & mundanos, barones, & alios fideles vassallos, & subditos nostros, & terras nostras, & ipsorum, & contra sacrum Imperium, & ipsius statum in aliquo spirituali gladio abutendo de facto procedat excommunicando, interdicendo, suspendendo, privando, transferendo, vel aliter quomodolibet ordinando pro nobis, & nobis adhaerentibus ex nunc, & in futurum adhaerere volentibus cujuscumque status, & conditionis existant, ecclesiasticae vel mundanae, ad praedictum generale Concilium, quod instanter, & cum instantia repetita loco tuto nobis, & nostris convocari petimus, & congregari, & ad verum, & legitimum summum Pontificem, & ad sanctam matrem nostram Ecclesiam, & Apostolicam sedem, & ad alium, vel alios, ad quem, vel ad quos fuerit appellandus provocamus, & appellamus in his scriptis, & appellationes per nos alibi factas innovamus: Et Apostolos a vobis Principibus nostris ecclesiasticis, & mundanis & notariis publicis hic praesentibus, & cum instantia postulamus: Et protestamur expresse de innovando provocationes, & appellationes, & protestationes praedictas, ubi, & quando, & sicut, & coram quibus visum fuerit expedire, & de jure tenebimur, & tenemur pro tutela, & securitate sacri Imperii, & nostra, & singulorum omnium praedictorum. Acta, & publicata fuit haec appellatio anno Domini millesimo tercentesimo vigesimo quarto.'

Videns autem praefatus Dominus Joannes Papa, quod praedictus dominus Ludovicus Romanorum Rex ab ipso solemniter appellaverat, & dictas suas constitutiones in dicta sua appellatione impugnabat, & fore haereticas asserebat, tertiam constitutionem ad suarum constitutionum defensionem, & dictae appellationis impugnationem edidit, publice promulgavit formam hujusmodi continentem.

„ Joannes Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

„ Quia quorumdam mentes sic pater mendacii dicitur excaecasse, quod nostris Constitutionibus, quarum una incipit: *Ad Conditorem Canonum*. Alia vero: *Cum inter nonnullos*, utique tam cum fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus quam cum multis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Praelatis Ecclesiarum; necnon cum multis Sacrae Theologiae Magistris, ac utriusque juris professoribus deliberatione praehabita diligenti dictis, ac de praemissorum fratrum nostrorum consilio promulgatis, non absque multa temeritate plectibili, nisi fuerunt detrahere, & nituntur, ac veritatem quam continent per fallas infamias offuscare: Nos tam perniciosis ausibus, ne eorum doctrina pestifera simplicium animos labefacere, ac in sui erroris devium deducere valeat, de eorundem fratrum concilio decernimus super hoc, ut sequitur providere. Ad impugnandum autem Constitutiones praedictas subscripta ratione tam verbo, quam scripto usi sunt publice, sicut fertur. Illud inquiunt, quod per clavem scientiae in fide de moribus semel diffinierunt Romani Pontifices adeo immutabiliter perseveras, quod illud successori revocare non licet in dubium, nec contrarium affirmare; licet de his quae per clavem potestatis ordinaverint asserant secus esse. In confirmatione, & declaratione Regulae Fratrum Ordinis Minorum Honorii III. Gregorii IX. Innocentii IV. Alexandrii IV. & Nicolai III. praedecessorum nostrorum Summorum Pontificum, haec verba asserunt contineri: *Haec est Regula Evangelica Christi, & Apostolorum imitatrix, quae nihil in hoc Mundo habet proprium, vel commune, sed in rebus quibus utuntur habent simplicem facti usum*; his adicere praesumentes praefatos Summos Pontifices, ac multa Concilia generalia per clavem scientiae diffinivisse paupertatem Christi, & Apostolorum constitisse perfecte in expoliatione cujuslibet dominii temporalis civilis, & mundani, & sustentationem eorum in solo, & nudo usu facti etiam constitisse. Ex quibus nituntur concludere non licuisse, nec licere ipsorum successoribus circa praemissa aliquid immutare. Ideoque cum Constitutio nostra praedicta: *Cum inter*, contra diffinitiones praedictorum praedecessorum nostrorum sicut asserunt diffinieris Christum, & Apostolos in his quae habuerunt habuisse non tantum simplicem usum facti, & jus faciendi de ipsis ea, quae eos fecisse Scriptura sacra testatur, pertinacem assertionem dicentium ipsos jus hujusmodi minime habuisse, cum actus illorum concludatur fuisse non justos, quod de Christo nephas est dicere, haereticum declarando, & concludere satagunt licet falso nobis non licuisse declarare vel statuere supradicta. Item quia Constitutio *Ad Conditorem Canonum* contra diffinitiones praedictas Fratres Minores asserit non posse habere in aliqua re simplicem usum facti, nituntur similiter concludere circa ipsam. Quod autem in ratione praedicta praemittitur, videlicet quod illa, quae per Clavem scientiae in fide & moribus sunt a Romanis Pontificibus diffinita, ab eorum successoribus revocari non licet in dubium, nec contrarium affirmare, licet secus sit, ut dicunt in his, quae per Clavem potestatis per Summos Pontifices ordinantur; prorsus sit contrarium veritati, patet ex subsequentibus evidenter. Primo secundum illos, qui tenent Clavem spiritualem nequaquam esse scientiam, sed ligandi, atque solvendi potestatem, patet assertores praedictos ponendo Clavem esse scientiam erravisse. Pro quibus facit diffinitio clavis, quam a Doctoribus datur talis. Clavis est spiritualis potestas ligandi, atque solvendi, qua Judex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere debet a Regno. Item quia

„ Claves, de quibus, agimus in collatione Sacerdotalis Ordinis conferuntur: Constat autem, quod ordinatio in Sacerdotem scientia communiter non confertur, quare secundum illos videtur, quod scientia non sit clavis, sed potentia tantum ligandi, atque solvendi debeat dici clavis. Adhuc secundum illos, qui ponunt unam Clavem spiritualem esse scientiam, & aliam ligandi, atque solvendi potestatem, noscuntur evidenter errasse. Supponunt enim quod per Claves hujusmodi circa ea quae fidei sunt, & alia posse per Constitutionem aliquam diffiniri. Claves autem, quae in Sacerdotali ordine conferuntur ad talia minime se extendunt, alias sequeretur circa praemissa, quod possent Constitutiones facere simplices Sacerdotes, quod falsum est evidenter. Si autem intendant Claves istas extendere ad generalem potestatem attributam Beato Petro, ejusque successoribus in persona ejusdem in commissione officii Pastoralis, per quam utique videtur ipsis omnia commisisse & concessisse, sine quibus Pastoris universalis convenienter cura nequit, seu officium expediri. Adhuc clare patet ipsos etiam errasse: dicunt enim alium effectum habere illa quæ per clavem scientiæ, & alium quæ per clavem potentiæ constituuntur, seu diffiniuntur; supponentes alia per clavem scientiæ, & alia per clavem potentiæ statui, seu etiam ordinari, quod evidenter est falsum. Per clavem enim scientiæ, sive per auctoritatem discernendi inter lepram, & lepram, si ipsam dixerimus esse clavem, nihil aliud per illam alicui datur, nisi auctoritas cognoscendi. Si autem cui datur auctoritas de re aliqua cognoscendi, potestas de illa diffiniendi non intelligitur esse data. Quare restat quod ad convenienter statuendum aliquid, seu diffiniendum utraque clavis, scilicet, cognoscendi, & diffiniendi necessario requiratur. Quod soli clavi potentiæ statuere competit, & etiam diffinire. Sicut lumen materiale clavigerum in usu clavis materialis dirigit, sic & scientia clavigerum spiritualis clavis potentiæ in ejus usu dirigit, & quasi quantum ad hoc tenet scientia vicem lucis. Et hoc Salvator noster in promissione clavium facta Beato Petro sensisse videtur expresse: cum post illam immediate subiunxerit: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcunique solveris super terram erit solutum & in cælis; nulla de scientia habita mentione. Quod autem subsequenter proponitur in ratione prædicta, videlicet, quod in confirmatione, & declaratione fratrum minorum regulæ nonnullorum prædecessorum nostrorum, videlicet, Honorii III., Gregorii IX., Innocentii IV., Alexandri IV., & Nicolai III. Summorum Pontificum verba hujusmodi continentur. Hæc est regula evangelica Christi, & Apostolorum imitatrix, quæ nihil in hoc mundo habet proprium, vel commune, sed in rebus quibus utuntur habent simplicem usum facti, hiis adicere præsumentes præfatos summos Pontifices, ac multa concilia generalia per clavem scientiæ diffinivisse paupertatem Christi, & Apostolorum constitisse perfecte in expoliatione cujuslibet dominii temporalis, civilis, & mundani, & sustentationem eorum in solo & nudo usu facti etiam constitisse; patet quod prorsus obviat veritati. Honorius quidem præfatam regulam absque declaratione aliqua confirmavit. In cujus confirmatione de prædictis mentio aliqua non habetur, ut liquere potest cuilibet confirmationem hujusmodi intuenti, nisi in quantum de vita Evangelica habetur mentio in ipsa regula confirmata, ibi cum dicit, hæc est regula fratrum minorum, videlicet, Domini nostri Jesu Christi Sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Ex quibus verbis concludi non potest per ipsum prædecessorem nostrum, ea quæ ibi in verbis prædictis asserunt, fuerint diffinita, imo potest concludi potius quod vita Evangelica, quam Christus, & Apostoli tenuerunt habere aliqua in communi non excludit, cum sine proprio vivere non exigat, quod sic viventes nihil habeant in communi. In declarationibus quoque Gregorii, Innocentii, & Alexandri prædictorum, qui eandem regulam absque confirmatione, alia declaraverunt, similiter nulla prorsus fit mentio de prædictis, imo per eas evidenter ostenditur eorum quæ licet habere ipsis fratribus usum juris ad ipsum ordinem pertinere. Gregorius quidem in sua declaratione quam ad hoc inseruit, quæ sequuntur. *Dicimus quod nec in speciali, nec in communi debent habere proprietatem sed utensilium, & librorum, & rerum mobilium, quas licet habere, ordo usum habeat, & fratres secundum quod Generalis minister, & provinciales ordinandum duxerint hiis utantur.* Innocentius autem, & Alexander præfati in suis declarationibus sic dixerunt. *Dicimus insuper quod cum in ipsa regula contineatur expresse quod fratres nihil sibi appropriant nec domum, nec locum, nec aliquam rem, quod nec in communi nec in speciali debent proprietatem habere, sed locorum, & domorum, aut utensilium, & librorum, & eorum quæ licet habere ordo usum habeat, & fratres secundum quod generalis, & provinciales ministri prædicti ordinis ordinandum duxerint his utantur.* Cum enim dicatur in declarationibus supradictis quod ordo usum habeat rerum praemissarum, ad usum juris necesse est hoc referri; facta quidem quae singulorum sunt personam veram exigunt, & requirunt; ordo autem persona vera non est, sed repraesentativa, & imaginaria potius est censenda: Quare quae facti sunt, sibi vere convenire nequeunt, licet ei possint congruere, quae sunt juris. Adhuc licet declaratio Nicolai III. praedicti contineat, quae sequuntur. *Hi sunt illius Sanctæ regulæ professores, quæ evangelico fundatur eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiæ Apostolorum, eius sermonibus, actibusque firmatur.* Et post in eadem declaratione subiungit. *Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit, quam quoque primi fundatores militantis Ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserunt in volentes perfecte vivere per doctrinæ, ac vitæ ipsorum alveos derivarunt.* Ex verbis tamen praedictis nequaquam potest colligi, quod praefati praedecessores nostri Nicolai intentio fuerit dicere, quod dicta regula quo ad omnia, quae continentur in ea evangelico fundetur eloquio, vitæ Christi roboretur exemplo, nec Apostolorum vita, & actibus sit firmata. Constat enim in dicta regula multa contineri, quae nec Christus docuit, nec exemplo firmavit, utpote quod praecepit conditor regulae fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam, nec non & de multis contentis in dicta regula, quae utique nec Christus, nec Apostoli docuerunt, nec firmaverunt exemplo. Nec obstat quod Christus portare pecuniam Apostolis prohibuit, & discipulis dum ipsos ad praedicandum mitteret, quod tamen antequam eos mitteret, ipsis fuisse non legimus interdictum. Quamquam post reditum portaverunt pecuniam in plerisque locis evangelica veritas, & Apostolica dicta testantur. Praeterea Augustinus dicit expresse, quod illud non fuit praeceptum, sed potestas recipiendi necessaria ab hiis quibus Evangelium praedicabant, quam servare licuit, vel etiam non servare. Sed & hoc idem praedecessor noster Nicolaus praedictus quoad tria principalia vota, scilicet, in obedientia vivere, & sine proprio, & in castitate, ac alia si qua evangelica reperirentur expressa in dicta regula, videtur intellexisse in praedicta declaratione dicere, quod utique

que

„ que nostris declarationibus in nullo obviat supradictis. Adhuc non apparet ipsum dixisse sustentationem Christi, & Apostolorum ejus in solo, & nudo, & simplici consistere usu facti, cum de usu facti simplici quoad Christum, & Apostolos nullam praefatus Nicolaus praedecessor noster in sua declaratione fecit mentionem, imo sensisse satis videtur expresse, quod jus aliud a proprietate habuisse poterunt, cum de sola abdicatione proprietatis, & non juris alterius in praefata declaratione quantum ad ipsos attinet mentio habeatur. Adhuc quidem Nicolaus praedecessor noster videtur sensisse, quod Christus, & Apostoli etiam quoad proprietatem habuerint aliquid in communi. Cum enim in sua declaratione prædicta verba de abdicatione proprietatis dixisset, respondens obiectioni quae sibi de loculis quos Christus habuisse in Evangelio legitur poterat fieri, statim quae sequuntur subiunxit. Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum legit Christus loculos habuisse. Nam sic ipse Christus cujus perfecta sunt opera in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & infirmorum infirmas semitas non damnaret. Sic & infirmorum personam Christum asserit in loculis suscepisse, alias impertinens de loculis fuisset obiectio nisi intellexisset Christum etiam quoad proprietatem loculos habuisse. Praeterea si diceretur Christum in loculis habuisse tantummodo simplicem facti usum. Et si quaeratur, vel dicatur propter quos infirmos loculos illos habuit. Augustinus cujus dictum insertum est in Decretis *XII. q. I.* habebat Dominus loculos. Respondet dicens habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Unde patet ipsum Augustinum de suis discipulis, & aliis indigentibus hoc sensisse. Nec hoc, scilicet, habere in communi etiam quoad proprietatem aliqua derogat juxta dictum Gregorii IX. praedicti altissimae paupertati, qui in quadam sua decretali *de Excess. Prælat. C. nimis iniqua*, dicit expresse fratres praedicatores, & minores in altissima paupertate Christo pauperi famulari. Et tamen constat ipsos praedicatores habere in communi, etiam quo ad proprietatem aliqua, quod eorum regulae, & statui non repugnat. Hoc etiam Alexander praedecessor noster praefatus in condemnatione libelli contra statum praedicatorum, & minorum editi videtur sensisse, in quo loquendo de dictis fratribus, quae sequuntur adiunxit. *Cum insuper iidem fratres omnia propter Deum reliquerint, exilia vitæ subsidia mendicantes ipsum Christum imitentur pauperem, perfectionem evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet eos non solum in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suæ religionis observantiam, quæ quidem ipsius perfectionis evangelicæ tenet formam, in eternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri.* Ubi quidem expresse dicit praedicatores Christum pauperem imitari, ipsamque perfectionem evangelicam amplexari, & in statu existere perfectorum, quod quoque ipsorum religionis observantia perfectionis evangelicae tenet formam: & tamen constat ipsos habere posse etiam quoad proprietatem aliqua juxta eorum regulam in communi. Nec obstat quod dicunt Innocentium Quintum praedecessorem nostrum dixisse, altam paupertatem esse habere pauca propria propter Deum. Altiorem quae nulla habet propria, habet tamen in communi. Altissimam, quae nihil habet in hoc nec in proprio, nec in communi. Dicimus quidem quod non hoc dixit ut Papa, sed ut frater Petrus de Tarentasia in quadam sua postilla. Quare dicta praemissorum summorum Pontificum sunt ei merito praeferenda. Dicunt etiam quod Apostolus de tali altissima loquitur paupertate dicens; Et altissima paupertas eorum abundavit simplicitas eorum: Quod evidenter est falsum, quia ibi loquitur de paupertate Macedonum, qui in speciali temporalia obtinebant, de quibus Apostolus asseruit, quod supra vires suas miserant eleemosinas sanctis. Quod autem dicitur in declaratione Nicolai praedecessoris nostri praedicti contineri quod fratres minores in rebus quae eis obveniunt habent tantum simplicem facti usum. Dicimus quod si ipse intellexerit simplicem facti usum denudatum omni jure, ita quod fratres seu ordo nullum habeat jus utendi, hoc est expresse contra declarationes Gregorii, Innocentii, & Alexandri summorum Pontificum praedictorum, in quibus expresse, quod talium bonorum ordo usum habeat continetur, quod de usu juris est intelligendum necessario, ut superius est probatum. Adhuc dicimus, quod est impossibile, scilicet usum facti simplicem absque jure aliquo; quod nihil aliud est quam ipsum uti proprie potest dici posse in re aliqua etiam usu non consumptibili ab aliquo obtineri prout in decret. *Ad conditorem canonum* est probatum; Et Augustinus in *XII. lib. confessionum* de actu tenet expresse Praeterea si simplex usus denudatus omni jure possit ab aliquo haberi constat, quod actus hujusmodi esset reputandus non justus, cum ille usus fuerit, cui jus non competebat utendi: usus autem non justus ad perfectionem non pertinet nec aliquid perfectioni addit, sed sibi repugnare potius noscitur manifeste. Quod autem talem usum non justum conditor canonis fratribus ipsis intellexerit reservare probabile non videtur, imo quod de justo intellexerit ex eo potest evidentius apparere; quod in eadem ordinatione dicitur, quod illarum rerum duntaxat in se, & Romanam Ecclesiam dominium recipiebat, quorum usum facti licet habere fratribus, seu ordini antedictis. Subiungens quod non omnium usum rerum habebant fratres prædicti. Quod autem ad usum facti simplicem absque omni jure utendi attinet nulla rerum potest censeri diversa quoad fratres. Sic enim de facto uti possunt prohibitis, ut permissis. Ex quo sequitur quod usus facti de quo ordinatio loquitur de tali intelligi debeat, qui justus sit, & ex quo competebat jus utendi. Et ipse videtur conditor canonis, ex eo etiam sensisse hoc quod in eadem ordinatione subjunxit, quod moderatus usus in expressis . . . . . . . rebus ipsis Fratribus est concessus. Rursus impugnatores constitutionum hujusmodi asserere publice prohibentur, quod libellum, & dicta magistrorum asserentium dictam paupertatem, & vitam ipsorum fratrum minorum non esse evangelicam, & Apostolicam summi Pontifices damnaverunt, districtius per Apostolicas literas inhibentes, ne quisquam præmissa, vel aliquod praemissorum contumaciter astruere, vel quomodolibet præsumeret defensare: statuentes quod præsumens contrarium tanquam contumax, & Ecclesiæ Romanæ rebellis, atque hæreticus habeatur. Ad quod dicimus assertionem hujusmodi falsam esse. Non enim continetur in sententia prædicta, quod contra faciens ut haereticus habeatur; quae conclusio ad haec continet quae sequuntur. *Nos enim nihilominus auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quisquam præmissa, vel aliquod præmissorum pertinaciter asserere, vel quomodolibet defensare præsumat; quicunque vero hoc præsumpserit, tanquam contumax, & Ecclesiæ Romanæ rebellis ab omnibus fidelibus habeatur.* Non autem fuit adiectum, quod haereticus haberetur ut patet in serie condemnationis prædictae. Rursus asseruisse dicuntur publice hujusmodi assertores, quod abdicatio juris in cujuscumque rei proprietate, & in ejus usu est sancta, & meritoria propter Deum, & a Christo in se servata Apostolisque imposita, & ab ipsis sub voto assumpta, nec per hoc usus facti ad sustentationem naturae in Christo, & Apostolis convincitur esse non justus. Sed tanto justior atque

„ profecto perfectior, & Deo acceptior, & mundo exemplarior, quanto plenius renunciatum fuerit omni juri, per quod potest sic utens pro usu hujusmodi quomodolibet contendere, vel in judicio litigare. Quae quidem assertio continet multa falsa. Cum neque Christum expropriationem praedictam omnis juris in cujuscumque rei proprietate, & in ejus usu in se servasse, nec etiam imposuisse Apostolis, nec sub voto ab ipsis fuisse receptam evangelica seu Apostolica docet historia, sed contrarium evidentius manifestat. Quod autem in praedicta assertione dicitur, quod per abdicationem naturae in Christo, & Apostolis non convincitur esse non justus, sed tanto justior, &c. impossibilitatem includit, & errorem dictum hujusmodi evidenter. Impossibile enim est actum humanum extrinsecum esse justum, si exercens actum ipsum, nullum jus haberet exercendi, imo non justus sed injustus necessario convincitur talis usus. Item est absurdum, & erroneum quod actus aliquis non habentis jus actum hujusmodi faciendi sit justior, & Deo acceptior quam habentis, cum includat actum injustum, justiorem & acceptiorem Deo existere, quam sit justus. Ex praedictis autem inferre nituntur ut fertur, quod dictorum Summorum Pontificum diffinitio, qua diffiniunt de paupertate Christi & apostolorum, ac fratrum minorum praedictorum regula, prout superius expresserunt, per nos non potuit immutari: procul dubio falsum asserunt, dicentes praedecessores nostros diffinivisse talia, ut superius est probatum. Et adhuc sic loquentes, dum per talia constitutiones nostras impugnare satagunt, constitutiones illas, quibus se adjuvant, ostendunt, si eorum falsae assertiones verae existerent, fore invalidas, erroneas, & infirmas. Si enim nobis non licuit contra constitutionem Nicolai III. in qua se fundant praecipue statuere aliquid: certe nec sibi licuit contra statuta Gregorii, Innocentii, & Alexandri praedictorum statuere, aut aliquid declarare; quod tamen ipsum fecisse secundum eorum assertionem ostenditur manifeste: Cum illi declaraverint, quod ordo minorum habeat usum earum rerum, quas licet habere illis, quod ad usum juris est referendum necessario, ut superius est probatum. Ipse non secundum eos statuit, quod nec ordo, nec fratres jus utendi habeant, sed tantum simplicem facti usum. Et insuper ordinavit, decrevit, & statuit hujusmodi constitutionem, & declarationem suam dumtaxat a fratribus ipsis praecise, & inviolabiliter perpetuis temporibus observandam. Constat, quod non solum contra declarationes praedictorum praedecessorum ordinaverit, sed ipsum illas quantum ad ea quae sua declaratio continet etiam revocasse. Ipse quoque praedecessor noster in sua declaratione subjunxit, ad Sedem apostolicam declarationum, ordinationum earum, & cuncta ea, quae ipse declaraverat pertinere, sic dicens. Si quid ambiguitatis in praedictis emerserit, hoc ad culmen Sedis apostolicae deducatur, ut ex auctoritate apostolica in hoc sua manifestetur intentio, cui solum concessum est in his statuta condere, & condita declarare. Cujus tamen contrarium asserunt hujusmodi assertores. Adhuc patet quod asserunt esse falsum, licet enim Innocentius IV. praedictus in generali concilio interdixisset novas religiones institui, tamen successores ejus non obstante interdicto hujusmodi plures leguntur ordines confirmasse. Qui etiam exceptis aliquibus postea per Gregorium X. praedecessorem nostrum dissoluti certo modo fuerunt in concilio generali. Si igitur post interdictum generalis concilii, licuit Summis Pontificibus non confirmatos ordines confirmare, & eorum successoribus sic confirmatos in totum dissolvere, non est mirum, si quod declarat circa regulas ordinum solus Summus Pontifex vel ordinat, liceat ejus successoribus declarare vel etiam immutare: patet quod nec Honorii confirmatio, nec Gregorii, nec Alexandri, nec Nicolai praedictorum declaratio facta fuerit in concilio generali, cum per nullum ipsorum fuerit generale concilium celebratum; licet enim Innocentius IV. celebraverit concilium generale, tamen nec in illo, nec auctoritate cujuslibet concilii facta fuit ipsa declaratio praedicta. Nicolaus autem Quartus nec celebravit generale concilium, nec aliquid circa dictam regulam declaravit. Gregorius vero X. praedictus nec confirmavit, nec declaravit praedictam regulam, sed in generali concilio ubi cassati fuerint nonnulli mendicantium Ordines, dictorum fratrum Praedicatorum, & minorum Ordines non cassavit, sed asseruit approbandos, sic dicens. Sane ad Praedicatorum, & minorum Ordines, quod evidens ex eis utilitas Ecclesiae universali proveniens perhibet approbatos, praesentem non patimur constitutionem extendi. Praeterea dicant nobis assertores praedicti, ubi legunt, quod ad fidem, vel mores pertineat Christum & apostolos non habuisse in his quae habuerunt, nisi simplicem usum facti. Profecto hoc ad fidem non pertinet, cum de hoc articulus non sit aliquis, sub quo valeat comprachendi, ut patet ex simbolis, in quibus articuli fidei continentur. Nec etiam reductive, quasi hoc sacra Scriptura contineat, qua negata, tota Scriptura sacra redditur dubia; & per consequens articuli fidei qui habent per Scripturam sacram probari redderentur dubii, & incerti; hoc autem non in Scriptura sacra, sed contrarium reperitur. De fratribus autem minoribus praedictis constat, quod de ipsorum paupertate, ac simplici usu facti, seu de dominio eorum, quae ipsis afferuntur, quod Summus Pontifex illud sibi, & Romanae Ecclesiae reservaverit, vel potuerit reservare, nec per illud quod reservatum est, successori abicere non liceat, si hoc expedire viderit; seu quod procuratores constitutos authoritate Summi Pontificis pro negociis ordinis praedicti successor revocare non valeat in praedictis simbolis, Evangeliis, nec actibus Apostolorum, & Apostolis mentio aliqua non habetur; unde non possunt ex praedictis concludere nisi falsa, cum contra ordinata per Summum Pontificem circa talia liceat successoribus aliud ordinare. Quod Nicolaus Tertius supradictus in sua declaratione inseruit, ut superius plenius continetur. Nos itaque ne fabricatores mendaciorum hujusmodi, ac etiam asserentes de tam pestifera, erronea, & damnata doctrina, confutatione, ac confusione utique omni digna gloriari valeant, & alios trahere in errorem, cum ausu nephando, ac petulantia improba ausi defendere publice fuerint, damnatam per constitutionem praedictam haeresim, videlicet, quod Christus, & ejus Apostoli in hiis, quae habuisse leguntur, tantum habuerint absque jure aliquo usum facti simplicem: Ex quo si verum esset, sequeretur usum Christi fuisse non justum, quod profecto blasphemiam continet, & est Catholicae fidei inimicum, cum hoc de pertinaci animositate ac erronea non sit dubium processisse, omnes, & singulos, qui verbo ac scripto per se, vel per alium, seu alios talia praesumpserunt, ipsos quoque qui eos instruxerint in talibus, & ut praemissa facerent docuerint in damnatam haeresim incidisse, ac ut haereticos evitandos de fratrum nostrorum consilio declaramus. Si quis autem per constitutionem *Cum inter nonnullos* praedictas damnatas haereses, vel ipsarum alteram deinceps scienter verbo vel scripto defendere, vel approbare praesumpserit, de fratrum eorumdem concilio decernimus, ut tanquam haereticus ab omnibus habeatur. Adhoc quia constitutionem *Ad conditorem Canonum* supradictam, insano ausu impugnare visi sunt sicut fertur, de eorumdem fratrum consilio inhibemus, ne quisquam contra diffinita, & ordinata, seu facta per ipsam, verbo, vel scripto scienter approbet aliquid vel defendat.

„ Si

„ Si quis autem contra praesumpserit tanquam contumax, & rebellis Romanae Ecclesiae habeatur. „ Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Avinionis quarto Idus Novembris Pontificatus nostri „ Anno IX. Anno Domini 1324.

Deinde Anno Domini millesimo tercentesimo vigesimo septimo de mense Junii praelibatus Dominus Joannes Papa vocavit praedictum Fratrem Michaelem Generalem Ministrum per suas literas speciales mandans eidem, ut infra triginta dies a receptione dictarum litterarum se suo conspectui personaliter praesentaret. Cujus mandati, seu Litterarum tenor noscitur esse talis.

„ Joannes Episcopus servus servorum Dei. Dilecto Filio Michaeli Ordinis Fratrum Minorum „ generali ministro salutem & Apostolicam benedictionem.

„ Cum propter aliqua negocia tuum Ordinem „ contingentia, tua sit nobis praesentia opportuna „ tibi in virtute obedientiae praecipiendo mandamus, „ quatenus infra mensem a praesentatione praesentium computandam te studeas nostro conspectui „ personaliter praesentare. Datum Avinionis VII. „ Idus Junii Pontificatus nostri Anno XI.

Qui Generalis Minister infirmus existens in Conventu Tiburtino Provinciae Romanae recepit dictam literam sive mandatum. Sed quia propter infirmitatem, quam actu patiebatur non potuit in dicto termino comparere, praemisit unum cursorem cum litteris excusatoriis eidem Domino Joanni Papae significans, ut eum haberet excusatum, quia propter infirmitatem praedictam ejus mandatum non poterat in dicto termino adimplere. De mense vero Julii sequenti misit Fratres Joannem Fidantiae Inquisitorem, & Humilem Custodem Perusinos apud Avinionem ad dictum Dominum Joannem, ut eum per omnia de dicto adimplendo termino legitime excusarent. Qui Dominus Joannes receptis dictis Fratribus & audita per eos dicta infirmitate de dicto termino praefatum Generalem habuit excusatum. Et super hoc misit per dictos Fratres praedicto Generali Ministro litteras excusatorias formam hujusmodi continentes.

„ Joannes Episcopus servus servorum Dei. „ Dilecto filio Michaeli Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro salutem & Apostolicam „ benedictionem &c.

Resumpta itaque sanitate praelibatus Generalis Minister coepit versus Avinionem dirigere gressus suos, ad quem locum pervenit prima de Decembris anni praedicti, & ibi existentem vidit praedictum Dominum Joannem, qui eum benigne & gratiose recepit, & de tanta mora, ut supradictum est eum habuit legitime excusatum. Praelibato autem Generali Ministro adhuc in Avinione existente die 27. Januarii, quae fuit Dominica de nuptiis anno Domini millesimo tercentesimo vigesimo octavo praefatus Princeps Dominus Ludovicus Rex Romanorum fuit non per Papam, sed per quatuor Sindicos ad hoc generaliter constitutos per Populum Romanum in Ecclesia Sancti Petri in Imperatorem Romanorum solemniter coronatus, & ex tunc Imperator vocatus. Nam a die suae electionis usque ad diem qua Romae coronatur non Imperatores, sed Reges Romanorum in suis litteris, & ab omnibus appellantur.

Subsequenter 12. die Aprilis praedicti anni, quae fuit Sabbato in Albis memoratus Dominus Joannes Papa fecit venire ad suam praesentiam praefatum Michaelem Ministrum Generalem; & in praesentia Domini Fratris Bertrandi Cardinalis, & Fratrum Petri de Prato nunc Ministri Provinciae Sancti Francisci, Raymundi de Lados Procuratoris dicti Ordinis in Romana Curia, & Laurentii de Cavalchano Bacalarii Avinionensis praefatum Michaelem Generalem Ministrum de pluribus reprachendit, & specialiter de supradicta littera de paupertate Christi, & Apostolorum ejus facta, & composita per generale Capitulum Perusinum. Quam litteram praedictus Dominus Joannes frequenter, & pluries asseruit, sive dixit fore haereticam, sicut constat per litteras dictorum fratrum Petri, Raymundi, & Laurentii subscriptionibus roboratas. Quod cum praefatus Dominus Joannes assereret, & diceret litteram generalis Capituli Perusini fuisse, & esse haereticam; idem Frater Michael Generalis Minister restitit in facie eidem Domino Joanni viriliter & constanter dicens ipsam litteram non esse haereticam, sed sanam, catholicam, & fidelem, & cum determinatione praedecessoris sui, scilicet Domini Nicolai III. & Ecclesiae concordare. Adiciens quod si esset haeretica, tunc sequeretur, quod ipse Dominus Nicolaus, qui in dicta Decretali *Exiit* praedicta determinavit & diffinivit, fuisset haereticus manifestus. Cum secundum jura asserens, docens, seu diffiniens haereses publice manifestus haereticus sit censendus. Sequeretur etiam quod omnes Summi Pontifices eidem Domino Nicolao in officio succedentes, & Romana Ecclesia, quae praelibatam diffinitionem fecit, & recepit, & a quinquaginta annis citra comprobavit, fuerunt, & sunt haeretici, & haeretica manifeste. Quia error cui per illum ad quem resistere pertinet & potest, non resistitur, approbatur. Nec carent scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinunt obviare. Et facientis procul dubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare, prout in Decretis habetur. Et plura alia ibi dixit, & respondit, quae esset longum per singula enarrare. Propter quam responsionem eum arrestavit in sua Curia, sicut in subscripta littera continetur.

*Tenor vero dictae pronunciationis, seu assertionis praefati Domini Joannis per dictos tres Fratres subscriptionibus propriis roboratae noscitur esse talis.*

= ANno Domini millesimo tercentesimo vigesimo octavo die 12. Aprilis, quae fuit Sabato in Albis, Dominus Joannes Papa XXII. fecit vocari coram se Fratrem Michaelem Generalem Ministrum Ordinis Fratrum Minorum in praesentia Domini Fratris Bertrandi de Turre Cardinalis, Fratris Petri de Prato Ministri Provinciae Sancti Francisci, Fratris Raymundi de Lados Procuratoris Ordinis ejusdem in Romana Curia, & Fratris Laurentii de Coalhino Bacalarii Avinionensis; Et dixit Generali Ministro praedictus Dominus Joannes eum inter multa alia increpando, quod erat stultus, temerarius, capitosus, tyrannus, fautor haereticorum, & quod erat sicut serpens nutritus in sinu ab ipsa Ecclesia. Et specialiter increpuit eum de quadam littera Capituli generalis facta Perusii, quod pendente quaestione in Curia praesumpserat ipse eam determinare cum Capitulo generali. Quam litteram dixit, & asseruit fuisse, & esse haereticam pluries, & frequenter. Ultimo praecepit sibi per obedientiam, & sub poena excommunicationis, privationis officii, & inhabilitationis ad quodcumque officium, & beneficium, ut non exiret de Romana Curia sine sua licentia speciali. Quas poenas ut dixit volebat ipsum incurrere ipso facto in hora, qua exire de Curia attentaret. Et ego praedictus Frater Raymundus Procurator praedicta scripsi ad requisitionem praedicti Generalis Ministri, & dico ea vera fuisse, & ut superius continentur me audivisse. Et ego Frater Petrus Minister superius nominatus testificor me fuisse praesentem, & audivisse praedicta superius dicta, & gesta, & testificor vera fuisse, & ut superius continentur me audivisse, & manu mea propria subscripsi. Videns autem praefatus Generalis Minister, quod dicta assertio & arrestatio erant in enorme praejudicium ipsius, & gravamen, ac Ordinis, & Capituli generalis, & Fidei Ortho-

doxae

doxae, & sentiens se, & dictum Ordinem ex praedictis aggravatum & enormiter aggravari posse. Et ex aliis & praedictis probabilibus conjecturis cognoscens, & intelligens quod dictus Dominus Joannes intendebat eum cogere ad abnegandam determinationem Capituli generalis, zelo fidei Catholicae, & dictae religionis accensus, & habito prius eum deliberatione matuto consilio, nomine suo, & etiam nomine Capituli generalis, & omnium & singulorum Fratrum dicti Ordinis, a dictis pronunciamento, sive assertione, praecepto, & attestatione, & gravaminibus sibi, ac Capitulo, & Fratribus memoratis per praefatum Dominum Joannem de facto illatis die XIII. Aprilis Anni praedicti in Avinione existens provocavit, appellavit, & protestatus fuit prout immediatius continetur. =

„ In Nomine Domini Amen. Anno a Nativitate Domini millesimo tercentesimo vigesimo octavo, Indictione undecima, Die XIII. mensis Aprilis in Civitate Avinionensi in Domo Fratrum minorum coram infrascriptis religiosis, & honestis personis, & me infrascripto notario, ibi Reverendus in Christo Pater Frater Michael de Cesena Ordinis Fratrum minorum Generalis Minister & in sacra pagina Doctor dixit, & protestatus fuit, provocavit, appellavit, & fecit, prout inferius continetur. Ego Frater Michael de Cesena Ordinis Fratrum minorum Minister generalis, & servus, meo proprio nomine, & etiam nomine, & vice Capituli Generalis, ac totius Ordinis Fratrum minorum, & singulorum fratrum ipsius Ordinis, ac omnium mihi adhaerentium, & adhaerere volentium, dico, propono, & protestor coram vobis religiosis, & honestis viris, quod Dominus Joannes, qui se Joannem Papam XXII. appellat, vocavit me ad suam praesentiam per quasdam litteras sub Bulla sua, quarum tenor talis est. Joannes Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Michaeli generali ministro Ordinis Fratrum minorum salutem, & apostolicam benedictionem. Cum propter aliqua negocia tuum ordinem contingentia tua sit opportuna praesentia, tibi in virtute obedientiae praecipiendo mandamus, quod infra mensem a praesentatione praesentium computandum te studeas nostro conspectui praesentare personaliter. Datum Avinionis VI. Idus Junii Pontificatus nostri anno XI.

= Quibus Litteris receptis cum essem corporali infirmitate gravatus me excusavi ratione dictae infirmitatis, & ipsam excusationem eidem Domino Joanni transmisi, & de ea sibi fidem feci per literas & testimonia vicarii Domini Episcopi Irtanensis, & plurium aliorum fide dignorum, & etiam per litteras Illustrissimi Principis, & Domini Domini Roberti Dei gratia Hierusalem, & Siciliae Regis, qui de ipsa mea infirmitate certificatus fuerat per medicum suum, quem ad me visitandum in dicta infirmitate transmiserat. Qua excusatione rationabili intellecta per ipsum Dominum Joannem ipse mihi mandavit, & mandari & insinuari fecit, quod habebat me rationabiliter excusatum, & quod non fuerat suae intentionis, nec volebat quod supra posse laborarem in veniendo ad eum, sed cum commode possem ad eum assumpta corporis sanitate venirem. Postea ego corporali sanitate aliqualiter assumpta studui pro posse ad ipsius Domini Joannis praesentiam festinare: Et cum multis periculis propriae personae 2. die mensis Decembris Anno Domini millesimo tercentesimo vigesimo septimo ad ipsum veni, & me coram eo personaliter praesentavi, & ipse me pacifice, ac benigne recepit, audivit, & pertractavit, & postea expressit, & specificavit mihi causam, quare me vocaverat ad suam praesentiam, dicens, quod me vocaverat ex eo, quod ipse intellexerat, quod aliquae provinciae dicti ordinis propter malum regimen ipsarum provinciarum ministrorum, detrimenta, & pericula gravia patiebantur: quod quoque ipse mihi hoc non imputabat, nec imputandum esse censebat pro eo quod ego per me non habebam potestatem providendi provinciis de ministris: & specialiter ipse Dominus Joannes tunc mihi nominavit Provincias Sancti Francisci, & Aragoniae, in quibus hujusmodi pericula & detrimenta esse dicebat, & mandavit ac commisit mihi, quod ministros dictarum duarum provinciarum absolverem, & eisdem de ministris idoneis, & sufficientibus providerem. Et sic pacifice & quiete de ipsius Domini Joannis voluntate remansi in Avinione a dicta die 2. mensis Decembris usque ad diem VIII. mensis Aprilis, ita quod de nullo crimine vel defectu in dictum tempus me redarguit, nec dixit, nec apparuit, quod sibi forem de aliquo crimine denunciatus, vel etiam accusatus. Et postea ipse Dominus Joannes vocavit me ad suam praesentiam die IX. ipsius mensis Aprilis; & cum fui in ejus praesentia constitutus, & essent ibi praesentes Dominus Frater Bertrandus de Turre Cardinalis, & Fratres Raymundus de Lados Procurator generalis dicti Ordinis, Petrus de Prato minister Provinciae Sancti Francisci, & Laurentius de Malchono Bacalarius Conventus Avinionensis Ordinis praedicti; ipse Dominus Joannes in praedictorum praesentia dixit, & asseruit me fautorem haereticorum, & specialiter increpavit me de quadam littera Capituli generalis facta Perusii, cujus tenor inferius continetur: increpans me, & ipsum Capitulum generale, quod pendente quaestione in Curia per ipsum proposita, praesumpseram una cum Capitulo generali eam determinare: quam Literam Capituli generalis frequenter dixit fuisse & esse haereticam, sicut de hujusmodi increpatione & assertione, sive dicto constat etiam per literas manu propria dicti Procuratoris scriptas, & subscriptionibus, ac testimoniis dictorum fratrum roboratas. Et cum eidem Domino Joanni dicerem constanter, quod dicta littera dicti generalis Capituli non erat hæretica, sed Catholica: cum certum sit, quod assertio ipsius generalis Capituli in ipsa littera contenta in sententia eadem est penitus cum determinatione Domini Nicolai Papae III. posita in Decretali *Extra de verbor. signif. C. Exiit §. porro*. Unde si esset haeretica, sequeretur quod ipse Dominus Nicolaus Papa, qui talem determinationem fecit, fuisset haereticus. Tunc ipse Dominus Joannes praecepit mihi sub poena excommunicationis, privationis officii mei, & inhabilitationis ad quodcumque officium, & beneficium quod non exirem de Romana Curia sine sua licentia. =

Tenor autem literae dicti capituli Generalis, quam ipse Dominus Joannes frequenter dixit fuisse hæreticam talis est.

„ Universis Christi fidelibus &c. „ Vide supra in folio . . . . & eam hic pone.

„ Ego frater Michael ordinis fratrum minorum generalis minister, & in sacra pagina magister praedictis consentio, & eam esse veram judico. In cujus rei testimonium sigillum mei officii praesentibus literis appendi jussi, & manu mea propria me subscripsi. Similes subscriptiones, & sigillationes fecerunt magistri, & Bacallarii, & quatuor Provinciales Minister superius in dicta littera nominati. Haec verba dictae literae dicti capituli generalis & subscriptionum praedictorum ministrorum, magistrorum, & Bacallariorum in sacra pagina. In qua litera, & contentis in ea alii magistri, & Bacallarii dicti ordinis, qui non fuerunt in dicto capitulo generali praesentes, tam de Parisiis, quam de Anglia numero XLI. concordaverunt, & suum super hoc consilium ejusdem sententiae cum praedicta litera capituli generalis dederunt, sicut patet per literas ipsorum magistrorum, & bacallariorum subscriptionibus, & sigillis roboratas. Ex quibus manifeste patet, quod ego cum dicto capitulo, & capitulum una mecum non determinavimus aliquam quaestionem dubiam, nec aliquid quod possit rationabiliter esse dubium: sed

„ quod

„ quod per sanctam Ecclesiam Catholicam clare, & expresse determinatum erat, ac diffinitum fideliter confessi fuimus, diximus, & asseruimus, & ad communem omnium fidelium notitiam deducere per dictam literam voluimus, sicut etiam ex nostrae regulae professione facere tenebamur. In cujus principio dicitur, quod volentes hanc vitam accipere, debent credere, & fideliter confiteri, & usque in finem firmiter observare fidem catholicam. Et in fine ipsius regulae de professoribus ejusdem respondetur, ut semper sint subditi, & subjecti pedibus ejusdem sanctae Romanae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem, humilitatem, & sanctum Evangelium Domini nostri Jesu Christi quod promisimus firmiter observemus. Unde sequitur quod dictus Dominus Joannes me, & dictum capitulum de determinatione quaestionis in curia pendentis nimis injuste, & irrationabiliter increpavit. Attendens igitur quod ipse dominus Joannes per dictam suam assertionem, qua dixit frequenter dictam literam capituli generalis fuisse haereticam, me, & totum ordinem, capitulum generale, & omnes professores, & observatores dictae regulae, quae fundata est in dicta veritate per universalem Ecclesiam determinata, & diffinita de haeresi, & doctrina haeretica redarguit: nobiscum crimen haeresis imposuit, & imponit: Et quod licet diceretur ipsum dominum Joannem jam dudum ante praedictam assertionem, & increpationem tria statuta fecisse, & per mundum publice divulgasse: Quorum primum, incipit, *ad conditorem*; secundum, *cum inter nonnullos*; tertium *quia quorundam*, per quae dictam determinationem Ecclesiae, & confessionem capituli generalis judicasse haereticas videbatur. Tamen mihi nondum pro certo innotuere, quod ipse dominus Joannes firmiter crederet, assereret, & teneret ipsas Ecclesiae determinationem, & dictam literam generalis capituli fore haereticas, sed per dictam suam assertionem & increpationem pro certo innotuit. Insuper attendens, quod ipse Dominus Joannes dictam determinationem in dicta decretali *Exiit* contentam dicendo haereticam, se ipsum proprio judicio de haeresi judicat & condemnat, prout ex pluribus gestis approbatis, & statutis, ac ordinatis per ipsum ostenditur evidenter. Et primo ex eo quod manifestum fuit tempore generalis concilii Lugdunensis, Viennensis, quod Dominus Clemens quintus sacro approbante concilio fecit declarationem, & decretalem solemnem, quae incipit, *Exivi de Paradiso*, quam ipse dominus Joannes postmodum approbavit, & eam in septimo libro poni, & inseri fecit, ac mandavit, quod omnes ipsa decretali utantur, tam in judiciis, quam in scholis, ut patet in prooemio, quod ipse dominus Joannes super ipsum librum septimum ordinavit. In qua declaratione Domini Clementis Quinti inter caetera determinatio facta per Dominum Nicolaum III. & posita in dicta Decretali *Exiit* approbatur, & nominatim abdicatio proprietatis, & dominii omnium rerum tam in speciali quam in communi, quam fratres dicti ordinis profitentur, tanquam caelestis vitae forma, & salutaris doctrina, & tanquam paupertas altissima ad perfectionem deducens, & solo Deo contenta approbatur, & multipliciter commendatur. Ex quibus sequitur manifeste, quod si ipse Dominus Joannes illud, quod tam solemniter approbavit, nunc haereticum asserit, se ipsum de haeresi proprio judicio judicat, & condemnat. Secundo ex eo, quod postmodum coram ipso Domino Joanne suborta materia altercationis, & disputationis super dictis regula, & declarationibus, ipse Dominus Joannes post longam, & multam examinationem, & deliberationem praehabitam de Consilio Collegii Dominorum Cardinalium pronunciavit, & dixit saepedictas declarationes Dominorum Nicolai III. & Clementis V. salubriter editas, solidas quidem claras, & lucidas multaque maturitate digestas, & dictam religionem sanctam de die in diem, de virtute in virtutem ad perfectionem tendere, terrena despiciendo, & caelestia complectendo, prout haec & alia in constitutione, sive declaratione ipsius Domini Joannis, quae incipit. *Quorundam exigit* plenius continetur. Item in quadam alia constitutione facta per ipsum Dominum Joannem, quae incipit, *Gloriosam*, pronunciavit, sive asseruit dictum Ordinem fratrum minorum ab ipso suae fundationis exordio dicti almi Confessoris Beati Francisci regulari traditione, & Apostolicae Sedis confirmatione fore in vita, & doctrina Christi, & Ecclesiae ipsius indissolubili quadam textura connexum, fide clarum, spe validum, charitate perfusum, humilitate placidum, obeditione devotum, velut singulare jubar sanctitatis, exemplo, ac doctrinae verbo per universum orbem claruisse, & ecclesiastico decori multum utilitatis, & inclitae alacritatis plurimum invexisse. Ex quibus clare patet, quod hunc saepedictam determinationem in saepedicta decretali *Exiit §. porro*, positam, asserendo esse haereticam, se ipsum condemnat, & proprio judicio multipliciter de haeresi judicat. Sequeretur etiam ex hoc: ex quo Dominus Nicolaus Tertius fecit dictam determinationem fuisset haereticus manifestus, & quod gesta per eum fuissent nulla, & nullius valoris, & momenti, & quod Domini Bonifacius Octavus, & Clemens Quintus ex quo talem determinationem approbaverunt fuissent haeretici, & quod gesta per eos non tenuissent: Et quod Cardinales facti per ipsos Summos Pontifices, & qui consenserunt in ipsam determinationem, non fuissent veri, nec legitimi Cardinales, & quod ipse Dominus Joannes electus ab ipsis nunquam fuisset verus Papa. Quam ob rem ego praefatus Frater Michael dicti ordinis fratrum minorum generalis minister, sentiens me gravatum, & dictum generale capitulum, & omnes, & singulos fratres dicti ordinis, & ipsum totum ordinem, ac etiam universalem Ecclesiam ex praedictis increpatione, & assertione, ac praecepto factis per ipsum D. Joannem, & ex omnibus aliis gestis, statutis, & ordinatis per ipsum D. Joannem in diminutionem sive derogationem, aut praejudicium, vel infamiam praedictarum confessionum & declarationum saepedicti capituli generalis, & declarationum Dominorum Nicolai III. & Clementis V. & cujuscumque, seu alicujus earum enormiter aggravatum: Et ex probabilibus, & verisimilibus conjecturis, & rationabilibus causis, timens inposterum per ipsum Dominum Joannem fortius aggravari, protestor coram religiosis vobis, & honestis personis, quod ego praefatus Michael justo metu ductus, tali videlicet, qui possit cadere in constantem virum non sum ausus hanc appellationem, & provocationem coram ipso Domino Joanne facere, sive interponere, nec eam sibi porrigere, & praesentare; Unde nunc coram vobis religiosis, & honestis viris personaliter constitutus de isto metu justo protestor, & in vestra praesentia praedictas increpationem, assertionem, & attestationem, ac dictum praeceptum factum per Dominum Joannem, & omnia alia gesta, & facta per ipsum in mei, ac dicti capituli, ac ordinis, & fratrum praejudicium, injuriam, & gravamen, & in derogationem dictarum declarationum Dominorum Nicolai III. & Clementis Quinti, & quodlibet eorum, & omnia, & singula quae sequerentur ex praedictis, vel eorum occasione fierent, fuisse, & esse, & censeri debere nulla, nullius valoris, & momenti; Et quatenus de facto processerunt, sive facta, & gesta sunt, ab eis omnibus, & singulis quae sequuta fuissent, vel sequerentur ex ipsis, in his scriptis dicto nomine coram vobis ad Sedem apostolicam provoco, & appello: Et si & in quantum jura postulant, & requirunt, apostolos instanter, & iterum cum instantia

„ peto:

„ peto: Et subiicio me, & dicta mea, & praedictos ordinem, & fratres, & omnes, & singulos mihi adhaerentes, & adhaerere volentes correctioni, protectioni, & defensioni Sedis apostolicae, & sanctae matris Ecclesiae. Protestans insuper, quod si de caetero coram praefato D. Joanne me praesentarem quod ex dicto metu justo ductus hoc faciam; Et quod mihi dicto nomine per hoc nullum praejudicium generetur, sive afferatur, cum justus metus de jure me excuset; Et quod per aliquam praesentationem, vel aliquem actum, quem de caetero facerem post appellationem hujusmodi, non intendo ab hujusmodi protestatione, provocatione & appellatione, ac libello aliquatenus recedere, sed eisdem volo efficaciter semper inhaerere. Acta, & facta fuerunt praedicta coram religiosis, & honestis viris fratribus Francisco de Esculo in sacra Theologia Doctore, & Lectore in conventu fratrum minorum de Avinione; Guilhermo de Hoccham de Anglia magistro in sacra Pagina; Bonagratia de Pargamo Juris utriusque perito; Lafrancho de Pargamo notario: Et me infrascripto Guidone de Pupio notario, testibus ad hoc vocatis & rogatis, praedictis anno, Indictione, Mense, Die, & loco superius memoratis: Ego frater Guido de Pupio ordinis fratrum minorum Imperiali authoritate notarius praedictis omnibus, una cum supradictis testibus interfui rogatus, & praedicta scripsi, & in hanc formam publicam redegi, & signum meum apposui consuetum.

Subsequenter praedicto Domino Ladovico in Imperatorem ut praedictum est coronato: volens ipse Imperator juridice, consulte, & aperte procedere contra praefatum Dominum Joannem, qui se Papam appellat, de haeresi publice & notorie diffamatum, & diffinitivam sententiam promulgare die XIIII. Aprilis praedicti Anni quandam legem, quomodo competentes Judices se habere debeant contra incidentes in crimen laesae majestatis, & haeresis, de quibus, seu eorum altero manifeste commissis, & notorie quis diffamatus fuerit, Romae solemniter promulgavit, formam hujusmodi continentem.

„ Ludovicus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus. Ad perpetuam rei memoriam. Omnem totius rei publicae curam gerentes, Deo nostrum Imperium gubernante, ad hoc mentem nostram praecipue dirigimus, & curis sollicitamur continuis, ut prava cogitationis delinquendi materiam amputemus. In his praesertim criminibus omnem peccandi occasionem tollere cupientes, ea quibus non solum temporalis majestas laeditur, sed aeterna. Novimus enim ut legalis sanxit authoritas in omnibus generaliter criminibus notoriis usquequaque solemnitatem, & juris ordinem non servari, ut notoria, quae aliqua tergiversatione caelari non possunt, quasi ex ipsa facti evidentia in lucem deducta faciliori ordine puniantur. Quae solemnitates tanto relaxandae sunt amplius, quanto committentes majora facinora coinquinant, & depravant, ut per ampliorem solemnitatem, & ordinis relaxationem delinquendi occasio subtrahatur. Quia igitur ubi majus periculum vertitur, ibi cautius est agendum. Hac edictali lege de nostrorum principum, ac procerum consilio, & assensu sancimus, ut si quis in crimine haeresis, vel laesae majestatis inciderit, de quibus, seu eorum altero manifeste, & notorie commissis fuerit, diffamatus, contra taliter delinquentem adversus quem de praescriptis criminibus, seu altero eorum hujusmodi laborat infamia, ad sententiam diffinitivam procedi possit, & debent per Judices competentes, vocatione seu citatione aliqua non praemissa. Volentes in praemissis, & qualibet eorum ut praemittitur citatione non facta, sic latam sententiam habere roboris firmitatem, ac si in hujusmodi prolatione sententiae fuisset usquequaque ordo Judiciarius observatus. Praesentem vero constitutionem nostram extendi volumus ad praesentia, praeterita, & futura, aliis juribus contra taliter delinquentes a divis retro Romanorum principibus editis in suo robore duraturis. In quorum omnium testimonium praesens nostrum edictum, sive constitutionem conscribi jussimus, & nostrae majestatis Sigillo volumus communiri, facta fuit haec lex, & publicata 14. Die Aprilis anno Domini 1328.

Deinde videns praedictus Dominus Imperator, quod praefatus Dominus Joannes supradicta tria statuta haereticalia ediderat, & publice promulgaverat, & pertinaciter defendebat, volens praedecessoris Octoni Primi, qui Joannem Papam XII. de Papatu deposuerat, & aliorum quamplurium Imperatorum, qui hoc idem fecerant vestigiis inhaerere; motus nihilominus, & inductus supplicationibus, & instantiis plurimis Sindicorum Populi, & Cleri Romani, plenam ad haec ejusdem Cleri, & Populi authoritatem habentium, & liberam potestatem, prout apparuit ex oblatis tunc dicto Imperatori sindicatus eorum publicis instrumentis, memoratum Dominum Joannem in haeresi deprachensum publice per sententiam diffinitivam solemniter deposuit de Papatu. Cujus depositionis tenor noscitur esse talis.

„ Ludovicus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus ad perpetuam rei memoriam. Gloriosus Deus, & sublimis Dominantium Dominus nulli secundus, qui universa propter semetipsum operatus est, Imperium quoque ad diem malum, Sacerdotium, & Imperium independenter principans, & conservans, ut hoc quidem divina exerceat, illud autem humanis praesideat, rem publicam sibi traditam recte, ac magnifice gubernando, Nos Ludovicum IV. Imperatorem Romanorum semper Augustum in Imperialis culmine majestatis constitutum, & in hoc quia nos in principem super haereditatem suam injunxit, ut de manibus inimicorum suum populum liberemus, exaltans nos super gentes, & regna, ut pacis subversores disperdamus, ubique zelatores vero ejusdem plantemus, & aedificemus, creans fructum labiorum nostrorum, pacem his qui longe, & his qui prope. Ea propter ex Imperialis celsitudinis debito excessus enormes Jacobi de Caturro, qui nunc se Papam XXII. licet mendaciter asserere non veretur diuturnius nullatenus sufferre valentes, innato moti justitiae zelo, nunc praeeminentia Majestatis Imperialis adaucto, domum paternam, filiosque carissimos impuberes hostilium incursuum discriminibus jam actu expositos, fortunae periculis committentes celeri cursu in Italiam venimus, ad Sedem nostram praecipuam, videlicet Romam properantes. Quam divino suffulti auxilio pacifice attigimus, nulla hostium resistentia praepediti, universis terrarum quas pertransivimus incolis ab omni damno, atque disturbo praeservatis. In qua siquidem urbe divina opitulante providentia Caesareo Diademate, ac Sceptro legitime susceptis per nostrum Romanum peculiarem Populum urbi, & orbi, Dei ac nostra potentia invincibili praesidemus, ut manus nostrae fortitudine triumphali, rebelles, qui pro nunc a nobis suo domino naturali longe sint, corripiamus potenter, filiosque nostros ab angustiis, & persecutoribus tirannicis insuperabili potestate, Dei & nostra efficaciter eruamus. Animadvertimus equidem hujusmodi transgressiones rebellium ex violento usurpatoris se nunc Papam nominantis falcem suam in alienam messem mittentis certa nequitia provenisse. Quem elevatum ad instar Adoniae filii Agith ea . . . . David hactenus, nunc vero perpendimus quod ferro necesse est, ut abscindantur vulnera, quae fomentorum non senserunt medicinam. Prospeximus etiam, quod in immensum crescit impunita temeritas. Et facilitas veniae dicto Jacobo incentivum tribuit delinquendi, dum sibi de col-

„ leeris

lectis inique thesauris, currus fecit, & equos adversus Christi, & nostri Sacri Imperii fideles sub specie subsidii Terrae Sanctae, thesauris inquam jam per multos annos de omnibus finibus Ecclesiae, ac taliis, seu quaestu a Clero violenter extortis. Nec non simoniacis, beneficiorum Ecclesiasticorum distributionibus collatorum, aetate, vita, & scientia penitus immeritis, & indignis, ac mentitis graciis, seu indulgentiis peccatorum, quas pro stipendiis pollicetur nepharis homicidiis. Scismata pestifera, effreni rebellione non desinens in nostro Sacro Imperio, suis dolis, astutiis seminare, utens consiliis, & auxilio execrabilis Moab Principis militiae, scilicet cujuslibet fautoris dissidiorum, & ex Joab interpretatione, & hoc in personis principum saecularium, praecipue dololi Joab, jam dudum propter crimen laesae majestatis per sci. rec. Henricum ultimum paenis proscriptionis damnati, aliorumque Principum quorumdam sibi toto posse, & voce faventium in Sacri destructione Imperii. Quoad sublimationem cornu Christi, idest libere professionis fidei Catholicae divinitus noscitur institutum. Inhaerens & consilio Aduzar Sacerdotis, qui peccatum suscinaus interpretatur, & hoc in personas Ministrorum spiritualium, seu ecclesiasticorum, qui ad similitudinem filiorum Hely, carnis crudae, seu cruentatae violenti exactores existunt in effusione humani sanguinis ad mandatum praedicti Jacobi se Papam contingentis utentes, quinimo abutentes gladio temporali, a quo tamen Dei, & Sanctorum Patrum sanctionibus exclusi esse noscuntur, nescientes Dominum, nec officium Sacerdotum ad Dominum: prophanat igitur in eisdem hic vir sanguinum Sacerdotium Christi, manus Cardinalium in Italia Legatorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, aliorumque inferiorum graduum sanguine replendo homicidiis infinitis. Ex quibus profecto evidenter agnoscimus Sacrum Imperium in defensionem Evangelii pacis, a Deo ab aeterno provisum per hunc mysticum Antichristum, qui se Papam nominat, si quod absit effrenis ejus rabies procederet inulta, irreparabiliter exterminari. Iste nimirum vere dicitur Antichristus mysticus, quia ipse fervet secundum operationem Satanae in omni seductione iniquitatis, discessionem quae secundum Apostolum adventum Antichristi praecedet, velut ejusdem praecursor immediatus indefesse satagit accelerare, ad subversionem, seu extinctionem fidei orthodoxae caede crudelissima Christicolarum innumerabilium, quam Antichristus potestate publicae violentiae perficiet; hanc iste molitur sub specie mentitae justitiae cum notoria violentia consummare, dum non solum in Italia, verum etiam in plerisque locis Infidelium confiniis Sarracenorum, videlicet in Regno Armeniae, & Ruthenorum, in dioecesi Tebertina succursum a Christifidelibus dictorum confiniorum in forbus palam hujus Aspidis Avinione videlicet clam vel valide per annos quinque miserabiliter imploratum perperam denegavit. Et proh dolor, antes humanae religiant observationem Treugarum cum infidelibus in confinio Prussiae, praeceptori generali domus sanctae Mariae Theutonicorum districtissime illud injunxit, id agere in augmentum fidei Christianae licet mendaciter se praetendens, quod in ejusdem fidei conceperat notorium detrimentum. Ex hoc etenim pernicioso figmento, quanta fuerit occisio fidelium in infantibus vagientibus in cunabulis, in viris, & mulieribus innumeris perfidorum mucronibus trucidatis, multisque in perpetuum in captivitatem adductis: Et quanta lamentatio in monialibus, ac Deo dicatis virginibus defloratis, in viduis, & maritatis post tergum in manibus ligatis ad arbores violenter oppressis: Quanta insuper Ecclesiarum, & sacramentorum, maxime pretiosissimi, ac venerandissimi Corporis Christi sa-



cratissimi prophanatio facta fuerit, dum ipsum lanceis perforatum, & elevatum Christo, ac omnibus Christicolis blasphemie, ac dementer exprobraverunt dicentes: Ecce Deus Christianorum: Marchia Brandeburgensis plorans filios, & filias lamentabiliter queratur: factus est igitur persequtor ille nequissimus, in domestici praeda, plebis interemptor, occisor filiorum, in propriae patricida, prout insuper facti alterius evidentia declaravit, dum galeas quamplures in subsidium catholici Regis Armeniae, ac totius sui populi contra Saracenos per magnificum Regem Francorum transmissas in occisionem Christianorum nostro subjectorum Imperio, Januensium videlicet callide, ac dolose pervertit, & nequiter usurpavit. Numquid ergo bene ille pseudopropheta in apocalypsi describitur sub figura sedentis in equo rufo, qui exivit, ut sumeret pacem de terra, & ut homines se invicem interficiant, terram, proh dolor, inebrians ovium Christi sanguine, venam fontis pietatis, & clementiae funditus arefaciens, in qua tamen vera disciplinae Christi summa consistit. Adhuc autem ostendit ille se esse veritatis Evangelicae, ac Dei ordinationis subversorem publicum evidentissime declaravit, dum doctrinam Christi, & Apostolorum verbo traditam, & exemplo firmatam de superioritate, ac dominio, & gubernatione temporalium Imperiali celsitudini debita, Dei, & nostris fidelibus obedientiam legitimam transgredi praecepit, ipsam superioritatem sibi superbe falsiter usurpando, attentans, & satagens, quamvis illicite Imperialem & sacerdotalem simul dignitatem habere, atque potestatem, quas Christus in oppositis voluit esse distinctas, dum ostenso sibi numismate Caesaris imagine signato ea quae sunt Cesaris dominationem, videlicet temporalium in ejusdis numismatis redditione signatam Caesari jussit reddi. Quod quidem Numisma in hujusmodi dominationis evidentiam solum Imperiali auctoritate ubique cuditur, & formatur; Ea vero quae Dei sunt Deo reddi praecepit, adiciens, & quae sunt Dei Deo. Amplius Christus ipse se nolle Imperatoris, & sacerdotis officium insimul ab illo ejus vicario usurpandas possideri per facti evidentiam propalavit, dum ipsi cui soli, quia verus Deus, & verus homo data fuit in Caelo, & in Terra universa potestas, regnum, & Imperium terrenum, & omne dominium temporalium a se penitus abdicavit, prout Joannes Evangelista testatur, ubi ait: Jesus autem cum cognovisset, quod venturi essent, ut raperent eum, & facerent regem, fugit iterum in montem solus; quod & alibi Christus expressius innuit, ubi dicit, regnum meum non est de hoc mundo: subjungens si de hoc mundo esset, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judaeis: Et sequitur: Nunc autem meum regnum non est hinc. Cui etiam Decretistae assentiunt dicentes, Papam non habere utramque jurisdictionem. Quam a Deo & ipsa electione jurisdictionem & potestatem in temporalibus nos solum recipimus; unde eo quod sumus electi, sumus etiam confirmati, nulla prorsus confirmatione fienda per hominem indigentes. Ex quibus hic veritatis Evangelicae, & pacis Ecclesiasticae aemulus indefessus Jacobus antedictus notorie deprachensus est non ad voces propheticas, non ad series evangelicas, sed ad suum reprobum sensum, tanquam magister erroris, seu haeresiarcha notorius perfide recurrisse, maxime in processibus, imo potius excessibus, contra sacrum Imperium in persona nostra productis. In quibus convincitur Evangelicae veritatis, quantum ad Christum, scilicet ad potestates per Christum discretas impugnator, & subversor notorius extitisse: Ipsosque suos vocatos processus, nullos esse, & nullius firmitatis efficaciam habuisse cogitur conffiteri, praesertim cum dictos vocatos processus ex notorie injusta occasione commiserit. Quum Sacrum Imperium quo ad tempo-



ralium

„ ralium administrationem noluimus, sicut nec debuimus recognoscere eidem fuisse subiectum: sanctionibus itaque Sanctorum Patrum edocti recognoscentes nos soli Deo reddituros rationem propter Ecclesiam quam pro Christo tuendam suscepimus, si pax seu disciplina Ecclesiae solvatur, aut perturbetur, universalem statum Ecclesiae sanctae Dei, ac Sacri Imperii per hunc Scismaticum Jacobum, videlicet antedictum, a pace, & disciplina destitutum restituere cupientes, ne sit inter nos Christicolas pacis & concordiae professores, radix germinans fel, & amaritudinem universalis scismatis, ob reverentiam, & honorem sacrosanctae Romanae Ecclesiae, ac in defensionem fidei Orthodoxae, quam firmiter credimus, prout eadem mater nostra Ecclesia nos hodie erudit, & hactenus erudivit: necnon in succursum coetus venerabilium Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum omnium spiritualium ministrorum, ad correctionem furientis rabiei Jacobi saepedicti summe necessarium. Quia cum dictum Collegium Cardinalium metu in constantem cadente, totaque Sacerdotum Communitas metu privationis officiorum, & beneficiorum hactenus efficere non potuit, nec adhuc efficit per Sermonem Doctrinae, nobisque incumbat ut eam imperemus per debiti supplicii rigorem propter notoriam dissipationem Ecclesiae disciplinae, cui haeresiarcha praefatus invigilat indefesse: Inspicientes quod ille Simoniacus electiones de Pastoribus canonice factas, scientia, ac vita, seu honestate morum decoratis, frequentius annullare praesumpsit, ipsas Cathedrales Ecclesias electione privando, suaeque corruptae voluntati contra Deum, & Juris ordinem reservando. Quas etiam provisiones ideo sibi reservat, ne pastores vitae irreprachensibilis, inquietorum correctores, bonorum operum doctrina, & integritate exemplatores in Dei Ecclesia perficiantur; sed magis homines inhonesti, disciplinae Ecclesiasticae transgressores, omne quod legis, quod morum, quod sanctimoniae in Christi ovibus corrumpentes, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, dum prohibita licita, & licita prohibita docent, & asserunt: absolventes exemplo sui nepharii, & morbidi capitis, quos Deus ligat in homicidiis, ac perjuriis per fautores hujus haeresiarchae infinitae proprietatis. Adhuc autem quod & ipsi Deo, & hominibus displicet justis, non modicum hanc sacratissimam gentem, & Urbem Romanam, quam ipse Christus in gentem sanctam, genus electum, regale Sacerdotium, ac Populum acquisitionis immutabiliter praeelegit, sita personali praesentia tota sui vicariatus duratione privavit contra expressam Christi prohibitionem, & Beati Petri Apostoli revocationem salubriter exemplatam, dum apparente sibi Christo, & Petro interrogante: Domine quo vadis? Christus respondit: Vado Romam iterum crucifigi: Quamvis pro habenda illius Jacobi praesentia Romanus Populus plures miserit Ambaxiatas solemnes: Nec hiis contentus criminator iste contra hunc Christi peculiarem Populum, tanquam contra perfidos crucem praedicat nullo prorsus exigente delicto Populi antedicti: Ipsumque Populum antedictum innocentem iniquissimis processibus notorie diffamare praesumit. Quapropter cum hic praevaricator nepharius divinae dispositionis ordinem Sacerdotio, & Imperio praestitum publice impugnaverit statu sui vicariatus abutens enormiter dum gladio sanguinis uti praecipit pro gladio spiritus, quod est verbum Dei. Hinc est quod zelo justitiae, atque rei publicae, quam exornare, & ad optima quaeque producere concupiscimus, auctoritate nobis in hoc casu coelitus ordinata contra quoslibet fidei, & veritatis sanctae matris Ecclesiae turbatores: Quam siquidem auctoritatem divina voluntas, Petro Apostolo teste, regali, seu Imperiali praecellentiae concessit in vindictam malorum, in laudem vero bonorum: Propter quod etiam secundum Apostolum non sine causa gladium portamus, qui Dei minister, & vindex in iram ejus qui malum agit existimus: Praefatum Jacobum, cui cum sit veritatis evangelicae notorius contradictor, & manifeste haereticus purgatio canonica rigore juris nequaquam est indicenda, praedecessorum nostrorum, videlicet Octoni Primi, qui cum Clero, & Populo Romano Joannem XII. deposuit a Papatu; Et cum Clero, & Populo de alio Pastore Orbi, & Urbi providit: Et aliorum quamplurium Imperatorum vestigiis inhaerere volentes ipsum Jacobum in haeresi deprachensum, tum ex facti evidentia, quia haeresim publice praedicat, perfectionem altissimae paupertatis in Christo penitus denegando: Ex quo sequeretur Christum non fuisse perfectissimum viatorem, quantum ex confessione propria, ut liquet ex iniquis, ac temerariis vocatis processibus ab ipso contra Sacrum Imperium in nostra persona factis: in quibus profecto Dei ordinationi resistit, sibique damnationem acquirit, & se ipsum pro crimine laesae majestatis reatu plectendum constituit, eo quod indigne gerit, & gessit vicariatus Officium ab eo tempore, quo in alterum criminum praedictorum dignoscitur notorie lapsus fuisse, a Christo privatum esse, & privatum fuisse denunciamus, nostraeque Imperialis auctoritatis sententia Episcopatu Romano, & universalis Ecclesiae Dei, seu Papatu tenore praesentium privamus, & ab eodem deponimus in his scriptis: sententia, inquam, lata de communi consilio, & assensu, ac requisitione Cleri, & Populi Romani, nostrorumque principum, & Ecclesiae Praelatorum tam Alamanorum, quam Italicorum, aliorumque fidelium plurimorum. Moti nihilominus, atque inducti supplicationibus, atque instantiis plurimis Syndicorum Cleri & Populi Romani plenam ad hoc ejusdem Cleri, & Populi auctoritatem habentium, & liberam potestatem, ac speciale mandatum prout a paret ex oblatis nostrae majestati Libellis, & sindicatus eorum publicis Instrumentis sigillis saepedicti Cleri & Populi Romani signatis: quas quidem supplicationes, & instantias propter salutis nostrae dispendium noluimus, sicut nec debuimus recusare. Unum & saepedictum Jacobum omnis ecclesiastici Ordinis praerogativa nudatum, & officio, ac beneficio ecclesiastico spoliatum tenore praesentium subicimus saecularis nostrorum ministrorum arbitrio potestatis ab omnibus feudatariis, & justiciariis nostri sacri Imperii ubicumque deprachensus fuerit velut haereticum animadversione debita puniendum. Decernimus insuper auctoritate qua supra omnes vocatas sententias, aut edicta, caeteraque pronunciata, vel pronuncianda sermone, vel scripto per supradictum Jacobum de Caturco aut ejus complices, legatos, officiales, sive ministros adversus nostros fideles, seu nobis adhaerentes, principes, communitates, collegia, & singulares personas tanquam per haereticum & laesae majestatis crimine damnatum aut haeretici, seu sic damnati fautores latas, vel ferendas, earumque tam latarum, quam ferendarum, minime authoritatem habentes, nullas fuisse, nullas esse, nullasque futuras, nullamque sententiae, aut alterius dicti, vel scripti quemquam obligantis habuisse, vel habere, aut habituras fore virtutem, a tempore quo dictus Jacobus in alterum criminum praedictorum noscitur incidisse. Volentes rursum prout viis juris dirigimur, & cogimur de Pastore Catholico huic Urbi, & Orbi una cum Clero, & Populo Romano omni morae superfluae dilatione postposita providere, quemadmodum nobis de jure competere plenarie demonstravimus in praemissis praefatum Jacobum tanquam in haeresi notorie deprachensum praecipimus sub poenis infrascriptis a Christicolis omnibus inexcusabiliter evitari. Si qui autem deinceps ad ipsum sic damna-

„ tum

,, tum favore, consilio, vel auxilio, credulitate, vel
,, obedientia declinaverint, omnes tales cujuscum-
,, que conditionis existant tam praelatos Ecclesiasti-
,, cos quam principes saeculares, Barones nobiles,
,, & ignobiles quocumque nomine seu titulo cen-
,, seantur, qui ab hujusmodi contumacia infra unius
,, mensis spatium, quoad Italos, & infra duorum
,, mensium quoad alios nostro Imperio subiectos a
,, publicatione praesentium revocari contempserint
,, privatione omnium feudorum, quae a sacro tenent
,, Imperio, quorum una medietas Imperiali Fisco,
,, reliqua vero Camerae Urbis Romanae applicabi-
,, tur, nostra praesenti sententia condemnamus, poe-
,, nasque proscriptionis, & personarum, ac rerum
,, infligimus per praesentes: omnes nihilominus li-
,, bertates, immunitates, atque privilegia per nos,
,, aut per praedecessores nostros, ipsis concessa cas-
,, santes tenore praesentium revocamus. Ad hujus
,, autem nostri Imperialis Edicti sive Processus exe-
,, cutionem efficacem sub poena privationis rerum,
,, & personarum, nec non & sub poena infamiae
,, perpetuae universos feudatarios, ac justiciarios no-
,, stri sacri Imperii a publicatione praesentium infra
,, mensem quoad Italicos, & infra duos menses,
,, quoad alios nostro subjectos Imperio volumus,
,, decernimus, & statuimus irrevocabiliter obligari.
,, Ad quorum omnium notitiam testimonium, at-
,, que fidem praesentem processum conscribi prae-
,, cepimus, & ipsum nostrae Imperialis majestatis
,, bulla aurea, signoque Imperiali nostro consueto
,, jussimus communiri. Cui etiam, & ad fines prae-
,, dictos Sigilla Cleri, & Populi Romani sunt ap-
,, posita. Publicatus est autem iste processus coram
,, Clero, & populo Romano praesentibus testibus
,, infrascriptis ad hoc specialiter vocatis, videlicet
,, principibus tam Ecclesiasticis quam saecularibus,
,, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Ba-
,, ronibus ingenuis nobilibus, & ignobilibus: nobis
,, ibidem assistentibus: quorum nomina sigillatim pro-
,, lixitatem evitantes praesentibus noluimus explicari.
,, Datum, & actum extra Basilicam Apostolorum
,, Principis Beati Petri in Urbe Romae, cuncto
,, Clero, & Populo Romano in Platea ibidem in
,, Parlamento publico congregato 18. die mensis
,, Aprilis Anno ab Incarnatione Domini 1328. In-
,, dictione XI. Regni nostri anno XIV. Imperii vero
,, primo.

Quia praedicta sententia fuit insufficiens quo ad aliqua, & maxime quia errores per dictum Jacobum, qui se Papam XXII. nominat dogmatizatos, & in supradictis tribus decretalibus insertos minime exprimebat. Ideo praefatus Imperator ad majorem dictae sententiae roboris firmitatem de peritorum consilio ipsam mutavit in pluribus, & addidit errores contentos in dictis decretalibus plenius exprimendo. Quam sic correctam, & mutatam Pisis postea ad eundem annum, diem, & locum datam, ut suprascripta solemniter promulgavit. Publicatio vero dictae sententiae sic mutatae inferius ponitur folio..... Similem modum servavit praefatus Dominus Joannes in editione constitutionis, *Ad Conditorem Canonum*, quam postquam solemniter publicaverat eam correxit, & in pluribus mutavit, & sic correctam, & mutatam ad eundem annum, diem, & locum iterum solemniter promulgavit.

Deinde praefatus Imperator videns Cardinales nunc Summorum Pontificum electores, haeretici fautores, infames, excommunicatos, & omni jure electionis privatos, ex eo quod dicto Domino Joanni haeretico notorio, & per eum de haeresi sententialiter condemnato, multifarie multis modis faverant, postquam fuit publice, & notorie de pluribus haeresibus diffamatus, volensque providere Ecclesiae de alio Summo Pontifice more antiquitatis observato, una cum clero, & populo Romano in die Ascensionis Domini quae fuit XII. Maii anni praedicti fratrem Petrum de Corbaria ordinis fratrum minorum in Summum Pontificem elegerunt, & Nicolaum Quintum vocaverunt. Nam ante Nicolaum Papam II. qui primus fuit electus per Cardinales in Civitate Senensi anno Domini millesimo, Imperatores cum Clero, & populo Romano urbi, & orbi de Summo Pontifice providebant. Et interdum ex causis rationabilibus deponebant, ut patet cuilibet historias, & cronicas perlegenti.

Quia a nonnullis fuit haesitatum hactenus, & adhuc haesitatur quomodo Imperator praedictus potuit ferre sententiam supradictam, & maxime cum jurisdictiones clericorum, & laicorum sint distinctae, fuit responsum a prudentibus, & juristis, quod de jure hoc potuit facere, & debebat. Ex eo quod scriptum in sacris canonibus reperitur *XXIII. q. V. Cap. principes*; ubi dicitur, quod per Regnum terrenum caeleste Regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem, & disciplinam agunt rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam utilitas Ecclesiae exercere non valet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, haec ibi: Et sunt verba Isidori, ubi dicit *glo. ord.* quod laici habent jurisdictionem multipliciter intra Ecclesiam. Quandoque in personis cum sunt incorrigibiles. Item quandoque propter ambitionem alicujus, ut cum quis se fecit inthronizari, nulla electione canonica praecedente. Item cum clerici volunt fidem subvertere. Item cum clerici sunt falsarii. Item cum scisma faciunt, & excommunicationem contemnunt. Item ubicumque ecclesiastica potestas deficit ut hic. Item cum tributum petunt ab Ecclesia, haec Glossa. Quia vero hic deficiebat potestas Ecclesiastica, dictus Dominus Imperator tulit sententiam contra eum, hoc idem notatur *XVII. d. C. nec licuit*, ubi dicitur, quod ubicumque deficit potestas Ecclesiastica, semper recurrendum est ad brachium seculare.

Subsequenter praefatus Frater Michael generalis minister asserens dictum Dominum Joannem, qui se Papam appellat propter supradictam pronunciationem, sive assertionem quam fecit de supradicta litera Perusina: Et propter plura alia in praejudicium fidei per eum statuta fore haereticum manifestum, more Sanctorum Patrum qui ab obedientia Summorum Pontificum a fide deviantium recesserunt, & etiam quia sibi mortis periculum imminebat, si post dictam appellationem in sua curia remansisset diutius XXVI. die mensis Maii dicti anni recessit ab obedientia, & curia praefati Domini Joannis, scilicet de Avinione, & ad Civitatem Pisanam se transtulit, ut posset praedictam appellationem publicare, ac etiam innovare; ad quam IX. die Junii per mare pervenit. Audiens vero dictus Dominus Joannes praefatum Fratrem Michaelem generalem ministrum contra suum mandatum de Curia recessisse fecit eum hostiliter persequi, & cum eum habere non posset tulit contra eum non obstante appellatione depositionis sententiam VI. die Junii dum adhuc esset in via, formam hujusmodi continentem.

## DEPOSITIO MINISTRI.

,, JOannes Episcopus servus servorum Dei ad
,, futuram rei memoriam.
,, Dudum ad nostri apostolatus auditum fide
,, digna relatione perducto, quod Michael de Ce-
,, sena, tunc ordinis minorum generalis minister,
,, anno videlicet praeterito per totam Quadragesi-
,, mam, & amplius in urbe moram trahens non-
,, nulla nefanda cunctis catholicis contra nos, &
,, Ecclesiam sanctam Dei subdole in favorem hae-
,, reticorum, ac rebellium ejusdem Ecclesiae pro-
,, curabat. Nos ut valeremus obviare salubrius
,, praemissis, eundem Michaelem quod infra certum
,, sibi praefixum terminum coram nobis compareret
,, personaliter per nostras certi tenoris literas duxi-
,, mus evocandum. Ipse autem receptis literis hu-
,, jusmodi se confingens infirmum, & impetrans tam

„ a cariſſimo in Chriſto filio noſtro Roberto Rege Siciliae illuſtri, quam a dilectiſſimo communi Peruſino, & quibuſdam aliis excuſatoriis ad nos ſuper hoc literis, ſuppreſſa ſicut poſtmodum evidenter claruit veritate, comparere tanquam ſibi de praemiſſis conſcius praefixo termino non curavit, ſed eodem diu elapſo termino per terras rebellium tranſeundo ad noſtram veniens praeſentiam, & in noſtra Curia reſidens, cum diabolico coagitatus ſpiritu neſciret a ſuis pravis, & damnandis conceptibus deſiſtere, nec dum praemiſſa continuare nefanda, ſed pejora, & horribilia prioribus eiſdem adhaerendo nihilominus haereticis, ac rebellibus, ac parando contra nos, & ipſam Eccleſiam auxilia, conſilia, & favores, fratres quoque, & dicti ordinis pravi ſui praepoſiti, & operum damnabilium ſectatores ſovendo, exaltando, & ad ſtatum ejuſdem ordinis promovendo; Et alios aelatores Dei honoris, & Eccleſiae multipliciter deprimendo continue committere, ſicut fama, ſeu verius infamia publica plurimque bonorum virorum ſupradicti ordinis, & aliorum fide dignorum inſinuatione, & aſſertione percepimus non expavit. Cumque hujus deteſtanda facinora, & divinae majeſtatis offenſam, ac Eccleſiae laeſionem enormem, & fidei praeterire ſilentio ſalva conſcientia nequiremus, eidem Michaeli ad praeſentiam noſtram propter hoc avocato, praeſentibus Venerabili fratre noſtro Bertrando Epiſcopo Tuſculano, & dilectis Filiis Raymundo de Lados Procuratore generali, & Petro de Prato miniſtro Provinciae Sancti Franciſci, & Laurentio de Coalhono Bacallario Conventus Fratrum Minorum Avinionis praelibati Ordinis praemiſſa curavimus explicare, praedicentes eidem, ut ſuper illis intendebamus plenius inquirere veritatem. Et quia brevis mora temporis nequaquam ad hoc ſufficere videbatur. Nos eidem Michaeli, licet propter praemiſſa poſſit rationabiliter carcerali mancipari cuſtodiae, tractare propter ſui honorem Ordinis mitius volumus, ſub excommunicationis poena, & depoſitionis ab officio, & inhabilitationis ad quoſcumque honores, dignitates, gradus, & ſtatus Eccleſiaſticos poenis ſententiis, quas omnes, & ſingulas ipſum incurrere ipſo facto, ſi noſtrae non pareret inhibitioni effectualiter, diſtrictius duximus inhibendum, ne de civitate Avinionis, ubi cum noſtra Curia reſidemus, recedere abſque noſtra ſpeciali ſententia quomodolibet attentaret. Poſtmodum praefatus Michael audita intruſione, quae de quodam praedicti ſui Ordinis per illum iniquitatis filium Ludovicum de Bavaria Dei, & ejuſdem Eccleſiae manifeſtum perſecutorem, & hoſtem, & de haereſi ſententialiter condemnatum, patrata in urbe praedicta dicitur, ad quam ipſe Michael pro perſona ſua nequiter aſpiraſſe dicitur, ac etiam aſpirare. Intellecto quod quaedam Galea armata, quam ipſe ſibi per dictum Ludovicum mitti procuraverat, ſicut patronus ejuſdem affirmavit, qui poſtmodum ad Portum de Aquis mortuis applicarat, praedictis inhibitione, & poenis & ſententiis in contemptum deductis, nocturno tempore latenter, & furtive de civitate praedicta receſſit. Et aſſociatis ſibi quibuſdam ſuae iniquitatis complicibus, inter quos erant duo nequam viri, videlicet, Bonagratia de Ordine praedicto, qui ſuis delictis, & exceſſibus exigentibus in eadem Curia arreſtatus ad ſancta Dei Evangelia juraverat ſe de ipſa Curia minime ſine noſtra licentia receſſurum. Et quidam Anglicos vocatus Guillelmus Ocham Ordinis praedicti contra quem ratione multarum opinionum erronearum, & haereticalium, quas ipſe ſcripſerat, & dogmatizaverat, pendebat in eadem Curia inquiſitio auctoritate noſtra diu jam incepta, & propter hoc erat ne abſqua noſtra licentia de Curia memorata diſcederet arreſtatus, ad Portum ſupradictum deveniens ſe quoque reddens cum dictis complicibus fugitivis, primo quandam navem, ſive concham, ac deinde galeam ſupradictam conſcendit: Nos autem eorumdem Michaelis, & complicum fuga non abſque magnae admirationis, & turbationis materia intellecta, venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum Portuenſem pro ipſis revocandis a deviis hujuſmodi ad dictum Portum una cum nonnullis duximus deſtinandum. Qui quamvis moneri eos prout melius potuit, fecerit, & requiri, ac citari, nihilominus, ut ad noſtram Curiam rediret memoratam, ſeque coram nobis praeſentaret perſonaliter, facturus ſuper praedictis, quod juſtitia ſuaderet, praefatus Michael tanquam obſtinatus in malum, & in reprobum ſenſum datus, pro ſe, ſuiſque complicibus pertinaciter, & irrevocabiliter reſpondit, ſe nullatenus reverſurum ad noſtram praeſentiam, ſed ad dictos intruſum, & Ludovicum potius acceſſurum. Nos etiam eundem Michaelem ſuper praemiſſis in noſtra audientia fecimus evocari. Cumque praefati Michael, & complices de civitate Avinionis praedicta, ubi cum noſtra Curia reſidemus abſque noſtra licentia receſſerint, & requiſiti ſicut praemittitur redire noluerint, contumaces, & fugitivos, ac hoſtes Dei, & Eccleſiae fideique Catholicae, praeſertim cum ad haereticos, rebelles, & ſciſmaticos ire ſicut praefertur diſpoſuerunt, ſe manifeſte reddentes. Nos cum fratribus noſtris deliberatione ſuper hiis praehabita diligenti, & de ipſorum conſilio praefatos Michaelem, Bonagratiam, & Guilherinum reputamus contumaces, ipſoſque ratione contumaciae hujuſmodi excommunicationis ſententia innodamus. Et inſuper dictum Michaelem praedictas excommunicationis, depoſitionis, & inhabilitationis poenas, & ſententias per nos contra eum latas incurriſſe, ac ipſam excommunicatum, & depoſitum ab officio, ac inhabilem ad quoſcumque honores, dignitates, gradus, & ſtatus eccleſiaſticos, ac quaevis beneficia eccleſiaſtica obtinenda exiſtere de fratrum antedictorum conſilio declaramus tam contra ipſum, quam contra dictos complices, & eorum fautores, eiſque adhaerentes ſuper praedictis, & ea tangentibus, ſi quando, & quoties nobis videbitur nos proceſſuros ulterius praedicentes. Ut autem praedictus proceſſus noſter ad omnium notitiam deducatur cartas, ſive membranas proceſſum continentes eundem in majoris Eccleſiae Avinionis affigi, vel appendi oſtiis faciemus, quae proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro praeconio, & patulo judicio publicabunt. Ita quod praenominati Michael, & complices ſui, ac alii quorum intereſt nullam poſſint excuſationem praetendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eos proceſſus hujuſmodi non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem. Cum non ſit veriſimile quo ad ipſos remanere incognitum, vel occultum, quod tam patenter fuerit omnibus publicatum. Datum Avinionis VIII. Idus Jun. Pontificatus noſtri Anno XII.

Lata vero dicta ſententia contra praefatum Fratrem Michaelem Generalem miniſtrum: Saepedictus Dominus Joannes Dominum Bertrandum de Turre ordinis fratrum minorum Cardinalium, & Epiſcopum Tuſculanum vicarium dicti Ordinis inſtituit generalem, quouſque eſſet proviſum de Generali miniſtro per Capitulum Generale.

Subſequenter praefatus Frater Michael Generalis miniſter exiſtens in Civitate Piſana, volens intimare miniſtris, & cuſtodibus, ac aliis Fratribus ordinis memorati cauſam ſui receſſus de dicta curia Avinionis abſque praedicti Domini Joannis licentia, litteras excuſatorias miſit per ordinem formam hujuſmodi continentes.

„ Univerſis miniſtris, Cuſtodibus, Guardianis, & eorum vicariis, ac caeteris Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, Frater Michael ejuſdem ordinis miniſter Generalis, & ſervus, ſalutem, &

„ pa-

„ pacem in Domino sempiternam. Juris divini, & humani legibus admonemur Romano Pontifici, nisi contraria Deo jubeat, aut a fide sanctae Romanae Ecclesiae deviet obedire. At ubi contraria Deo, vel contra id quod per sanctam Romanam Ecclesiam, & eam sequentes sanctos Patres est in fide, vel moribus diffinitum, aliquid jubet, mandat, decernit, non est ei obediendum. Sane licet sancta Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica pluries diffinierit quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit, quamque primi fundatores militantis Ecclesiae prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte vivere per doctrinae ac vitae ipsorum alveos derivarunt: Quam quoque abdicationem proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi Almus Christi Confessor Sanctus Franciscus in sua regula per Sedem Apostolicam pluries approbata & caeteri ipsius regulae professores volentes Christi, & Apostolorum ejus sequi vestigia servare Domino promiserant, prout multi Romani Pontifices declaraverunt, & damnaverunt contrarium asserentes, prout in pluribus rescriptis Sedis Apostolicae continetur; & demum ad omnem viam praedictae veritatis adversariis praecludendam Sedes Apostolica solemnem ediderit Decretalem quam in libro VI. Decretalium sub n. de verbor. signif. C. Exiit qui seminat, inseruit: In qua dictam fidei Catholicae veritatem, quam Sancta Romana tenet Ecclesia apertissime diffinivit. Quae diffinitio, & determinatio dudum est ab universali Ecclesia Catholica recepta: Et etiam novissime per Decretalem quae incipit *Exivi de Paradiso* in Viennensi Concilio editam, & in VII. Lib. per Dominum Joannem qui se Papam XXII. appellat positam approbata. Ideo etiam Dominus Joannes in quadam sua declaratione juxta initium sui Pontificatus super regulam, & statum fratrum minorum edita per eundem, quae incipit *quorundam* dictam veritatem approbaverit pronunciando, & asserendo in ipsa sua declaratione dictas Decretales *Exiit qui seminat & Exivi de Paradiso* salubriter editas solidas, lucidas, multa maturitate digestas: Et etiam in alia ipsius Domini Joannis ordinatione contra adversantes commemorati ordinis fratrum minorum edita per eundem, quae incipit *Gloriosam Ecclesiam* pronunciaverit dictum ordinem ab ipso suae fundationis Exordio Almi Confessoris Beati Francisci regulari traditione, & apostolicae sedis auctoritate atque confirmatione indissolubili quadam textura Ecclesiae Catholicae connexum, fide clarum, spe validum, charitate perfusum, humilitate placidum, obeditione devotum, velut singulare jubar sanctitatis, exemplo atque Doctrinae verbo per universum mundum claruisse, & Ecclesiastico decori multum utilitatis, & inclitae alacritatis, multum invexisse, & adversantes statui dicti ordinis velut haereticos damnaverit. Tamen postmodum operante humani generis inimico, qui se in Angelum lucis transfigurans, hactenus semper visus est, & nunc hiis novissimis, & periculosis temporibus nititur fortius in sancta Dei Ecclesia divisiones, discordias, scandala, & errores pro viribus quotidie seminare, praefatus Dominus Joannes multa fecit, & dixit in praedictae veritatis praejudicium. Et demum die ix. mensis aprilis, quae fuit sabbato in albis proxime praeterito, me, & pluribus aliis fide dignis personis in ejus praesentia constitutis pronunciavit, & asseruit pluries frequenter litteram, quam olim totum Capitulum generale ordinis saepedicti apud Perusium congregatum fecit, sive composuit, & universis Christi fidelibus destinavit fore haereticam, sicut constat per documenta & assertiones eorum qui praesentes fuerunt ipsi pronunciamento, & suis subscriptionibus roborarunt. In qua litera dictum generale capitulum praedictæ determinationi sanctæ Romanæ Ecclesiæ firmiter, & totaliter inhærendo concorditer, & unanimiter dicebat, & fatebatur non esse hæreticum, sed sanum, catholicum, & fidele, dicere, & asserere quod in dicta decretali *Exiit* de paupertate Christi, & Apostolorum ejus, ut prædicitur continetur. Et quia in continenti post dictum pronunciamentum eidem Domino Joanni in facie restiti, dicens inter cætera eidem, quod ex tali pronunciamento sequebatur aperte, quod Papa quod in dicta decretali *Exiit* prædicta determinavit, fuisset hæreticus. Ipse non obstante hujusmodi contradictione in eadem sententia, & assertione sua hæreticali perseverans ex hujusmodi resistentia adversus me commotus, me in sua curia arrestavit, mandans mihi, quod de ejus curia non recederem absque ejus licentia speciali. De qua arrestatione mandavit, & fecit fieri publicum instrumentum, intendens me cogere ad abjurandum prædicta, sicut relatione fidei digna cognovi, signis etiam multorum, quæ fecit hoc attestantibus manifeste. Ego vero attendens quod si præcepto, & pronunciamento hujusmodi paruissem videter per consequens consentire, quod Ecclesia Romana, quae praedictam determinationem fecit fuisset haeretica; Et quod Beatus Franciscus quem sancta Romana Ecclesia cathalogo sanctorum ascripsit, qui regulam in dicta sua veritate fundavit, & totus ordo qui in dictam literam, & determinationem consensit, & alii fratres ordinis ipsius, qui in professione hujusmodi veritatis catholicae finierunt dies suos fuissent haeretici, & considerans quod dictum pronunciamentum in articulum fidei; In unam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam enormiter impingebat: sub quo fidei articulo continetur, quod Romana Ecclesia non potest errare in fide, quia Christus rogavit pro ea, ut non deficeret fides ejus. Et quod ipse ex dicto suo pronunciamento haeresim Sanctae Romanae Ecclesiae, quae praedictam ordinationem fecit, & veritatem a centum annis citra firmiter tenuit, & docuit, imponebat; & quod ipse Dominus Joannes sibi contrarius existebat pronunciando haereticum quod alias fuerat per eum, ut praedicitur approbatum; & quod ex indignatione ipsius contra me odio, & invidia sic manifestis, quod etiam magni de curia vix nihil loqui audebant, quantumcumque Zelatores ordinis & personae, mihi mortis periculum imminebat propter ejus in multis crudelitatem expertam; nec non ex causis aliis rationabilibus zelo fidei catholicae, & status dicti ordinis, cui praesum, licet indignus, & urgente conscientia motus de peritorum consilio motus a praedicto pronunciamento manifestam haeresim continente ad sanctam Romanam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam appellavi. Quam appellationem feci & interposui in dicta curia infra tempus a jure statutum de peritorum consilio ut praedicitur. Et quia si in curia dicti Domini Joannis dictam appellationem publicare, aut prosequi voluissem timebam ex dictis, & ex verisimilibus conjecturis mihi mortis periculum imminere ut superius est jam dictum, de magnorum virorum, & notabilium personarum consilio de dicta curia recessi: Quin imo ad recessum me compulit, & coegit. Siquidem a IX. annis ordinem nostrum, & meam personam indesinenter, & atrociter persecutus multifarie nos videbatur omnes inducere ad mutandum statum, quem novimus nobisque tradidit Almus Christi Confessor Franciscus. Nec ad hanc persecutionem tam diuturnam devitandam valuit patientia, & obedientia ordinis: sed quanto humilius suis parebamus mandatis, quanto reverentius ordo se gerebat ad ipsum, tanto acriores injurias, & infamias publicas inferebat. Nec ad hoc similiter profuit instantia Regum, Dominorum, Praesulum, & aliorum ma-

„ gno-

„ goarum, & notabilium perſonarum, qui ſui gratia ſuper hoc ſcripſerum negocio ſibi literas efficaces. Sed ſemper ut dictum eſt ad majores moleſtias dire proceſſit. Propterea nullus prudens, & Juſtitia praeditus debet contra me aut ordinem aliqualiter commoveri, ſed potius compati & admirari non modicum, quia nos ſine cauſa tanto tempore tot moleſtiis preſſi, & nos anguſtias hujuſmodi tam diu potuimus æquanimiter tolerare. Acceſſi autem ad locum, ubi ipſam appellationem tute poſſem publicare & proſequi, prout requirunt canonicae ſanctiones, cujus appellationis tenorem, & formam inhærendo tam vobis quam caeteris fratribus aliis noſtri ordinis delliuare, ut ubilibet publicetur, & omnes cognoſcant, quod dicto Domino Joanni in haereſi manifeſta depraehenſo & etiam per Imperatorem cum conſenſu Romani Cleri, & populi depoſito non eſſet obediendum; Et quod obedire foret animam ſuam damnare & haereticum ſe confiteri. Quare exhortor, & perſuadeo vobis, quod praedicti haeretici mandatis, ſive praeceptis in nullo obediatis, cum ſit omni authoritate, & poteſtate privatus, prout jura dicunt, & canonicae ſanctiones. Tenorem vero hujus literae faciatis per omnia loca fratrom veſtrarum provinciarum, & cuſtodiarum celeriter publicare, ut zelus, & fervor ſanctorum Patrum, qui ſuum ſtatum diligunt fortius accendatur, atque clament ad Deum, & Beatum Franciſcum ut ordinem ſuum liberet, & conſervet ſemper in ſervitio, & amore: ac etiam ceteris Perſonis extrinſecis, cum opportunum, & expediens videatur, ut me & ordinem, & fratres habeant legitime, & rationabiliter excoſatos. Valete in Domino, & orate pro me.

„ Datum Piſis nona Die Julii anno Domini milleſimo tercenteſimo vigeſimo octavo. „

Poſt haec praefatus frater Michael generalis miniſter exiſtens in Civitate Piſana, attendens quod praefatus Dominus Joannes aſſeruit dictam litteram generalis capituli Peroſini haereticam, ut ſuperius eſt oſtenſum. Et quod licet in Avinione ab ipſa pronunciatione & aſſertione, zelo fidei, & ordinis appellaverit; ipſe tamen Dominus Joannes ipſum Generalem, & fratres ſibi ſubditos perſecutus eſt, & continue uſque ad mortem non deſiſtit: & quod ipſe Dominus Joannes poſt, & contra dictam appellationem contra ipſum generalem & ſocios ſuos, & plures alios fratres dicti ordinis plures proceſſus de facto fecit, & fieri fecit ex cauſis falſiſſimis & confictis: Et quod Dominum Bertrandum de Turre de facto Vicarium dicti ordinis inſtituit, cum de jure non poſſit: Qui litteras minus veras contra eum, & ſocios ſuos in praejudicium fidei; & dicti ordinis deſtinavit per Orbem: Et etiam quia tria ſtatuta haereticalia fecit, & publice promulgavit, & ex veriſimilibus cauſis, & rationibus timens ne alia gravamina contra eum, & ſocios, & alios dicti ordinis fratres ſibi ſubjectos, & dictum ordinem per dictum Dominum Joannem, aut Dominum Bertrandum attentarentur & fierent. Ideo praefatus Michael miniſter generalis in dicta civitate Piſana exiſtens XVIII. die Septembris praedicti anni ſuo nomine, & vice omnium, & ſingulorum fratrum dicti ordinis ſibi adhaerentium & adhaerere volentium nominibus, ac etiam nomine omnium catholicorum, & fidelium chriſtianorum in ſcriptis ſolemniter appellavit ad Sanctam Eccleſiam catholicam, & ad ſanctum concilium generale.

## SEQUITUR APPELLATIO

### GENERALIS MINISTRI IN MAJORI FORMA.

„ IN nomine Domini Amen. Anno Domini 1328. Indictione XI. in Civitate Piſana in domo fratrum minorum religioſus & venerabilis Vir frater Michael de Ceſena dicti ordinis fratrum minorum generalis miniſter, & in ſacra Pagina Doctor conſtitutus in praeſentia infraſcriptorum Venerabilium authenticarum, & honeſtarum perſonarum, & ſub earum & mei infraſcripti Notarii teſtimoniis volens quandam appellationem, ſeu provocationem de menſe Aprilis proxime praeteriti interpoſitam per ipſum fratrem Michaelem miniſtrum ſuo nomine, & etiam nomine Capituli generalis, & omnium, & ſingulorum fratrum dicti ordinis a quibuſdam gravaminibus eidem fratri Michaeli generali miniſtro, ac fratribus, & Capitulo memoratis de facto illatis per Dominum Joannem, qui ſe Papam XXII. appellat, interpoſitam in Civitate Avinionis in præſentia & ſub teſtimonio fratris Guidonis de Pupio dicti ordinis Notarii publici & aliarum fide dignarum perſonarum publicare, & etiam innovare, & alia ab aliis gravaminibus poſt & contra dictam appellationem per dictum Dominum Joannem, & ejus Commiſſarios, ſeu Officiales, vel aliquem eorum eidem fratri Michaeli generali miniſtro, ac aliis fratribus dicti ordinis, ſeu alicui eorum, ut inferius deſcribetur illatis: Et ab omnibus aliis gravaminibus, quae in futurum inferentur eiſdem, vel eorum alteri de novo facere ac interponere, & etiam publicare omni modo, jure, & forma, quibus melius de jure poteſt, ibidem dedit, porrexit, & praeſentavit: Et dat, porrigit, & praeſentat infraſcriptum libellum; Et dixit, & proteſtatus fuit, ac appellavit, provocavit, & fecit, prout in ipſo libello continetur. Cujus libelli tenor talis eſt.

„ Ego Frater Michael ordinis Fratrum minorum generalis miniſter, & ſervus, attendens quod ſacri Evangelii teſtimoniis, & legis divinae pagina caute reperitur, & veri Doctores ſanctae Romanae Eccleſiae aſſerunt, & diffiniunt, ac omnes Sancti Patres religionum Inſtitutores affirmant normam ſecundum Evangelium Chriſti perfecte vivendi fore in tribus conſiliis principalibus Evangelicis, & apoſtolicis, videlicet in abdicatione proprietatis omnium rerum temporalium, & renunciatione propriae voluntatis, ac caſtitatis cuſtodia conſtituram, propter quod religioſi omnes volentes praedicta tria Evangelii conſilia perfecte ſervare vovent vivere in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. Et teſtante Canone iſta adeo ſunt eſſentialiter annexa cuilibet religioni perfecte, ut contra ea nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere, ut de abdicatione proprietatis, & cuſtodia caſtitatis habetur *extra de ſta. Mo. Cap. Cum ad monaſterium in fin.* Et de iſtis tribus plene habetur, & notatur in ſumma Hoſt., *extra de regula, & tranſ. ad Rel. §. Ad quid teneatur*, & in juribus ibi notatis: In hac enim obſervantia trium conſiliorum, concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitae declinantur. Ex quibus trahit originem omne peccatum. In cujus rei teſtimonium Beatus pauperum Patriarcha Franciſcus in principio ſuae Regulae per Sanctam Romanam Eccleſiam dudum, & pluries approbare, & confirmare dicta tria conſilia, & vovenda tanquam religionis fundamenta proponit, dicens: *Regula, & vita Minorum Fratrum haec eſt ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia ſine proprio, & caſtitate.* De vera autem immutabilique doctrina Evange-

„ lica

lica, & Apostolica, ac Sanctorum Patrum in *Canone XXV. q. 1. Sunt quidam*, dicitur sic: *Sunt quidam dicentes Romano Pontifice semper licuisse novas leges condere, quod etiam nos non solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum tamen summopere est, quod inde novas leges condere potest, unde Evangelistæ aliquid nequaquam dixerunt; ubi vero aperte Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes Sancti Patres aliquid diffinierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare potest, sed potius quod praedicatum est usque ad animam, & sanguinem confirmare. Si enim quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur.* Haec verba Canonis. Et in eadem *Can. 2. q. III. C.* sequenti dicitur sic: *Contra statuta primum condere vel mutare nec hujus quidem Sedis potest auctoritas: apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui Decreta Patrum sanxere reverentiam.* Haec ibi. Et Gregorius, & ponitur in dicto *Can. q. 2.* dicit sic: *Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor juste comprobarer.* Porro diebus istis novissimis quibus evangelicae veritatis fulgor illuxerat Dumnus Joannes qui se Papam XXII. appellat, a sollicitudinibus, & cupiditate divitiarum hujus saeculi, qui teste Evangelio verbum Dei suffocant, excaecatus, de qua cupiditate Apostolus scribit ad Timotheum dicens: *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide*; tres constitutiones haereticales edidit, & publice promulgavit, vitae, & doctrinae Evangelicae, & Apostolicae, & Sanctae Romanae Ecclesiae, & Sanctorum Patrum eam sequentium statutis multipliciter adversantes, quae tanquam fumus teter, & horridus e puteo abissali, & ab eo qui pater est mendacii, & scismatis prorumpentes; veritatis, & doctrinae Solem evangelicae obnubilant, & obscurant. In quarum prima, quae incipit *Ad conditorem Canonum* probare intendens, quod fratres Minores vitam apostolicam profitentes; & idem sequitur de omnibus religiosis profitentibus tria vota Apostolicae religioni annexa; in rebus quae usu consumuntur non sunt censendi usuarii simplices, sive habere simplicem usum facti absque proprietate, & dominio dogmatizat, sic dicens: *Quod autem quo ad res quae usu consumuntur non sint censendi usuarii fratres ipsi ex subsequentibus liquet satis. Dicere siquidem quod in talibus rebus quae usu consumuntur usus juris vel facti separatus a proprietate rei, seu dominio possit constitui, repugnat juri, & obviat rationi.* Et infra: *In rebus consumptibilibus, nec jus utendi, nec usus facti separata a rei proprietate, seu dominio possunt constitui, vel haberi.* Haec verba ipsius. Quae quidem doctrina est haeretica manifeste, cum Sacrae Scripturae, ex qua fidei Catholicae probantur articuli, & sacris Canonibus per Sanctam Romanam Ecclesiam instinctu Spiritus Sancti promulgatis, & diffinitionibus Sanctorum Doctorum, & Patrum, ac etiam determinationi Sanctae Romanae Ecclesiae obviat manifeste. Quod autem Sacrae Scripturae obviet probatur per infrascripta. Primo per illud quod legitur in Actibus Apostolorum 2. & E. C. cum de multitudine illa credentium, qui proprietatem, & dominium rerum omnium temporalium abdicabant. 2. Can. dicitur sic: *Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia, possessiones, & substantias vendebant, & dividebant illa singulis prout opus erat cuique.* Et E. C. dicitur tic: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quotquot enim possessores agrorum, aut Domorum erant vendentes afferebant pretia eorum, & apponebant ante pedes Apostolorum; dividebatur autem prout singulis opus erat.* Hæc ibi, quod etiam verbum, scilicet, *suum* sancti Doctores Ecclesiæ, & religionum Institutores exponunt *suum*, idest *proprium*, ut patet *XII. q. 1. scimus. & C. volo, & C. non dicatis, & §. sic ergo.* Et Augustinus in regula sua dicit. *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia Communia.* Sic legistis in actibus Apostolorum. Et act. 2. super illud *habebant omnia communia*, dicit Glossa interlinearis: *Judicium fraterni amoris est omnia possidere, & nihil proprium habere.* Et verbum, scilicet, *substantias*, Glossa interlinearis exponit, idest, *pecora*. Ex quibus insinuatur aperte quod omnes res immobiles, sicut sunt agri, & Domus, & substantiæ, sive res mobiles, ad usum vitae non necessarias vendebant, nec in communi illa retinebant, sed solum pretium dictarum rerum, sive pecunias receptas pro rebus venditis, & res ad victum, & vestitum necessarias. Nec quisquam eorum de hiis quae vendebat aliquid suum, idest, proprium esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Cum igitur omnes res, quae in cibo, & potu consistunt, ac etiam vestimenta, sive tegumenta, de quibus Apostolus *p. ad Corinth. VI. C.* dicit: *habentes alimenta, & quibus tegamur, iis contenti sumus.* Insuper, & pecunia quae in ipso usu assidua permutatione quodammodo extinguitur sint res usu consumptibiles, & inter res illas, quae usu consumuntur, ratio naturalis, & etiam lex civilis *Instit. de usufruct. § Constituitur*, praedictas res reputet, & ascribat, & in dictis rebus usu consumptibilibus, quae inter illos de dicta credentium multitudine dividebantur prout cuique opus erat. *Glos.* non secundum personas & munera, sed secundum indigentiam quilibet ipsorum de multitudine praedicta haberet usum distinctum ab usu alterius, absque proprietate, & dominio, quia nemo de illis aliquid suum, idest, proprium esse dicebat. Sequitur manifeste, quod asserere quod religiosi, qui testante Canone *XVI. q. 1. ex auctoritate*, in abdicatione proprietatis figuram tenent Apostolorum in rebus usu consumptibilibus absque proprietate, seu dominio habere non valent usum facti, sicut dicta constitutio dogmatizat, & Sacræ Scripturæ obviat, & omnem religionem habentem votum abdicationis omnium rerum temporalium destruit, & confundit. Quia secundum hoc quilibet Religiosus in rebus omnibus usu consumptibilibus absque proprietate, seu dominio proprietarius censeretur, ac per consequens talis assertio est merito haeretica judicanda. Quia quicumque contrarium Scripturae divinae a Spiritu Sancto promulgatae asserit, sive docet, haereticus est censendus *XXIIII. q. 3. hæresis.* Et cum Scriptura divina regula sit fidei, quicquid in ea continetur, indubitanter credendum est, nec licet disceptare, vel dubitare, utrum verum, vel rectum sit, quicquid in ea est, vel constiterit esse scriptum. *IX. di. quis nesciat, & C. noli.* Et sunt verba Augustini. Et haeresis hujusmodi obviat articulo fidei. *Credo in sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Quia sancta Romana Ecclesia, quae a Spiritu Sancto regitur, Scripturam divinam novi, & veteris Testamenti recipit, & approbat *XV. di. Sancta Romana Ecclesia, & XIX. di. C. 1.* Secundo ostenditur quod dicta assertio Scripturae Divinae obviat ex eo quod Scriptura Divina loquens de Apostolis Math. XIX. dicit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, quod nullo modo potest intelligi quod reliquerint omnia quantum ad usum. Quia constat quod Apostoli usi fuerunt postea rebus necessariis ad humanae vitae sustentationem etiam usu consumptibilibus. Nec tali usui renunciare potuerunt, quia usus rerum necessariarum ad vitae humanae sustentationem cadit sub praecepto legis naturalis, & divinae per quod ad esse naturae con-

„ ser-

servandum quilibet est indispensabiliter obligatus, unde tolli non potest *V. di. in prin. & VI. di. §. his ita.* Ergo intelligitur necessario dicta Scriptura Divina, quod reliquerunt omnia quantum ad proprietatem, & dominium etiam usu consumptibilia, quia qui omnia dicit nihil excipit. *xiv. di. Si Romanorum.* Et proprietati, & dominio omnium rerum renunciari potest, quia non a jure naturali, sed a jure humano introducta sunt *VII. q. 1. dilectissimis, & I III. di. quo jure.* Nec proprietas, & dominium sunt necessaria ad humanae vitae sustentationem: & super illud ad Philip. ult. *nulla Ecclesia communicavit mecum in ratione dati, & accepti, nisi vos soli, qui & Thessalonicam semel & bis mihi misistis in usum.* Glos. dicit, & est Augustini, *praeter usum in rebus nihil quaerendum est.* Ex quibus patet, quod Apostoli in rebus usu consumptibilibus habuerunt usum absque proprietate, & dominio separatum. Et quod oppositum dicere, Scripturae obviat divinae, & professionem, ac perfectionem Apostolicam diminuit, & infirmat. Quia professio Apostolica consistit in abdicatione proprietatis omnium rerum temporalium absolute, cujus contrarium dicta Constitutio dogmatizat asserendo, quod professores vitae Apostolicae in rebus usu consumptibilibus non possunt habere usum licitum a proprietate, & dominio separatum. Praedicta ratio etiam confirmatur ex eo, quod Apostoli hujusmodi abdicationem omnium rerum voverunt, prout Augustinus *de Civit. Dei 17. li. iiii. c.* testatur, ubi loquens de Apostolis dicit: *sic dixerunt illi potentes: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; hoc votum potentissime voverant. Sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuo dictum est, dans votum voventi. Non enim Domino quisquam recte voverat, nisi ab illo reciperet quo voveret*: haec Aug. Et religiosi ad exemplum Apostolorum hujusmodi abdicationem Deo promittunt, sive voluntarie vovent XII. q. I. Scimus de quibus dicitur, quod victu, & vestitu contenti nullam inter se proprietatem habentes in eadem *causa II. q. C. duo, & C. non dicatis.* Ex quibus patet, quod non solum proprietatem, & dominium in rebus aliquibus per votum sive professionem a se penitus abdicarunt: Sed manifestum est, quod Apostoli, & religiosi vitam Apostolicam profitentes non voverunt, nec vovent abdicationem usus omnium temporalium, ut superius est probatum: Ergo voverunt, & vovent abdicationem proprietatis, & dominii rerum, quas habere possunt in usu. Et per consequens quod usum rerum, etiam usu consumptibilium habuerunt, & habere licite potuerunt, & possunt absque proprietate, & dominio. Et contrarium dicere Sacrae scripturae, Evangelicae vitae, & professioni Apostolicae contradicit. Tertio ostenditur, quod dicta professio obviat divinae scripturae ex eo quod divina scriptura *Levitic. ult.* dicit: *Omnes decimae terrae, sive de frugibus, sive de pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur*: Et *num.* 18. loquens de perfectione levitarum dicit: *Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum, & necessaria separavi*; haec ibi. In usus inquit non in proprietatem, seu dominium. Ex quibus auctoritatibus patet, quod dominium omnium decimarum sive de pomis arborum, sive de frugibus usu consumptibilium, tanquam Deo dicatarum, sive consecratarum est Dei, & usus est ministrorum ejus. Quod etiam bene probat Aug. in libro *de sanctitatibus Ecclesiae*, ubi dicit sic: *Si Dei sunt ea, quae Ecclesiae conferuntur, Dei opus agit, qui res Deo consecratas non alicujus cupiditatis, sed fidelissimae intentionis dispensatione non deserit. Quapropter possessiones oblatas Apostolis, quas accipimus sacerdotes, jam non sunt res mundi credendae, sed Dei. Quoniam si vestes, ac vasa, & caetera quae usui ministrantibus erant, sancta vocabantur, nec in usus humanos revocari poterant divinis semel ministeriis consecrata, quomodo non ea quae conferuntur Ecclesiae, sacra credenda sunt, quibus non ut saeculi rebus luxuriose, sed sancte, ut Deo consecrati utuntur ad necessaria sacerdotes, ut omnibus iis qui perfectionis amore sub quo constituuntur, & sua sibi non vendicant, Ecclesiae facultas ad hoc ipsum collectis sufficiant*; haec Augustinus. Et ad idem facit, quod dicitur *XII. q. I. res Ecclesiae, non ut propriae, sed quasi communes, & Deo oblatae &c.* Et *§. nec ergo res Ecclesiae*, ubi dicit, *non ut propriae, sed quasi communes habendae sunt, cum de communi nullus dicat hoc meum est. Nec de rebus Ecclesiae, haec mea est potest aliquis dicere, ne videatur non imitari charitatem illorum in qua nulli erat pretium, sed erant illis omnia communia*; haec ibi. Et in eadem *causa XII. q. 2. C. sunt Christi pecuniae*: Et Augustinus contra Petilianum, & ponitur *XVI. q. I. II. C. quod autem*, loquens de rebus Ecclesiae dicit sic: *Non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodam modo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus*: & nota quod dicta divina Scriptura, & Augustinus expresse loquuntur de rebus usu consumptibilibus. Quod patet cum in dicta scriptura dicatur de pomis, & frugibus, & in praedicta auctoritate de facultatibus Ecclesiae exprimatur de vestibus Ecclesiae, quae usu ministrantibus erant, per quae patet manifeste, quod dominium etiam vestium & aliarum rerum usu consumptibilium Deo, sive Ecclesiae propter Deum oblatarum est Dei, & usus absque Dominio est ministrorum Ecclesiae, Et quod in ipsis rebus usu consumptibilibus potest haberi usus licitus absque dominio sive proprietate, cujus contrarium dicta Constitutio haeretica dogmatizat. Quarto ostenditur quod dicta assertio & doctrina in dicta constitutione *ad conditorem canonum* contenta, vitam & doctrinam Christi, & Apostolorum ejus, & sanctorum Patrum, & omnium religiosorum qui hactenus in via perfectionis Christum, & Apostolos ejus secuti sunt, vel sequuntur, impugnat, annullat, destruit, & confundit, quod patet ex eo, quia certum est, quod perfectio paupertatis sicut aliae perfectiones consiliorum Evangelii fuit in Christo, & Apostolis perfectissime, & excellentius, ut probatur per auctoritates. Et primo per illud quod legitur *Tren. 2.* ubi in textu dicitur sic: *Ego vir videns paupertatem meam.* Et *Glos.* dicit: *licet hoc omnibus convenire videatur, excellentius de Christo intelligitur.* Et per illud Hieronymi ad Eustochium dicentis, quod Christus pauperrimum, & abjectissimum se ostendit. Et idem Hieronymus de Apostolis loquens in Epistola ad Exuberantium dicit: *Nemo Apostolis pauperior fuit. Nemo tantum pro Domino dereliquit.* Et certum est quod paupertas Evangelica perfecta secundum omnes est illa, quae ex se, & essentialiter ex intrinseca sui ratione majorem sollicitudinem temporalium excludit. Et ob hoc proprietatem, & dominium omnium rerum temporalium abdicat, & reliquit. Per se autem, & essentialiter ex intrinseca sui ratione dicitur, ad differentiam illius sollicitudinis quae oritur ab extrinseco, & non ex intrinseco paupertatis status, videlicet ex infirmitate illorum, qui solliciti sunt circa temporalia acquirenda & habenda; ultra quam necesse est vel ex defectu, sive imperfectione illorum, qui nolunt omnia temporalia relinquere, sed eligunt propria conservare, & Christi pauperes sustentare, & eis de quotidianis necessariis providere. Quod autem paupertas evangelica hujusmodi sollicitudinem rerum excludit, & omnia temporalia, ut praedicitur derelinquat, ut animum liberum habeat ab omnibus oneribus mundi, ut sursum tendere in Deum, clare probat Augustinus *de verbis Domini Sermone XI.* dicens: *Minimi ergo qui sunt Christi hi sunt qui omnia sua dimiserunt & secuti sunt*

*ti sunt Christum. Et quicquid habuerunt pauperibus distribuerunt, ut Deo sine sæculari compede expediti deservirent, & ab oneribus mundi liberati velut pennati sursum humeros tollerent.* Et Chrysostomus super illud *Math. X. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis*; dicit sic: *Ex hoc patet quod eos Angelos ex hominibus, ut ita dicam, constituit, ab omni eos solvens vitae hujus sollicitudine, ut una detinerentur cura, quae est doctrina*; haec Chrysostomus. Quod autem ad declinandum hujusmodi sollicitudinem requiratur, quod proprietas ac dominium rerum temporalium omnium relinquatur, probat Augustinus de facultatibus Ecclesiae dicens: *De Evangelio vivunt, qui nihil proprium habent, nec habere volunt; qui nec habent, nec habere concupiscunt.* Et Sanctus Isaac in libro *De perfectione contemplationis* dicit: *Nisi quis sine proprio fuerit, a turbatione cogitationum non poterit ejus anima liberari, & sine tranquillitate sensuum non sentiet pacem mentis.* Et in eodem libro dicit: *Nihil ita facit tranquillitatem mentis, sicut paupertas quae voluntarie pro Christo sustinetur*; haec verba dicti Sancti. Cujus verba Beatus Gregorius in 3. *lib. Dialog.* in auctoritatem allegat. Et certum est, quod ea quae legimus regulariter Christum habuisse, fuerunt usu consumptibilia, sicut sunt alimenta, & vestimenta similia; & interdum pecuniam in loculis: De non consumptibilibus vero usu dicit Augustinus super illud *Lucæ IX. Vulpes foveas habent &c. Aspicite*, inquit, *qualitatem paupertatis, quam Dominus docuerat per opera demonstrat; non erat ei mensa, non candelabrum, non domus, nec quicquam talium*; haec & Chrysostomus. Quod autem panis, & vinum, & similia, ac vestimenta, & pecunia sint de his quae usu consumuntur, superius est probatum; fere etiam omnia, quae Apostolis, postquam viam perfectionis adepti sunt in usu fuisse leguntur, fuerunt de his quae usu consumuntur; propter quod Apostolus in sua, & Apostolorum, ac aliorum sequentium eos persona loquens dicit, prout supra dictum est, *habentes alimenta, & tegumenta, his contenti sumus*. Sed si in rebus usu consumptibilibus professores vitae apostolicae non possunt habere usum absque proprietate, & dominio, quia in rebus usu consumptibilibus usus a proprietate, seu dominio non potest separari, ut dicta Constitutio, imo verius destitutio dogmatizat; sequitur manifeste quod sicut Christus, & quilibet Apostolorum, & omnes Sancti Religiosi singillatim sive in particulari habuerunt usum cibi, potus, & vestimentorum, & aliorum quae usu consumuntur; sic quilibet eorum singillatim, & in particulari habuit in eis proprietatem, & dominium, & sic quilibet eorum semper fuit proprietarius. Erraverunt ergo omnes Sancti Religionum institutores, Basilius, Augustinus, Benedictus, Dominicus, & Franciscus, & caeteri Religiosi, qui volentes sequi viam Christi, exemplo & verbo docuerunt vivere sine proprio in omnibus rebus usu consumptibilibus, scilicet vestimentis, lectisterniis, pane, vino, ac pecunia, & aliis hujusmodi, fuerint proprietarii, & voti sui transgressores, & in aeternum si perseverassent damnati, si dictae doctrinae haereticae debet fides a fidelibus exhiberi. Erravit etiam universalis Ecclesia Catholica, quae docet in Sacris Canonibus, quod abdicatio proprietatis omnium rerum est annexa religioni cuilibet perfectionem evangelicam, & apostolicam imitanti. Mentitus est etiam Hieronymus in Epistola ad Nepocianum, qui dicit quod *Christus pauper cibo vescebatur alieno*; quo nihil clarius est ad ostendendum etiam quod in cibo, quo homo vescitur usus a proprietate & dominio separatur. Ac per consequens concluditur, quod dicta Constitutio vitam Christi, & Apostolorum ejus, & Sanctorum Patrum, & omnium religiosorum, qui hactenus Christum, & Apostolos ejus sunt secuti, vel sequuntur, impugnat, annullat, destruit, confundit, & ut dicetur infra, quando de haeresibus contentis in Constitutione *Cum inter nonnullos*, agetur, paupertatem, vitam, & doctrinam Christi, & Apostolorum ejus, ac omnium Religiosorum Sanctorum, & Doctorum Ecclesiae, & totam Ecclesiam haereticat, & reddit quantum in se est abominabilem universis. Quinto ostenditur quod dicta doctrina in dicta Coollitutione *Ad Conditorem* contenta, obviat vitae, & doctrinae Apostolorum, & Sanctorum Patrum eos sequentium, & Doctorum Ecclesiae, & Sacris Canonibus super his promulgatis instinctu Spiritus Sancti. Ex eo quod Christus omnis perfectionis Magister Apostolos suos, & vitam eorum perfecte imitari volentes, ac concupiscentia & sollicitudine praedicta rerum temporalium exuens, ad statum innocentiae, in quo nullus aliquid proprium esse dicebat, quantum ad hoc prout fuit expediens revocavit. Quodque ipsi Apostoli ipsum statum innocentiae, in quo nullus aliquid proprium dicebat, quantum ad abdicationem proprietatis, seu dominii omnium rerum temporalium assumpserunt. Sed in statu innocentiae quilibet fuisset usus tebus usu consumptibilibus, & tamen nullus in eis proprietatem habuisset. Ergo manifestum est, quod in Apostolis usus omnium rerum usu consumptibilium postquam hujusmodi statum innocentiae assumpserunt, fuit a proprietate ipsorum & dominio separatus. Quod autem Christus Apostolos suos quantum ad praedicta ad statum innocentiae revocaverit testatur Sanctus Remigius super illud Evangelii *Math. X. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*, sic dicens: *Ostendit Dominus in his verbis, quod Sancti Prædicatores revocati sunt ad primi hominis dignitatem, qui quamdiu cælestes possedit thesauros, ista non concupivit, sed mox ut peccando illa amisit, ista desiderare cepit:* haec Remigius. Quibus alludit præallegata auctoritas Chrysostomi cum dicit quod *Apostolos Angelos ex hominibus fecit, eos solvens ab omni vitæ hujus sollicitudine*: haec Chrysostomus. Quod autem ipsi Apostoli, & ipsorum vitam imitantes assumpserint ipsum statum innocentiae quantum ad abdicationem proprietatis omnium rerum, & quod in ipso statu, & postea in Apostolis, & eos imitantibus fuerit usus rerum absque proprietate testatur espresse Sanctus Clemens Papa Successor Beati Petri Apostoli in suo Canone a Spiritu Sancto promulgato, cujus verba ponuntur *XII. q. 1. Dilectissimis*, sic dicens: *Communis vita omnibus est necessaria, maxime his qui Deo irreprahensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum eorumque discipulorum imitari cupiunt. Communis enim usus omnium, quæ sunt in hoc mundo omnibus hominibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud. Et sic inter mortales facta est divisio. Et sicut non potest dividi aer, nec splendor solis; ita nec reliqua, quæ data sunt hominibus ad habendum dividi debere, sed habenda esse communia. Istius consuetudinis more retento etiam Apostoli, eorumque discipuli, ut prædictum est, una nobiscum & vobiscum communem vitam duxerunt, ut enim bene nostis erat multitudinis eorum cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, aut nostrum de his, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant nobis, & illis omnia communia:* hæc Clemens. Ex quibus patet quod Apostoli eorumque discipuli, & Sanctus Clemens una cum eis, & omnibus volentibus vitam Apostolicam imitari assumpserunt, & servaverunt statum, qui fuit ante peccatum, scilicet, antequam per iniquitatem introductum esset quod aliquis di-

ceret hoc meum proprium, & hoc tuum, quia status innocentiae fuit sive legis naturæ statui per iniquitatem introducto contrarius secundum Glossam, quæ verbum illud *per iniquitatem* exponens dicit: *per iniquitatem, idest per consuetudinem sollicitudinis*, ut ibi, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*: hæc Glossa. Et sicut antequam esset peccatum, non erat appropriatio rerum temporalium introducta, sed fuisset habitus usus rerum usu consumptibilium, & non consumptibilium absque alia proprietate; sic in Apostolis, & apostolicis viris: & ut dicitur in dicto Canone. *Sicut hodie non potest dividi aer, nec splendor solis; ita nec reliqua, quæ communiter data sunt hominibus ad habendum, sed omnia habenda esse communia*. Sicut etiam hodie in apostolicis viris, quo ad proprietatem res temporales non dividuntur, sed quilibet in eis habet usum solum sine aliqua proprietate; unde dicit ibi Glossa: *Aer est communis quoad usum*; & alia Glossa super verbo *possidere* dicit: *Potest ergo aliquis possidere rem, cujus proprietatem habere non potest*. Sicut servus dicitur possidere, idest, detinere *ff. de acquir. poss l. quod servus*. Nam talis possessio non est possessio juris civilis, sed facti detentio, & juris naturalis; & quod de lege naturæ institutus fuerit, & sit usus rerum usu consumptibilium absque proprietate, & dominio testatur Sanctus Ambrosius *p. Lib. de offic.* dicens. *Natura*, inquit, *omnibus omnia in communi profudit. Sic enim Deus jussit generari omnia, ut pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quædam communis possessio. Natura igitur jus commune generavit, usurpatio jus privatum fecit*: hæc Ambrosius. Per quæ patet, quod res ad pastum deputatae non erant propriæ, nec appropriatæ alicui secundum legem naturæ sive secundum statum innocentiæ, & quod usurpatio jus privatum, sive proprium introduxit. Quod autem appropriatio in rebus temporalibus fuerit introducta per jura humana, sive Regum, & Imperatorum, & quod ipsis juribus renunciari possit, quibus renunciatis nullus potest dicere aliquam rem temporalem sibi esse propriam testatur eximius Doctor Augustinus super *Jo. Homil. VI.* & ponitur 8. *Di.* dicens: *Quo jure defendis villas Ecclesiæ divino an humano? divinum jus in divinis Scripturis habemus, humanum in legibus Regum: unde quisquam possidet, quod possidet, nonne jure humano? Nam jure divino: Domini est terra, & plenitudo ejus: Jure igitur humano dicitur hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic servus meus est. Jura humana jura Imperatorum sunt: tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere hæc villa mea est, iste servus meus est?* Et infra: *noli dicere; quid mihi & Regi? noli ergo dicere possessiones tuas, quia ipsa jura humana remisisti, quibus possessiones possidentur*; hæc Augustinus. Ex quibus omnibus auctoritatibus manifeste constat, quod religiosi, qui vitam Christi, & Apostolorum ejus imitari volentes proprietatem omnium rerum temporalium a se penitus abdicarunt; & per consequens in hoc juribus Imperatorum renunciaverunt, jure naturali & divino contenti in rebus aliquibus usu consumptibilibus, vel non consumptibilibus non habent, nec habere possunt proprietatem seu dominium: Et quod in eis habent, & habere possunt licite usum facti a proprietate, & dominio separatum. Et sic liquet, quod dicere quod in rebus usu consumptibilibus non possit haberi a religiosis prædictis usus facti a rei proprietate, seu dominio separatus, sicut dicta constitutio, imo potius destitutio dogmatizat, vitæ Apostolicæ, & diffinitionibus sanctorum Patrum, & doctorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sacris canonibus asserentibus talem, ut dictum est, fuisse vitam Apostolicam, contradicit. Ac per consequens sequitur quod talis assertio, sive doctrina est hæretica manifeste, ut in *præalleg. C. sunt quidam XXV. q. I.* quia impingit in articulum fidei: *Et unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*. Et si omnes in tali determinatione Papæ consentirent non teneret, sed ipse & omnes consentientes eidem hæretici censerentur, ut habetur & vero *XXV. q. I. quæ ad perpetuam* in Glossa. Confirmatur autem dicta conclusio, scilicet quod in rebus usu consumptibilibus usus possit a proprietate, & dominio separari ratione, & auctoritate. Ratione: sic manifestum est quod illud quod absque omni iniquitate est introductum potest separari ab eo quod per iniquitatem est introductum. Sed licitus usus rerum consumptibilium usu sine omni iniquitate est introductus, quia primo homini ante peccatum præceptum, sive decretum est *de omni ligno Paradisi comede* Gen. 2. proprietas sive dominium per iniquitatem fuit introductum, sicut expresse probatur in præallegato *Cap. XII. q. I. Cap. dilectissimis*: Ergo manifestum est quod usus facti rerum usu consumptibilium potest a proprietate, seu dominio separari. Nam *Luc.* 19. dicitur de Domino, qui dedit pecuniam numeratam servis suis ad utendum, & peregre profectus est, quod post reversionem suam dixit ei unus servus, Domine mina tua acquisivit x. minas, & alter servus dixit, Domine mina tua fecit quinque minas datas a Domino ad usum: Et tertio dixit Dominus, quare non dedisti pecuniam ad mensam, & ego veniens cum usuris exegissem illam: ubi Augustinus dicit: *Intelligendum est servis prædictis minas datas a Domino ad usum*. Et Math. 25. Dominus servo malo = serve male, & piger, nonne oportuit te pecuniam meam commutare cum nummulariis, & ego veniens recepissem utique quod meum est cum usuris: = Et servo bono, cui dedit Dominus quinque talenta, dixit Dominus: *Euge serve bone, & fidelis, super multa te constituam*: ubi Chrysostomus dicit sic: *fidelis dicitur, qui nihil eorum quæ sunt Domini sui appropriavit*. Ex quibus auctoritatibus evidenter ostenditur, quod in prædicta pecunia servis prædictis data per Dominum ad utendum, Dominus habebat proprietatem & dominium, & servus usum actualem. Non enim mina una fecisset x. minas, nec alia quinque nisi per actualem usum servi: Et quod etiam illud quod de pecunia Domini fuit acquisitum per usum actualem servi, Domino fuit acquisitum, & non servo. Sed manifeste est quod pecunia numerata quæ datur ad utendum est de rebus usu consumptibilibus ut superius est ostensum: Et patet expresse *Instit. de usufruct. §. constituitur*. Ergo etiam ex scriptura Evangelii manifeste probatur, quod in rebus usu consumptibilibus usus actualis haberi licite potest a proprietate, & dominio separatus: unde qui oppositum dicit, scripturæ Evangelicæ contradicit. Sexto ostenditur, quod dicta assertio in prædicta constitutione *ad conditorem* contenta, determinationi & diffinitioni sanctæ Romanæ Ecclesiæ evidenter obviat & repugnat. Ad cujus evidentiam est notandum, quod olim quidam sacræ Scripturæ intelligentiam se habere fatentes, sed divertentes a tramite recti libellos ad improbationem ordinis fratrum minorum ediderunt, asserentes ipsorum paupertatem & mendicitatem non esse meritoriam. Quorum libellorum unus incipiebat, *Ecce videntes clamabunt foras*: Quem sanctæ mem. Dominus Alexander Papa IV. de fratrum suorum consilio, multa deliberatione præhabita auctoritate Apostolica reprobavit, & in perpetuum condemnavit, ac pronunciavit ipsos fratres, qui omnia reliquerunt propter Deum, exilia vitæ subsidia mendicantes, Christum pauperem imitari & perfectionem Evangelicam amplexari, ac eos non solum in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suæ religionis observantiam, quæ quidem ipsius perfectionis Evangelicæ tenet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri. Sicut in duabus literis ipsius domini Alexandri Pa-

pæ IV. plenius continetur, de quibus infra fit mentio: Et postmodum longo tempore procedente, quidam alter dictus magister Geraldus de Abbatisvilla contra dictum statum, & professionem alium libellum composuit. *Tantum præsumptionis sibi assumpserunt quidam homines &c.* In quo libello dictus magister calumniabatur specialiter, & inter caetera dictos fratres minores quia asserebant se in aliquibus rebus temporalibus usu consumptibilibus, vel non consumptibilibus nec in speciali nec in communi habere proprietatem seu dominium, sed solummodo simplicem usum facti; asserens idem magister, quod hoc dicere erat ridiculum atque falsum; cum, ut dicebat, earum rerum, quae per ipsum usum penitus consumuntur dominium ab usu nullatenus separetur. Et ideo si renunciatur proprietati, & dominio talium rerum usu consumptibilium, usui per consequens renuciatum esse videtur. Contra quem libellum bo. me. Egsegins Doctor in sacra Pagina dominus frater Bonaventura, qui fuit Episcopus Albanensis sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis fecit librum, qui *Apologia* vulgariter nuncupatur. In quo libro in *X. C.* respondet dictae cavillationi, sive calumniosae objectioni ipsius magistri Geraldi, eo modo quo sancta mater Ecclesia respondet; & plene probat & ostendit veraciter, quod in rebus usu consumptibilibus usus facti a proprietate, & dominin separatur; & quod fratres minores ex eorum professione non habent proprietatem aliquarum rerum mobilium, vel immobilium, nec pecuniarum, seu aliarum rerum usu consumptibilium: Volens igitur sancta Romana Ecclesia tam praedictae objectioni, quae fiebat contra professionem dictorum fratrum de usu rerum consumptibilium usu, quod non potest a proprietate, seu Dominio separari, quam omnibus aliis objectionibus adversantium silentium perpetuum imponere, solemnem edidit Decretalem, quae incipit *Exiit, qui seminat*, quæ in *VI. lib. Decretalium sub tit. de verbor. signif.* est inserta: & ab universali Ecclesia tanquam veram, sanam, & Catholicam Doctrinam continens acceptata, quae etiam fuit postmodum in generali Viennenti Concilio approbata, & confirmata, sicut patet per solemnem Decretalem, quæ incipit, *Exivi de Paradiso* in Lib. VII. *Decretalium* insertam. In qua diffinitione, & determinatione Sanctae Romanae Ecclesiae dicitur in hæc verba: *Nec quisquam insurgat erronee, quod taliter propter Deum, proprietatem rerum omnium abdicantes tanquam homicidæ sui, vel tentatores Dei vivendi discrimini se committant. Sic enim se committunt divinæ providentiæ in vivendo ut viam non contemnant provisionis humanæ, quum vel de his, quæ afferuntur liberaliter, vel de his quæ mendicantur humiliter, vel de his quæ conquiruntur per laboraticium sustententur; qui triplex vivendi modus in regula providetur expresse:* Et infra: *Non autem talem abdicationem proprietatis omnimodæ renunciationem usus rerum cuiquam videatur inducere. Nam cum in rebus temporalibus sit considerare præcipuum, proprietatem, possessionem, usumfructum, Jus utendi, & simplicem facti usum; & ultimo tanquam necessaria egeat, licet primis carere possit vita mortalium. Nulla prorsus potest esse professio, quæ a se usum necessariæ sustentationis excludat. Verum condecens fuit et professioni, quæ sponte devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessaria usu fore contentam. Nec per hoc quod proprietatem usus, & rei cujusquam Dominium a se abdicasse videtur, simplici usui renunciatum esse convincitur, qui nunquam usus non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tamen in utendo prabet utentibus, nihil juris, quinimo necessariarum rerum tam ad vitæ sustentationem, quam ad officiorum sui status executionem, excepta quod de pecunia infra subjungitur, moderatus usus secundum eorum regulam, & veritatem omnimodam concessus est fratribus, quibus rebus fratres licite uti possunt durante concedentis licentia, & juxta quod in præsenti serie continetur.* Et infra: *Ex quibus omnibus satis claret ex regula ad victum, vestitum, divinum cultum, & sapientiale studium, necessariarum rerum usum fratribus esse concessum, & regulam, quoad abdicationem hujusmodi non solum observabilem, sed perfectam*: hæc verba dictae determinationis & diffinitionis Ecclesiæ. Ex quibus manifestissime, & clarissime patet, quod fratres in rebus usu consumptibilibus, quae ad victum, & vestitum pertinent, & etiam in aliis habent usum facti tantummodo, ab omni proprietate & dominio separatum, & quod usus facti etiam in omnibus rebus usu consumptibilibus absque proprietate & dominio potest licite constitui, & haberi; nec valet, nec excusat, sed potius accusat, quod in dicta haereticali constitutione, *ad Conditorem* dicitur, quod dicta Decretalis *Exiit qui seminat* loquendo de usu facti illarum rerum quæ ad vitae sustentationem pertinent, quem fratres habent, & Romana Ecclesia dominium retinet, debet intelligi solum de rebus illis quae non sunt usu consumptibiles, sine quibus humana vita non est sustentabilis, quae ut dicta haereticalis Constitutio asserit, non sunt pauca. Et quod dictae Decretalis non videtur fuisse intentio rerum usu consumptibilium dominium Ecclesiae reservare, quia hoc manifeste deprachenditur esse falsum. Cum clare constet ex verbis apertissimis dictae Decretalis *Exiit*, quod loquitur de simplici usu facti rerum usu consumptibilium, quem fratres habent, & Ecclesia dominium. Quod patet ex pluribus, primo ex responsione, quam facit dicta Decretalis objectioni insurgentium erronee contra fratres, & dicentium quod fratres per abdicationem proprietatis omnium rerum videbantur renunciare usui, quia inseparabilia sunt. Quando enim duo sunt inseparabiliter contexta, eo ipso quod renunciatur uni, sive unum tollitur, alteri renunciatum intelligitur *ff. de aqua plu. arc. Leg. sed interdum, & ff. de aqu. quotid. & æsti. l. item quæritur.* Et notatur *ff. de minori. l. etiam, & IX. di. Si ad Scripturas*, in Glos. Et per consequens ipsi fratres, ut dicebant, tanquam homicidae sui, val tentatores Dei, se vivendi discrimini committebant. Sed constat quod ipsi insurgentes non dicebant nec aliquis unquam dixit, quod in rebus usu non consumptibilibus eo ipso quod quis renunciat omnimode proprietati, videatur renunciare usui, quia etiam ipsi fatebantur, quod in rebus usu non consumptibilibus separari potest usus facti a proprietate, & dominio. Et ideo licet renuncietur proprietati in talibus, non propter hoc intelligitur usui renunciatum, quia separari possunt. *ff. de aqua quotid. & æst. leg.* 1. §. *Trebatius*. Quamvis dicerent in ipsis rebus non consumptibilibus usu non posse usum, vel usumfructum a dominio perpetuo separari, ne dominium abscedente usu inutile redderetur, sicut aperte patet in sequenti §. ibi. *Nec his obviare dignoscitur, quod civilis providentia &c.* Ergo manifeste patet quod dictus §. *nec quisquam*, & §. *Nec his obviare* intelligitur etiam de rebus usu consumptibilibus. Secundo patet, quod loquitur de usu rerum usu consumptibilium, cum dicatur expresse *in Tex.* = Et ultimo tanquam necessario egeat, licet primis carere possit vita mortalium, nulla potest esse professio, quae a se usum necessariae sustentationis excludat. = Nam manifestum est, quod usu rerum consumptibilium ipso usu, ut sunt alimenta, necessario egeat vita mortalium: & qui renunciaret usui alimentorum, sui ipsius homicida, vel tentator Dei videretur. Usu autem facti simplici rerum non consumptibilium usu, tanquam necessario ad vitae sustentationem non eget vita mortalium. VII. Apostolus *p. ad Timoth. ult. C.* dicit:

dicit; *habentes alimenta, & indumenta, quibus tegimur, his contenti sumus*. Sed quia ultra tendit
„ malum, invehit haec Glos. Ex quo patet secun-
„ dum Apostolum, & Glos. quod ultra alimenta,
„ & indumenta quibus teguntur, quae sunt de hiis
„ quae usu non consumuntur, aliquis non eget in
„ vita mortalium. Multi etiam vixerunt, & vivunt
„ sine usu rerum non consumptibilium usu. Unde
„ Chrysostomus super Marcum Homil. XXXII.
„ loquens de Beato Joanne Baptista dicit sic: *Hic eremum habitavit, nec tecto, nec cubili indiguit, ut erudiret ab humanis desistere, & ad priorem recurrere nobilitatem*: haec Chrysostomus. Tertio
„ patet quod loquitur ipsa Decretalis, & verba
„ praeallegata intelliguntur etiam de usu rerum con-
„ sumptibilium, cum dicat, quinimo necessariarum
„ rerum tam ad vitae sustentationem, quam ad of-
„ ficiorum sui status executionem, excepto quod
„ de pecunia infra subjungitur, moderatus usus fra-
„ tribus est concessus. Nam cum pecunia quae est
„ de rebus usu consumptibilibus, ut superius est
„ probatum excipiatur, quod fratres in pecunia non
„ habent simplicem usum facti, ut in eadem De-
„ cretali dicitur. Et exceptio fieri intelligatur a
„ regula generali, & ipsam confirmet in aliis, ut
„ habetur in *Auth. de non alien. aut permut. reb.*
„ §. *ut autem*. Concluditur quod regula generalis
„ haec est, videlicet, quod dicti fratres in omnibus
„ rebus etiam usu consumptibilibus habent solummo-
„ do simplicem facti usum, excepta pecunia, quae
„ licet sit de rebus usu consumptibilibus, tamen ipso-
„ rum fratrum professione prohibente, in pecunia
„ hujusmodi non habent usum etiam facti. Quarto
„ hoc patet, quod dicta Decretalis *Exiit* in dicto
„ §. *nec quisquam* loquitur, quod fratrum vita su-
„ stentatur tribus modis, vel de hiis quae offerun-
„ tur liberaliter, vel de hiis quae mendicantur hu-
„ militer, vel de hiis quae per laboricium acqui-
„ runtur. Et tamen in hiis quibus fratres ipsi utun-
„ tur, ut dicit: Est considerare proprietatem, pos-
„ sessionem, usumfructum, jus utendi, & simpli-
„ cem facti usum, & qui usu simplicis facti care-
„ re non possunt, tamen proprietate, usufructu,
„ possessione, & jure utendi carere possunt. Con-
„ stat autem, ut plurimum, quod res illae, quae a
„ fratribus mendicantur, sive offeruntur eis, vel
„ per laboricium acquiruntur, sunt de illis rebus,
„ quae usu consumuntur, sicut panis, vinum,
„ oleum, bladum, vestes, & similia, quae usu
„ consumuntur. Et infra dicit expresse de rebus,
„ quae ad victum, & vestitum pertinent. Dictus
„ igitur intellectus, quem dictus Dominus Joannes
„ dat dictae Decretali *Exiit*, dicendo, quod debet
„ intelligi de illis rebus, quae non consumuntur
„ usu, clare & manifeste intellectui, & diffinitioni
„ dictae Decretalis, & Sanctae Romanae Ecclesiae
„ obviat, & repugnat. Et ideo haeresim suam ex
„ hoc approbat & confirmat potius quam excusat.
„ Quia verum & clarum intellectum diffinitionis,
„ & determinationis Sanctae Romanae Ecclesiae,
„ & Sanctorum Patrum eam sequentium perver-
„ tit, & ad eum sensum trahit, quem ipse sibi
„ praesumpsit, quod proprium est adversantium sa-
„ nis & Catholicis doctrinis, ut dicit S. Clemens,
„ & ponitur *XXXVII. di. relatum*. Cum igitur
„ dicta determinatio sit in Scriptura divina funda-
„ ta, & cum diffinitionibus Sanctorum Patrum,
„ institutorum religionum approbatarum per Eccle-
„ siam, ac Sanctorum Doctorum, Canonum,
„ quod Ecclesiae concordet, ut superius est proba-
„ tum: Et hoc pro sano dogmate in moribus ab
„ universali Ecclesia sit acceptum ad unitatem per-
„ petuam religionum habentium tria vota essentiali-
„ ter annexa, scilicet, vivere in obedientia, sine
„ proprio, & in castitate. Et ipsa Ecclesia contra-
„ rium asserentes damnaverit, ut superius est di-
„ ctum, & eos in dicta Decretali *Exiit* asserat er-
„ ronee insurrexisse contra professionem dictorum
„ fratrum, & dicta assertio erronea fundamentum
„ cujuslibet religionis Apostolicae subvertat, ut su-
„ perius est probatum. Et illud quod semel San-
„ cta Romana Ecclesia pro fide, & fidelium mo-
„ ribus approbavit, semper teneri debeat acceptum,
„ & quod reprobavit pro reprobato teneri, *XIX. di. Si Romanorum in prin.* & *XV. di. Canones*,
„ & *C. sicut Sancti*, & *XXV. q. I. ad perpetuam in tex. & glos.* & *C. nulli*, & *C. Contra statuta*. Et sub articulo fidei: *Et in unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*, con-
„ tineatur, quod Ecclesia in fide, & moribus non
„ potest errare, ut superius est deductum: Sequitur,
„ quod Dominus Joannes, qui illud, quod per
„ Ecclesiam est in hiis approbatum reprobat, & re-
„ probatum approbat tanquam impingens in articu-
„ lum: *Et in unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*, haereticus est censendus.
„ Licet autem ad probandum praedictam veritatem
„ sufficiat auctoritas Sacrae Scripturae, & Sancto-
„ rum Patrum, & Doctorum Ecclesiae, & deter-
„ minatio Sanctae Matris Ecclesiae, cujus tanta
„ est auctoritas, ut de ea Augustinus contra *Epistolam fundamenti* dicat: *Ego Evangelio non crederem, nisi auctoritas Ecclesiae me commoneret*.
„ Nihilominus tamen per jura civilia, quorum
„ sensum, & intellectum pervertendo dictus Domi-
„ nus Joannes praedictam suam haeresim nititur
„ palliare; ostenditur quod dicta haeresis etiam juri
„ civili obviat, & repugnat; nam jure cautum re-
„ peritur, quod vestis cujus usum facti servus ha-
„ bet est in peculio Domini *ff. de pecul. id vestimentum*. Ex qua *L.* patet, quod licet vestis sit
„ in usu actuali servi, tamen ejus proprietas sem-
„ per residet apud Dominum, ne servus habeat in
„ ea proprietatem, sive dominium aliquo tempore,
„ seu momento. Cum ergo ut probatum est ve-
„ stis de hiis rebus quae usu consumuntur existat,
„ patet, quod dicere, quod usus simplex facti in
„ rebus usu consumptibilibus non possit haberi abs-
„ que proprietate & dominio, sive non possit a
„ proprietate & dominio separari, juri civili repu-
„ gnat. Item si legentur cibaria servo, legatum
„ absque dubio est domini non servi. Et idem de fi-
„ liofamilias donec in potestate patris est, ut dicit
„ *ff. de condit. & demo. L. filiusfamil. in fin. & prin.* Et qui in alterius potestate est, nihil pro-
„ prium habere potest *instit. per quas person. nob. acquir.* §. *Sancitum*, & §. *Item nobis acquiritur*.
„ Nec aliquid possidere, aut habere suum potest
„ *ff. de adult. L. sic eveniet ff. de acqu. po. possessio L. qui alienum*, & *ff. de acqui. re. do. L. acquiritur* §. I. Et idem est de religiosis
„ quia & ipsi in alterius potestate sunt *XII. q. I. C. non dicatis*, ibi nihil eos habere possidere &c.
„ in text. & glos. Nam & religiosi servi propter
„ Deum sunt *L. IIII. di. C. multos*. Nec reli-
„ giosus sicut nec servus liberum arbitrium, sive
„ velle, aut nolle habet *XXXIII. q. III. C. unico*
„ & *Extra de elect. C. si religiosus lib. VI.* Et
„ mortuus est mundo *XVI. q. I. placuit*, & *C. de ep. & ele. L. de nobis*: & quantum attinet
„ ad jus civile pro nullis habentur *ff. de reg. iu. L. quod attinet*, unde religiosus sicut nec servus
„ usumfructum, nec usum qui est jus utendi sal-
„ va rerum substantia potest habere, ut notatur *XIX. q. III. Si qua mulier*. Et monasterium ipso in-
„ gressu non solum proprietatem, sed etiam pos-
„ sessionem omnium rerum illius qui monasterium
„ ingreditur, adipiscitur. Sicut adoptans adipisci-
„ tur possessionem omnium rerum adoptati *ff. de precar. L. si adoptavero*; & notatur in glos.
„ *Joan.* in dicto *Cap. Si qua mulier*. Pecunia
„ etiam qua utitur monachus est monasterii, &
„ eam tenetur resignare in manibus abbatis. Extra
„ *de off. or. C. quanto*. Et si monachus eam si-
„ bi appropriet puniendus est. Et si in morte fue-
„ rit apud eum inventa, in signum perditionis est,

cum

„ cum eo extra monasterum in Sterquilinio sepelienda *extra de Stu. mo. cap. cum ad monasterium* §. *I.* & idem dicit Beatus Gregorius in libro dialogorum. Ex quo patet, quod monachus de licentia sui superioris potest habere usum actualem pecuniæ, quæ est de his rebus, quæ usu consumuntur, & tamen nullo modo habet, nec habere potest aliquo tempore pecuniæ proprietatem, sive dominium *extra de sta. mo. cap. super quodam.* Item in sæpedicta decretali *Exiit* §. *cæteeum* dicitur, quod si alicui famulo sive nuncio per dominum datur pecunia, & illi nuncio, sive famulo committitur, quod illam pecuniam convertat in necessitates fratrum, quod dominium, proprietas, & possessio illius pecuniæ remanet apud dantem cum libera potestate revocandi sibi pecuniam ipsam semper usque ad conversionem ipsius in rem deputatam. Per quod patet, quod usus simplex facti actualis ipsius pecuniæ est penes famulum, sive nuncium, & proprietas, dominium, & possessio est penes dantem. Et sic in re usu consumptibili simplex usus facti tantum habetur absque proprietate, dominio, & possessione; cui concordat auctoritas Augustini, quam magister sententiarum recitat *lib.* 2. *sententiarum di.* 32. ubi dicitur, quod res, quibus utuntur famuli dominorum, dicuntur esse ipsorum famulorum usu tantummodo, & non dominio, qui usus id solummodo, quod est facti præbet utentibus, nihil juris, ut indicitur in decretali *Exiit*. Si etiam aliquis accommodat alicui vestem suam, accommodans ipsius vestis proprietatem, & possessionem retinet *ff. accommoda l. res commodatæ & Inst. de interdic.* §. *per eos.* Si igitur vestis qua utitur servus est domini. Si cibaria, quibus utuntur servi sunt domini; si servus nihil proprium habere potest. Si servus, & filius familias in peculio profectitio, nihil juris penitus habent, & tamen licite utuntur rebus usu consumptibilibus. Si religiosus in vestibus, & pecuniis, & aliis, quae usu consumuntur habet tantummodo usum facti, & nihil proprium in his habet nec habere potest. Si commodans in re commodata habet proprietatem, & commodatarius simplicem facti usum. Si familia utitur rebus domini, proprietate ipsi domino remanente, liquet apertissime etiam secundum leges, & jura positiva, quod etiam in rebus usu consumptibilibus usus simplicis facti potest licite haberi absque proprietate, & dominio, imo in pluribus etiam in jure positivo invenitur usus facti a proprietate penitus separatus, cujus contrarium dicta constitutio *ad conditorem*, imo verius destitutio dogmatizat, quin imo patet etiam per verba legum expressa, quod realiter nullus proprietatem, & dominium, imo nec possessionem in rebus usu consumptibilibus vel non consumptibilibus habere potest, vel acquirere, nisi habeat voluntatem, & animum acquirendi, sive habendi *ff. de acquir. possess. l. possideri* 1. *R.* & *l. Quemadmodum.* Verum dicitur quod furiosus, & pupillus sine tutoris auctoritate non possunt incipere possidere, idest, possessionem acquirere, quia affectionem non habent, licet corpore rem contingant. Sicuti si quis dormienti aliquid in manu ponat *ff. de acquir. po. l.* 1. §. *furiosus.* Cum ergo religiosus non habeat velle, neque nolle, & servus sit in aliena potestate, & mortuus mundo censeatur, unde nullo modo habeat animum acquirendi, vel habendi, seu retinendi proprietatem in aliquibus rebus, nec etiam habere possit, cum voverit vivere sine proprio, patet quod omni juri, & rationi repugnat, dicere quod religiosus in rebus aliquibus etiam usu consumptibilibus proprietatem, sive possessionem civilem habeat vel habere possit. Et sicuti reperitur, quod servus, vel religiosus dicitur possidere, intelligitur, idest de facto detinere *ff. de acquir. po. l. quod servus*, ubi dicit *Gloss. Ordi.* quod ita tenet servus rem, sicut asinus sellam, non autem intelligitur possidere civiliter, & notatur *XII. q.* 1. *Dilectissimis in Gloss.* & *Extra de præscript. causa.*

„ Secundus error Domini Joannis detestabilis in dicta constitutione *ad Conditorem* officina tenebrosa describitur in haec verba. *Rursus nec simplex usus facti, qui nec est servitus, nec pro illo competit jus utendi in talibus rebus scilicet usu consumptibilium potest constitui, vel haberi. Cum enim re aliqua uti nihil aliud sit quam fructus ejusdem rei, seu utilitatem aliam insolidum, vel pro parte recipere, qui ex ea possunt salva rei substantia provenire. Restat quod re illa uti quis nequeat, ex qua salva rei substantia utilitas nulla potest sibi provenire, quales res usu consumptibiles esse constat. Ex quibus patet quod nec usus, qui est servitus personalis, nec jus utendi, quod non est servitus, sed mere jus personale, nec actus ipse utendi sine jure aliquo possunt in rebus usu consumptibilibus constitui vel haberi, cum quodlibet præmissorum exigat, quod ex ipsa re salva rei substantia possit habenti jus utendi, seu utenti ex ipsa re utilitas aliqua provenire; quod utique nequit in rebus usu consumptibilibus reperiri.* Et infra: *licet autem in rebus usu consumptibilibus, nec jus utendi, nec ipsum uti possit constitui, vel haberi, ipsis tamen poterit quis abuti. Abuti autem dum tractatur de rebus usu consumptibilibus pro rei consumptione sumitur, quod ei opponitur, quod est uti. Uti siquidem præsupponit quod cum usu salva rei substantia maneat, sed abuti exigit, quod cum actu hujusmodi substantia consumatur, cum abuti nihil aliud sit quam contra naturam usus, uti in hac materia proprie dici possit.* Hæc sunt verba dictæ Constitutionis *ad Conditorem*. Ex quibus apparet quod Dominus Joannes erronee dogmatizat, quod nec usus facti nec actus utendi potest in rebus usu consumptibilibus haberi, quod quisque nullus hujusmodi rebus usu consumptibilibus uti potest, quamvis possit eis abuti abusu qui contra naturam usus existat. Quæ quidem Doctrina scripturæ sacræ, ex qua fidei Catholicæ probantur articuli, obviat manifeste. Nam Levitic. ult. dicitur, quod *omnes decimæ Terræ sive de frugibus, sive de pomis arborum Domini sunt & illi sanctificantur*, & num. 18. Loquens de perfectione Levitarum dicit Dominus. *Nihil aliud possidebunt decimarum oblatione contenti quas in usus eorum, & necessaria separavi*; hæc ibi. *In usus* inquit, non *in dominium*. Ex quo patet, quod usus ex Dei statuto habetur in rebus usu consumptibilibus, scilicet, in Decimis frugum, & pomorum, que de usu consumptibilibus esse constat. Et Josue 2. dicitur: *Defecit manna, postquam comederunt de frugibus Terræ; nec ulterius usi sunt illo cibo filii Israel.* Ex quo insinuatur aperte, quod ante usi sunt cibo illo, qui cibus consumebatur usu. Et Judic. 19. *habentes panem, & vinum in meos, & Ancillæ tuæ usus.* Et Levitic. 7. ibi. *Loquere filiis Israel: adipem cadaveris mortui, & ejus animalis, quod a Bestia captum est habebitis in usus varios.* Ex quibus patet quod usus proprie in rebus, quæ usu consumuntur habetur. Et idem probat scriptura de actu utendi, quod in rebus usu consumptibilibus habeatur; nam ad Timotheum 5. cap. dicit apostolus: *utere modico vino propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*: Ex quo patet, quod vino uti contingit, quod absque dubio consumitur ipso usu. Et Esther 4. dicitur. *Sex mensibus pigmentis, & aromatibus utebantur.* Ex quo patet quod utebantur unguentis, sive pigmentis, & aromatibus, quæ usu consumebantur. Et idem de vestimentis, quæ de rebus usu consumptibilibus esse constat, dicitur: Exod. 28. ibi: *præcepit Dominus Moysi dicens; facies feminalia linea, ut operiant Carnem turpitudinis tuæ a renibus usque ad femoralia, & utentur eis Aaron, & filii ejus.* Et 2. Reg. 13. filiæ Regis virgines hujusmodi vestibus utebantur. Ex quibus auctoritatibus Sacræ scripturæ, & aliis multis, quæ brevitatis gratia dimittuntur, ostenditur

„ evi-

evidenter, quod usus & actus utendi in rebus usu consumptibilibus potest haberi, ac etiam exerceri. Et quod talibus rebus quis proprie uti dicitur, atque potest. Hoc etiam Sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, ac Sacrorum Canonum auctoritatibus comprobatur. Nam certum est, quod in lege naturæ ante peccatum erat usus communis omnium rerum, quæ sunt in hoc mundo, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius illud, *XII. q. 1. Cap. Dilectissimis*, & sunt verba sancti Clementis Papæ. Et ille communis usus erat etiam in cibo, & potu, quod patet per Ambrosium in 1. *Lib. de Offic.* ubi dicit. *Natura*, inquit, *omnia omnibus in commune profudit; sic enim Deus jussit generari omnia, ut pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quædam communis possessio &c.* Per quæ patet quod usus cibi & potus, quæ usu consumuntur, erat in statu innocentiæ, in quo nullus erat abusus rerum; morem cujus status servaverunt Apostoli, & viri Apostolici, qui eorum vitam sunt in abdicatione proprietatis omnium rerum temporalium imitati ut in *d. Cap. dilectissimis* & superius in primo Articulo in v. ratione plenissime est probatum: Ergo omnes Apostoli & eos perfecte sequentes in rebus usu consumptibilibus ad vitam humanam necessariis habuerunt usum, & eis vere, & proprie usi sunt, & uti licite, & proprie potuerunt. Et nefas est dicere quod ipsis rebus fuerunt abusi. Et Augustinus 3. *de Doctrina Christi*, & ponitur *XLI. di.* loquens de Cibis, & vestibus dicit sic. *Quisquis rebus prætereuntibus districtius utitur, quam se habent mores eorum, cum quibus vivit, aut temperatus aut superstitiosus est. Quisquis vero sic utitur eis, ut metas consuetudinis bonorum inter quos utatur excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus, sed libido mentis in culpa est; fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupiditatis, vel voracitatis sapiens cibo utatur.* Et idem Augustinus in *Li. de quæstionibus Evangelii*, & ponitur in eadem *di. XLI. Cap. quod*, dicit, *quorum scilicet ciborum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est.* Ex quibus patet quod usus cibi, qui usu consumitur, potest esse licitus, & illicitus; & quod quis uti potest licite cibo & potu; & proprie accipienda est locutio, ubi nulla putatur figurata locutio, ut probat Augustinus 3. *lib. de Doctrina Christi.* Et idem Augustinus *in lib. de facultatibus Ecclesiæ* dicit: *vestes, ac vasa, & cætera quæ usui ministrantibus erant, secuta vocabantur, nec in usus humanos jam poterant revocari.* Ex quo patet quod in vestibus, quæ sunt de his quæ usu consumuntur, sicut in aliis usus consistit; Et ipsi Sacerdotes ipsis vestibus utebantur, & uti poterant. *Et extra de vit. & honest. Cleri Cap. penul.* ibi: *Pontifices autem in publico, & in Ecclesia super indumentis lineis omnes utantur.* Et quod quis veste recte utitur, & recte dicitur, vestis est in usu, patet 30. *d. Cap. si quis virorum*: prædicta etiam possunt invariabilibus auctoritatibus divinæ scripturæ, & sanctorum Canonum comprobari, quæ brevitatis gratia dimittuntur. Sed per jura Civilia, quibus ipse Dominus inniti videtur in dictæ Constitutionis editione, prædicta possunt liquide comprobari. Ad quorum evidentiam est attendendum, quod usus accipitur multipliciter, & æquivoce: Uno modo accipitur in *L. Civili* pro jure utendi, & diffinitur sic: *Usus est jus utendi rebus alienis, salva rerum substantia:* Et hæc diffinitio colligitur *ff. de usu, & habi. L. 1. in Text. & Glos.* Et Dominus Azo in *summa Institutionum de usu, & habit.* dicit sic: *Unde is, cui usus domus relictus est, habet jus habitandi cum familia sua in ipsa domo. ff. de usu, & habi. L. 2.* Et is, cui usus fundi relictus est, habet ius morandi in fundo, & fructus quosdam recipiendi ex eo *ff. de usu & habita. L. si habitatio, & Insti. e. ti. §. 1.* Et hic usus qui est jus utendi rebus alienis, salva rerum substantia, dicitur servitus personalis. *ff. de servitus. L. 1.* & notatur *ff. de usur. l. si quis binas in Glos.* Et est quoddam jus incorporale, & proprium, quod in jure consistit, & a jure Civili introductum est, sicut hæreditas est ususfructus. *Insti. de reb. incorpo. §. 1.* Et de tali usu, qui est jus utendi rebus alienis salva rei substantia, loquuntur jura, quæ dicunt, quod res quæ usu consumuntur, non recipiunt proprie usumfructum; licet quasi usumfructum ex Senatus Consultus statuto recipiant. *Insti. de usufruct. §. Constituitur*, & *§. sequente*, & *ff. de usufruct. earum rerum, quæ usu consumuntur, l. 1. & 2.* unde de tali usu, qui est jus utendi rebus alienis, salva rerum substantia, de jure Civili dici possit, quod non proprie, sed abusive, idest proprie loquendo consistit in rebus usu consumptibilibus. *ff. de usufr. earum rerum quæ usu consumuntur, l. hoc Senatus.* Alio modo accipitur in omni jure hoc nomen usus pro actu utendi: Et dicitur usus facti, qui ab exordio Creaturæ cœpit. Unde 35. *di.* dicitur. *Sexta die Bestiæ creatæ sunt, & cum Bestiis orta est edendi voluptas, & usus escarum*, & sunt verba Ambrosii. Et usus Escarum quantum spectat ad vitæ conservationem impositus fuit in statu Innocentiæ sub præcepto divino. *Genes. 2.* Et hoc modo usus, qui est actus utendi proprie, & vere consistit in rebus usu consumptibilibus, ut plene per jura divina, & Sanctorum Patrum Auctoritates, & Sacros Canones superius est probatum. Et hoc etiam per jus Civile probatur. Nam in jure dicitur in hæc verba: *minus est in usu, quam in usufructu.* Nam qui fundi nudum usum habet, non aliter ulterius habere intelligitur, quam ut oleribus, pomis, floribus, fæno, stramentis, & lignis ad usum quotidianum utatur. Nec ulli alii jus, quod habet, aut vendere, aut locare, aut gratis concedere potest, cum is qui usumfructum habet possit hæc omnia facere: hæc dicuntur *Instit. de usufruc. & habita. §. 1. & 2.* Ex quibus colligitur evidenter, quod usus in hac lege accipitur dupliciter, primo modo pro jure utendi, cum dicitur minus juris est in usu. Et cum dicitur. Et qui fundi nudum usum habet, nihil aliud habere intelligitur. Secundo modo pro usu facti, sive actu utendi, cum dicitur, oleribus, pomis &c. Certum est enim, quod illud quod hic dicitur ad usum quotidianum utatur, non potest intelligi de usu juris, quia nihil esset dictum: Ergo accipitur usus, & utatur pro actu utendi. Et hoc etiam patet, quod in rebus usu consumptibilibus, scilicet pomis, oleribus, & similibus, quæ usu consumuntur, etiam de jure Civili haberi potest ususfacti, & quod quis eis uti possit. Et idem de veste dicitur *ff. de munc. & hono. L. 3.* Ibi, quia veste impuberes utebantur; Et Dominus Azo in *summa Instit. de usu, & habi.* dicit sic: *usus, qui est jus, vel servitus non potest esse in rebus, quæ usu consumuntur, cum in eis esse non possit, salva rei substantia; sed usus qui est factum, vel in facto consistit, ut in bibendo, & comedendo bene potest esse.* Hæc Azo. Ex prædictis igitur deprehenditur evidenter, quod dicere, quod nec usus facti, nec actus utendi potest in rebus usu consumptibilibus haberi, quod quoque nullus rebus usu consumptibilibus uti potest, ut dicta Constitutio dogmatizat, omni juri divino, Canonico, & Civili, & dictis Sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ obviat, & repugnat. Quinimo dicere, quod rebus usu consumptibilibus quis non possit uti intelligendo de usu, qui est actus utendi implicat Contradictionem. Quomodo enim res potest esse usu consumptibilis, si ea aliquis uti non possit. Non enim res potest usu consumi, in qua nemo usum habet, vel habere potest. Unde dicit Augustinus contra Petilianum, & ponitur *XXIII. q. 7. Cap. quod autem; quod hæretici usque adeo calumniandi cupiditate cæcantur, ut non attendant quam sint*

*inter*

*inter se contraria, quæ loquuntur*. Quod de dicto
„ Domino Joanne veraciter dici potest. Quod autem
„ dicit, quod actus utendi sine aliquo jure non potest
„ in rebus usu consumptibilibus haberi, cum ut patet
„ in prima hæresi, quam docet, intelligat de jure
„ proprietatis, absque quo in rebus usu consumpti-
„ bilibus asserit usum non posse constitui vel haberi.
„ Et superius plenissime reprobatum, & magis in-
„ ferius reprobatur. Quod autem post prædicta subse-
„ quenter annectit dicens, quod licet in rebus usu con-
„ sumptibilibus nec jus utendi, nec ipsum jus uti possit
„ constitui vel haberi, ipsis tamen poterit quis abuti,
„ quod ei opponitur, quod est uti, cum ut dicit
„ uti præsupponat, quod cum usu rei substantia
„ salva maneat, sed abuti exigit quod cum actu
„ hujusmodi rei substantia cousumatur, quod quoque
„ abuti est in hac materia contra naturam usus uti.
„ Erroneum fore convincitur manifeste: nam abuti,
„ ut dicunt Catholici Tractatores, est contra natu-
„ ram rei uti, hoc enim ipsum nomen abusus præ-
„ varicationem usus significat. Unde Augustinus in
*Lib. de Doctrina Christiana* dicit, *quod usus illi-
citus est abusus*; sed ille qui utitur cibo propter
„ Deum utitur eo secundum naturam & non con-
„ tra naturam cibi, quia cibus ad hunc finem, & pro-
„ pter hunc finem legitur fuisse factus secundum A-
„ postolum 1. ad Corinthios, & ad Timotheum 4. qui
„ scribens dicit: *Spiritus autem manifeste dicit,
quod in novissimis temporibus quidam*, Glos. *no-
tabiles, discedent a fide, attendentes spiritibus
erroris, & doctrinis Demoniorum in hypocrisi lo-
quentium mendacium, & contaminatam habentium
conscientiam, prohibentium nubere, & abstinere
a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum
gratiarum actione fidelibus*. Ex quo patet, quod
„ ille, qui cibo vescitur cum gratiarum actione
„ non abutitur, sed recte, & proprie uti cibo ab
„ omni catholico debet dici. Præterea certum est,
„ quod abusus rei non cadit sub mandato vel Con-
„ silio apostolico, quia abusus realiter in malam
„ partem sonat, sive accipitur. Sed usus potus ca-
„ dit cum expedit sub mandatu, vel Consilio apo-
„ stolico, sicut in præallegata auctoritate patet
*prima ad Timoth*. 5. ibi: *utere modico vino pro-
pter stomacum, & frequentes tuas infirmitates*;
„ ubi Glos. dicit, quod *spirituale consilium dat*. Ergo
„ usus potus non est abusus. Ex prædicta etiam do-
„ ctrina in dicta Constitutione *ad Conditorem* conten-
„ ta occasio tribuitur dogmatizandi, & credendi, quod
„ quotiescumque Christus, & Apostoli, & alij San-
„ cti viri comederunt, & biberunt, aut induerunt,
„ toties huiusmodi rebus usu consumptibilibus sunt
„ abusi, quod abhorrent piae aures fidelium audire.
„ Et quam sit impium, & blasphemum dictum,
„ nullus Catholicus sanæ mentis ignorat. Nec va-
„ let si dicatur, quod abuti accipi debet pro con-
„ sumptione rei. Tum quia quod sic accipi debeat,
„ nulla ratione, nec auctoritate probatur, tum
„ quia nominibus est utendum secundum quod sunt
„ instituta, & communiter utuntur Catholici Tra-
„ ctatores: sed Scriptura Sacra, & Sancti, & ve-
„ ri Catholici non utuntur hoc vocabulo *abuti*,
„ nisi pro illicito usu, unde *Genes*. 2. *nunquid ut
scorto abuti debuerunt sorore nostra*. Et *Esther.
Cap. ult. multi bonitate Principum, & honore,
qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam.
Et 1. Corinth. 9. sine sumptu ponam Evangelium,
ut non abutar potestate mea in Evangelio*. Et
„ in aliis pluribus auctoritatibus, quibus probatur,
„ quod *abuti* semper accipitur pro illicite uti: Ergo
„ hoc vocabulum abuti, quod communiter sonat
„ in illicitum usum pro consumptione rei cuius
„ usus habetur, nullatenus est utendum, ne via pos-
„ sit erroribus aperiri. Quia confusis vocibus con-
„ funditur intellectus, unde Apostulus 1. *ad Timo-
theum ult. Cap*. dicit, *devitans prophanas vocum
novitates, & opiniones falsi nominis scientiæ, quam
quidam promittentes, circa fidem exciderunt*. Di-
„ cere autem, quod vesci Cibo, sit abuti cibo,
„ est prophana vocis novitas, a Catholicis omnibus
„ detestanda, quæ cum scriptura divina, & dictis
„ Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum non
„ congruit, & errandi materiam subministrat: unde
„ Hieronymus: *Ex verbis inordinate prolatis fit
hæresis*. Similiter dicere, quod quis nequeat uti re
„ usu consumptibili, quia usus est utilitas, quæ ex
„ re potest, salva rei substantia, provenire, est fal-
„ sa opinio nominis scientiæ, quia est falsa opinio
„ diffinitionis huius nominis usus; quia non con-
„ gruit cum vera diffinitione, quam tradit Augu-
„ stinus *ex l. de Trinit*. dicens; *uti est assumere
aliquid in facultatem voluntatis*. Et quam dat
„ idem Augustinus *primo de Doctrina Christiana*
„ dicens; *uti est quod in usum venit ad id quod
amas obtinendum referre, si tamen amandum*; Et
„ quam dicit Magister 1. *sententiarum*, quæ dif-
„ finitio tam in rebus usu consumptibilibus, quam
„ non consumptibilibus usu vendicat sibi locum.
„ Præterea quibus non contingit uti, non contin-
„ git abuti; quia cum uti, & abuti sunt opposita,
„ nata sunt fieri circa eandem materiam. Et abusus
„ nihil aliud est quam corruptio usus. Sed secundum
„ prædictum Dominum Ioannem rebus usu consum-
„ ptibilibus non contingit uti, ergo nec abuti ipsis
„ poterit convenire. Unde ipsius mendosa Com-
„ menta se ipsa destruunt, quia nec auctoritate con-
„ stant, nec ratione aliqua fulciuntur. Ex prædicta
„ etiam erronea Doctrina sequeretur, quod quicum-
„ que sumit Sacramentum Corporis Christi, abuti
„ illis speciebus accidentium diceretur, cum illa ac-
„ cidentia procul dubio consumantur. Nec excu-
„ sat aliqualiter si dicatur, quod duplex est abusus,
„ unus qui est usus illicitus, & talis abusus est
„ peccatum, & de tali supradictæ auctoritates lo-
„ quuntur: alius est usus, qui est usus improprius,
„ non tamen illicitus, sed licitus; Et ita debet in-
„ telligi, quod in dicta constitutione dicitur de huius-
„ modi materia: Et vere non excusat, tunc quia
„ usus improprius, qui aliter abusus dicitur, solum
„ attenditur circa voces, & modum loquendi. Ab-
„ usus autem qui est usus illicitus est circa res; ab-
„ uti igitur pane vel vino, vel quacumque alia re
„ usu consumptibili, rebus & non vocibus est ab-
„ uti; unde si esus panis, vel vini potus est abusus
„ panis vel vini, sequitur, quod est usus illicitus,
„ & sic peccatum per consequens. *Extra de vit.
& honest. Cler. Cap. a Crapula*. Tum quia, ut
„ superius est deductum, talis prophanæ vocis no-
„ vitas erroribus viam præparans, est secundum Do-
„ ctrinam Apostoli a Catholicis evitanda. Insuper
„ dicta assertio non solum Iuri, sed etiam decla-
„ rationi, determinationi, & diffinitioni sanctæ Ro-
„ manæ Ecclesiæ sæpedictæ in 7. *lib*. positæ, & in
„ Viennensi Concilio, approbatæ obviat manifeste.
„ Nam ibidem continetur expresse, quod Fratribus
„ omnium rerum necessariarum tam ad vitæ su-
„ stentationem, quam ad officiorum status execu-
„ tionem usus concessus est moderatus. Et alibi
„ dicit. *In his quæ ad victum, vestitum, divi-
num Cultum, & sapientiale studium spectant ne-
cessariarum rerum usus Fratribus est concessus*: Et
„ alibi dicit: *simplicem facti usum, quo tanquam
necessario eget vita mortalium*. Cum ergo certum
„ sit, quod illa quæ ad victum, & vestitum per-
„ tinent sint usu consumptibilia, & dicta declara-
„ tio Ecclesiæ insinuet Fratres prædictos habere in
„ his licite usum moderatum; Et usus moderatus
„ sit usus virtuosus, & licitus: & a jure, & etiam
„ a consuetudine sit introductus, ut huiusmodi rebus
„ usu consumptibilibus quis dicatur uti, ut supra proba-
„ tum est. Et secundum Augustinum 3. *de Do-
ctrina Christiana, illa sit propria locutio, qua hu-
mana utitur consuetudo*; sequitur quod dicere, quod
„ rebus usu consumptibilibus quis nequeat uti, sed
„ abuti, etiam dictæ declarationi, & diffinitioni san-
„ ctæ Romanæ Ecclesiæ obviat manifeste.

„ Ter-

„ Tertius error, in quo dicti Domini Ioannis fi-
„ des, & conscientia maculatur in dicta Constitu-
„ tione *ad Conditorem* describitur in hæc verba:
*Præterea si simplex facti usus absque jure utendi ha-
beri posset ab aliquo, constat, quod non justus esset
actus utendi hujusmodi reputandus, cum ille usui
fuerit, cui jus non competebat utendi. Talis autem
usus, scilicet non justus, ad perfectionis statum ne-
quaquam pertinet, nec perfectioni aliquid adjicit,
sed sibi expugnare potius, ac detrahere noscitur ma-
nifeste*. Et infra inquens de usu facti, de quo di-
„ cta ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat qui
„ justus sit, idest pro quo competat jus utendi; hæc
„ verba dicti Domini Ioannis in dicta Constitutio-
„ ne contenta. Quæ quidem diffinitioni, & determi-
„ nationi sanctæ Romanæ Ecclesiæ prælibatæ ob-
„ viat manifeste. Quod patet ex pluribus. Primo
„ ex eo quod sæpedicta Decretalis *Exiit* expresse
„ dicit quod in rebus temporalibus est considerare
„ proprietatem, possessionem, usumfructum, jus
„ utendi, & simplicem facti usum, & ultimo tan-
„ quam necessario egeat, licet primis carere pos-
„ sit vita mortalium. Nulla potest esse professio,
„ quae a se usum necessariae sustentationis exclu-
„ dit. Ex quibus verbis clare patet, quod vita mor-
„ talium potest licite carere proprietate, possessione,
„ usufructu, jure utendi, & contenta esse simpli-
„ ci facti usu rerum necessariarum ad vitam. Non
„ autem possit licite carere praedictis, & contenta
„ esse simplici usu facti, si simplex usus facti non
„ possit licite haberi ab aliquo absque jure utendi.
„ Cum nulla prorsus possit esse licita professio
„ quum injustum actum in utendo rebus temporali-
„ bus admittat. Quia si usum illicitum sive injustum
„ admitteret, talis professio foret illicita, & discri-
„ minosa, & professioni contraria Christianae. Secundo
„ ex eo, quod in eadem determinatione, sive diffini-
„ tione Ecclesiæ insinuatur, quod dicta professio Fra-
„ trum Minorum vovit Christum in tanta paupertate
„ sectari, videlicet in abdicatione proprietatis usus rei
„ cujuscunque dominium abdicasse videtur simpli-
„ ci usui renunciatum esse convincitur. Ex quibus
„ verbis clare patet, quod dicta professio in omnibus
„ rebus temporalibus non solum dominium sed et-
„ iam usus proprietatem, sive usum proprium abdi-
„ cavit, & simplici usu facti absque usus proprie-
„ tate contenta est. Constat autem quod habere jus
„ utendi in aliqua re secundum jura Civilia includit
„ necessario usum proprium, sive proprietatem usus,
„ cum ut superius est probatum, lex civilis diffinit
„ usum talem in hæc verba: *usus est jus utendi re-
bus alienis, salva rerum substantia*, & dicat quod
„ talis usus est servitus personalis, & res incorpo-
„ ralis, quæ in jure consistit, sicut hæreditas, &
„ ususfructus obligatio, & actio, ut dicunt jura su-
„ perius allegata: Et ideo sicut qui habet usumfru-
„ ctum habet proprium usum, sive proprietatem in
„ usu: Sic & qui habet jus utendi re aliena: Unde
*ff. de usufruc. L. unica* dicitur, quod ususfructus
„ est pars dominii in multis casibus, & eidem cave-
„ tur de damno infecto ut domino *ff. de usufruc.
L. usufructu legato*, §. 1. Et propter hoc tale jus
„ utendi nullo modo cadit in religiosum, qui ex
„ professione sua habet vivere sine proprio, ut no-
„ tatur 19. *q. III. Cap. si qua mulier* in Glos. or.
„ & superius plenissime est dictum: Et sic patet,
„ quod Fratres ipsi habent simplicem usum facti ju-
„ stum, & licitum absque hoc jure utendi. Tertio
„ patet ex eo quod in eadem Decretali *Exiit* lo-
„ quens de usu simplici Fratribus concesso in rebus
„ dicit sic. *Qui inquam usus non juris, sed facti
tantummodo nomen habens, quod facti est tantum
in utendo præbet utentibus, nihil juris*. Quibus ver-
„ bis nihil aptius, & clarius dici possit ad osten-
„ dendum quod Fratres in rebus omnibus tempora-
„ libus, quarum usum possunt habere, habent so-
„ lummodo simplicem facti usum justum, & lici-
„ tum absque aliquo jure utendi. Constat autem,
„ quod si haberent jus utendi in rebus, quarum usum
„ habent, usus eorum non esset tantummodo facti,
„ nihil juris habens, sicut ipsorum Fratrum usum
„ fore dicta asserit Decretalis. Cum igitur constet
„ ex prædictis, quod Sancta Romana Ecclesia, quæ
„ Spiritu Sancto regitur, & errare non potest in fi-
„ de & moribus, expresse, & clare diffiniat, quod
„ professio Fratrum Minorum vovit Christum in
„ tali paupertate sectari, scilicet, in abdicando do-
„ minio in omnibus rebus temporalibus proprietatem,
„ & possessionem, usumfructum, & jus utendi, &
„ retinendo in omnibus rebus, quibus fratres utun-
„ tur simplicem facti usum absque jure utendi præ-
„ dicto: Et dictus Dominus Joannes dicat, quod
„ simplex facti usus absque jure utendi est reputan-
„ dus injustus, & quod statui perfectionis repugnat,
„ patet manifeste secundum ejus hæresim, quod San-
„ cta Romana Ecclesia erravit asserendo, quod ta-
„ lis professio sequitur Christum pauperem in tali
„ abdicatione proprietatis, & ipsam professionem, quo
„ ad talem abdicationem fore licitam, meritoriam,
„ & perfectam, & eo magis, meritoriam, quo
„ per ipsam professores ipsius magis a temporalibus
„ propter Deum, sicut prædicitur, elongantur. Sed
„ qui dicit, seu docet Ecclesiam Catholicam sic er-
„ rasse impingit graviter in illum articulum; *Et
unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Eccle-
siam*, sub quo continetur, quod Ecclesia taliter er-
„ rare non potest, ut quod est illicitum, & inju-
„ stum, sicut licitum, justum, & meritorium ap-
„ probet, & tanquam vitæ Christi imitativum: Ergo
„ sequitur, quod talia asserens, & docens, ut facit
„ aperte dictus Dominus Joannes, est hæreticus, ab
„ omnibus vere Catholicis reputandus, & sicut hæ-
„ reticus detestandus. Insuper dictus error obviat
„ Scripturæ Sacræ: Nam ut supra dictum est, &
„ probatum, jus utendi est quoddam jus incorpo-
„ rale, quod in jure Civili consistit, sicut haereditas
„ ususfructus, & obligationes. *Justit. de rebus incorpor.*
„ Et tale jus est jus proprium, ut patet per jura supe-
„ rius allegata, sine quo jure dictus Dominus Joannes
„ intelligit usum simplicem facti haberi non posse,
„ ut per plura per eum in dicta Constitutione ex-
„ pressa patet: Et maxime ubi supra dicit, quod jus
„ utendi est mere jus personale, quod exigit, ut ex
„ re ipsa salva rei substantia possit habenti jus uten-
„ di utilitas aliqua provenire; Ideo dicere quod sim-
„ plex usus facti non possit haberi a professoribus vi-
„ tae Apostolicae absque hujusmodi jure utendi ob-
„ viat Scripturae Sacrae. *Actor.* 4°. ubi de multitu-
„ dine illa credentium dicitur, quod nullus aliquid
„ proprium esse dicebat, sed erant omnia commu-
„ nia. Et omnem possessionem vitae Apostolicae,
„ quae habet annexum vivere sine proprio destruit,
„ & confundit. Praeterea certum est quod jus pro-
„ prium non est de jure naturali 12. *q. C.* 1. *Di-
lectissimis*; sed de jure positivo 8. *di. in prin.* ubi
dicitur. *Differt autem jus naturale a consuetudine,
& constitutione. Nam jure naturali omnia sunt
communia, quod non solum inter eos servatum cre-
ditur, de quibus legitur. Multitudinis autem cre-
dentium erat cor unum, & anima; verum etiam
a prophetis traditum reperitur*: Et in *Cap. quo jure*
dicitur: *tolle jura Imperatorum, & nullus audet di-
cere aliquid esse suum*. Ex quo patet, quod illi de
„ illa multitudine credentium a Spiritu Sancto edo-
„ cti assumpserunt in observantia dictum jus natu-
„ rale, in quo jus proprium non erat, & idem ha-
„ betur in illo *C. Dilectissimis prope finem*. Et ad
„ idem jus sunt reducti quantum ad omnis juris
„ proprii abdicationem omnes religiosi, qui vitam
„ Apostolicam sunt professi. Et certum est, quod
„ in lege naturae erat usus simplex facti commu-
„ nis in omnibus ad vitæ humanæ naturæ susten-
„ tationem necessariis, nec erat tunc hujusmodi jus
„ utendi, quod postmodum per leges exstitit intro-
„ ductum: Ergo de jure divino quod dicitur jus na-
„ turale *di.* 1. constat manifeste, quod usus simplex
„ facti

facti juste haberi potest absque hujusmodi jure utendi, ac per consequens dicere quod simplex facti usus non possit haberi absque jure utendi, juri divino, ac perfectioni Apostolicæ obviat, & repugnat. Et ad hoc faciunt rationes quæ ad impugnandum primam hæresim dicti Domini Joannis superius plenius sunt introductæ. Nec verum, sed erroneum est quod dictus Dominus Joannes infert dicendo, quod simplex usus facti haberi possit ab aliquo absque jure utendi, quod non justus esset actus hujusmodi reputandus. Tum quia certum est de jure aliud esse habere jus utendi in re aliqua, aliud habere licentiam sive facultatem utendi. Nam servus habet licentiam a Domino utendi rebus Domini sui, & tamen non habet jus utendi in eis, sicut patet *ff. de pecul. L. id vestimentum*, ubi Glos. dicit: *idem esse in famulis Dominium, qui utuntur rebus Dominorum de licentia eorum*. Et idem est in Religiosis, qui habent licentiam a dantibus, vel Prælatis eorum utendi rebus. Et ita constat quod non habent in eis jus utendi, ut notatur in prædlegato *Cap. si qua mulier 19. q. 3.* Et idem est in hospitibus, & omnibus invitatis ad prandium, vel cœnam, qui licentiam habent hospitandi, & comedendi, & bibendi quantum conceditur, & tamen constat, quod non habent jus utendi in rebus ipsis. Et ex tali licentia Fratres utuntur eorum rebus ad usum eorum concessis, ut expresse dicit sæpedicta Decretalis *Exiit §. Porro*. Ibi: *Quibus rebus Fratres licite uti possunt durante concedentis licentia*. Et hoc etiam patet in pluribus partibus ejusdem Decretalis. Ex quo patet quod Fratres licite uti possunt rebus ad eorum usum concessis durante concedentis licentia, quamvis in eis non habeant jus utendi. Sic etiam dicitur quod quis habeat licentiam transeundi per agrum alienum, & tamen non habet jus humanum transeundi s. *di omnes leges*. Item de jure humano fas est, idest, licentia conceditur alicui comedere uvas in vinea proxima. *Deut. n. 23.* Et tamen habens talem licentiam non habet jus utendi. Nam si tale jus haberet, actionem per consequens haberet, ut in eodem *Cap. omnes* notatur in *Glos.* in qua etiam *Glos.* notantur aliqui Casus, in quibus etiam quis de jure Civili habet licentiam aliquid faciendi, & tamen non habet jus. Item discipulis Christi fuit licitum transeundo per segetes alienas evellere spicas, & edere, *de Consecr. di. 5. C. Discipulos*, & Math. 12. Et tamen non habebant jus utendi, evellendi. Ex quibus clare patet quod aliud est habere licentiam utendi rebus, & aliud jus utendi: Et quod erroneum est dicere, quod si simplex facti usus haberi possit ab aliquo absque jure utendi, quod non justus esset actus hujusmodi reputandus. Ex prædictis etiam patet falsum, & erroneum esse, quod subinfert dicendo, quod usus facti, de quo dicta ordinatio loquitur de tali intelligi debeat, qui justus sit, idest pro quo competat jus utendi. Quia per præcedentia evidenter claret, quod usus facti licitus & justus, de quo ipsa Decretalis, sive ordinatio loquitur, non debet esse talis, pro quo competat jus utendi, sed talis pro quo utendi licentia concedatur. Non solum autem erronee loquitur, sed etiam est sibi contrarius, cum antea in dicta sua Constitutione, *ad Conditorem* dicat in haec verba. *Licet autem quis re usibili absque jure utendi aliquo uti possit. Ipsum tamen uti in re tali absque jure utendi separato a dominio, vel conjuncto, vel ab aliquo potest constitui, nec a quocumque haberi*: Haec ille. In quibus verbis duo dicit, primum quod quis potest uti re usibili absque jure utendi, in quo sibi contradicit aperte. Nam si potest quis uti re usibili absque jure utendi, aliquo uti possit, ipsum tamen uti in re tali absque jure utendi separato a dominio, & illud solum possum, quod juste possum *ff. de condi. institu. l. filius in fin.* Ergo potest quis habere usum facti in re usibili absque jure utendi. Secundum, quod ipsum uti etiam in re tali non potest haberi absque jure utendi separato a dominio, vel conjuncto, quod est erroneum, & haereticum, ut superius est probatum.

„ Quartus error in dicta Constitutione *ad Conditorem* contentus exprimitur in haec verba. *Praeterea quod simplex usus, idest, sine jure utendi a proprietate seu dominio separatus in re usu consumptibili haberi nequeat, sic probatur. Si enim haberi possit talis usus, aut ante actum ipsum, aut in ipso actu, aut post ipsum actum completum haberetur. Quod autem hoc fieri nequeat, ex hoc patet, quia quod non est, nequaquam haberi potest; patet autem quod actus hujusmodi antequam exerceatur, aut etiam dum exercetur, aut postquam perfectus est, in rerum natura non est. Ex quo sequitur quod haberi minime potest; licet enim ante ipsum quis facultatem habeat ipsum exercendi, per hoc tamen actus ipse in rerum natura nisi in potentia non existit. Cum autem actus est in fieri, nec adhuc est in rerum natura, cum esse rem perfectam significet, quod quandiu est in fieri, non potest actus convenire. Quod enim de actu, qui iam præteriit jam non est. Quod autem sit instantaneum, seu momentaneum est, & tale quod magis intellectu percipi potest quam sensu. Adhuc post completum actum, licet si ex ipso producta res aliqua fuerit, res ipsa haberi valeat, factum tamen ipsum quod jam transiit non habetur*: hæc verba ipsius. In quibus concluditur dictum, & ratio dicti, dictum scilicet quod simplex usus, idest, sine jure utendi a proprietate, seu dominio separatus in re usu consumptibili haberi non potest; hoc autem dictum esse hæreticum, & determinationi, & diffinitioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sacræ Scripturæ, & juri Canonico, & Civili repugnare supra in rationibus contra primam hæresim, & tertiam adductis colligitur evidenter. Ratio autem per quam dictum suum nititur approbare, destruit omnia gesta Christi, & Apostolorum, quæ sacra scriptura eos fecisse testatur, ac etiam omnia gesta fidelium. Quia si ratio ista concluderet, sequeretur quod Christus nunquam comedit, nec bibit, nec ambulavit, nec pedes Apostolorum lavit, nec oravit, nec aliquid fecit ex his quæ eum fecisse Sacra Scriptura testatur. Si enim aliquid istorum fecit, aut ante actum, aut post actum, aut in ipso actu secundum prædictam divisionem. Non ante actum, quia ante actum nullum istorum fuit; quia ante actum comedendi, ambulandi, bibendi, prædicandi, lavandi, & orandi, non comedit, nec bibit, nec ambulavit, nec prædicavit, nec pedes lavit, nec oravit. Nec post actum, quia post actum nullum istorum exercuit. Nec in ipso actu, quia pars istorum quæ præterierat, jam non erat, pars quæ futura erat nondum erat. Illud autem quod erat ministranti non erat aliquid istorum actu, sed potentia tantum, quod magis percipitur intellectu quam sensu. Quia comedere, & bibere non sunt in instanti, sed in tempore: similiter prædicare, ambulare, pedes lavare, orare, & alia gesta Christi corporalia non fuerunt in instanti, sed in tempore: Ergo sic dicta ratio concludit, quod Christus nihil gessit corporaliter in hoc mundo de his, quæ scriptura sacra eum fecisse testatur: Et eodem modo sequitur de Apostolis, & omnibus Sanctis, & fidelibus. Ex quo patet per consequens, quod hujusmodi ratio est hæretica pariter, & insana; & tanquam insana, & hæretica ab omnibus Catholicis detestanda. Præterea si dicta ratio concludit, destruit dictum quod supradixit, scilicet, quod quis potest abuti rebus usu consumptibilibus, quia per omnia potest argui ex ista ratione de abusu, sicut arguitur de usu per ipsum. Item ista ratio si concludit, destruit dictum suum, quia ex eadem ratione sequitur, quod usus rerum usu consumptibilium nunquam sit coniunctus cum proprietate, & Do-

minin, sic quod non possit separari ab eis. Nam arguendo sicut ipse arguit. Si usus talium rerum dicitur cuniungi posse proprietati, & dominio earum, aut ante actum diceretur cuniungi, aut in ipso actu, aut post ipsum actum; non ameactum, quia ante actum usus non est, & quod non est, ulteri coniungi non potest. *Extra de Eccl. Ædific. C. ad audientiam 2. in fin.* & *Extra de despons. impub. Cap. ad dissolvendum.* Nec post ipsum actum, quia post ipsum actum usus non est: nec in ipso actu dum est in fieri, quia sic non est in actu, sed in potentia tantum secundum eum: Ergo talis usus non potest esse cum proprietate, & dominio rerum usu consumptibilium: Et si sic concludit ratio supradicta, sequuntur duo contraria, scilicet, quod usus rerum usu consumptibilium sine proprietate, & dominio esse non potest, nec cum proprietate, & dominio earum. Et sic sequitur, quod esus panis, & vini, vel aquæ potus non sunt incumpossibiles proprietati & dominio eorum. Quod manifeste fore erroneum nullus sanæ mentis ignorat. Cum omne eus cuiusque comparatum vel est sibi compossibile, vel incompossibile. Ad prædictam autem sophisticam rationem non oportet aliter respondere, nisi sicut respondetur ad sophisticas rationes 4. *Physicorum* probantes non esse tempus, nec motum, quia hæc ratio eadem est cum illis, quarum solutionem si intellexisset, hanc ratiocinationem non fecisset, nec sententias involvisset sermonibus imperitis. Improbatur hæc sophistica ratio in Textu, & Glos. *Instit. de usufruct.* ibi in Text. cum dicitur: *usus fructus a proprietate separationem recipit*; & in *glos. or.* Præterea, si ista ratio concludit, ita de rebus non consumptibilibus usu, sicut de rebus usu consumptibilibus concludit. Quod sic ostenditur. Nam si in rebus non cunsumptibilibus usu dicatur posse usum a proprietate, & dominio separari, aut diceretur quod potest separari ante actum, aut post actum, aut in ipso actu: Non ante actum, quia ante actum usus rerum non consumptibilium usu non potest dici plus esse quam usus rerum usu consumptibilium. Nam usus equi ante usum non est plus quam usus Panis, vel vestis. Nec post actum, quia postquam usus est exercitus rei non consumptibilis usu non plus est in se, & in sua natura, quam usus rei consumptibilis usu. Nec in ipso actu, quia usus rei quæ non consumitur usu consistit ita in fieri, sicut usus rei quæ consumitur usu. Quia pars usus quæ præteriit in rebus quæ non consumuntur usu est sicut pars usus, quæ præteriit in rebus consumptibilibus usu. Similiter pars quæ futura est in istis nondum est sicut in illis. Quia usus rerum quæ non consumuntur usu non plus est totus simul in instanti, quam usus rerum usu consumptibilium. Et sicut usus rerum usu consumptibilium habet esse in quodam fieri successivo: Ita usus rerum non consumptibilium usu. Constat enim quod usus equi, ebovis, & Asini, & similium usu non consumptibilium, ita habet esse in quodam fieri successivo, cujus pars præteriit, & non est; pars futura est, & nondum est, sicut usus rerum usu consumptibilium. Ergo dicta ratio ita concludit, quod usus in rebus quæ usu non consumuntur non possit a proprietate, & dominio separari, sicut in rebus, quæ consumuntur usu. Quod quantum sit absurdum, erroneum, & insanum nemo sanæ mentis ignorat. Ex prædictis, & aliis contra primam hæresim, & tertiam in præcedentibus annotatis patet similiter erroneum, & hæreticum esse, quod post prædicta subiungit, sic dicens; *Præterea si in rebus usu consumptibilibus possit usus constitui, vel haberi, nequaquam simplex, nec a rei substantia, seu dominio, separatus hujusmodi possit dici; cum per talem usum idest utendi actum in ipso actu, & cum ipso actu res hujusmodi consumatur, ac in ipsius rei exerceatur substantia, nec sine ipsius rei consumptione esse valeat talis usus. Ex quo patet, quod usus talis nec simplex, nec separatus a dominio dici potest*: hæc verba ipsius. Quæ manifeste repugnant Sacræ Scripturæ & Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ dictis, ut superius est ostensum: ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Determinationi, & diffinitioni, per quam ostenditur evidenter quod in rebus, quibus eget necessario vita mortalium, cujusmodi sunt res usu consumptibiles, potest haberi a Fratribus simplex usus facti. In qua etiam dicitur sic. *Nec per hoc, quod proprietatem usus, & rei cujuscumque dominium a se abdicasse videtur, simplici usui omnis rei renunciatum esse convincitur.* Ex quo sequitur manifeste quod Fratres in omnibus rebus, quibus utuntur usu consumptibilibus, & non consumptibilibus habent solummodo simplicem facti usum, Et quod aliquis potest abdicare proprietatem, & dominium omnis rei usu consumptibilis, & non consumptibilis, & habere in ipsis rebus solummodo facti usum. Patet etiam falsum fore, quod dictus hæreticus asseruit ad probationem sui erroris, cum dicit, quod per talem usum idest utendi actum, & in ipso actu, & cum ipso actu res hujusmodi consumatur. Quia manifestum est, quod vestes sunt usu cunsumptibiles, & tamen quod non statim in ipso actu utendi, & cum ipso actu omnino res hujusmodi consumuntur. Et ita potest esse usus vestium a proprietate, & dominio separatus, sicut patet in servo, & religioso, sicut superius est probatum. Multa etiam alia sunt usu consumptibilia, quæ in ipso actu, nec cum ipso actu statim consumuntur; sed permanent satis post primum actum. Similiter quamvis panis consumatur usu, non tamen statim ultimate in ipso actu, & cum ipso actu consumitur omnino. Nec valet quod dicitur, quod nullus habet proprietatem & dominium panis in ore alterius existentis. Quia sicut non est inconveniens, quod aliquis habeat proprietatem, & dominium servi comedentis; Ita non est inconveniens, quod quis habeat proprietatem, & dominium panis existentis in ore servi, cum servus proprietatem, & dominium, aut possessionem ipsius panis nullatenus valeat obtinere. Quia qui in alterius potestate est, nihil proprium habere, aut possidere potest, ut superius est probatum. Ex prædictis igitur patet, quod quamvis postquam res usu consumptibiles sunt consumptæ, non possit dici usus separatus a proprietate, vel eidem coninnctus, quia usus earum tunc in rerum natura non existit; tamen antequam sint consumptæ, usu manente potest esse a proprietate, & dominio separatus. Ex quo claret hæreticum & erroneum fore quod infert dicens: *Ex quo patet, quod usus talis nec simplex, nec separatus a dominio dici potest.*

„ Quintus error in quo plures implicantur errores post Proæmium dictæ Constitutionis *Ad Conditorem*: In quo proæmio dictus Dominus Joannes narrat qualiter fel. rec. Dominus Nicolaus PP. III. *omnium rerum mobilium, & immobilium præsentium, & futurarum, quarum usum Fratres habere possunt, proprietatem, & dominium plene, & libere ad se, & Romanam Ecclesiam sanxit ipsa in se recipiens, & Ecclesiam antedictam simplici usu facti dumtaxat in rebus, & bonis hujusmodi reservato Fratribus antedictis* &c. Immediate subinngitur cum dicitur sic: *Quamquam autem pia consideratione motus dictus prædecessor noster ordinavit supradicta, illa dicto Ordini existimans profutura. Ipsa tamen attento modo utendi Fratrum ipsorum, ac dictæ Ecclesiæ subsecuta patientia circa ipsum non profuisse, sed potius tam ipsis Fratribus, quam multis aliis obfuisse subsequens rerum experientia noscitur declarasse. Ipsis quidem Fratribus nequaquam profuit reservatio dominii supradicta. Adhuc nec utique profuit dictis Fratribus ordinatio supradicta* quan-

*quantum ad hoc, quod propter carentiam talis dominii se pauperiores dicere valeant, quam si res ipsas cum illo quo se dicunt carere dominio obtinerent; licet enim prædecessor noster prædictus dominium earum rerum, quæ offerri ipsis Fratribus, seu conferri, aut alias obvenire contingeret, usu simplicis facti prædictis Fratribus reservato, in se, & Romanam Ecclesiam duxerit recipiendum, ac libera pertinere decreverit; talis tamen carentia dominii, attento ipsorum Fratrum utendi modo, & ejus effectu, ac patientia circa modum ipsius Romanæ Ecclesiæ subsecuta, non ipse usus Fratrum dici debet, sed potius Romanæ Ecclesiæ dominium esse simplex. Quis enim simplicem usuarium dicere poterit, cui rem usuariam licet permutare, vendere, & donare? procul dubio naturæ usuaris repugnare noscitur, nec ad usuarium pertinere. Quæ tamen de rebus ipsis antedictis faciunt Fratres ipsi. Quod autem Dominium Ecclesiæ reservatum Romanæ simplex censeri debeat: Ex hoc patet quod ex illo nullum eidem Ecclesiæ temporale obvenit hactenus commodum, nec speratur quod obvenire debeat in futurum. Talis autem dominii carentia, re in præsenti, ac spe in futurum omni temporali commodo denudati, quo ad paupertatem temporalem, quam altiorem præ cæteris mendicantibus in communi habentibus sibi vendicant, pauperiorem non efficit non habentem:* & infra satis dicit: *Rursus nedum ipsis Fratribus ordinatio prædicta non profuit, sed occasionaliter honori, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non leviter detrahit, & detraxit. Nunquid non præfatæ Ecclesiæ derogatur honori, semper ac oporteat, nunc in foro Ecclesiastico, nunc in Sæculari, interdum etiam quoque coram pedaneis Judicibus, & plerumque pro rebus parvis, & vilibus continue litigare; hoc tamen notum est fieri, cum occasione retentionis dicti dominii omnes causæ occurrentes agendo, vel defendendo pro bonis hujusmodi nomine Romanæ Ecclesiæ virtute cujusdam privilegii a fel. rec. Martino Papa IV. Prædecessore nostro concessi super hoc agitentur. Quæ omnia in notam, & injuriam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non est dubium redundare:* & infra: *Nolentes in posterum sub prætextu, seu pallio talis dominii verbalis nudi, ac ænigmatici tanta bona, quanta dicti Fratres faciunt inficere, ac fomentum tantis malis, quanta procedunt ex fictione hujusmodi, ministrare, Sancimus, quod in bonis, quæ inposterum afferentur, vel conferentur, aut alias quomodolibet obvenira contigerit Fratribus, seu Ordini supradictis, exceptis Ecclesiis, Oratoriis, officinis, & habitationibus, ac vasis, libris, vestimentis divinis officiis dedicatis, vel dedicandis, quæ ad ipsos obvenirent in futurum, ad quæ se non extendunt adeo inconvenientia supradicta, propter quod constitutionem istam se extendi ad illa nolumus; nullum jus, seu dominium aliquod occasione ordinationis prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ acquiratur, sed quoad hoc habeatur prorsus dicta ordinatio pro non facta. Per hac autem in hiis quæ absque dicta ordinatione in bonis prædictis ad dictam Ecclesiam pervenire, vel pertinere quomodolibet poterant, vel debebant nullum eidem parari præjudicium volumus; sed illa sibi expressius intacta, & inviolata servamus.* „ Hæc verba prædicti Domini Joannis in dicta Constitutione contenta. In quibus prædictam ordinationem Domini Nicolai III. tanquam nocivam Fratribus, & aliis multis, & ad statum perfectionis non proficientem, & dominium verbale, ænigmaticum, & simolatum retinentem, & pauperiores professores dictæ Regulæ ex carentia talis Dominii non efficientem, & in notam, & injuriam Romanæ Ecclesiæ redundantem, & multis malis fomentum ex simulatione, sive pallio hujusmodi verbalis, & ænigmatici dominii ministrantem, & honori Sanctæ Romanæ Ecclesiæ graviter detrahentem reprobat, & condemnat, ac per consequens omnes Romanos Pontifices qui ipsum præcesserunt, & similem ordinationem, & retentionem dominii fecisse noscuntur: Et statum, & regulam Beati Francisci in hujusmodi abdicatione proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi cum retentione solius simplicis facti usus fundatum approbaverunt: ac etiam ipsum Beatum Franciscum Christi imitatorem præcipuum, & ipsius stigmatibus mirabiliter insignitum, ac Cathalogo Sanctorum ascriptum, ab Universali Ecclesia in maxima veneratione susceptum, qui hujusmodi abdicationem proprietatis omnium rerum in speciali, & in communi exemplo, & verbo docuit, & regulam suam in dicta abdicatione, & paupertate altissima stabilivit; Et universalem Ecclesiam, quæ Statum hujusmodi abdicationis, proprietatis, quoad Fratres, & retentionis dominii quod ad Ecclesiam tanquam fructuosum Ecclesiæ universali, meritorium, & perfectum, & vitæ Christi, & Apostolorum ejus imitativum frequenter, & pluries approbavit, ac etiam confirmavit: Et quod majus est ipsum Christum, & Apostolos ejus, qui in tali paupertate vixerunt, graviter errasse, per consequentiam asserit, & fatetur. Sane quia detractionis vitium excæcationem inducit, Sancto Gregorio in Registro dicente: *Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in pulverem sufflant, atque in oculos suos excitant, ut unde plus detractionis perflant; inde magis veritatis nihil videant.* Justo Dei judicio in tantam excæcationem est prolapsus, ut dum aliis detrahit, etiam sibi ipsi multipliciter contradicat, & se suo proprio judicio, & impiis sensibus pervertat scripturas, & sententias involvat sermonibus imperitis. Ut igitur hujusmodi perversi, & hæreticalis Dogmatis fallacia detegatur, attendendum est, quod quemadmodum essentiale est statui religionis cujuslibet perfectæ, quod nulla persona privata aliquid proprium habeat sive possideat, ut in præallegato *Cap. cum ad monasterium, de sta. mo.* dicitur: Sic & religioni toti Fratrum Minorum essentiale est, quod proprium non habeat. Quæ quidem quantum ad abdicationem proprietatis omnium rerum, quam in Communi fecit, censetur sicut una persona, sive vice unius personæ fungitur, *ff. de fidejussor. L. mortuo.* Et quemadmodum monachus, & quicunque alius religiosus utitur vestimentis, calceamentis, & cibis, ac ceteris rebus, quæ usu consumuntur, ita quod nihil sibi appropriat, nec per talem usum efficitur proprietarius, quia Dominium Monasterio, sive Collegio semper reservatur: Sic & toti Collegio hujusmodi Fratrum minorum in consideratione ad totam Communitatem fidelium, summumque Pontificem intelligendum est, ut quemadmodum illud quod datur, conceditur, vel offertur monacho qualiscunque sit dantis intentio, non in ipsius monachi transit dominium, sed totius Collegii, & subjacet dispositioni Abbatis, etiam si dans nihil de Collegio cogitet: Sic & quod datur, conceditur, vel offertur Collegio Fratrum minorum, in dominium transit Romanæ Ecclesiæ ipso jure, & dispositione Summi Pontificis eidem Ecclesiæ præsidentis: huic etiam Communitati fidelium renunciari licite non potest, ex qua fit unum Corpus Christi fidelium, quod est Ecclesia, *extra de Summa Trin. & Fid. cath. & c. firmiter §. una, & Cap. damnamus.* Et hæc communitas manat a jure Divino, quo fit ut omnia sint fidelium juxta illud 1. *ad Corinth.* 3. *Omnia vestra sunt: vos autem Christi.* Et Augustinus *super Joan. Hom.* 6. loquens contra hæreticos Donatistas dicit: *Veniant ad Ecclesiam Catholicam, & nobiscum habeant non solum terram, sed etiam eum qui fecit Cælum, & Terram.* Et idem Augustinus, & ponitur 23. *q.* 7. *Cap.* 1. dicit sic: *nec recte possideri aliquid possit, nisi vel jure divino, quo cuncta sunt justorum, vel jure humano, quod est in potestate regum Terræ:* & in *Cap. quod autem. Et hæc Communitas habet dominium rerum Ecclesiasticarum.* 16. *q.* 3. *Cap. inter memoratos,* ibi: *Ecclesiæ, cujus est dominium habet*

*Ecclesia & retinet sine aliqua sui imperfectione, quin continet fideles omnes perfectos, & imperfectos.* Et huic Communitati Ecclesiæ Beatus Franciscus, & Fratres ejus se totaliter subjecerunt. Quapropter in principio regulæ signanter posuit, *promitto obedientiam, & reverentiam Domino Papæ Honorio, & ejus successoribus canonice intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ.* Et in fine hujus regulæ dicit. *Ad hæc per obedientiam injungo ministris, ut petant a Domino Papa unum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis, ut semper subjecti & subditi pedibus ejusdem Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Evangelium Domini Nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.* Ex quibus verbis regulæ, & acceptatione, & approbatione ipsius regulæ, quam fecit Sancta Mater Ecclesia Romana, ipsos Fratres specialiter sub sua gubernatione, protectione, & correctione tanquam filios recipiendo, satis claret, quod Ordo Fratrum Minorum quodam peculiari, & speciali jure Curæ, & obedientiæ, ac potestati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ commissus est, & subjectus. Nam licet omnes Christi fideles commissi sint Summo Pontifici per illud verbum Christi: *Pasce Oves meas extra de elect. Cap. Significasti*, & notatur in *di. considerandum.* Tamen certum est, quod alii Fideles possunt de bonis suis secundum jura motu proprio disponere, unde filiorum emancipatorum similitudinem habent, qui possunt de bonis sibi commissis disponere absque Patris assensu. Soli autem Fratres Minores, & Communitas eorumdem ex eorum regula & acceptatione, & approbatione regulæ tanquam parvuli, & filiifamilias, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ regimini, & potestati sunt totaliter deputati, & Curatoris, seu protectoris Cardinalis, quem ipsa S. Romana Ecclesia assignavit eisdem. Ita quod, sicut filius in potestate Patris constitutus proprietatem, & possessionem rei peculiaris non habet, sed Patri per eum acquiritur. Et sicut Servus Domino suo, & Monachus Monasterio res ei oblatas, concessas vel donatas ei acquirit: sic & Fratres minores quicquid eis in speciali, vel in Communi datur, conceditur, vel offertur ad eorum sustentationem etiam ante dictam Decretalem *Exiit*, semper acquirebant, & acquirunt ipsi Ecclesiæ. Et sicut filiusfamilias in rebus peculiaribus, & Servus, & Monachus in omnibus rebus usu consumptibilibus, vel non consumptibilibus habent solummodo usum facti; & proprietas, & possessio ipsarum rerum semper residet penes dominum, sive monasterium: Sic & Fratres minores in omnibus his, & singulis rebus usu consumptibilibus, & non consumptibilibus, quæ eis in speciali, vel in Communi hactenus fuerunt concessæ, etiam ante Decretalem *Exiit*, habuerunt solummodo simplicem facti usum, & dominium in Romanam Ecclesiam transibat: Unde ipsa declaratio non fuit novi Juris institutio, sed ejus quod ante erat, explicatio. Quod bene etiam Dominus Nicolaus III. in dicta declaratione demonstrat, cum dicit, quod *Romanus Pontifex est Pater omnium, & Fratrum minorum nihilominus specialis, cum Patri suo modo filius, & Servus Domino, & Monachus monasterio res sibi oblatas concessas, vel donatas acquirant; omnium utensilium, librorum, ac earum mobilium præsentium, & futurorum, quæ & quorum usum facti scilicet Ordini vel Fratribus ipsis licet habere; proprietatem, & dominium quidem, quod etiam fel. rec. Innocentius Papa IV. Prædecessor noster fecisse dignoscitur, in nos, & Romanam Ecclesiam Apostolica auctoritate recipimus; & ad nos, & ipsam Ecclesiam plene, & libere pertinere sancimus.* Ita quod esto quod ipsa declaratio *Exiit* nunquam facta fuisset, tamen etiam ante, idem jus erat, quia in omnibus rebus concessis vel donatis aut oblatis ipsis Fratribus in speciali, vel in Communi, quarum rerum usum facti habere licite poterant in speciali, vel in Communi, Fratres solummodo usum facti habebant, & Ecclesia Romana proprietatem & dominium: hoc etiam patet per plures ordinationes, declarationes, & determinationes a pluribus Romanis Pontificibus dudum ante dictam Decretalem Domini Nicolai III. editas, atque factas. Nam primo coram Sanctæ memoriæ Domino Gregorio Papa IX. in jure divino, & humano valde perito orta materia quæstionis super eo quod aliqui dicebant, quod proprietas omnium mobilium, quæ dictis Fratribus dabantur, offerebantur, sive concedebantur, pertinebat ad totum Ordinem in Communi. Ipse summus Pontifex visis,* & examinatis verbis dictæ regulæ, & cognoscens plene intentionem Beati Francisci, cujus longam familiaritatem se asserit habuisse, & ejus intentionem plene novisse, dictam quæstionem diffiniendo in quadam sua declaratione, quam super dictam Regulam fecit, quæ incipit. *Quo elongati a sæculo*, dicit in hæc verba. *Cum ex longa familiaritate, quam idem Confessor nobiscum habuit, plenius noverimus intentionem ejus, & in condendo dictam regulam, & in obtinendo ipsius confirmationem per sedem Apostolicam, sibi astiterimus, dum adhuc essemus in minori officio constituti.* Et infra. *Et cum in ipsa regula contineatur expresse quod Fratres sibi nihil approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; ac ipsi processu temporis contaminari timeant Ordinis paupertatem, præsertim, cum dixerint aliqui proprietatem mobilium pertinere ad totum Ordinem in communi. Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in hoc Animarum dignaremur periculis providere, & totius Ordinis puritati. Dicimus itaque, quod neque in Communi, neque in speciali debent proprietatem habere; sed utensilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, Ordo usum habeat, & Fratres secundum quod Generalis, vel Provinciales Ministri disponendum duxerint, his utantur, salvo locorum & domorum dominio illis, ad quos noscitur pertinere. Nec vendi debent mobilia vel extra Ordinem commutari, aut alienari, quoquo modo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit Ordinis Gubernator Generalis, seu Provinciales Ministri, auctoritatem super hoc præbuerit, vel assensum*; Hæc verba sapientissimi, & sanctissimi Antistitis, qui fuit paupertatis, & Religionis amator, pacis cultor, & suis statutis & ordinationibus sanctis totam illustravit Ecclesiam, sicut compilatio voluminis Decretalium evidentia manifestat: In quibus verbis duo aperte manifestat: primum quod Fratres in speciali, nec in Communi non habent proprietatem in aliquibus rebus usu consumptibilibus, cum tales res absque dubio sint mobiles, & inter mobilia computentur: Et, quod in eis habent solum usum, ac per consequens quod in eis usus a proprietate, seu dominio separatur. Unde sequitur in Textu, quod *vendi non debeant mobilia, vel extra Ordinem commutari, aut alienari quoquo modo.* Quod dici non potuisset, si in rebus usu consumptibilibus & per consequens mobilibus Fratres in speciali, vel in Communi haberent proprietatem. Quia si hoc esset, certum est quod ea distrahere, & alienare potuissent etiam extra Ordinem cuicumque, ubi a jure non esset prohibitum. *Cap. de Contra. Empt. & vend. L. dudum. & C. de comm. re aliena. L. falso, & C. de donati. L. portionem, & de inde. L. nemo externus*, cum similibus. Nam in re propria quilibet est legitimus moderator, & mandator. *Cap. manda. L. in re mandata.* Secundum est, quod Ecclesia Romanæ de jure omnium prædictorum, quæ Fratribus offeruntur, dantur, vel conceduntur, dominium acquiritur. Nec enim præfatus sapiens antistes insinuasset, quod Fratres possent prædicta vendere, commutare, vel

„ alie-

„ alienare cum auctoritate seu consensu Cardinalis
„ dicti Ordinis Procuratoris, si nullum jus fuisset
„ in eis Romanæ Ecclesiæ acquisitum. Sed consi-
„ derans, quod de jure res omnes quæ conceduntur,
„ tur, dantur, vel offeruntur pauperibus qui se Deo
„ totaliter dedicarunt per renunciationem omnium
„ temporalium, Deo dicuntur, & sunt oblatæ, &
„ consecratæ, ut habetur *Levit. ult.* circa finem.
„ Ipsæ quoque res sunt Christi, & Corporis ejus
„ mystici, scilicet, Ecclesiæ, 12. *q.* 2. *qui Christi*
*& C. nulli liceat, & C. prædia. & C. qui abstule-*
*rit*, & *q.* 3. *Pontifices.* Et plene notatur per *In-*
*nocent. & Hosti. extra de Causa posse.*, & proprie
*C. Cum super electione.* Et ad hoc etiam facit,
„ quod Lex Civilis dicit, res sacras, & religiosas
„ in nullius hominis fore dominio, sed Dei. *Inst.*
*de re divis. C. in nullius*, In Text: & Glos. Et
„ Sancta Catholica Ecclesia est illud Corpus My-
„ sticum Christi, *de Consc. d.* 1. *Ecclesia*, & 7.
*q.* 1. *Cap. Novatianus*; & habetur, & notatur *ex-*
*tra de Sacra unct. C.* 1. ante medium: ibi; qui
„ secundum Apostolum *est Caput Ecclesiæ, quæ*
*est Corpus ejus* Et in *Glos. Hosti.* Et attendens quod
„ Fratres prædicti ex eorum professione, & Eccle-
„ siæ acceptatione erant quasi filii adoptivi Eccle-
„ siæ, habentes protectorem quasi Curatorem, eis
„ per Ecclesiam datum, unum de Sanctæ Roma-
„ næ Ecclesiæ Cardinalibus; Et quod Filius ac-
„ quirit, de jure Patri acquirit, ut dictum est, præ-
„ dicta in ejus declaratione diffinivit, non novum
„ aliquid circa dictam regulam statuendo, sed in-
„ tentionem Conditoris prædictæ regulæ declarando.
„ Certum est enim, quod verba regulæ: *Fratres nihil*
*sibi approprient, nec domum, nec locum, nec ali-*
*quam rem*: Et appropriatio Domorum & locorum,
„ consuevit fieri a Communitate. Primum enim quod
„ quærit Collegium volentium in communi vivere
„ est locus, & Domus in quibus habitent. Singulares
„ Personæ loca, & Domos Communitatis sibi appro-
„ priare non consueverunt. Tum quia jam erat in re-
„ gula superius expressum, quod Fratres omnes vivere
„ debeant sine proprio. Et ideo, si dicta Clausula, scili-
„ cet, *Fratres nihil sibi approprient*, intelligeretur so-
„ lum de singularibus Fratribus, foret ipsa clausula su-
„ perflua, quod dici non debet, quia supradicta clau-
„ sula sic intelligenda est, ut aliquid operetur, &
„ addat. *ff. de usur. L. si stipulatio*, & *ff. de le-*
*gi. L. si quando*, & *ad municip. L.* 1. in fi. &
*XIX. di. si Romanorum XXVIII. q.* 1. Sic enim &
*extra de majo. & obe. Cap. solite.* Tum quia re-
„ gula post prædicta verba, *Fratres nihil sibi appro-*
*prient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*,
„ statim subjungit, *sic tanquam peregrini, & ad-*
*venæ in paupertate, & humilitate Domino famu-*
*lantes vadant pro eleemosina confidenter.* Ex quo
„ patet, quod voluit Fratres suos tanquam peregri-
„ nos, & pauperes, qui peregrinando non habent do-
„ mos, nec loca propria, sed hospitantur in domi-
„ bus alienis, ut pauperes mendicantes. Certum est
„ autem, quod si in communi possent habere ex
„ statu suo, non haberent statum mendicitatis, quia
„ ad sufficientiam vitæ possent habere in Commu-
„ ni, sicut habent Monachi, & Canonici regula-
„ res: Et quod non essent pauperes, & mendici ad
„ instar Christi perfectissime; Unde subiungit: *Nec*
*oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se*
*fecit pauperem in hoc mundo.* Constat autem, quod
„ Christus in hoc mundo non appropriavit sibi nec
„ Domum, nec locum, nec aliquam rem: Unde
„ Matth. 8. dicitur: *Vulpes foveas habent, & volu-*
*cres Cæli nidos; filius autem hominis non habet, ubi*
*Caput suum reclinet.* Super quo verbo Hieronymus
„ in persona Christi loquens adolescenti dicenti, quod
„ volebat eum sequi. *Quid me propter divitias, &*
*sæculi lucra sequi cupis, cum sim tantæ paupertatis,*
*quod nec hospitiolum habeam, & tecto utar alieno:*
„ hoc idem habetur Luc. 9. ubi Chrysostomus:
*Aspice*, inquit, *qualiter paupertatem, quam Domi-*
*nus docuerat, per opera demonstrat; non erat ei men-*
*sa, non Candelabrum, non domus, nec quicquam*
*talium.* Constat autem, quod Christus ivit pro elee-
„ mosina mendicando, sicut faciunt pauperes men-
„ dici: Unde Bernardus in Sermone super illud
„ Lucæ. *Cum factus esset Jesus annorum XII.* di-
cit, *Ut te Domine per omnia nostræ paupertatis con-*
*formares, quasi unus in turba pauperum stipendia*
*per ostia mendicabas. Quis dabit me buccellarum il-*
*larum mendicatarum fieri participem, & illius divi-*
*ni edulii saginari reliquiis.* Hæc Bernardus. Et Psal-
„ mista in persona Christi loquens, ait: *Ego autem*
*mendicus sum, & pauper; Dominus sollicitus est mei:*
„ Tum quia in eadem regula loquens de dicta pau-
„ pertate post prædicta immediate subjungit dicens:
*hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos*
*Carissimos Fratres meos hæredes, & reges Regni*
*Cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus*
*sublimavit; hæc est portio vestra, quæ perducit in*
*terram viventium: Cui dilectissimi totaliter inhæ-*
*rentes nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu*
*Christi in perpetuum habere velitis sub Cælo.* In
„ quibus verbis attendendum est, quod differentia
„ est inter paupertatem altissimam, & celsitudinem
„ altissimæ paupertatis: sicut & aliud est honor, &
„ aliud Culmen honoris *LXIII. di. Si per ordina-*
*tionem.* Quam celsitudinem altissimæ paupertatis,
„ quæ fuit in Christo, & Apostolis, Beatus Fran-
„ ciscus professus est, qua celsitudine nequit gradus
„ altior reperiri; unde super illud Thren. 3. *Ego*
*vir videns paupertatem meam*, Glos. dicit: *licet*
*hoc omnibus convenire videatur, excellentius de*
*Christo intelligitur, in quo sicut excellunt omnia,*
*ita visio ista:* Et infra: *Sicut gloriosior est pauper-*
*tas Christi, ita hæc visio paupertatis profundior,*
*ita tota mentis, & cordis intentione consideranda est;*
*unde beatus qui intelligit super egenum, & paupe-*
*rem: Si enim hæc paupertas communis esset, sensu*
*discerni posset, nec soli intellectui pateret; ideo bea-*
*tus prædicatur qui intelligit. Nunc igitur Christi*
*paupertas prædicatur admiranda, & inquirenda;*
*cum secundum Apostolum Sanctorum altissima pau-*
*pertas, quæ a paucis intelligitur, quanto magis illa*
*quam Angeli admirantur, & de qua intellecta bea-*
*titudo nascitur. Sunt quidem beati pauperes, sed*
*eo spiritu, quo ista paupertas intelligitur; multa*
*enim doctrina eget hic sensus, de quo summus au-*
*ctor gloriatur, & quasi singulares, quod videat, &*
*intelligat, ait, ego vir videns paupertatem meam,*
*quam sponte pro illis suscepi:* hæc Glos. Ex quibus
„ patet, quod paupertas Christi non solum fuit com-
„ muniter altissima cum aliis Sanctis, sed etiam ex-
„ cellentior dicta paupertate Sanctorum; hæc est
„ illa celsitudo paupertatis, quæ nihil juris in rebus
„ temporalibus se habere recognoscens, de aliena
„ largitate sustentat vitam suam, de qua in colla-
„ tionibus Sanctorum Patrum *Coll.* x. dicitur sic:
*Revera, quæ major, aut Sanctior potest esse pau-*
*pertas, quam illius, qui nihil præsidii, nihil juris*
*se habere cognoscens de aliena largitate quotidianum*
*poscit auxilium, & vitam suam, atque substantiam*
*singulis quibusque momentis divina ope intelligens*
*sustentari; verum se mendicum non immerito profi-*
*tetur*: hæc ibi: hanc celsitudinem paupertatis altis-
„ simæ Christus Apostolos docuit Math. X. ibi:
*Nolite possidere aurum, neque argentum, neque*
*pecuniam, non aurum in Zonis, non peram in via,*
*neque duas Tunicas, neque calceamenta:* Ubi Eu-
„ sebius dicit sic: *Prohibebat autem eis, scilicet,*
*Christus Apostolis, auri, & Æris possessionem, præ-*
*cipiens, ut nec peram, nec baculum, nec calceamen-*
*ta, nec geminas tunicas, imo nec panem, nec ar-*
*gentum portare deberent, qui ad alienas partes de-*
*bebant transmitti, sumens experimentum fidei, &*
*animositatis eorum. Si quidem habito in mandatis*
*vitam extremæ ducere paupertatis, ut nec de diurno*
*nutrimento, nec binas tunicas possiderent, nec ute-*
*rentur calceamentis, sicque totum mundum circui-*
*rent,*

*runt*. Et ſequitur, *putabat* inquit, *oportere conductos arrhabones Regni Dei, nec quicquam eorum, quæ monachales appreciantur, condignum æſtimare debere dictis ſibi cæleſtibus operibus*. Hæc Euſebius: per quæ ,, patet, quod paupertas altiſſima quam Chriſtus Apoſtolos ſuos docuit, fuit nihil habere in proprio, nec in communi, videlicet per hoc quod dicit ipſos Apoſtolos in mandatis habuiſſe vitam extremæ ducere paupertatis, nec quicquam eorum quæ monachales appreciantur eos condignum æſtimare debere. Nam cum monachales communiter dicuntur illi, qui nihil habent in proprio, habent tamen in Communitate proprietates rerum, & dominia. Quod autem hæc Apoſtoli non haberent, ſed vitam ducerent paupertatis extremæ; Sequitur quod altiſſima paupertas Chriſti & Apoſtolorum fuit nihil habere in proprio, nec in communi. Quod autem eandem paupertatem tenuerit, & ſervaverit quam Apoſtolos docuit, patet ex prædicta Gloſ. Et ex eo quod dicit Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium. = Non poterat habere Dominus quod prohibuerat in ſuis. = Et hæc eſt illa celſitudo paupertatis quam Chriſtus Beato Franciſco, & eum ſequi volentibus inſpiravit, de qua dicit in regula. *Quod Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tanquam peregrini, & advenæ in paupertate, & humilitate Domino famulantes vadant pro eleemoſina confidenter, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo*. Certum eſt enim quod ſi ,, Fratres poſſent habere proprietates, & dominia rerum mobilium, & immobilium in commomi, & proprietates rerum uſu conſumptibilium, quod nimis ridiculum foret dicere, quod talis foret celſitudo altiſſimæ paupertatis. Liquet igitur ex prædictis, quod prædictus Sanctiſſimus, & Sapientiſſimus Anniſtes Dominus Gregorius IX. declarando verba dictæ regulæ, *Fratres nihil ſibi approprient nec Domum, nec locum, nec aliquam rem* debere ,, intelligi, quod nec in proprio, nec in Communi debent proprietatem aliquarum rerum mobilium, vel immobilium habere: Et quod non debent vendi mobilia, vel extra Ordinem commutari aut alienari quoquo modo; niſi Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit Ordinis Gubernator generalis, ſeu Provincialis Miniſter ſuper hoc authoritatem præbuerit vel aſſenſum, non ſtatuit aliquid novum; ſed intellectum quem habuit Beatus Franciſcus, & ſenſum verborum dictæ Regulæ, qui ex intellectu vero colligitur evidenter ipſorum verborum explicavit: ac per hoc ſequitur manifeſte quod dicta ordinatio Domini Nicolai III. quæ idem declaravit & dixit, quod dictus Dominus Gregorius IX. non fuit nociva Fratribus, nec in Eccleſiæ præjudicium, injuriam, vel vituperium redundavit: Et quod dominium per Eccleſiam receptum non fuit, nec eſt nudum, verbale, ænigmaticum, & ſimulatum, ſicut dictus hæreticus dogmatizat. De hujuſmodi etiam abdicatione proprietatis omnium rerum in Communi, & in ſpeciali quo ad ſtatum perfectionis obtineat, patet per illud quod Sanctiſſimus idem Pater, Dominuſque Gregorius Nonus *extra de Exce. prælat. C. nimis antiqua*, & *C. nimis prava*, teſtatur dicens: ,, quod Fratres Minores in altiſſima paupertate Chriſto pauperi famulantur, adiiciens etiam, quod eorum Ordinem, & regulam Sedes Apoſtolica dicitur approbaſſe: ubi *Dominus Hoſti. in apparatu* ſuo dicit, & probat; quod qui ipſorum ſtatum improbat, quem Eccleſia approbat, hæretici ſunt cenſendi. Quas Decretales Dominus Gregorius IX. in corpore decretalium poſuit, & Sancta Romana Eccleſia recepit, & approbavit. Ex quo patet, quod dicta Eccleſia tenuit, & approbavit dictum ſtatum Ordinis Minorum carentem proprietate omnium rerum mobilium, & immobilium in ſpeciali, & in communi, & habentem ſolummodo in omnibus rebus eis conceſſis ſimplicem facti uſum. Quæ etiam propter hujuſmodi proprietatis, & dominii carentiam aſſerit, quod Chriſto pauperi in paupertate altiſſima Fratres ipſius Ordinis famulantur; & per conſequens ex carentia hujuſmodi proprietatis, & dominii ſequitur, quod profeſſores ipſius ſtatus ſunt pauperiores, & in ſtatu perfectiori, quam habentes proprietates, & dominia rerum in Communi: Et quod eorum ſtatus eſt verus, realis, & valde meritorius apud Deum: unde & in Decretali præfata quæ incipit, *Nimis iniqua* in parte deciſa dicitur ſic. *Nimis iniqua viciſſitudine largitori bonorum omnium reſpondetur: dum hii qui Chriſti Patrimonio impinguati luxuriantur damnabiliter in eodem; Chriſtum patenter in ſuis famulis perſequi non verentur, ac ſi factus ſit impotens Dominus ultionum. Cum igitur dilecti Filii Fratres Minores abnegantes ſalubriter ſemetipſos elegerint in altiſſima paupertate Chriſto pauperi ad placitum famulari tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, non deſunt plerique tam Prælati Eccleſiarum, quam alii, qui cæca cupiditate traducti ipſorum quietem multipliciter inquietant:* hæc in decretali, unde prædicta fuit deciſa. Quæ bene poſſunt contra prædictum Dominum Joannem adaptari; qui ad damnationis ſuæ cumulum Chriſtum, & vitam ejus in Sancto Franciſco Chriſti ſtigmatibus mirabiliter inſignito, & Fratribus ejus perſecutus eſt, & perſequitur, & reprobare viſus eſt, & nititur quantum poteſt aſſerendo in dicta ſua Conſtitutione *Ad Conditorem*, dictam abdicationem, ſive Carentiam proprietatis, & dominii quantum ad ſtatum perfectionis dictis Fratribus nequaquam profuiſſe, ſed potius tam ipſis Fratribus, quam multis aliis obfuiſſe; Et quod Fratres ex hujuſmodi carentia dominii non poſſunt ſe dicere pauperiores, quam ſi ipſi ſtes cum illo quo ſe dicunt carere dominio retinerent. Et quod hujuſmodi carentia dominii pauperiorem non efficit non habentem. Et quod talis carentia dominii eſt verbalis, ænigmatica, & ſimulata. Nec obviat prædictis, quod idem Dominus Ioannes in alio ſuo hæreticali ſtatuto, quod incipit: *Quia quorundam* dicit, quod dicta Decretalis *de Exceſſ. Prælat.* expreſſe aſſerit, *Fratres Prædicatores, & Minores in altiſſima paupertate Chriſto pauperi famulari*. Et tamen, ut dicit, conſtat ipſos Prædicatores aliqua in communi, etiam quo ad proprietatem habere, quod eorum, ut dicit, regulæ & ſtatui non repugnat. Adiiciens etiam, quod Dominus Alexander Papa IV. in condemnatione libelli contra ſtatum Prædicatorum & Minorum editi ſenſiſſe videtur: In quo, ut dicit, loquendo de dictis Fratribus quæ ſequuntur adiunxit: *Cum inſuper iidem Fratres omnia reliquerint propter Deum, exilia vitæ ſubſidia mendicantes, ipſum quoque Chriſtum imitentur pauperem, perfectionem evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet eos non ſolum in ſtatu ſalvandorum exiſtere, ſed etiam perfectorum, & per ſuæ religionis obſervantiam quæ quidem ipſius perfectionis Evangelicæ tenet formam in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri.*

,, Ubi dicit: *Prædicatores Chriſtum pauperem imitari, ipſoſque perfectionem Evangelicam, amplexari, & in ſtatu exiſtere perfectorum: Et tamen conſtat ipſos Prædicatores habere poſſe etiam quo ad proprietatem aliqua juxta eorum regulam in Communi:* hæc verba ipſius hæreticalis ſtatuti. Ex ,, quibus idem Dominus Ioannes videtur velle dictam ſuam hæreſim, quam in prædicta ſua Conſtitutione *ad Conditorem* tradidit, & inſerui defenſare. Ex hoc argumentando, quod carentia proprietatis omnium rerum in communi nihil facit ad perfectionem, nec ad paupertatem altiſſimam aliquid ſuperaddit, cum Prædicatores habeant altiſſimam paupertatem: & tamen habent, & habere poſſunt ſecundum eorum regulam aliqua, quo etiam ad proprietatem, & dominium in Communi. Et vere oppoſitio ſæpedicti hæretici non ob-

,, viat

viat supradictis, sed potius opponentem de hæresi arguit, & convincit. Quia paupertas altissima duobus modis accipitur: uno modo respective sive secundum quid, alio modo simpliciter, sive absolute, & antonomastice. Primo modo respective, sive secundum quid paupertas prædicatorum est paupertas altissima. Nam licet eorum regula, quæ est Sancti Augustini, admittat, quod professores ipsius regulæ habere possint ad sufficientiam in communi, sic quoque ex statu ipsius regulæ Sancti Augustini non essent mendicantes. Tamen quia Sanctus Dominicus paupertatis amicus ex statuto, ad cujus observantiam Fratres Prædicatores sunt astricti, decrevit, quod ipsi Fratres non haberent possessiones, nec redditus perpetuos, ex quibus possent absque mendicatione in abundantia, & sufficientia ducere vitam suam; Et imprecatus est maledictionem æternam, possessiones, & redditus perpetuos in Ordinem suum introducentibus, & voluit quod statum mendicantium obtinerent: onde Ecclesia eos de Ordine mendicantium appellat, *Extra de Religi. do. C. religio*: Idcirco respectu aliorum Ordinum qui habent, & habere possunt ad sufficientiam in Communi; nec ex regula, seu statuto habent statum mendicitatis, eorum paupertas altissima nuncupatur. Sicut & altissima paupertas respective, sive secundum quid dicitur illa paupertas Sanctorum de Macedonia, qui cum pauperes essent rebus, tamen abundanter de rebus quas habuerunt, dederunt eleemosinam, de quibus dicitur 2. *ad Corinthios* 8. *Et altissima paupertas eorum abundavit in delitias simplicitatis eorum*; ubi dicit Glos. *altissima* idest *magna*, vel *nobilissima*, *abundavit*, idest *major facta est*, *dum tendit divitias dare*, *quia cum pauperes essent*, *abundanter dederunt*. Ex quibus patet, quod illi, quorum ibi paupertas altissima dicitur, bona temporalia, de quibus abundanter fecerant eleemosinam, obtinebant; unde non fuit altissima paupertas illorum sicut Christi, ut patet in præalleg. *Glos. or.* super illud Thren. 3. nec sicut fuit paupertas Apostolorum, de qua dicit Hieronymus in Epistola ad Exuberantium. *Nemo Apostolis pauperior fuit*, *nemo tantum pro Domino dereliquit*. Secundo modo dicitur paupertas altissima simpliciter, & absolute, & antonomastice, qua nulla altior reperitur sicut fuit paupertas Christi, & Apostolorum, quia nihil habuerunt jure proprietatis, & dominii in speciali, nec in Communi, sicut probant authoritates superius introductæ. Et Sancta Romana Ecclesia determinat, & diffinit in sæpedicta Decretali *Exiit* §. *Porro*. Et hanc Fratres minores sunt professi, quam Sanctus Franciscus in dicta sua regula a Spiritu Sancto inspirata vocat *celsitudinem altissimæ paupertatis*; & talem altissimam paupertatem idem Sanctissimus Papa Dominus Gregorius IX. qui dictas Decretales, *nimis iniqua*, & *nimis prava* edidit, in dicta sua declaratione quam super regulam Fratrum minorum fecit, quæ incipit, *quomodo elongati* testatur, esse paupertatem Fratrum minorum, dicens, quod Fratres minores, nec in speciali, nec in Communi debent secundum eorum regulam, & professionem habere. Et ideo arguere, & dicere sicut arguit, & dicit hæreticus antedictus dicens, quod habere in Communi etiam quo ad proprietatem aliqua non derogat altissimæ paupertati, de qua prædictæ Decretales, *nimis iniqua*, & *nimis prava*, intelliguntur, falsum, & erroneum est, intelligendo quod non derogat altissimæ paupertati, quam Fratres minores ex sua regula profitentur, & expressæ veritati, & prædictæ declarationi ipsius Domini Gregorii IX. & determinationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ contradicit. Intelligendo autem quod non derogat illi altissimæ paupertati, ad quam Fratres Prædicatores ex statuto, sive Decreto Sancti Dominici sunt astricti, posset dictum hujusmodi sustineri: Sed intentio loquentis, sicut patet ex dictis suis, & superius est ostensum, ex dicta Decretali Domini Gregorii IX. fuit velle concludere, quod carentia proprietatis omnium rerum temporalium in Communi ad perfectionem paupertatis Evangelicæ nihil facit, quod est hæreticum, & insanum, & vitæ Christi, & Apostolorum, & determinationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ manifeste obviat, & repugnat: Hanc etiam differentiam inter paupertatem Fratrum Prædicatorum & minorum cognovit, & dixit fel. rec. Dominus Benedictus Papa XI. qui fuit de Ordine Fratrum Prædicatorum, in quadam Decretali, quam fecit, quæ incipit. *Inter cunctas*, ubi loquens de paupertate Fratrum Prædicatorum, & Minorum dicit in hæc verba: *Circa tertium articulum diligenter attendant, scilicet Prælati, quod sunt pauperes, scilicet, Fratres Prædicatores, & Minores, nihil habentes in speciali, nec in communi rustica prædia, nec urbana, vel mobilia, eorum alteri*, scilicet Minores. Ex quibus verbis patet, quod solum alteri eorum non habent in communi etiam mobilia; quod non potest nisi ad Ordinem Minorum referri. Insuper quod carentiam, sive abdicationem proprietatis, & dominii omnium rerum mobilium, & immobilium quarumcunque tam in speciali, quam in Communi ex professione dictæ regulæ habeant dicti Fratres: Et quod ad statum Evangelicæ perfectionis pertineat, & quod ex tali carentia proprietatis Fratres censeantur pauperiores: & quod ipsa abdicatio proprietatis sit realis, vera, & meritoria apud Deum, & æternæ retributionis præcellentem gloriam mereatur: Et quod Fratres prædicti in omnibus rebus, quæ eis conceduntur, dantur, vel offeruntur habeant tantummodo simplicem facti usum, omni proprietate, & Dominio, & jure proprio denudatum: Et quod proprietas, & dominium omnium rerum etiam ante ordinationem prædictam, sive Decretalem *Exiit* semper ad Romanam Ecclesiam expectaverit non solum ex prædictis, sed etiam ex multis aliis determinationibus, & diffinitionibus Sanctorum Summorum Pontificum, & totius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ostenditur evidenter. Nam fel. rec. Dominus Innocentius IV. Lucerna juris & Sanctus Alexander IX. in Sacra Pagina, & in experientia, & doctrina veræ religionis præcipuus, duas Decretales diversis temporibus super Regolam Fratrum minorum antedictam successive fecerunt, & verba præfatæ regulæ, & intentionem ipsorum verborum exponendo, & declarando in duabus ipsorum summorum Pontificum declarationibus sic dicunt. *Dicimus, quod cum in ipsa regula contineatur expresse, quod fratres nihil sibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem, nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere, sed locorum, & domorum, ac utensilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, Ordo usum habeat, & Fratres secundum quod Generalis, & Provinciales ministri dispensandum duxerint, his utantur, nec vendi debeant loca, Domus, vel mobilia hujusmodi, seu extra Ordinem commutari, vel alienari quoquo modo a quibuscumque personis ad usum Fratrum donata, vendita, permutata, seu quocumque justo modo concessa, vel translata sunt, vel fuerint, nisi Apostolica sedes, vel Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui pro tempore fuerit Ordinis gubernator, Generalis, seu Provincialibus ministris auctoritatem super hoc præbuerit, vel assensum, cum tam mobilium quam immobilium hujusmodi jus, proprietas, & dominium, illis solis exceptis in quibus expresse donatores seu translatores sibi proprietatem, & dominium reservasse constiterit, nullo medio ad Ecclesiam ipsam spectent, cui soli Fratres domos, & loca prædicta cum Ecclesiis prædictis cæterisque suis pertinentiis, quæ omnia in jus, & proprietatem Beati Petri suscepi-*

*scepimus omnino tam in spiritualibus, quam in temporalibus immediate subesse noscuntur. De vilibus autem mobilibus, & parum valentibus liceat Fratribus pietatis, seu devotionis intuitu, vel alia honesta, & rationabili Causa obtenta super hoc prius superiorum suorum licentia, intra, & extra Ordinem aliis elargiri:* hæc verba duarum declarationum „ per dictos Romanos Pontifices super dicta Regula „ diversis temporibus successive factarum, quarum „ quælibet incipit: *Ordinem vestrum*. Ex quibus ver„ bis dictarum declarationum tria patent: Primum „ quod ex verbis, & sententia verborum Regulæ „ prædictæ, & ejus professione Fratres dicti Ordinis, „ nec in communi, nec in speciali habent proprieta„ tem alicujus rei immobilis, vel mobilis, seu con„ sumptibilis usu, vel non consumptibilis: Et quod „ in omnibus rebus, quas eis licet habere, habent so„ lum usum. Nam dicunt, *nec in speciali nec in communi proprietatem habere debent*: Et hoc arguunt so„ re ex verbis ipsius regulæ, *Fratres sibi nihil approprient, sed locorum, domorum, & utensilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, Ordo usum habeat*. Ex quibus patet, quod ex professione „ dictæ regulæ Fratres nec in speciali nec in com„ muni habent aliquam proprietatem in aliquibus re„ bus, sed solum usum. Et ex Clausula illa, & *eorum mobilium*, patet, quod habent solum usum „ de omnibus aliis mobilibus, quorum usum Fra„ tribus licet habere, quæ maxime sunt illa quæ „ consumuntur usu, pauca enim sunt aliqua mo„ bilia, quæ non sunt libri, vel librorum nomine „ contineantur; vel utensilia, sive utensilium nomi„ ne comprehendantur, quibus liceat Fratribus uti, „ quæ non sunt usu consumptibilia, sive inter usu „ consumptibilia non computentur; unde illa inde„ finita, & *eorum mobilium* adiecta præcedentibus „ mobilibus numeratis, & specificatis, ad omnia „ mobilia etiam usu consumptibilia est referenda. *extra de Coniug. lepro. C. 2. in Text. & Gloss. & 19 di. Si Romanorum*. Nam Clausula indefi„ nita sive generalis non pertinet ad ea, de quibus „ jam specialiter tactum est, sive provisum, sed „ alia complectitur *ff. de verbor. signif. l. doli Causa*. Secundum quod habetur ex dictis declara„ tionibus est, quod in omnibus rebus, quæ ad u„ sum fratrum donantur, offeruntur, vel conceduu„ tur, jus, proprietas & dominium ipso facto acqui„ ritur Ecclesiæ Romanæ, nisi cum donatores, vel „ translatores expressè sibi in eis proprietatem, seu „ dominium reservarent: Cum dictæ declarationes „ dicant, quod ipsarum rerum jus, proprietas, & „ dominium ad Romanam Ecclesiam nullo modo „ spectant. Et quod non debent res vendi absque „ auctoritate, vel consensu Apostolicæ Sedis, vel „ Procuratoris per dictam Sedem Ordini deputati, „ quod non esset, nisi quia jus proprietas, & do„ minium ipsarum rerum Ecclesiæ acquiritur, & ad „ eam spectat, & pertinet pleno jure. Tertium est, „ quod jus, proprietas, & dominium omnium re„ rum mobilium, vilium, sive parum valentium, „ quæ prædictis Fratribus conceduntur, vel offe„ runtur, ita acquiritur Ecclesiæ, sicut rerum mo„ bilium pretiosarum, sive magni valoris: & quod „ Fratres in speciali vel in Communi, etiamsi ipsis „ vilibus nullum habent jus, nec proprietatem, nec „ dominium. Quod patet etiam ex eo quod dicti „ Pontifices concedunt licentiam Fratribus, ut de „ rebus mobilibus vilibus, seu parum valentibus pos„ sint ex causa rationabili, & habita licentia Supe„ riorum extra Ordinem elargiri. Ex quo patet, „ quod de vilibus vel parum valentibus Fratres, „ Prælati, vel subditi nec in speciali, nec in Com„ muni possent prædicta facere, nisi eis foret hu„ jusmodi licentia ab Apostolica Sede concessa; quod „ nullo modo dici possit si in ipsis rebus vilibus „ Fratres, Prælati, vel subditi in speciali, vel in „ communi haberent jus, sive proprietatem, seu „ dominium: quia si hoc haberent possent de his „ disponere, & facere, sicut alii rerum domini, & „ habentes jus in rebus facere possunt, ut dicunt „ jura superius allegata. Et per hoc etiam con„ funditur illud fantasticum, & insanum dictum, „ quod dictus Dominus Joannes in dicta constitu„ tione *ad conditorem* asserit imprudenter tamquam „ ignarus loquens de Domino Nicolao Papa III. „ & Decretali ipsius *Exiit*, dicit in hæc verba. *Quis enim sanæ mentis credere poterit, quod fuerit intentio tanti Patris, unius ovi, seu Casei, aut frusti panis, & aliorum usu consumptibilium, quæ sæpe Fratribus ipsis ad consumendum exestigio conferuntur, Dominium Romanæ Ecclesiæ retinere, & usum Fratribus remanere: profecto probabile non videtur, præsertim cum illorum bonorum dumtaxat dominium præfatæ Ecclesiæ reservaverit, quorum simplex facti usus potest ad Fratres dicti Ordinis pertinere. Quod nequaquam potest in rebus usu consumptibilibus reperiri, in quibus nec jus utendi, nec usus facti separata a rei proprietate seu dominio possunt constitui, vel haberi:* hæc verba hæretici sæpe„ dicti. Quæ quidem verba expresse contradicunt „ verbis ipsius Domini Nicolai Tertii in dicta De„ claratione *Exiit* explicatis, in qua in §. *Quia vero dominium* dicit sic. *De vilibus autem mobilibus vel parum valentibus liceat ex præsenti nostra concessione Fratribus, pietatis, vel devotionis, vel pro alia honesta, & rationabili causa, obtenta super hoc prius superiorum suorum licentia, intra, vel extra Ordinem aliis elargiri*. Ex quibus patet, quod „ omnium rerum quantumcumque vilium, vel pa„ rum valentium, quæ Fratribus afferuntur, jus, „ proprietas, & dominium Ecclesiæ acquiritur. Si „ enim Fratribus in speciali, vel in Communi ta„ lium rerum jus, proprietas, & dominium acqui„ reretur, potuissent absque hujusmodi Papæ, vel „ Sedis Apostolicæ licentia speciali, seu concessio„ ne, auctoritate propria disponere, sicut alii religio„ si de talibus & similibus disponunt, cum in re„ bus propriis quilibet sit moderator, arbiter legi„ timus, ut patet in juribus superius allegatis. Quod „ autem dictus Dominus Nicolaus III. in dicta „ Decretali manifeste declaret, quod Fratres etiam „ in rebus usu consumptibilibus habent solummo„ do simplicem facti usum absque proprietate, & „ dominio, & jure utendi in superioribus alle„ gationibus plenissime continetur. In quibus etiam „ ostenditur, quod contrarium dicere, vel sentire „ est hæreticum, & vitæ Christi, & Apostolorum, „ & omnium Sanctorum Religiosorum, qui hacte„ nus fuerunt, blasphemum. Quia ex hoc sequere„ tur, quod Christus in his quæ leguntur ad usum „ suum specialiter habuisse, quæ usu consumptibilia „ fuisse constat, fuisset proprietarius: Et quod omnes „ Apostoli, & omnes Sancti Religiosi in omnibus „ rebus usu consumptibilibus, quarum usum habue„ runt, fuissent proprietarii, quod est hæreticum, & „ blasphemum, prout satis superius est ostensum. „ Et §. I. & IX. loquendo, oppositum ejus quod „ dictus hæreticus in dicta sua Constitutione, *Ad Conditorem* invective asserit, dici potest. Quis „ enim Catholicus sanæ mentis habens notitiam sta„ tus Religionis negaret, quod quicquid parvum, „ vel magnum, vile, vel pretiosum, usu consum„ ptibile, vel non consumptibile acquirit filius ex pe„ culio profectitio acquirit Patri: Et quicquid acqui„ rit servus acquirit Domino suo; & quicquid acquirit „ monachus monasterio suo; & quicquid acquirit Fra„ ter minor in specie acquirit Ecclesiæ. Certe nullus „ Catholicus sanæ mentis, & peritus, qui vidisset, „ legisset, & intellexisset declarationes & determina„ tiones, quas fecit Romana Ecclesia, & ordinavit „ super prædictis diversis temporibus successive, hæc „ negare præsumeret modo aliquo, vel tentaret. „ Quæ enim improbabilitas, vel incongruitas ab ali„ quo Catholico dici potest, si Sancta mater Ec„ clesia, & Summus Pontifex Pater omnium Chri„ stianorum, & Fratrum Minorum nihilominus spe-

„ cia-

cialis pro filiis suis parvulis in ejus potestate constitutis, alendis, & fovendis dominium retinet minimarum rerum, & parvi valoris, & usum simplicem facti dimittit filiis suis. Cum ipse Dominus cujus *est terra, & plenitudo, Orbis terrarum & universi, qui habitant in eo*, dominium pomorum, & fructuum retinesr, & usum ministris suis concedat, sicut patet in duabus conjunctis auctoritatibus superius allegatis, Levit. *ult.* & num. 18. Item non nisi ab homine insano, & excæcato, nec intelligente dictam Decretalem Domini Nicolai Papæ Tertii procedere potuisset dicere, quod non fuit intentio tanti Patris unius ovi, seu Casei, aut frusti Panis, & aliorum usu consumptibilium dominium Romanæ Ecclesiæ reservare, & usum Fratribus remanere. Cum etiam Decretalis expresse dicat, quod eum aliquid propter Deum ipsis Fratribus offertur, conceditur, vel donatur, ea si secus non exprimat afferentis, vel concedentis verisimiliter fuisse credatur intentio, ut rem oblatam concessam, vel donatam profecto concedat, donet, offerat, a se abdicet, ac in alios transferre cupiat propter Deum, sicut quando conceduut Fratribus. Nec sit persona in quam loco Dei congruentius hujusmodi rei dominium transferatur, quam Sedes præfata, vel persona Romani Pontificis Christi Vicarii &c. Sed certissimum est, quod ita verisimile est, & verisimilius quod offerentes ova Fratribus, caseos, vel panem, & res alias usu consumptibiles intendant ea, & proprietatem, & dominium earum a se abdicare, & in alios transferre propter Deum, sicut quando concedunt Fratribus domos, vel libros, aut res alias non consumptibiles usu: Ergo patet quod ipsius Domini Nicolai fuit intentio talium rerum usu consumptibilium dominium Ecclesiæ retinere. Insuper eum in eadem declaratione idem Dominus Nicolaus dicat, rerum necessariarum ad vitæ sustentationem usum simplicem facti Fratribus fore concessum, & professionem dictæ regulæ a se omnium rerum abdicare dominium, & necessario usu fore contentam: Et constet quod res illæ, quæ usu consumuntur spectantes ad cibum, potum, & vestimentum pertinent necessario ad vitæ sustentationem, quia sine ipsis corpus humanum sustentari non potest *ff. de ali. & Cibo. l. legatis*, & *L. ultima*; patet ergo, & sequitur quod ipsius Domini Nicolai Papæ fuit intentio panis, & vini, ovorum, & caseorum, & aliorum usu consumptibilium dominium Romanæ Ecclesiæ reservare, & simplicem usum facti in ipsis rebus usu consumptibilibus Fratribus remanere. Adhoc ad propositum redeundo, ostenditur, quod etiam ante dictam declarationem Domini Nicolai III. Ecclesia Romana habebat proprietatem, & dominium omnium rerum, quæ Fratribus dictæ regulæ professoribus afferebantur, dabantur, vel concedebantur; Et quod Fratres ex suæ regulæ professione habebant in ipsis rebus solummodo simplicem facti usum. Nam non solum præfati Domini Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Romani Pontifices in prædictis declarationibus per eos editis super regulam antedictam prædicta dicunt: sed etiam San. Mem. Dominus Clemens Papa IX. vir utique in jure Divino, & humano supremus, & Spiritu Dei plenus; & felic. record. Dominus Gregorius X. in suis litteris, & rescriptis expresse dicunt, quod Fratres dicti Ordinis ex professione dictæ regulæ, nec in communi, nec in speciali proprietatem alicujus rei habere volunt, sed ubi donatores, vel Collatores quorumcumque bonorum ipsis Fratribus concessorum sibi in eis dominium non reservaruut, dominium eorum immediate ad Romanam Ecclesiam pertinet. Et etiam in quadam littera, seu rescripto præfati Gregorii X, dicitur sic: *Ordo Fratrum minorum humilitati deditus paupertatis, & rem, & nomen proprietatis abjecit; & quicquid ei obvenire dignoscitur ipso facto in nostrum, & Ecclesiæ Romanæ dominium transire perhibetur; unde ergo in locis, quæ ad prosecutionem divini Cultus inhabitant, sic occupationis injuriam patiuntur; nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ injuria hujusmodi specialiter irrogatur*: hæc verba dicti principalis rescripti. In quibus duo notantur: Primum quod dicit, quod Ordo rem, & nomen proprietatis abjecit; quod non esset verum, si in rebus usu consumptibilibus proprietatem, & dominium retineret. Secundum quod dicit, quicquid ei obvenire dignoscitur, ipso facto in nostrum, & Romanæ Ecclesiæ transit dominium; per quod patet quod quicquid sit illud, sive usu consumptibile, sive non consumptibile, quia qui quicquid dixit, nihil excepit; quasi dicat non ex Constitutione principis dumtaxat sed ipso facto, ex natura talis professionis tantum sit in Romanam Ecclesiam, sicut quicquid obvenit monacho, ipso facto transit in monasterium ratione professionis ordinis monachalis. Quod autem hujusmodi Carentia seu abdicatio proprietatis, & dominii omnium rerum fuerit, & sit fructuosa, & multum meritoria apud Deum, & ad Evangelicam perfectionem spectet, Sancta Romana Ecclesia pronunciavit, & diffinivit, dudum etiam ante dictam decretalem Domini Nicolai: Nam apud Sedem Apostolicam tempore Domini Aleasndri Papæ IV. querela delata super eo quod nonnulli magni linguas suas laxabant contra dictum statum Fratrum minorum, & expropriationem hujusmodi omnium rerum ipsam non esse meritoriam asserentes. Idem Dominus Alexander eam magno, & maturo consilio pronunciavit in hæc verba. *Cum insuper iidem Fratres omnia reliquerint propter Deum, exilia vitæ subsidia mendienntes, Christumque pauperem imitentur, perfectionem Evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet eos non solum in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suæ religionis observantiam quæ quidem ipsius perfectionis Evangelicæ tenet formam in æterna retributionis præmio præcellentem gloriam promereri. Volumus, & per Apostolica scripta mandamus quatenus singuli vestrum, scilicet, Prælatorum, omnes magistros, Doctores, & alios qui sive in scholis, sive in prædicationibus seu alibi contra præmissa, seu aliquod præmissorum attentaverint, vel in posterum attentabunt, ex parte nostra monere studeatis, ut infra certum terminum præfigendum eisdem dictum usum publice revocent male se dixisse fatentes. Illa quoque detestentur penitus, & revocent asserendo contrarium, & illud etiam fideliter prædicando*: & infra: *Nos nihilominus auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quisquam præmissa, scilicet, contra dictum fiatum prolata, vel aliquod præmissorum pertinaciter astruere, vel quomodolibet defensare præsumat. Quicumque vero illud præsumpserit, tamquam contumax, & Ecclesiæ Romanæ rebellis, ab omnibus fidelibus habeatur*: hæc verba diffinitionis Apostolicæ Sedis, quæ ponuntur in rescripto Apostolico præfati Domini Alexandri IV. quod incipit: *Non sine multa cordis amaritudine*. In quibus verbis apertissime patet, quod talis Carentia dominii, & proprietatis in omnibus rebus tam in speciali, quam in communi, quam faciunt dicti Fratres, est multum meritoria, & quod perfectionis Evangelicæ tenet formam. Præfatus etiam Dominus Gregorius X. in generali Concilio Lugdunensi, ipso approbante Concilio dictorum Fratrum minorum ordinem, ex quo evidens utilitas Ecclesiæ proveniebat universali, approbavit. Quod Concilium est in corpore juris clausum *extra de religio. do. religiosorum lib.* 6. & ab universali Ecclesia acceptum. Ex quibus declarationibus, diffinitionibus, decretalibus, & statutis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dudum ante dictam decretalem Domini Nicolai III. factis, & ab Universali Ecclesia receptis clare liquet, quod illud quando Dominus

Nicolaus III. in dicta sua declaratione dixit de abdicatione proprietatis, & dominii omnium rerum tam in speciali, quam in Communi, quæ ex professione dictæ regulæ fit a Fratribus Minoribus, & de retentione dominii in Ecclesiam Romanam: & de hujusmodi vitæ, & professionis perfectione, utilitate, & merito, non dixit quasi aliquid novum statuendo, sed quod erat a suis prædecessoribus Romanis Pontificibus doctrinæ, & vitæ Evangelicæ, & Apostolicæ, & Sanctorum Doctorum & Patrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatibus, & divinis testimoniis innitentibus dictum, diffinitum, & approbatum prosequendo, & per solemnem decretalem legendam publice in scholis in notitiam publicam omnium fidelium Christianorum deducendo. Quamvis autem ille qui declarat, sive in publicam notitiam deducit, quod latebat, non dicatur in rei veritate novum facere, sed quod erat explicare, ostendere, sive detegere *ff. de acquir. rer. do. L. adeo §. cum quis, & ff. de testamen. L. heredes*, palam tamen opinione, credulitate, & apparentia exteriori dicitur facere usum, ut probat Hieronymus, & Beda super illud Matth. 14. *Et contristatus est Rex:* Et ad hoc facit quod secundum Augustinum regula frequens in divinis Scripturis habetur, ut illud dicatur fieri incipere, quod incipit innotescere; juxta quod Matth. *ult.* dicitur. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terra:* & illud *Philip.* 2. *propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Non enim Pater tunc dedit omnipotentiam filio, & nomen de novo Divinitatis, sed ita dictum est, quia tunc post resurrectionem suam incepit hominibus innotescere fore datam, sicut dicit Sanctus Remigius super illud *propter quod, & Deus*; Et in multis aliis exemplis juris Divini, & humani potest hoc faciliter reperiri, ut dicatur fieri quantum ad apparentiam, & opinionem hominum, quod innotescit quamvis antea foret. Quæ ad propositum applicantur. Nam licet in dicta declaratione Domini Nicolai dicatur in hæc verba: *Ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium, cum Patri Familias suo modo, servus Domino, Monachus Monasterio res sibi concessas, vel donatas acquirant omnium utensilium, & librorum, ac eorum mobilium præsentium, & futurorum, quæ & quorum usum facti, scilicet, Ordini, vel Fratribus ipsis licet habere, proprietatem, & dominium, quod etiam fel. recor. Innocentius Papa Quartus fecisse dignoscitur, in nos, & Romanam Ecclesiam Apostolica authoritate recipimus, & ad nos, & ipsam Ecclesiam Romanam plene & libere pertinere, hac præsenti Constitutione in perpetuum valitura sancimus:* hæc ibi. In quibus verbis notandum est quod signanter dixit. *Ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium*, quasi dicat hominibus ignaris dictæ professionis, & intellectus dictæ regulæ & declarationum super ipsa regula a nostris Prædecessoribus editarum videtur, quod dominium rerum, quæ dictis Fratribus offeruntur, dantur, vel conceduntur fit sub incerto, quia cum ipsi dicant, & verum sit quod abdicaverint a se proprietatem, & dominium omnium rerum tam in speciali quam in Communi, videtur quod fit sub incerto. Ideo illud recipimus in nos, & Ecclesiam Romanam, quamvis in veritate non esset sub incerto, sed esset Ecclesiæ Romanæ. Quod bene ostendit cum dicit: *Quod etiam felicis recordationis Dominus Innocentius Papa Quartus Prædecessor noster fecisse dignoscitur.* Et postea subjungit; *ad nos, & Romanam Ecclesiam plene, & libere pertinere sancimus.* Dicitur igitur recepisse, non quod novum Jus super hoc statuat, sed illa quæ olim indulta sive facta erant, confirmat, & approbat, & deducit in publicam omnium notitiam, ut dicitur *XII. di. C. præceptis* in Text. & Glos. ubi dicitur, *quod non debet dici novum quod fuit aliquando statutum, licet renovetur.* Liquet insuper ex prædictis, quod præfatus Dominus Joannes non solum declarationi ipsius Domini Nicolai III. sed etiam omnibus determinationibus prædictis, & diffinitionibus suorum prædecessorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obviat, & repugnat; eum ipsam ordinationem, & declarationem Domini Nicolai III. ex eo quod in se, & Romanam Ecclesiam recepit dominium, & proprietatem omnium rerum mobilium, & immobilium quæ dictis Fratribus offeruntur, dantur, vel conceduntur, & in ipsis rebus reservat eisdem Fratribus solummodo simplicem facti usum, imprudenter, & insipienter reprobat, & subsannat, asserendo eam non profuisse Fratribus antedictis, sed potius obfuisse: Et asserendo, quod ad perfectionem status eorum, hujusmodi carentia proprietatis, & dominii in speciali, & in communi non profuit, & quod ex hoc se pauperiores dicere non possunt: Et quod talis carentia dominii pauperiorem non efficit non habentem: Et quod tale dominium, quod remanet penes Ecclesiam est verbale, nudum, ac ænigmaticum, & simulatum: Et quod talis simulatio fomentum multis malis ministrat, & in notam & injuriam Ecclesiæ Romanæ redundat, ac per consequens non solum ipsum Dominum Nicolaum III. sed etiam omnes Romanos Pontifices, qui fuerunt usque ad ipsum, qui idem in effectu dixerunt, diffinierunt, & declaraverunt de dicti dominii abdicatione, sive carentia proprietatis, sive dominii omnium rerum quantum ad Fratres, & retentione ipsius proprietatis, & dominii in Romanam Ecclesiam, & reservatione usus facti Fratribus antedictis, prout continetur in D. Nicolai III. ordinatione præmissa, videtur asserere fuisse erroneos institutores, & approbatores professionis erroneæ, ænigmaticæ, simulatæ, ac nocivæ, & præbentis multis malis fomentum; Et ipsum Sanctum Franciscum qui professionem hujusmodi, & regulam ordinavit, servavit, & tradidit suis Fratribus observandam: Et omnes ipsum in hujusmodi professione sequentes fuisse erroneos simulatores, & animarum deceptores: ac per consequens totam universalem Ecclesiam, quæ hujusmodi professionem & statum pluries, & etiam in duobus Conciliis generalibus, scilicet, Lugdunensi, & Viennensi solemniter approbavit & confirmavit: Et quæ dictum Sanctum Franciscum, & alios plures sanctos dicti status & Ordinis professores Cathalogo Sanctorum adscripsit, & in veneratione Sancta assumpsit; in errore fuisse, & usque ad hæc tempora assumpsisse. Quod quidem dicere, vel sentire est hæreticum, & blasphemum, & totius Ecclesiæ Dei destructivum. Nam concesso, quod taliter potuerit errare, nulla prorsus in Ecclesia fides remanebit. Ex prædicta etiam hæresi sequitur manifeste quod successores præfati Domini Nicolai Tertii Romani Pontificis similiter erraverunt. Nam fel. rec. Dominus Nicolaus Papa IV, dictam sententionem Domini approbavit, & acceptavit, & etiam ordinavit, quod generalis minister pro toto Ordine prædicto, & Provinciales ministri pro suis Provinciis, & Custodes pro suis Custodiis haberent auctoritate Apostolica facultatem nominandi certas Personas, quæ non essent de dicto Ordine, qui essent Procuratores, seu administratores, Syndici, & actores Apostolicæ Sedis ad recipendum nomine Romanæ Ecclesiæ res omnes, & ipsarum rerum pretium, quæ ipsis Fratribus offeruntur, dantur, vel conceduntur per eosdem Procuratores, sive actores Romanæ Ecclesiæ in usus Fratrum committendo, prout eis licet ex regula & declaratione regulæ. Quibus Procuratoribus, sive actoribus ex ordinatione ipsa dat potestatem agendi, petendi, exigendi, & recipiendi, ac etiam alienandi prædicta ipsis Fratri-

„ bus

bus in communi, vel in speciali relicta, donata, concessa, vel oblata, aut in ultima voluntate relicta, & transigendi, & paciscendi, refutandi, & quietationem faciendi pro prædictis: Et etiam agendi, defendendi cum illis & contra illos, qui hujusmodi res mobiles vel immobiles, aut pretium earum, vel relictas Eleemosinas dictis Fratribus retinerent, aut violenter auferrent, sive contra voluntatem ipsorum Fratrum quoquo modo detinerent, asserens & decernens idem Sanctissimus Papa Martinus in sua Ordinatione jus, proprietatem, & dominium omnium rerum mobilium, & immobilium, quibus Fratres prædicti Ordinis uti possunt, ad Romanam Ecclesiam nullo modo pertinere: Et quod Fratres ipsi pro nulla re temporali possunt in Judicio experiri, sic ut in Ordinatione ipsius Martini Papæ super hoc facta, quæ incipit *Exultantes in Domino* plenius continetur. Et eandem ordinationem in omnibus, & per omnia in effectu fecit bo. me. Dominus Martinus Papa IV. quæ incipit: *Religionis favor*. Ex quibus duabus Ordinationibus clare patet, quod Fratres in aliquibus rebus temporalibus usit consumptibilibus, vel non consumptibilibus ipsis datis, concessis, oblatis, vel relictis non habent jus, proprietatem, dominium, sed jus proprietatis, seu dominium ipsarum rerum spectat immediate ad Romanam Ecclesiam. Si enim haberent proprietatem, aut dominium, seu jus utendi in ipsis, procul dubio possunt pro hiis in judicio experiri, ut jura dicunt: Nec Ecclesia haberet jus, proprietatem, & dominium in ipsis. Cum de jure duo non possint esse domini ejusdem rei insolidum ff. *Commoda. l. si ut certo §. si duobus*, & *ff. de Castren. pecul. l. hæreditate §. Pater*. Et recolendæ mem. Dominus Bonifacius Papa VIII. dictam declarationem, & ordinationem præfati Domini Nicolai III. approbavit, & eam inseruit in VI. lib. Decretalium, quam cum cæteris aliis Decretalibus in ipso Lib. 6. insertis transmisit Doctoribus, & scholaribus universis, ut eis uterentur tam in judiciis, quam in Scholis, sicut patet in Proœmio ipsius Libri per ipsum Dominum Bonifacium editi, & ab universali Ecclesia recepti. Unde ipsa Domini Nicolai ordinatio sive declaratio ipsius D. Bonifacii, & omnium Pontificum, qui ipsam approbaverunt, merito dici potest, juxta quod in *Lege C. de vet jur. enucl. l.* 1. §. *sed neque* cautum reperitur, dicente: *omnia omni merito nostra facimus, quia a nobis nostra auctoritas impertitur*. Et bo. me. Dominus Benedictus XI. hujusmodi dominii, & proprietatis carentiam in speciali & in communi approbat, & commendat in dicta Decretali per eum edita, quæ incipit *Inter Cunctas*. Et etiam bo. me. Dominus Clemens V. ac totum Viennense Concilium. Nam coram ipso Domino Clemente in dicto Concilio Viennensi mota quæstione per Æmulos dicti Ordinis ab Extra specialiter super dicta abdicatione & Carentia proprietatis in speciali, & in Communi. Idem D. Clemens cum toto ipso Concilio ipsam abdicationem, & Carentiam proprietatis, & dominii omnium rerum in speciali & in communi tanquam veram, & fructuosam, & meritoriam, & declarationem, & determinationem D. Nicolai III. specialiter, & nominatim approbavit, & super hujusmodi approbatione specialem, & solemnem edidit decretalem, quæ incipit *Exivi de Paradiso*. Sed in etiam dictam hæresim sequitur manifeste, quod prædicti omnes Romani Pontifices, & universalis Ecclesia erraverunt turpiter, non solum in moribus approbando professionem simulatam, verbalem, infructuosam, & nocivam, ac præbentem multis malis fomentum, sed etiam erraverunt in fide Catholica, & Fide Christi & Apostolorum ejus. Nam certum est quod ordinatio D. Nicolai III. dictam abdicationem pro-



prietatis omnium rerum tam in speciali, quam in communi, & simplicis usus facti rerum necessariarum tantummodo approbat tanquam abdicationem a Christo, & Apostolis verbo, & exemplo datam, & observatam, sic dicens, atque diffiniens: *Porro cum regula prædicta contineat quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed quod declaratum per eumdem Prædecessorem nostrum Gregorium IX., & nonnullos alios hoc servari debere tam in speciali, quam in communi, quam sic arctam abdicationem venenosis obtrectationibus aliquorum insensata depravavit astutia; ne fratrum eorumdem perfectionis Claritas talium imperitis sermonibus laceretur, dicimus quod abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta: quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit, quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserant in volentes perfecte vivere, per Doctrinæ, ac vitæ ipsorum alveos derivarunt*. hæc verba diffinitionis, & ordinationis in dicta decretali Domini Nicolai III. contenta, quæ ut dictum est per D. Bonifacium Papam VIII. & D. Clementem V., & totum Concilium generale Viennense expresse, & directe extitit approbata: Et per ipsum Dominum Bonifacium ipsam determinationem in suo 6. Lib., ut prædicitur inserendo, & mandando eam legi publice, & quod quilibet uteretur ea tam in Judiciis, quam in scholis: Et per ipsum D. Clementem ipsam expresse & specialiter approbando: Et super approbatione hujusmodi constitutionis cum toto Concilio generali specialem decretalem faciendo, quæ ut dictum est incipit, *Exivi de Paradiso*. Cum ergo præfati omnes Romani Pontifices, imo universalis Ecclesia docuerit, tenuerit, & diffinierit solemniter hujusmodi abdicationem, sive carentiam proprietatis omnium rerum, quam dicta Fratrum minorum religio profitetur, a Christo, & ab Apostolis verbo, & exemplo doctam, & observatam; sequitur quod dicere hujusmodi Carentiam, sive abdicationem fore verbalem, ænigmaticam, simulatam, infructuosam, & nocivam, ut dicta hæresis in dicta Constitutione pertinaciter dogmatizat, necessario includit, quod aut universalis Ecclesia in fide, & doctrina Christi erravit, quæ talem abdicationem a Christo, & Apostolis verbo & exemplo fore datam diffinit. Nam quod per Concilium universale fit, per totam Ecclesiam fieri censetur. Quia in Conciliis generalibus universi Primates Ecclesiarum intersunt, & universis attribuitur quod pro voto omnium Primatibus indulgetur. *C. de advoca. diver. jud. l. restituendo ff. ad municipales L. municipes, & ff. de regu. jur. L. aliud §. refertur:* aut sequitur quod vita, & doctrina Christi, & Apostolorum fuit simulata, verbalis, infructuosa, & nociva; quorum quodlibet est hæreticum, detestabile, blasphemum, & cujuslibet Christiani piis auribus abhorrendum. Et si dicatur, quod nullus Romanus Pontifex ante ipsum D. Nicolaum III. reperitur hoc diffinisse: Respondetur, quod idem dixerunt in effectu pariter, & senserunt omnes Romani Pontifices, incipiendo a Summo Doctore in sacra Pagina fa. me. Domino Innocentio III. qui primitus ipsam regulam approbavit, & descendendo per omnes Romanos Pontifices, qui ipsam regulam confirmaverunt usque ad istum hæreticum. Quod patet, tum quia in dicta regula manifeste dicitur. *Regula, & vita minorum Fratrum hæc est, scilicet, Domini nostri Jesu Christi Sanctum Evangelium observare, vivendo sine proprio, sic quod Fratres nihil sibi approprient nec Domum, nec locum nec aliquam rem*. Quæ verba ut plene superius est probatum ex natura, & significatione ipsorum verborum, & ex intellectu institutionis regulæ, & ex pluribus declarationibus Romanorum Pontificum intelligun-

tur, quod servent Evangelium in illa celsitudine paupertatis altissimæ, quæ abdicat proprietatem omnium rerum tam in speciali quam in communi, per quam Dominus noster Jesus Christus in hoc mundo se fecit pauperem, & mendicum. Ex quo patet, quod omnes illi Romani Pontifices, qui dictam regulam approbaverunt, & confirmaverunt, & per consequens protestari videntur hujusmodi paupertatis, sive abdicationis altissimæ ad Domini nostri Jesu Christi Evangelium pertinere. Tum quia omnes Romani Pontifices qui ipsam regulam approbaverunt, & confirmaverunt in diversis eorum Ordinationibus, statutis, & rescriptis dicunt, & asserunt hujusmodi abdicationem proprietatis omnium rerum, quam Fratres minores profitentur fore altissimam, & extremam: Et Fratres in hujusmodi paupertate altissima Christum pauperem imitari, & nudos nudum Christum sequi, & similia, quæ non possent veritatem modo aliquo continere, si Christus hanc abdicationem non docuisset, & si hujusmodi abdicatio ad Doctrinam Evangelicam nullatenus pertineret. Tum quia, ut superius est probatum & dictum, olim contra dictam abdicationem proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi, quidam perversi magistri in Sacra Pagina tempore Domini Alexandri Papæ IV. asserere præsumpserunt & publice prædicare, quod talis abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi non pertinebat ad Evangelicam Doctrinam, nec spectabat ad perfectionem Evangelicam, vel Apostolicam: Et quod Christus, & Apostoli nunquam docuerunt talem abdicationem, sed potius oppositum: Et ad hoc probandum composuerunt quendam Libellum qui incipit: *Ecce videntes clamabunt foras*: Quorum magistrorum dicta, & Libellus fuerunt ad examen ipsius sanctissimi, & peritissimi Papæ Domini Alexandri IV. deducta: Qui post multam & magnam examinationem damnavit, & improbavit assertionem dictorum magistrorum: Et pronunciavit, ut dictum est professores dictæ regulæ in hujusmodi altissima paupertate perfectionem Evangelicam amplexari: Et non solum in statu salvandorum, sed etiam perfectorum existere: Et per ipsius religionis observantiam, quæ ipsius perfectionis Evangelicæ tenet formam in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri: Et dictum libellum scelestum, & detestabilem doctrinam continentem specialiter condemnavit per suas literas districtius inhibens, ne quisquam præmissa vel aliquod præmissorum pertinaciter astruere, vel quomodolibet defensare præsumat: statuendo quod quicumque hoc præsumpserit attentare, tanquam contumax, & Ecclesiæ Romanæ rebellis ab omnibus fidelibus habeatur, prout in Literis Apostulicis super his confectis plenius continetur. Ex quibus clare patet, quod per centum annos & ultra, & usque ad ista tempora universalis Ecclesia tenuit, approbavit, & conservavit hanc paupertatem altissimam abdicationis proprietatis omnium rerum temporalium tam in speciali quam in communi formam paupertatis Christi & Apostolorum tenuisse, & ad perfectionem Evangelicam pertinere, & eam esse meritoriam & perfectam. Cujus contrarium in dicta Constitutione *Ad Conditorem* manifeste dictus hæreticus dogmatizat. Cum ergo, ut sæpe dictum est, Romana Ecclesia in fide vel moribus errare non possit 24. *q.* 1. *C. a recta*; nec possit esse nulla *in e. Cap. q.* 2. *C. pudenda*, & hoc sub articulo fidei, *Et unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam* comprehendatur: sequitur, quod dicta Doctrina, sive Constitutio, imo verius destitutio est hæretica, detestabilis, insana. Quod autem ipse hæreticus proprio judicio se ipsum condemnet, & se hæreticum esse demonstret: Et etiam sibi ipsi in multis contradicat, ex infrascriptis colligitur evidenter, ex eo quod ipse Dominus Joannes antequam esset patenter in reprobum sensum datus, sive antequam pateret ipsum in tam manifestas hæreses fore prolapsum, approbavit dictam ordinationem, & decretalem editam in Concilio Viennensi, quæ incipit, *Exivi de Paradiso*, in qua dictam abdicationem proprietatis tam in speciali, quam in Communi: Et ea quæ in dicta Decretali præfati Domini Nicolai III. sunt circa abdicationem hujusmodi diffinita, cum multis præconiis & laudibus approbavit, dicendo inter cetera, & asserendo circa ipsius Decretalis principium in hæc verba. *Verus salvator noster in solo militantis Ecclesiæ hortum voluptatis inter cæteros fecit quendam a procellosis mundi fluctibus elongatum, in quo quietius, ac secretius vacaretur. In hunc introivit ipse, ut irrigaret ipsum fæcundis aquis spiritualis gratiæ, & Doctrinæ. Hic hortus est Fratrum Minorum Sacra Religio, quæ muris observantiæ regularis undique circumclusa intra solo Deo contenta adornatur abunde novellis plantationibus filiorum; hæc est illa cælestis vitæ forma, quam descripsit ille Christi Confessor eximius Sanctus Franciscus, ac servandam a filiis suis verbo docuit, & exemplo*. Et infra. *Nos considerantes attente dictum sanctum intendisse suæ regulæ professores quos fundaverat in maxima paupertate, ab affectu temporalium rerum specialiter, & totaliter elongare*. Et infra. *Proinde cum vir Sanctæ paupertatis promissæ in regula modum exprimens dixerit in eadem, Fratres nihil sibi approprient nec Domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini, & advenæ in hoc sæculo paupertate, & humilitate domino famulantes, vadunt pro Eleemosinis confidenter: Sit quoque declaratum per nonnullos prædecessores nostros Romanos Pontifices, hanc expropriationem debere intelligi, tam in speciali quam in communi, propter quod, & rerum omnium oblatarum, concessarum, & donatarum Fratribus, quarum usum facti, scilicet, Ordini, vel ipsis Fratribus licet habere, dominium, & proprietatem in se, & Romanam Ecclesiam receperunt, dimisso ipsis Fratribus in eis tantummodo simplici usu facti*. Et infra. *Nos igitur cupientes ipsorum Fratrum conscientiis providere, respondemus, quod cum ad vitæ veritatem pertineat, ut illud quod exterius agitur interiorem mentis dispositionem, & habitum repræsentet, necesse habent Fratres, qui se expropriatione tanta a temporalibus elongarunt, ab omni eo quod dictæ expropriationi esset, & ulterius posset videri contrarium abstinere*. Et infra: *dicti Ordinis professores qui pro nullo eo temporali possunt in Judicio experiri*. Et infra. *Rursus cum sæpedictus Sanctus tam exemplis vitæ, quam verbis regulæ ostenderit se velle quod sui Fratres, & Filii divinæ providentiæ innitentes suos in Deum jactarent cogitatus, qui volucres Cæli pascit, qui non congregant in horrea, nec seminant, nec metunt; non est verisimile ipsum voluisse eos habere granaria, vel cellaria, ubi quotidianis mendicationibus deberent specialiter sperare transigere vitam suam. Et ideo ex timore levi laxare se non debent ad Congregationes, seu conservationes hujusmodi faciendas. Sed tunc tamen cum esset multum ex jam expertis, quod non possent vitæ necessaria aliter invenire*. Et infra. *Cum vir Sanctus Fratres suos in paupertate summa fundare voluerit, quo ad affectum pariter, & effectum* &c. Ex quibus & pluribus aliis in ipsa constitutione Viennensis Concilii contentis colligitur manifeste, quod Fratres aliquibus rebus consumptibilibus vel non consumptibilibus non habent nec habere possunt nisi tantummodo simplicem facti usum: Et quod Ecclesia Romana habet proprietatem & dominium omnium Rerum ipsarum, in quibus Fratres habent solummodo simplicem facti usum. Et quod ex voto, professione, & regula eorum non debent habere proprietatem aliquarum rerum mobilium, vel immobilium in speciali, nec in Communi, sive res illæ sint frumentum, sive vinum quæ in granariis, seu Cellariis conservantur,

„ tur,

„ tur, sive sint aliquæ aliæ res usu consumptibiles,
„ vel non consumptibiles. Nec possunt in judicio
„ experiri pro re aliqua temporali. Et quod talis vi-
„ tæ forma est vita Cælestis a Salvatore Christo
„ instituta, quam dictus Sanctus Franciscus instituit,
„ ac servandam filiis suis docuit verbo pariter, &
„ exemplo. Cum ergo idem Dominus Joannes an-
„ tequam foret in reprobum sensum datus hanc de-
„ cretalem approbaverit, & eam in Lib. 7. poni, &
„ interseri fecerit, ac mandaverit, quod omnes ipsa
„ Decretali utantur tam in judiciis quam in scholis,
„ ut patet in proœmio, quod super septimum librum
„ fecit; & hoc faciendo quodam modo eam suam fe-
„ cerit, ut probat lex superius allata: Et ipsa decretali
„ dupliciter pateat quod prædicta abdicatio est pauper-
„ tas Evangelica, tum quia approbat Decretalem *Exiit*
„ quæ hoc dicit. Tum quia dicit eam vitam Cæle-
„ stem & illam de qua Christus in Evangelium dicit,
„ cum Apostolos suos doceret, quod non congre-
„ gent in horrea. Sequitur quod nunc in dicta sua
„ Constitutione, *Ad Conditorem* dicendo, asseren-
„ do, & diffiniendo hanc vitam simulatam, noci-
„ vam, verbalem, & ænigmaticam, se ipsum pro-
„ prio Judicio condemnat, & hæreticum manife-
„ stat. Secundo ex eo, quod ipse D. Joannes an-
„ tequam foret in reprobum sensum datus, fecit
„ duas constitutiones super statum dicti Ordi-
„ nis, & contra adversantes communitati Ordinis
„ supradicti. In quorum una quæ incipit, *Quo-
rumdam* dictis Decretales, sive ordinationes D. Ni-
„ colai III. quæ incipit *Exiit*, & D. Clementis
„ V. quæ incipit *Exivi de Paradiso* salubriter edi-
„ tas, lucidas, solidas, multaque maturitate dige-
„ stas pronunciavit, asserens dictam religionem Fra-
„ trum minorum Sancta, & de die in diem, de
„ virtute in virtutem tendere ad perfectionem, ter-
„ rena despiciendo & Cælestia contemplando, pro-
„ ut in dicta constitutione, sive declaratione ipsius
„ D. Ioannis hæc, & alia plenius continentur:
„ Et in alia quæ incipit, *Gloriosam Ecclesiam* idem
„ D. Ioannes pronunciavit dictum Ordinem ab ipso
„ suæ fundationis exordio almi Confessoris B. Fran-
„ cisci regulari traditione, & Apostolicæ Sedis autho-
„ ritate, atque confirmatione, quadam textura in-
„ dissolubili Catholicæ Ecclesiæ connexum, fide
„ clarum, spe validum, charitate perfusum, humi-
„ litate placidum, obeditione devotum, velut sin-
„ gulare jubar sanctitatis exemplo, ac Doctrinæ
„ verbo per universum Mundum claruisse, & Ec-
„ clesiastico decori multum utilitatis, & inclitæ ala-
„ critatis plurimum invexisse: Et adversantes com-
„ munitati dicti Ordinis, & dictis ordinationibus,
„ & diffinitionibus, *Exiit qui seminat*, & *Exivi
de Paradiso*, velut hæreticos condemnavit: nunc
„ vero in dicta Constitutione *Ad Conditorem*, unum
„ de tribus principalibus fundamentis essentialiter
„ dictæ Religioni annexum, scilicet, abdicationem
„ proprietatis omnium rerum tam in speciali quam
„ in communi, & receptionem per Sanctam Ca-
„ tholicam, & Apostolicam Ecclesiam de jure,
„ proprietate, & dominio ipsarum rerum in se fa-
„ ctam cum reservatione solummodo simplicis fa-
„ cti usus Ordini, & Fratribus prædictis reprobat,
„ & condemnat: Et prædictam ordinationem Do-
„ mini Nicolai III. expresse, & per consequens di-
„ ctam ordinationem factam in Concilio Viennensi
„ asserit inutilem, & damnosam, ac nocivam Fra-
„ tribus, & multis aliis, & ad statum perfectionis
„ ipsis Fratribus nullatenus profuisse: Et domi-
„ nium reservatum per Ecclesiam judicat verbale,
„ infructuosum, nocivum, ænigmaticum, & simu-
„ latum; asserens quod Fratres dicti Ordinis ex
„ carentia talis dominii pauperiores se dicere non
„ possunt: & quod carentia talis dominii pauperio-
„ rem non efficiat non habentem: Et quod talis
„ usus simplex facti omni proprietate, & dominio,
„ & jure utendi nudatus est injustus. Ex quibus
„ clare patet quod statum hujusmodi dudum, &
„ multoties per Sanctam Romanam Ecclesiam con-
„ firmatum, receptum, & approbatum tanquam uti-
„ lem, & multum fructuosum Ecclesiæ universa-
„ li, perfectionem Evangelicam amplexantem, ac
„ Christo, & Apostolis verbo, & exemplo tradi-
„ tum, atque doctum, in dicta constitutione *ad
Conditorem* reprobat, & condemnat: Et per con-
„ sequens Ecclesiam Catholicam, quæ hujusmodi
„ statum, ut dictum est, approbavit, & doctum
„ a Christo, & Apostolis asserit, & diffinivit. Un-
„ de tanquam hæreticus & ab Ecclesia est præci-
„ sus, & ab omnibus vere Catholicis evitandus.
„ Insuper quod dictus hæreticus in dicta sua con-
„ stitutione *ad Conditorem* sibi ipsi in pluribus con-
„ tradicat, patet, quod circa finem ipsius conclu-
„ dendo dicit sic: *Sancimus, quod in hiis, quæ
imposterum afferentur, vel conferentur, aut alias quo-
modolibet obvenire continget Fratribus, seu Ordini
supradictis, exceptis Ecclesiis, Oratoriis, Officinis,
& habitationibus, ac vasis, libris, & vestimen-
tis divinis officiis dedicatis, vel dedicandis, quæ ad
ipsos obvenient in futurum, ad quæ se non exten-
dunt adeo inconvenientia supradicta, propter quod
constitutionem ipsam ad illa extendi nolumus, nul-
lum jus, seu dominium aliquod occasione ordinatio-
nis prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ acquira-
tur; sed quo ad hæc habeatur dicta ordinatio pro non
facta*: hæc ibi. Ex quibus sic arguitur contra eum.
„ Ipse dicit, quod Dominium per D. Nicolaum
„ receptum fuit verbale, ænigmaticum, inutile, no-
„ civum, & simulatum: Et postea ipse retinet in
„ Domibus, Ecclesiis, Oratoriis, Officinis &c. ta-
„ le dominium; Ergo ipse idem fateri videtur se
„ peccare, & errare ex certa scientia tale dominium
„ retinendo. Præterea ipse dicit in præcedentibus,
„ quod in rebus usu consumptibilibus usus a pro-
„ prietate seu dominio nullatenus separatur: & quod
„ dicere, quod separetur, repugnat juri, & obviat
„ rationi. Sed idem ipse retinet in vestimentis di-
„ vinis officiis dedicatis, vel dedicandis jus, pro-
„ prietatem, & dominium sicut prius. Et certum
„ est quod vestimenta divinis Officiis deputata, ut
„ plurimum sunt de rebus usu consumptibilibus;
„ ergo separatur in eis Jus, proprietas, & dominium
„ ab usu. Et sic idem ipse fateri videtur, quod
„ ipse repugnat juri, & obviat rationi. Ex quo
„ patet, quod adimpleri videtur in eo, quod Au-
„ gustinus Malleus, & expugnator hæreticorum di-
„ cit, *quod heretici adeo calumnianti cupiditate
seducuntur, quod non attendunt quantum sint inter
se contraria quæ loquuntur*, ut dicitur 23. q. 7. *C.
quod autem*. Quod de hoc hæretico dici potest,
„ quod tantum fuit calumniandi dictam Decreta-
„ lem D. Nicolai III. cupiditate seductus, quod
„ adeo fuit, justo Dei Judicio excæcatus, ut hæ-
„ retica, & insana, & sibi invicem contraria loque-
„ retur: Et maxime in hiis tribus constitutionibus
*ad Conditorem*, *cum inter nonnullos*, & *quia quo-
rumdam*, & de doctrina in eis contenta veraciter di-
„ ci possit, quod dicit Concilium Generale *Extra
de su. Tri. & fi. ca. c. damnamus in fi.* de per-
„ verso dogmate impii Alverici, quod ejus men-
„ tem sic Pater mendacii excæcavit, ut ejus do-
„ ctrina non tam heretica censenda sit, quam in-
„ sana. In pluribus autem aliis in dicta constitu-
„ tione *ad Conditorem* falsa, erronea, & sibi ipsi
„ cotraria dicit, quæ in allegationibus aliis super
„ his factis explicantur, & ad præsens dimittuntur
„ ad prolixitatem nimiam vitandam. A qua con-
„ stitutione *ad Conditorem* in ipso initio, quum
„ primitus eam publicavit Frater Bonagratia de
„ Pargamo meus, & dicti Ordinis Procurator
„ ad hoc specialiter constitutus legitime, & so-
„ lemniter appellavit. Quam appellationem in
„ conspectu ipsius D. Joannis in Consistorio præ-
„ sentavit, sicut notorium fuit mundo: Ita quod
„ nulla potest tergiversatione celari. In qua appel-
„ latione idem Bonagratia rationibus manifestissimis
„ osten-

„ ostendebat, quod dicta Constitutio *Ad Conditorem* juri Divino, & humano, & fidei Catholicæ, ac vitæ, & Doctrinæ Evangelicæ & Apostolicæ multipliciter repugnabat, prout in ipsa appellatione colligitur evidenter. Ipse vero D. Joannes ostendens se non esse de illa Catholica Ecclesia, cui, ut dicit S. Hilarius *proprium est intelligere cum arguitur, & quam non pudet suam sententiam in melius commutare XXV. q. IX. Sententiam.* spiritu superbiæ inflatus ipsum Procuratorem Ordinis præsentata dicta appellatione in Consistorio publico illico & ex abrupto, & sine causæ cognitione ad instar Herodis propter veritatem quam eidem D. Joannes dixerat, scilicet, quod non licebat sibi ea quæ erant tanto tempore approbata per Romanam Ecclesiam aliqualiter reprobare, duro, & artro Carceri mancipavit, & per longa tempora tenuit mancipatum super ipsa appellatione, & aliis contentis in ea, eidem Procuratori, & ordini omnem justitiam, & audientiam penitus denegando, & me præfatum Michaelem nisus est quantum potuit inducere, ut consentirem mutationi regulæ, & status ordinis memorati. Quem statum, & regulam me præsente, & pluribus aliis Personis notabilibus fidedignis dixit fore impossibiles ad servandum: Et quod a 40. annis citra prædictum statum, & modum vivendi habuerat exosum: Et præter hæc alias pluries dixit, & asseruit dictum statum fictum, pictum, mathematicum, hyppocritalem, & deceptorium, ac impossibilem ad servandum. Et quod nunquam fuit aliquis perfectus in isto statu: Adjiciens quod faceret hæreticari per totum mundum ordinis Fratres memorati. Et volens quod verbis dixit, operibus pro viribus adimplere post, & contra dictam appellationem infra annum a tempore ipsius appellationis ab eo, ut dicitur, interjectæ, quandam aliam constitutionem hæreticalem & detestabilem religionis, & fidei destructivam quæ incipit, *Cum inter nonnullos*, composuit, promulgavit, & pronunciavit, & publicavit, & per mundi climata destinavit. In qua manifestas duas hæreses asserit, & pertinaciter dogmatizat. Primæ hæresis tenor talis est. *Cum inter nonnullos viros scholasticos sæpe contingat in dubium revocari, utrum pertinaciter affirmare Redemptorem nostrum Dominum Jesum Christum ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec etiam in communi hæreticum sit censendum, diversis diversa, & adversa sentientibus circa illud. Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem hujusmodi pertinacem, cum Scripturæ Sacræ, quæ in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expresse: Ipsamque Scripturam Sacram, per quam utique fidei Orthodoxæ probantur articuli, quoad præmissa fermentum aperte supponat continere mendacii, ac per consequens quantum in ea est ejus in totum evacuans fidem Catholicam, reddat ejus probationem adimens, dubiam, & incertam, deinceps erroneam fore censendam ac hæreticam de Fratrum nostrorum Consilio hoc perpetuo declaramus edicto.* Ad cujus hæresis evidentiam, „ Primo attendendum est, quod intentionis ipsius hæretici fuit pronunciare hæreticum esse asserere, quod in dicta decretali Domini Nicolai III. *Exiit §. porro*, asseritur & diffinitur videlicet, quod Christus, & Apostoli viam perfectionis ostendentes non habuerunt aliqua jure proprietatis in speciali, nec etiam in communi. Quod ex infrascriptis ostenditur manifeste. Primo ex origine dictæ quæstionis, & his quæ dicta, & facta fuerunt per ipsum D. Joannem in principio, cum ipsa quæstio mota fuit. Nam sicut notorium est quidam iniquitatis filius nomine Frater Joannes de Belna de Burgundia Ordinis Fratrum Prædicatorum persecutor Ordinis Fratrum minorum, & status regulæ ipsius Ordinis acerrimus, & enormis, sicut de persecutione injusta Fratrum apparet per legitima documenta, & etiam per Bullam Sententiæ contra ipsum Fratrem Joannem occasione hujusmodi persecutionis Fratrum dicti Ordinis promulgatæ, asserens idem Frater Joannes se Inquisitorem hæreticæ pravitatis in partibus Narbonæ, & Carcassonæ: & volens judicare quendam Beguinum, tanquam hæreticum, qui Beguinus asserebat, quod Christus, & Apostoli non habuerunt aliquid in speciali nec in Communi, convocavit ad Consilium suum omnes Guardianos, Priores, & Lectores Religiosorum: inter quos adfuit Frater Berengarius Taloni Ordinis Fratrum minorum Lector in Conventu Narbonæ; & cum ipse Frater Joannes fecisset inter cætera legi dictum Articulum, pro quo volebat inter cætera dictum Beguinum condemnare: ipse Berengarius Lector dixit, quod hoc dicere non erat hæreticum, cum hoc esset per Ecclesiam in Decretali *Exiit qui seminat*, diffinitum. Et tunc ipse Frater Joannes turbatus contra ipsum Lectorem dixit, & dicto Lectori mandavit, quod revocaret, quod dixerat: & ipse Frater Berengarius noluit revocare, sed statim ad Sedem Apostolicam appellavit, & cum appellatione sua comparuit in Curia coram præfato Domino Joanne in Consistorio, & dictus Frater Joannes similiter accessit ad Curiam, & suis seditionibus, & fallaciis ipsum D. Joannem spiritui mendacii inhærentem enormiter contra Fratres minores & eorum statum, & ordinem provocavit. Et tunc statim D. Joannem fecit dictum Lectorem in Curia arrestari, & publice hanc quæstionem proposuit, utrum videlicet affirmare pertinaciter dictum Dominum nostrum Jesum Christum ejusque Apostolos non habuisse aliqua in speciali, nec etiam in communi foret censendum hæreticum. Et formam ipsius quæstionis omnibus Prælatis in curia sua existentibus tradi fecit. Et statim in principio contra *Legem de offici. præf. obser.* cepit animi sui motum verbis, & vultu detegere & ostendere verbis, & signis exterioribus, quod ipse sentiebat, & pronunciare volebat, & intendebat dictam assertionem hæreticam fore censendam. Quod etiam manifeste, & notorie patuit ex eo, quod omnes dicentes, & tenentes, quod Christus, & Apostoli habuerunt in proprio, & in communi, & quod contrarium dicere est hæreticum, ipsos, & eorum dicta maxime laudabat: si qui vero contrarium asserebant, ipsos verbis acriter confundebat, sicut patuit in Domino Vitali dicti Ordinis Minorum Albanensi Episcopo Cardinali. Nam quia in Consistorio coram ipso Domino Joanne ipse Dominus Vitalis dixit, quod prædicta asserere non erat hæreticum, sed contrarium asserere erat hæreticum judicandum, cum determinationi contentæ in dicta decretali Domini Nicolai III. repugnaret. Ipse D. Jo. verbis acerrimis publice arguit, & confudit ipsum D. Vitalem, dicens, sibi pluries, & frequentar, dicatis hæreses vestras, cum de hæresi cum animi impetu ob hoc arguens, & reprehendens: unde ipse Dominus Vitalis ex his comminationibus perterritus mem de prædictis, quæ dixerat inductus fuit ut in Consistorio publice diceret culpam suam: hoc etiam patuit in Reverendis Patribus Dominis Arnaldo Royardi Archiepiscopo Salernitano, & Henrico Episcopo Lucano, & Hieronymo Episcopo Caphensi, quos idem D. Joannes acriter, & enormiter redarguit, quia dicebant dictam assertionem non esse hæreticam, & se stare in hoc determinationi Ecclesiæ positæ in dicta decretali *Exiit* firmiter asserebant. Ex quibus terroribus atque minis cæteris perterritis pauci valde inveniebantur, qui vellent, aut auderent confiteri sententiam, quam credebant. Nihilominus tamen serenissimus, & Christianissimus D. Robertus Hierusalem, & Siciliæ Rex fecit, & composuit, ac tradidit præfato D. Jo. & in Curia Avinionis publicavit, ac etiam Parisiensi studio destinavit Libellum, in quo fatebatur, & ostendebat rationibus manifestis dictam assertionem, quam ipse D. Jo.

„ pro-

„ pronunciavit esse hæreticam censendam fore Catholicam atque veram. In cujus veritatis confessione ipse D. Rex semper fuit etiam post determinationem. D. Joannis sicut etiam patuit ex ipsius Literis, & nunciis destinatis Fratribus dicti Ordinis congregatis in Capitulo generali, quod ordinatum fuerat esse debere Bononiæ in Festo Pentecostes proxime præterito celebrari. Quibus Fratribus ipse D. Rex misit, quod diffinitionem, seu determinationem Ecclesiæ, quam Generale Capitulum dicti Ordinis olim apud Perusium congregatum fecerat de paupertate Christi & Apostolorum, propterea cujuscumque mandatum aut præceptum nullatenus revocarent: nec præfato D. Joanni sufficit verbis exterioribus demonstrare animi sui conceptum, & motum, sed etiam scripto omnibus dedit intelligere, quod contra determinationem in sæpedicta decretali *Exiit* positam, & infertam intendebat, & volebat quæstionem per ipsum propositam diffinire. Quod patuit etiam ex eo, quia ipsa quæstione per ipsum proposita pendente in diffinitionis & determinationis in ipsa decretali contentæ, & fidei Catholicæ, & status dicti Ordinis evidens, & enorme præjudicium, & gravamen fecit quandam Constitutionem sive ordinationem, si sic dici potest, suspendit omnes prohibitiones, & pœnas tam latas, quam comminatas in dicta decretali D. Nicolai Tertii contra glosfantes in scriptis decretalem ipsam aliter quam eo modo quo continetur in ea: Et contra lectores, sive Doctores in publico ex certa scientia, & deliberate intellectum decretalis hujusmodi depravantes, facientes quoque Commentos, scripturas, seu Libellos: ac ex certa scientia, & deliberate facientes determinationes in scholis, seu prædicantes contra prædicta, vel aliqua, seu aliquod prædictorum. In qua quidem suspensione, sive ordinatione ipsius D. Joannis dicitur sic inter cætera. *Nos autem attendentes, quod argumentis, & collationibus latens veritas aperitur; viam veritatis aperire volentes, ac periculis quæ ex prædictis possent literatæ personæ præcipue scholasticæ incurrere, salubriter obviare, præsertim cum de novo suborta sint aliqua dubia circa quæ posset periclitari veritas, & erroribus via pandi, nisi liceret conferre super contentis in Constitutione hujusmodi, & etiam disputare, prohibitiones, & pœnas prædictas tam latas quam comminatas, & earum effectum auctoritate Apostolica duximus usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendendas*: Cujus suspensionis initium, & Procemium est tale.

*Quia nonnunquam quod conjectura profuturum credidit, subsequens experientia nocivum ostendit, non debet irreprehensibile judicari. si Canonum conditor Canones a se, vel suis prædecessoribus editos revocare, modificare, vel suspendere studeat, si ea obesse viderit, quam prodesse. Sane dudum fel. rec. Nicolaus PP. III. Prædecessor noster quandam constitutionem declarativam, quæ incipit* Exiit *super regula Ordinis Fratrum Minorum, quam B. Franciscus Almus Confessor instituit, promulgavit &c.* Et infra. *Nos attendentes* ut supra: hæc verba præfati D. Joannis in dicta sua constitutione, si sic dici potest. Quæ constitutio fuit promulgata, & publicata 7. Kal. Aprilis anno Domini 1322. dicta quæstione jam proposita, & pendente. Ex quibus clare patet quod ipse D. Joannes volebat, & intendebat quod quilibet supra dicta quæstione per eum ut prædicitur jam ante proposita, & pendente possit dicere libere, & impune contra determinationem ipsius D. Nicolai III. satis per verba sua dans intelligere omnibus, quod sic sum erat intentionis dictam determinationem in prædicta Decretali *Exiit* positam revocare. Secundo ostenditur quod intentionis fuit dicti hæretici contra dictam determinationem positam in dicta Decretali *Exiit* diffinire, quod Christus, & Apostoli habuerunt in speciali & in communi jure proprietatis & dominii declarare, ex eo quod ipse D. Joannes dicta quæstione pendente, & dudum antequam promulgasset, & publicasset dictam hæreticalem constitutionem, *cum inter nonnullos* fecit, promulgavit, & publicavit sæpe dictam constitutionem, quæ incipit, *ad conditorem*; In qua sicut superius est expressum dogmatizat & diffinit expresse, quod in rebus usu consumptibilibus, usus juris, vel facti separatus a proprietate non potest haberi: Et quod contrarium dicere repugnat juri, & obviat rationi. Ex quo manifeste sequitur secundum eum quod Christus, & Apostoli in rebus usu consumptibilibus cibis, & vestibus, quibus sigillatim usus est, habuerint proprietatem, & dominium in speciali, cum secundum eum, qui habet usum rei consumptibilis, habet per consequens proprietatem, & dominium ejusdem rei: Et quod ipsi Christus & Apostoli in pecunia quam habebant in loculis in communi habuerint proprietatem, & dominium per consequens, cum pecuniam de rebus usu consumptibilibus esse constet. Patet ergo manifeste secundum eum, quod illud quod dicit in dicta Constitutione hæreticali, *cum inter*, quod asserere Christum, & Apostolos nec in speciali nec in Communi habuisse aliqua, hæreticum sit censendum intellexit, & intelligit de habere jure proprietatis, & dominii: Cum etiam ex constitutiones *ad conditorem*, & *cum inter nonnullos*, successive factæ, sint ad eundem effectum, patet, quod posterior, scilicet, *cum inter nonnullos* intelligenda est, & exponenda secundum illam priorem. *Extra de offic. & po. ind. Dele. C. super quorum in princ.* Et notat. *Extra de privile. C. volentes Lib. 7. in Glossa Hosti.* super verbo *Salvis*. Item cum in dicta constitutione *ad conditorem* ipse hæreticus expresse dicat, determinet, & dogmatizet, quod talis Carentia proprietatis & dominii in communi pauperiorem non efficit non habentem, & quod non pertinet ad perfectionem; Ex hoc insinuare videtur, quod Christus absque derogatione perfectionis, & paupertatis habuit in communi proprietatem, & dominium in pecuniis, quas in loculis in communi cum Apostolis legitur habuisse: & etiam in aliis rebus si reperiretur quod aliquas alias res in communi quomodolibet habuisset. Item cum Christus & Apostoli, & quilibet eorum in speciali habuerint omni tempore usum rerum usu consumptibilium ad vitæ humanæ sustentationem necessariarum, etiam dum viam perfectionis ostenderunt, quia talium usu carere non potest humana vita, patet secundum eum per consequens, quod ipsi viam perfectionis ostendentes habuerunt proprietatem rerum usu consumptibilium in speciali, & etiam in communi. Item idem D. Joannes in constitutione quam ultimo fecit super hiis, quæ incipit, *quia quorundam*, expresse asserit, quod Christus & Apostoli quo ad proprietatem loculos habuerunt. Tertio ostenditur, quod suæ intentionis fuit contra dictam determinationem diffinire & pronunciare hæreticum fore asserere, quod Christus, & Apostoli viam perfectionis ostendentes verbo, & exemplo docuerunt illam abdicationem proprietatis, & dominii omnium rerum in speciali, & in communi, quam fratres Minores faciunt ex suæ regulæ professione, & Summorum Pontificum declarationibus, sicut dicit expresse decretalis *Exiit*. Quod liquido patet ex sua hæresi, quam in secunda parte dictæ constitutionis *cum inter nonnullos* dogmatizat, & asserit, cujus hæresis tenor talis est.

*Rursusque in posterum affirmare quod Redemptori nostro prædicto, ejusque Apostolis in hiis quæ ipsos Sacra Scriptura habuisse testatur, nequaquam jus utendi ipsis competierit, nec illa vendendi, seu donandi Jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, quæ tamen ipsos de præmissis fecisse Scriptura Sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expresse. Cum talis assertio, ipsorum usum,*

*usum, & gesta evidenter includat in præmissis non justa. Quod utique de usu, & gestis, seu factis Redemptoris nostri Dei Filii sentire nephas est, Scriptura Sacra contrarium, & Doctrinæ Catholicæ inimicum, assertionem ipsam pertinacem de Fratrum eorumdem Consilio deinceps erroneam fore censendam meritò ac hæreticam declaramus*; hæc verba secundæ hæresis, quæ apertè hæreticant quantum in se assertionem dictæ determinationis Ecclesiæ, quæ clare in pluribus locis diffinit, & asserit, quod Fratres qui profitentur abdicationem proprietatis, & dominii omnium rerum in speciali, & in Communi, quam docuerunt verbo & exemplo Christus, & Apostoli, propter talem abdicationem, quam faciunt, non habent in aliqua re jus utendi, vendendi, nec donandi, nec alia ea illis acquirendi, sed habent tantummodo simplicem facti usum in omnibus rebus usu consumptibilibus, prout superius est probatum: Et non solum hæreticam dictæ Ecclesiæ determinationem, sed etiam omnem religionem Apostolicam, quæ a tempore Christi fuit. Quod sic probatur. Certum est de jure, quod habere suo nomine in aliqua re jus utendi, vendendi, donandi, & ea ipsa re aliam acquirendi est habere & possidere ipsam rem jure proprietatis & dominii sive tanquam propriam *C. de rebus alie. vel non ali. L. prima* per totum & *ff. de contrahen. Emp. L. si in emptione* §. 1. & *C. de donati. L. portionem, & L. Si Filius, & L. fine,* & *L. si avia* cum similibus; licet enim rem immobilem alienam possit quis vendere quo ad hoc, quia tenet contractus in ipsius vendentis præjudicium, tamen jus vendendi non habet quis rem alienam præcipue mobilem, nisi habeat in ipsa re jus proprietatis, quia ad eum pertineat jure domini vel quasi ut habetur: *ff. de Contra. Emp. L. rem alienam* in Texto, & Gloss. & in dicta *L. si in Emptione* §. 1. Non enim potest quis transferre in alium jus, si non habet illud *ff. de acquir. re. do. L. traditio*, & *ff. de regu. jur. L. nemo.* Ergo si Christus in omni re quam legitur habuisse, habuit jus utendi, vendendi, donandi, aut ex ipsa re aliam acquirendi in singulari, fuit proprietarius in speciali, & si habuit in Communi, fuit proprietarius in Communi: & idem de Apostolis, & quolibet eorum concedi necesse est secundum istam hæresim supradictam. Ex quo manifeste sequitur, quod Christus, & Apostoli, & quilibet eorum viam perfectionis sequentes in omnibus rebus quas habuisse leguntur in singulari fuerunt proprietarii in speciali: Et in omnibus quæ leguntur habuisse in communi fuerunt proprietarii in communi: Et sic secundum hanc hæresim detestabilem sequitur quod nullus unquam secutus est, nec sequitur vitam Christi, & Apostolorum, nisi fuerit, & sit proprietarius in speciali & in Communi. Verum secundum hoc non solum determinationes Romanæ Ecclesiæ factæ super professione Fratrum Minorum de abdicatione paupertatis & dominii omnium rerum in speciali, & in communi sunt hæreticæ, sed etiam omnis doctrina perfectionis religionis cujuslibet asserentis professores suos sequi vitam Apostolicam vivendo sine proprio: omnesque professores Sanctorum Patrum Augustini, Basilii, Benedicti, & aliorum qui volentes, & asserentes se vitam apostolicam sequi, voverunt vivere sine proprio, ipsaque Scriptura Divina *act.* 2. & 4. quæ loquens de illis, qui Apostolos sequebantur, dicit, *quod nullus eorum in aliqua re aliquid suum esse dicebat*, sunt erroneæ, atque falsæ. Quarto ostenditur sic. Certum est quod quoniam aliqua assertio, vel propositio, profertur, vel prohibetur, intelligitur prolata vel prohibita sub sensu, & intellectu illo, qui est potissimus, & frequentius contingit: Nisi aliunde, & sub alio intellectu accipi debeat colligatur; Unde si par Judicem contra aliquem feratur sententia Excommunicationis sub hac forma verborum, *talem excommunico*, intelligitur de excommunicatione majori, quæ est potissima, & Judices de tali ut frequentius intelligere consueverunt. *Extra de sen. Exco. C. si quem sub hac forma* &c. Nam ad ea verba legis debent aptari quæ frequentius contingunt. *ff. de Leg. L. nam ad ea*. Sed secundum D. Ioannem modus hujusmodi jure proprietatis, est potissimus modus habendi, quia nisi quis habeat Jus in re proprium, secundum eum non utitur juste illa re, ut expresse dicit in 2. parte dictæ Constitutionis, *Cum inter*, & colligitur ex his, quæ dixit in Constitutione, *Ad Conditorem*, ut superius est ostensum. Quando etiam in Lege Civili profertur hoc verbum hujusmodi frequentius intelligitur, & sumitur pro habere jure proprietatis. *ff. de acquir. re. do. L. rem in bonis*. Et dominii appellatione continetur potissime, qui proprietatem habet. *ff. ad Silemanum. l.* 1. *circa princip*. Ergo quando dictus D. Joannes pronunciavit hæreticum asserere Christum & Apostolos non habuisse aliquid in speciali, nec in communi, intelligitur de habere jure proprietatis dixisse. Quinto ostenditur per locum a sufficienti partium enumeratione. Nam dicitur in ipsa constitutione. *Cum inter*, quod *inter nonnullos viros Scholasticos sæpe contingit in dubium revocare, utrum pertinaciter affirmare. &c.* Sed apud aliquos nunquam fuit in dubium revocatum, utrum Christus, & Apostoli viam perfectionis sequentes habuerint aliqua in usu. Nullus enim unquam dubitavit quin usi fuerint pane, vino, vestibus, & aliis ad vitæ humanæ sustentationem necessariis. Cum etiam dicat Apostolus *habentes alimenta, & quibus tegimur his contenti sumus*. Sed fuit in dubium revocatum utrum habuerint jure proprietatis, & dominii. Et super hoc diversi diversa dicebant, & omnes allationes, quæ fiebant per illos qui dicebant, quod Christus & Apostoli habuerunt in communi, expresse fiebant potissime super modo hujusmodi jure proprietatis, & dominii, & non super modo habendi quantum ad usum. Et ad hoc ut possent libere dicere, quod volebant, procuraverunt, quod sententia Excommunicationis promulgata in Decretali *Exiit* contra asserentes in scriptis aut prædicantes contra contenta in dicta Decretali suspenderetur per ipsum D. Ioannem, ut superius est ostensum. Nec unquam aliquis Catholicus dubitavit, nec per aliquos Scholasticos in dubium extitit revocatum, quin Christus & Apostoli habuerint loculos in communi, cum Casus sit juris 12. *q.* 1. *C. expedit*, & *C. habebat*. Nec de habere jure divino quæstio unquam fuit. Nullus enim unquam quæstionem fecit, quin omnia sint in Dei Dominio non solum terrena, sed etiam Cælum, & Terra, & omnia quæ Cæli ambitu continentur, dicente Propheta: *Domini est Terra, & plenitudo ejus Orbis Terrarum, & universi qui habitant in eo*. Quæstio etiam Domini Ioannis per eum proposita fuerat de Christo, & Apostolis conjunctim, & sic pro tempore quo Christus vixit, & vivit per Mundum prædicando: pro illo tempore non legitur in scriptura Apostolos fuisse Prælatos Ecclesiæ. Certum est etiam, quod post resurrectionem primo data fuit prælatio Petro per verba illa *Pasce Oves meas*. extra *de Elect. C. Significasti*. & *L. di. considerandum*. & ibi notatur, & *C. fidelior*: Et ideo quando nullo modo poterat inteligi de habere jure prælationis, & administrationis, quam habent Prælati in rebus Ecclesiasticis. Unde sequitur, quod quæstio mota erat solum, utrum Christus, & Apostoli viam perfectionis sequentes, idest postquam omnia reliquerunt, dicente Petro in persona omnium Apostolorum. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*; habuerint aliqua in communi jure proprietatis, & dominii: ac per consequens, quod diffiniendo illud, quod erat in dubium revocatum, & de qua quæstio fuerat suborta, intellexit

„ diffi-

„ diffinire, & asserere, quod Christus, & Apostoli viam perfectionis sequentes non habuerunt aliqua in speciali, nec in communi jure proprietatis, erat deinceps hæreticum iudicandum. Secundo ostenditur ex eo, quod pluries, & frequenter processit & procedi fecit, & sustinuit, & concessit procedi contra Fratres dicentes, & asserentes propositionem illam, quam in sæpe dicta Decretali *Exiit* §. *porro*, asserit, & diffinit. Nec concordiam aliquam quæ fieret inter dictam suam Constitutionem *cum inter* & illa quæ continentur in dicta Decretali *Exiit* admisit, sed contrafacientes, & sibi non consentientes persecutus fuit, sicut ostendi poterit suo loco, & tempore per legitima documenta. Quædam etiam contenta in quadam concordantia, quam quidam est conatus facere inter prædictas constitutiones expresse improbavit in Constitutione ultima, quam contra appellationem Serenissimi Principis Regis Romanorum, quæ incipit, *Quia quorundam* publice promulgavit; & novissime Anno Domini 1328. 9. Die Aprilis, quæ fuit Sabbato in Albis præfatus D. Ioannes cum me præfatum Fratrem Michaelem ad suam præsentiam vocari fecisset, & ego metu qui cadere poterat in constantem maxime propter tirannidem ejus, quam contra Fratres dicti Ordinis sibi resistentes facere consuevit, comparuissem coram eo præsentibus Domino Bertrando de Turre, & Fratribus Raimundo de Lados Priore dicti Ordinis minorum in Romana Curia, ac Petro de Prato tunc ministro Provinciæ S. Francisci, & Laurentio de Coalhone Baccalario Conventus Avinionis increpavit me, & mihi est acriter comminatus, ex eo quod ego una cum toto Capitulo Generali, & ipsum Capitulum Generale una mecum feceramus, & universis Christi fidelibus destinaveramus quandam patentem literam sigillo officii ministri Generalis dicti Ordinis, & aliorum multorum ministrorum Provincialium, ac Magistrorum, & Bacallariorum in Sacra Pagina, sigillis pendentibus roboratam. In qua litera Ego, & totum Capitulum generale Ordinis sæpedicti olim apud Perusium congregatum Anno Domini 1322. prædictæ determinationes Ecclesiæ positæ in sæpedicta Decretali *Exiit* §. *Porro*, firmiter, & totaliter inhærentes concorditer, & unanimiter dicebamus, & fatebamur non esse hæreticum, sed sanum, Catholicum, & fidele dicere, & asserere, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam in communi propter Deum meritoria est, & Sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit: quam quoque primi Fundatores Ecclesiæ militantis, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte vivere per Doctrinæ, ac vitæ ipsorum alveos derivarunt. Quam literam prædicti Capituli generalis pluries, & frequenter ipse D. Joannes viva voce pronunciavit, & asseruit hæreticam, prout de assertione, & pronunciatione hujusmodi facta dictum Dominum Joannem constat per duas Literas testimoniales prædictorum Fratrum Raimundi Prioris dicti Ordinis, Petri de Prato tunc ministri Provinciæ Sancti Francisci, & Laurentii Bacallarii Avinionis, qui præsentes fuerunt ipsi assertioni, & pronunciationi dicti Domini Joannis subscriptionibus factis ipsorum manu propria roboratis. Ex quibus clare patet quod intentionis dicti Domini Joannis fuit dictam assertionem Ecclesiæ factam, & positam in dicta Decretali *Exiit* §. *Porro* fore censendam hæreticam judicare. Et quia zelo fidei Catholicæ, Dei gratia faciente, succensus dictis pronunciationi, & assertioni D. Joannis in facie ei restiti. Inter cætera dicens eidem, quod ex ipsius D. Joannis assertione hujusmodi sequebatur aperte, quod Papa, qui illud idem, quod in dicta litera Capituli Generalis continebatur, in prædicta Decretali *Exiit* diffinivit, fuisset hæreticus. Ipse, non obstante contradictione mea, in sua hæreticali assertione, seu pronunciatione permansit. Et quia sibi restiteram, me in sua Curia arrestavit; mandans mihi quod de ejus Curia non recederem, absque ejus licentia speciali; de qua arrestatione mandavit, & fecit confici publicum Instrumentum: Intendens me cogere ad abjurandum, sive revocandum præmissa, sicut fidedigna relatione cognovi, & signis multis, quæ fecit hoc attestantibus manifeste. Ego non attendens, quod si ipsius Domini Joannis pronunciationi, & assertioni hujusmodi paruissem, viderer per consequens consentire, quod Sancta Romana Ecclesia, quæ prædicta in sæpedicta decretali *Exiit* diffinivit, fuisset hæretica: Et quod almus Christi Confessor B. Franciscus, quem Sancta Romana Ecclesia Cathalogo Sanctorum adscripsit, qui dictam suam regulam in dicta veritate fundavit; Et omnes Sancti Fratres dicti Ordinis, quorum aliqui per Sanctam Romanam Ecclesiam cathalogo Sanctorum sunt ascripti, qui in dictæ veritatis professione, & confessione finierunt dies suos; Et totus Ordo prædictus, qui in dictam literam, & determinationem dicti Capituli generalis consensit: Et omnes Magistri & Bacalarii in sacra Pagina Parisiis, & in Anglia commorantes, qui literas patentes eorum sigillis, & subscriptionibus roboratas fecerunt, & miserunt, in quibus eandem veritatem, quam dictum generale Capitulum dixerat, firmiter protestati sunt, & confessi, prout in ipsorum literis super hoc confectis plenius continetur, & alii Fratres omnes dicti Ordinis, qui in dicta veritatis assertione consenserint fuissent hæretici: Et nihilominus considerans, & attendens, quod prædicta dicta, & facta per prædictum D. Ioannem in articulum, *In unam sanctam, & Apostolicam Ecclesiam* enormiter impingebant: sub quo fidei articulo, ut sæpe dictum est, continetur, quod Sancta Romana Ecclesia errare non potest, quia Christus oravit pro ea ut non deficiat fides ejus: Et quod ipse Dominus Ioannes ex dictis, gestis, & factis per eum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ hæresim imponebat; Et quod etiam se ipsum proprio judicio condemnabat, illud quod alias ut Catholicum approbaverat, nunc hæreticum judicando, ut superius est probatum: Nec non ex aliis causis rationabilibus zelo fidei Catholicæ, & status dicti Ordinis cui præeram, & præsum motus, de peritorum consilio ad Sanctam Romanam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam appellavi. Quam appellationem feci, & interposui in Civitate Avinionis infra tempus a jure statutum. Et quia si post appellationem, & ejus notitiam in dicta Civitate Avinionis mansissem, mihi mortis periculum imminebat, de magnorum virorum & notabilium personarum consilio, de dicta Civitate recessi, & ad Civitatem Pisanam accessi, ut tute appellationem hujusmodi publicarem & innovarem, & etiam aliam, & alias facerem, sicut & quoties expediens videretur. Hiis igitur præmissis adhuc ostendit, quod prædictus Dominus Johannes ea his quæ dixit fecit & gessit in prædictis, incidit in hæreses manifestas rationibus infrascriptis. Ex quarum prima arguitur contra primam partem dictæ Hæreticalis Constitutionis *Cum inter nonnullos*. Prima igitur ratio sic sumitur. Certum est quod ille qui in dubium revocat illa quæ sunt pro fide Catholica firmiter credenda & simpliciter confitenda, hæreticus est censendus, quia dubius in fide infidelis, & hæreticus iudicatur. *Extra de hæret.* *C.* 1. & 24. *quæ* 1. *C. aperte*, uti in Glos. dicitur. *Nota dubitantem sive titubantem in fide, esse hæreticum, sicut falsi assertorem, quia nullus de his quæ certa sunt in fide, dubitare debet, sed firmiter credere ea, & simpliciter confiteri.* Extra *de summa Tri. & fid. Cathol.* *C.* 1. in princip. & August. 8. de Trinit. dicit: *nemo salva fide Chri-*

*stiana dicet: forte de Maria Virgine natus est Christus: non enim debet sub dubio poni, quod certa, & indubitata fide debet teneri*: hæc Augustinus, & 24. *q*. 1. *C. majores*, dicitur: *majores nostri divina inspiratione cernentes necessario prætaverunt, ut quod semel Synodus pro veritate Catholica atque Apostolica promulgasset, non sineret post hæc novis retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter statuta fuerant, propulsandi*. Hæc ibi: & Sanctus Leo Papa, & Doctor Ecclesiæ ad Marcianum Imperatorem dicit: *Aucta per Imperialem amicitiam spe Cælestis auxilii confidentius pietatem vestram pro Sacramento salutis humanæ incitare præsumo, ne cuiquam pervicaci impudentique versutia, quasi de incerto, quod sequendum sit finatis inquiri. Et cum ab Evangelica Apostolicaque Doctrina, nec uno quidem verbo liceat discedere, aut aliter de scripturis sapere, quam beati Apostoli atque Patres nostri didicerunt, atque docuerunt. Nunc demum indisciplinatæ moveantur, & impiæ quæstiones. Nimis enim iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum bella revocemus, tanquam reparata disceptatione tractandum sit utrum Eutiches impie senserit, & utrum impie Dioscorus judicavit*. Et idem Sanctus Leo ad eundem Imperatorem: *Obsecro Clementiam vestram, ut fidem, quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini, quasi dubiam retractari, & quæ olim sunt majorum auctoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari*. Et idem Sanctas Leo PP. ad Leonem Augustum scribens dicit: *Non permittatis congregari Synodum ad habendum diligentiorem Tractatum de condemnatione Euticii. Nam quæ patefacta sunt, quærere, quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt diffinita convellere; quid aliud est quam de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere. Detestandum itaque nobis est, perseveranterque vitandum, quod fraus hæretica nititur obtinere, ut in disceptationem aliquam pie, & plene diffinita, revocanda fiat, ne ad arbitrium damnatorum ipsi de eis videamur ambigere, quæ manifestum est per omnia propheticis, & Apostolicis auctoritatibus consonare; unde si qui sunt, qui ab his quæ cælitus sunt constituta dissentiunt, suis opinionibus relinquantur, & ab unitate Ecclesiæ cum ea quam elegerunt perversitate discedant*: hæc Sanctas Leo. Et *C. de sum. Triu. & Fi. Cath. L. nemo*, dicitur quod *injuriam facit reverentissimæ Synodo, si quis semel judicata, ac disposita revolvere & publice disputare contendit*. Sed dictus Dominus Joannes „ in dubium revocando sive revocari permittendo, utrum pertinaciter affirmare, Redemptorem nostrum Dominum Jesum Christum ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec etiam in Communi hæreticum sit censendum; sub quocumque sensu hæc assertio sive propositio sumeretur; revocavit in dubium illud, quod prius erat fide indubitata tenendum, & firmiter, & fideliter confitendum, & aliis materiam dubitandi tribuit, & vacillandi, & disputandi, & disceptandi de his, quæ prius pro fide certa tenenda erant: Ergo hæreticus est censendus. Probatio minoris. Quia si intellexit dicere quod inter nonnullos viros scholasticos in dubium revocaretur, utrum foret, asserere, quod Christus, & Apostoli non habuerunt aliqua quantum ad usum, hæreticum: Et quod huic concertationi finem vellet imponere: Tunc in duas hæreses incidit, quarum prima est, quia dubitavit, & aliis dubitandi materiam tradidit de tota Scriptura Evangelica, & Apostolica, qoæ pro certa, & indubitata fide, et vera tenenda est, de ea inquiri, & disputari faciendo. Nam scriptura Evangelica manifeste testatur, quod Christus in principio ortus sui post nativitatem, & in progressu vitæ suæ, & in fine vitæ suæ habuit usum cibi, & potus, & vestimentorum. Et de Apostolis idem Evangelica, & Apostolica Scriptura testatur. Ita quod vix reperiretur, quod aliquo tempore fuerit unquam aliquis quicumque hæreticus pessimus, qui tentaverit hoc negare. Unde aut falsissimam supponit, cum dicit, quod diversi diversa senserant circa illud: Aut si verum est, quod sentientes aliquos his contrarium invenit, non solum non debuit hoc in aliquam disceptationem, sive altercationem ponere, sed ipsos statim capere, & tanquam manifestos hæreticos judicare; unde cum hoc non fecerit, se ipsum hæreticum fuisse confiteri videtur. Quia *Error cui per illum, ad quem resistere ex officio pertinet & potest, non resistitur, approbatur: Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare*; & hæc dicuntur *extra de hæreti. C*. 2. 83. *di. error*, & *C. consentire*. Et facientis procul dubio culpam habet, qui quod potest corrigere, „ negligit emendare. 86. *di. C. facientis*, & 2. *q*. 7. *C negligere*. Et Judex qui repertum facinus non „ judicat, ut conscios tegere criminosa festinat. *C. de Commerc. & Mercat. L*. 2. in fin. cum simi„libus. Præterea ponendo, & poni faciendo in disceptationem & altercationem, utrum Chrislas habuerit usum cibi & potus, & vestimentorum, sine quibus humana natura de lege Communi non sustentatur, videtur in disceptationem posuisse, utrum Chrislas humanitatem nostram assumpserit passibilem, & mortalem. Nam quilibet homo verus passibilis, & mortalis necessario eget cibo, & potu, & tegumento, sine quibus humana vita de lege communi sustentari non potest; Christus enim in assumptione naturæ, quæ liberanda erat, debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, ut testatur Apostolus *ad Hebr*. 2. *C*. circa fin. Et sic debuit comedere, & bibere, & indui sicut homo. Unde Chrysostomus super Matth. *Homil*. 27. dicit: *Vides quanta est Christi in condescensione diligentia, ut comedat, & bibat, & hoc Judæorum salutis gratia facit, magister autem Orbis Terrarum*: hæc Chrysostomus. Et Gregorius in Homil. *de Christi ascensione* loquens dicit: *Comedit scilicet, ut per effectum comestionis veritas patefieret Carnis*: „ Ergo tales revocantes hoc in dubium non scholasticos, sed hæreticos manifestos, & detestabiles debuit appellare, & eos tanquam hæreticos condemnare; Et super hoc nullam novam legem dare 25. *q*. 1. *C. Sunt quidam*. Secunda hæresis fuit, quia pronunciavit hoc deinceps hæreticum, & erroneum. Ex quo evidenter datur intelligi, quod si deinceps debet erroneum & hæreticum censeri: Ergo ante Constitutionem hujusmodi, *Cum inter*, non erat nec dici poterat erroneum, & hæreticum dicere, quod Christus non fuerit verus homo passibilis, & mortalis, comedens, bibens, & induens sicut homo: Sive quod Christus, & Apostoli non habuerint usum cibi, potus, & vestimentorum, quem tota Scriptura Sacra clamat eos certitudinaliter habuisse; hoc enim ex ipso verbo deinceps sequitur manifeste, ut probatur *extra de hæreti. C. cum Christus*, ibi. *Ne quis de cætero*, & *Extra de Sum. Triuit. & Fi. Cathol. C. fidei Catholicæ §. porro*, ibi; *Si quis deincepe asserere &c*. Lib. 7°. „ Nam argumentum a contrario sensu in lege fortissimum est. *ff. de Offic. ejus cui manda. est juri. L*. 1. Et hæc hæresis etiam in Articulis fidei „ pertinentibus ad humanitatem Christi, & in Articulum *unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam* evidenter impingit. Si vero intellexit „ dicere quod inter nonnullos scholasticos in dubium revocabatur, utrum pertinaciter affirmare, quod Chrillas, & Apostoli non habuerunt in speciali, vel in Communi aliqua illo modo, de quo dicit Apostolus *primo ad Corinth*. 3. in fin. ibi, *omnia vestra sunt, vos autem Christi*, & 24. *q*. 7. *C*. 1. & *C. quod autem* in fin. Et Aug. *in* „ *libro quæstionum Evangelii* exponens dicta verba Apostoli dicit: *Omnia vestra sunt, scilicet*,

*supe-*

*superioru, aqualia, & inferioru. Superiora vestra sunt ad perfruendum, ut Deus, Trinitas; & aqualia ad communicandum, ut Angeli, qui modo nostri sunt, quia nobis ad usum dati sunt:* Ex quo jure Divino prohibetur his qui volunt in statu perfectionis Evangelicæ permanere, rem temporalem aliquam, ut propriam habere, dicente Christo: *Si vis perfectus esse, vade, & vende* &c. & in actibus Apostolorum: *Nec quisquam aliquid proprium esse dicebat*. Et 12. *q.* 1. *Non dicatis aliquid proprium* &c. Ex quo jure Divino omnia sunt communia communione Charitatis. 12. *q.* 1. *C. Dilectissimis*; & Aug. super Joannem ad Donatistas dicit: *Veniunt ad Catholicam Ecclesiam, & nobiscum habeant non solum terram, sed etiam eum qui fecit Cælum, & terram*. Et si de tali jure divino, & Communione Charitatis intellexit: Tunc similiter duas hæreses incurrit; una est, quia veritatem certissime expressam in Sacra Scriptura pro fide certa tenendam in dubium revocavit, & in disceptationem, & concertationem adduxit, & adduci permisit, & consensit: Unde & asserens in dicta Constitutione *Cum inter*, quod huic concertationi finem per ipsam imponere volebat, quod non fuerit prius finis impositus præsupponit. Aliam hæresim incidit, quia declarando deinceps hoc erroneum, & hæreticum fore censendum, quia prius non esset erroneum, & hæreticum præsupponit, ut superius est ostensum. Si vero intellexit, & voluit per dictam Constitutionem *Cum inter*, declarare erroneum, & hæreticum fore deinceps censendum pertinaciter affirmare Christum & Apostolos viam perfectionis ostendentes jure proprietatis non habuisse aliqua in speciali, nec in Communi, quod jus proprietatis scilicet ut aliquis dicat hoc meum proprium, hoc tuum proprium, per iniquitatem extitit introductum 12. *q.* 1. *Dilectissimis*: Et ex quo jure datur & competit actio, & exceptio in Judicio *ff. de acquir. re. do. l. rem. in bonis*. Et inde proveniunt litigia. Sub hoc intellectu qui fuit ejus intellectus, ut superius est ostensum. Et in hoc casu incidit in tres hæreses manifestas. Prima hæresis est, quod in dubium revocavit, quod erat clare, & expresse per Sanctam Romanam Ecclesiam super hoc diffinitum, & per longissima tempora ab universali Ecclesia pro sano, & Catholico dogmate acceptum, & approbatum. Ex quo hæresim incidit ex tunc; cum veritatem certam declaratam, & diffinitam circa vitam, & doctrinam Christi, & Apostolorum in disceptationem, & dubium revocavit. Secunda hæresis est, quia assertionem, & diffinitionem clare & certissime per Sanctam Romanam Ecclesiam Catholicam declaratam diffinitam in sæpedicta Decretali *Exiit* §. *Porro*, cum dicitur: *Dicimus quod abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum tam in speciali quam in communi propter Deum meritoria est, & Sancta, quam Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit; quam quoque primi fundatores Ecclesiæ militantis pariter ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte vivere per Doctrinæ, ac vita ipsorum alveos derivarunt:* Ipse D. Joannes hæreticus in dicta sua Constitutione *cum inter* declarat, deinceps erroneum censendum & hæreticum. Et quia quorundam magistrorum assertionem tempore D. Alexandri Papæ IV. dicentium hujusmodi abdicationem proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam in communi non esse meritoriam, nec a Christo, aut Apostolis doctam dudum per Sanctam Romanam Ecclesiam condemnatam, ut superius est ostensum. Nunc per hanc constitutionem, *cum inter*, approbat & confirmat. Cum tamen, testante Canone 19. *di. si Romanorum*, illud quod semel pro sano dogmate in fide, vel moribus Sancta Romana Ecclesia approbavit, semper ab omnibus teneri debeat acceptum, & quod reprobavit pro reprobato censeri. Et 24. *q.* 1. *hæc est fides*. Cum Sancta Romana Ecclesia a tramite Apostolicæ traditionis nusquam deviasse, aut errasse probetur. 24. *q.* 1. *a recta C. putanda* circa fin. Et tanta sit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritas, ut de ea Augustinus contra Epistolam fundamenti dicat: *Ego Evangelio non crederem, nisi me ad hoc Ecclesiæ auctoritas commoveret:* unde sicut contra Sacram Scripturam pertinaciter aliquid asserens hæreticus est censendus: Sic & pertinaciter asserens contra illa, quæ sunt per Sanctam Romanam Ecclesiam in fide, vel moribus diffinita, cum Spiritu Sancto regatur. Unde Canones per eam promulgati a Spiritus Sancti instinctu processisse dicuntur 25. *q.* 1. *C. violatores*: Et cum errare non possit in fide, licet Papa errare possit in fide. 40. *di. C. si Papa*. Et reperitur diversis temporibus plures Romanos Pontifices in fide errasse, sicut patet de Anastasio *XIX. di.* §. *hoc autem*, & §. *quia Ergo*: sic & legitur quendam Leonem Papam errasse tempore Sancti Hilarii Pictaviensis: Et Liberium Papam tempore Sancti Eusebii Vercellensis. Et eo ipso quod Papa manifeste errat in fide, sententiam Excommunicationis statim incurrit: nec est necesse sententiam damnationis alicujus alterius expectare. Nam Papa damnatam hæresim incurrendo, ejusdem damnationi, & sententiæ se involvit, & omni potestate ipso facto est privatus, & minor est quocumque Catholico; non potest aliquem excommunicare, vel ligare, quia lex ipsum factum damnat, etiamsi non sit contra eum per hominem sententia promulgata, ut hæc dicuntur, & notantur, 24. *q.* 1. *C.* 1. *in* Text. & Glos. Et de hac materia plenius dicetur infra in §. *Cum igitur adeo sit notorium*. Tertia hæresis quam dictus D. Ioannes incurrit, si intellexit declarare hæreticum fore asserere, quod Christus, & Apostoli viam perfectionis ostendentes non habuerunt aliqua jura proprietatis in speciali, nec in communi, est quod ipsa imponit falsum ipsi scripturæ cum ipsa constitutione, *Cum inter* dicit, quod Sacra Scriptura in plerisque locis asserit ipsos nonnulla habuisse intelligendo jure proprietatis, quin imo potius oppositum videlicet, quod non habuerunt aliqua jure proprietatis. Nam cum, ut supra probatum est, proprietas in rebus fuerit a jure Imperatorum, sive a jure humano per iniquitatem introducta, ut expresse patet in sæpe alleg. *C. dilectissimis* 12. *q.* 1. *in* Text. & Glos. &. 8. *di. C.* 1. Et sunt verba Augustini super Ioannem. Et Christus omnis perfectionis Magister Apostolos ipsos, & vitam ipsorum perfectissime imitari volentes voluerit solvere ab omni concupiscentia, & sollicitudine rerum temporalium, quæ maxime expropriatione rerum temporalium introdocitur, & ad statum illum reducere, in quo nullus sibi aliquid proprium esse dicebat ut expresse patet in Auctoritatibus superius inductis. Et Apostoli, & eos in via perfectionis sequentes illum statum assumpserint, in quo nullus aliquid proprium esse dicebat, ut expresse patet in auctoritatibus superius inductis: & *Act.* 4. & habetur expresse in dicta *C. dilectissimis*: sequitur, quod nullus appropians sibi res temporales aliquo modo potest esse perfectus illa perfectione, de qua dicit Christus in Evangelio: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni & sequere me*: de qua Sanctus Petrus Apostolus in persona omnium Apostolorum, dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Quod relinquere secundum Ecclesiæ Catholicos Doctores intelligitur de abdicatione proprietatis omnium rerum; unde Augustinus in lib. *de facultatibus Ecclesiæ*, dicit sic: *De Evangelio vivunt, qui nihil proprium habent, nec habere possunt*: hæc Augustinus: & Hieronymus ad Eliodorum dicit: *perfectus Christi servus nihil præter Christum habet, aut si præter Christum aliquid habet, perfectus non est*. Et idem Hierony-

mus, ad Nepocianum, & ponitur 12. q. 1. C. Clericus dicit: *qui Deum possidet, & cum propheto dicit. Pars mihi est Dominus, extra Deum nihil habere potest. Quod si quippiam habuerit praeter Deum, pars ejus non erit Dominus, verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus Dominus non dignatur fieri pars ejus:* hæc ibi. Quæ auctoritates necessario intelliguntur de habere quantum ad proprietatem. Constat enim quod Apostoli, & eos perfecte sequentes Sancti Patres habuerunt quantum ad usum vitæ necessarium res hujusmodi temporales, quia non usus rerum ad vitam necessarius distrahit mentem a Deo, nec sollicitationem, a contemplatione debita divinorum retrahendo, inducit: Sed appropriatio rerum hoc facit: Unde sanctus Isaac in lib. *de perfectione contemplationis* dicit sic: *Nisi quis sine proprio fuerit, a turbatione cogitationum non poterit ejus animus liberari; & sine tranquillitate sensuum non sentiet pacem mentis*. Et iterum in eodem libro dicit: *Nihil ita facit menti tranquillitatem, sicut paupertas, quæ pro Christo voluntarie sustinetur;* Et loquitur de paupertate illa, quæ est vivere sine proprio, quam Sancti religionum Institutores sunt professi. Quamvis igitur Scriptura Sacra in pluribus locis dicat Christum, & Apostolos aliqua habuisse, tamen in nullo loco dicit, quod Christus, & Apostoli postquam viam perfectionis adepti sunt aliquid jure proprietatis habuerunt in speciali, nec in communi; quia imo ut dictum est secundum Sanctos Doctores Ecclesiæ, ubicumque in Scriptura Divina reperitur Christum, & Apostolos, postquam viam perfectionis adepti sunt, aliqua habuisse, intelligunt, & exponunt eos habuisse quantum ad usum, & non jure proprietatis: unde Hieronymus super illud Apostoli ad Timotheum 6. *habentes alimenta, & quibus nos tegamur &c.* dicit sic: *Signanter dicit quibus nos tegamur, ut ostenderet, se non quærere nisi usum.* Et super illud Apostoli ad *Philip.* ult. *misistis mihi in usum*. Glos. ordinaria, & est Augustini, dicit: *Præter usum in rebus nihil quærendum est*. Et quod in Scriptura Divina dicitur, *partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*. Joan. 19. Et illud Apostoli 1. *ad Corinth.* 3. *omnia vestra sunt*, intelligitur quantum ad usum, ut probatur per illud Augustini in primo lib. *quæstionum Evangelii*, & recitatur in Glos. *ad Romanos* 8. sic inquiens Augustinus. *Omnia vestra sunt, quia ad usum vobis sunt, sicut res Dominorum dicuntur esse famulorum non dominio, sed quia ad usum sunt eorum*, hæc Glos. Constat autem, & in Canone dicitur, quod Sanctorum Doctorum auctoritas in expositione Sacræ Scripturæ est statutis Papalibus præferenda, licet in Causis diffiniendis eisdem Papalis auctoritas præferatur, ut dicitur *XIX. di.* §. 1. Ex prædictis igitur liquido concluditur, quod ipse Dominus Joannes intelligendo pronunciare, sive declarare hæreticum asserere, quod Christus, & Apostoli non habuerunt jure proprietatis aliqua in speciali, nec in communi, ut dictum est; Et ad hoc probandum asserendo, quod Scriptura Sacra in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, in hæresim incidit, imponendo sensum Scripturæ Divinæ, & eam aliter exponendo, & intelligendo, quam Sancti Doctores Ecclesiæ, qui per Spiritum Sanctum locuti sunt, intelligant, & exponant. Nam quicumque Scripturam Sacram aliter intelligit, quam sensus Spiritus Sancti efflagitat, a quo scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, potest hæreticus appellari. 24. *q. III. hæresis;* Et sunt verba Sancti Hieronymi in Epistola ad *Galat.* Et eo ipso quod aliquis admittit ad Scripturam Sacram aliquod mendacium, totam Scripturæ Sacræ auctoritatem infringit, *IX. di. Si ad Scripturas*. Quod autem dicere Christum, & Apostolos viam perfectionis sequentes jure proprietatis habuisse aliqua in speciali, vel in Communi, contradicat Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Doctorum Ecclesiæ dictis, patet manifeste ea auctoritatibus Sanctæ Scripturæ, quas addunt Ven. Doctores Dominus Frater Bonaventura Cardinalis, & Episcopus Albanensis in libro suo, qui dicitur *Apologia*, & Dominus Frater Joannes de Pechano Archiepiscopus Cantuariensis in suo libro *de perfectione Evangelica*, quos composuerunt contra illos, qui hujusmodi abdicationem proprietatis omnium rerum in speciali, & in Communi impugnabant; per quos auctoritates Sacræ Scripturæ, & Doctorum Ecclesiæ in ipsis libris apertissime demonstrantur, quæ diligenter videantur. Et ibi etiam respondetur ad omnia quæ in contrarium adduci possunt. Et patet etiam per auctoritates superius, & inferius introductas. Si vero intellexit pronunciare hæreticum fore deinceps pertinaciter affirmare Christum, & Apostolos condescendendo infirmis non habuisse jure proprietatis, & dominii aliqua in speciali, nec etiam in communi. Sicut etiam dicere expresse videtur in tertia constitutione, sive ordinatione si sic dici potest, quam dictus D. Joannes fecit respondendo appellationi Regis Romanorum, quæ incipit, *quia quorundam*, ubi dicit in hæc verba: *Adhuc Nicolaus prædecessor noster videtur sensisse quod Christus, & Apostoli etiam quoad proprietatem habuerunt aliqua in communi.* Cum enim in sua declaratione prædicta verba de abdicatione proprietatis dixisset. Respondens objectioni, quæ fit de loculis, quos Christus in Evangelio legitur habuisse, poterat fieri, statim quæ sequuntur subiungit: *Nam sic ipse Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actionibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescenderet, & viam perfectionis extolleret, & infirmorum infirmas semitas non damnaret.* Sic & *infirmorum* ponens, Christum asserit in loculis suscepisse; alias impertinens fuisset de loculis objectio, nisi intellexisset Christum etiam quoad proprietatem loculos habuisse. Præterea, si diceretur, quod in Persona infirmorum ipse Christus habuit loculos, cum secundum eum perfectis etiam conveniat habere simplicem facti usum. Et si quæratur, vel dicatur, propter quos Infirmos loculos habuit. Augustinus cujus dictum est insertum in Decretis respondet dicens: *habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat; Unde patet ipsum de suis discipulis, & aliis indigentibus hoc sensisse. Nec hoc scilicet habere in Communi etiam quoad proprietatem aliquam, derogat altissimæ paupertati.* Et infra: *Rursus asseruisse dicuntur publice hujusmodi assertores, quod abdicatio Juris in cujuscunque rei proprietate, & in ejus usu est Sancta, & meritoria propter Deum, & a Christo in se servata, apostolisque imposita, & ab ipsis sub voto assumpta. Nec propter hoc usus facti ad sustentationem naturæ in Christo, & Apostolis convincitur esse non justus, sed tanto justior, atque perfectior, & Deo acceptior, & mundo exemplarior, quanto plenius renunciatum fuerit omni Juri per quod potest sic utens pro usu hujusmodi quomodolibet contendere, vel in Judicio litigare. Quæ quidem assertio continet multa falsa, cum nec Christum expropriationem prædictum omnis Juris in cujuscumque rei proprietate, & in ejus usu in se servasse, nec etiam impossibile Apostolis, neque sub vota ab ipsis fuisse receptum Evangelica, seu Apostolica docet historia, sed contrarium evidentius manifestat.* Hæc verba Domini Joannis prædicti. Ex quibus, & aliis, quæ dixit & asseruit in Constitutione *ad Conditorem*, ut superius est probatum, aperte demonstrat se sentire, & sensisse quod Christus, & Apostoli nusquam docuerunt nec servaverunt abdicationem proprietatis omnium rerum in speciali, & in communi:

„ muni: nec eum viam perfectionis ostenderint, nec cum Christus descendit infirmis, quod sit hæreticum asserere Christum & Apostolos non habuisse aliqua jure proprietatis in speciali, nec etiam in communi: Ipse D. Joannes hæresim incidit multipliciter. Primo declarando, & judicando hæreticum fore censendo, quod non est nec dici potest hæreticum. Nam Decretalis D. Nicolai III. nusquam dicit, nec insinuat, nec ex verbis ejus argui potest, quod Christus habuit proprietatem in loculis etiam condescendendo infirmis, cum dicat in hæc verba: *Sic & summæ charitatis dignatione ad actus quosdam nostræ imperfectionis conformes inducuntur, quod a summæ perfectionis celsitudine non curvatur. Egit namque Christus, & docuit perfectionis opera, egit etiam, & infirma, sicut interdum in fuga patet, & loculis, sed in utroque perfecte perfectus existens, ut perfectis, & imperfectis se viam salutis ostenderet, qui utrosque salvare venerat, qui tandem mori voluit pro utrisque:* hæc ibi. Ex quibus verbis, vel aliquibus verbis ipsius decretalis nullatenus potest argui, quod Christus habuerit proprietatem in loculis etiam condescendendo infirmis. Nec obstat, quod dictus Dominus Joannes in sua prædicta constitutione *quia quorundam* dicit, quod impertinens fuisset objectio de loculis, nisi intellexisset Christum quoad proprietatem loculos habuisse. Quia si diceretur Christum in loculis habuisse simplicem facti usum, frustra, ut hæreticus ipse dicit, Dominus Nicolaus Papa diceret, quod in Persona infirmorum ipse Christus habuit loculos, eum secundum eum perfectis etiam conveniat habere simplicem facti usum: Et vere non valet, quin imo per hoc imperitum, & ignorantem se esse demonstrat, dum inter exceptionem, & remotionem instantiæ, sive objectionis non distinguit, si enim esset exceptio, quæ fieret a regula, tunc frustra fieret exceptio, nisi in casu excepto regula officium suum perderet. *ff. de reg. jur. L.* 1. ut puta si dicatur, Christus viam perfectionis ostendens non habuit aliqua jure proprietatis, & fieret exceptio ab ea, nisi cum loculos haberet infirmis condescendendo; sed hoc nequaquam dixit dicta decretalis: sed posito pro fundamento immobili, & infallibili, quod abdicationem proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit, voluit respondere ad objectionem, quam in contrarium faciebant adversarii veritatis opponentes de eo, quod scriptum est 12. *q.* 1. *habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservans &c.* Quod dictum de habere jure proprietatis intelligere volebant, sicut intellexit hæreticus supradictus; ad quam objectionem tollendam respondet dicens: *Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur Christus loculos habuisse*: quasi dicat, si putat, quod hoc obsistat prædicto fundamento, & illud vitiet in aliquo, fallitur. Quia licet habuerit Christus loculos infirmis condescendendo, tamen ipse sic habuit, quod a summæ perfectionis rectitudine propter hoc nullatenus deviavit, sed perfecte perfectus existens ipsos loculos habuit ita sicut & fugit. Et si dicatur, in quo ergo condescendit; patet responsio, quod condescendit in habendo interdum loculos ad provisionem in futurum, in quibus conservabat oblata a fidelibus, sicut faciunt infirmi, & imperfecti, qui congregant, & conservant, & sunt solliciti ad congregandum, & conservandum temporalia ad provisionem in futurum, ne eis deficiant quod non faciunt perfecti. Quibus Christus in Evangelio dicit: *ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis; nec corpori vestro quid induamini*; ubi dicit quædam Glossa: *sollicitudo dicit præexcogitationem, & provisionem necessariorum cum timore defectionis eorum, & cupiditate complexionis eorum, cum animi in his distractione*: hæc Glos. Condescendit ergo infirmis in actu provisionis in futurum, in habendo interdum loculos, in quibus oblata conservabat, sicut faciunt infirmi; sed non quantum ad actum timoris, quia nusquam timuit, ut deficerent sibi temporalia, nec de his sollicitus fuit, unde nec ea sibi appropriavit. Nam si hoc fecisset, imperfectus fuisset; Cum Glos. nec scriptura dicat, quod Christus habuit in loculis proprietatem: nec Sancti Doctores hoc asserant, nec hoc Ecclesia diffiniat, sequitur quod judicando hæreticum quod non est, & sic determinando cadere sub objecto fidei, quod non cadit, in hæresim incidit. Secundo incidit in hæresim, determinando contra illud, quod Sancti Doctores Ecclesiæ de scriptura sacra divina sentiunt, asserunt, & exponunt, quorum Doctorum auctoritas in expositione Sacræ Scripturæ præfertur, ut dictum est, Romanorum Pontificum institutis, *XX. di.* Quod sic ostenditur. Nam super illud Matth. 17. C. *& aperto ore invenies staterem*: Hieronymus dicit sic. *Tantæ fuit Dominus paupertatis, ut unde tributa solveret non haberet. Judas quidem communia habebat in loculis, sed res pauperum in usus suos convertere nephas duxit, idipsum dans nobis exemplum*; hæc Hieronymus. Ex qua auctoritate clare patet, quod Christus, quoad proprietatem non habuit loculos; quia si in eis proprietatem habuisset, constat quod non fuissent res pauperum, sed propriæ; nec fuisset nefas expendere in usus proprios de pecunia loculorum. Item super illud Joannis 13. *quidam putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus ut egenis daret aliquid.* Chrysostomus in Homil. 71. de loculis loquens quæstionem proponit: *qualiter*, inquit, *non peram, non virgam, non æs jubens deferre, marsupium ferebat?* Et respondens subdit: *ad inopum ministerium, ut discas, quoniam valde pauperem, & crucifixum hujus pauperis partis multam facere dispensationem. Multa enim dispensans ad doctrinam nostram agebat*: hæc Chrysostomus: In his ostendit hic Sanctus Doctor, quod Christus habuit loculos ad dispensationem, & procurationem pauperum, & non ad proprietatem. Et quod exemplum dedit viris perfectis, curam gerere pauperum, & miserabilium personarum. Item secundum Augustinum, *quia Christus habuit loculos, tunc primum instituta fuit forma Ecclesiasticæ pecuniæ*. Unde idem Augustinus *homil.* 40. super Joannem, & ponitur 12. *q.* 1. dicit sic: *habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservando, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat; tunc primum Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta*: hæc Augustinus. Sed constat, quod Sacros Canones, & dicta Sanctorum Doctorum Ecclesiæ, quod Papa, qui vicem Christi gerit in terris, & Episcopi qui vicem Apostolicam tenent in terris, non habent, nec vendicant sibi, nec vendicare possunt pecunias sive res Ecclesiæ ut proprias, nec in his habent proprietatem, sed solum procurationem & dispensationem; unde Augustinus, & ponitur 23. *q.* 7. *C. quod autem* loquens de rebus Ecclesiæ in persona sua, & aliorum Episcoporum dicit: *non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem gerimus, nec proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicemus*: hæc Augustinus. Et 12. *q.* 111. dicitur: *Pontifices, quibus in Summo Sacerdotio constitutis ab extraneis aliquid dimittitur, aut donatur pro redemptione animæ, non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ inter facultates Ecclesiæ computabunt*. Et Extra de donati. C. 2. dicitur quod *Episcopus & quilibet Prælatus ecclesiasticarum rerum est Procurator, & non Dominus*. Et Prosper in *Lib. de Contemplativa* dicit: *scientes viri sancti nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non ea[illegible]dicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut [illegible]mmendatas pauperibus erogarunt*: hæc dictus Sanctus. Con-

„ stat

„ stat autem, quod si Christus, & Apostoli habuissent loculos quoad proprietatem, ut dictus hæreticus in dictis suis Constitutionibus dogmatizat, per talem modum habendi dedissent formam Papæ, & Episcopis, qui in eorum locum succedunt 12. *q.* 1. *videntes*, & 68. *di. quorum vices*, & 21. *di. In novo:* quod ipsi res Ecclesiæ quo ad proprietatem haberent. Constat etiam, quod si Christus & Apostoli in cibis, & aliis necessariis ad vitam, quæ interdum de loculis emerunt, habuissent proprietatem, falsum esset per consequens quod Hieronymus ad Nepocianum dicit, *quod Christus cibo vescebatur alieno*; falsum etiam esset, quod dicitur in Evangelio de Apostolis, quod *omnia reliquerunt*. Tertio intelligendo, & asserendo, sicut intelligit, & dicit expresse in dicta Constitutione *quia quorumdam*, quod Christus & Apostoli quoad proprietatem juris Civilis, & mundani habuerunt in Communi loculos, in hæresim detestabilem incidit; & cujuslibet religionis habentis tria vota essentialiter annexa, scilicet vivere in obedientia, sine proprio, & in Castitate, quantum in se est destructivam. Quod patet, cum prædicta verba ejus necesse sit intelligere de proprietate introducta de jure Civili, vel mundano. Quia respondet ad illud, quod dicebatur in appellatione Domini Imperatoris, paupertatem Christi & Apostolorum constitisse perfecte in expoliatione cujuslibet temporalis dominii Civilis, & mundani; quod dictum ipse D. Joannes nititur improbare, & ostendere, quod imo habuerant proprietatem. Et ideo de proprietate sive dominio Civili & mundano intelligi est necesse: quia tale Dominium intendit, & vult improbare. Et reprobatio dicti intelligitur facta de ea proprietate, de qua agebatur in dicto. Sicut & responsio intelligitur esse facta ad illud quod in quæstione deductum est. *C. de divers. rescript. l.* 1. Alias ejus probatio impertinens & nulla esset: habere autem proprietates rerum cum Collegio civiliter, & mundane includit personalem proprietatem, & Collegialem, ut inferius ostendetur. Ad quorum evidentiorem intelligentiam advertendum, & notandum est diligenter: Quod quæ quadrupliciter fit, & est rerum temporalium Communitas ex quadruplici jure manans. Prima namque Communitas est quæ emanat a jure necessitatis naturæ, quo jure fit, ut omni re temporali ad naturæ sustentationem idonea, quantumcumque sit alicui personæ appropriata, ille qui ea indiget necessitate extrema licite uti possit ad naturæ sustentationem etiam absque voluntate vel licentia ejus cui appropriata erat; quin imo potest eam licite auferre etiam violenter ab illo cui appropriata est. Et sic eam auferens licite potest talem rem in usum suum convertere, ac si Papa foret, ut probatur *Matth.* 12. ubi Discipulos Christi esurientes, & evellentes spicas per sata, & manducantes, cum eos accusarent Pharisæi dicentes, quod faciebant quod non licebat; Christus excusat eos, & innocentes judicat, quia propter necessitatem famis hoc faciebant. Et idem in Decretis de *Consecrat. di.* 5. *C. Discipulos* in Text. dicitur in hæc verba: *Discipulos cum per segetes transeundo evellerent spicas, & ederent, ipsius Christi vox eos innocentes vocat, quia coacti fame hoc fecerunt*, hæc ibi; ubi Glos. dicit, quod *necessitas famis excusat a furto*; unde tempore talis necessitatis qui auferret ab aliquo rem etiam contra ipsius voluntatem furtum non committit, & licite utitur tali re. Et tamen in tali re non habet jus proprium a jure positivo, sive Civili inventum. Et de hoc jure, *Canon.* 47. *di. C. sunt hii*, ubi loquens de tempore hujus necessitatis dicit; *Nemo dicat proprium quod est commune:* Et huic communitati sive juri non est possibile renunciare pro eo quod manat a jure naturaliter inserto homini, quia Dei est imago, & Creatura dignissima propter quam mundana omnia sunt creata. Non huic juri potest derogari per aliquam legem,, quia necessitas talis non subiacet Legi *extra de observat. jejun. C. sicut & de consuet. C. quanto. Et de regu. jur. C. quod non est licitum* in Text. & Glos. Et ex hoc jure Apostoli emerunt ad victum necessaria, sicut dicitur *Ioannis* 4. *Discipuli ejus abierunt in Civitatem, ut cibos emerent.* Quod autem hoc fecerunt tempore talis necessitatis, scilicet, cum aliter eis per humanum auxilium non fuisset provisum, patet in eodem Evangelio, cum dicitur Iesum venisse in Civitatem Samariæ, & quod Samaritani non contebantur Iudæis. Et *Luc.* 9. dicitur: *intraverunt in Civitatem Samaritanorum, ut pararent illi, & non receperunt eum.* Ex quibus patet, quod Samaritani erant inhospitales Iudæis; unde Apostolis ad naturæ sustentationem egentibus cibo, non fuisset provisum, nisi emissent. Nec ex hoc potest argui, quod Apostoli, qui in tali Casu emerunt, fuerint proprietarii in re taliter empta, quia, ut dictum est, tale jus est jus naturale, quod non subiacet legi. Et de hoc jure loquitur Decretalis *Exiit* §. *Porro V.* Et quidem, ubi dicit, *quod jure poli fratribus minoribus, sicut & cæteris non præcluditur via ad providendum sustentationi naturæ in extremæ necessitatis articulo, cum ab omni lege hujusmodi extrema necessitas sit excepta*: hæc ibi. Secunda communitas est, quæ emanat ex jure divino, quo fit, ut omnia sint justorum Communione quadam fraternæ Caritatis, ut quæ prius erant propria, fiant universorum communia secundum illud Apostoli primo ad Corinth. 3. *Omnia vestra sunt*; de qua communitate Augustinus super Ioannem *homil.* 6. loquens contra hæreticos Donatistas; Et ponitur 23. *q.* 7. *C. quod autem dicit*; *veniant*, inquit, *ad Catholicam Ecclesiam, & nobiscum habeant non solum terram, sed etiam eum qui fecit Cælum & terram.* Et Augustinus in *lib. quæstionum Evangelii*, & Glos. ad Romanos 8. exponens dicta verba Apostoli: *Omnia vestra sunt* dicit: *omnia vestra sunt, quia ad usum vobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non dominio scilicet, sed quia ad usum sunt eorum*; hæc Augustinus. Et secundum hoc jus divinum fuerunt Apostolis omnia temporalia communia, non quantum ad proprietatem sive dominium juris Civilis, & mundani, quæ reliquerant, dicentes *Ecce nos reliquimus omnia*, sed solum quantum ad usum. Ex quo jure etiam emanavit in Ecclesia primitiva communitas credentium, & Apostolicam vitam sequentium, de qua dicitur *act.* 4. *Erat eis cor unum, & anima una*; nec quisquam eorum dicebat esse suum aliquid, quæ possidebat. Ita quod sicut erat eis cor unum, & anima una ex charitate fraterna; ita erant eis communia omnia temporalia communitate fraterna. Et hoc est, quod expresse dicit *C.* sæpe allegatum 12. *q.* 1. *C. dilectissimis*, ubi dicitur, quod *erant Apostolis, & eorum vitam sequentibus omnia temporalia communia.* Et quod ipsa temporalia essent eis communia solum quantum ad usum patet per exemplum, quod in ipso *C.* ponitur, cum dicitur, *quod sicut dividi non potest aer, nec splendor solis; ita nec reliqua quæ communiter data sunt hominibus ad habendum dividi debere, sed habenda communia esse:* hæc ibi. Ex quo arguitur sic. Per hoc quod aer, & splendor solis sic sunt hominibus communia, & ab omnibus habentur in communi: Sanctus Clemens successor Petri in dicto *C.* probat, reliqua temporalia debere Apostolis, & eorum vitam sequentibus esse communia. Constat autem quod Aer, & splendor solis solum sunt communia secundum usum, & non secundum proprietatem, quia nullus singularis, nec aliquod Collegium, nec aliqua communitas appropriat sibi ista, nec contendit se habere ea jure proprietatis, seu dominii: Ergo temporalia fuerunt Apostolis, & vitam eorum per-

„ fecte

secta sequentibus communia solum quantum ad usum, & non quantum ad proprietatem, & dominium. Et ideo talis communitas non includit proprietatem in rebus. Et quod dicit Augustinus quod Dominus habebat loculos pro suis necessitatibus, intelligitur quantum ad usum, & pro aliis indigentibus, quantum ad necessitatem, & dispensationem, non autem quantum ad proprietatem, ut patet ex auctoritatibus superius introductis: unde sicut fatuus reputaretur, & insanus, dicens, qui habet usum solis, & aeris absque jure utendi, ejus usus esset reputandus injustus: sic fatuum est pariter, & injustum dicere, quod Apostoli, & alii Religiosi vitam eorum sequentes, ex eo quod dicantur habuisse in rebus temporalibus usum facti denudatum omni jure habendi a jure civili, & mundano introducto, sequatur per consequens eorum usum injustum, sicut asserit hæreticus supradictus. Et quod intelligatur per eam injustus usus, omnis usus denudatus jure utendi a jure humano, & mundano introducto, patet manifeste, cum in secunda hæresi in dicto *C. cum inter* inserta dicat expresse: Quod si nequaquam Christo, & Apostolis competivisset jus utendi, vendendi, & donandi in illis rebus, quas eos habuisse scriptura testatur, aut ex ipsis alia acquirendi, est a jure humano introductum, ut expresse dicitur *ff. de justi. & jur. L. ex hoc jure gentium*, & 8. *di C. quo jure*. Tertia communitas est, quæ emanat ex jure Civitatis mundanæ, quo fit, ut unius Civitatis, seu castri, vel villæ, vel unius societatis, seu Collegii, aut universitatis hominum aliquorum una fiat communitas & res publica, vel unius indivisæ familiæ fit una communis hæreditas: Et talis communitas includit etiam per solemnem proprietatem in rebus communibus emanantem ex jure humanitus instituto. Nam quamvis res communitatis civilis, & Mundanæ absolute non censeantur esse singulorum, sed sint acto universitatis quantum ad proprietatem, & dominium *ff. de re divisi. L. in tantum* §. 1. & *ff. de in jus vocari L. sed si hac* §. *qui manumittitur*. Et quod debetur universitati, singulis non debetur *ff. quod cujuscunque univer. no. L. sicut* §. 1. Quia tamen secundum quod sunt, quia si dissolveretur communitas illa, communes pecunias dividunt inter se, & quilibet potest partem suam petere, in illo debito quod communitati debebatur. Similiter potest petere partem suam quicumque ex legis concessione recederet ab illo Collegio. *ff. de Collegi. illicis. l.* 1. & *l. Collegia*. Et tali respectu, quod est Collegii dicitur singulorum, ut hæc plene dicuntur, & notantur *ff. de Colleg. illic. l.* 1. *in Glos. oedi.* Ideo cuilibet de tali Communitate sive Collegio dicitur competere jus proprium personale in ipsis rebus Communibus illius Collegii, alias nihil posset petere quantumcumque dissolveretur jus Collegii, vel ab eo recederet. Et talis Communitas, quæ personalem includit Communitatem manantem ex jure humanitus instituto, nullo modo stat cum perfectione Evangelica, de qua dixit Christus, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me:* imo tali Communitati renunciare est de necessitate volenti perfectionem Evangelicam adipisci. Ex quibus clare patet, quod dicere, quod Christus, & Apostoli habuerunt in rebus aliquibus, quibus usi sunt, aut in loculis proprietatem Civilem, & mundanam de qua superius est dictum, sicut ipse dicit, necessario includit, quod ipsi omnes, & singuli fuerunt proprietarii in speciali, & in Communi. Et quod Christus, & Apostoli nunquam docuerunt vivere sine proprio. Et quod Consilium Christi, *vade, & vende omnia &c.* fuit falsum, nec ad perfectionem pertinet; Et quod ad perfectionem non pertinet omnia relinquere. Et quod omnes sancti volentes sequi vitam Christi & Apostolorum voverunt vivere sine proprio, erraverunt, imo tota universalis Ecclesia ab ipsis fundamentis in errore vixit, & errores docuit, dicendo, quod monachi succedunt in locum Apostolorum quoad abdicationem propriorum: Et quod abdicatio proprietatis est annexa regulæ monachali, ut dicunt jura superius allegata. Quarta Communitas est Ecclesiastica, quæ emanat ex jure Ecclesiastico ratione dotationis Ecclesiæ introducto, sed postquam Ecclesia fuit dotata a Principibus Christianis: Et hæc communitas includit quasi proprietatem non personalem, sed Collegialem, non civilem & mundanam, sed Ecclesiasticam. Ad cujus communitatis intelligentiam attendendum est, quod in Ecclesia primitiva Apostoli, & eos sequentes sancti viri prædia & possessiones in Judæa minime sunt adepti, sed pretium tantummodo ad fovendum egentes. 12. *q.* 1. *C. futuram:* & *act.* 2. & 4. *c.* dicitur, quod *illi qui erant de multitudine credentium vendebant possessiones, & substantias, & afferebant pretia earum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, & dividebant singulis prout cuique opus erat.* Ex quo patet, quod possessiones, & prædia non habebant in eorum communitate. Sed postquam pervenit ad Principes Romanos, qui totius Orbis monarchiam tenebant, & fidem Christi, & Baptismum susceperunt; inter quos primus fuit Constantinus Imperator, & immensa donata sunt Ecclesiæ; videntes Summi Pontifices, & reliqui fideles plus utilitatis posse conferre, si hæreditates, & agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eo quod ex sumptibus eorum tam præsentibus, quam futuris temporibus plura, & elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex pretio ipsarum, cœperunt prædia, & agros quos vendere solebant matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere. Ipse vero res in ditione singulorum Episcoporum Parrochiarum, qui locum tenent Apostolorum, erant, & sunt adhuc, & futuris semper debent esse temporibus, de quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum omnibus communi vita degentibus ministrare debent cuncta necessaria, prout melius poterint, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipse enim res fidelium oblationes appellantur, quæ Domino a fidelibus offeruntur, ut hæc dicuntur 12. *q.* 1. *C. videntes*; Et est Decretum S. Urbani Papæ & illud *C. futuram* est Melchiadis Papæ. Et hoc jure Canonico bona Ecclesiæ sunt divisa per Ecclesias diversorum locorum authoritate summorum Pontificum, & Ecclesiæ unitate: Et Episcopis, & aliis Prælatis in Ecclesia administratio est concessa: Et hæc communitas est in omnibus Ecclesiis Collegiatis, & regularibus habentibus Domos, & prædia rustica, & urbana, & possessiones, & alia bona in Communi, sive ad sufficientiam vitæ, ut habent monasteria, habeant, sive habeant aliqua, sed non ad sufficientiam, unde mendicare compellantur, ut Prædicatores. Et quia pro ipsis Domibus prædiis, possessionibus, & bonis, quæ in communi habent, ipsi communitati datur actio, & exceptio in Iudicio, dicuntur in bonis ipsius communitatis esse *ff. de acquir. re. do. l. rem in bonis*. Ideo talis communitas dicitur habere quasi proprietatem, & dominium utile; quia sic agere & facere videtur in talibus, ut Dominus in re propria facere consuevit. Et tamen talis proprietas, & tale dominium non est proprietas, & dominium civile & mundanum. Quia si dissolveretur talis communitas, non dividerent inter illos de illa communitate Ecclesiastica illa bona, imo redirent ad Ecclesiam Catholicam, quæ est Congregatio Fidelium, & essent in dispositione Summi Pontificis, quia Deo dicata fuerunt, sicut expresse habetur *Extra de religi. Dom. C. religionum* §. *confirmatos lib.* 6. unde Innocentius & Ho-

tien.

stien. *extra de Cauf. posse. & propriet. C. cum si quis electus* in apparatibus suis dicunt in hæc verba: *hic notandum est, quod non Prælatus, sed Christus habet possessionem, & dominium rerum Ecclesiæ: unde quæcumque offerunt homines Ecclesiis, dicunt esse Deo oblata. 12. q. 1. C. videntes, & C. res. & q. 2. C. nulli liceat, & C. prædia, & C. qui abstulerit, vel Ecclesia, idest Congregatio fidelium, quæ est Corpus Christi Capitis, extra de sacra uncti. C. 1. ante medium habet proprietatem & possessionem eorum. 12. q. 3. C. Pontifices. Et si aliquando in jure inveniatur, quod hæc bona domino oblata, sunt Episcoporum, vel Prælatorum, vel Capitulorum, dic ea esse illorum quo ad gubernationem, & administrationem, Et dicuntur esse pauperum quo ad sustentationem, unde proprie loquendo Prælati dicuntur Procuratores, & non Domini. Extra de donati. C. 2. Ideo nullus dicat Patrimonium proprium quod est Ecclesiæ, idest pro communi utilitate datum: hæc tamen bona propter communem utilitatem divisa sunt per Ecclesias diversorum locorum, authoritate summorum Pontificum, & Ecclesiæ unitate. Et Episcopis, & aliis Prælatis concessa est administratio eorundem, ut unicuique necessitas relevetur. 12. q. 1. C. videntes, & C. ex his, & C. Episcopus, & C. præcipimus:* hæc Innocentius, & Hostien. Et Canon loquens de rebus Ecclesiasticis dicit: *Ecclesiæ, cujus est jus retentionis sit æternum dominium 16. q. 3. C. Inter memoratos*. Et ideo talis communitas, quæ non habet personalem proprietatem, nec proprietatem communem Civilem & mundanam, licet habeat quandam Ecclesiasticam quasi proprietatem, & quasi quoddam dominium in communi stat cum perfectione Evangelica, quia emanat partim a jure Divinitus instituto, ut de altari vivat, qui altari deservit 12. *q.* 1. *C. Ex his Extra de Preben. C. cum secundum Apostolum*. Nec ad perfectionem Evangelicam servandam necesse est renunciare hujusmodi communitati; potest tamen renunciare tali communitati, volens ad perfectionis Evangelicæ celsitudinem pervenire. Quia talis communitas emanat etiam a jure humano Ecclesiastico, unde & talis communitas est temporalis, quia licet in ea excludatur personalis proprietas, includitur tamen in ea quasi quædam collegialis proprietas, cujus quilibet de Collegio particeps quodam modo intelligitur, dum unusquisque Clericus Ecclesiæ Collegiatæ habet actionem ad res Ecclesiæ suæ recuperandas, & exceptionem ad defendendas: unde Fratres minores tali communitati Collegiali renunciant, & omnem proprietatem personalem, & collegialem a se abdicant, sola communitate Ecclesiastica, cui non est licitum renunciare contenti. Ideo licet Prædicatorum abdicatio sit perfecta; tamen hæc scilicet Fratrum Minorum abdicatio perfectior est. Ex prædictis igitur patet erroneum fore, quod dictus hæreticus includit in dicta constitutione, *cum inter*, & in alia, *quia quorundam* expresse asserit dicens, quod Christus & Apostoli, etiam quoad proprietatem habuerunt aliquid in communi, & quod Christus etiam quoad proprietatem habuit loculos. Quia cum tempore Christi, & Apostolorum non legatur fuisse 4. communitas introducta, quæ emanavit ex jure Ecclesiastico, instituto postquam Ecclesia fuit dotata. Et sic non potest dictum suum intelligi de tali proprietate. Et cum tempore Christi, & Apostolorum proprietas, & dominium forent de jure positivo Mundano, & omnis communitas, & mundana includit necessario proprietatem personalem, & collegialem, sequitur quod asserere, quod Christus, & Apostoli habuerunt proprietatem rerum in communi, includit necessario illos fuisse proprietarios in speciali, & in communi: Et scripturam Sacram quæ dicit, quod Petrus in Personam omnium Apostolorum dixit: *Ecce nos reliquimus omnia &c.* Et quod nullus eorum aliquid suum, idest proprium esse dicebat. *Et si vis esse perfectus vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, reddit mendacem. Et omnes sanctos Patres Religionum institutores, qui asserentes se vitam apostolicam sequi profitendo se vivere sine proprio, in obedientia, & castitate. Et sacros Canones 12. *q.* 1. *C. Duo*, & *C. Scimus*, & *C. non dicatis*, supponit errasse, imo vitam, & paupertatem Christi, & Apostolorum, quam Evangelia, & sanctorum dicta asserunt fuisse altissimam, quia nulla major potuit reperiri, nullam reddit, & etiam imperfectam: Et quod diffinire voluerit, & diffinierit Christum, & Apostolos habuisse in rebus proprietatem, idest proprietatem in speciali, & in communi non solum patet ex prædictis statutis *cum inter*, & *quia quorundam*, sed etiam ex statuto, *ad Conditorem*: ubi dicit, quod in rebus usu consumptibilibus non potest ab usu proprietas, & dominium separari: nam cum constet Christum, & Apostolos usum talium habuisse etiam in speciali, sequitur etiam secundum eum, quod proprietatem, & dominium talium habuerunt non solum in communi, sed in pecunia, quæ deferebatur in loculis, sed etiam in particulari, cum usum cibi, & vestimentorum & talium usu consumptibilium constet quemlibet eorum in singulari habuisse. Et etiam hoc patet ex secunda clausula in dicto statuto, *cum inter*, inserta, cum dicit, quod in rebus, quibus utebantur, habebant jus utendi, vendendi, donandi, & ex ipsis alia acquirendi, quia actus de jure Civili in faciente ipsos actus dominium, sive quasi proprietatem, & dominium includunt, ut superius est probatum: quin imo dicta clausula ipsum Christum, & Apostolos fuisse sive licite esse potuisse mercatores rerum temporalium præsuppnuit. Cum officium mercatorum sit emere, vendere, & alia ex ipsis acquirere. Ita quod secundum hanc hæresim mercatores in hoc magis vitam Christi, & Apostolorum ejus, quam religiosi sequuntur. Ex prædictis etiam patet erroneum, de eo quod intendit in dicta Constitutione; *Quia quorundam*, cum dicit: *Et si quæratur propter quos infirmos loculos iste habuit. Augustinus respondet dicens, habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat; unde patet ipsum Augustinum de suis Discipulis, & aliis indigentibus hoc sensisse*: hæc ipse Dominus Joannes. Per quæ dat intelligere, quod Discipuli Christi fuerunt infirmi, & imperfecti ex statu, & quod eis tanquam infirmis, & imperfectis ex statu Christus habendo loculos condescendit. Sed hoc intelligendo contradicit Sacræ Scripturæ, Sanctorum Doctorum, & Ecclesiæ auctoritatibus dicentibus, quod Apostoli fuerunt in statu perfectissimo. Nam Math. 5. dicitur, quod Christus discipulos suos docens dicebat illis: *vos estis sal terræ, vos estis lux mundi*. Ubi dicit Hieronymus. *Apostoli sal terræ appellantur, quod per illos universum genus hominum conditur.* Et Chrysostomus dicit ibidem de Discipulis Christi: *Doctor cum fuerit omnibus prædictis ornatus, tunc est optimum sal, & totus populus de illo conditur videndo eum, & audiendo.* Et idem Chrysostomus dicit ibidem de discipulis Christi: *Sicut Doctores per bonam conversationem sunt sal, quo populus conditur: Ita per verbum Doctrinæ sunt lux, qua ignorantes illuminantur. Prius autem est bene vivere, quam bene docere; Et ita postquam vocaverat eos sal, consequenter vocat eos lucem, dicens, vos estis lux mundi*: hæc Chrysostomus. Et Apostoli in perfectione evangelicæ veritatis, & paupertatis fuerunt in summo perfecti: ut etiam Hieronymus loquens de Apostolis in Epistola ad Exuberantium restatur dicens: *Nemo Apostolis pauperior fuit, & nemo tantum pro Domino dereliquit:* hæc Hieronymus: & Augustinus contra Mani-

chæos

„ chæos dicit. *Ipse mediator Dei, & hominum*
*manifestavit nomen tuum Domine hominibus, his*
*potissimum, quos ei dedisti de mundo, & eis an-*
*nuntiavit omnia tanto vecius, quanto cæteris effica-*
*cius ipse novit:* hæc Augustinus: & Ambrosius su-
„ per 2. Epistolam ad Corinth. dicit: *Hoc fuit in*
*Apostolis gloriosum, quia sine sollicitudine, ac no-*
*mine possidendi, non solum ea quæ in possessionibus*
*erant, sed etiam eorum Dominos possidebant:* hæc
„ Ambrosius; & Chrysostomus super illud Matth. X.
*Nolite possidere aurum &c.* dicit sic: *Orbi terra-*
*rum Doctores erat missurus, & propter hoc eos An-*
*gelos ex hominibus, ut ita dicam, constituit, absol-*
*vens eos ab omni sollicitudine hujus vitæ.* Et Ra-
„ banus super præfatum locum dicit: *Qui divitias*
*detruncaverat, propemodum necessaria vitæ am-*
*putat, ut apostoli Doctores veræ religionis, qui di-*
*cebant omnia gubernari Dei providentia, se ipsos*
*ostenderent nihil cogitare de Ceastino.* Præterea
„ Christus Matth. 19. testatur, quod discipuli ejus
„ omnia reliquerunt, & secuti sunt eum. Et ut
„ dicit Hieronymus in verbis illis: *Sequi Christum*
*est perfectorum.* Cum ergo ex prædictis pateat, quod
„ Discipuli Christi fuerunt adeo perfecti, quod o-
„ mnia reliquerunt, & secuti sunt Christum; & ita
„ in Evangelica paupertate perfecti, quod nihil de
„ crastino cogitaverunt: Et nullus fuit eis paupe-
„ rior, & quod sine sollicitudine & nomine possi-
„ dendi omnia possederunt, *tanquam nihil haben-*
*tes, & omnia possidentes:* Et quod Christus ipsos
„ ex hominibus Angelos constituit, absolvens eos
„ ab omni vitæ sollicitudine: sequitur, quod dicere
„ Discipulos Christi fuisse infirmos, seu imperfe-
„ ctos: Ita quod proprietatem in omnibus rebus
„ temporalibus non abdicaverunt; & quod propter
„ ipsos discipulos sive eorum infirmitatem, & im-
„ perfectionem Christus eis condescendens loculos
„ habuit, & proprietatem in loculis, sicut dictus hæ-
„ reticus dogmatizat, est Christum, & Doctrinam
„ Evangelicam ac Sanctorum Doctorum Ecclesiæ
„ auctoritates mendaces reddere, & penitus anul-
„ lare. Constat enim, quod illi qui sunt infirmi,
„ & imperfecti ex statu, quibus Christus quantum
„ ad actum exteriorem in loculis condescendit,
„ habent proprietatos, & possessiones rerum, & con-
„ gregant, qui solliciti sunt de crastino, & de pro-
„ videndo sibi in futurum, & propter hujusmodi
„ temporalia, & sollicitudines, quas habent de eis,
„ frequenter distrahuntur a contemplatione divino-
„ rum. Ex prædicta etiam quadruplici distinctione
„ communitatis, & ex his, quæ circa hæc sunt osten-
„ sa superius, patet falsum esse quod dictus hære-
„ ticus in dicta sua Constitutione, quæ incipit, *Quia*
„ *quorundam*, asserit dicens, quod habere aliqua
„ in communi etiam quoad proprietatem non de-
„ rogat altissimæ paupertati. Et hoc idem hæreticus
„ nititur probare ex eo, quod dicit Gregor. IX.
„ in sua Decretali *de excess. prælat.* asserere quod
„ Prædicatores, & Minores in altissima paupertate
„ Christo pauperi famulantur. Et tamen ut dicit
„ ipse hæreticus, & insanus, constat ipsos Prædi-
„ catores habere aliqua in communi, etiam quoad
„ proprietatem. Quia intelligendo, quod habere pro-
„ prietatem rerum in communi, non deroget pau-
„ pertati Christi, & Apostolorum ex eo quod Chri-
„ stus, & Apostoli habuerunt res temporales, sive
„ loculos, erroneum est, ut superius est probatum.
„ Nec facit aliquid ad suum propositum Decreta-
„ lis præfati D. Gregorii IX. quia proprietatem quam
„ Fratres Prædicatores in rebus aliquibus in communi
„ prohibentur habere, non est proprietas Civilis, &
„ mundana, sive ex jure Civili, & mundano instituta,
„ quæ ut superius dictum est, includit ex consequenti
„ proprietatem etiam personalem, ut superius est pro-
„ batum. Quia sic nullus in eorum statu posset esse
„ perfectus. Sed est proprietas a jure Ecclesiastico si-
„ ve ex statutis Romanorum Pontificum introdu-
„ cta, postquam Ecclesia fuit dotata, ex statutis,

„ & ordinationibus Romanorum Pontificum, fue-
„ runt communitates diversæ religiosorum, & sæ-
„ cularium: aliquæ habentes Domos, possessiones,
„ & substantias in communi ad sufficientiam victus,
„ & nihil jure proprietatis habentes in speciali, ut
„ monachi, & Canonici Regulares. Et quædam
„ habentes res modicas in communi. Ita quod non
„ sufficiebant eis ad victum, sed per quæstum pu-
„ blicum eis victum incerta mendicitas tribuebat,
„ ut Prædicatores, Hæremitæ, & Carmelitæ. Ideo
„ tales mendicantes Gregorius IX. dicit Christo fa-
„ mulari in altissima paupertate, respectu illorum,
„ qui habent ad sufficientiam in communi, nec
„ mendicare coguntur, licet non habeant in speciali
„ aliquid proprium. Non autem famulantur Chri-
„ sto in illa altissima paupertate simpliciter, & ab-
„ solute, quam Christus & Apostoli, & eos se-
„ quentes perfecte in primitiva Ecclesia servaverunt,
„ non appropriaotes sibi nec Domum, nec locum,
„ nec aliquam rem in communi. Unde Hierony-
„ mus super illud Matth. *Vulpes foveas habent &c.*
„ dicit: *Quid me propter lucra sæculi vis sequi,*
*cum ita sim pauper, ut nec hospiciolum, quod meum*
*sit habeam, & tecto utar alieno.* Et idem dicit
„ Beda ibidem. Quod si forte quis dicat Christum
„ non proprium habuisse hospicium, sed commune,
„ obviat Chrysostomus in sermone de proditione
„ Judæ dicens: *Quos*, inquit, *pretiosorum marmo-*
*rum pompa delectat, cognoscant Christum Deum,*
*qui locum, ubi Caput suum reclinaret non habuit.*
„ Et ideo Discipuli illum interrogant, & dicunt:
*Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Sed si Chri-
„ stus habuisset Domicilium commune cum Apo-
„ stolis quo ad proprietatem, illud Discipuli non
„ interrogassent, & Christus non caruisset loco,
„ in quo Caput suum reclinaret. Colligitur ergo
„ ex interrogatione Discipulorum, & hospitii in-
„ certitudine, quod Christus non habuerit domici-
„ lium proprium in speciali, nec in communi cum
„ Apostolis sive cum Discipulis. Et Chrysostomus
„ super illud Luc. IX. &c. dicit: *Aspice qualiter*
*paupertatem, quam Dominus docuerat per opera*
*demonstrat. Non erat ei mensa, non candelabrum,*
*non Domus, nec quicquam aliud talium.* Et quod
„ hanc paupertatis formam Christus servaverit, &
„ Apostolis servandam mandaverit, testatur idem
„ Chrysostomus super Matth. *homil.* 32. *Ne pos-*
*sideatis*, inquit, *aurum, nec argentum, neque pe-*
*cuniam in via, quia per opera ostendit ea tunc jam.*
*& legis lationem quæ est a verbis validiorem indu-*
*cit, quando & facile susceptibilis sermo factus est*
*operibus suis prius certificatus: ubi ergo ostendit*
*per opera, audi eum dicentem: filius hominis non*
*habet, ubi Caput suum reclinet: nec in hoc suffi-*
*cit solo, sed & Discipulis suis tribuit hanc apodi-*
*sim:* hæc verba ejus. In quibus patet, quod &
„ Christus in se ipso servavit, quod non habuit do-
„ mum, nec locum, nec aurum, nec argentum,
„ nec peram in proprio, nec in communi; quod
„ etiam Christus tantæ fuit paupertatis, ut careret
„ pretio ad conducendum. Itaque etiam hospitium
„ conductum pretio non habuit ad habitandum, pro-
„ bat Glos. super illud Matth. *Circumspectis omnibus*
*si quis eum hospitio reciperet*, dicens. *Tantæ fuit*
*paupertatis Dominus, & ita nulli adulatus, ut in*
*tanta Civitate nullum inveniret hospicium.* Super
„ quem etiam locum Beda in Evangelio in origi-
„ nali dicit: *Intelligendum est, quod tantæ pauper-*
*tatis fuit Dominus, ut in Urbe maxima nullum*
*hospitem, nullamque mansionem inveniret, sed in*
*agro parvulo apud Lazarum, sororesque ejus ha-*
*bitaret:* hæc ipse. Ex quibus constat, quod Chri-
„ stus non solum hospicio, sed etiam pretio, quo
„ illud conduceret caruit, dum necessitate compul-
„ sus de urbe exivit, illo videlicet die, quo ean-
„ dem urbem tanquam Rex asello vectus introivit
„ hoc etiam Glos. *Venit enim princeps Mundi*
*hujus, & in me non habet quicquam* expresse asse

rit, dicens: *Noluit habere Dominus quod perderet, pauper erat ne Diabolus haberet quod auferret.* hæc Glos. Sed omne temporale sive proprium sive commune auferri potest, & perdi. Ex quibus clare patet, quod Fratres Prædicatores non famulantur Christo in illa altissima paupertate, quam Christus, & Apostoli & eos perfecte sequentes servaverunt in Ecclesia primitiva, cum habeant Domos, & res aliquas in communi qnn ad proprietatem prædictam. Quod autem perfectior fuerit dictus status secundæ communitatis emanantis solum a jure Divino, in qua Apostoli, & viri eos perfecte sequentes omnia relinquebant & Domos, & possessiones, & substantias vendebant, & pretia ponebant ante pedes Apostolorum: Ita quod nec Domos, nec possessiones, nec substantias retinebant in communi, quam ultimus status communitatis emanantis a jure Ecclesiastico in quo ex jure Ecclesiastico cœperunt viri Religiosi habere Domos, & possessiones, etiam quo ad proprietatem in communi, de qua dictum est, probat Hieronymus, qui vitam Malchi Monachi scribens, dicit sic; *Scribere dispositus ab adventu Salvatoris usque ad vitam, & ætatem nostram, idest, ab Apostolis usque ad hujus temporis fecem, quomodo, & per quos Christi Ecclesia nata sit, & adulta, persecutionibus crevit, Martyriis coronata sit. Et postquam ad Principes mundi venit, potentia, & divitiis major, sed virtutibus sit minor effecta.* Probat hoc etiam Eusebius super Matth. in auctoritate superius allegata. Nec prædictis obviat quod dictus D. Joannes in dicta sua constitutione. *Quia quorundam* volens probare quod Fratres Prædicatores imitantur Christum, & perfectionem Evangelicam amplexantur, dicit in hæc verba: *Hoc etiam Prædecessor noster Alexander præfatus in condemnatione libelli contra statum Prædicatorum & Minorum editi videtur sensisse, in quo loquendo de dictis Fratribus, quæ sequuntur adjunxit. Cum insuper iidem Fratres omnia propter Deum reliquerint, exilia vitæ subsidia mendicantes, ipsumque Christum imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet non solum eos in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suæ religionis observantiam, quæ quidem ipsius perfectionis Evangelicæ tenet formam, in æternæ retributionis præmio praecellentem gloriam promereri: ubi expresse dicit, Prædicatores Christum pauperem imitari, ipsosque perfectionem Evangelicam amplexari, & in statu existere perfectorum. Et tamen constat ipsos habere posse etiam quo ad proprietatem juxta eorum regulam in communi:* hæc verba dictæ hæreticalis constitutionis, *quia quorundam*. Et vere non obstat prædictis. Quia duplex est paupertas, & nuditas sequentium Christum: una est cordis, alia est cordis, & corporis. Cordis est per spoliationem spiritus ab omni perverso affectu avaritiæ, & cupiditatis; de qua Gregorius in *Homil.* dicit: *nudi cum nudo luctari debemus, quin si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quod habet unde teneatur.* Et hoc intelligitur generaliter dictum omnibus Christianis. Secunda nuditas est cordis & corporis; & hæc quidem habet triplicem gradum; nam quædam est magna, quæ attenditur in carentia omnis superfluitatis, & proprietariæ possessionis. Et hæc quidem est de congruitate status, & ordinis clericalis, de qua Hieronymus ad Nepotianum, & ponitur 12. *q.* 1. *C. Clericus* dicit: *Si ergo pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras Tribus, sed quasi Levita, & Sacerdos vivo de Decimis, & altari serviens altaris oblatione sustentor; habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.* hæc ibi. Est & alia paupertas, & nuditas major & altior; quæ non solum consistit in prædictis, verum etiam in abdicatione potestatis possidendi proprium, & abnegatione propriæ voluntatis, & hæc competit regularibus, & Cœnobitis, de qua Hieronymus ad Eliodorum: *Nolo pristinarum necessitudinum recorderis; nudos amat eremus, nudos intelligit non solum a facultatum appropriatione; verum etiam a propria voluntate.* Et de hac Augustinus in sua regula dicit: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, sicut legistis in actibus Apostolorum.* Et habetur 12. *q.* 1. *C. scimus, & C. non dicatis.* Est & tertia paupertas, & nuditas altissima; Et hæc habet duos gradus; unus est Prædicatorum, & aliorum Mendicantium habentium domos, & aliquas res alias etiam quoad proprietatem, sed non habentium ad sufficientiam, unde & mendicare coguntur; quamvis hoc non sit ex regula Prædicatorum, sicut dicit dictus hæreticus, cum habeant regulam S. Augustini: Sed sit ex statuto, & ordinatione S. Dominici, qui fuit Dux Ordinis Prædicatorum, & paupertatis amator. Et hæc paupertas, & nuditas dicitur altissima respective: scilicet respectu Canonicorum regularium, & Cœnobitarum, qui habent, & habere possunt ad sufficientiam in communi. Nec ex statu, & ordinationibus eorum mendicare coguntur, & dicuntur Christum pauperem imitari, & perfectionem Evangelicam amplexari in suo gradu. Quia Christus non solum fuit pauper, sed etiam mendicus, & mendicando quærens victum. Et hoc non solum Propheta in persona Christi loquens testatur dicens: *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Sed & S. Bernardus in Sermone super illud Lucæ. *Cum factus esset Jesus annorum* 12. dicens: *ut te Domine per omnia nostræ paupertati conformares, quasi unus in turba pauperum stipem per ostia mendicabas. Quis me dabit buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, & illius divini edulii reliquiis saginari.* Et Hieronymus ad Nepotianum dicit: *quod Christus cibo vescebatur alieno.* Alius gradus fuit in Christo, & Apostolis, quem Christus in se servavit, & Apostolos docuit, & tandem Beato Francisco, & eum sequentibus inspiravit. Qui consistit non solum in non habendo in aliquibus rebus temporalibus proprietatem in speciali, sed etiam in non habendo proprietatem in aliqua re immobili, vel mobili in communi, cum penuria, & indigentia opportunæ sustentationis etiam per mendicationem: Et hæc paupertas dicitur altissima absolute, quia nulla potest major abdicatio rerum temporalium reperiri, de qua Hieronymus in præallegata authoritate dicit: *Nemo Apostolis pauperior fuit, & nemo tantum pro Domino dereliquit.* Et de hac super illud Matth. *Qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ non perdet mercedem suam,* Glos. dicit: *Minimi sunt illi, qui nihil penitus habent in hoc mundo, tales fuerunt Apostoli.* Et in hoc gradu qui in regula B. Francisci vocatur celsitudo altissimæ paupertatis, Fratres Prædicatores non sequuntur Christum; nec hujusmodi celsitudinem paupertatis Apostolicæ Evangelii amplexantur; sed solum Fratres Minores, sicut per plura rescripta Romanorum Pontificum, & tandem per duas declarationes *Exiit qui seminat*, & *Exivi de Paradiso*, in corpore juris clausis deprehenditur evidenter. Ex prædictis etiam patet, hæreticum esse, quod ipse Dominus Joannes in dicta constitutione *quia quorundam* dicit in hæc verba. *Neque Christum expropriationem prædictam omnis juris in cujuscumque rei proprietate, & in ejus usu in se servasse, nec etiam Apostolis imposuisse, neque sub voto ab eis fuisse receptam, evangelica, seu Apostolica docet Historia; sed contrarium evidentius manifestat:* hæc verba dicti hæretici. Quæ determinationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Doctrinæ Evangelicæ & Apostolicæ, & dictis Sanctorum Doctorum Ecclesiæ obviat manifeste, ut superius est probatum. Confirmatur autem hoc per auctoritatem in collationibus

„ Pa-

Patrum *X. Coll.* ubi sic dicitur: *Revera quæ major aut sanctior potest esse paupertas, quam illius qui nihil in se præsidii, vel virium habere recognoscens, de aliena largitate quotidianum poscit auxilium, & vitam suam, atque substantiam singulis quibusque momentis divina ope intelligens sustentari, verum se mendicum non immerito profitetur*. Et notetur quod dicit: *Nihil virium se habere cognoscens*. Quod etiam Apostoli hujusmodi abdicationem sub voto assumpserunt, probat hoc Augustinus 22. *de Civitate Dei*, ubi loquens de Apostolis dicit: *Dixerant enim potentes illi. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te: hoc votum potissime voverunt*. Et idem Augustinus in *lib. de mirabilibus S. Scripturæ*, hoc probat sic dicens: *In excusatione Eleemosinæ, & paupertatis professione, Petrus Paralitico dixit: Surge, & ambula, illud magistri præceptum servans: Nolite possidere aurum, nec argentum. Qui enim soli Deo serviens, de inique Mammona expeditus fuerat, verbo Imperii morbo ligatum, cito solvebat*: hæc Augustinus. In quibus habetur, quod Petrus hujusmodi professionem evangelicam habuit: *Nolite possidere* &c. cum dicat: *Et paupertatis professionem*: Et quod ipse *Petrus de inique Mammona per hujusmodi professionem fuerat expeditus*. Iniquum enim Mammona ideirco dicitur, quia per iniquitatem appropriatur, ut in dicto *C. Dilectissimis* 12. *q.* 1. Ex prædictis igitur concluditur manifeste quod prima pars Constitutionis prædictæ *Cum inter*, sub quocumque sensu accipiatur, sive intelligatur, est hæretica manifeste: Et quod ipse per dictam, hæresim incidit manifestam. Sed esto sine præjudicio quod sub aliquo sensu verificari posset determinatio hujusmodi, videlicet *declaramus deinceps hæreticum fore censendum pertinaciter affirmare Dominum Jesum Christum ejusque Apostolos non habuisse aliqua in speciali, nec in communi*. Tamen etiam in hoc casu hæreticus est censendus, & tanquam hæreticus ab omnibus fugiendus. Quia condemnat absolute, & sine omni determinatione propositionem illam, quæ sub sensu potissimo & magis principalis propositionis est catholica, & vera; & ab omnibus Catholicis pro vera Catholica tenenda, & affirmanda. Et ita condemnando verum sub falso condescendit in hæresim, aut quia eradicat triticum simul cum Zizania, contra illud quod legitur Math. 24. ibi, *ne forte colligentes Zizania eradicetis simul, & triticum*; vel quia saltem per constitutionem captiosam dat occasionem, & materiam credendi, vel dubitandi, sive in disceptationem reducendi quod hæreticum sit, illud quod est per Ecclesiam diffinitum, & determinatum fore Catholicum, & fidele, scilicet, quod Christus, & Apostoli viam perfectionis ostendentes non habuerunt jure proprietatis aliqua in speciali, nec etiam in communi; unde in disceptationem, & dubitationem deducendo, quod per Ecclesiam est diffinitum, & determinatum aperte pro fide tenendum; in articulum fidei: *Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam* vehementer impingit. Constitutio enim sive lex non debet esse captiosa, vel obscura, sed certa, & manifesta *di.* 4. *C. quod autem*, & *C. erit autem lex extra de verbo. signif. C. Abbate*. Et Constitutionem captiosam, & obscuram faciens circa fidem, quæ materiam sive occasionem præbeat errandi, hæreticus est censendus. Nam pari modo intelligitur Papa a veritate fidei obviare, vel si in se exorbitet a fidei veritate, vel alios verbo, vel exemplo deiciat, vel exorbitari faciat ab ipsa fidei Catholicæ veritate 2. *q.* 7. §. *Ecce ostensum est* circa finem. Nam ad fidei Catholicæ veritatem rectam, & Catholicam professionem requiritur, quod ipsa confessio, vel professio fidei fiat verbis simplicibus, apertis, & claris, non implicatis sive obscuris, nec inusitatis. 24. *di. quum Episcopus*, ibi, *verbis simplicibus asseras*, & in Glos. ordi. ibi posita. Et 24. *di. quum Episcopus*, ubi exigitur ad fidei Catholicæ rectam confessionem: Et quod fidem Catholicam quis teneat firmiter, & quod eam verbis simplicibus asserat. Et hoc idem habetur *extra de summa Trinitat. & fid. Cathol. C. firmiter* in princ. cum ibi dicat: *firmiter credimus, & simpliciter confitemur*: Ex qua patet, quod in Papa maxime ut Catholicus censeatur, duo necessario requiruntur. Primum, quod illa quæ ad fidem pertinent firmiter credat, & hoc spectat ad actum interiorem, scilicet, quod firmiter interius sic credat, & sentiat, *de Consecrat. di.* 4. *nihil aliud est credere, quam fidem tenere*. Secundum, quod confiteatur, sive profiteatur ea simpliciter scilicet verbis simplicibus usitatis & claris, non implicitis, dubiis, vel inusitatis, ut ibi in Glos. or. notatur. Et hoc pertinet ad actum exteriorem. Ut enim ait Hieronymus: *ex verbis inordinate prolatis fit hæresis*. Et Paulus ad *Romanos* 4. dicit: *Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem*. Proprium autem hæreticorum est, fidem tradere secundum sensum suum, quem ipsi præsumpserunt, & non secundum traditionem Patrum. 37. *di. C. relatum*, & transferre terminos prin. 24. *q.* 3. *C. transferunt*: Unde in fidei Confessione utuntur frequenter verbis duplicibus, implicatis, & obscuris, sicut fecit hæreticus supradictus.

Circa autem secundam partem sæpe dictæ constitutionis, *Cum inter nonnullos*, attendendum est, quod ipse D. Ioannes ex hiis, quæ ibi asserit, & declarat, in hæresim, imo hæreses multipliciter incidit, ad cujus evidentiam attendendum est, quod Christus fuit supra jus, sive legem utendi, vendendi, sive donandi, alias res ex aliis acquirendi. Cum etiam fuerit supra legem sabbathi, & Baptismi, quæ sunt dicto jure superiores, & principaliores, ut probatur, Math. 12. *filius hominis Dominus est etiam Sabbati*: ubi Glos. loquens de Christo dicit: *Qui verus Rex, & Sacerdos est, & Dominus est etiam sabathi, idest præest legi, & non subest. Et ideo non peccat, si ejus ordinem non servat*; hæc Glos. Et in Psalmo super illud: *Et in lege Domini fuit voluntas ejus*. Glos. *non sub lege, sed in lege fuit voluntas ejus; qui est in lege, secundum legem agit; Qui sub lege, secundum legem agitur; Ille liber, hic servus: aliud est lex, quæ subscribitur servienti; aliud est lex quæ mente conspicitur ab eo, qui non indiget litteris*; hæc Glos. Unde quando baptizari voluit Christus, non fuit, quia sub lege esset, nec ex necessitate, sed ex voluntate: ut probat Beda super illud Math. 3. *Docet nos omnem justitiam implere*, dicens sic: *Non necessitate ablutionis baptizatus est Christus, sed ut nemo quantumcumque Sanctus Baptismi gratiam superfluam reputet*: hæc Beda. Constat autem, quod qui est supra aliquod jus, non peccat, nec iniuste agit agendo sive faciendo sine illo jure: Ergo Christus potuit libere, & juste uti rebus temporalibus & emere, & vendere, & novam legem imponere, & datas ab aliis immutare, & solvere absque hujusmodi jure utendi, vendendi & emendi, vel disponendi. Nec propter hoc ejus usus, aut gesta fuissent iniusta: Et ideo dicere, sive asserere, quod si Christo non competisset illud jus utendi, emendi, & disponendi de rebus, quibus usus est, quod jus a jure humano introductum est, ut superius est ostensum, quod ejus usus, & gesta fuissent injusta, est hæreticum evidenter, & Scripturæ Sacræ, & Doctrinæ Evangelicæ inimicum. In Apostolis autem, Apostoli postquam fuerunt ad Apostolatum assumpti, & ipse Christus legem perfectionis Evangelicæ eis tradidit, & docuit eos omnia temporalia non solum mente, sed etiam corpore relinquere, scilicet quum eis ad prædicandum missis, sicut legitur in Evangelio præcepit eis ne possiderent aurum, nec argentum, nec pe-

pecuniam in Zonis, neque peram: ubi Glos. dicit: *propemodum necessaria vitæ amputat, ne vel curent de Crastino, quæ docent omnia regi a Deo, nec ipsa necessaria, nec Cellarium secum vebant, nihil præter vestimentum, nec etiam minima:* hæc Glos. Ex tunc fuerunt Apostoli liberi, & absoluti ab omni lege humana pro rebus, vel super rebus temporalibus constituta: Et ex lege Evangelica eis a Christo data, usi sunt rebus temporalibus ad necessitatem simplici usu facti, eo modo, quo in statu innocentiæ homines utebantur antequam proprietas rerum aliquarum foret ad personam aliquam, vel Collegium, aut universitatem quomodocumque contracta. Quem statum Innocentiæ quantum ad hoc ipsi Apostoli assumpserunt, & habuerunt per legem Evangelicam eis a Christo vero Deo, & homine datam, ut in sæpe allegato *C. dilectissimis*, & in aliis authoritatibus superius allegatis colligitur evidenter. Et ex tunc non habuerunt ipsi Apostoli in rebus temporalibus proprietatem personalem, vel Collegialem, unde & ex tunc fuerunt liberi, & expediti a legibus Regum, & Principum, per quas leges imponebantur tributa hominibus, sicut manifeste patet ex Evangelio *Math.* 27. ubi quærente Domino Christo a Petro. *Quid tibi videtur Simon; reges Terræ a quibus accipiunt tributum, vel Censum, a filiis suis, an ab alienigenis? Et Petrus dixit, ab alienigenis. Cujus responsionem Christus approbans dixit; Ergo liberi sunt filii:* hæc ibi: Et ostendens ipse Christus, se verum Deum & Dominum naturalem omnium: Et quod ipse & Apostoli, qui viam perfectionis assumpserant, omnia temporalia relinquendo, ex necessitate, legi temporali, Imperiali de Tributo solvendo non suberant: Et quod ex voluntate, nulla eos necessitate cogente, ne eos scandalizaret, solvere volebat ipsum tributum, subdit dicens: *ut autem non scandalizemus eos, vade ad Mare, & mitte hamum, & eum Piscem qui primo ascenderit tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumes, & da eum pro me, & pro te*; hæc ibi. Super quo verbo *liberi sunt filii* dicis Glos. & Augustinus in *libr. de quæstionibus Evangelii; liberi sunt filii in omni regno, multo magis in quolibet regno sunt liberi filii illius regni, sub quo sunt omnia regna terrena*: hæc Glos. Et super verbo *staterem* dicit Glos. *Mira Christi potentia, quia dicendo hoc, creavit staterem*: Et super illud *Jac. primo. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis.* Glos. dicit: *lex perfectæ libertatis est lex Evangelica.* Ex quibus patet, quod Apostoli filii Dei per Evangelium geniti, qui nullas res temporales possidebant, sive jure proprietatis habebant, quibus Dominis temporalibus obligarentur ad tributa solvenda; nec possidere poterant, quia hoc votum nihil possidendi, sive jure proprietatis habendi potissime voverant, ut probant authoritates superius introductæ, ex lege perfectæ libertatis, quæ est lex Evangelica, ad tributa solvenda nullatenus tenebantur. Nec humanis legibus pro rebus aliquibus temporalibus erant subiecti: Et quod ex jure humanitus instituto non competit eis jus utendi rebus, seu emendi, & vendendi rebus in casibus, in quibus eis emere, vel vendere, seu uti reperitur esse concessum. Sed ex lege Evangelica Christi summi legis datoris ore prolata, qui cum sit Dominus juris naturalis, divini, civilis, & canonici principalis origo, & fundamentum, sacro suo sanxit eloquio proprietatem omnium rerum temporalium Apostolis, & viris perfectis eos sequi volentibus fore abiiciendam; cum tamen sufficientiam quantum ad usum vitæ necessarium eis concesserit, & permiserit. Insuper ut quod docebat verbo, confirmaret exemplo, alieno cibo voluit sustentari, sicut Evangelica narrat historia. Et Hieronymus ad Nepocianum scribit: & claret evidentius in allegationibus & authoritatibus superius introductis: unde ex hoc, quod dicatur, & Apostolos a jure humanitus instituto non habuisse jus utendi, vendendi, emendi in rebus, quarum usum habuerunt, nullus Catholicus sanæ mentis potest arguere, nec concludere, quod ipsorum usus & gesta fuerunt injusta, sed potius potest argui sic. Si Apostoli habuerunt jus utendi, vendendi, emendi, & donandi, & permutandi in rebus ipsis a jure humano inventum & introductum, quod est jus proprietatis & dominii, seu quasi per iniquitatem introductum: Ergo fuerunt subiecti legibus imperatorum pro ipsis rebus temporalibus, quibus usi sunt: Et per consequens ad tributa solvenda de necessitate erunt astricti, quia omnes homines qui tenent rerum proprietates ab Imperatoribus, subsunt eis pro ipsis rebus: Et omnes homines qui subsunt legibus Imperatorum nullo obstante privilegio, ad solutionem tributorum, & vectigalium astringuntur. *C. de ann. & tribu. l. inditiones, & l. sequen. & C. de judic. l. 1. & C. ut nemini lic. in emp. spe. se exen. l. unica, & C. de mune, patri. l. 2. & l. professio & L. quemad. munera Civit. indi. l. 1. & C. de quibus mu. vel pers. ne l. 1. 2. & ult. lib. X. & ff. de vectiga. & Con. l. Omnium*, cum similibus. Ergo Apostoli secundum hoc ad tributa solvenda tenebantur. Sed dicere sive supponere quod Apostoli pro rebus temporalibus quibus usi sunt, & Scriptura divina testatur eos usos fuisse, ad tributa solvenda tenerentur, manifeste scripturæ Evangelicæ contradicit: Ergo talis assertio est hæretica judicanda. Præterea hoc dicere, est totius libertatis Ecclesiæ destructivum. Quod sic ostenditur, Certum est, quod Papa & Episcopi qui in locum succedunt Apostolorum, & Personæ Ecclesiasticæ pro rebus, & possessionibus Deo oblatis, & consecratis, sicut sunt res Ecclesiæ, quæ Deo oblatæ & consecratæ dicuntur 12. *q.* 1. *C. Res, & q.* 2. *C. nulli*, non habent majorem immunitatem, aut esemptionem Apostolis; sed Apostoli secundum hæresim supradictam pro rebus quas scriptura eos habuisse commemorat, suberant legibus Imperatorum sive regum, quia proprietatem eivilem seu mundanam, aut ab Imperatorum legibus introductam habuerunt in ipsis rebus: Ergo Ecclesia ipsis subest pro rebus Ecclesiasticis: Et confirmatur hoc ex auctoritate Augustini posita, 12. *q.* 1. *C. habebat*; ubi dicitur quod in loculis est forma Ecclesiasticæ pecuniæ instituta: Et Hieronymus super illud; *fur erat, & loculos habens:* dicit: *Quare habuit loculos, cui Angeli ministrabant, nisi quia illinc Ecclesia loculos habitura erat:* Hæc Hieronymus. In quibus loculis dictus hæreticus asserit, Apostolos proprietatem civilem & mundanam habuisse, ut superius est ostensum: Unde si in loculis habuerunt Apostoli proprietatem civilem, & mundanam, per consequens pro eis suberant Imperatoribus, seu Regum legibus. Papa, & Episcopi, & Prælati, & omnes personæ Ecclesiasticæ pro rebus Ecclesiasticis quæ formam tenent loculorum in rebus Ecclesiasticis habent proprietatem eivilem, & mundanam, & suberunt eisdem Imperatoribus, & per consequens ad tributa, & onera, quæ eis imponentur pro ipsis rebus Ecclesiasticis per consequens tenebantur. His igitur prælibatis, attendendum est, in quibus Casibus Scriptura Sacra commemorat Apostolis fore concessum emere, & vendere: de concessione emendi patet *Joannes* 4. ibi: *Discipuli autem ejus abierant in Civitatem, ut cibos emerent*, Sed quod hoc fuit tempore necessitatis, scilicet cum aliter per auxilium humanum non fuisset eis de cibo necessario ad vitæ sustentationem provisum, colligitur ex eodem Evangelio: ubi dicit Samaritana Christo: *Quomodo tu cum sis videns, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana. Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Et aperte per illud quod

„ Luc.

Luc. IX. dicitur, quod *Christus misit nuncios suos ante conspectum suum, & euntes intraverunt in Civitatem Samaritanorum, ut pararent illi, & non receperunt eum*: ubi Beda dicit sic: *Samaritæ Dominum non recipiunt; non enim contuntur Judæi Samaritanis, ut Joannes ostendit*: hæc Beda. Ergo patet, quod emere cibos, eis fuerit concessum tempore necessitatis, cum aliter provisum humanitus non fuisset. De venditione patet, *Luc.* 22. ubi tempore passionis, & instantis persecutionis dixit Christus discipulis suis: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis. At illi dixerunt. Nihil. Dixit ergo eis. Sed nunc qui habet sacculum, emat & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*: hæc ibi: ubi Beda dicit sic: *Non eadem vivendi regula persecutionis quæ pacis tempore discipulos informat; missis quidem discipulis ad prædicandum informat eos, ne quid tollerent in via præcepit, ordinans, ut qui Evangelium nunciat, de Evangelio vivat. Instante vero mortis Articulo, & tota illa gente, Pastorem, & Gregem simul persequente, congruam temporis decrevit regulam, permittens, ut tollant victui necessaria, donec sopita insania persecutorum tempus evangelizandi redeat: ubi quoque nobis datur exemplum, nonnunquam justa causa instante, quædam de nostri propositi rigore posse sine culpa intermitti*: hæc Beda. Ex quibus patet, quod propter instantem necessitatem passionis, & persecutionis prædicta concessit, quæ alias prohibuerat. Constat autem, quod illud quod est in casu necessitatis pro tempore dispensative concessum, simpliciter intelligitur prohiberi. Quod enim per necessitatem statutum est, cessante necessitate cessare debet 1. *q.* 1. *quod pro necessitate*. Unde hujusmodi emptio, & venditionis concessio fuerunt a jure divino, & naturali, scilicet pro tempore necessitatis, quæ non subjacet legi, sicut dicitur *de Consecra. di.* 5. *Discipulos*. Et in tali necessitate Apostolis & eos sequentibus non præcluditur via ad providendum necessaria ad humanæ vitæ sustentationem, ut dicit Ecclesia in Decretali *Exiit* §. *Porro*; ut supra in his quæ dicta sunt de prima communitate plenius est ostensum. Quod autem scriptura testetur quod Apostoli habuerunt jus utendi, vendendi, & donandi in rebus, quibus usi sunt; & ex ipsis alia acquirendi, quod est aliquo modo jus proprietatis, ut superius est probatum; vel quod hoc supponat expresse, ut dicta hæreticalis Constitutio dogmatizat: hoc penitus falsum est: & scripturæ divinæ & Sanctorum Doctorum Ecclesiæ, & determinationi, & diffinitioni Sanctæ Matris Ecclesiæ in dicta Decretali *Exiit* factæ obviat manifeste. Quod autem dictus hæreticus intellexerit, quod Apostoli habuerint jure proprietatis jus utendi, vendendi, & donandi, in rebus quibus usi sunt, & ex ipsis alia acquirendi, patet ex pluribus manifeste. Primo ex eo, quod dicit *donandi*, ex quo patet secundum eum, quod Apostoli habuerunt res concessas donandi liberam facultatem. Sic enim donatio diffinitur: *Donatio est nullo jure cogente mera liberalitate facta concessio. ff. de donat. l.* 1. §. *donari, & ff. de regul. jur. l. donari*. Nec titulo donationis de jure quis potest in alium transferre, nisi rem propriam. Et ideo religiosi, quia proprium non habent, donare non possunt. Unde in Canone 54. *di.* dicitur sic: *Abbati, vel Monacho non licet servum Monasterii facere liberum; qui etiam nihil proprium habet, libertatem rei alienæ donare non potest. Nam & sicut leges sæculi sanxerunt, non potest alienari possessio nisi a proprio domino*: hæc ibi. Et *ff. de regul. jur.* dicitur: *Cui jus est donnandi, eidem, & vendendi, & commutandi jus est*: & super verbo *concedendi* dicit Glos. *puta in Empbyteusim*. Ex quibus patet, quod concesso, quod Apostoli potuerunt libere donare res, quas habuisse leguntur, sicut dictus hæreticus præsupponit: Cum donatio fieri non possit, nisi ab habentibus dominium, & proprietatem rei, ut dictum est: Ergo eodem modo, & jure concedere videtur, quod ipsi Apostoli habuerunt & potuerunt ipsas vendere & emere jure proprietatis, & dominii, sive tanquam suas proprias, & cætera alia facere de eis tanquam veri proprietarii, & domini earum. Quia conceditur jus donandi; eodem modo vendendi, & in Emphyteusim dandi, & alienandi jus videtur pariter esse concessum. Quod enim ab eodem, & sub eadem forma conceditur; quod de uno dicitur, necesse est ut de alio intelligatur. *Extra de Constitu. C. translato*. Secundo, quod ipse hæreticus intellexerit, quod Christus, & Apostoli jure proprietatis habuerunt jus utendi, vendendi, emendi, & donandi in rebus, quibus usi sunt, & ex ipsis alia acquirendi, patet ex eo, quod ipse in Constitutione *ad Conditorem* per eum editam probare volens quod Fratres minores, qui abdicationem proprietatis omnium rerum, tam in speciali quam in communi voverunt, quam Ecclesia diffinit, Christum, & Apostolos ejus verbo, & exemplo docuisse in rebus, quæ usu consumuntur, non sunt censendi usuarii, dogmatizat, & asserit, quod in rebus, quæ usu consumuntur, usus juris, vel facti non potest a proprietate rei seu dominio separari: Et quod in eis usus rei separatus a proprietate seu dominio non potest constitui, vel haberi. Ex quo manifeste patet, secundum eum, quod Christus, & Apostoli in rebus usu consumptibilibus habuerunt proprietatem: Et quia quilibet eorum in talibus habuit usum facti in speciali: Ideo necessario secundum eum sequitur, quod habuit proprietatem illius rei, cujus usum habuit; Cum usus e proprietate secundum eum nullatenus separetur. Tertio patet ex eo quod in tertia constitutione, *Quia quorundam* expresse dicit, quod Christus, & Apostoli habuerunt loculos quo ad proprietatem in rebus quibus usi sunt: Et etiam quia in dicta constitutione, *Quia quorundam*, expresse dicit, quod nec Christus expropriationem omnis juris in cujuscumque rei proprietate, & in ejus usu in se servavit, nec Apostolis imposuit, nec ab ipsis Apostolis sub voto imposita fuit, imo ut dicit Evangelica, seu Apostolica Historia contrarium scilicet quod Christus non servavit in se, nec Apostolis imposuit dictam expropriationem, nec ipsi Apostoli eam assumpserunt evidentius manifestat. Concluditur ergo ex prædictis, quod dictus D. Ioannes in dicta secunda parte constitutionis *Cum inter* tres hæreses includit. Prima est quod Christus, & Apostoli, & quilibet eorum habuerunt jus proprium utendi, vendendi, donandi, & emendi in rebus, quibus usi sunt, & alia ex ipsis acquirendi: Et per consequens, quod ipsi, & quilibet eorum fuerunt proprietarii in speciali in rebus omnibus quas habuerunt. Quæ quidem hæresis omnem religionem Christianam habentem tria vota annexa scilicet vivere in obedientia, sine proprio, & in Castitate, quantum in se est annullat, destruit & confundit: Et Christum & Apostolos fuisse imperfectos, nec in se servasse, quod eos observasse Evangelica Historia protestatur. Et determinationi, & diffinitioni S. Matris Ecclesiæ positæ in sæpedicta decretali *Exiit*, obviat & repugnat, imo ipsam determinationem erroneam, & hæreticalem esse declarat. Cum in ipsa decretali expresse dicatur quod Christus, & Apostoli verbo, & exemplo docuerunt illam abdicationem proprietatis omnium rerum in speciali, & in communi, quam Fratres Minores ex eorum regula intellecta, juxta declarationes Summorum Pontificum profitentur, & quod proprietatem usus, & rei cujuscumque dominium abdicaverunt, simplici usu facti in omnibus rebus ad vitæ sustentationem necessariis retento. Qui usus non juris, sed facti tan-

tum-

„ tummodo nomen habens, quod facti est tantummodo in utendo præbet utentibus nihil juris. Quo nihil aptius dici potest ad ostendendum secundum Ecclesiæ determinationem, & diffinitionem, quod Christus, & Apostoli non habuerunt jus proprium utendi, vendendi, donandi in rebus quibus usi sunt, nec jus ex ipsis alia acquirendi: nec propter hoc potest argui quod eorum usus & gesta fuerint injusta plusquam argui possit, quod usus illorum qui fuerunt in statu innocentiæ fuerit injustus. In quo nullus habebat jus proprium aliquod utendi, sive emendi, vel donandi, aut vendendi: nec plus quam hodie argui possit de usu rerum, quæ in communi usu omnium remanserunt; sicut aer, splendor solis, mare, & littora maris, quæ etiam hodie naturali jure communia sunt omnium, in *Insti. de re divi. in princ.* ubi Glos. or. super verbo *communia*, dicit: *communia sunt omnium usu, non proprietate*. Ex quo patet, quod eis potest quis uti licite, & juste ex jure naturali, & tamen non habet in eis jus aliquod proprium utendi, nec vendendi, emendi, seu donandi. Talem enim statum Christus & Apostoli in rebus temporalibus assumpserunt, qualis fuit in statu innocentiæ, in quo nulla proprietas, sive aliquod jus proprium ad personam aliquam vel collegium contracta erat, ut probatur per authoritates superius introductas, & est expressum de Apostolis in *C. dilectissimis* 12. *q.* 1. Et si quis hodie usum aeris, vel aquæ maris emere ex necessitate compelleretur; verbigratia; quia per iniquitatem vel maliciam, aut crudelitatem alicujus, vel aliquorum non permitteretur uti aere sive ad aerem stare, nisi emeret, sicut sæpe faciunt carcerati, qui emunt a Custodibus carcerum, ut ad aerem stare possint; ex tali emptione non plus censeretur habere jus utendi aere, quam prius: nec talis emptio, quæ ex necessitate fit, quia aliter sibi uti prohiberetur, non est contractus juris positivi, sed est actus facti, quia ab eodem jure naturali intelligitur omne illud sine quo est concessus. Nam a jure naturali concesso, quod quis uti possit rebus ad vitæ humanæ sustentationem necessariis, concessum per consequens ab eodem jure naturali intelligitur omne illud sine quo prius haberi non potest. *Extra de Regu. Jur. cum quid Lib. 6.* Sic & in proposito statuto a Christo sive lege perfectionis per ipsum instituta, quod Apostoli, & volentes viam perfectionis sequi quod omnia reliquerint, quod intelligitur quantum ad proprietatem, non quantum ad usum. Et concesso quod haberent in rebus omnibus necessariis ad vitæ sustentationem usum, eodem jure intelligitur per consequens fuisse concessum quod possent vendere, & emere pro vitæ sustentatione, ubi aliter non provideretur eis. Sicut fuit in Samaria quando cibos emerunt: nec ex tali emptione habuerunt alterum jus quam prius. Sicut concesso servo a jure naturali, quod ex famis necessitate possit vendera tunicam Domini sui, & panem emere ad comedendum: Non ex hoc sequeretur, quod servus haberet jus proprium utendi, emendi, & vendendi res sibi ad usum a Domino suo concessas. Secunda hæresis est, quia imponit falsum divinæ scripturæ, dum dicit quod scriptura sacra testatur Christum, & Apostolos vendidisse, & donasse de hiis rebus, quibus usi sunt, & alia ex illis acquisivisse, seu ipsos hoc facere potuisse, supponit expresse, hoc enim falsum est. Quia scriptura Sacra in aliqua sui parte non ponit, quod Christus aliquid donavit, aut vendiderit, nec quod possiderent aurum nec argentum &c. aliqua donarunt vel vendiderunt. Et licet in casu necessitatis dispensative videatur a Christo relaxando dictum præceptum Apostolis concessum, quod possent vendera, & emere gladium propter persecutionis tempus, ut patet per Bedam in auctoritate superius allata: Non tamen ex hoc, ut superius est probatum, dici potest, quod scriptura sacra dicat, vel supponat expresse eos simpliciter vendere potuisse, imo quod pro tempore necessitatis conceditur, intelligitur simpliciter prohiberi, ut dictum est, quamvis etiam illud dictum, *vendat tunicam, & emat gladium* secundum plures Doctores non intelligatur ad Literam, sed mystice. Unde Chrysostomus ibi dicit: *Non putemus eum jussisse, ut gladios possiderent, sed per gladium innuit immineutes insidias Judæorum.* Et Theophylus dicit ibi: *volens violentum insultum innuere, meminit gladii, nec prorsus revelavit, ne tangerentur accidia, nec prorsus obticuit, ne repentinis aggressibus fluctuarent:* Et Sanctus Basilius dicta verba pertractans, dicit: *Non jubet Dominus portare marsupium, & peram, & emere gladios, sed prædicit futurum, scilicet, quod Apostoli obliti tempore passionis donorum & legis Domini, auderent sumere gladios. Sæpe enim scriptura utitur imperativa sermonis specie, loco Prophetiæ. In pluribus tamen libris non invenitur, accipiat, tollat, vel emat, sed accipiet, tollet, emet:* hæc Basilius. Ex quibus patet, quod Sancti Doctores Ecclesiæ non intellexerunt, quod Scriptura Divina expresse diceret, vel supponeret, quod Apostoli possent vendere tunicam, & emere gladium, sicut dictus hæreticus asserit imprudenter. Tertia hæresis est, quia dicit, quod talis assertio, videlicet quod Christo & Apostolis in his, quæ ipsos habuisse Sacra Scriptura testatur, non competierit jus utendi, nec illa vendendi, seu donandi, aut ex ipsis alia acquirendi, evidenter includit usum & gesta Christi, & Apostolorum in præmissis non justa: hoc enim falsum, & hæreticum est, & contra Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ determinationem, ut superius est probatum. Præterea in hoc dicto ipse se demonstrat hæreticum evidenter. Quod sic probatur, secundum eum dicta assertio evidenter includit usum, & gesta Christi fuisse injusta: Sed semper omni tempore fuit evidenter hæreticum quicquid evidenter includit Christi usum, & gesta ejus fuisse injusta: Ergo ante dictam Constitutionem, & determinationem dicti D. Joannis fuit evidenter hæreticum asserere Christum, & Apostolos non habuisse hujusmodi jus utendi vendendi &c. Et sic talis assertio ante dictam determinationem fuit hæretica evidenter. Quod confirmatur, quia talis assertio, quæ evidenter includit gesta Christi injusta, includit per consequens non fuisse verum Deum, sed fuisse hominem peccatorem evidenter includit: Et sic in omnes Articulos fidei pertinentes ad divinitatem, & humanitatem evidenter impingit: Ergo talem assertionem, quæ tam detestanda, & maxime contra fidem Catholicam existentia secundum eum evidenter includit, declarando deinceps fore erroneam, & hæreticam censendam, inclusisse videtur, quod ante hujusmodi suam declarationem, imo verius delirationem licebat dicere illud, quod erat evidenter hæreticum, scilicet, asserere, quod usus, & gesta Christi fuerant injusta, ut superius est probatum. Unde se ipsum fore hæreticum proprio judicio demonstrat, in dubium tam certa secundum eum, & evidentia pro fide certa tenenda, revocando, & declarando, quod deinceps hæretica censeantur, ut superius est probatum. Et confirmatur hoc argumentum ex eo, quod illud dicitur evidens esse, quod nullo modo rationabiliter potest in dubium revocari *extra de accusa. C. evidentia*: ubi Glos. dicit, quod *illud dicitur evidens, quod est notorium, & probatum. Extra de cohabi. cle. & muli, C. ult.*

IMPU-

# IMPUGNATIO TERTIÆ CONSTITUTIONIS

*Quia Quorundam.*

Circa tertiam Constitutionem hæreticalem per dictum Dominum Joannem super prædictis ed tam, contra appellationem a Serenissimo Rege Romanorum ab antedictis duabus Constitutionibus interjectam; quæ Constitutio, incipit, *Quia quorundam* attendendum est, quod fere tot sunt in ea hæreses, & defectus, quot sunt propositiones, & conclusiones. Nam in hoc quod primo asserit, quod Pater mendacii excæcavit mentes illorum, qui contra sæpedictas suas Constitutiones *Ad Conditorem*, & *Cum inter*, dixerunt, se esse hæreticum, & suarum hæresum dogmatizatarum per eum in dictis suis duabus Constitutionibus defensorem pertinacem se esse demonstrat. Nam cum primo contra dictam Constitutionem *Ad Conditorem* per antedictum Fratrem Bonagratiam nomine dicti Ordinis fuerit appellatum, & in ipsa appellatione manifeste est ostensum, quod illa quæ sentiebat in prædictis, & asserebat dictus Dominus Joannes Scripturæ Sacræ multipliciter repugnabant. Et subsequenter per dictum D. Regem ab utraque Constitutione publice, & solemniter extiterit appellatum, & postulatum in ipsa ejus appellatione super prædictis Constitutionibus generale Concilium congregari. Ipse D. Joannes omni via juris contempta noluit corrigi, sed elegit in suis erroribus pertinaciter permanere: Et ideo tanquam manifestus, & pertinax hæreticus est ab omnibus Catholicis fugiendus, & detestandus, ut ait Apostolus ad *Timoth. ult. hæreticum hominem post primam & secundam correptionem evita; sciens quia subversus est, qui hujusmodi est, & delinquit proprio judicio condemnandus 24. q. 4. dicit Dominus.* Secundo in hoc quod asserit præsumptuose dictum illud, quod in appellatione D. Regis Romanorum continetur iniquum, scilicet in eo cum dicitur paupertatem Christi, & Apostolorum consistere perfecte in expolistione cujuslibet dominii temporalis, civilis, & mundani, & sustentationem eorum in solo & nudo usu facti constitisse. Ex quibus verbis patet, eum sentire, quod Christus, & Apostoli habuerunt in rebus dominium temporale, civile, & mundanum. Tertio in eo quod asserit *esse prorsus contrarium veritati dicere, quod illa, quæ per Clavem scientiæ in fide, & in moribus sunt a Summis Pontificibus diffinita, nequeunt ab eorum successoribus in dubium revocari, nec eis contrarium affirmare; licet secus sit in his quæ per clavem potestatis per Summos Pontifices ordinantur:* hæc verba ipsius in effectu, quæ maxime applicata ad illud, quod ipse intendit, & nititur probare, ipsius assertionem hæreticam esse demonstrant. Nam in appellatione Regis Romanorum dicebatur, quod a multis Romanis Pontificibus, & in pluribus generalibus Conciliis fuerit diffinitum per Clavem Scientiæ, paupertatem Christi, & Apostolorum extitisse perfecte in abdicatione cujuslibet temporalis dominii Civilis, & mundani, & sustentationem eorum in solo usu facti constitisse, & ob hoc non licuisse, nec licere eorum successoribus contra præmissa aliquid in dubium revocare, vel ejus quod diffinitum est contrarium affirmare, eo quod Ecclesia Romana non potest errare in fide, vel moribus, nec potest dare regulam falsam vel malam in recte vivendo: Nec in veritatis Iudicio Ecclesia Romana potest sibi esse contraria. Et hæc in effectu in appellatione Domini Regis continebantur. Quæ hic hæreticus in dicta constitutione, *Quia quorundam* reprobare intendit, atque damnare: quod est hæreticum manifeste. Cum certum sit, quod illa quæ de paupertate Christi, & Apostolorum, & veritate regulæ B. Francisci sunt per Ecclesiam diffinita, non possunt per aliquem Romanum Pontificem tanquam falsa, vel illicita in dubium revocari, sive ejus quod diffinitum est contrarium affirmare, ut quod prius erat in fide, & moribus diffinitum, per successorem pronuncietur male, vel illicite diffinitum. Quia ut superius est ostensum, & per jura probatum Romana Ecclesia non potest in fide, vel moribus errare. 24. *q.* 1. *C. a recta*. Nec potest esse nulla 24. *q.* 1. *C. pudenda* in fin. Et semper immaculata permansit, & Deo propitio in futurum permanebit firma 24. *q.* 1. *hæc est fides*. Nec licet Papæ aliquid statuere, quod sit præcedentium Sanctorum Patrum Decretis hujusmodi, nec Evangelicis præceptis contrarium *XIX. di.* §. *hoc autem*, & §. *qui ergo*. Nam contra Patrum statuta hujusmodi aliquid immutare, nec hujus Sedis potest authoritas 25. *q.* 1. *C. Contra Statuta*. Et S. Gregorius dicit: *Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed perversor juste comprobarer.* 25. *q.* 2. *C. si. ea. Et Ecclesiasticæ moderationi omnino est conveniens, ut ea quæ ordinata sunt vel decisa, nulla debeant in posterum refragatione turbari* 25. *q.* 2. *C. Ecclesiasticæ. Et quod semel Sancta Synodus diffinivit non debet in disceptationem duci, utrum bene vel male sit diffinitum. C. de summ. Trinit. l. Nemo. Et nihil est, quod ita nequeat occasui subjacere, sicut fides, & vera Religio, in E. tit. l. inter Claras. Et quod semel Synodus statuit pro fidei Communione, & veritate Catholica, non debet post hæc novis retractationibus mutilari.* 24. *q* 1. *C. majores*. Et ad hoc optime faciunt omnes authoritates Augustini, & S. Leonis Papæ superius adductæ. Et ibi: *ubi Sancti Patres in his quæ ad fidem & mores pertinent, aliquid diffinierunt, Papa non potest novam legem dare, sed quod diffinitum est, usque ad animam, & sanguinem confirmare. Et si contra facit, ipso facto convincitur errare.* 25. *q.* 1. *C. sunt quidam*. 25. *di. C. sicut Sancti. Nam auctoritas Ecclesiæ est immediate a Deo* 21. *di.* §. 1. & *C. In novo*, & 19. *di. C. Ita Dominus*, & *extra de majo. & obe. C. solitæ*: Sic enim constitutiones hujusmodi Apostolicæ Sedis accipiendæ sunt tanquam ipsius Petri divina voce firmatæ. 30. *di. C. Sicut omnes*, & quasi per totum. Et sicut non est licitum in lege dicere quod in Scriptura Sacra sit aliquod falsum, quia totius Scripturæ fides, & auctoritas vacillaret 9. *di. si ad Scripturas*: Sicut non est licitum dicere, quod Ecclesia Romana semel in fide, vel moribus erraverit, quia sic tota auctoritas, & fides Ecclesiæ vacillaret. Nam eodem jure, quo hoc concederetur, argui posset, quod erravit in aliis: nec potest, nec debet in dubium revocari, quin illud, quod diffinitum est a pluribus Romanis Pontificibus, videlicet, quod Christus, & Apostoli viam perfectionis ostendentes non habuerint aliquid jure proprietatis in speciali, nec in communi, quam Fratres minores profitentur, est meritoria, & Sancta, & est illa quam Christus, & Apostoli docuerunt; censeri debeat per Ecclesiam diffinitum, maxime cum hæc diffinitio sit in corpore juris, & in pluribus locis clausa, & ab universali Ecclesia per longa tempora recepta, & per generale Concilium approbata, & confirmata, ut superius in pluribus partibus est ostensum. Et ideo contrarium dicens, & affirmans, est tanquam hæreticus, & ab Ecclesia Sancta præcisus, & excommunicatus penitus evitandus. Quarto in hæresim incidit subsequenter Scripturam Sanctam in dubium revocando: Nam recitans duas opiniones ponit primo opinionem illorum qui, ut dicit, tenent scientiam nequaquam esse

„ Cla-

Clavem spiritualem, & pro illorum opinione dicit esse diffinitionem Clavis, quam a Doctoribus dari dicit. Deinde dicit, quod aliqni ponnnt unam Clavem spiritualem scientiam. Et quid de hoc ipse sentiat, vel sentiendum sit non declarat. Et sic sub dubio ponit, Clavem scientiæ in dubium revocando. Nec valet, si dicatur, quod ipse non negat Clavem scientiæ: sed asserit, quod per Clavem scientiæ nihil diffinitur. Quia licet eapresse non neget Clavem scientiæ, tamen in dubium eam revocat, in eo quod asserit duas opiniones de hoc esse, & nihil determinat expresse, imo ad partem negativam declinare videtur, cum etiam post narrationem dictarum opinionum concludat sic dicens: *Quare restat, quod soli Clavi potentiæ statuere competat, & etiam diffinire. Et hoc Salvator in concessione Clavium facta B. Petro sensisse videtur, cum post illam subiunxit immediate. Quodcumque ligaveris super terram &c. nulla de scientia habita mentione*: hæc verba ejus. Sed Scriptura Divina, & Sancti Doctores Ecclesiæ, ac Sacri Canones clare, & expresse determinant clavem scientiæ esse clavem unam distinctam a Clave potentiæ, sicut patet *Luc. XI. væ vobis legis peritis, qui tulistis Clavem Scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis*: ubi dicit Cirillus; quod *Clavis Scientiæ est lex, quæ fuit umbra, & figura Christi*. Item Rabanus pertractans illud *Math. 16. Et tibi dabo Claves Regni Cælorum* dicit sic, *Claves Regni Cælorum discretionem, & potentiam nominat; potentiam quia liget, vel solvat; & discretionem, qua dignos vel indignos discernat*: hæc Rabanus. Constat autem, quod clavis discernendi inter dignos, vel indignos, est clavis scientiæ. Ergo & textus Evangelii duas ponit, & ille Sanct s Doctor unam ex illis clavem scientiæ fore declaravit. Item *Apocalyp. 3. C.* dicitur: *hæc dicit verus, & sanctus, qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit*: ubi dicit Glos. *claves autem ista, fuit clavis scientiæ, per quam clausit sub certis limitibus …calorum omnia mysteria, & secreta scripturarum tam veteris quam novi Testamenti*. Non autem dici potest, quod fuerit clavis potentiæ spiritualis, quia David illam non habuit. Item quod clavis scientiæ sit una clavis distincta a clavi potentiæ, per quam datur potestas discernendi verum a falso, patet per illud quod legitur 20. *di.* §. 1. ubi dicitur sic: *In negociis diffiniendis, non solum est necessaria scientia, sed etiam potestas; unde Christus dicturus Petro: Quodcumque ligaveris super terram &c. prius ei dedit claves Regni Cælorum, in altera dans ei scientiam discernendi inter lepram, & lepram. In altera potestatem deiiciendi aliquos ab Ecclesia, vel recipiendi*: hæc ibi: Ex quo patet, quod clavis scientiæ est necessaria in negociis diffiniendis. Et ad hoc etiam facit, quod dicit Augustinus in libro de pœnit., & ponitur in decretis *de pœni. di.* 1. §. *Extra*, & *di.* 6. *in prin.* Et quod non sit tantum una clavis, sed plures probatur per Evangelium cum dicit: *& tibi dabo claves regni Cælorum*. Et per illud quod dicitur per Augustinum in libro *de pœni.*: ibi: *Clavibus Ecclesiæ quodcumque solvitur in terra, & in cælis solutum permittitur*. Et *di.* 21. dicitur §. 1. *Christus Petrum in Summum Sacerdotem elegit, dum ei pro omnibus, & pro omnibus claves Regni Cælorum tribuit*. Et in *Collecta B. Petri* Gregorius dicit: *Deus qui Beato Petro Apostolo tuo clavibus regni cælestis collatis ligandi, atque solvendi Pontificium tribuisti*. Et factum Concilium Generale, ubi fides Catholica explicatur, ut firmiter credenda, & simpliciter confitenda expresse ponit, ut firmiter credendum, & simpliciter confitendum, quod Sacrificium Corporis Christi nemo conficere potest, nisi sacerdos rite ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas Jesus Christus Apostolis, eorumque successoribus concessit *extra de sum. Triu. & fi. Cath. C. firmiter §. una est*. Ex quibus patet fore per Ecclesiam, & Sanctos Doctores diffinitum, & determinatum duas claves Ecclesiæ esse, & non tantum unam; Et hoc pro fide certa, & indubitata firmiter fore credendum, & simpliciter confitendum. Nam pluralis locutio duorum numero est contenta; ut expresse dicitur *ff. de verborum signif. L. inter illam in fin.* Et ad hoc facit *ff. de testi. L. ubi numerus*. Ergo dictus Dominus Joannes dictam fidem certam, & indubitatam in dubium revocans est infidelis, & hæreticus censendus, *extra de hæreti. C.* 1. & in aliis Concordantiis, superius allatis: Et est excommunicatus per ipsum Concilinm generale, quod excommunicat omnes, & singulos, qui non credunt firmiter, & simpliciter confitentur ea quæ sunt inserta in ipso Concilio *Extra de hæreti. C. Excommunicatus*, quæ Decretalis est pars dicti Concilii, & est cum ipso concilio *firmiter credimus* annectenda, quia continuatur cum ea. Quinto dictus hæreticus falsum asserit, & in fidem Catholicam, ac diffinitionem, & determinationem Ecclesiæ, earum verum, & sanum intellectum pervertendo, & quantum est in se destruendo vehementer impingit. Primo enim falsum asserit cum dicit, quod prorsus obviant veritati illa, quæ proponuntur in appellatione Serenissimi D. Regis Romanorum, quam pro fidei Catholicæ veritate interposuit a dictis hæreticalibus constitutionibus, *Ad conditorem*, & *cum inter*, ad futurum Generale concilium, quod congregari in loco tuto cum instantia postulabat, & ad verum & legitimum futurum Summum Pontificem & ad Sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam & Apostolicam pro se, & sibi adhærentibus, & adhærere volentibus in futurum. Sic dicens hæreticus supradictus: *Quod autem subsequenter proponitur in ratione supradicta, videlicet, quod in Confirmatione, & approbatione regulæ Fratrum minorum nonnullorum prædecessorum nostrorum, videlicet, Honoris III. Gregorii IX. Innocentii IV. Alexandri IV. Nicolai III. Summorum Pontificum, verba huiusmodi continentur: hæc est regula Evangelica Christi, & Apostolorum imitatrix, quæ nihil in hoc mundo habet proprium, vel Commune; sed in rebus quibus utuntur, habent simplicem facti usum: his adicere præsumentes præfatos Summos Pontifices ac multa generalia Concilia per Clavem Scientiæ diffinisse paupertatem Christi, & Apostolorum constitisse perfecte in expoliatione cujuslibet temporalis dominii civilis, & mundani, & substentationem eorum in solo, & nudo usu facti consistere, & constitisse: Quod prorsus obviat veritati: Honorius quidem præfatam regulam absque declaratione aliqua confirmavit. In cujus confirmatione de verbis prædictis mentio aliqua non habetur, nisi quam de vita Evangelica habetur mentio in ipsa regula confirmata, ibi cum dicit: hæc est regula fratrum minorum videlicet Domini Nostri Jesu Christi Sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio, & in Castitate. Ex quibus verbis concludi non potest, quod per ipsum prædecessorem nostrum ea quæ ibi in verbis prædictis asserunt fuerint diffinita, imo potest concludi quod vita Evangelica, quam Christus, & Apostoli tenuerunt habere aliqua in Communi non excludit, cum sine proprio vivere non exigat, quod sic viventes nihil habeant in Communi*; hæc verba in effectu dicti hæretici in Constitutione *Quia quorundam* inserta. In quibus manifestum & pertinacem hæreticum se esse demonstrat, & in plures hæreses incidisse. Et dat clare intelligere quod illud quod dixit in Constitutione *Cum inter* in prima parte de habere jure proprietatis civili, & mundano intellexit & sensit. Prima itaque hæresis, quæ ex dictis verbis colligitur est, quod ipse sentire videtur, & intelligere, quod Christus, & Apostoli habuerunt in Communi temporale dominium civile, & mundanum.

„ Cum

„ Cum aperte ex prædictis improbare nitatur dictum illud, quo dicebatur; quod paupertas Christi, & Apostolorum consistit in expoliatione cujuslibet temporalis Dominii civilis & mundani. Et concludit ex prædictis, quod vita Evangelica quam Christus, & Apostoli tenuerunt habere aliqua in Communi non excludit. Quod quidem secundum omnes viros Catholicos semper fuit hæreticum, nec unquam fuit super hoc aliqua dubitatio apud Catholicos tractatores. Quia sicut superius ubi de quadruplici Communitate agitur §. 3. *Communitas*, est plenissime comprobatum; omnis communitas civilis & mundana non solum Collegialem, sed etiam personalem proprietatem includit, quia cuilibet de dicto Collegio personale jus proprium competit in ipsis rebus communibus, ut probant jura ibidem allata, & ad sensum patet in omnibus universitatibus, & Collegiis civilibus, & mundanis; Et ideo talis communitas nullo modo secundum viros Catholicos stat cum evangelica perfectione, imo necesse est, quod volens perfectionem Evangelicam adipisci tali communitati renunciet, ut superius est probatum. Dicere igitur, & sentire, quod in Christo, & Apostolis fuerit talis communitas, includit quod ipsi & quilibet eorum fuerint proprietarii in speciali, & in communi: Et vitam Christi, & Apostolorum reddit imperfectam, & ejus doctrinam fallacem, & mendacem fuisse demonstrat. Secunda hæresis est, quod in omnes diffinitiones, & determinationes prædictorum Summorum Pontificum, & totius Ecclesiæ Catholicæ impingit vehementer. Nam ut supra plene & manifeste est ostensum, ex verbis prædictæ Clausulæ per Sedem Apostolicam approbatæ colligitur, quod abdicatio proprietatis omnium rerum, quam Fratres minores ex dicta regula profitentur, excludit omnem proprietatem personalem, & Collegialem, cum dicto prius, quod regula est, Sanctum Evangelium observare, vivendo sine proprio, postea subjungitur verbum distributivum pro Conventu, sive Collegio, & universitate Fratrum dicens, *Fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum, nec aliquam rem*. Certum est enim quod hoc verbum *Fratres* stat pro communitate, sive Conventu, vel Collegio; *ff. de reb. dub. l. Civilibus, & l. cum senatus*, & maxime cum apparet de tali intellectu ordinantis, sicut in proposito casu. Patet etiam ex natura verborum statuti sive præcepti dictæ regulæ cum dicit: *Fratres nihil sibi approprient nec Domum, nec locum, nec aliquam rem*. Patet etiam quod loquitur de communitate sive universitate Fratrum, cum in singulari nullus consueverit sibi appropriare unum locum, vel totam unam Domum: & tamen quodlibet Collegium, quod sibi intendit appropriare aliquid in communi primo quærit locum & domum propriam communitati, in quibus valeant commorari illi de Collegio in communi, & res communes servare. Nemini igitur intelligenti venire debet in dubium, quin appareat ex natura verborum statuti, sive præcepti regulæ supradictæ quod conditor regulæ prædictæ prohibere voluit Fratribus, ne in communi sibi aliquam Domum, aut aliquem locum appropriarent, alias totum præceptum illud *Fratres nihil sibi approprient &c.* esset superfluum, & frustratorie adiectum nisi verbum illud *Fratres*, etiam pro universitate, sive communitate supponant. Cum in principio regulæ jam foret dictum, quod regula, & vita minorum Fratrum, hoc est, scilicet *Sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia sine proprio, & in Castitate*; per quam clausulam satis apparet inhibitum, quod nullus frater in singulari sibi aliquid appropriet. Præterea si conditor regulæ voluisset solum prohibere ne Fratres sibi in speciali, vel in singulari aliquid sibi appropriarent, ridiculose, & superflue post prædictam Clausulam, *Fratres nihil sibi approprient nec domum, nec locum &c.* de paupertate tantæ expropriationis loquens subjunxisset, *hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos Carissimos Fratres meos heredes, & reges regni Cælorum instituit*. Differentia enim est inter altissimam paupertatem, & celsitudinem altissimæ paupertatis, sicut inter dignitatem, & culmen dignitatis. Quia Celsitudo, sive Culmen dicitur illud quod est in summo 56. *di. C. oportet jus p. ne.* in fin. & 63. *di. C. si per ordinationem*; & superius est dictum. Si igitur habere possent Fratres minores in communi, ridiculosum, falsum, frustratorium foret dicere, quod eorum paupertas foret celsitudo altissimæ paupertatis. Et nisi intentio conditoris regulæ fuisset, quod Christus talem paupertatem in se ipso servasset frustra, & inconvenienter pro ratione hujusmodi paupertatis sequendæ, & observandæ posuisset dicens: *Quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo*, quia talis ratio ad propositum non fuisset; falsum etiam foret, quod dicit, quod *Fratres in hujusmodi paupertate Domino famulantur*, si Christus talem abdicationem non servasset. Ex prædictis igitur manifeste apparet ex verbis regulæ, quod conditor ejusdem regulæ voluit, & intellexit Sanctum Evangelium & vitam Christi observare in se, & a Fratribus eum sequentibus, vel sequi volentibus observatione in abdicatione proprietatis omnium rerum in speciali, & in communi. Et quod sensit, & voluit divina inspiratione motus, quod talis abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam in communi fuerat a Christo in se ipso observata, & in Evangelio docta. Unde & in fine concludendo dicit, *paupertatem, & Sanctum Evangelium D. N. Iesu Christi, quod promisimus firmiter observemus*. Et hoc apparet ex dubitatione quæ fuit inter Cardinales cum tempore Innocentii III. cum B. Franciscus peteret hanc regulam sibi, & suis fratribus confirmari, dubitabant regulam tam altissimæ paupertatis confirmare, ut habetur in legenda ipsius Sancti. Quæ dubitatio fuisset prorsus, inanis si ex ipsa regula fratres potuissent habere bona, & res in communi. Qui D. Innocentius III. divina revelatione preventus longa deliberatione, & examinatione præhabita, primo ipsam regulam approbavit, cujus approbatio multum est attendenda, cum ipse inter Doctores in Sacra Pagina Doctor magnus extiterit, & summus fidei Catholicæ declarator; sicut Decretales per eum super explicatione fidei Catholicæ conditæ manifestant. Unde eo ipso quod tanti, & tam excellentes viri in Sacra Pagina ex certa scientia, talem regulam approbaverunt, & confirmaverunt, ex ipsa approbatione & confirmatione manifeste concluditur, eos per consequens sensisse, & approbasse, verum esse quod ex regula ipsa habetur, scilicet, quod vita, & regula paupertatis altissimæ Christi in Sacro Evangelio docta, est nihil sibi appropriare nec in speciali, nec in communi. Et quod ipsa regula observantiæ Sancti Evangelii in celsitudine paupertatis, habere aliqua in communi jura proprietatis excludit. Item si possent sibi Domos, loca, & alias res appropriare in communi, frustra post prædicta verba *Fratres nihil sibi approprient in communi &c.* adjunxissent, *sed tanquam peregrini, & advenæ in hoc sæculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes vadant pro Eleemosina confidenter*. Si enim haberent Domos, & loca propria, & res alias proprias in communi, non essent tanquam Peregrini perfecti, nec famularentur Christo in sua altissima paupertate. Qui, ut supra probatum est per authoritates Evangelii, & Sanctorum Doctorum, non habuit Domum, nec locum, nec mensam, nec candelabrum, nec hujusmodi tales res, sed fuit pauper, & mendicus. Ex prædictis igitur concluditur, quod falsum est dicere, quod

D. Ioannes asserit, scilicet, quod ex confirmatione regulæ supradictæ non potest concludi, quod vita Evangelica quam Christus tenuit, fuerit sibi nihil appropriare in speciali, nec in communi. Si enim hoc posset concludi ex eo, quod Christus & Apostoli habuerunt in communi, errassent omnes Pontifices, & tota Ecclesia, a quibus pluries, & frequenter extitit declaratum, quod illud quod in regula dicitur, *Fratres nihil sibi approprient &c.* intelligitur in speciali, & in communi; Et quod talis proprietatis abdicatio fuit a Christo, & ejus Apostolis servata, & docta. Patet etiam ex prædictis, quod Romani Pontifices prædicta regulæ verba declarando ut dictum est, nihil novum circa ipsam statuerunt, sed intellectum verum, & sensum verborum ipsius regulæ, qui ex ipsis verbis colligi poterat explicatur. Qui enim declarat sive exponit verba legis vel regulæ, non facit aliquid novi, sed quod est factum detegit, & exponit. *ff. de regul. jur. L. habere §. palam.* Tacita est etiam veritas, & falsitas expressa in eo, quod D. Joannes ex nimia cupiditate voluntatis detrahendi regulæ B. Francisci, & calumniandi Ordinem institutum ab eo, post prædicta immediate subiungit dicens sic: *In declarationibus quoque Gregorii, Innocentii, & Alexandri prædictorum, qui eamdem regulam absque confirmatione aliqua declararunt, similiter nulla fit prorsus mentio de prædictis:* hæc verba ipsius: Quæ non continent veritatem. Primo in quantum dicit, quod absque confirmatione dictam regulam declararunt, quia non solum declararunt prædicti Romani Pontifices ipsam regulam, sed etiam confirmarunt, ut ipsi in suis rescriptis, & ordinationibus, quæ incipiunt, *Nimis iniqua*, ubi integre habentur, testatur quilibet eorumdem. Dominus etiam Alexander in suo rescripto quod incipit: *nimis iniqua vicissitudine* testatur de confirmatione dictæ regulæ sic dicens. *Nimis iniqua &c.* CUM IGITUR ORDO *prædictorum fratrum minorum per fel. rec. Innocentium III. Gregorium IX. & Innocentium IV. Prædecessores nostros, & etiam per nosmetipsos sit solemniter approbatus, & eorum regula confirmata:* hæc verba dictæ Ordinationis: In quibus, & de suis prædecessoribus omnibus prædictis, & de se ipso asseruve attestatur, quod ipsam regulam confirmarunt. Testantur etiam dicti Romani Pontifices in eisdem ordinationibus & rescriptis, quod fratres Minores elegerunt in altissima paupertate Christo pauperi famulari, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Et prædicti Gregor. Innocentius, & Alexander declarant expresse in suis declarationibus, quod ista paupertas altissima, de qua sanctus Franciscus in sua regula dicit: *fratres nihil sibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem*, intelligitur, quod non approprient in speciali, & in communi: posuit in Corpore juris dictam ordinationem. In qua loquens de paupertate altissima quæ erat jam per eum declarata consistere in nil sibi appropriare, nec in speciali, nec in communi, testatur *quod ipsi Fratres in altissima paupertate Christo pauperi famulantur ad placitum tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*, ut dicitur in Decretalibus *Extra de Excess. prælа. Nimis iniqua, & nimis prava* ab universali Ecclesia Dei ab antiquis temporibus receptis, & observatis. Ubi etiam Hostieosis dicit in apparatu suo, quod *improbare statum hujusmodi per Sanctam Romanam Ecclesiam approbatum, hæreticum est censendum*: patet ergo nx prædictis, quod prædicti Romani Pontifices dictam regulam confirmarunt. Patet etiam in eorum declarationibus, quod ipsi declararunt dictam abdicationem proprietatis omnium rerum debere intelligi in speciali, & in communi, de qua in regula prædicta mandatur, quod Fratres nihil sibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem, in qua paupertate ipsa regula asserit Fratres Christo ad placitum famulari. Et asserit eam paupertatis altissimæ celsitudinem, & Evangelii observari, in dictæ regulæ observatione: Ergo falsum est quod dictus D. Ioannes hæreticus asserit, dictos Pontifices regulam præfatam absque confirmatione alia declarasse, & in eorum declarationibus prædictis nulla prorsus fit mentio de prædictis. Sexto in prædicta constitutione *quia quorundam* dictus D. Ioannes errorem alium dogmatizat. Nam ex declarationibus Gregorii, Innocentii, & Alexandri prædictorum; In quibus dicitur quod *Fratres nihil sibi approprient in speciali, nec in communi, sed locorum, domorum aut utensilium, & eorum quæ licet habere, ordo usum habeat, & Fratres secundum quod Generalis Minister, vel Provinciales Minoris Ordinis prædicti ordinandum duxerint his utuntur*; arguit in hæc verba: *Cum enim dicatur in declarationibus subscriptis, quod ordo usum habeat rerum præmissarum, ad usum juris necesse est hoc referri, facta quidem quod singulorum sunt personam veram exigunt, & requirunt. Ordo vero persona vera non est, sed repræsentata, & imaginaria potius est dicenda. Quare quæ facti sunt sibi convenire nequeunt, licet ei congruere possint ea quæ sunt juris*; hæc sunt verba dicti D. Ioannis. In quibus verbis se esse hæreticum demonstrat, & ignarum; contra Decretalem *Exiit in §. ad hæc* dicentem in hæc verba: *Ad hæc cum Fratres ipsi nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possint etiam in communi.* Et infra: *Omnium utensilium, & librorum, ac etiam mobilium præsentium, & futurorum, quæ & quorum usum facti scilicet Ordini, & Fratribus ipsis licet habere, proprietatem & dominium, quod etiam Innocentius Papa IV. prædecessor noster fecisse dignoscitur, in nos, & Romanam Ecclesiam Apostolica authoritate recipimus:* hæc ibi. Ex quibus clare patet, quod usus facti competit Ordini, & Fratribus. Præterea acquirere aliquid alteri, est juris, & in jure consistit, & tamen Text. dicit, quod *Fratres nihil possunt acquirere ordini etiam in communi.* Ergo liquet quod ea quæ sunt facti, scilicet, usus facti congruit prædicto Ordini Fratrum minorum, & ea quæ sunt juris sibi non possunt congruere. Et est ratio, quia ordo fungitur vice personæ; & sicut hæreditas, municipium, & societas, & Curia *ff. de fidejusso. l. mortuo*, abdicavit a se quæ sunt juris, & retinuit solummodo ea quæ sunt facti: Si enim non abdicasset a se ea, quæ juris sunt, possent competere sibi illa: & prædicta etiam patent ex aliquo loco dicti Decretalis *Exiit*: ubi dicit sic: *Verum condecens fuit ei professioni, quæ sponte devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam. Nec per hoc quod proprietatem usus, & rei cujuscumque dominium a se abdicasse videtur, simplici usui omnis rei renunciatum esse convincitur: qui, inquam, usus non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tamen in utendo præbet utentibus nihil juris*, hæc verba dicta Decretalis. Quibus nihil clarius, & aptius dici potest ad ostendendum dictum Dominum Joannem hæreticum in prædictis verbis suis, fuisse ignoranter, & imperite locutum. Nam cum dicit dicta Decretalis quod dicta professio Fratrum, quod idem est dicere, sicut si dixisset Ordo Fratrum, quod quantum ad hoc idem sunt, proprietatem usus, & rei cujuslibet dominium a se abdicat, clare patet, quod usus qui est juris. *insti. de re. incorpo.* §. 1. non convenit ordini supradicto, sive professioni prædictæ. Et cum dicat, quod dicta professio, idest ordo, non abdicat usum qui est facti: Ex quo seqnitur, quod illum usum, qui tantum est facti, retinet: per consequens patet. quod professioni, & ordini prædicto competit ille usus, qui est tantum facti, & nihil juris habet. Item dictæ De-

„ cla-

„ clarationes Gregorii, scilicet, Innocentii, & Alexandri, quas ipse pro se ad probandum quod ordo usum habeat, inducit, faciunt contra eum. Nam dicunt, sicut etiam ipse fatetur, quod fratres nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere. Sed Fratres in communi est Ordo. Unde quod Fratribus in communi relictum est, Ordini intelligitur esse relictum *ff. de reb. dub. l. 2. & l. cum Senatus*, & in speciali sunt singulares Personæ, ut in *d. l. cum Senatus* dicitur in fin. Et tamen dicit quod in communi non debent habere proprietatem, habere autem usum juris in communi est habere proprietatem in communi. Quia usus prout est juris, est jus proprium utendi aliqua re, pro qua datur actio in Iudicio habenti tale jus, sicut ex obligatione, ut in *d. §. 1. Institu. de reb. incorpo.* Ergo usus joris etiam secundum dictas declarationes, quas allegat non competit prædicto Ordini, quia ipsum a se abdicavit. Præterea licet vere dicatur, quod Ordo fungatur vice personæ, sicut hæreditas, municipium, Curia, & societas *ff. de fidejus. l. mortuo, & instit. de stipula. servo. §. 3. & ff. de acquir. re. Domi. l. hæreditas* cum similibus; tamen imperite dictum est, quod Ordo sit imaginaria persona. Nam illud de jure dicitur imaginarium, quod simulatur esse, & non est. *ff. de contra. empti. l. nuda*. Et notatur. *ff. de regu. jur. L. imaginaria*. Et quod imaginarium est juris vinculum non obtinet. *ff. de acti. & obliga. L. contractus*. Sicut nec chimera. Unde *v. cit.* nomen sine re species est dicta chimera. Ideo quod imaginarium est usum juris habere non potest, quia juris vinculum non obtinet; ordo autem sicut & Collegium unum, populus unus, Civitas una, interpretatione, & statuto juris in veritate repræsentat personam, & fungitur vice personæ: unde nisi ordo Fratrum Minorum abdicasset a se ea, quæ sunt juris, sibi competerent. Et in aliis communitatibus certum est, quod uni ordini, & uni collegio, & uni populo, & uni universitati ea quæ sunt juris & facti competunt. Unde collegio approbam competit habere res Communes, arcam communem, & syndicum *ff. quod cujusque universi L. 1. §. quibus*. Et universitas dat actorem ad agendum, qui pro universitate potest experiri non pro singulis *ff. eod. ti. L. 2.* Et Ordo dat Actorem, cum duæ partes vel plures asserunt in dando. *ff. quod cujusque universi. L. nulli*. Scriptura etiam divina in locis fere innumerabilibus attribuit universitati, quæ vicem obtinet personæ, ea quæ facti sunt, sicut patet *primo ad Corinth. X. C. sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*. Et *Math. 2. Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo*: Et *Math. 3. populus hic labiis me honorat* &c. & *Math. 21. commota est universa civitas dicens. Quis est hic*? Et Ordini competit actus faciendi decretum *ff. de Decret. ab Ordi. faci.* in rubrica, & *L. quod semel ordo decrevit* &c. Et *ff. de acquir. poss. L. 2.* dicitur sic: *secundum hoc jure utimur ut possidere, & usu capere municipes possint, idque eis & per servum & per liberam personam acquiritur*. In qua lege patet exemplum de utroque, scilicet de eo quod est facti, ut possidere, & de eo, quod est juris, ut usu capere, quod & hæc universitati, quæ vice fungitur personæ conveniunt; Unde & Scripturæ Sacræ & juri repugnat dicere, quod ordini, qui fungitur vice personæ ea, quæ facti sunt, nequeant convenire, sicut hæreticus asserit antedictus. Septimo memoratus D. Joannes in sæpedicta constitutione *quia quorundam* plures hæreses dogmatizat, sic dicens: *Constat enim multa in ipsa regula contineri, quæ nec Christus docuit, nec exemplo firmavit, ut pote quod præcepit conditor regulæ fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam reciperent per se, nec per interpositam personam, nec non de multis contentis in ipsa regula, quæ utique nec Christus docuit, nec Apostoli docuerunt, nec exemplo firmaverunt. Nec obstat quod Christus portare pecuniam Apostolis, & Discipulis, dum ipsos ad prædicandum mitteret, interdixit; quod tamen antequam eos mitteret ipsis fuisse non legimus interdictum. Quandoque post reditum pecuniam portaverunt, & in plerisque locis evangelica veritas, & Apostolica dicta testantur. Præterea Augustinus dicit expresse, quod illud non fuit præceptum, sed potestas recipiendi necessaria ab his quibus prædicabant Evangelium, quam servare Apostolis licuit, vel etiam non licuit*: hæc verba dicti Domini Joannis.

„ In quibus plures errores dogmatizat. Primo duas in verbis prædictis cum dicit, quod Christus non docuit, nec exemplo firmavit denarios, vel pecuniam non recipere per se, vel per interpositam personam, adjiciens, quod illud quod Christus portare pecuniam Apostolis, & Discipulis dum eos ad prædicandum mitteret interdixit, non fuit præceptum, sed potestas recipiendi necessaria, quam servare Apostolis licuit, vel non servare. Ad quorum errorum explicationem, & manifestationem attendendum est, quod B. Franciscus vitæ Christi imitator egregius, volens Christi præceptum per eum datum Apostolis, & discipulis imitari, possessionem, & contrectationem pecuniæ suis imitatoribus interdixit, non quia pecunia mala sit vel quia census formaliter, seu causaliter sit in culpa, vel quia pecunia possideri, vel contrectari non possit absque peccato. Sed quia inter cætera quæ possidentur, pecunia est maxime illecebrosa, & de facili illactiva, non solum imperfectorum, sed etiam perfectorum, Spiritu Sancto dictante, præcepit ad culmen perfectionis, & sanctitatis vitæ pertinere non solum peccata, sed etiam occasiones effugere peccatorum. Ideo volentibus eum perfecte sequi in celsitudine altissimæ paupertatis, quam Christus in se ipso servavit, & Apostolos docuit, prohibere voluit, ne pecuniam possiderent, sive contrectarent per se vel interpositam personam Quia quantum ad possessionem, sive proprietatem, vel contrectationem pecuniæ non refert, utrum quis per manum propriam, vel alienam recipiat suo nomine possidendam, & contrectandam. Nam is possidet, cujus nomine possidetur. *ff. de acquir. posse. L. quod in eo*. Quod autem Christus hoc docuerit, & exemplo firmaverit Scriptura Sacra, & Sancti Doctores Ecclesiæ sequentes eam, & Sancta Mater Ecclesia firmiter attestantur. Nam *Matth. 6.* dicitur: *Et vocavit duodecim, & præcepit illis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, nec in Zona æs, sed calceatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis*: hæc ibi: In quibus verbis clarissime patet, quod Christus præcepit Apostolis, nec pecuniam, sive æs in Zonis portarent. Et *Matth. X.* dicitur sic: *Et convocatis XII. Discipulis suis*: Et infra: *duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc*. Et infra: *hos XII. misit Jesus, præcipiens eis, & dicens: nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, nec duas tunicas, nec calceamenta; dignus est enim operarius cibo suo*: hæc ibi: Et *Luc. IX.* dicitur sic: *Convocatis autem XII. Apostolis, dixit* ad illos: *Nihil tuleritis in via, neque virgam, nec panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis; & in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde non exeatis*: hæc ibi: Quibus clarius nihil dici potest ad ostendendum, quod Christus docuit Apostolos non recipere, nec pecuniam possidere. Et quod hoc imposuit eis sub præcepto, cum etiam dicat expresse *præcepit*. Nec valet, si dicatur, quod licet Evangelium prohibeat non portare; tamen non dicit ullo modo: quia præceptum negativum, generaliter dictum, in quo nulla fit exceptio, tantum importat, ac si diceretur. *Nolite nullo modo portare* Extra *de conjugi. lepro. C.*

2. *in fin.* Nam præceptum negativum semper obligat, & ad semper. Quod autem Apostoli hoc præceptum servaverint ad literam, etiam post reditum a prædicatione, Sanctorum Doctorum Ecclesiæ authoritatibus comprobatur. Unde Augustinus in *lib. de mirabilibus Sacræ Scripturæ* dicit sic: *In excusatione eleemosynæ, & paupertatis professione Petrus Paralitico dixit: Surge, & ambula, illud magistri præceptum servans. Nolite possidere aurum nec argentum. Qui enim soli Deo serviens, de iniquo Mammona expeditus fuerat, verbo imperii morbo ligatum cito solvebat*; hæc Augustinus. Ex quibus patet, quod etiam secundum Augustinum dictum præceptum ad literam intelligatur fuisse dictum Apostolis, & per ipsos etiam post reditum a prædicatione fuisse servatum. Nequaquam autem a prædictis discordat illud Augustini verbum; quo contra Adamantium Manichæum præfatum mandatum de non possidendo aurum, nec argentum &c. dicit fore *spiritualiter perscrutandum*; vel alibi dixisse dicitur *permissive intelligendum*. Nam cum Math. dicat expresse; *præcepit eis, ne quid tollerent in via, &c.* Et Augustinus una cum aliis Sanctis Doctoribus, & Expositoribus Sacræ Scripturæ, ut infra dicetur, hoc præceptum fore intelligendum ad literam manifestet. Si hoc simpliciter negaret alibi, & Evangelicæ veritati, & Sanctorum Doctrinæ simul, ac suæ contrairet manifeste, quod de tanto dici doctore piæ Catholicorum aures detestantur. Attendendum est igitur; cum Apostoli primi fuerint fundatores religionis Christianæ, & etiam professores perfectionis excelsæ, intelligi potest prædictam paupertatis formam fuisse eis a Christo impositam sub præcepto tanquam exemplaribus perfectionis excelsæ. Et in hoc casu non omnes Christiani ad hanc vitæ regulam tenentur, sicut falso Manichæi dogmatizant, sed illi soli qui hanc vivendi formam voluntarie profitentur, & vovent. Et secundum hunc intellectum prædicta intelliguntur, ad literam imposita fuisse sub præcepto ipsis Apostolis, qui ipsam paupertatem professi sunt, ut patet in dicta authoritate Augustini de *mirabilibus Sacræ Scripturæ*, cum dicit in authoritate prædicta *in excusatione Eleemosynæ &c.* & in authoritate superius allata 17. *de Civit. Dei*. Et in omnibus illis, qui volentes ipsam Apostolorum paupertatem sequi, ad ipsius observantiam se astringunt; vel potest intelligi, quod prædicta fuerint eis data tanquam fundatoribus totius Ecclesiæ, ita quod prædicta extendantur ad omnes Christianos perfectos, & imperfectos; & tunc non ad literam sed specialiter sunt intelligenda, fuisse eis imposita sub præcepto. Et in tali casu loquitur Augustinus contra Manichæos ostendens, quod si ipsa verba intelligantur omnibus Christianis dicta, sunt spiritualiter perscrutanda. Vel tertio possunt intelligi prædicta verba fuisse Apostolis imposita, sicut certis personis, primisque Prædicatoribus Evangelicæ legis. Et sic cum duo insinuentur in verbis prædictis, scilicet, abdicatio proprietatis temporalium, & receptio stipendiorum. Primum intelligitur eis ad literam fuisse præceptum, sicut dicit Text. & Glos. Unde Beda: *Missis ad prædicandum Discipulis, ne quid tollerent in via, eis præcepit*. Secundum autem non fuisse præceptum, sed concessum, sive permissum. Unde Glos. super illud *Luc. In eadem Domo manete &c.* dicit. *Qui saccum, & peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concessit*. Et Gregor. in *Homil. X.* super Evangelia dicit sic: *Qui Panem & sacculum portare prohibuit, sumptus ex prædicatione concessit. Nam sequitur in eadem Domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt*: Hæc Gregorius. Ex istis verbis manifeste patet, quod prima pars Evangelii, scilicet, *Nolite possidere aurum, nec argentum*, fuit sub prohibitione præcepti eis impositi ad literam. Secunda vero pars, scilicet, susceptio necessariorum, quæ intelligitur in fine authoritatis, *dignus est operarius mercede sua*, quod expressius dicitur in Luca; *Edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt*, hæc inquam concessa fuit non præcepta. Cum hiis concordat Rabanus dicens super Math. *Claret autem hos Dominum non præcepisse, tanquam Evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus, quibus annunciant Evangelium. Alioquin contra illud præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, sed potestatem dedisse, in qua scirent ista sibi deberi. Cum autem potestas datur, licet cuique non uti, sed tanquam de jure suo cedere*; hæc Rabanus. Et Augustinus de consensu Evangelistarum dicit: *Dominus hæc possidere Discipulos, ac ferre noluit, non quia necessaria non sint ad sustentationem hujusmodi vitæ; sed quia sic eos mittebat, ut eis demonstraret hæc ab illis, quibus Evangelium credentibus annunciarent, & sic securi non portarent nec possiderent hujus vitæ necessaria, nec magna nec minima. Ideo posuit secundum Math. nisi virgam, ostendens a fidelibus omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus; hanc autem potestatem virgæ nomine significavit, cum dixit, ne quid tollerent, nisi virgam*. Hæc Augustinus. Ex prædictis igitur patet secundum Augustinum & secundum alios prædictos, quod abdicatio omnium temporalium, scilicet, *non possidere, nec ferre pecuniam, nec peram &c.* fuit eis sub præcepto imposita, sed receptio stipendiorum, sive necessariorum, quæ intelligitur in fin. dictæ authoritatis cum dicit: *dignus est operarius cibo suo, vel mercede sua* non fuit præcepta, sed concessa, vel permissa. Non solum autem authoritatibus supradictis, sed etiam aliis Doctoribus post reditum a prædicatione hoc servarunt, Ecclesiæ authoritatibus manifeste probatur: Quod Christus Apostolis suis sub præcepto ad literam imposuit non possidere aurum, nec ferre pecuniam: Et hoc præceptum Apostoli ipsi etiam post reditum a prædicatione ad literam servaverunt: Unde Chrysostomus super *Matth.* Homil. ultima: *Si bonum esset aurum habere, hoc utique Christus dedisset Apostolis suis, qui ineffabilia bona eis tribuit, nunc autem non solum non dedit, sed habere prohibuit. Ideoque Petrus non solum non verecundatur, sed etiam decoratur dicens in paupertate: aurum & argentum non est mihi*. Hæc Chrysostomus. Et super præfatum locum Rabanus in Originali dicit sic: *Consequenter præcepit Evangelizatoribus veritatis, quibus antea dixerat: gratis accepistis, gratis date. Si enim sic prædicant, ut pretium non accipiant, superflua auri, & argenti, nummorumque possessio. Nam si habuissent aurum, vel argentum, videretur non causa salutis hominum, sed lucri causa prædicare*. Et infra. *Ex hoc præcepto arguit Philosophos qui vulgo appellantur vitupertita*: Hæc Rabanus. Item Ambrosius super illud Lucæ. *Nihil tuleritis in via, nec peram, nec pecuniam &c.* prædictis concordat dicens: *qualis esse debeat, qui evangelizat regnum Dei, præceptis dominicis designatur*. Item in eodem loco. *Nolite &c.* Idem Ambrosius dicit: *Si prohibemur aurum possidere, quid eripere? Apostolus primus sententiæ dominicæ executor, ostendens non in vacuum effusa Domini præcepta, cum posceretur a paupere, ut ei aliquid pecuniæ largiretur, ait; aurum, & argentum non habeo; tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum, & argentum non habeat, quam quod servet Domini mandatum, qui præcepit, nolite possidere aurum hoc est dicere: Vides me Christi Discipulum, & aurum a me quæris? At multo pretiosius auro nobis donavit*: hæc Ambrosius; hoc ipsum Sanctus Bernardus ad Eugenium Papam *L.* 2. confirmat dicens: *nec locus, inquit, acie, ubi sedula urget sollicitudo omnium Ecclesiarum. Nam*

quid

*quid aliud dimisit tibi Apostolus? quod habeo, inquit, hoc tibi do: quid est illud? unum scio, nec aurum, nec argentum; cum ipse dicat, aurum & argentum non est mihi*. Et infra. *Esto ut alia quacumque ratione hoc tibi vendicet, sed non Apostolico Jure. Nec enim iste tibi dare potuit quod non habuit*. Hæc Bernardus. Item Hieronymus ad Jeronciam idem ponit dicens: *Apostoli toto orbe peregrini non as in Zona, non virgam in manibus, non caligas habuere in pedibus*. Item Chrysostomus de laudibus Pauli dicit sic: *Paulus pecunias non possedit. Nam ipse hoc testatur. Usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus & nudi sumus, & colaphis cædimur. Et quid dico pecuniam, cum ipse sæpe non haberet necessarium cibum, nec quo se circumdaret vestimento*: hæc Chrysostomus. Et Augustinus super illud: *Petrus autem dixit: argentum & aurum non est mihi*, dicit Glos. *Memor illius præcepti. Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam; & pecuniam quæ ad pedes Apostolorum ponebatur, non sibi retinebant, sed ad usus pauperum, qui sua patrimonia reliquerunt conservabant*: hæc Glos. Ex prædictis igitur Sanctorum authoritatibus concluditur evidenter, quod Apostolis fuit simpliciter interdictum, ne pecuniam portarent. Et quod hoc præceptum etiam post reditum a prædicatione, & etiam post resurrectionem ad literam servaverunt. Ex prædictis igitur patet, quod Scripturæ Sancti Evangelii, & authoritatibus Sanctorum Doctorum prædictorum Ambrosii, Gregorii, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Bedæ, Rabani, & Bernardi obviat illud, quod dictus D. Joannes dicit, & asserit, videlicet, quod Christus non docuit, nec exemplo firmavit denarios, vel pecuniam non recipere, nec ferre. Et in eo etiam quod dat intelligere quod illud quod Christus portare pecuniam Apostolis dum ad prædicandum eos mitteret interdixit non fuit præceptum, sed potestas recipiendi necessaria. Et quod intentionis ejusdem fuerit, per hæc, vitæ, & regulæ B. Francisci, imo verius Christi, evertere fundamenta, patet; nam sicut habetur ex legenda B. Francisci fundamentum suæ Regulæ ipse B. Franciscus assumpsit a prædictis verbis Evangelii. In quo Christus Discipulis ad prædicandum missis Evangelica norma præscribitur in vivendo, ne videlicet possiderent aurum, vel argentum, nec in Zonis pecuniam, nec peram deferrent in via, nec duas tunicas haberent, nec calceamenta. Et hanc formam vivendi volens ad literam servare in hujusmodi formam vivendi, Spiritu Sancto sibi dictante, non solum notitia, & affectu: verum etiam vita, & habitu transformavit, & illico calceamenta deposuit, peram, & pecuniam abdicavit, & una contentus tunicula omnem solicitudinem cordis apposuit, qualiter dictam formam datam Apostolis perficeret: Et Apostolicæ rectitudinis regulæ se ipsum per omnia coaptaret: Et deinde ad Romanam Curiam ante conspectum D. Innocentii Papæ III. in scientia Divina Doctoris præclari accessit, petens ab eo humiliter, & instanter hujusmodi sibi regulam confirmari. Qui summus Pontifex distulit pro eo, quod aliquibus Cardinalibus videbatur hujusmodi normam vivendi novum aliquid, & supra humanas vires arduum continere. Aderat enim inter Cardinales D. Ioannes Episcopus Sabinensis, omnis societatis amator, & pauperum Christi, qui divino spiritu inflammatus præfato Summo Pontifici dixit, & Fratribus suis. Si petitionem pauperis hujus tanquam nimis arduam, novamque refellimus, cum petat sibi confirmari normam Evangelicæ vitæ: Cavendum nobis est, ne in Christi Evangelium offendamus. Nam si quis intra Evangelicæ perfectionis observantiam, & votum ipsius dicit contineri aliquid novum vel irrationale, aut impossibile ad servandum, contra Christum Evangelii auctorem convincitur blasphemare. Et post moltam examinationem idem summus Pontifex divino spiritu suggerente, ac divina revelatione præventus; videbat namque in somnis Pontifex ipse Romanus Lateranensem Basilicam fore proximam jam ruinæ; quam quidam homo pauperculus proprio dorso summisso, ne caderet sustentabat, dictam regulam approbavit, ut hæc omnia in legenda, & vita ipsius Sancti quæ in Sancta Ecclesia pro magna veneratione tenetur, plenius continentur. Quam composuit Egregius Doctor D. Frater Bonaventura Episcopus Albanensis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Et de approbatione ipsius regulæ per D. Innocentium facta in literis Domini Honorii III. super confirmationem ipsius regulæ per ipsum D. Honorium factam confectis, habetur mentio specialis. Constat autem, quod si Christus verbo, vel exemplo non docuisset non portare denarios vel pecuniam: Et quod illud quod in dictis Evangeliis Math. & Luc. continentur, & dicitur non fuisset præceptum, sed prædicta servare, & non servare Apostolis licuisset; Et quod Apostoli pecuniam portassent: Per consequens sequeretur, quod illud, quod in regula continetur de non portandis calceamentis ad præceptum, sive Consilium Evangelicum nullatenus pertineret, sicut dictus hæreticus pertinaciter dogmatizat; Et sic quasi omnia superogativæ dictæ regulæ fundamenta in quibus alias regulas in quantum ad formam dictæ paupertatis a Christo traditæ in dictis Evangeliis excedit forent sublata. Quia quasi in nullo consilio Evangelico ipsa regula alias excederet regulas: Et per consequens vita, & Doctrina Christi, & Apostolorum in Sanctis Evangeliis supre dictis tradita, & a Sanctis Doctoribus Ecclesiæ docta, & ad literam exposita, & intellecta, scilicet quod Christus ad literam implevit, quod præcepit Apostolis, ut non ferrent pecuniam in Zonis, nec calceamenta in pedibus, nec peram in via; Et quod Apostoli ad literam servaverunt dictum præceptum; forent penitus annullatæ; imo dictam vitam Christi dictus hæreticus in quantum in se est, ex dictis suis Constitutionibus annullavit, imo in quantum in se est hæreticavit, & abominabilem Deo reddidit. Sequitur etiam, quod si dictæ hæresi fides aliqua adhiberetur, quod per omnem modum Sancta Romana Ecclesia erravit, quæ statum talium professorum vitæ prædictæ tanquam vitæ Evangelicæ, & a Christo, & Apostolis verbo, & exemplo doctæ approbavit. Et Sanctum Franciscum secundum hoc, erroris hujusmodi auctorem, & alios plures Sanctos hujus professionis Cathalogo Sanctorum adscripsit. Quod etiam assertio dicti D. Ioannis determinationi obviet Ecclesiæ, colligitur ex eo quod Sancta Romana Ecclesia in sæpe allegata Decretali *Exiit* in corpore juris clausa, & ab universali Ecclesia recepta, & approbata & demum in Concilio Viennensi confirmata expresse dicat; *Hi sunt illi Sanctæ regulæ professores, quæ Evangelico fundatur Eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiæ Apostolorum ejus, sermonibus actibusque firmatur. Et quod hæc religio quæ descendens a Patre luminum per ejus Filium exemplariter, & verbaliter Apostolis fuit tradita, & demum per Spiritum Sanctum B. Francisco, & eum sequentibus inspirata, hæc est, quam Christus Passionis suæ stigmatibus confirmavit, volens institutorem ipsius Passionis suæ signis notabiliter insigniri. Et quod ipsa Ecclesia voluit in dicta Decretali* Exiit *silentium imponere æmulatoribus ipsius regulæ, qui ut constat in eorum scriptis prædicta tria sub verbis præceptoriis, sive inhibitoriis in dicta regula posita impugnabant dicentes, quod ad perfectionem Evangelicam nullatenus pertinebat non habere proprietatem aliquarum rerum in communi, pecuniam abdicare, sine calceamentis ire: Et qui ut*

eu

*in eorum scriptis apparet afferebant, quod prædicta Christus in se non servaverat, nec Apostolos docuerat, quod dicta verba Christi, Nolite possidere aurum, neque argentum, nec pecuniam in Zonis non erant ad literam intelligenda, sed solum permissive dicta, asserentes ipsam regulam discriminosam & inobservabilem ex abdicatione prædicta. Volens eis silentium imponere in his, quæ dicebant contra hujusmodi regulam, & statum, ut sequitur diffinivit. Primo enim determinavit, quod fratres ex professione ipsius regulæ ultra dicta tria principalia consilia cuilibet Religioni annexa, quæ sunt vivere in obedientia, sine proprio, & in castitate non tenentur nisi ad ista Consilia Evangelii, quæ in eadem regula præceptorie vel inhibitorie seu sub verbis æquipollentibus sunt expressa. Ad alia vero per Evangelium data consilia, quæ non sunt, ut dictum est, in ipsa regula expressa, eo magis secundum exigentiam sui status tenentur plus quam cæteri Christiani, quo per statum perfectionis, quam per professionem hujusmodi assumpserunt, se obtulerunt holocaustum Domino medullatum per contemptum omnium mundatorum. Ad alia vero consilia in regula prædicta sub verbis monitoriis contenta, eo plus tenentur, quo imitatores sancti Patris effecti, Christi semitas arctius elegerunt:* hæc in Decretali „ prædicta. Ex quibus clare patet, quod diffinitio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsupponit, quod aliqua alia consilia Evangelica præter tria dicta principalia, in regula continentur prædicta, sub verbis monitoriis, præceptoriis, inhibitoriis, seu æquipollentibus; quibus ipsi Fratres ex dictæ suæ regulæ professione tenentur. Sed si verum est, quod dictus hæreticus dogmatizat, scilicet, quod nec Christus, nec Apostoli docuerant non recipere pecuniam, & quod Christus, & Apostoli portaverunt pecuniam, & quod Christus non prohibuit Apostolis portare pecuniam: Et quod ista verba Christi: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, nec calceamenta*, non fuerit imposita Apostolis sub præcepto, sed solum per ea fuit concessa quædam potestas Apostolis recipiendi necessaria de Evangelio, quæ servare, & non servare eis licuit, ut dictus hæreticus dogmatizat. Et per consequens sequitur, quod non fuerunt etiam Apostolis imposita sub Consilio, quia inter consilia, & permissa magna est differentia. Quod patet quia consilium semper datur de meliori bono 14. *q.* 1. *C. quisquis*, ibi. *Si consilium sequi nolueris, minus boni adipiscaris*, plurimumque autem perfectius, & melius est non facere quod permissum est. Unde licet Paulo permissum esset de Evangelio vivere, sicut & aliis Apostolis, tamen Paulus noluit potestate sibi permissa uti, sed victum de manuum suarum laboribus tansigebat, 2. *ad Thessalon.* 4. *C.* perfectius fecit, ut dicit Augustinus. Ergo ex ipsius præfati hæretici Doctrina sequitur, quod nihil sub verbis præceptoriis, aut inhibitoriis, seu æquipollentibus in dicta regula continetur, quod sub aliquo consilio Evangelii contineatur, sive comprehendatur, nec in quo dicti Fratres arctius, sive perfectius aliis religiosis quibuscumque Christi semitas imitentur. Et sic per omnem modum secundum eum in approbatione dictæ regulæ, & ejus declaratione erravit Ecclesia, erraverunt etiam Summi Pontifices, qui ab initio Ordinis usque ad ista tempora ordinaverunt, & declaraverunt aperte, quod Fratres tenentur ad Consilia Evangelii in ipsa regula sub verbis præceptoriis, inhibitoriis, sive æquipollentibus expressa. Quod etiam quædam alia Evangelica Consilia præter tria principalia ponantur in dicta regula expresse determinavit Viennense Concilium in *dicto C. Exivi de Paradiso*, ubi dicit sic: *Et quidem beati Francisci conditoris regulæ, hæc videtur fuisse intentio, ex hoc quod quædam Evangelica consilia in regula posuit, aliis prætermissis. Si enim per illud verbum; Regula & vita Fratrum minorum hæc est &c. intendisset eos ad omnia consilia obligare Evangelica, superflue, & nugatorie quædam eorum suppressis cæteris in regula expressisset.* Et infra; *declaramus, dicimus, quod Fratres non solum ad illa tria nude, & absolute accepta ex professione regulæ obligantur, sed etiam tenentur ad omnia alia implenda quæ sunt pertinentia ad hæc tria, quæ regula ipsa ponit.* Secundo determinat prædicta Ecclesia in dicta Decretali *Exiit* §. *Porro*, quod illud quod in regula sub præcepto inhibitorio ponitur, scilicet, quod *Fratres nihil sibi approprient nec Domum nec locum, nec aliquam rem*, quod intelligitur in speciali, nec in communi, pertinet ad Consilium Evangelicum, & quod Christus hoc docuit, & exemplo firmavit; & quod Apostoli docuerunt, & in volentes perfecte vivere derivarunt. Cujus contrarium, ut superius plenius dictum est, dictus hæreticus in prædictis suis constitutionibus dogmatizat. Ex prædictis igitur determinationibus Ecclesiæ patet, quod præter prædicta tria Consilia principalia, scilicet, vivere in obedientia, sine proprio, & in castitate, etiam alia consilia Evangelii continentur in dicta regula, ad quæ Fratres sub verbis præceptoriis, vel inhibitoriis obligantur. Sed si non portare pecuniam, calceamenta, & in communi proprietates non habere, ad Evangelii consilium nullo modo pertineret, falsum foret, quod determinat Ecclesia, insinuans quod alia consilia præter tria principalia prædicta in regula continentur sub verbis præceptoriis, seu inhibitoriis. Quia nulla alia consilia Evangelii sub verbis præceptoriis, vel inhibitoriis in dicta regula continentur, ut ex regula, & declaratione dicti Concilii colligitur evidenter. Ex prædictis etiam patet, quod Beatus Franciscus prædictam formam in Evangelio positam de non habendo proprietates aliquarum rerum in speciali, nec in communi, & de non recipiendo pecuniam, & de non portando calceamenta sub verbis obligatoriis ponere voluit in regula supradicta tanquam formam a Christo datam, & ab Apostolis ad literam observatam. Et quod Ecclesiæ determinatio, quæ sic signanter, & eleganter dicit dictam regulam evangelico fundatam eloquio, vitæ Christi roboratam Exemplo, fundatorum militantis Ecclesiæ Apostolorum ejus sermonibus, actibusque firmatam, & verbaliter, & exemplariter per Christum Apostolis traditam, & per Spiritum Sanctum B. Francisco, & eum sequentibus inspiratam non fuit nugatoria, & superflua. Quod omnino esset, si verum esset, quod dictus hæreticus dogmatizat; sed quod illud quod in regula dicitur, & per Ecclesiam declaratur, quod non approprient sibi aliquam rem in speciali, nec in communi, & non recipere pecuniam ad Evangelium non spectaret. Et quod in Evangelio dicitur. *Nolite possidere aurum, nec argentum, nec calceamenta &c.* fuisset quædam permissio Apostolis concessa, & non præceptum nec consilium. Et quod dictus D. Joannes idem intelligat de Calceamentis, quod dixit de pecunia non solum patet ex eo quod prædixit verba Christi, in quibus pari modo ponitur de non portando calceamenta, & pecuniam, non fuisse præceptum, sed permissio: sed etiam ex eo quod hoc expressit aperte in forma prima quam fecit, & in Consistorio publicavit antequam dictam constitutionem, *quia quorundam* sub Bulla poni fecisset. Tertius error, quem dictus D. Joannes in verbis superius dictis dogmatizat, est quod falsum imponit Augustino, dicens, eum expresse dixisse, quod illud non fuit præceptum, sed potestas recipiendi necessaria ab his quibus prædicabant, non fuit eis præceptum ne portarent, quia tunc sibi ipsi & Sacræ Scripturæ contradiceret manifeste. Sed dicit, quod recipere necessaria ab his quibus prædicabant non fuit eis præceptum sed eis data potestas recipiendi. Quod ipse manifeste declarat

„ in

in libro de *consensu Evangelistarum*, ubi pertractans illa verba Evangelii, *dignus est operarius mercede sua vel cibo suo*, dicit sic: *Non ita apparet hoc præcepisse Dominum tanquam Evangelistæ aliter vivere non debeant, quum eis præbentibus quibus Evangelium annunciant. Alioquin contra præceptum hoc fecit Paulus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat. Sed apparet potestatem dedisse Dominum Apostolis, in qua scirent sibi ista deberi.* Et parum post: *Et hanc potestatem nomine virgæ significavit, cum dixit secundum Matth. Ne quid tollerent in via nisi virgam tantum*: hæc Augustinus. Ex quibus patet, quod illud quod dixit Dominus in illo sermone. *Nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam &c.* Intelligitur proprie ad literam. Quod autem dixit secundum Math. *nisi virgam* debet intelligi figurate, idest; potestatem accipiendi necessaria. Et etiam ad literam intelligendo dicta præcepta, nequaquam, ut dictum est superius, intelligi potest, nec debet, quod non portare, sive possidere pecuniam, & non portare calceamenta, neque peram, fuerunt Apostolis præcepta tanquam omnibus Christianis necessaria ad salutem. Ita quod nullus salvari possit, si portet pecuniam, vel incedat pedibus calceatis, vel peram portet, aut loculos habeat; sed solum hoc tanquam superogativa, & expedientia ad perfectionis, & Sanctitatis culmen illis, qui vitam & formam vivendi, quam Apostoli servaverunt, quando Dominus ad prædicandum eos misit, permittete, & observare voluerint sint opportuna. Et quod talis fuerit intellectus Augustini manifeste colligitur ex verbis suis 5. *C. contra Faustum*, ubi præmittens verba Fausti, in quibus se gloriabatur Evangelium accipere, quia argentum, & aurum dejecit, & æs in Zonis habere destitit, & his similia. Postmodum hoc ordine respondit. Primo ostendens eum esse hypocritam, & mendacem, & tandem hæreticum. In hoc, scilicet, quia Ecclesia distinguit in modo accipiendi Evangelium quam ad perfectos, & imperfectos. Sed Manichæi nequaquam sic accipiunt. Unde Augustinus ibi dicit: *Quam multi in nostra communione veraciter faciunt sublimia præcepta, de quorum specie imperitos fallitis.* Et assignatis paulo prius differenciis in Ecclesia subdit: *Neque enim ut illi, qui ut sint perfecti vendunt, & dimittunt omnia bona sua, & sequuntur Dominum, pertinent ad Regnum Cælorum; sed huic militiæ Christianæ propter quoddam commercium charitatis subiungitur etiam quædam stipendiaria multitudo, cui dicitur in fine. Esurivi, & dedisti mihi manducare, sitivi, & dedisti mihi bibere; alioquin damnandi erunt illi, quorum Domos tam diligenti, & sollicita cura componit Apostolus, monens mulieres subditas esse viris suis, viros diligere uxores, filios obtemperare Parentibus; sed absit, ut istos a mandatis Evangelicis, & vita æterna judices separandos: Quia ut ibi ait Dominus. Si quis non tulerit crucem suam & sequatur me, non potest meus esse discipulus; exhortans firmiores ad perfectionem, ibi, & statim consolatus est istos dicens, Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet: Quantum autem fallitis auditores vestros, quia cum suis uxoribus, filiis, & familiis, & domibus, & agris vobis serviunt. Si quisquis omnia ista non dimiserit, non accipiat Evangelium, sed quia eis non rationem sed revolutionem ad mortalitatem permittitis, ut vita electorum vestrorum vivant, tanquam vana, & inepta, & sacrilega, qua vos vivitis, quoniam & laudamini merito, eos a mandatis Evangelicis alienatis*: hæc Augustinus. In quibus verbis aperte demonstrat, quod aliqui etiam perfecti tempore B. Augustini faciebant, & servabant ad literam illa præcepta Evangelica, scilicet de non portando pecuniam, & similia. Quæ Manichæi se servare jactabant. Sed tamen ipsi observantes veraciter ipsa Evangelii præcepta non intelligebant, ipsa præcepta fore omnibus Christianis imposita sub præcepto tali, quod nullus salvaretur nisi ipsa servaret ad literam; sicut dicebant Manichæi; sed servabant ea tanquam superogatoria consulta, & expedientia ad perfectionem. Si autem prædicta, scilicet non portare pecuniam &c. non fuissent consulta, nec præcepta, sed solum permissa, ad perfectionem Evangelicæ perfectionis nullatenus pertinerent, ut superius est probatum. Non igitur Augustinus dicit, Faustum errasse ex eo quod diceret prædicta ad literam intelligenda, sed quia discernere noluit, vel nescivit inter præcepta Evangelii omnibus Christianis imposita, sine quorum observantia non est salus; Et præcepta specialia data Apostolis & viris Apostolicis vitam hujusmodi profitentibus, ut est dictum. Per hunc etiam modum aperte probant Sancti Doctores Ecclesiæ, quod illa verba quæ continentur in Evangeliis supradictis de non portandis calceamentis, sicut de pecunia, sunt ad literam intelligenda. Unde Ambrosius in libro *de fuga sæculi* sic ait: *Jesus discipulos suos sine calceamentis, & pecunia misit, ne secum terrena portarent.* Hæc Ambrosius; & Hieronymus ad Eustochium scribens, ait: *Moyses, & Jesus Nave nudis in terra pedibus jubentur incedere, & Discipuli Christi sine calceamentorum onere & vinculis pellium nudi ad prædicationem Evangelii destinantur, & milites, vestimentis Jesu sorte divisis caligas non habebant, quas tollerent. Nec enim habere poterat Dominus quod prohibuerat in Servis.* Item idem Hieronymus ad Jeruneiam dicit: *Discipuli toto Orbe peregrini, non æs in Zona, non caligas habuere in pedibus.* Et Chrysostomus *Homil. ult.* super Math. *Apostoli unica tunica indusi, & discalceati circuierunt, & omnes superaverunt.* Idem quoque in homil. 32. dicit Christus, *quando misi vos discalceatos & nudos.* Et Eusebius Ecclesiasticæ historiæ *lib.* 6°. in laudibus Origenis, pro eo tempore, quo catholicus erat, dicit sic: *Quando vera omnia præcepta Evangelica, & voces Salvatoris summo amore, & studio implendas esse censebat, quibus præcipitur duas tunicas non habendum, nec calceamentis utendum, nec de crastino cogitandum.* Et infra. *Denique per multos annos traditur absque calceamento nudis pedibus incessisse.* Ex quibus, & antedictis, luce clarius concluditur, erroneum fore illud, quod in dicta Constitutione *Quia quorundam* dogmatizatur, scilicet, asserere quod Christus non docuit, nec exemplo firmavit pecuniam non recipere; & hæreticum esse illud quod asserit dicens, quod illud quod in Evangelio dicitur: *Nolite possidere aurum nec argentum, nec pecuniam in Zonis, nec calceamenta &c.* non fuit præceptum, sed potestas recipiendi necessaria. Quartus error colligitur in eo, quod dicit, quod in plerisque locis Evangelica veritas, & Apostolica dicta testantur, Apostolos post reditum a prædicatione portasse pecuniam: hoc enim falsum est. Quia nec Evangelica dicta, nec Apostolica, nec Scriptura Divina in aliqua sui parte hæc testantur, sed oppositum insinuant, ut patet authoritatibus superius introductis. Quod etiam Chrysostomus super illud Joann. 13. *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: eme ea quæ nobis opus sunt ad Diem festum: ut egenis aliquid daret*, attestatur dicens. *Nimirum nullus scilicet Discipulorum erat afferens pecuniam, sed per hoc quod hic dicit, occulte insinuat, quod quædam mulieres eum de suis facultatibus nutriebant. Qualiter autem non peram, non virgam, non æs jubens deferre, marsupium deferebat ad inopum ministerium, ut discas, quam valde pauperum, & mundo Crucifixum hujusmodi partis oportet multam facere procurationem. Multa enim ad nostram dispensans doctrinam agebat.* Hæc Chrysostomus. Nec obstat prædictis, quod dicitur *Act.* 4. quod credentes ponebant pretia eorum, quæ vendebant

„ ante

ante pedes Apostolorum, quia hoc magis facit ad oppositum. Quia Apostoli non solum portare, sed nec tangere dignabantur. Ideo pecuniam ante pedes eorum, & non in manibus ponebant. Unde Glos. ibi dicit: *destituendum probat, quod tangere devitat, & docet calcandum esse aurum, quod subdit gressibus Apostolorum*: hæc Glos. Tum quia, ut expresse dicit præalleg. Glos. Act. 2. *Petrus autem dixit: Aurum, & argentum non est mihi; pecuniam quam ponebant credentes ante pedes Apostolorum non sibi retinebant, sed ad usus pauperum, qui sua patrimonia reliquerant conservabant*: hæc Glos. Et quod Apostoli etiam post reversionem non portaverunt pecuniam, patet per illud, quod dixit Petrus claudo, argentum & aurum non habeo. Et in Glos. quæ dicit: *memor illius præcepti: Nolite possidere aurum nec argentum*; & per alias Sanctorum authoritates superius allatas, per quas probatur, quod illud præceptum Christi semper servaverunt ad literam. Ex quibus patet, quod nec Evangelica nec Apostolica dicta testantur, Apostolos post reditum a prædicatione pecuniam portasse. Nec obstat quod legitur Jo. 4. quod Discipuli abierunt in civitatem, ut cibos emerent. Tum quia fuit tempore necessitatis, qua Jesus transibat per Samariam. Samaritani enim erant inhospitales Judæis. Unde nec Christum, nec Apostolos recipiebant, ut superius est ostensum: tempus autem hujusmodi necessitatis ab omni lege intelligitur exceptum. Ex eadem enim causa necessitatis fuit ipsis Apostolis a Christo concessum, cum instante passione sua, & persecutione Discipulorum, dixit Jesus, *qui habet sacculum, tollat similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium &c.* ubi Glos. Magistralis quæ est Bedæ dicit expresse, quod hoc fuit concessum ex causa necessitatis, propter videlicet instantem necessitatem, & persecutionem Discipulorum, donec sopita persecutorum insania tempus Evangelizandi rediret: Quæ authoritas superius est allata. Tum quia non sequitur ex eo quod dicatur, *iverunt, ut cibos emerent*, vel ex eo quod dictum fuit, *vendat tunicam suam & emat gladium*: Ergo pecuniam portaverunt: hæc enim consequentia non valet, quia sæpe religiosi emunt, & alii solvunt, sicut quotidie patet in Fratribus Minoribus. Et idem de Apostolis dici potest; unde & Evangelista signanter dicit, quod *mulieres sequebantur Apostolos ministrantes eis*. Et Chrysostomus exponens illud Joannis. Quidam putabant quod dixisset eis Jesus, *eme ea quæ opus sunt &c.* Nimirum quia nullus Apostolorum pecunias deferebat. Et subdit per hoc quod hic dicit, occulte insinuat, quod quædam mulieres eum de suis facultatibus nutriebant. Quæ authoritas est superius allata. Ex quibus patet, quod Apostolis nullo modo fuit concessum portare pecuniam; licet tempore instantis necessitatis fuerit concessum, quod cibos emerent. Et, cessante ipsa causa necessitatis, cessat ipsa licentia 1. *q. 7. C. quod pro remedio*, & plene superius est probatum. Sic & 2. *Reg.* dicitur, quod David, & pueri ejus comederunt panes propositionis necessitate compulsi, quos non licebat comedere nisi Sacerdotibus: sic & Discipulis Christi in necessitate famis concessum est, ut per segetes alienas transeundo vellerent spicas, & ederent. *de Consecra. di. ult. C. Discipulos*, & 25. *q.* 1. §. *hiis ita*: Unde in his, quæ contra legem statuta sunt, non possumus sequi regulas juris: Nec tales casus ad consequentiam sunt trahendi, ut dicatur in tali casu necessitatis fuit licitum; ergo simpliciter fuit licitum: imo potius sequitur, & dici debet, quod dispensative, & ex causa necessitatis concessum est, simpliciter intelligitur esse prohibitum; ut dicunt jura, & superius est probatum. Insuper ad illud quod dictus hæreticus subdit post prædicta dicens, quod non apparet ipsum prædecessorem nostrum dixisse, sustentationem Christi, & Apostolorum in solo, & nudo simplici usu facti consistere. Respondetur quod imo directe & expresse apparet, cum clare dicat, quod illam arctam abdicationem omnium rerum in speciali, & in communi quam fratres Minores profitentur, & faciunt, & quam quidam venenosis obtrectationibus depravabant, & eam inobservabilem, discriminosam, & illicitam asserentes Christum & Apostolos viam perfectionis ostendendo, nec verbo docuisse, & exemplo firmasse. Cujus prædecessoris scilicet D. Nicolai III. verba sunt talia: *Porro cum regula ipsa expresse contineat, quod fratres nihil sibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sitque declaratum per eundem Prædecessorem Gregorium IX. & nonnullos alios, hoc servari debere tam in speciali quam etiam in communi, quam sic arctam abdicationem venenosis obtrectationibus aliquorum insensata depravavit astutia, vel fratrum eorumdem professionis claritas, talium imperitis sermonibus laceretur. Dicimus quod abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria est, & Sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit: quamque primi fundatores militantis Ecclesia pro ut ab ipso fonte hauserant in volentes perfecte vivere per Doctrinæ ac vitæ ipsorum alveos derivarunt.* Et infra. *Verum condecens fuit ei professioni, quæ sponte devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare sibi dominium, & rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam. Nec per hoc quod proprietatem usus, & rei cujuscunque dominium a se abdicasse videtur, simplici usui omnis rei renunciatum esse convincitur. Qui inquam usus non juris sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tamen in utendo præbet utentibus nihil juris*: hæc verba prædicti D. Nicolai: Quibus nihil clarius dici potest ad probandum quod præfatus D. Nicolaus III. dixit sustentationem Christi, & Apostolorum in solo, & nudo simplici usu facti consistere, sicut & Fratrum minorum sustentatio in solo, & nudo & simplici usu facti consistit: cum ipsa declaratio expresse dicat, quod usus dictorum Fratrum est tantummodo usus facti nihil præbens juris. Et quod in hujusmodi paupertate sequuntur Christum. Et in §. *non autem talem abdicationem &c.* cum sequentibus manifestat ipsos Fratres in hoc Mundo Christum sequentes habere tantummodo in rebus simplicem usum facti, hoc etiam probatur per ea, quæ superius ostensa sunt; hæreses etiam manifestæ quæ dogmatizentur in dicta constitutione, *Quia quorundam* in §. qui incipit, *Adhuc quidem Nicolaus &c.* & continuantur usque ad §. qui incipit: *Adhuc. Quod autem dicitur in declaratione Nicolai &c.* superius in reprobatione hæresum, quas dictus hæreticus in constitutione, *Cum inter* asserit, & docet §. *si vero intellexit*, plenissime explicantur, ac etiam confutantur. Et ideo quæ superius circa hæc dicta sunt, videantur. Insuper hæreses quas dogmatizat hæreticus supradictus a §. prædicto, *Quod autem dicitur in &c.* usque in finem per illa, quæ supra in reprobatione hæresum dogmatizatarum in constitutione *ad conditorem*, & in sequentibus; Et per ea quæ sunt contra hanc constitutionem, *Quia quorundam*, ut supra est, plenissime determinantur, & improbantur. Et quod ipse hæreticus ad suum Errorem fulciendum Augustinum 41. *lib. Confessionum* adducit, falso allegat: Nec quod dicit Augustinus in aliquo ad suum propositum facit, prout cuilibet inspicienti liquide poterit apparere. Insuper juxta finem dictæ constitutionis *Quia quorundam* hæreticus supradictus subjungit dicens: *Dicant nobis assertores hujusmodi, ubi legunt, quod ad fidem, vel mores pertineat Christum, & Apostolos*

non

*non habuisse in hiis, quæ habuerunt, nisi simplicem facti usum. Profecto hoc ad fidem non pertinet, cum de hoc articulus non sit aliquis, nec sub quo valeat comprehendi, ut patet ex Symbolis, in quibus articuli fidei continentur. Nec etiam reductive quasi hoc Scriptura Sacra contineat, qua negata tota Scriptura redditur dubia & incerta. Et per consequens articuli fidei qui habent per Scripturam Sacram probari, redduntur dubii, & incerti; hoc autem in Scriptura Sancta non poterit, sed contrarium reperiri.* Et infra: *Unde ex prædictis non possunt, nisi falso concludere, quum contra ordinata per Summum Pontificem circa talia, liceat successoribus aliud ordinare:* hæc verba dicti hæretici, & blasphemi. In quibus & se ignorantem, & hæreticum manifestat. Nam nullus sani capitis Catholicus, & fidelis dubitat, quin illud quod Christus, & Apostoli docuerunt verbo, & exemplo ad fidem, & bonos mores pertineat; & qui in hoc dubitat, omnes articulos fidei in Symbolis contentos in dubium revocat, cum omnes articuli fidei in Symbolis contenti, in hiis quæ Christus, & Apostoli, & Evangelistæ docuerunt, consistant. Et qui hoc negat, omnes articulos fidei per consequens negat. Sed Sancta Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica expresse determinat, & diffinit, quod Christus & Apostoli verbo docuerunt, exemploque firmaverunt, illam abdicationem proprietatis omnium rerum in speciali, & in communi, quam Fratres minores profitentur, per quam nullum jus proprium in rebus aliquibus, nec in earum usu sibi reservant; Sed solum simplicem facti usum, ut patet manifeste ex hiis, quæ superius sunt ostensa. Et constat, quod ad hoc authoritas Ecclesiæ sufficit, nec alicujus alterius Scripturæ est probatio requirenda. Quia ejus authoritas est tanta, ut dictum est, quod de ea Augustinus dicit contra Epistolam fundamenti, *Ego Evangelio non crederem, nisi me ad hoc authoritas Ecclesiæ commoveret.* Et quia in hiis, quæ spectant ad Doctrinam traditionis Apostolicæ Ecclesia nunquam erravit, nec errare potuit, ut in sæpe allegat. *C. a recta* 24. *q.* 1. & *C. de sum. Trin. & Fid. Cath. l. fi.* & 16. *di. sicut Sancti*, & in aliis juribus, & authoritatibus superius introductis plenissime comprobatur. Et hoc falso supposito, quod semel erraverit, sequitur ut supra dictum est, quod tota ejus authoritas infirmatur, & nihil remanet in ea authoritatis, & fidei, unde quicumque improbat, quod semel est per Ecclesiam approbatum, hæreticus est censendus 24. *q.* 1. *hæc est fides.* Nam impingit in articulum fidei: *In unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Quod autem Ecclesia Catholica prædictam determinationem approbaverit, patet: Tum quia ipsa determinatio in corpore juris, quod in Ecclesia legitur, redacta est, & inserta, & longissimo tempore absque contradictione observata. Tum etiam quia per Generale Concilium Ecclesiæ in Vienna celebratum extitit approbata. Quod etiam Concilium in 7. *lib.* est positum, & insertum. Illud enim quod a popularibus est receptum & inter sanctiones Canonicas positum, & insertum, & Synodalis Concilii authoritate & sententia roboratum ast aliis proponendum, & ab omnibus observandum 16. *di. Isidorus.* Et nullo modo potest per aliquem Romanum Pontificem reprobari, ut patet in juribus superius allatis 25. *q.* 1. *C. Contra statuta*, & *q.* 2. *C. Si ea destruerem*, & *C. Ecclesiasticæ* & *C. de sum. Trin. & fid. Cathol. l. nemo.* Præterea Sancti Doctores Ecclesiæ Sanctam scripturam Dei spiritu captantes, & exponentes manifeste determinant, & demonstrant quod Christus, & Apostoli in rebus, quibus usi sunt, non habuerunt nisi usum illum sine quo humana natura sustentari non potest, qui est usus facti: Et quod Christus, & Apostoli assumpserunt illum modum utendi rebus, qui fuisset in statu Innocentiæ. In quo usus omnium rerum fuisset communis omnibus, & in quo nullus in aliqua re habebat plus jus utendi, quam alter, ut superius est plurium Sanctorum authoritatibus & sacris Canonibus comprobatum, & expresse 12. *q.* 1. *C. dilectissimis* diffinitum. Quorum Sanctorum authoritas in intellectu, & expositione Sacræ Scripturæ proponitur pluribus institutis 20. *di.* §. 1. Præterea Scriptura Divina expresse dicit, quod Apostoli omnia reliquerunt, ut habetur *Math.* 19. Et constat quod non reliquerunt illud, quod est a jure naturali, & Divino, sine quo humana natura sustentari non potest, videlicet usum alimentorum, qui est a lege naturali, & divina. Sed usus qui est jus utendi rebus alienis salva rei substantia a jure positivo introductus est, sicut obligatio, & hæreditas &c. *Institu. de reb. incorpo.* §. 1. Et talis usus juris ex quo competit jus agendi in Iudicio, & dicitur usus proprius non est a lege naturæ, ut *in dicto C. dilectissimis*, nec a lege Divina 8. *di. quo jure.* Ergo tale jus utendi reliquerunt. Quia qui omnia dicit nihil excludit, imo quodlibet comprehendit *ff. de hæredi. Insti. l. hoc articulo, & Extra de major. & obed. C. solite* §. *Nos autem.* Et supradictum est. Ex prædictis ergo concluditur, quod sub illo articulo fidei. *Credo Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam* continetur firmiter credere, & simpliciter confiteri, quod Christus, & Apostoli non habuerunt in rebus temporalibus, quibus usi sunt, nisi simplicem facti usum. Tum quia hoc Ecclesia Sancta Dei docet veraciter, & determinat, & diffinit quæ ut dictum est errare non potest 19. *di. C. ita Dominus.* Quia Christus rogavit pro ea, ne deficeret fides ejus *Luc.* 22. & 21. *di.* §. 1. Cujus orationem constat fuisse exauditam. *Ad Hebræ.* 5. Tum quia divina Scriptura intellecta, prout Spiritus Sanctus efflagitat, & Sancti Doctores Ecclesiæ Dei spiritu inflammati, & Sacri Canones instinctu Spiritus Sancti prolati 25. *q.* 1. *C. violatores*, intelligunt, & exponunt, hæc insinuat, atque docet. Quam Scripturam Sacram qui aliter intellexerit quam sensus, & intellectus Spiritus Sancti efflagitat hæreticus est censendus. 24. *q.* 13. *C. hæresis:* Et sic patet hæreticum esse, quod dictus hæreticus in prædictis verbes concludit, cum dicit, quod in Scriptura Sacra non poterit reperiri, Christum, & Apostolos iu rebus quas habuerunt non habuisse nisi simplicem facti usum. Et quod contrarium, scilicet quod non habuerunt in eis tantum simplicem facti usum in Sacra Scriptura poterit reperiri. Ex prædictis igitur patet quod ipse hæreticus asserit, & credit Sanctam Romanam Ecclesiam errasse in definitione, & determinatione prædicta: Et ipsam determinationem Ecclesiæ adversari Sacræ Scripturæ, quod est hæreticum, blasphemum, & insanum. Tandem dictus hæreticus in fine suæ hæreticalis constitutionis, *quia quorundam*, concludendo dicit sic: *Nos itaque ne fabricatores mendaciorum hujusmodi gloriari valeant, & alios trahere in errorem cum ausu nefario, ac petulantia improba nisi defendere publice fuerint, damnatam per constitutionem prædictam hæresim, videlicet quod Christus & Apostoli ejus in hic, quæ habuisse leguntur tantum habuerunt simplicem facti usum. Ex quo si verum esset, sequeretur usum Christi fuisse non justum, quod profecto blasphemiam continet, & est fidei Catholicæ inimicum, cum hoc de pertinaci animositate, ac erronea non sit dubium provenisse. Omnes, & singulos, qui verbo, & scripto per se vel alium, seu alios talia publice præsumpserint, ipsos quoque qui eos instruxerunt in talibus, & ut permissa fuerent docuerint in damnatam hæresim incidisse, ac ut hæreticos evitandos fore de fratrum nostrorum Consilio declaramus.* Hæc verba hæretici antedicti. Ex quibus manifeste patet, quod sunt contra Sacrosanctæ Ecclesiæ determinatio-

nem, & contra Sacræ Scripturæ verum sensum, & intellectum; & contra Sanctorum Doctorum, & Sacrorum Canonum diffinitionem, & declarationem determinando, imo ipsam Romanam Ecclesiam, sive ejus determinationem hæreticam ausu nefario præsumptuosissime, & superbissime judicando se manifestum, & notorium hæreticum, ac pertinacem, & improbum esse demonstrat. Præterea dictus D. Joannes in hac sua constitutione condemnat sententiam illorum, qui dicebant, quod Christus & Apostoli habuerunt tantum simplicem usum denudatum jure civili, & mundano, quæ sententia ponitur in appellatione Domini Imperatoris. Ergo de tali jure civili, & mundano loquitur condemnans sicut hæreticos omnes asserentes, quod Christus, & Apostoli non habuerunt in his, in quibus usi sunt, nisi simplicem facti usum omni jure civili, & mundano nudatum. Nec etiam intelligi potest de usu facti denudato jure divino, nullus habet aliquid proprium, ut in præalle. *C. quo jure 7. di.* dicitur, & sunt verba Augustini. Præterea ex hujusmodi determinatione ejus patet, quod de omnipotentia Salvatoris, seu Redemptoris Domini nostri Jesu Christi male sentire, & credere videtur. Quia secundum supradicta sequitur, quod Christus ad observantiam illius juris necessario tenebatur, sine quo juste uti non poterat rebus ad usum vitæ necessariis, & sine quo jure ipsis rebus utendo peccabat, & sic suberat illi juri. Sed certum est, quod Christus fuit supra jus utendi, de quo loquitur dicta constitutio, *cum inter*, Cum etiam supra legem Baptismi, & sabbati fuerit, & mutare posset eam, ut patet secundum Glos. super illud *Luc. 4. quia in potestate erat sermo ipsius*. Glos. dicit sic: *Jesus quasi auctor, & impletor legis mutabat, vel augebat*; hæc Glos. & Ambrosius ibidem. Nec sub lege esse Dei filium, sed supra legem in ipso principio designaret, unde in sabbato cœpit, ut ipsius se ostenderet Creatorem. Et *Math. 12. filius hominis Dominus est etiam sabbati*. Glos. dicit sic: *Qui verus Rex, & Sacerdos est, & Dominus etiam sabbati, idest præest, & non subest legi, imo non peccat, si ejus ordinem non observat*: hæc Glos. Et §. Remigius dicta verba ejus exponens, dicit: *Filium hominis se ipsum appellat, & est sensus iste, quem vos purum hominem esse putatis, Deus est & omnium Creaturarum Dominus, & etiam sabbati. Et ideo potest legem mutare pro sua voluntate, quia fecit eam*; hæc Remigius. Et sic patet, quod legi sabbati non suberat, nec legi Baptismi, quem ipse constituit suberat: Et ideo contra eam facere absque peccato poterat. Unde Beda super illud Math. 3. *Decet nos implere omnem justitiam*, dicit: *non necessitate ablutionis baptizatus est Christus, sed ut nemo quantumcumque Sanctus baptismi gratiam superfluam reputaret*. Nec suberat legi Imperiali, ut habetur *Math. 17.* ubi super illo verbo *liberi sunt filii*, Glos. dicit sic: *Liberi sunt filii in omni regno; multo magis liberi sunt filii illius, sub quo sunt omnia regna*. Et de hoc satis dictum est supra. Præterea Christus Deus ex sua potentia infinita ab omni lege, & jure absoluta, qua & supra jus, & contra jus sibi facere licet, misit Dæmones in gregem porcorum alienorum, qui ipsos porcos suffocaverunt, sicut legitur *Math. 8.* & *Math. 5.* per quam missionem passi sunt magnum damnum domini porcorum. Erant enim duo millia, sicut Marcus expressit, unde super illud *Luc. 4. Rogaverunt illum, ut discederet ab eis, quia timore magno tenebantur*, dicit Theophylus: *Timebant enim, ne damnum aliquod paterentur, sicut passi fuerant in summersione porcorum*: Et ubi dicit Joannes hoc fecit Christus ut per interfectionem porcorum hominibus salutis occasio præberetur. Sed nullus Catholicus sanæ mentis diceret, quod talis actus in Christo fuerit injustus. Ergo qui hoc potuit facere, & statuere, & fecit absque omni injustitia, imo cum summa justitia, multo fortius pro salute hominum potuit facere, & statuere, quod Apostoli, & alii eorum imitatores haberent, & habuerunt juste, & licite in rebus temporalibus usum tantummodo simplicem facti, absque aliquo jure utendi civili, & mundano, de quo loquitur hæreticus supradictus. Ex quibus, & aliis supradictis clare patet, quod Christus, qui est omnis juris divini, & humani, ac legis naturalis, Canonicæ, & civilis Dominus principalis, & Origo, & fundamentum potuit pro se, & omnibus perfecte sequi volentibus, licite habere in omnibus rebus temporalibus, absque tali jure utendi simplicem tantummodo facti usum. Nec per hoc usus hujusmodi convincitur esse injustus, ut dictus hæreticus dicit: hoc ipse Christus non potuisset facere, nec posset, quia Deus non potest aliquid facere injustum, quia hoc posse non est aliquid posse *de pæni. di. 2. §. Charitas*; unde talis usus facti simplicis non potest dici injustus, quem Christus habuit, & docuit, docendo Apostolos suos, quod omnia relinquerent, & statum illum servarent, in quo nullus sibi aliquid appropriabat. Et, ut quod docebat verbo, Exemplo firmaret, cibo alieno voluit sustentari, sicut dicit Hieronymus ad Nepocianum, & sic in cibo non habuit nisi simplicem facti usum, nec in aliis rebus quibus usus est, prout in præcedentibus ex dictis Apostolicis, & Evangelicis, & Sanctorum Doctorum authoritatibus superius allegatis est plenissime comprobatum. Et sic patet, quod hæreticus supradictus ex dicta sua hæretica assertione de Omnipotentia Redemptoris nostri Domini Iesu Christi male, & hæretice sentit, & docet pertinaciter asserendo, quod si Christus in rebus temporalibus, quas legitur habuisse, habuisset solummodo simplicem facti usum, sequeretur, quod ejus usus fuisset injustus. Et quod ex hujusmodi sua assertione etiam in articulum fidei, in quo fides Catholica Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum Omnipotentem firmiter credit, docet, & prædicat, vehementer impingit. Insuper in fine dictæ Constitutionis, *Quia quorundam*, dictus hæreticus diffinit dicens: *Si quis autem damnatas per constitutionem nostram prædictam cum inter, prædictas hæreses, vel ipsarum alteram deinceps scienter verbo, vel scripto defendere, vel appropriare præsumpserit de facto approbare, de Fratrum nostrorum consilio decernimus, ut tanquam hæreticus ab omnibus vitetur. Adhuc districtius inhibemus, ne quisquam contra præsumpserit, tanquam contumax, & rebellis Romanæ Ecclesiæ ab omnibus habeatur*; hæc verba ejus. In quibus se pertinacem hæreticum, & incorrigibilem esse demonstrat, suas hæreses pertinaciter defendendo, & impugnantes eos hæreticos, & scismaticos ausu sacrilego decernendo. Ex ipsis etiam diffinitionibus suis deprehendi potest aperte, quod ipse idem proprio judicio suo hæreticum, & scismaticum se esse pronunciat. Nam in constitutione, *ad Conditorem*, asserit, & dicit expresse, quod jus utendi in rebus usu consumptibilibus haberi non potest, cum jus utendi exigat, quod substantia rei salva maneat: quod esse non potest in rebus usu consumptibilibus; & Christus in rebus quas ipsum habuisse sacra Scriptura commemorat, non habuit, nec habere potuerit jus utendi secundum eum. Et deinde in Constitutione, *Cum inter*, & in hac, *Quia quorundam*, declarat hæreticum fore asserere quod Christus in his, quæ ipsum habuisse Sacra Scriptura commemorat non habuit jus utendi. Et sic per consequens se hæreticum pronunciat, & demonstrat. Item quia in ipsa constitutione, *Cum inter*, & in hac ultima, *Quia quorundam*, asserit Christum habuisse jus utendi in his quæ ipsum habuisse Sacra Scriptura testatur; Et sic per consequens in rebus usu consumptibilibus quæ Scri-

ptura

„ ptura Sacra ipsum commemorat habuisse. Et hoc
„ est contra constitutionem *Ad conditorem*. Et in
„ hac ultima, *Quia quorundam*, quemlibet contra
„ illam Constitutionem *Ad conditorem* dicentem
„ contumacem & rebellem Ecclesiæ suo proprio
„ Iudicio condemnat: quod est proprium hæreti-
„ corum, ut in tantam cæcitatem justu Dei judi-
„ cio deducantur, quod sibi ipsis proferunt con-
„ traria, & adversa, ut dicit Augustinus contra
„ Petilianum, & ponitur 23. *q.* 7. *C. quod autem*.
„ Cum ergo adeo sit notorium, quod dictus hæ-
„ reticus dictas tres Constitutiones fecerit hæreticas,
„ & publice promulgaverit, & per Universum Or-
„ bem publice destinaverit, quod nulla potest ter-
„ giversatione negari: Et notorium sit, quod ad-
„ versus hæreses contentas in dicta Constitutione
„ *Ad conditorem:* Primo per Fratrem Bonagratiam
„ de Pargamo Procuratorem dicti Ordinis extitit ap-
„ pellatum. Quem etiam Procuratorem Ordinis de
„ facto, & tyrannice pro eo quod ipse dictam apel-
„ lationem interposuit fecit capi, & atro carceri
„ mancipari. Et fere per Annum in ipso carcere
„ detinuit inclusum. Et notorium sit in tota Chri-
„ stianitate, quod Serenissimus D. Ludovicus Rex
„ Romanorum adversus hæreses contentas in dictis
„ duabus constitutionibus, scilicet, *ad Conditorem
Canonum*; & *cum inter nonnullos* ad Sanctam Ro-
„ manam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam
„ appellavit. Et notorium sit in ipsa Ecclesia, quod
„ ipse Dominus Ioannes nunquam voluerit corrigi,
„ sed elegit pertinaciter in suis hæresibus permane-
„ re. Nec unquam voluit, & consensit, quod Con-
„ cilium congregaretur, sicut in appellatione dicti
„ Domini Regis petebatur instanter: Quin imo
„ eligens in suis hæresibus pertinaciter permanere
„ ex abrupto dictam constitutionem: *Quia quorun-
„ dam* contra dictam appellationem præfati D. Regis
„ fecit, & publice promulgavit. In qua supradictas
„ hæreses manifestas, & plures alias dogmatizans
„ eas nititur defendere, & etiam excusare: Et no-
„ torium sit, quod literas multas, quasi innume-
„ rabiles per mundum transmisit; mandans de fa-
„ cto, & ausu temerario dictum Dominum Regem
„ denunciari excommunicatum, & hæreticum pro
„ eo quod dictis suis hæresibus contradixit, & con-
„ tradicat. Et prædicta sunt, & fuerunt adeo no-
„ toria, quod nulla probatione, vel accusatione egent;
„ quia nulla possunt tergiversatione negari *Extra
de accusa. C.* 1. & *Extra de Cohabi. Cle. & mali.
C. tua, & C. ultimo*. Et oculis omnium sic præ-
„ dicta exhibent manifeste. Et non solum illi, qui
„ præcedente accusatione, & probatione per sen-
„ tentiam Iudicis tanquam hæretici condemnantur
„ sunt hæretici manifesti, sed etiam illi qui contra
„ fidem Catholicam publice prædicant, vel publice
„ confitentur errores, & asserunt, sunt censendi
„ hæretici manifesti. *Extra de verbor. signif. C.
„ super quibusdam*. Et ea quæ in Iure divino, vel
„ humano consistunt, probatione non egent, cum
„ jus sit certum & determinatum *ff. de regu. jur.
„ l.* 2. Et hodie omnis hæresis sit per sententiam
„ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ipso facto damnata,
„ excommunicata, & anathematizata: *extra de hæ-
„ reti. C. Excommunicatus* in primo. Et omnes
„ hæretici, & fautores, & defensores eorum sint
„ hodie excommunicati ipso facto, ut patet in *d.
C. Extra de hæreti. Cap. Excommunicatus* §. *Cre-
dentes*, & *C. ad abolendam*, & *C. Excommuni-
„ camus* 2. Et credentes erroribus hæretici sint ju-
„ dicati, ut in *C. G. Excommunicamus* in fio. Se-
„ quitur quod ipso facto ipse D. Ioannes postquam
„ dictas hæreses docuit, publicavit, & promulga-
„ vit, damnatus fuit & excommunicatus per sen-
„ tentiam Canonis, & omni potestate privatus 24.
*q.* 1. *C. dicimus:* & *in* §. *Si ergo*, & *in* §. *Si
autem:* & *in* §. *his authoritatibus*. Nec est de
„ novo necesse accusari, vel damnari per aliquem;
„ unde 24. *q.* 1. *C. Acatius* in Textu dicitur sic;

*Quicumque in hæresim damnatam labitur, in ipsa
damnatione se ipsum involvit:* ubi Glos. or. dicit
„ sic; *hic est casus, in quo Papa Canonem lata
sententia incidit. Nec obviat illa regula, par parem
solvere, vel ligare non potest, quia si Papa est hæ-
reticus, minor est quolibet Catholico, quia lex ipsum
factum damnat, sive notat, etiam sine sententia ff.
de ritu. nup. l. palam* §. *ult.* hæc Glos. & in ea-
„ dem *Causa* 24. *q.* 1. *in præallegato* §. *Si ergo*,
„ dicitur sic: *Si Episcopus in hæresim damnatam
jam lapsus est, antiqua excommunicatione jam da-
mnatus alios damnare non potest. Excommunicatus
enim alios excommunicare non valet*. Et in eadem
*q.* 1 §. *Si autem*, dicitur sic: *Si autem in corde
suo novam hæresim confixit, ex quo talia prædica-
re cepit, neminem damnare potuit, quia non potest
quemquam deiicere jam prostratus*; hæc ibi. Et
„ idem dicitur in eadem *Causa* 2. *q. C. Aperte*.
„ Et qui hæresim publice divulgat & prædicat, si-
„ cut fecit, & facit hæreticus supradictus, non est,
„ nec dici potest veraciter Papa, sive Pastor; sed
„ subversor. 25. *q.* 2. *Si ea*. Et Lupus dicitur 23.
*q.* 4. *C. tres personas*. Et quasi a fide recessit se
„ ipsum destruxit 25. *di. Sicut Sancti*. Et ab ejus
„ Communione omnes veri Catholici & fideles de-
„ bent recedere *XIX. di. C. Anastasius*. nec ex-
„ pectari debet quod per aliquem damnetur, cum
„ sit damnatus en ipso quod hæresim publicavit,
„ ut dicit ibi Glos. Et probatur juribus supradictis.
„ Nec Apostolicus, sed potius Apostaticus debet
„ dici, si etiam de facto postquam hæresim publi-
„ ce dogmatizavit, per potentiam, & tyrannidem Pa-
„ patum occupet. Sicut de illo, qui contra jus,
„ & de facto Sedem occupat dicitur 89. *di. C.* 1.
„ Et *C. Si quis pecuniam*. Et nullam habuit po-
„ testatem, vel authoritatem postquam hæresim pu-
„ blicavit, & docuit. Unde 24. *q.* 1. *in* §. *Prælle.*
„ his authoritatibus dicitur sic: *Ex quo contra fi-
dem aliquis cepit aliquid docere, nec deiicere quem-
quam valet, nec damnare*. Et in eadem *Causa* 24.
*q.* 1. §. *Item cum Dominus*, circa finem dicitur sic:
*Liquido constat eum qui ab integritate Catholica
fides recedit, inde dicendi vel maledicendi potesta-
tem non habere. Catholicum namque, utpote supe-
riorem se maledicere etiam non valet. In alienum
a fide tanquam in sibi æqualem sententiam dare non
„ potest*; hæc ibi. Ex quo textu habetur, quod qui-
„ libet hæreticus cujuscumque conditionis, vel sta-
„ tus sit, etiam si dicatur Papa, minor est quoli-
„ bet Catholico; & quilibet Catholicus est illo su-
„ perior. Item licitum est Clericis, & etiam Lai-
„ cis talem sicut Sedis Apostolicæ invasorem, &
„ occupatorem illicitum anathematizare, & huma-
„ no auxilio a Sede Apostolica pellere. Et proce-
„ di potest ad alterius Pontificis Catholici electio-
„ nem, cum Sedes Apostolica vacare dicatur. Nam
„ non habere Papam Sedes Apostolica quæ non
„ habet legitimum, ut in *dicto C.* 79. *di. Si quis
„ pecuniam*; Et generaliter non habere, vel non
„ legitimum habere æquiparantur. *ff. quod cujusque
universi no. l.* 1. §. *Equidem* in fin. Et *inst. de
legiti. agna.* §. *quod autem*, & *ff. quod cum falso
tuto. aut re. gef. est l.* 1. §. 1. & *ff. de muno.
& bono. l. ut gradatim* §. 1. & *ff. qui satisda.
cogun. l. quorum* cum similibus. Et in præallegato
*C. dicimus* 24. *q.* 1. dicitur sic: *Dicimus omnes
hæreticos, vel scismaticos nihil habere potestatis,
„ vel juris:* hæc ibi: Nec enim potestas ligandi,
„ atque solvendi data est, nisi veris, & Catholicis
„ Pastoribus, non autem falsis, & a fide Catholica
„ deviantibus unde de talibus loquens in præallegato
§. *Si autem* 24. *q.* 1. dicitur sic: *Ligandi namque
vel solvendi potestas veris, non falsis Sacerdotibus
a Domino tradita est*. Et uvet Pastorem suum qui
„ a fide exorbitaverit repudiare & ab eo recedere,
„ etiam ante sententiam aliquam contra eum ab ho-
„ mine latam possunt, ut expresse habetur 26. *q.
„ ult. C. Sane*. Quia tum per sententiam Cano-

nis damnantis omnes hæreses, & omnes hæreticos, damnatur, ut dicit Glos. & habetur 2. *q.* 7. *in Cap. Sacerdotes* in fin. ubi Glos. dicit sic: *si Prælati sunt hæretici, vel excommunicati, tunc potest recedi ab eis ante sententiam. XIX. di. nulli, & XVI. q. ult.* sane hæc Glos. Et ad idem facit 2. *q.* 7. *C. Oves*. De occulta autem hæresi potest Papa accusari, ut notatur 40. *di. Si Papa* in Glos. Manifesta autem sive notoria ulamore non egent accusatoris, nec sententia hominis, quia jam damnata est, ut est dictum. Nec valet, quod aliqui juris ignari dicere perhibentur, quod non sit repudiandus, nec ab eo recedendum, donec toleratur per Ecclesiam. Quia hoc falsum est, ut patet per jura superius allegata; imo si Papa fecit, vel statuit aliquid contra fidem, aut generale statutum Ecclesiæ etiam si omnes consentirent ei in ipso statuto, non valeret statutum, sed omnes qui consentirent ei, essent hæretici, ut patet per illud, quod legitur & notatur 25. *q.* 1. *C. qua ad perpetuam*: ubi dicit Glos. sic: *Ex hoc patet, quod Papa non potest contra generale statutum Ecclesiæ dispensare, nec contra Articulos fidei. Nam & si omnes ei consentirent, non valeret statutum, sed omnes essent hæretici, ut 25. di. Sicut Sancti. Et sic potest intelligi, quod dicitur infra &c. sunt quidam* &c. hæc Glos. Jura enim quæ loquuntur de Prælato non evitando, nec repudiando donec per Ecclesiam toleratur, non loquuntur in Crimine hæresis, sed in aliis Criminibus, in quibus adhuc distinguitur. Quia aut tale Crimen est occultum: Et tunc non debet ab eo recedi, donec per Ecclesiam toleratur. Aut est notorium, vel per sententiam, vel per operis evidentiam, & tunc est totaliter evitandus, & ab eo recedendum secundum quod legitur, & habetur. *Extra de Cohabi. Cle. & mul. C. vestra*, & *C. ult.* & 25. *q. ult. C. ult.* Et plene habetur, & notatur 1. *q.* 1. §. *Verum*. Et notatur in summa *Hosti. de Cohabita. Cle. & mulie.* §. *quid sit notorium*, ỳ. *ut autem*. Et Glossa or. posita 24. *q.* 1. circa principium in §. *quod autem*, improbat distinctionem quæ fiebat per aliquos dicentes. Quod aut Prælatus incidit in hæresim jam damnatam, tunc non valet excommunicatio per eum lata. Aut incidit in hæresim novam; & tunc sententia Excommunicationis per eum lata valet. Et dicit ibi Glos. sic: *hæc distinctio hodie non valet, quia omnis hæresis est damnata, & omnis hæreticus est damnatus, & excommunicatus, quantumcumque sit occultus. Et ideo non potest alios excommunicare; unde si scirem Prælatum meum hæreticum esse, quia novam fingit hæresim, nec tamen prædicaret; si me excommunicaret, celebrarem in occulto, sed non in aperto, quia cum non possit probari eum esse hæreticum, sicut excommunicatum me deponeret*: hæc Glos. Ex qua Glos. colligitur, quod si Prælatus incidit in hæresim, & esset omnino occultum: Ita quod probari non possit aliquo modo, tunc in foro conscientiæ, si sine periculo posset, haberet eum evitare. Si vero esset occultum, tamen probari possit, tunc etiam in foro conscientiæ & in foro Judicii haberet eum evitare, & ab eo recedere, alias non excusaretur, quin peccaret, si cum eo sciens communicaret, & probare valens eum esse hæreticum. Quia Ecclesia nullam hæresim publicam, vel occultam, nec aliquem publicum, vel occultum hæreticum tolerat, sed omnes damnat, & excommunicat, & anathematizat cum dicat: *Excommunicamus omnes hæreses, & omnes hæreticos*, ut dicunt canones superius allati. Et maxime dictum *C. sane* 26. *q. ult.* ubi dicitur; *quod licet Thessalonicenses Episcopi ob motum Imperatoris Anastasii Timoteo Constantinopolitano consenserint, quem Chalcedonense Concilium anathematizaverat: Tamen 40. Episcopi Illyrici, & Græciæ convenientes in unum per professionem in scriptis factam, discesserunt ab eo, & Romam venientes professi sunt, se Romano Episcopo convocaliter communicare, & postea recesserunt ab eo multitudines Populorum*: hæc ibi: Ex quibus patet, quod multitudinibus Populorum, & Episcoporum, primo communicantibus cum dicto hæretico, 40. Episcopi recesserunt ab eo, qui de hoc commendantur. Item patet in præallegato *C. Anastasius* 19. *di.* & in §. *hoc autem*, & in §. *quia vero*. In quibus habetur, quod ex eo quod Anastasius Papa quædam rescripta ad instantiam Imperatoris Anastasii dederat quibusdam ordinatis ab Acacio hæretico, *ut* possent acceptis officiis rite fungi, multi Clerici se ab ejus communione abegerunt. Ex quo textu colligitur, quod aliqui tamen Clerici recesserunt ab ejus communione, licet alii communicarent cum eo; & tamen qui recesserunt, approbantur, ubi Glos. ordina. dicit sic: *Sed contra 8. q. 4. non ne ibi dicitur, quod ante tempus sententiæ non possunt Clerici recedere ab Episcopo; sed hic non recesserunt ante sententiam, quia inciderat in hæresim damnatam*. 24. *q.* 2. hæc Glos. Ex quibus patet, quod cum hodie, ut dictum est, omnes hæreses sint per Ecclesiam damnatæ, & anathematizatæ, & omnes hæretici damnati, & excommunicati: quod si Papa incidit in aliquam hæresim, & ipsam hæresim publicavit, quilibet Christianus ab ejus obedientia, & communione recedere potest, & etiam tenetur. Nec expectari debet aliqua alia sententia, per quam, vel per Concilium, vel aliquem alium condemnetur. Sufficit enim, quod per sententiam Canonum est damnatus: hoc etiam plene probant Canones superius allegati. 24. *q.* 1. §. *si autem*, & §. *si ergo*, & *C. dicimus*, & *C. aperte*. *Et §. his authoritatibus cum similibus*. Et quicumque tali hæretico communicaret, sciens eum talem, & eidem sponte pareret, in crimen fautoriæ, & latæ sententiæ Decretum contra fautores hæreticorum incurreret, ut in *dicto* §. *Credentes Extra de sen. Excom. C. Excommunicamus*, expressius continetur. Nec excusaretur ex eo, quod alii talem in suis erroribus tolerarent, ut dictum est. Alias, si semper Papæ hæretico esset obediendum, donec toleraretur in Papatu, ut aliqui dicere perhibentur, tota Fides Catholica posset periclitari. Quid enim, si Papa foret ita potens, ut puta de generatione vel factura regali aut Imperiali, aut aliter talis, & sic potens Tyrannus, quod nullus auderet ei contradicere: Et Cardinales, & Clerus ei in suis erroribus consentirent; si tali foret obediendum, & nullus ab ejus obedientia recederet: Tunc tota fides periclitaretur. Quia omnes saltem de facto in suis erroribus consentirent: quamvis semper, ut superius est ostensum, postquam dictus hæreticus dictas suas constitutiones hæreticales publice promulgavit, semper ei fuerit contradictum, & magna pars fidelium, & bonorum Christianorum se ab ejus Communione abegerunt, & eum tanquam hæreticum manifestum vitaverunt, & vitant, & multi zelo fidei moti se periculo Mortis exposuerunt, in prædictis erroribus eidem hæretico resistendo. Ex prædictis igitur etiam patet responsio ad ea, quæ aliqui ignari dicere perhibentur, videlicet quod si Matrices, sive Cathedrales Ecclesiæ servarent interdicta per dictum hæreticum posita, quod aliqui religiosi servare tenentur per *C. Extra de sen. Excom. Ex frequentibus lib.* 7. quia hoc omnino falsum est: nec ipsa Decretalis hoc probat, quia sicut in eadem patet, loquitur de interdictis positis per illos, vel eorum authoritate, qui habent authoritatem, & potestatem ponendi. Sed hæreticus ut dictum est, omni authoritate & potestate privatus est, unde nullam authoritatem habet, nec potestatem ponendi, nec poni faciendi aliquod Interdictum, nec aliquid aliud tan-

quam

„ quam Iudex, vel Prælatus. Et sicut, si aliquis Saracenus, vel infidelis, vel Laicus poneret Interdictum in una Civitate, vel aliquo loco, & Ecclesia Cathedralis, vel matrix & omnes sæculares, & Clerici tale interdictum servarent, fatuus esset qui tale interdictum servaret: sic non potest per aliquem intelligentem dici, quod si Interdictum positum per Prælatum hæreticum, vel ejus authoritate, etiam si Ecclesia Cathedralis, vel matrix & omnes Clerici, & Sæculares illud servarent, quod ob hoc a religiosis servari deberet hujusmodi interdictum. Quia, ut sæpe dictum est, & allegata jura probant, hæreticus nullam omnino probandi, solvendi, vel ligandi habet potestatem; imo Papa non posset constitutionem facere, quod si matrix Ecclesia, vel Cathedralis interdictum positum per Prælatum hæreticum servaret, quod alii religiosi servare tenentur, quia ex hoc posset Fides periclitari, & esset contra generale statutum Ecclesiæ, contra quod Papa dispensare non potest, ut dicitur in præallegato *C. quum ad perpetuam* 25. *q.* 1. *in sex.* & *Glos.* Sicut nec Papa posset statuere, quod nullus possit Papam de hæresi accusare, ut notant in præallegato *C. si Papa xl. di. in Glos. ordi.* imo qui scienter, & sponte servarent interdictum positum per Papam hæreticum, vel ejus authoritate positum, vel per alium Prælatum hæreticum, favere hæresi viderentur; &, ut dictum est, essent tanquam fautores hæresis puniendi. Et advertere deberent omnes fideles Catholici, quantum Animarum periculum est, tali hæretico favere, & obedire sub quo tota scandalizatur Ecclesia, & longo tempore est scandalizata. Cum etiam non resistere sibi sit grande crimen. *Quia error, cui non resistitur approbari videtur. Et negligere, cum possis perturbare perversos, nihil aliud est quam fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare;* ut dicitur 83. *di. C. Error.* Et in eadem *di. dicitur. Consentire videtur erranti, qui ad reprimendu quæ debent corrigi non occurrit. Et* 86. *di. C. facientis,* dicitur. *non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, participes judicantur. Et latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum pravitate consensum. Et verendum est, ne divinam indignationem qui eum talia in fidei detrimentum & Ecclesiæ Catholicæ scandalum perpetrasse, & quotidie perpetrare cognoscunt, si ea tacendo dissimulant, ne ipsi resistere prætermittant. Extra de Iudæ. C. Et si Iudæos.* Nam & si diligenter attendunt, quæ fecit, & facit quotidie hæreticus supradictus invenient, quod ipsi commissioni a Christo factæ B. Petro, eum ipsi & per eum successoribus ejus Canonice intrantibus Pontificatus tradidit potestatem, & his, quæ sub ea continentur in omnibus adversatur. De qua potestate habetur in Glos. super illud Io. ult. *Pasce oves meas*; quæ Glos. dicit sic: *Pasce oves meas, est credentes in Christo, ne a fide deficiant confortare, terrena subsidia, si necesse est, subditis providere, exempla virtutum, cum verbo prædicationis impendere, adversariis fidei obsistere, errantes subditos corrigere:* hæc Glos. Ac supradictus D. Ioannes sicut notorium est, & etiam ex dictis hæreticalibus constitutionibus per eum editis, & per mundum publice divulgatis, & mandatis pro ipsarum executione factis, & etiam aliis legitimis documentis perpenditur, evidenter hæreses manifestas fidei Catholicæ, & prædictis fidei articulis adversantes publice per universum mundum prædicat, publicat, & divulgat. Et veros Catholicos, & fideles persequitur manifeste: Et eis crimen hæresis falso, & contra veritatem imponit, sibi parentes & obedientes per exactiones innumeras, & cautelas subdolas bonis temporalibus spoliat, & pecunias infinitas artibus, & cautelis innumeris in saccum pertusum congregat, & in bellis, Guerris, seditionibus movendis, & fovendis dispergit. Et dato per eum paci libello repudii, suis operibus concordiam & unitatem extra mundi terminos relegavit. Exemplo etiam suo docet pecunias, & divitias per dolos, & falsos modos congregare, & in ipsis fidem suam, & spem ponere, ac paupertatem quam Christus docuit detestari. Insuper dictus hæreticus adversantibus fidei Catholicæ in nullo resistit: sed eos quantum potest promovet, & exaltat, sicut notorium est. Et etiam in exemplis, quæ inferius addentur apparebit: ac errantes, & delinquentes in suis delictis, & erroribus fovet, & nutrit: Et ut ex operibus suis manifeste demonstrat, non quæ Christi sunt lucra, sed sua postulat, & requirit; & pauperes Christi enormiter despicit, persequitur, & contemnit, & in Christi Ecclesia, ac etiam in Ordine B. Francisci, ut mundo patet, nutrit, procurat, facit, & fecit divisiones, & scismata. Et ut ex superioribus ostenditur, quidquid erat perfectionis Evangelicæ, quod legis, quod vitæ, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ perdidit, & confundit. Ex quibus clare patet, quod commissioni, quam Christus B. Petro, & ejus successoribus fecisse dignoscitur, totaliter adversatur. Et quod talis nullo modo est a veris Catholicis tolerandus.

„ Et præter superius specificata, ut etiam aliqua alia ex multis quæ contra fidem Catholicam, & superius specificatos fidei articulos facere non cavavit, deducamus in publicam notitiam, subscripta exempla manifesta, & notoria proponuntur: notorium quippe fuit, & est tam in Civitate Avinionis, & diversis mundi Partibus divulgatum, & etiam constat per acta publica, redacta in publica munimenta, quod quidam hæreticus nomine Jesolmus de Casanis Diœcesis Biterrensis, quem dictus D. Joannes hæreticus Auditorem Causarum in Curia Avinionis constituit, fecit quendam apparatum diversis hæresibus fermentatum super constitutiones editas in Concilio Viennensi; Et etiam super Constitutiones per dictum D. Ioannem promulgatas, quæ Extravagantes in dicta Curia nuncupantur: Et specialiter super dictas Constitutiones *Ad Conditorem*, *Cum inter*, *Quia quorundam*. In quo apparatu contra fidei articulos inter cæteras hæreses super ipsa Constitutione *Cum inter*, asserebat, & dogmatizabat patenter infrascriptas hæreses. Prima videlicet, quod Papa poterat novum Articulum Fidei facere, Insinuans, quod poterat contrarium facere his, quæ erant per Ecclesiam diffinita: Quod fidei Catholicæ adversatur. Secunda hæresis erat, quod ante Alexandrum Papam III., sive ante Constitutionem Alexandri Papæ III. positam *Extra de hæret. C. Cum Christus*, dici forte poterat, quod Christus non fuerat verus Deus, & verus homo. Quæ quidem hæresis omnibus fidei Articulis adversatur. Insinuans etiam in ipso apparatu suo, quod hæreticum erat deinceps asserere, quod in sæpedicta Decretali *Exiit* §. *Porro*, diffinitur, scilicet Christum, & Apostolos docuisse verbo, & exemplo abdicationem proprietatis, & dominii omnium rerum, tam in speciali, quam in communi. Plures quoque alias hæreses in ipso apparatu suo dogmatizabat; quem apparatum hæresibus fermentatum publice, & notorie exhiberi stationariis publicis. Contra quas hæreses Frater Bonagratia de Pargamo dicti Ordinis minorum zelo fidei Catholicæ libellum edidit publice, & fecit, convincens ipsum Iesolmum manifeste de hæresibus supradictis. Qui libellus ad notitiam dicti D. Ioannis, & suorum consiliariorum, & aliorum præsidentium in dicta Curia existentium, ac auditorum Palatii ejus, & aliorum advocatorum, & Procuratorum in prædicta Curia, ac etiam Inquisitorum hæreticæ pravitatis manifeste pervenit: & tamen ipse D. Ioannes nusquam pro-

„ cessit

ceſſit in aliquo contra eum, nec eidem reſtitit, ſed etiam pluribus honoribus, & beneficiis exaltavit, & in audientia cauſarum de facto Iudicem eſſe permiſit. Et Inquiſitor hæreticæ pravitatis requiſitus per publicum inſtromentum, quod procederet contra eum, contempſit penitus contra ipſum procedere. Ita qood etiam citare eum noluit, quamvis ſibi facta fuerit fides plenaria de prædictis. Plures etiam de fautoribus ipſius D. Ioannis ipſum Fratrem Bonagratiam arguerunt de facto & reprehenderunt, ex eo quod contra dictum Ieſolmum, & hæreſes per eum dogmatizatas libellum ediderat: Et ipſum Fratrem Bonagratiam quantum potuerunt de facto niſi ſunt a proſecutione illius libelli retrahere. Frater quoque Guido de Ordine Carmelitarum, qui ſe gerit pro Epiſcopo Majoricenſi volens dicto D Ioanni complacere, alium libellum fecit, quem ipſi D. Ioanni, ut apparebat ex ipſius initio, dirigebat, diverſis hæreſibus fermentatum in determinatione Summorum Pontificum Eccleſiæ ſuper paupertate Chriſti, & Apoſtolorum factas & in Scripturam Evangelicam, & Apoſtolicam, & ſtatum totius Eccleſiæ graviter impingentem. Quem libellum dictus Frater Guido in dicta Curia Avinionis, & etiam in Aragonia publice divulgavit, & propter amiciriam, quam habebat cum dicto D. Ioanne nullus ipſum de prædictis hæreſibus impetere, vel redarguere attentavit, excepto Fratre Bonagratia memorato.

„ Notorium eſt etiam in dicta Curia Avinionis, & etiam in Provincia Theotoniæ, quod Frater Aycardus Ordinis Prædicatorum verbo, & in ſcriptis publice, & maniſeſte docuit, & prædicavit hæreſes deteſtabiles, & horribiles in multis prædictis fidei articulis adverſantes: Et quod ipſe Frater Aycardus magnam multitudinem Populi in dicta Provincia Theotoniæ & in aliis diverſis partibus ad ipſas hæreſes tenendas, credendas, & divulgandas ſecum traxit. Et quod Nicolaus dicti Ordinis Prædicatorum fuit, & erat maximus fautor & defenſor dicti Fratris Aycardi hæretici maniſeſti. Et quod D. Archiepiſcopus Colonienſis miſit ad dictam Curiam nuncios, per quas exponi fecit eidem D. Joanni & ſuis Conſiliariis antedictas hæreſes; Et favores quos dictus Frater Nicolaus dicto Fratri Aycardo hæretico, & ſuis hæreſibus præbuerat. Et tamen nuncii præfati D. Archiepiſcopi Colonienſis ſuper prædictis nunquam habuerunt, nec habere potuerunt Juſtitiæ complementum. Quin imo idem D. Joannes dictum Fratrem Nicolaum fautorem & defenſorem maximum dicti hæretici Aycardi, & hæreſum ſuarum ſuſtinuit, ſeu fieri permiſit ſcienter Vicarium Generalem Fratrum Prædicatorum Provinciæ Theutoniæ. Inſuper licet prædictus Frater Nicolaus fuiſſet de prædictis favoribus & defenſionibus accuſatus coram Commiſſariis ad hoc datis per ipſum D. Archeipiſcopum Colonienſem; & tandem per ſententiam ipſorum Commiſſariorum, ut fautor judicatus, & hæc fuiſſent ad noditiam dicti D. Joannis deducta. Tamen his non obſtantibus, ipſe D. Ioannes ſecum de facto diſpenſavit, ut ipſe Frater Nicolaus poſſit eſſe diffinitor in Capitulo Generali Ordinis Prædicatorum tunc Perpiniani celebrando: Et ipſum Fratrem Nicolaum de dictis fautoria, & defenſione damnatum ſcienter ſuſtinuit de facto in dicto Officio Vicariæ, & eidem tribuit multipliciter Conſilium, & favorem, & unum Fratrem dicti Ordinis Prædicatorum nuncium prædicti D. Archiepiſcopi Colonienſis ad proſequendum dictum crimen hæreſis contra prædictos Fratres Aycardum, & Nicolaum capi ſuſtinuit in dicta Curia, & detineri captivum. Item notorium eſt fere ubique per Orbem terrarum, quod ipſe D. Joannes falſo, & malitioſe & pro libito, & ex abrupto, ac ſine cauſæ cognitione crimen hæreſis, aut fautoris hæreſis vel hæreticorum impoſuit, & quotidie imponere non deſiſtit magnæ parti Fidelium Chriſtianorum. Ita quod, ſi ejus falſi, & mendoſi Proceſſus, quos fecit, & fieri fecit, & facere, ſeu fieri facere non deſiſtit, haberent efficaciam, in tota Chriſtianitate invenirentur paucæ perſonæ notabiles, quæ Catholicæ dici poſſent; vel quæ non poſſent ſecundum ejus Proceſſum, imo verius exceſſus deteſtabiles incurriſſent. Item notorium eſt in Curia Avinionis, quod ipſe D. Ioannes hæreticus ſceleratos viros, apoſtatas, & hæreticos volentes maledicere de ſtatu, & Ordine Fratrum minorum, ſive de Communitate ipſius Ordinis, fovebat, nutriebat, & exaltabat, & eis gratias, & beneficia concedebat, eoſque diverſis, & variis viis inducebat, & provocabat ad detrahendum ipſi ſtatui Ordinis, & Communitati, & eorum detractiones, diffamationes, & blaſphemias accepit, & acceptavit, & in ſuo conſiſtorio ad diffamandum dictum Ordinem, & ſtatum ipſius, legi, & publicari, & in actis Curiæ ſuæ redigi faciebat. Exemplum de Fratre Thoma de Braunceſton Negromantico Alchymiſto hæretico, & variis ſceleribus involuto, qui propter ejus crimina deteſtanda fuerat per ſui miniſtri, & aliorum diſcretorum Fratrum Provinciæ Angliæ ſecundum dicti Ordinis ſtatuta carceri adjudicatus, & mancipatus, & tandem ab Ordine apoſtataverat publice, & maniſeſte: Qui ſic Apoſtata & in habitu ſæculari, & Apoſtatico ad curiam acceſſit, & ad dicti D. Joannis præſentiam acceſſit, & diverſas, falſaſque blaſphemias, & diffamationes de ſtatu dicti Ordinis, & communitatis ipſius protulit, & eidem exhibuit quaſdam literas famoſas, famoſumque libellum: In quibus falſiſſima & nonnulla diffamatoria, quædam etiam hæretica contra ſtatum, & Ordinem proponebat: Et de paupertate & ſtatu dicti Ordinis obloquebatur, eidem plurimum detrahendo, & ipſum D. Joannem laudando de his, quæ contra Ordinem prædictum, & communitatem ipſius fecerat, & ſtatuerat. Idem Dominus Joannes eidem Thomæ audientiam in conſiſtorio ſuo plene dedit, & in ipſo Conſiſtorio ipſum ſuum libellum facinoroſum, & diffamatorium; in quo, ut dictum eſt, falſa, diffamativa, & etiam hæretica fatebatur ad dicti Ordinis, & ſtatus ejus diffamationem legi fecit, & publicari, ac ipſum Thomam diverſis gratiis, & beneficiis communivit, ſicut fuit notorium in Curia ſæpedicta. Exemplum de pluribus ribaldis, & ſcelcratis Provinciæ Aragoniæ, videlicet, Joanne Peironi, Petro Arnaldi, & Guillelmo Morelli, qui propter eorum ſcelera deteſtanda carceri adjudicati, quos ad diffamandum dictum Ordinem in curia per longa tempora detinuit, & eorum diffamationes, & ſcripta in actis curiæ redigi fecit, & in ſuo conſiſtorio ad diffamationem dicti Ordinis ea ipſis plurima publicari. Et licet etiam aliqua hæretica in ſuis confeſſionibus adiicerent, tamen quia de miniſtris, & Provinciæ Aragoniæ Fratribus multa diffamatoria, & perfaltiſſima proferebant in odium, & ſcandalum dicti Ordinis, & communitatis ejuſdem, ipſis plura beneficia, & multas gratias contulit, ipſoſque in tantum favorem aſſumpſit, ut multoties, cum volebant, ad eum acceſſum habebant, & habere poterant, ſicut notorium fuit in curia ſupradicta. Exemplum etiam de Fratre Guillermo Ramundi de Provincia Proviociæ propter ipſius ſcelera per Miniſtrum ſuæ Provinciæ carceri mancipato, cui ipſe D. Joannes de facto conceſſit per ſuas literas ut ad Ordinem S. Benedicti poſſet ſe transferre, ipſum diverſis gratiis, & beneficiis communivit, quia Miniſtro Provinciæ Sacræ Theologiæ Doctori, & Fratribus ejuſdem Provinciæ detrahebat, eoſque falſis criminationibus diffamabat: de multis etiam aliis idem fecit, quod & omnes favores, quos eis contulit,

simili de causa, foret seorsim explicare prolixum. Et breviter, quantumcumque sceleratus, Aposteta, & hæreticus ud ipsum Dominum Joannem habebat introitum, si de Ordine, & communitate prædictis meledicere, & diffamare volebat, & gratiam in ipsius oculis, ex tali diffamatione inveniebat pariter, & favorem. Et insuper attendens Ego præfatus Frater Michael dicti Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, quod ipse Dominus Joannes præsentibus Fratribus Bertrando de Turre dicto Episcopo Tusculano, Petro de Prato tunc ministro Provinciæ S. Francisci, Raymundo de Lados dicti Ordinis in Curie Procuratore, Laurentio de Coalhone Bacallario Avinionis Anno Domini 1328. die 9. Mensis Aprilis quæ fuit Sabbato in Albis, & me præsente pluries pronunciavit, & asseruit, sive dixit literam, sive diffinitionem, & determinationem, quam olim totum Capitulum Generale ordinis memorati tunc apud Perusium congregatum fecit, & composuit, ac universis Christifidelibus dastinavit, fore hæreticam: sicut constat per literas dictorum fratrum Petri Raymundi, & Laurentii subscriptionibus roboratas. A quibus pronunciatione & assertione dicti D. Joannis in dicta Curia in præsentia authenticarum Personarum & Fratris Guidonis de Pupio Notarii Publici, ud Sanctam Romanam Ecclesiam appellavi. Qua appellatione interjecta legitime de Avinione recessi propter periculum, quod meæ Personæ, si remansissem ibidem, imminebat; Et ad loca tuta me contuli, ubi possem appellationem meam prosequi, & eam innovare & etiam aliam facere, de novo interponere, publicare, & prosequi, sicut expediens videretur. Et attendens etiam quod ad mei notitiam noviter pervenit, quod dictus D. Joannes hæreticus post meum recessum ira nimia, ac furore commotus adversus me, & dictum Fratrem Bonagratiam in utroque Jure peritum, ac Fratrem Guillermum de Ocham de Anglia magistrum in Sacra Pagina, qui mecum ad prosecutionem dicti negocii fidei Catholicæ Zelo fidei, & Conscientiæ venerunt, quosdem processus, imo verius excessus de facto facit; In quibus, ut fertur de facto pronunciavit excommunicationis, & privationis officii, & inhabilitationis ad quodcumque officium pœnes, sive sententias incurrisse. Et etiam de facto contra me, ut dicitur, Excommunicationis sententiam fulminavit. Et dictem Fratrem Bonagratiam, quem falsissime dicit de hæresi fuisse accusatum, quod nusquem fuit relatum vel auditum, nisi forte post ipsius fratris Bonagratiæ recessum, ut dicitur pronunciavit perjurum, & de facto cum de jure non posset excommunicavit. Et alia gravamina mihi, & eis & dicto Ordini in nostrum, & fidei Catholicæ fundatum præjudicium fecit. Ac etiam dictum Fratrem Bertrandum de Turre Vicarium dicti ordinis instituit de facto. Cum de jure non posset, quia literas famosas, falsas, & mendaces, & pronunciamenta in fidei Catholicæ præjedicium, & mei, ac prædictorum fratrum, ac dicti Ordinis diffamationem, & gravamen de facto fulminavit, & promulgavit. Et ex verisimilibus conjecturis æstimem, & præsumam, quod alios Processus contra me, & dictos fratres, & alios mihi faventes, & obedientes, & dictam veritatem tenentes, prædicantes, vel quomodolibet confitentes fecerit, & faciet in futurum. Quare ex prædictis rationibus, & causis, & qualibet earum per se sufficienti insolidum, & etiam aliis suo loco, & tempore si necesse fuerit proponendis, & ostendendis; Ego præfatus Frater Michael de Cesena dicti Ordinis Fratrum minorum generalis minister & servus, meo, & dictorum Fratrum Bonagratiæ, & Guillermi de Ocham, & cujuscumque eorum nominibus, ac nomine, & vice omnium, & singulorum fratrum dicti Ordinis qui mihi adhæserunt, vel obedientes fuerunt aut erunt in futurum: Ac etiam omnium Catholicorum mihi in his, & dictæ Catholicæ fidei adhærentium, & adhærere volentium nominibus, & cujuslibet eorum, dico, & pronuncio, & denuncio dictos Processus, imo verius excessus, & dictu alie factos, & facta, & quæ in posterum fierent per prædictos Joannem hæreticum, & Bertrandum, & quemlibet seu aliquem eorum, & quicquid secutum est ex eo, vel ob id, & omnes alios Processus factos, & fiendos per prædictos Joannem, & Bertrandum, vel aliquem eorum, seu aliquem alium Officialem, seu Judicem dicti Domini Joannis aut aliquem alium ex authoritate, vel commissione eorum, vel alicujus eorum, fuisse & esse nullos, nulliusque valoris, & momenti. Et in quantum de facto processerunt, vel fierent in futurum, ex eis sentiens me & prædictos adhærentes in hac parte, & adhærere volentes, fore gravatos; ab ipsis gravaminibus illatis, & inferendis, & quolibet eorum in his scriptis appellemus, & Ego ad Sanctam Romanam Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam provoco, & appello. Et subiicio me, & eos, & omnes, & singulos adhærentes mihi, & adhærere volantes protectioni, defensioni ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ. Protestans, quod intendo prædicta, Deo propitio, ad defensionem Sanctæ fidei Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ, & status dicti Ordinis fratrum minorum, & regulæ Beatissimi Patris nostri Francisci, Deo auxiliante, & Sancto Francisco opem ferente usque in finem prosequi, & etiam terminare. Et suppono me, & dicta mea Correctioni, & emendationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Protestans me firmiter illam fidem tenere, & observare velle perpetuo, quam Sancte Romana Ecclesia tenet, quæ disponente Domino, cunctorum Fidelium mater est, & magistra. Acta, & facta fuerunt hæc in Civitate Pisana in Domo fratrum minorum anno prædicto a Nativitate Domini 1328. Indictione XI. 14. Kalendas Octobris. Præsentibus testibus vocatis, & rogatis, pluribus venerabilibus viris vicario, & judicibus, & infrascriptis notariis publicis qui rogati fuerunt, ut de prædictis conficerent publicum instrumentum, videlicet, Becco de Spina, Jacobo Leonardi de Vico Pisano, & Ser Nicolao quondam Bonnsecursi de Vico Pisano Tabellionibus. Et fratribus Guidone de Pupio, Andrea Martini de Montechio, Michaele de Bononia, & pluribus aliis. Explicit appellatio major.

Quia vero prædicta appellatio fuit abbreviata, & ad multas partes Orbis transmissa, & ostiis Majoris Ecclesiæ Pisanæ 12. die Decembris prædicti anni appensa, & solemniter lecta: Et ad eam per præfatum Dominum Joannem per Constitutionem: *quia vir reprobus*, cujus tenor inferius inseretur responsum. Ideo dictem brevem appellationem hic interponere dignum duxi. Tenor vero noscitur esse talis.

---

## APPELLATIO

### GENERALIS MINISTRI

*in forma Minori.*

IN Nomine Domini Amen. Anno Domini 1328. Indict. XI. in Civitate Pisana in Domo fratrum Minorum, Venerabilis, & Religiosus Vir Frater Michael de Cesena Ordinis fratrum Minorum Generalis Minister, & in Sacra Pagina Doctor, constitutus in præsentia &c. „ ut supra in principio antedictæ appellationis de verbo, ad verbum usque ibi. „ Regula, & vita fratrum Minorum hæc est, scilicet, Domini Nostri Jesu Christi Sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, & castitate. Et quod „ D. Jo-



D. Joannes qui se Papam XXII. appellat tres Constitutiones bæreticales edidit, & publice promulgavit. Quarum prima, incipit *Ad Conditorem*; secunda, *Cum inter nonnullos*; tertia, *Quia quorumdam*. Et in illa, quæ incipit *Ad Conditorem*, probare intendens, quod Fratres minores secundum Doctrinam Evangelicam, sine proprio vivere profitentes io rebus, quæ usu consumuntur non sunt censendi usuarii simplices dogmatizat, sic dicens: „ *Quod autem quo ad res quæ usu consumuntur, non sint censendi usuarii fratres ipsi; ex subsequentibus liquet satis: Dicere siquidem quod in talibus rebus, quæ usu consumuntur, usus Juris, vel facti separatus a proprietate rei, seu dominio possit constitui, repugnat juri, & obviat rationi.* Et infra: *In rebus usu consumptibilibus, nec jus utendi, nec usus facti separati a rei proprietate, seu dominio possunt constitui, vel baberi*; hæc verba ipsius, quæ sunt hæretica manifeste: quod Sacræ Scripturæ, & sacris Canonibus, & diffinitionibus Sanctorum Doctorum, ac determinationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obviant manifeste. Quod autem sacræ Scripturæ repugnent probatur per infrascripta. Primo per illud, quod legitur in actibus Apostolorum 2. & 4. C. cum de multitudine credentium dicitur sic: *Omnes etiam, qui credebant, babebant omnia communio; possessiones, & substantias vendebant, & dividebant illa singulis, prout cuique opus erat*. Et 4. C. dicitur sic: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illius omnia communia. Quotque erant possessores agrorum aut domorum, vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, & dividebantur singulis prout cuique opus erat. Et panes frangebant circa Domos, & sumebant cibum cum exultatione*; hæc ibi: boc autem vocabulum *suum* Sancti, exponant sic, *suum*, idest, *proprium* ut patet 12. q. 1. C. *Scimus*, & *C. Nolo: & C. non dicatis*, & *§. sic ergo*; Et per Augustinum circa principium regulæ suæ. Et Glos. or. super verbo *babebant omnia communia*, dicit: *Indicium fraterni amoris est, omnia possidere, & nihil proprium babere*. Ex quibus verbis insinuatur aperte, quod nullius rei temporalis, nec usu consumptibilis, nec rei usu non consumptibilis proprietatem habebant, quia res non usu consumptibiles scilicet, possessiones, agros, Domos, & substantias, Glos. *idest pecora*, vendebant, & ipsas nec in speciali, nec in eorum communitate retinebant. Illas autem res, quamvis lex *Insti. de usufruct. §. constituitur*, usu consumptibiles esse testatur, scilicet, pecunias pro pretio rerum venditarum acceptas, & panes, de quibus ibi habetur mentio specialis, in communi babebant, & dividebatur singulis prout cuique opus erat: Et nullus ex eis aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et sic quilibet eorum habebat usum rerum usu consumptibilium absque proprietate, & dominio separatum: Ergo dicta assertio, & Doctrina in dicta constitutione contenta obviat scripturæ Divinæ, & omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis omnium rerum temporalium destruit, & confundit. Quia secundum hoc quilibet religiosus, quum uteretur rebus usu consumptibilibus, proprietarius censeretur. Secundo ostenditur, quod dicta assertio Scripturæ Divinæ obviat ex eo, quod dicit Petrus *Math. XIX. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Quod non potest intelligi quod Apostoli reliquerunt omnia quantum ad usum, quia constat ex Scriptura Sacra, quod postea rebus usu consumptibilibus utebantur. Ergo reliquerunt omnino tam usu consumptibilia, quam non consumptibilia usu quantum ad dominium, & proprietatem, ut probatur 12. *q. 1. C. Dilectissimis*, quia qui dicit omnia, nihil excipit.

Et S. Gregorius super illud *relictis retibus secuti sunt eum &c.* dicit: *Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit, qui quamtumlibet parum totum deseruit*. Ergo dicere, quod usus rerum usu consumptibilium non potest a proprietate, & dominio separari, divinæ scripturæ repugnat. Confirmatur hoc, quia Apostoli abdicationem omnium rerum voverunt secundum Augustinum 27. *de Civitate Dei*. Ad quorum Exemplum religiosi, qui figuram tenent Apostolorum, ut dicitur 26. *q. 1. C. ex authoritate*, voverunt abdicationem omnium rerum temporalium. Sed si Apostoli non voverunt, nec religiosi vovent abdicationem omnium rerum temporalium quantum ad usum. Ergo Apostoli voverunt, & alii religiosi vovent abdicationem proprietatis, & domini omnium rerum consumptibilium, & non consumptibilium usu. Tertio ostenditur, quod dicta assertio Scripturæ Divinæ repugnat. Nam sicut habetur *Numerorum* 28. & *Levit. ult.* dominium Decimarum, sive de pomis sive de frugibus terræ, quas res usu consumptibiles esse constat, fuit, & est ministrorum Dei. Ergo usus rerum consumptibilium potest a proprietate, & dominio separari, & ejus oppositum Scripturæ Divinæ obviat manifeste. Quarto ostenditur, quod dicta assertio vitam Christi, & Apostolorum ejus impugnat, quia perfectio paupertatis, sicut aliæ perfectiones Consiliorum Evangelicorum fuit in Christo, & Apostolis perfectissime. Et constat quod paupertas Evangelica proprietatem, & dominium rerum usu consumptibilium excludit, quia excludit sollicitudinem, quam requirit proprietas, seu dominium rerum. Sicut plene probant authoritates in appellatione prolixa inductæ. Sed paupertas Evangelica non excludit usum rerum usu consumptibilium. Ergo usus rerum usu consumptibilium potest a proprietate earum, & dominio separari. Quinto ostenditur, quod dicta Doctrina vitæ Apostolorum repugnat. Quia quantum ad abdicationem rerum temporalium fuerunt Apostoli ad dignitatem primi hominis revocati secundum Beatum Remigium, & plene probatur per authoritates & Canones in appellatione prolixa allegatos. Sed si primus homo, & posteri ejus stetissent, habuissent usum rerum usu consumptibilium sine proprietate, & dominio earundem secundum Beatum Clementem. Et pnuitur 12. *q. 1. Dilectissimis*. Ergo dicere quod in rebus usu consumptibilibus non potest usus a proprietate, & dominio separari, est vitam Apostolorum, & Religiosorum Apostolos in abdicatione proprietatis omnium rerum imitantium impugnare. Item *Luc.* 19. dicitur de Domino qui dedit servis suis pecuniam numeratam, quod dixit servo, *Quare non dedisti pecuniam ad mensam, & ego veniens cum usuris exegissem illam*. Ex qua auctoritate patet, quod in dicta pecunia servus usum actualiter habebat, & habere poterat, & Dominus proprietatem ejusdem. Unde cum pecuniam esse de rebus usu consumptibilibus lex prædicta aperte testetur: Sequitur, quod hæc Doctrina Evangelio contradicit. Sesto ostenditur, quod dicta assertio determinationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obviat, & repugnat. Quia in Decretali, quæ incipit *Exiit qui seminat*, per universalem Ecclesiam approbata, & Viennensi Concilio confirmata, diffinitur, quod fratres Minores habent usum facti omnium rerum, quibus utuntur absque omni dominio, & proprietate, de quo usu dicitur sic: *Qui usus non juris, sed facti tantummodo nomen babet; quod facti est, tantum præbet in utendo utentibus, nihil juris*. Sed manifestum est, quod fratres Minores habent usum facti rerum usu consumptibilium. Ergo in rebus usu consumptibilibus potest usus facti a proprietate, & dominio separari. Allegationes, & authoritates pro prædictis in appellatione prolixa perfe-

„ ctis-

„ ctissime continentur. Ista eadem coueinsio scilicet, quod usus facti in rebus usu consumpribilibus potest a proprietate, & dominio separari, declaratur in appellatione eadem per jura canonica, & civilia copiose: & etiam per multa exempla, scilicet, de servo, filiofamilias, religiosis, ouneiis Dominorum, & habente vestem accommodatam, qui habent usum rerum sine proprietate, & dominio earundem.

„ Secundus error in dicta constitutione, *Ad conditorem* contentus describitut in hæc verba. *Rursus nec simplex usus facti, qui non est servitus, nec pro illo competit jus utendi in talibus rebus usu consumptibilibus potest constitui, vel haberi. Cum enim uti re aliqua nihil aliud sit proprie quam fructus rei, seu utilitatem aliam insolidum, vel pro parte eecipere, quæ ex ea, salva eei substantia possunt provenire. Restat, quod re illa uti quis nequeat, ex qua, salva ejus substantia, nulla possit sibi obvenire utilitas, quales eet usu consumptibiles esse constet. Ex quibus patet, quod nec usus, qui est servitus personalis, nec jus utendi, qui non est servitus, sed mere jus personale, nec actus ipse utendi sine jure aliquo possunt in rebus usu consumptibilibus constitui, vel haberi. Cum quodlibet præmissorum exigat, quod ex re ipsa, salva rei substantia, possit habenti jus utendi, seu utenti ex ipsa re utilitas aliqua provenire; quod utique nequit in rebus usu consumptibilibus eeperiei*; & infra: *Licet autem in rebus usu consumptibilibus nec jus utendi, nec ipsum uti possit constitui, vel haberi, ipsis tamen poterit quis abuti. Abuti autem dum tractatur de rebus usu consumptibilibus pro consumptione eei sumitur, quod ei opponitur, quod est uti. Unde quidem præsupponit, quod salva rei substantia maneat. Sed abuti exigit, quod cum actu hujusmodi rei substantia consumatur. Cum abuti nihil aliud sit, quod contra naturam usus uti in hac materia dici possit.* Hæc verba ejus.

„ Ex quibus patet quod dictus D. Joannes erronee dogmatizat, quod nec usus facti, nec actus utendi potest in rebus usu consumptibilibus haberi: Et quod nullus hujusmodi rebus usu consumptibilibus uti potest, quamvis eis possit abuti abusu qui contra naturam usus existit. Quæ quidem Doctrina Sacræ Scripturæ obviat manifeste. Nam *Levit. ult.* dicitur, quod *omnes decimæ terræ sua de frugibus, sive de pomis arborum Domini sunt*. Et numeror. 18. dicitur. *Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum, & necessaria separavi*. Ex quo patet, quod usus in rebus usu consumptibilibus ex Dei statuto habet; Et ubicumque Scriptura Sacra de usu rerum usu consumptibilium loquitur, semper manifestat, quod quis rebus usu consumptibilibus uti potest: Et quod eis proprie, & veraciter uti contingit, sicut patet ad *Timoth. 5. modico utere vino*: Et 2°. *Reg.* 13. *filiæ Regis virgines hujusmodi vestibus utebantur*. Et numeror. 18. *universa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportantur, cedent in usus suos*. Et parum post. *Carnes vero in usum tuum cedent*. Et Judic. 19. *habentes Panem & vinum in meos, & ancillæ tuæ usus*. Et Deutero. 23. in fin. Et Josue 5. ibi. *Nec usi sunt ultra &c.* Et Levitic. 7. *In usus varios*. Et Hester 2°. Et Exod. 23. Item etiam patet per authoritates Sanctorum, scilicet Clementis *XII. q. 1. C. Dilectissimis*. Et Augustin. & ponit. 41. *di. c. quisquis rebus*: hoc etiam probatur plenius per jura canonica, & Civilia in appellatione prolixa: In qua diffuse ostenditur etiam per rationes, & leges, quod usus qui est actus utendi, potest esse rerum usu consumptibilium, & quod eis uti proprie contingit. Item dicere quod sunt aliquæ res usu consumptibiles, & tamen non contingit uti illis contradictionem implicat manifestam, quia si sunt aliquæ res usu consumptibiles, necessario contingit uti rebus illis. Præterea secundum Augustinum *primo de Doctr. Christiana* abusus est illicitus usus, sed secundum Apostolum, qui cum gratiarum actione utitur cibo, non illicite utitur illo: Ergo non abutitur cibo. Unde ex prædicto errore sequi videtur, quod Christus, & Apostoli, & alii Sancti viri quoties actus comedendi, & bibendi, & induendi exercuerunt, toties rebus hujusmodi sunt abusi. Et quoties fideles Christiani sumunt Sacramentum Corporis, & Sanguinis Jesu Christi sub speciebus panis, & vini, quas fore de rebus usu consumptibilibus manifestum existit, toties illis speciebus accidentium abutuntur. Quod dicere, vel sentire est impium, & blasphemum. Nec valet dicere, quod abuti sumitur pro consumptione rei. Tum quia quod sic debeat accipi nulla ratione, nec auctoritate probatur. Tum quia abuti re univoce semper accipitur in mala significatione. Sicut patet *Genesis* 34. *& ex. ult. & 1. ad Corinth. IX. C.* & in aliis pluribus locis. Item illa diffinitio quam dat de uti, non est vera diffinitio ejus, nec est consona diffinitionibus Sanctorum, quas dant de uti. Præterea quibus non contingit uti, nec abuti contingit, quia cum uti, & abuti sint contraria, nata sunt fieri circa idem. Si ergo non contingit uti rebus usu consumptibilibus, non contingit eis abuti. Insuper dicta ratio obviat determinationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dicenti in sæpedicta decretali *Exiit* sic. *In his quæ ad victum, vestitum, quas res usu consumptibiles esse constat, & divinum Cultum, & sapientiale studium necessarium usum rerum fratribus esse concessum*.

„ Ex quibus verbis colligitur expresse quod contingit uti rebus pertinentibus ad victum, & vestitum. Rationes, & auctoritates prædicta plene probantes in appellatione prolixa plenius continentur.

Tertius error contentus in dicta constitutione *Ad Conditorem*, describitur in hæc verba: *Præterea si simplex usus facti absque jure utendi haberi possit ab aliquo; constat, quod non justus esset actus utendi reputandus, cum ille usus fuerit, cui jus non competebat utendi. Talis autem usus non justus ad perfectionis statum nequaquam pertinet, nec perfectioni aliquid adicit, sed sibi repugnare potius ac detrahere manifeste noscitur*. Et infra loquens de usu concesso fratribus secundum quod in ordinatione Decretalis *Exiit* continetur, dicit sic: *Ex quo sequitur, quod usus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui justus sit, idest pro quo competat jus utendi*, hæc verba ejus. Quæ quidem dicta ipse intelligit de jure Civili, & mundano, quod est jus proprium, pro quo competit actio in Iudicio. Sicut patet in dicta constitutione *Ad conditorem*, & in tertia, quæ incipit, *quia quorundam*, de qua dicitur inferius, manifestat aperte, sed hoc obviat scripturæ Sacræ; quæ *Math.* 19. loquens de Apostolis, & eorum perfectione dicit sic: *Ecce nos reliquimus omnia &c.* Ex qua secundum Doctores Catholicos patet, quod reliquerunt jus agendi in Iudicio, quod non stat cum tali perfectione superogationis, quia implicat ad peccatum. Sicut probat Apostolus *primo ad Corinth. 6. C.* dicens: *jam quidem omnino delictum est in vobis, quia Iudicia habetis inter vos*: Et ideo Christus iniungit perfectis, ut non litigent, neque contendant in judicio. *Matth. 5. & Luc.* 6. Præterea nullus de multitudine credentium habebat usum rerum usu consumptibilium, & non habebat jus Civile & mundanum: Ergo dicere quod non possit haberi usus facti absque tali jure utendi contradicit Scripturæ Sacræ. Præterea etiam talis assertio diffinitioni Sacræ Romanæ Ecclesiæ positæ in dicta Decretali *Exiit*, dicit, quod in rebus usu consumptibilibus obviat manifeste. Quod patet ex pluribus. Primo ex eo quod dicta Decretalis *Exiit*, dicit quod in rebus temporalibus est considerare proprietatem, possessionem, usumfructum, jus utendi, & simplicem facti usum: & ultimo tanquam necessario egeat. Licet duobus primis

carere possit vita mortalium; nulla prorsus potest esse professio, quæ a se usum necessariæ sustentationis excludat. Ex quibus verbis clare patet, quod vita mortalium potest licite carere proprietate, possessione, usufructu, jure utendi, & contente esse simplici usu facti rerum temporalium necessariarum ad vitam; & ita potest haberi simplex usus facti absque jure utendi secundum Ecclesiæ determinationem: secundo, ex eo quod in eadem Ecclesiæ diffinitione insinuatur, quod nec per hoc quod proprietatem usus, & rei cujuslibet dominium abdicasse videtur, simplici usui renunciasse esse convincitur. Ex quibus verbis clare patet, quod dicta professio fratrum Minorum jus proprium abdicavit, & per consequens jus utendi civile, quod est proprium jus. Et sic habent simplicem usum facti absque tali jure utendi. Tertio ex eo quod in eadem decretali dicitur sic: *Qui inquam usus non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum in utendo præbet utentibus nihil juris.* Ex quibus verbis patet quod licet habere usum licitum absque jure utendi. Item usus facti licitus fuisset in statu Innocentiæ, in quo non fuisset jus utendi per leges Civiles introductus: Ergo usus facti licitus potest a tali jure utendi Civili de quo iste loquitur separari: Nec sequitur ex hoc quod usus separari potest a jure utendi, quod ille usus esset injustus. Quia aliud est jus utendi, & aliud habere licentiam utendi, & ideo quamvis usus absque omni jure, & licentia utendi esset illicitus; usus tamen absque jure utendi, cum licentia tamen utendi non est illicitus. Et prædicta omnia per jura, & rationes in appellatione prolixa contenta plene probantur. Ex prædictis patet, quod ipse errat, cum dicit, quod ordinatio D. Nicolai III. debet intelligi de usu, pro quo competat jus utendi. Quia non debet intelligi de usu, pro quo competit jus utendi, sed de usu pro quo competat licentia utendi.

„ Quartus error exprimitur in his verbis. *Præterea quod simplex usus, idest sine jure utendi a proprietate, seu dominio separatus in re usu consumptibili haberi nequeat, sic probatur. Si enim haberi possit talis usus, aut ante actum ipsum, aut in ipso actu, aut post completum actum hujusmodi habetur. Quod autem hoc fieri nequeat ex hoc patet. Quia quod non est, nequaquam haberi potest: Patet autem quod actus ipse antequam exerceatur, aut etiam dum exercetur, aut postquam perfectus est, in rerum natura non est. Ex quo sequitur quod haberi minime potest, licet enim ante actum ipsum quis facultatem habeat exercendi ipsum, per hoc tamen actus ipse in rerum natura, nisi in rerum potentia non existit. Cum autem actus ipse est in fieri, nec adhuc est in rerum natura; cum esse rem perfectam significet, quod quantum est in fieri, nec adhuc est in rerum natura. Quod enim de actu, qui est in fieri poterit, jam non est. Quod autem sic instantaneum & momentaneum est, & tale, quod magis intellectu percipitur, quam sensu: adhuc post completum actum licet ex ipso facto producta res aliqua fuerit, res ipsa haberi valeat, factum tamen ipsum, quod jam transiit non habetur:* hæc verba ejus. In quibus includitur dictum, & ratio dicti; dictum, scilicet quod simplex usus idest sine jure utendi a proprietate, seu dominio separatus in re usu consumptibili haberi non potest. Quod constat esse hæreticum per rationes contra primum, & tertium errores introductas. Ratio autem dicti destruit gesta Christi, & Apostolorum, quæ Scriptura sacra eos fecisse testatur, & etiam gesta fidelium. Quia si ratio ista concluderet, sequeretur, quod Christus nec comedit, nec bibit, nec prædicavit, nec pedes Discipulorum lavit. Quia per eandem rationem, si aliqua istorum fecit, aut ante actum, aut post ipsum actum, aut in ipso actu secundum dictam divisionem. Non ante actum, quia ante actum nullum istorum fuit actu, quia ante actum comedendi, bibendi, prædicandi, ambulandi, & orandi actus ipsi in rerum natura, nisi in potentia non existebant: unde ante actum bibendi, comedendi &c. non comedit, nec bibit &c. Nec post actum, quia post actum nullum istorum exercuit. Nec in ipso actu, quia pars istorum, quæ præterierat jam non erat, pars quæ futura erat nondum erat. Illud autem quod erat in instanti non erat aliquid ipsorum actu, sed potentia, quod magis percipitur intellectu, quam sensu. Quia comedere, & bibere &c. non solum in instanti, sed in tempore; similiter omnia gesta Christi non fuerunt in instanti, sed in tempore: Ergo si dicta ratio concludit, sequitur, quod Christus nihil gessit corporaliter in hoc mundo de his quæ Sacra Scriptura eum gessisse testatur. Et eodem modo sequitur de omnibus Apostolis, & aliis Sanctis fidelibus. Quod dicere vel sentire est hæreticum, & insanum. Unde ad talem sophisticam rationem non oportet aliter respondere, nisi sicut respondetur 4. *Physic.* ad sophisticas rationes probantes non esse tempus, nec motum quia hæc sophistica ratio eadem est cum illis. Præterea per istam rationem eodem modo sequeretur quod usus rerum usu consumptibilium non potest esse conjunctus cum proprietate, & dominio, sicut quod non potest separari. Nam si potest esse conjunctus cum proprietate, & dominio; Ergo talis actus utendi potest haberi, quod non possibile secundum istam rationem, quia nec ante actum, nec in ipso actu, nec post ipsum actum. Præterea si ista ratio concluderet, æque concluderet de rebus usu non consumptibilibus, quod non contingeret eis uti. Quia nec ante actum, nec in ipso actu, nec post actum completum. Et prædicta inconvenientia quæ sequuntur ex ipso errore cum rationibus, & allegationibus in appellatione prolixa plenius explicantur. Ex prædictis etiam, & aliis contra primam hæresim & tertiam annotatis, patet hæreticum esse quod post prædicta subjungit dicens: *Præterea si in rebus usu consumptibilibus possit usus constitui, vel haberi, nequaquam simplex, nec a rei proprietate, seu Dominio possit dici separatus, cum per talem usum idest, utendi actum, & in ipso actu, & cum ipso actu res hujusmodi consumatur, ac in ipsius rei exerceatur substantia, nec sine ipsius rei consumptione esse valeat talis usus. Ex quo patet quod usus talis nec simplex nec separatus a Dominio potest dici:* hæc verba ipsius. Quæ, ut supra dictum est, Sacræ Scripturæ repugnant, & determinationi Ecclesiæ, per quam patet, quod Fratres minores habent usum rerum usu consumptibilium, & non consumptibilium usu absque dominio, & proprietate, & in ratione sua falsum assumit, cum dicit, quod per talem usum idest actum utendi, & in ipso actu, & cum ipso actu res hujusmodi consumatur, intelligendo quod statim ultimate consumatur in ipso actu, & cum ipso actu. Quia manifestum est, quod vestes non statim in primo actu utendi ultimate consumantur. Sic etiam panis non statim in principio actus immediate consumitur omnino. Et sicut non est inconveniens, quod Dominus habeat dominium servi actu comedentis: Ita non est inconveniens, quod habeat dominium cibi vel panis existentis in ore comedentis servi.

„ Quintus error sumitur ex verbis ipsius Constitutionis, *Ad Conditorem*, cum volens probare, quod reservatio dominii per Ecclesiam facta de rebus, in quibus Fratres minores habent simplicem facti usum, non profuit, sed obfuit ipsis fratribus, dicit in hæc verba: *Ipsis quidem fratribus quantum ad statum perfectionis nequaquam profuit reservatio supradicta dominii quantum ad hoc, quod*

pro-

*propter carentiam talis dominii verbalis, nudi, & ænigmatici se pauperiores dicere valeant, quam si res illas cum illo, quo se dicunt carere dominio possiderent.* Et infra. *Talis enim dominii carentia re in præsenti, ac spe in futurum denudati omni temporali commodo pauperiorem non efficit non habentem.* Et infra. *Nolentes inposterum sub prætextu seu pallio talis dominii verbalis, nudi, ac ænigmatici fomentum tantis malis, quanta procedunt ex simulatione hujusmodi ministrare, sanctius &c.* hæc verba ipsius. Ex quibus clare patet, quod ipse hæreticus dogmatizat, quod carentia dominii omni temporali commodo denudati ad statum perfectionis non pertinet, nec pauperiorem non efficit non habentem. Et quod tale dominium omni temporali commodo denudatum verbale, ænigmaticum, & simulatum existit. Qui error Sacræ Scripturæ contradicit, & veritati Evangelicæ & Apostolicæ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obviat & repugnat. Nam ut ex Scriptura divina superius est ostensum, Apostoli, & eos sequentes viri perfecti ex consilio Christi proprietatem & dominium rerum omnium temporalium reliquerunt, usu rerum necessariarum ad humanæ vitæ sustentationem, cui non est licitum renunciare, contenti. Constat autem, quod dominium, quod Apostoli in rebus omnibus temporalibus, quarum usum habebant ex Christi consilio reliquerunt, fuit omni temporali commodo, usu scilicet utili denudatum. Sicut manifeste patet in rebus, quorum proprietatem & dominium usu retento prout Evangelica testatur historia, reliquerunt. Cum in consilio Christi dato de rebus temporalibus abdicandis, abdicatio, proprietas & dominium earum, & non usus, ut superius ostenditur, includatur. Si ergo carentia talis dominii ad perfectionem non pertinet, nec pauperiorem non efficit non habentem, ut dictus hæreticus dogmatizat: Sequitur, quod Christus simulatam, & fallacem Doctrinam tribuit volentibus ad perfectionem attingere, quod omnia temporalia, quo ad proprietatem, & dominium relinquerent consulendo. Et quod Augustinus & Hieronymus Doctores Ecclesiæ, & alii Sancti Patres religionum Institutores erraverunt, qui dictum Christi consilium sequi volentes; abdicationem proprietatis, & dominii rerum omnium temporalium sunt professi. Præterea scriptura Sacra *Levit.* ult. dicit. *Omnes Decimæ Terræ sive de frugibus, sive de Pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur:* Et *Numerorum* 18. loquens de perfectione Levitarum dicit. *Nihil aliud possidebant, Decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum, & necessaria separavi.* In *usus*, inquit, & non in *dominium*. Ex qua scriptura patet, quod dominium omnium decimarum sive de Pomis arborum, sive de frugibus terræ, quas res de usu consumptibilibus esse constat, est Dei, & usus ministrorum ipsius. Et liquet, quod tale dominium Dei est omni temporali commodo denudatum. Ergo secundum dictam Doctrinam hæreticalem, hujusmodi dominium Dei verbale, simulatum ænigmaticum est censendum. Quod dicere vel sentire est hæreticum, & insanum. Præterea Ecclesia Romana in Sacris Canonibus docet, quod dominium rerum Ecclesiæ est Dei, sive Corporis ejus mystici, quod est Ecclesia: Et usus & dispensatio earum est Prælatorum Ecclesiæ. Et Augustinus in libro de facultatibus Ecclesiæ dicit, quod Dei sunt ea, quæ Ecclesiæ conferuntur. Et quod ipsæ res sive sint vestes, sive alia vasa, sunt ad usum ministrorum ejus. Romani etiam Pontifices, qui hactenus fuerunt, in rebus temporalibus usu consumptibilibus & non consumptibilibus, quæ Fratribus Minoribus offeruntur, dantur, vel conceduntur, dominium Ecclesiæ servaverunt, & retinuerunt, usu tantummodo simplicis facti ipsis fratribus relicto, diffinientes, quod carentia talis Dominii est meritoria, sancta, & perfecta: Et quod Christus, & Apostoli viam perfectionis ostendentes abdicationem hujusmodi dominii docuerunt: & quod retentio, sive reservatio talis dominii omni temporali commodo denudata cum concessione usus facta pauperibus non est infructuosa domino, cum sit meritoria ad æterna, & professioni pauperum opportuna, quæ tanto censetur utilior, quanto mutat temporalia pro æternis. Sicut clare patet in diffinitione, & determinatione Ecclesiæ in Decretali *Exiit* in Lib. 6°. sub tit. *de verbo. signific.* inserta, & ab universali Ecclesia recepta: Et etiam per generale Viennense Concilium sunt hæc edita, ut in lib. 7. in decretali quæ incipit *Exivi de Paradiso* plenius continetur. Ex prædicto igitur errore sequitur, quod Ecclesia Catholica in prædictis erravit, ac per consequens in articulum fidei: *Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*, sub quo continetur quod Ecclesia Catholica errare non potest in fide vel moribus, error prædictus vehementer impingit. Unde dicta doctrina est merito hæretica judicanda, tum quia Scripturæ Sacræ, per quam fidei Catholicæ probantur articuli, contradicit. Tum quia errorem Ecclesiæ Catholicæ imponit, & ejus doctrinæ, & diffinitionibus manifeste obviat, & impugnat.

„ Sextus error sumitur in dicto statuto *Cum inter nonnullos*; ex eo quod ipse pronunciat, & declarat hæreticum fore censendum affirmare deinceps Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque Apostolos non habuisse aliqua in speciali, nec in communi. Insuper hæreticum fore censendum affirmare Christo, & Apostolis ejus in his, quæ eos habuisse Sacra Scriptura testatur non competiisse jus utendi, nec illa vendendi, seu donandi jus habuisse, aut ex ipsis alia acquirendi. Quæ quidem dicta de habere, & competere jure proprietatis, & dominii civilis & mundani, per quod contenditur, & in judicio litigatur se intellexisse ex pluribus manifestat. Tum quia in statuto: *Quia quorundam* improbat expresse sententiam asserentium quod abdicatio juris in cujuscumque rei proprietate, & in ejus usu per quod potest sic utens pro hujusmodi usu quomodolibet contendere, & in judicio litigare est meritoria, & sancta, & a Christo in se servata, Apostolisque imposita, & ab ipsis sub voto assumpta. Et pertinaciter asserit in eodem, quod nec Christus hujusmodi expropriationem omnis juris in cujuscumque rei proprietate, & in ejus usu servavit in se ipso, nec etiam Apostolis imposuit, nec sub voto ab eis recepta fuit, adjiciens, quod Evangelica, seu Apostolica historia expropriationem hujusmodi non docet, sed, ut asserit, contrarium evidentius manifestat. Tum etiam quia in hoc Statuto *Cum inter*, includit evidenter, quod Christus, & Apostoli in his rebus, quæ eos habuisse Sacra Scriptura testatur jus vendendi, donandi, & alia ex ipsis acquirendi habuerunt. Quod jus a jure humano fuisse introductum manifestum existit. Tum quia in dicto statuto *ad Conditorem* asserit, & dogmatizat expresse, quod in rebus usu consumptibilibus usus juris, vel facti non potest a proprietate, seu dominio separari, nec absque proprietate, & dominio constitui vel haberi. Quod jus testante canone, a jure civili & mundano extitit introductum. Unde cum Scriptura sacra quemlibet eorum habuisse alimenta, & vestimenta testetur, sive supponatur expresse. Sequitur secundum eum, quod Christus & Apostoli non solum in communi, sed etiam in speciali habuerint proprietatem, & dominium Civile, & Mundanum in rebus quas eos habuisse Sacra Scriptura testatur. Tum quia in pluribus aliis dictis de tali Jure habendi se intellexisse apertissime declaravit. Tum quia non revocabitur in dubium, nec unquam fuit dubitatum utrum Christus, & Apostoli habuerint res temporales in usu, sive quantum ad usum, sed solum-

modo utrum habuerint quantum ad proprietatem. Tum quia ad hoc, quod quilibet dicere possit libere, quod habuerint quantum ad proprietatem pendente quæstione revocavit sententiam excommunicationis prolatam in Decretali *Exiit* contra asserentes oppositum ejus, quod diffinitur in ea. Et de ipsa revocatione Statutum edidit generale, quod incipit: *Quia nonnunquam*. Ex quibus ipsum in duas hæreses incidisse deprehenditur evidenter. Prima est, quia intelligit, quod Christus & Apostoli non solum in Communi, sed etiam in speciali proprietatem, & dominium rerum temporalium habuerunt. Quod dictam omnem religionem, quæ volens doctrinam, & vitam Apostolicam sequi vovet vivere sine proprio, & testante Canone, in hoc figuram tenet Apostolorum, destruit, & confundit: Et omnes Religiosos facit proprietarios etiam in speciali, & sui voti transgressores, & doctrinæ evangelicæ, & Apostolicæ & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & omnium Doctorum Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum institutorum Religionum obviat manifeste. Secunda est quia ipsa determinationem, & diffinitionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in prællegata Decretali *Exiit* positam, & insertam, & per prædictum generale Viennense Concilium totius Ecclesiæ approbatam, deinceps hæreticam censendam judicavit. In qua Decretali ipsa Sancta Romana Ecclesia diffinit in hæc verba. *Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam in communi propter Deum meritoria est, & Sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit: quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserant in volentes perfecte vivere per doctrinæ, ac vitæ ipsorum alveos derivarunt*; hæc ibi. Unde cum, testante Canone, Ecclesia e recta fide, & Apostolicæ doctrinæ traditione deviare non valeat, nec errare. Et hoc, ut dictum est, ad articulum fidei, *Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam* reducatur. Sequitur, quod ipse hæreticus impingit in ipsum articulum fidei vehementer. Nec prædictæ diffinitioni Ecclesiæ Evangelica, seu Apostolica historiæ contradicit, ut asserit hæreticus antedictus, sed potius consonat, & alludit. Nam cum B. Petrus simpliciter & absolute pro se, & omnibus Apostolis viam perfectionis assumptæ demonstrans tradiderit pro omnibus *Ecce nos reliquimus omnia*, prout Evangelica historia protestatur. Et simpliciter & absolute dictum, sit generaliter accipiendum, cum ex aliis præcedentibus, vel subsequentibus quod aliter accipi debeat nullatenus reperiatur. Et utramque proprietatem, seu singularem, & Collegialem Collegii specialis, quam alteram tantum relinquere perfectius censeatur. Sequitur quod integra, & perfecte de utroque modo relinquendi scilicet tam in speciali, quam in communi, qui perfectior est, debet intelligi authoritas supradicte. Nec his obviare dignoscitur quod in actibus Apostolorum dicitur, quod erant illis omnia communia; quia sicut ibidem patet, loquitur de communitate generali, & universali Credentium, & non de speciali communitate sive Collegio Apostolorum. Nec enim Communitatis Apostolorum illa erant communia, sed generalis, & universalis credentium. Quod etiam evidenter probat prædictum *C. Clementis XII. q. 1. C. dilectissimis*, cum dicit: *Communis vita omnibus est necessaria, maxime his qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum eorumque discipulorum imitari volunt. Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo omnibus hominibus esse debuit, sed alius per iniquitatem dixit hoc esse suum, & alius istud. Et sic inter mortales facta est divisio. Et sicut non potest dividi aer, vel splendor solis, ita nec reliqua, quæ data sunt hominibus ad habendum dividi debere, sed habenda omnia communia.* Istius consuetudinis more retento Apostoli, eorumque Discipuli, ut prædictum est, una nobiscum, & vobiscum communem vitam duxerunt. Ex quo liquet quod illa, quæ in actibus Apostolorum leguntur fuisse communia, erant communitatis generalis & universalis Credentium sive fidelium, & non specialis communitatis, sive Collegii Apostolorum. Si enim Apostoli qui in dicta multitudine credentium sicut nobilior pars comprehendebantur ipsius multitudinis, habuissent aliqua ipsorum Collegio speciali appropriata, constat quod illa toti credentium multitudini communia non fuissent. Quia quod est partis, totius non existit. Et cum in illa multitudine nullus haberet proprium: Sequitur quod Apostoli qui erant de ipsa multitudine sicut pars eorum aliquid proprium in singulari, vel in ipsorum Apostolorum speciali Collegio non habebant. Nec excusat dictum hæreticum, quia ipse in dicto Statuto *Quia quorundam* dicit Christum etiam quo ad proprietatem loculos habuisse infirmis condescendendo. Quia ut dicit. Si Christus in loculis habuisset tantummodo simplicem facti usum, frustra diceretur, quod in Persona infirmorum ipse Christus loculos habuisset. Quia non est verum quod Christus condescenderit Infirmis in eo quod per iniquitatem extitit introductum. Scilicet appropriando sibi aliquas res temporales, ex quo divisiones inter homines natæ sunt, & in Judicio litigatur, & quod implicat ad peccatum. Cum ipse Christus ut legitur in Ioanne de se loquens, ait. *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*: Quod exponens Glos. or. dicit. *Noluit Dominus habere quod perderet, pauper venit, ne haberet Diabolus quod auferret*. Sed si Christus habuisset loculos, scilicet quo ad proprietatem, princeps hujus sæculi, qui fuit principium omnis iniquitatis, habuisset in eo quod auferret, & ipsa quod perdere potuisset. Unde non condescendit infirmis in habendo proprietatem, sed quo ad actum provisionis in futurum, sicut faciunt infirmi, qui res temporales sollicite congregant, timentes eis ne deficiant in futurum. Et quod Christus in loculis proprietatem non habuerit, probat Augustinus, & etiam Hieronymus Ecclesiæ Sanctæ Doctores super illud *Matth.* 17. *Reges Terræ a quibus accipiunt tributum*, sic inquiens: *Tantæ paupertatis fuit Dominus, ut unde tributa solveret non haberet. Judas communia habebat in loculis, sed res pauperum in suum usum expendere nephas duxit*. Ex quo patet, quod loculos, quoad propriatatem non habuit, sed quoad dispensationem. Quod etiam insinuat Augustinus, cujus dictum insertum est in Decretis in dicta *Causa XII.* sic dicens; *habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservans, & suis necessitatibus, & aliis indigentiis tribuebat, tunc primum Ecclesiasticæ pecuniæ forma instituta est*. Constat autem secundum Doctrinam Ecclesiæ in Sacris Canonibus traditam, quod Papa qui vicem Christi gerit in terris, & Episcopi qui in locum succedunt Apostolorum in pecuniis Ecclesiasticis, quæ formam loculorum gerunt proprietatem non habent, sed dispensationem. Nam ut idem Augustinus testatur, & ponitur 23. *q.* 7. *C. quod autem*: *illæ res nostræ non sunt, sed pauperum, quorum procurationem gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus*. Præterea dato sine præjudicio, quod Christus condescendendo infirmis proprietatem in loculis habuisset, per hoc a sua determinatione hæretica non posset aliqualiter excusari. Nam cum pronunciaverit propositionem, sive assertionem, quæ realiter continet veritatem Catholicam in dicta Decretali *Exiit*, diffinitam, videlicet asserere Christum, & Apostolos non habuisse aliquid in communi, vel jure proprietatis in speciali, hæreticam fore censendam,

„ hæ-

„ hæreticus est censendus. Esto quod in casu excepto a regula scilicet, infirmis condescendendo Christus, & Apostoli in loculis proprietatem habuissent, cum exceptio non annullet regulam, sed eam potius, præterquam in casu excepto, confirmet, quam ipse velut hæreticam reprobat, & condemnat. Ex quo etiam facto se ipsum condemnat, cum alias dudum antequam hoc statutam hæreticum edidisset, orta materia quæstionis coram eo inter Fratres dicti Ordinis super quibusdam verbis in dictis Decretalibus *Exiit*, *& Exivi de Paradiso* contentis, ipse pronunciaverit easdem Decretales salubriter editas, lucidas, multaque maturitate digestas, prout in Constitutione per ipsum edita, quæ incipit, *Quorundam exigit* deprehenditur evidenter. Et prædicta diffuse per authoritates Scripturæ Sacræ, & Canones in appellatione prolixa probantur, & ostenduntur.

„ Septimus error contentus in dicta Const. *Quia quorundam* est, quia revocat in dubium, sive negat, quod Christus præcepit discipulis ne portarent pecuniam, quum eos misit ad prædicandum, asserens, quod Apostoli post reditum a prædicatione pecuniam portaverunt, & quod hæc Evangelica veritas, & Apostolica dicta testantur. Qui error Sacræ Scripturæ & Sanctorum Doctorum Ecclesiæ sententiis obviat manifeste, sicut patet *Matth. X.* ibi: *hos duodecim misit, præcipiens eis, & dicens. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris. Et Matth. 6.* ibi: *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, neque peram, neque pecuniam.* Et Doctores Ecclesiæ asserunt, quod Apostoli ex præcepto hujusmodi constricti, etiam post reditum a prædicatione pecuniam non portaverunt. Unde Augustinus in *li. de mirabili. Sacræ Scripturæ* dicit sic: *In excusatione Eleemosinæ, & paupertatis professione, Petrus Paralitico dixit; Surge & ambula; illud magistri præceptum servans. Nolite possidere aurum, neque argentum*: hæc Augustinus, & Ambrosius super illod: *Nihil tuleritis in via*, dicit sic: *Petrus Apostolus Dominicæ executor sententiæ, ostendens non in vacuum effusa Domini præcepta, cum posceretur a paupere, ut ei aliquid pecuniæ elargiretur ait: Aurum, & argentum non habeo. Et tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum, & argentum non habeat, quam quod servet Domini mandatum, qui præcepit. Nolite possidere aurum &c.* hæc Ambrosius. Et Glos. or. super illud *Act. 3. aurum, & argentum non est mihi* dicit sic: *Memor illius præcepti. Nolite possidere aurum &c. Et pecuniam quæ ad pedes Apostolorum ponebatur, sibi recondebant minime, sed ad usus pauperum, qui sua patrimonia reliquerant reservabant:* hæc Glos. Et super illud *Act. 4. Joseph agrum vendidit, & pretium posuit ante pedes Apostolorum.* Glos. or. dicit sic: *Destituendum probat, quod tangere devitat: & docet esse calcandum aurum, quod subdit pedibus Apostolorum.* hæc ibi. Ex quibus authoritatibus clare patet quod Petrus Apostolus non solum post reditum a prædicatione, ad quam Christus Apostolos misit, sed etiam post reversionem, tunc quando non ibat ad prædicandum actu, sed ad orationem Templi, sicut *Act. 3.* dicitur *ascendebat*, ex dicto præcepto Christi astrictus pecuniam non portabat. Et per consequens non solum quando ibant ad prædicandum, sed simpliciter, & absolute ne pecuniam portarent, fuit Apostolis sub præcepti districtione prohibitum. Et Chrysostomus super illud Joannis. *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus, eme quæ necessaria sunt,* dicit sic: *nimirum quia nullus Apostolorum pecunias deferebat, sed per hoc, quod hic dicit, occulte insinuat quod quædam mulieres eum de suis facultatibus nutriebant. Qui autem non peram, non æs, jubet deferre, loculos habebat ad inopum ministerium, ut discas quia valde pauperem, & mundo crucifixum hujusmodi oportet partis multam facere procurationem. Multa enim ad nostram Doctrinam dispensans agebat:* hæc Chrysostomus. Hoc etiam asserunt, & probant Doctores Ecclesiæ: sicut ex ipsorum authoritatibus habetur in prolixa appellatione, quæ hic brevitatis gratia omittuntur.

„ Octavus error in dicta Constitutione, *Quia quorundam* contentus, est; quia idem hæreticus de Clavibus Ecclesiæ male sentit, & in dubium revocat, sive negat Clavem Scientiæ Ecclesiæ Catholicæ fore Clavem, maxime cum recitet super hoc opiniones contrarias & diversas, nec affirmet, & asserat in Ecclesia esse Clavem Scientiæ, imo ad partem quod non sit in Ecclesia Clavis Scientiæ declinare videtur cum dicitur, *quod Salvator in traditione Clavium facta B. Petro hoc sensisse videtur expresse, cum immediate post illam promissionem subjunxerit: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis &c. nulla de scientia habita mentione:* hæc verba ipsius quæ Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Doctorum sententiis, & Doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ contradicunt. Quod evidenter patet *Luc. XI.* ubi Salvator dicit. *Væ vobis legis peritis, qui tulistis Clavem Scientiæ; ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.* Et Rabanus exponens illud Evangelii. *Et tibi dabo Claves Regni Cælorum* dicit sic: *Claves autem Regni Cælorum ipsam discretionem, & potentiam nominat, potentiam quæ liget, vel solvat, discretionem, quæ dignos, vel indignos discernat.* Hæc Rabanus. Et *in Decret.* 20. *di.* dicitur sic: *In negociis diffiniendis non solum est necessaria Scientia, sed etiam potestas. Unde Christus dicturus Petro: Quodcumque ligaveris &c. prius dedit sibi Claves Regni Cælorum, in altera dans sibi scientiam discernendi inter lepram, & lepram. In altera dans sibi potestatem aliquos eiiciendi ab Ecclesia, vel recipiendi*: hæc ibi. Ex quibus clare patet, quod Clavis Scientiæ est una Clavis distincta a Clavi potentiæ. Et quod contradicitur Scripturæ Divinæ, & Doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ obviat manifeste, & de hac materia in appellatione prolixa plenius continetur.

„ Nonus error est, quia ipse in dicto Statuto, *Quia quorumdam*, etiam dogmatizat, quod Summus Pontifex in his, quæ ad fidem, & mores pertinent, potest suorum Prædecessorum diffinitiones, & dicta revocare, & ejus contrarium statuere, quod decernitur in eisdem. Qui error expresse Doctrinæ Sanctorum Patrum, & Sacrorum Canonum, & fidei Catholicæ obviat, & repugnat. Sicut patet per ea quæ legimus in *Decretis 25. q. 1. C. Contra Statuta & C. si ea destruerem*, & in pluribus aliis *C. hoc poterit reperiri & 15. dict. C. sicut sancti, & extra de Sta. Mona. C. cum ad Monasterium* in 6. Ex quo errore totius fidei, & authoritatis Ecclesiæ destructio sequeretur. Quia sequeretur, quod quivis Romanus Pontifex possit revocare, & destruere omnia in fide & moribus a suis prædecessoribus diffinita; Et sic tota auctoritas Ecclesiæ vacillaret, & in fide, & moribus foret instabilis, & infirma. Unde dicta Doctrina est hæretica judicanda: Quia in articulum fidei; *Et in unam Sanctam Ecclesiam Catholicam, &c.* evidenter impingit. Et si in Decretali *Exiit* in Doctrina, & vita Christi & Apostolorum, & in approbatione status, & regulæ fratrum Minorum, & in Concilio Viennensi, quod ipsam Decretalem approbavit, concederetur erratum, sequeretur quod tota Ecclesia erravit in fide, male de Doctrina, & vita Christi, & Apostolorum ejus diffiniendo, & in moribus statum, qui secundum opinionem præfati hæretici est illicitus, & simulatus ac fundatus in Doctrina Evangelicæ veritati contraria, approbando: Et B. Franciscum, & alios sanctos de Ordine fratrum Minorum,

„ qui

„ qui in hujusmodi vitæ, & Doctrinæ professione finierunt dies suos tamquam sanctos approbando, & Sanctorum Cathalogo solemniter ascribendo. In plures quoque alios errores, & hæreses incidit præfatus D. Joannes qui in appellatione prolixa plenius, & clarius explicantur, & allegationibus, & rationibus divini, & humani juris efficacissime convincuntur, quæ hic brevitatis gratia dimittuntur.

„ Attendens igitur Ego præfatus Frater Michael dicti Ordinis generalis Minister, quod adeo notorium, & manifestum existit, quod dictus D. Joannes dictas tres Constitutiones hæreticales edidit, & per universum Orbem publice destinavit, & eas etiam in studiis generalibus legi, & doceri mandavit, quod nulla potest tergiversatione negari. Et quod licet Frater Bonagratia de Pergamo dicti Ordinis Procurator, & procuratorio nomine pro me, & dicto Ordine primo appellaverit ad Sanctam Romanam Ecclesiam contra hæreses dogmatizatas in dicta Constitutione, *Ad Conditorem*; Et subsequenter Serenissimus Dominus Ludovicus Romanorum Rex appellaverit legitime, & solemniter ab hæresibus contentis, & dogmatizatis in dictis Constitutionibus, *Cum inter*, & *Ad Conditorem*; tamen dictus D. Joannes noluit corrigi, nec permisit, quod Concilium generale congregaretur super prædictis, sicut prædictus D. Rex in sua appellatione requisivit instanter. Sed elegit, & voluit penitus in dictis suis hæresibus, & erroribus permanere: Et eos quantum potuit nisus est, & nititur pertinaciter defendere. Et quod ipse etiam post, & contra dictas appellationes ad defensionem hæresum in dictis duabus Constitutionibus *Ad conditorem*, & *Cum inter*, contentarum fecit dictam hæreticalem constitutionem, quæ incipit: *Quia quorundam*, & eam publice promulgavit, & eam per diversa mundi climata destinavit. In qua dictas hæreses repetit, & plures alias hæreses, ut prædicitur inserit. Et notorium fit, quod ipse post prædicta omnia multas alias literas per mundum transmisit. In quibus mandavit de facto & ausu temerario dictum Dominum Imperatorem denunciari excommunicatum, & hæreticum; quia ipse D. Ludovicus in dicta sua appellatione veritatem Evangelicam & Apostolicam, quam docuit, & docet Sancta Romana Ecclesia est professus, & ipsius Domini Joannis hæresibus dictæ veritati, & fidei repugnantibus contradicit. Et quod ipse omnes professores dictæ veritatis, & dictis suis erroribus resistentes persecutus est & persequitur quotidie, sicut notorium & manifestum existit. Ex quibus patet dictum Dominum Joannem fuisse, & esse pertinacem & notorium & manifestum hæreticum. Et quod secundum jura, & Canonicas sanctiones, ex quo Papa in hæresim lapsus est, ipso jure, & facto, est omni dignitate Ecclesiastica, potestate, authoritate, & Iurisdictione, privatus, damnatus, & excommunicatus per sententiam sacri Concilii Catholicæ Ecclesiæ positi *Extra de hæreti. C. Excommunicamus*, excommunicantis, & damnantis omnem hæresim, & omnes hæreticos, ac credentes, defensores, & fautores hæreticæ pravitatis. Et quod in Decretis 24. *q.* 1. habetur & notatur, quod eo ipso quod Papa in hæresim damnatam labitur, in ipsa damnatione se ipsum involvit: Et in hoc casu Papa Canonem latæ sententiæ incidit ipso jure. Nec obviat illa regula, par parem non potest solvere, vel ligare, quia Papa hæreticus minor est quocumque Catholico. Et quia hodie omnis hæresis est damnata per ipsum Concilium generale universalis Ecclesiæ adeo ut in dicta causa notatur hodie indistincte, sive quis veterem, & damnatam hæresim sequatur, sive novam hæresim confingat, excommunicatus est, ut etiam plene notatur in summa Domini *Hosti. de hæreti. C. qualiter de jure*. Et quod in dicta *Causa* 2. *q.* dicitur sic: *Liquido constat eum qui ab integritate fidei recessit, maledicendi, vel benedicendi potestatem minime habere. Catholicum namque utpote se superiorem maledicere etiam non valet. In alienum a fide tanquam in sibi æqualem sententiam dare non potest*. Et in eadem Causa dicitur sic: *Dicimus omnes hæreticos nihil habere potestatis, nec juris*. Et ex quo aliquis cœperit publice prædicare contra fidem, nec deiicere quemquam valet, nec damnare, quum non potest quemquam deiicere jam prostratus, omnesque Catholici ab ipsius hæretici Communione, & obedientia recedere sunt astricti. Unde legitur in *Decretis XIX. di. Anastasius* Papa II. natione Romanus fuit tempore Theodosii Regis, & eodem tempore multi se ab ejus obedientia abegerunt, eo quod communicasset Photino Diacono, qui communicaverat Acatio. Et quia voluit occulte revocare Acatium, & non potuit, Divino Judicio percussus fuit. Et talis Papa hæreticus non Apostolicus, sed Apostaticus proprie loquendo dici debet. Nec expectari debet, quod accusetur, vel damnetur per hominem, cum jam ut dictum est per sententiam Canonum sit damnatus. Et manifesta, & notoria clamore accusatoris, vel denunciatoris non egent, cum manifestus hæreticus censeatur, qui publice prædicat, vel confitetur aliquid contra fidem *Extra de verb. signif. C. super quibusdam*. Nec valet, quod aliqui juris ignari dicere perhibentur, quod ipsi hæretico est parendum ab omnibus donec in Papatu toleratur. Quia hoc dictum obviat expresse Ecclesiæ Catholicæ, ut patet manifeste per ea, quæ habentur, & notantur in præalleg. *C. Anastasius XIX. di. in Tex. & Glos. &* 16. *q. ult. C. sane in Tex. &* 25. *q.* 1. *quæ ad perpetuam* in Tex. & Glos. Et per illud quod notatur 24. *q.* 1. Circa princip. & in §. *quod autem*, & 2. *q.* 7. *C. Sacerdotes* in Glos. Jura autem quæ loquuntur de non recedendo ab obedientia Prælati, donec per Ecclesiam toleratur, non loquuntur de hæretico manifesto, qui publice aliquid statuit contra fidem sicut hæreticus supradictus. Sed loquuntur de Prælato aliter criminoso, a quo ante tempus sententiæ recedi non debet, ut probatur per id quod legitur & notatur 8. *q.* 4. *C. Nonne*. Et notatur per *Hosti.* in summa *de Cohabit. Cler. & mulier. §. quid sit notorium ℣. ut autem*; Unde Ecclesia nullum hæreticum tolerat, sed omnes excommunicat atque damnat, ut patet *extra de hæreti. C. ad abolendam, & C. excommunicamus*; itaque cum dicat excommunicamus, & anathematizamus. Et notatur in *dicta Causa* 24. *q.* 1, & in allegationibus in appellatione prolixa positis plenius continetur.

Quia vero prædicta brevis appellatio una cum Domini Imperatoris sententia de qua superius, est habita mentio specialis fuerunt appensæ ostiis majoris Ecclesiæ Pisanæ, & ibidem solemniter promulgatæ & præfatæ sententiæ fuerunt aliqua super addita in principio, & in fine. Ideo dictam sententiam correctam, & emendatam cum prædictis additionibus hic juxta dictam brevem appellationem dignum ponere reputavi. Tenor vero dictæ sententiæ, noscitur esse talis.

## SENTENTIA IMPERATORIS

*Correcta, & emendata.*

„ LUdovicus Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus. Universis & singulis Ecclesiarum prælatis cujuscumque dignitatis, Ordinis, religionis, conditionis, & status existant, etiam si locum, aut statum Cardinalatus, sive Pontificalis Dignitatis, aut officii quomodolibet obtineant;

„ Nec non Principibus, Ducibus, Marchionibus, comitibus, Vicariis, Potestatibus, Rectoribus, Officialibus, ac aliis Præsidentibus quocumque nomine censeantur Imperii nostri fidelibus gratiam suam, & omne bonum. Tandem contra Jacobum de Caturco hæreticum notorium manifestum, qui se Papam XXII. appellat de magno, & maturo Consilio, Justitia exigente Processum quemdam fecimus formam, & tenorem hujusmodi continentem.

„ Ludovicus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ad æternam rei memoriam.

„ Cunctos Populos quos Clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus religione, & fide versari, qualem divinissimos Apostolos Petrum, & Paulum tradidisse Romanis Religio hucusque ab ipsis insinuata declarat: Quamque SS. Patres Romani Pontifices ipsius B. Petri legitimi successores, quos in omnibus sequimur, docuerunt, & Sancta Romana Ecclesia hactenus prædicavit, & inconvulse dignoscitur custodisse. Cujus ipse Dei filius Dominus noster Jesus Christus est perpetuum, ac stabile fundamentum. Et in ea statuit duo genera salvandorum hominum. Primum eorum, qui per rectam fidem, & mandatorum legis observantiam merentur ad æternam beatitudinem pervenire; de quo in Evangelio dicit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Secundum illorum qui cupientes etiam in Consiliis Evangelicis vitam Christi, & Apostolorum ejus perfecte sequi, vivere in obedientia, sine proprio & in Castitate spontanea voluntate promittunt; de quo in Evangelio dicit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me*. Quæ tanta consilia secundum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Doctrinam adeo sunt essentialia cuilibet Religioni perfectæ, ut contra ea, nec summus Pontifex possit licentiam indulgere: huic confessioni, huic fidei quicumque contradictor extiterit, alienum a Doctrina Evangelii, alienum se esse ab Ecclesia judicavit. Hæc est illa Doctrinæ adversus quam, ut Salvator prædixit in Evangelio, circa finem sæculi pseudo-Christi, & pseudo-Apostoli consurgent, & multos seducent per eos hæreticos mentientes se vicem Christi gerere, & Apostolorum ejus; & contra Ecclesiam, & Christi Doctrinam insurgentes, insinuans; sed adversus eam non prævalituros. Quia ipse rogavit, ut non deficiat fides ejus. Porro diebus istis novissimis pseudo Papa Jacobus de Caturco, qui se Papam XXII. appellat, a sollicitudine, & cupiditate divitiarum nimia hujus sæculi; quæ, teste Evangelio, verbum Dei suffocant, excæcatus adversus hanc saluberrimam, & præclarissimam Christianæ fidei, & Doctrinæ Evangelicæ veritatem nequiter insurrexit. Et inter cætera sua dogmata facta, & gesta, hæc tria detestanda statuta publice edere, & per universum divulgare præsumpsit. In quibus multos errores dogmatizat, dictæ fidei Catholicæ, & Doctrinæ, & vitæ Evangelicæ, & Apostolicæ multipliciter adversantes. Quorum statutorum primum incipit, *Ad Conditorem Canonum*; secundum, *Cum inter nonnullos*, tertium *Quia quorumdam*. Quas hæreses etiam post & contra plures Constitutiones, seu appellationes contra eum ob hanc Causam tam per nos quam per Ordinem fratrum minorum zelo fidei Catholicæ legitime, & solemniter ad Romanam Ecclesiam interjectas nisus est, & quotidie nititur pertinaciter defendere. Ex quibus erroribus aliquos præsentibus duximus annotandos, ut in omnium notitiam fidelium deducantur. Primus itaque error hæreticalis qui de dicti statuti *Ad Conditorem* officina tenebrosa prorumpit, est quod Religiosi, qui secundum Doctrinam Evangelicam & Apostolicam, ut perfecti fiant, sine proprio vivere profitentur, in omnibus rebus, quæ consumuntur usu non sunt censendi simplices usuarii, sive habere simplicem facti usum, a proprietate rei sive dominio separatum. Quia ut in dicto statuto *Ad Conditorem* dogmatizat, & asserit, in talibus rebus, quæ usu consumuntur usus Juris vel facti non potest a rei proprietate seu dominio separari; nec in eis Jus utendi, nec usus facti, separata rei proprietate seu dominio, possunt constitui, vel haberi. Qui error Sacræ Scripturæ, per quam fidei Catholicæ probantur Articuli, & doctrinæ, & vitæ Evangelicæ & Apostolicæ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obviat manifeste. Nam cum Sacra Scriptura testatur Sacros Apostolos omnia reliquisse, dicente sancto Petro in Persona omnium Apostolorum prout legitur *Math. 19. C. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: Et manifestum existat, quod Apostoli usum rerum consumptibilium, quæ ad vitæ humanæ sustentationem necessario requiruntur, sicut sunt alimenta & vestimenta, de quibus dicit Apostolus, *habentes alimenta, & tegumenta his contenti sumus*; nullatenus reliquerunt. Quia usus rerum hujusmodi cadit sub præcepto Juris Divini, & naturalis, per quod ad esse naturæ conservandum est quilibet indispensabiliter obligatus. Quodque ipsi Apostoli, eorumque discipuli Jus proprietatis, per quod quis dixit hoc meum, & illud tuum, quod per iniquitatem extitit introductum, in rebus omnibus reliquerunt, prout etiam sanctus Clemens B. Petri successor testatur. Cujus dictum in Decretis *Cap. XII. q. 1.* reperitur insertum. Et hoc votum abdicationis omnium rerum ipsi Apostoli potentissime voverunt, prout etiam Augustinus 17. *de Civit. Dei* aperte testatur. Et qui dicit omnia reliquimus, nihil quod licite relinqui possit excepit: Unde Sanctus Gregorius Ecclesiæ Sanctæ Doctor exponens illud Evangelii: *Relictis omnibus secuti sunt eum*, dicit: *multum reliquit, qui sibi nihil retinuit, qui quantumlibet parum, totum deseruit*. Concluditur evidenter ex his, quod Apostoli, & cæteri religiosi secundum Doctrinam Apostolicam sine proprio vivere profitentes, qui teste Canone figuram tenent Apostolorum, & eorum vitam veraciter imitantur, in omnibus rebus consumptibilibus, & non consumptibilibus simplicem usum facti licitum habuerunt, & habent absque proprietate, & dominio, sive a proprietate, & dominio separatum. In actibus etiam Apostolorum 2. & 4. *C.* tantum reperitur de multitudine Credentium quæ in vivendo sine proprio vitam Apostolorum sequebatur, quod ipsi res non usu consumptibiles videlicet possessiones, agros, Domos, & substantias vendebant; & sic nec in speciali, nec in Communitate eorum res ipsas aliquatenus retinebant. Alias autem res, quas lex de rebus usu consumptibilibus esse testatur, scilicet pecunias pro pretio rerum venditarum acceptas offerebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, & dividebant singulis, prout cuique opus erat, & panes frangebant circa Domos sumentes cibum cum exultatione. Et tamen nullus eorum de his rebus consumptibilibus, scilicet, pecunia, & panibus, de quibus ibi fit mentio specialis, aliquid suum esse dicebat, quod verbum, scilicet, *suum* sancti Doctores Ecclesiæ exponentes dicunt, quod nullus ex eis aliquid sibi fore proprium asserebat. Et etiam Glos. Ordi. dicit ibidem: *Judicium fraterni amoris est nihil proprium habere, & omnia possidere*. Ex quo manifeste patet, quod quilibet illorum de prædicta multitudine habebat usum rerum usu consumptibilium absque proprietate, & dominio, seu a proprietate, & dominio separatum, & per consequens, quod in talibus rebus usus facti potest haberi licite a proprietate, & dominio separatus. Sancta etiam Romana Ecclesia in Sacris Canonibus manifeste testatur, & docet, quod Religiosi, servi, & in aliena potestate constituti etiam in rebus usu consumptibilibus habent simplicem usum facti absque proprietate, & do-

„ mi-

„ minio, sive a proprietate, & dominio separatum.
„ Unde contrarium dicere, Sacræ Scripturæ, & vi-
„ tæ Evangelicæ & Apostolicæ, & Doctrinæ San-
„ ctæ Ecclesiæ obviat, & repugnat. Et omnem re-
„ ligionem, quæ vovit vivere sine proprio, destruit
„ & confundit. Secundus error, qui in dicto Sta-
„ tuto *ad Conditorem* continetur est, quod rebus
„ usu consumptibilibus non potest quis uti, quia eis
„ uti non contingit, sed abuti, quod ei opponitur
„ quod est uti; cum abuti nihil aliud sit quam con-
„ tra naturam proprie in hac materia dici possit.
„ Qui error Sacræ Scripturæ & Sanctorum Docto-
„ rum, ac Doctrinæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ob-
„ viat manifeste. Quod ex eo colligitur evidenter.
„ Quia ubicumque Scriptura Sacra de usu rerum
„ prædictarum loquitur, semper ostendit, quod in
„ rebus usu consumptibilibus potest quis uti, & eis
„ proprie, & veraciter uti contingit. Sicut patet per
„ Apostolum ad Timotheum scribentem, qui dicit
sic: *utere modico vino propter stomacum tuum, & frequentes tuas infirmitates*. Et per illud quod 2°. *Reg.* dicitur; *filiæ Regis Virgines hujusmodi vestibus utebantur*. Et *numeror*. 18. *Universa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportantur, cedent in usus tuos*. Et parum post: *Carnes vero in usum tuum cedent:* Et *Judic*. 19. *habentes paleas, & fœnum, panem, & vinum in meos & ancillæ tuæ usus*. Et per illud quod legitur *Levit*. 7., & *Judic*. 19 & *Josue* 5. & in multis aliis locis Sa-
„ cræ Scripturæ ostenditur manifeste. Sancti etiam
„ Doctores & Ecclesia in Sacris Canonibus veri-
„ tatem hujusmodi manifestant: Unde Augustinus
„ in *lib. de Doctrina Christiana*, cujus dictum po-
„ nitur in *Decretis* 40. *di*. dicit, quod *Sapiens absque aliquo vitio, cibo pretiosissimo potest uti*. Et
„ Ambrosius, & ponitur 35. *di*. dicit; *Sexto die bestiæ sunt creatæ, & cum bestiis orta est edendi potestas, & usus escarum*: & *extra de vita, & honest. Cler. C. penult.* dicitur: *Pontifices autem in publico, & in Ecclesia super indumentis lineis omnes utantur*. Quas omnes authoritates de rebus
„ usu consumptibilibus loqui manifestum existit.
„ Ex prædicto etiam errore sequitur, quod Chri-
„ stus, & Apostoli, & alii Sancti viri, quoties a-
„ ctus comedendi, bibendi, & induendi exercue-
„ runt, toties rebus hujusmodi sunt abusi. Et quo-
„ ties fideles Christiani sumunt sacramentum Corpo-
„ ris & Sanguinis Jesu Christi sub speciebus illis,
„ sub quibus Sacramentum prædictum veraciter
„ continetur, quas fore de rebus usu consumptibi-
„ libus manifestum existit, toties illis speciebus ac-
„ cidentium abutuntur. Quod dicere vel sentire
„ cuilibet Catholico videbitur impium, & blasphe-
„ mum. Tertius error in sæpe dicto Statuto con-
„ tentus est, quod carentia dominii omni temporali
„ commodo denudati ad perfectionem non pertinet,
„ nec pauperiorem non efficit non habentem, adii-
„ ciens, quod tale Dominium omni temporali com-
„ modo denudatum, verbale, ænigmaticum, & si-
„ mulatum existit. Qui error Sacræ Scripturæ,
„ & Doctrinæ Evangelicæ, & Apostolicæ, & San-
„ ctæ Romanæ Ecclesiæ obviat, & repugnat. Nam,
„ ut ex Scriptura Divina superius est ostensum, *Apostoli, & eos sequentes sancti viri* &c. ut supra in appellatione parva immediate posita in quinto errore dictæ appellationis, quia hic error tertius nominatur ibi quintus folio. „ Quartus error sumitur in dicto
„ statuto: *Cum inter nonnullos* ex eo quod ipse pro-
„ nunciavit, sive declaravit hæreticum fore censen-
„ dum affirmare deinceps Dominum nostrum Jesum
„ Christum ejusque Apostolos non habuisse aliqua
„ in speciali, nec etiam in communi: Insuper hæ-
„ reticum fore censendum &c. ut supra in præfata appellatione parva in sexto errore fol. Quintus error
„ est quod ille dogmatizat in dicto statuto, *Cum*
„ *inter*, quod actus utendi rebus temporalibus in
„ Christo, & Apostolis, & aliis non potuerit,
„ nec potest esse Justus absque Jure utendi Civili,
„ & mundano contentioso, & litigioso. Quod patet
„ quia dicto prius in statuto, *Cum inter*, quod as-
„ serere Christo, & Apostolis in rebus, quas eos
„ habuisse sacra scriptura testatur, non competiisse
„ Jus utendi, vendendi, donandi &c. est hæreticum ex
„ eo quia ut dicit talis assertio, ipsorum Christi, &
„ Apostolorum usum, & gesta evidenter concludit
„ non justa. Postea in statuto: *Quia quorundam*,
„ recitata sententia, sive assertione dicentium, quod
„ propter abdicationem Juris in cujuscunque rei pro-
„ prietate, & in ejus usu, usus ad sustentationem
„ naturæ in Christo, & Apostolis non fuit non ju-
„ stus, sed tanto justior, atque perfectior, & Deo
„ acceptior, & mundo exemplarior, quanto plenius
„ renunciatum est omni Juri, per quod potest sic
„ utens pro hujusmodi usu quomodolibet conten-
„ dere, & in Judicio litigare. Respondet idem
„ hæreticus quod dictum hujusmodi impossibilitatem,
„ & errorem evidenter includit. Adiiciens, quod
„ absurdum, & erroneum est dicere, quod actus ali-
„ quis non habentis Jus actum hujusmodi faciendi
„ sit justior & Deo acceptior quam habentis. Qui
„ quidem error sacræ scripturæ, & sanctorum Pa-
„ trum sententiis obviat manifeste. Nam Christus
„ in Evangelio Apostolis, & suis Discipulis eum
„ perfecte sequi volentibus inhibuit contendere, &
„ in Judicio litigare propter hujusmodi actum im-
„ perfectionem, dicens Matth. 5. *Qui vult tecum in Judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Et Luc. 6. *ab eo qui aufert tibi vestimentum tuum, & tunicam noli prohibere; & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas*. Qui actus
„ contendendi, & litigandi implicant ad peccatum;
„ unde Apostolus ad *Corinth*. 6. scribens, dicit: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quia Judicia habetis inter vos*. Ex quibus luce clarius patet,
„ quod iter perfectionis aggredi volentibus expedit
„ a se penitus abdicare omne Jus civile, & mun-
„ danum, per quod potest quis in Judicio litigare:
„ Et per consequens constat, quod ex abdicatione
„ hujusmodi Juris actus utendi rebus temporalibus
„ in ipsis viris perfectis non fuit, nec est censendus
„ illicitus, vel injustus. Unde Apostoli Jus hujusmo-
„ di Civile & mundanum tunc in rebus omnibus
„ reliquerunt, cum ut dictum est: *Ecce nos reliquimus omnia*, sunt professi. Ex prædicto igitur er-
„ rore sequitur, quod aut doctrina Christi fuit fal-
„ lax, & deceptoria, aut ipse, si tale jus habuit,
„ fuit imperfectus. Quod de Christo sentire nefas
„ est, & blasphemia manifesta. Ex prædictis etiam
„ constat, eum in tantam cæcitatem fuisse prolapsum,
„ quod semetipsum damnat. Nam in statuto, *Ad*
„ *Conditorem*, ut dictum est, sententiat, & diffinit,
„ quod in rebus usu consumptibilibus non reperitur
„ Jus utendi, nec ipsis uti contingit, sed abuti: Et
„ hic asserit, & diffinit, quod actus sine jure utendi
„ non potest aliqualiter esse justus; Et quod oppo-
„ situm dicere hæreticum est censendum. Et sic se
„ ipsum fore hæreticum proprio judicio manifestat.
Sextus, septimus, & Octavus Errores sunt illi, qui sunt in supradicta parva appellatione fol... Excepto quod qui hic est sextus error, ibi septimus computatur. Qui hic septimus, ibi octavus. Et qui hic octavus, ibi nonus. Et totum continuatur usque ibi: *Cathalogo Sanctorum ascribendo*: „ Plures etiam aliæ
„ hæreses tam in dictis statutis hæreticalibus, quam
„ in aliis assertionibus factis, atque gestis hæretici sæ-
„ pe dicti continentur, quibus esse convincitur irre-
„ titus, quæ in ordinationibus nostris super his edi-
„ tis, ac etiam in appellationibus tam per nos quam
„ pro parte totius Ordinis fratrum minorum, ac no-
„ tabilium magistrorum in Sacra Pagina ipsius Or-
„ dinis Consilio, & assensu contra dictum hæreti-
„ cum, & ejus statuta, gesta, & facta solemniter
„ interjectis seriosius explicantur, & in allegationi-
„ bus divini, & humani Juris super his factis rationi-
„ bus efficacibus convincitur: Quas omnes seriatim
„ præsentibus explicare prolixum nimium videretur.

„ Quam-

„ Quamobrem ex quo cœpit dicta hæreticalia statuta contendere, & publice divulgare, & pertinaciter defendere, in hæresim est prolapsus, & fuit omni Ecclesiastica dignitate, authoritate, & potestate ipso facto privatus. Nec est necesse, quod accusetur, vel damnetur per aliquem. Nam sicut legitur in *Decretis 24. Cap. Diximus omnes hæreticos nihil habere potestatis, ac Juris: Et quicumque in hæresim damnatam labitur, in ipsa damnatione se ipsum involvit*; ubi dicit Glos. or. *hic est Casus, in quo etiam Papa Canonem latæ sententiæ incidit ipso Jure. Nec his obviat illa regula. Par parem non potest solvere, vel ligare, quia Papa hæreticus minor est quocumque catholico. Lex enim ipsum factum notat, sive damnat*. Et in eadem Causa dicitur. *Ex quo aliquis cæpit aliquid publice prædicare contra fidem, nec deiicere quemquam valet, nec damnare*. Liquido enim constat eum qui ab integritate fidei recessit, maledicendi, vel benedicendi potestatem minime habere. Catholicum namque utpote superiorem se maledicere etiam non valet; in alienum a fide tanquam in sibi æqualem sententiam dare non potest. Ipso enim facto sententiam excommunicationis, & damnationis incurrit etiam per sacrum generale Concilium Ecclesiæ Catholicæ sub titulo *de hæretic.* positum adversus omnem hæresim, & credentes, defensores, & fautores hæreticæ pravitatis promulgatam: Omnesque Catholici ab ipsius hæretici communione non expectata alia damnatione recedere sunt astricti: Unde legitur in Decretis quod Anastasius II. natione Romanus fuit temporibus Theodorici Regis, & eodem tempore multi Clerici se ab ejus communione abegerunt, eo quod communicasset Fotino Diacono, qui communicaverat Acacio hæretico. Et quia voluit occulte revocare Acacium, & non potuit, Divino Judicio percussus fuit. Nec talis; &c. ut supra in appellatione brevi usque *defendit errorem* folio... Zelus igitur fidei, & compassionis animarum fervor excitare debent corda omnium qui Christi nomine gloriantur, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ finibus continentur, ut contra dicti hæretici insaniam, quasi pestem publicam valenter insurgant, nec eum patiantur in sede Apostolica permanere, quem adversus fidem Catholicam conspiciunt insanire: Et Sanctam Romanam Ecclesiam matrem fidelium erroribus, blasphemiis, divisionibus, guerris, seditionibus, & perturbationibus conturbare: Et etiam pro viribus tota dic laniare. Qui divitias ad Christianitatis destructionem etiam per simoniacam pravitatem & diversis dolis in saccum pertusum congregat: Qui veris Catholicis, & fidelibus Christianis false, & malitiose crimen hæresis aut favoris, seu defensionis hæreticorum sive hæreticæ pravitatis indifferenter imponit, & eos excommunicat de facto, deiicit, & condemnat, & pravis suis exemplis, & gestis multos ad exorbitandum a fide, & ab Ecclesia impellit, & inducit. Et testante Canone pari modo censeri debet a veritate fidei Catholicæ deviare, cum aut in se exorbitat a fide, aut alios exemplo, vel verbo deiicit, aut ad exorbitandum inducit. Frustra igitur Christiano nomine uti videntur, qui talibus impietatibus non resistunt. Cum error, cui non resistitur approbetur. Et negligere, cum possis perturbare præcisos, nihil aliud est quam fovere. Nec careat scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desiit obviare. Et non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt participes judicantur. Nos igitur ad culmen dignitatis Imperialis, disponente Domino, sublimati, attendentes sacris Canonibus fore cautum, quod per regnum terrenum regnum Cæleste proficit, rigore principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam utilitas Ecclesiæ exercere non prævalet cervicibus superborum potestas principalis imponat; Et non valentes neque volentes tales, & tam graves insolentias, errores pestiferos, & detestabiles blasphemias, & scismata, & damna, ac pericula universali Ecclesiæ ex prædicti Jacobi hæretici erroribus, & pravis operationibus imminentia in Creatoris injuriam, & populi Christiani perniciem aliquatenus tolerare, de communi Consilio & assensu cleri, & Populi Romani, & Ecclesiæ Prælatorum nostrorumque Principum tam Alamanorum, quam Italicorum, & copiosæ multitudinis fidelium nobis assistentium: Inducti etiam ex pluribus supplicationibus, & requisitionibus nobis cum instantia sæpe factis per syndicos ipsius cleri, & Populi Romani habentes ad hoc plenam, & liberam potestatem, & speciale mandatum, sicut constat per publica Documenta sigillis authenticis præfati cleri, & Populi Romani communita. Quas requisitiones, & supplicationes tanquam rationabiles, & in favorem fidei Catholicæ factas duximus admittendas. Denunciamus, declaramus, pronunciamus, & publicamus præfatum Jacobum de Caturco, ex quo ut dictum est contra fidem Catholicam asseruit, & statuit prædicta, & ea manifeste, & notoria promulgavit, & publicavit, & pertinaciter pro viribus defensavit, fuisse, & esse censendum hæreticum, & notorium & manifestum; Et tam Pontificali, quam omni alia dignitate Ecclesiastica, potestate, & authoritate privatum, Et omnibus sententiis, & pœnis contra hæreticos per constitutiones Canonicas, & civiles prolatis, statutis, & impositis subiacere. Et ipsum Jacobum tanquam hæreticum notorium & manifestum, & excommunicatum ab omnibus Catholicis evitandum. Et quatenus se gerit pro Papa, ipsum privamus, deponimus, seu privatum, & depositum nunciamus. Et omnes sententias & Processus, omniaque per ipsum authoritate Papali, seu Pontificali a dicto tempore citra gesta, & facta nullos, & nulla fuisse, nulliusque roboris, & firmitatis existere, & momenti. Insuper universis, & singulis sub nostro Imperio degentibus cujuscumque status, dignitatis, & conditionis existant, districte præcipimus & mandamus, quatenus nullus dictum Jacobum de Caturco hæreticum, excommunicatum, & omni dignitate, potestate, & authoritate privatum de cætero habeat, reputet, sive nominet sicut Papam. Nec eidem pareat, sive obediat tanquam Papæ; Nec præstet sibi auxilium, consilium, & favorem publice, vel occulte. Nec ejus Processus aut sententias, præcepta, aut interdicta a dicto tempore citra prolata præsumat observare, neu eidem tamquam Papæ aut ejus nunciis obedire. Qui autem contra facere præsumpserit, vel venire, eum ab omnibus feudis, quæ ab Imperio tenet, ac omnibus gratiis, privilegiis, libertatibus, & immunitatibus a nobis, vel prædecessoribus nostris eisdem concessis privamus. Ad quas pœnas omnes contrafacientes post mensem a publicatione præsentium, quo ad Italicos, & post duos menses quo ad alios nostro subiectos Imperio astringi volumus, & arctari. In quorum omnium testimonium, atque fidem præsentem Processum conscribi præcipimus, & nostræ Imperialis Bulla majestatis aurea, signoque nostro Imperiali solito jussimus communiri. Datum & actum in Urbe Roma in Platea publica extra Basilicam S. Petri. Præsentibus Clero, & Populo Romano, ac multis aliis Principibus tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, & Baronibus, ibidem nobis assistentibus 18. Die Aprilis Anno Domini 1328. Indictione II. Regni nostri Anno 14. Imperii vero Primo.

„ Volentes itaque Processum prædictum & contenta in eo, ne Populus Christianus per astutias, fraudes, calliditates, & malitias dicti Jacobi de Caturco hæretici manifesti, & complicum ejus circumveniri valeat, ubilibet publicari, & inviola-

biliter observari ab omnibus: Vos omnes, & singulos monemus, & hortamur attente, ac omnibus Imperio nostro subjectis sub pœnis in dicto Processu contentis districte præcipientes mandamus, quatenus per vos, vel alium, vel alios in Civitatibus, Diœcesibus, sive locis, & Terris, in quibus quomodolibet præsidetis, dictum Processum, & contenta in eo solemniter publicetis. Quod quoque ipsa servetis, & faciatis ab omnibus vestris subditis observari. Et etiam specialiter sub pœnis editis contra fautores hæreticorum, & hæreticæ pravitatis vos monemus, quatenus præfatum Jacobum hæreticum manifestum, & excommunicatum penitus evitare, & ab ejus communione omnino recedere studeatis. Quodque nullum eidem Jacobo hæretico per vos, vel per alium, seu alios directe, vel indirecte præbeatis auxilium vel favorem. Et ad idem faciendum, & observandum omnes vobis subditos inducere, etiam si opus fuerit compellere Juris remediis sollicite procuretis. In testimonium autem præmissorum præsentes literas conscribi mandavimus, & nostræ Imperialis majestatis Bulla aurea, sigilloque Imperiali consueto jussimus communiri. Et ut dicta omnia, & singula in omnium deducantur publicam notitiam; & ne aliquis de praemissis se per ignorantiam valeat aliquatenus excusare, has literas bullatas, ut praedicitur ad fores majoris Ecclesiae Civitatis Pisanae publice appendi, & appensas per multos dies in conspectu omnium ibidem jussimus permanere.

„ Datum in Civitate Pisana Anno Domini 1328. Indictione 12. Die 12. Decembris. Regni nostri Anno 12. Imperii vero primo.

Sublequenter supradictus Frater D. Bertrandus Cardinalis Ordinis Vicarius generalis per sæpedictum D. Joannem, ut dictum est, institutus, asserens præfatum Fratrem Michaelem Generalem Ministrum per memoratum D. Joannem legitime ab Officio absolutum de mandato prælibati D. Joannis mandavit omnibus Ministris, & Custodibus, quibus incumbit ex Regula electio generalis, & aliis qui debebant dicto Capitulo interesse per suas Literas speciales, ut in primo Pentecoste, quod fuit Anno Domini 1329. pro Generali Capitulo celebrando, & novo Generali Ministro eligendo, Parisiis se conferrent. Prænominatus autem Frater Michael Generalis Minister volens prædictæ ordinationi, & mandato, sive futuræ electioni pro posse obviare: Pro eo quod tale Capitulum, sive electio manifeste foret in præjudicium, ac justitiæ notabile detrimentum; ac Ecclesiæ, & toti Ordini scissuram, & scandalum non modicum generaret, maxime cum dictus Dominus Joannes esset, ut asserebat in suis literis, hæreticus manifestus, præcepit omnibus Ministris, Custodibus, & aliis per suas literas speciales, ut nullo modo Parisiis convenirent, aut alibi pro Generali Capitulo celebrando. Prædictarum vero literarum tenor noscitur esse talis.

„ Universis Fratribus Ordinis minorum præsentes literas inspecturis Frater Michael ejusdem Ordinis Generalis minister, & Servus salutem, & pacem in Domino sempiternam.

„ Cum secundum regulam nostram ordinatio generalis Capituli, quo ad locum, & tempus ad Generalem ministrum pertineat. Quæ Ordinatio propter mei absentiam, & alia impedimenta præstita circa ipsum Capitulum, quod in Pentecoste præcedenti Bononiæ fuerat celebratum, non potuit suo tempore nunciari, votis Illustrissimæ D. Dominæ Reginæ Franciæ satisfacere cupiens, locum sequentis Capituli generalis assigno Parisiis juxta etiam preces fratrum, magistrorum, & discretorum solemnium accedente Consilio, & assensu Quod Capitulum anno 3. a præcedenti Pentecoste jam dicitur juxta terminum regulæ, ac morem ordinis in Festo consimili statuto celebrandum. Præcipiens per obedientiam salutarem Fratribus omnibus, qui secundum regulam, & Ordinis instituta debent ad Generale Capitulum proficisci, quatenus ad locum Parisiis prædictum, & præordinato tempore studiose, ac sollicite studeant convenire. Verum quia relatione digna fidei percepi, quod per illum, qui de facto præsidet in Avinione, seu per Fratrem Bertrandum de Turre gerentem, ut asserit, vices ejus, ministris omnibus, & discretis Provinciarum mandatur, quod in Pentecoste proximo sequenti debeant Perusio ad generale Capitulum congregari. Volens prædictæ ordinationi obviare pro posse, pro eo quod tale Capitulum, si Capitulum dici possit, manifeste foret in præjudicium, ac notabile detrimentum, & Ecclesiæ toti, & Ordini scissuram, & scandalum non modicum generaret, cum supradictus Jacobus de Caturro manifeste in pluribus Articulis hæreticus sit probatus, propter quod Serenissimus D. D. Ludovicus Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus cum consensu Romani Cleri, & Populi solemniter declaravit, ipsum Jacobum omni authoritate & potestate privatum juxta Canonicas Sanctiones, ut etiam per appellationem contra eum nomine meo interpositam, & per scripturam autheuticam depositionem ipsam continentem clarias demonstratur. Præcipio firmiter, & districte per obedientiam salutarem ministris, Custodibus, & discretis, ac aliis fratribus nostri Ordinis quibuscumque, quod ad prædictum locum vel quemcumque alium pro generali Capitulo celebrando ante prædictum tempus per me ordinatum accedere non præsumant. Et si, quod absit, aliquis contrarium fecerit, ipso facto tanquam inobediens, & sui destructor Ordinis omni actu legitimo, & officiis Ordinis sit privatus, ad quæ restitui non possit, nisi per Generalem ministrum vel per illum cui duceret specialiter committendum. Et quia parendo mandatis dicti D. Jacobi de Caturro damnati hæretici, atque depositi, seu alterius vices ejus gerentis, in fautoriæ crimen, & pœnas a jure taxatas manifeste incurritur, concedo cuicumque personæ tam sæculari, quam regulari quod fratres inobedientes hujusmodi, & mandatis prædicti Jacobi hæretici, vel ejus Vicariorum Officialium, vel nunciorum obsequentes capere possit, & Carcerali Custodiæ detinere: Nec a detentione, vel incarceratione prædictis absque Generalis ministri consensu valeat liberari. Et ad hæc implenda fideliter omnes fratres, & singuli nostri Ordinis dent per obedientiam operam efficacem. Valete in Domino, & orate pro me. Datum Pisis 6. Kal. Decembris Anno Domini 1328.

Demum prædicta litera, præcepto, & pœnis in ea contentis non obstantibus plures ministri, Custodes, & alii discreti iverunt Parisiis, & X. Die mensis Junii quæ fuit Vigilia Pentecostes Anno Domini 1329. prædictum Fratrem Michaelem Generalem Ministrum ab Officio absolverunt, & eisdem die & loco fratrem Geraldum Odonis de Provincia Aquitaniæ Magistrum in Sacra Pagina in Generalem Ministrum dicti Ordinis elegerunt. Et ideo ex prædictis oritur oppositio, Cum præfatus D. Joannes non obstantibus supradictis appellationibus per fratrem Michaelem præfatum legitime pro defensione fidei, & ordinis interjectis, eum ab officio generalis ministerii absolverit, & alium Generalem eligi mandaverit, ut superius est ostensum. Dubitatum fuit a pluribus, utrum absolutio seu depositio facta tam per sæpedictum D. Joannem quam per dictum Capitulum Parisiis congregatum de dicto Michaele, & electio facta de prædicto fratre Geraldo de jure habuerint roboris firmitatem. Et cui istorum duorum sit obediendum a Fratribus tanquam legitimo Generali. Ideo infrascripti Magistri in Sacra Pagina, una cum fratre Bonagratia de Pargamo in utroque jure perito super dicta oppositione seu dubio removendo allegationes fecerunt tenorem hujusmodi continentes.

„ Al-

„ Allegationes religiosorum virorum fratrum Henrici de Talhem, Francisci de Apponiano dicti di Esculo, Guilherini de Ocham in Sacra Pagina Magistrorum, & Fratris Bonagratiæ de Pargamo, ut clareat evidenter omnibus, quod processus facti per D. Jacobum de Caturro, qui se Joannem Papam XXII. appellat contra religiosum virum Fratrem Michaelem Generalem ministrum Ordinis minorum, & quidquid actum fuit per Congregationem factam, quæ de ipsius D. Jacobi mandato, sive authoritate dicitur facta fuisse Parisiis in loco Fratrum minorum de mense Junii Anno Domini 1329. tam in deponendo dictum Fratrem Michaelem ab Officio Generalis ministerii, quam in eligendo Fr. Geraldum in ministrum dicti Ordinis, quam in aliis gestis per eos nullius fuerint, & sunt roboris, & momenti.

„ Incipiendum est a veritate facti: Quia ex facto Jus oritur. *ff. ad l. Aquil. l. si ex plagis. §. Inquilino.* Facti igitur series talis est. Verum est, quod dictus D. Jacobus mandavit dicto Fratri Michaeli Generali Ministro Ordinis Minorum *Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum propter aliqua negocia tuum Ordinem contingentia tua sit nobis præsentia opportuna: mandamus tibi in virtute obedientiæ, quatenus infra mensem a præsentatione præsentium computandum studeas nostro Conspectui personaliter comparere. Datum Avinionis sexto Idus Junii Pontificatus nostri Anno XI.* Ex qua Litera luculenter apparet, quod ipse D. Jacobus non vocavit ipsum Fratrem Michaelem ad suam præsentiam pro aliquo crimine, quod diceret ipsum, vel diceretur per aliquem commisisse; ac per consequens falsum fore, quod dictus D. Jacobus in Processu depositionis per eum contra dictum Fr. Michaelem promulgato fingit dicens: *Cum fide digna relatione ad nostram perductum fuerit audientiam, quod Michael de Cesena per totam quadragesimam in urbe moram trahens nonnulla nefanda contra nos, & Ecclesiam sanctam Dei subdole in favorem hæreticorum, & rebellium ejusdem Ecclesiæ procurabat. Nos ut valeremus præmissis salubriter obviare, eundem Michaelem quod infra certum præfixum terminum coram nobis personaliter compareret per nostras literas duximus evocandum:* falsum est enim, nec usquam poterit veraciter reperiri, quod ipse D. Jacobus ex prædicta causa per ipsum in dicto Processu suo conficta vocaverit ipsum Fr. Michaelem ad suam præsentiam, nec per aliquas alias literas nisi per prædictas, quarum tenor superios est insertus. Qui Frater Michael Generalis Minister tempore receptionis dictarum literarum, erat, & post multum tempus fuit corporali infirmitate detentus, prout constat eidem D. Jacobo per testimonia Vicarii tunc Episcopi Interamnensis & plurium aliorum fide dignorum redacta in publica documenta: Et etiam per literas Illustris Domini D. Roberti Regis Siciliæ, qui de ipsa infirmitate certificatus fuerat per medicum suum, quem de Neapoli usque Tudertum ad ipsum Generalem ministrum visitandum transmisit. Qua occasione rationabili intellecta, & admissa idem D. Jacobus præfato Generali Ministro per suas literas sub Bulla sua insinuando mandavit, quem ipse habebat super eo quod infra terminum dictarum literarum ad eum non venerat rationabiliter excusatum. Et per literas Fratris Petri de Prato tunc Procuratoris Ordinis minoris in Romana Curia eidem Generali ministro mandavit, quod ipsum habebat excusatum; Quodque non fuerat suæ intentionis, nec volebat quod supra posse suum laboraret in veniendo ad eum, sed cum commode possit assumpta Corporis valetudine veniret; adiiciens, quod nolebat, quod terminus in dictis suis literis ordinatus eidem Fratri Michaeli præjudicaret, nec per talem terminum volebat, quod ipse generalis minister se exponeret alicui periculo personali. Sicut ex dictis Literis deprehenditur evidenter.

Tom. III.

„ Ex quibus clare patet falsum esse, & impie confictum illud, quod ipse D. Jacobus in dicto Processu exprimit dicens, quod ipse Michael se fingebat infirmum, quodque suppressa veritate procuravit a Rege Roberto literas excusatorias prætextu infirmitatis hujusmodi, quam fingebat. Qui Frater Michael Generalis minister nondum plene informatus de statutis hæreticalibus editis per dictum D. Joannem, & de hæresibus in ipsis statutis super quibusdam cavillationibus Juris sophisticis involutis, & ipsius D. Joannis tyrannidem, nisi coram eo comparuisset merito perhorrescens, corporali valetudine aliqualiter reassumpta, ad ipsius D. Joannis præsentiam personaliter accessit, & pervenit prima Die mensis Decembris anno Domini 1327. Et ipse D. Joannes dictum Fratrem Michaelem in prima præsentatione, sive visitatione curialiter recepit. In 2. vero eam ipsum existentem in Curia sua ad se vocavit, ut eum eo de his, pro quibus eum prius per dictas suas literas ad Curiam vocaverat loqueretur, ipsum fratrem Michaelem benigne, & charitative tractavit, commendando ipsum, & gesta per ipsum: adiiciens quod ideo eum ad Curiam, & ad suam præsentiam vocaverat, quia intellexerat, quod aliquæ Provinciæ dicti Ordinis propter pravum regimen ministrorum ipsarum Provinciarum detrimenta, & gravia pericula patiebantur: Quodque ipse hoc non imputabat, nec imputandum esse censebat eidem Generali Ministro pro eo quod ipse Generalis non habebat potestatem per se providendi Provinciis de ministris: Et eidem Generali specificavit, & expressit Provincias S. Francisci, & Aragoniæ, in quibus Provinciis hujusmodi detrimenta, & pericula fore dicebat. Unde & ipse D. Joannes volens dictis periculis, ut dixit, remedium adhibere, mandavit, & commisit eidem Generali Ministro; quod ministros ipsarum Provinciarum absolveret, & quod eisdem Provinciis de ministris idoneis, & sufficientibus provideret: Et sic idem D. Generalis minister de voluntate dicti D. Joannis in Avinione remansit a prima Die Decembris usque ad Diem IX. Aprilis sequentis. Ita quod nihil aliud eidem dixit, quod dictum Ordinem, vel Personam illius Generalis ministri contingeret quoquo modo, nec ipsum Generalem redarguit de aliquo Crimine, vel defectu; nec dixit, nec apparuit, quod ipse Generalis minister foret de aliquo crimine sibi delatus, vel accusatus: nec est verisimile, vel credendum quod si ipse Generalis fuisset accusatus, vel denunciatus, aut ad ipsius D. Joannis notitiam quomodolibet pervenisset, quod ipse frater Michael tractasset, vel fecisset aliqua contra ipsum Dominum Joannem, vel Ecclesiam, aut in rebellium ejus favorem, quod ipse D. Joannes rem tam gravem, & sibi molestam tam longo tempore tacuisset. *Arg. Extra de frigi. & malef. C. 1.* Ex quibus liquet, falsum fore, & impie confictum illud, quod dictus D. Joannes in dicto Processu suo per eum facto contra ipsum Fratrem Michaelem confingit dicens: *Quod ipse Frater Michael in Curia residens nedum præmissa continuare non destitit, sed pejora, & horribiliora prioribus cumulavit, eisdem adhærendo hæreticis, & rebellibus, & præstando contra nos, & ipsam Ecclesiam auxilium, consilium, & favorem: Et fratres suorum operum damnabilium sectatores fovendo, & exaltando.* Postea vero dicta Die 9. Aprilis Anno Domini 1328. Idem D. Joannes ad suam præsentiam vocavit dictum Fr. Michaelem Generalem Ministrum, præsentibus fratribus Raymundo de Lados Procuratore dicti Ordinis in Curia, & Petro de Prato Ministro tunc Provinciæ S. Francisci, ac Laurentio de Coalbrano Bacallario in Conventu fratrum de Avinione: Et eum fortiter increpavit, ex eo quod ipse, & generale Capitulum dicti Ordinis olim Perusii congregatum determinaverat non fore hæreticum,

 „ sed

„ sed sanum, Catholicum, & fidele asserere Christum, & Apostolos viam perfectionis ostendentes non habuisse aliqua Jure proprietatis, & dominii in speciali, nec in Communi, sicut in Decretali *Exiit qui seminat §. Porro*, diffinitur expresse. Quam determinationem generalis Capituli antedicti in quadam authentica litera roborata sigillis ipsius generalis ministri & multorum ministrorum magistrorum, ac Bacallariorum dicti Ordinis, ac subscriptionibus redegerunt. Quam literam Capituli antedicti idem D. Joannes frequenter asseruit fuisse hæreticam, sicut de increpatione, & assertione hujusmodi factis per dictum D. Joannem in literis per dictum Procuratorem ordinis propria manu scriptis, & subscriptionibus dictorum Fratrum Petri, & Laurentii, ac Procuratoris plenius continetur. Et quia dictus Generalis minister restitit eidem Domino Joanni in facie dicens, quod dicta determinatio Capituli non erat hæretica, sed Catholica, quia sic sequeretur, quod determinatio Ecclesiæ posita in dicta Decretali foret hæretica; & quod ille Papa, qui ipsam determinationem fecit, fuisset hæreticus: Ideo idem Dominus sibi mandavit sub pœna Excommunicationis, & privationis sui officii, quod ipse Generalis minister non exiret de Curia sua sine licentia ipsius Domini Joannis speciali. A quibus dictis, & factis per ipsum D. Jacobum contra dictam Capituli, & S. Romanæ Ecclesiæ fidem Catholicam, & in subversionem, & hæreticationem dicti Capituli, & totius Ordinis, & professionis regulæ S. Francisci, ac vitæ Evangelicæ, & Apostolicæ, & in ipsius Generalis Ministri enorme præjudicium, & gravamen, idem generalis minister suo, & dicti Ordinis nomine infra X. dies ad S. Romanam Ecclesiam de peritorum Consilio, & secundum juris formam in scriptis solemniter appellavit. Et cognita intentione perversa, & iniqua dicti D. Joannis, quam adversus fidem, quam S. Romana tenet Ecclesia, & totius dicti Ordinis professionem, conceperat, cum peritis existentibus in Curia prædicta de dictis statutis per dictum D. Jacobum contra fidem Catholicam, & in dicti Ordinis subversionem, & totalem destinctionem editis, & de hæresibus contentis in ipsis statutis caute, & secrete se plenius informavit. Dictus vero D. Jacobus nullius defectus in dicto generali ministro causam inveniens, quare eum in sua Curia retineret, & ad Capitulum Generale tunc proxime Bononiæ celebrandum accedere non permitteret, nisi quia ipse minister nolebat status immutationem, professionis fratrum dicti Ordinis, & quod dicta litera, & determinatio Capituli foret hæretica consentire: Et intendens fratres congregandos in futuro proximo Capitulo Generali Bononiæ celebrando ad suam voluntatem, & ad eligendum alium ministrum Generalem, qui suis votis per omnia consentiret per vias exquisitas inducere: Et credens sibi fore necessarium ad hoc suum propositum exequendum eum retinere in sua curia, ne possit hoc suum propositum impedire, fratribus in dicto Capitulo congregandis ultimo misit literas suas inscripo tenoris.

*Joannes Episcopus servus servorum Dei Dilectis filiis Præsidentibus & aliis minorum Ordinis Fratribus in Generali ejusdem Ordinis Capitulo Bononiæ celebrando in proximo congregandis salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum ex eo quod Dilecti Filii Michaelis Ordinis vestri Generalis nobis extitit præsentia pro certis negotiis opportuna, idem minister in generali præfati Ordinis Capitulo Bononiæ in instanti Festo Pentecostes dante Domino, celebrando personaliter nequeat interesse; Nosque intensis desideriis affectemus dictum Capitulum ad Dei laudem, ac Ecclesiæ Sanctæ suæ, prædictique honorem Ordinis celebrari. Venerabili Fratri nostro Bertrando Episcopo Ostiensi Apostolicæ Sedis Legato, ut vobis assistat vice nostra super his opportunis auxiliis, & favoribus damus per literas nostras alias in mandatis. Et licet prudentiam vestram ad ea quæ in eodem Capitulo exequenda quæ ad laudem Divini nominis, & Ecclesiæ Sanctæ Dei, dictique Ordinis honorem, & commodum respiciant supponamus indubie satis doctam. Quia tamen juxta illud Poeticum: Non nocet emisso subdere Calcar Equo, sollicitare sollicitos, & attentos attentiores reddere sæpe prodest. Prudentiam vestram rogamus, monemus. & hortamur in Domino, quatenus olim odio, & favore prorsus abjectis erga præmissa sitis solliciti, & intenti præfato Legato, ejusque suasionibus, & consiliis salubribus efficaciter intendentes. Datum Avinionis 3. Kal. Maii Pontificatus nostri Anno XII.*

„ Ex qua litera & etiam ex aliis prædictis literis, & gestis per dictum D. Joannem clare patet, quod non ex criminibus aliquibus perpetratis per dictum Fratrem Michaelem detinuit ipsum in Curia, sed solum ex eo quod videbat præsentiam dicti Generalis Ministri sibi fore necessariam pro certis negociis, ac per consequens falsum esse, quod ipse D. Jacobus in dicto suo processu a Patre mendacii promulgato asserit dicens, quod ipse in Curia existens adeo horribilia contra ipsum Jacobum, & Ecclesiam & in favorem hæreticorum commiserat, quod propter ipsa crimina poterat rationabiliter carcerali custodiæ mancipare: Postquam Fratres in dicto Festo Pentecostes Bononiæ congregati, & totum Capitulum ibi congregatum præfatum Fratrem Michaelem tanquam sufficientem, & idoneum Generalem Ministrum approbaverunt. Et quia in regula B. Francisci dicitur, quod in Capitulo Pentecostes Provinciales Ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a Generali Ministro fuerit constitutum, & hoc semel in tribus Annis, vel ad alium terminum majorem, vel minorem, prout Generali Ministro fuerit ordinatum: Ideo prædicti Fratres in dicto Capitulo Bononiæ congregati ordinationem futuri Generalis Capituli in arbitrio, & voluntate dicti Fratris Michaelis Generalis Ministri juxta formam dictæ regulæ dimiserunt. Rogaverunt tamen dictum Generalem Ministrum per literas a dicto Capitulo missas sibi, quod placeret eidem statuere, quod Capitulum Generale futurum celebraretur Parisiis. Qui Generalis Minister voluntati dicti Capituli condescendens; Et etiam ad preces, & instantiam D. Reginæ Franciæ statuit, & ordinavit, quod futurum proximum Capitulum Generale celebraretur Parisiis ad tres Annos tunc proxime venientes secundum regulam antedictam. Postea vero dictus Generalis Minister proinde attendens sibi mortis periculum imminere, si in dicta Curia Avinionis post dictam appellationem per eum contra dictum D. Jacobum interpositam diutius remansisset, & volens ire ad loca tuta, ubi secure posset dictam suam appellationem publicare, & prosequi, & etiam innovare: Die Jovis in sero, quæ fuit 26. Dies Mensis Maii, statim post dictum Capitulum in dicto Festo Bononiæ celebratum recessit de dicta Curia Avinionis dictæ suæ oppositioni firmiter inhærendo. Cumque ad præfati D. Jacobi notitiam pervenisset de recessu dicti Generalis, & sociorum ejus, & quod ipse appellaverat contra, eum ipsum, & socios fecit hostiliter persequi, ut eos capere posset. Et cum, Domino Jesu Christo, cujus negotium, & fidem agebant, faciente, ipsius D. Jacobi manus mirabiliter evasissent, Ipse videns se suo desiderio privatum, ipsis Generali, & sociis adhuc existentibus in itinere eundi ad Civitatem Pisanam pro appellatione prædicta publicanda & pro viribus prosequenda, dictum Generalem Ministrum ex prædictis per eum confectis causis falsissimis superius explicatis ab officio dicti Generalis ministerii de facto, cum de jure non posset, post, & contra dictam appellationem

„ præ-

„ prædictam absolvit, omni juris, & judiciorum ordine prætermisso. Ad culmen etiam suorum mendaciorum in dicto Processu suo adiiciens, quod ipse Michael recesserat de Avinione in Galea quadam sibi procurata per Ludovicum de Bavaria: Et quod ipse Michael antequam ad suam præsentiam accessisset conspiraverat, ut ad Papatum per ipsum Ludovicum promoveretur. Quod patet omnino falsum: Si enim ad hoc aspirasset ad ipsius D. Jacobi præsentiam non accederet. Ex quibus clare patet, quod dictus Processus per dictum D. Jacobum contra dictum Fratrem Michaelem Generalem Ministrum factus fundatus est in mendaciis, & falsitatibus manifestis, & ex eodem ruinoso fundamento idem D. Jacobus de facto cum de jure non posset D. Bertrandum de Turre Vicarium dicti Ordinis constituit Generalem Vicarium: Qui D. Bertrandus ordinationem per dictum generalem ministrum de voluntate dicti Capituli generalis secundum formam regulæ supradictæ stabilitam immutavit de facto, cum de jure non posset, ac statuit, quod in Festo Pentecostes tunc proxime futuro, Parisiis Fratres ad Capitulum ad eligendum alium Generalem Ministrum dicti Ordinis convenirent. Et attendens quod ministri per electionem in Capitulis Provincialibus secundum formam regulæ, & Generalis Concilii Viennensis solemniter instituti in dictum Fratrem Michaelem consenserant, & consentiebant, & quod votis suis non assentirent, adinvenit Fratres, qui in omnibus his, quæ D. Jacobus dixerat, & fecerat, & ejus voluntati per omnia consentirent, quos de facto in ministros, & Custodes instituit, ac legitime institutos de facto cum de jure non posset destituit, & privavit. Et considerans quod hujusmodi institutio, & destitutio ministrorum nullam habebat roboris firmitatem, impetravit a præfato D. Jacobo literas confirmationis dictarum institutionum, & destitutionum sub infrascripto tenore.

*Joannes Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Nostro Bertrando Episcopo Tusculano salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

*Cum sicut oblatu nobis petitionis tuæ series continebat, tu dudum Vicarius Generalis totius Ordinis fratrum Minorum auctoritate Apostolica constitutus hujusmodi vicariatus officium exercens, sicut adhuc exerces auctoritate prædicta, nonnullas destitutiones, & institutiones ministrorum; nec non & institutiones aliarum personarum ad Generale Capitulum dicti Ordinis pertinentes fecisse nosceris, prout tibi pro conditione locorum, & salubritate status dicti Ordinis visum fuit. Nos pro bono pacis, & pacifico statu Ordinis supradicti, & ut electio futuri generalis Ministri, & alia in proximo Capitulo Generali Ordinis celebrando tractanda melius auctore Domino prosperentur: omnes destitutiones, & institutiones prædictas authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Avinionis &c. Anno XII.*

„ Postea vero dicti Fratres per dictum D. Bertrandum de facto, & contra formam prædictæ regulæ, ac Concilii Generalis in ministros, & Custodes perperam institutos cum paucis aliis Ministris congregaverunt se Parisiis in loco Fratrum Minorum: Et antequam ad electionem Fratris Geraldi Odonis procederent fecerunt protestationem suam de qua fecerunt fieri publicum instrumentum: Cujus Instrumenti verba sunt talia.

*Noverint universi præsens instrumentum inspecturi, quod anno Domini 1329. Indictione XII. die X. mensis Junii Parisiis in loco Fratrum Minorum ubi tunc tenebatur generale Capitulum eorumdem, Religiosi viri Frater Joannes Minister Romanus, Frater Pastor minister Provinciæ, & cæteri Fratres Ordinis Fratrum Minorum, ad quos secundum regulam ipsorum, Institutio, & destitutio Ministri Generalis Ordinis noscitur pertinere, considerantes quod Sanctissimus Pater D. Joannes divina providentia Papa XXII. prædictum Fratrem Michaelem de Cesena olim Generalem Ministrum ejusdem Ordinis ex suis demeritis juste, & rite depositum judicaverat ab Officio Generalis ministerii, atque tanquam contumacem, & inobedientem excommunicaverat, & inhabilitaverat ad quæcumque officia & beneficia intra, & extra ordinem supradictum: Qui Frater Michael salutis suæ immemor adhuc se audet dicere Generalem, & de facto abutitur officio supradicto: idcirco prædicti Ministri, & Custodes asserentes prædictum Fratrem Michaelem legitime fuisse absolutum, & depositum, & pœnas alias incurrisse, nihilominus ex abundanti, & ad cautelam, & ad ejus malitiam convincendam, & etiam insaniam detegendam, qua se audet erigere, ut abutatur dicto Officio contra voluntatem, & præceptum dicti D. Papæ, & etiam contra totius Ordinis voluntatem, qui ipsum reputat juste depositum a prædicto Domino nostro Papa: Nihilominus supradicti Ministri & Custodes authoritate regulæ & potestate ex eorum regula eis data ipsum deposuerunt, & amoverunt quantum in eis est ab Officio memorato. Inhibentes eidem ne deinceps se audeat gerere pro generali Ministro; ac etiam præcipientes eidem authoritate prædicta, ut sigillum officii, libros, & res alias ad Ordinem pertinentes reddat, & restituat, ac mittat generali ministro, qui hodie eligetur:* „ hæc verba dicti Instrumenti confecti dicta die. Qua die etiam dictum Fr. Geraldum Odonis in suum ministrum elegerunt. Postquam dicti Fratres Geraldus, & sui sequaces approbaverunt Processus factos per dictum D. Jacobum contra præfatum Fr. Michaelem, & alios, qui dictæ appellationi interpositæ per dictum Fr. Michaelem adhæserunt, & mandaverunt, quod nullus ipsis fratribus, vel eorum alicui, seu eis adhærentibus præstaret auxilium, consilium, vel favorem. Et etiam approbaverunt gesta, & facta per D. Jacobum, & Bertrandum. Ex prædictis autem pro parte dictæ Congregationis opponitur, quod dictus Fr. Michael non debet haberi pro generali ministro dicti Ordinis, sed dictus Frater Geraldus; quia ut ipsi dicunt Frater Michael juste & legitime depositus fuit. Primo per dictum D. Jacobum quem asserunt esse Papam verum, & legitimum, & gesta, & facta per eum valida, & justa fuisse & esse. Secundo quia dicunt etiam ex abundanti & ad cautelam ex potestate eis data per regulam B. Francisci ipsum Fr. Michaelem deposuerunt ab officio generalis ministerii. Pro parte etiam eorum allegatur, quod appellatio interposita per dictum Fr. Michaelem suo nomine, & dicti Ordinis non tenet, quia ut dicitur Papa superiorem non habet: Et ideo a gestis per eum appellari non potest. Quia de ejus gestis nullus judicare potest 9. q. *ult. Cuncta per Mundum* cum similibus. Quæritur igitur utrum dicti Processus facti tam per dictum D. Joannem, quam per dictam Congregationem, tam circa depositionem dicti Fratris Michaelis quam circa electionem dicti Fratris Geraldi, quam circa prædicta alia, & eorum occasione sint censendi nulli & nullius valoris, & momenti. Et ad evidentiam prædictorum, ut lucidius hæc materia omnibus pateat. Cum quæritur de gestis per Papam circa jus Ecclesiasticum mere positivum. Aut de gestis per eum circa fidem, & bonos mores, sive tangentibus jus divinum. In primo casu quum quæritur de gestis per eum tangentibus mere jus positivum Ecclesiasticum distinguendum est quia aut quæritur de potestate absoluta, aut de potestate ordinata. Cum igitur agitur de gestis per eum circa jus Ecclesiasticum mere positivum ex potestate absoluta, utpote quis ex certa scientia & de plenitudine potestatis causa cognita volens tollere jus tale positivum, sive derogare eidem habita mentione de ipso jure, tunc tenent gesta per eum. Quia po-

„ test

„ test tale jus tollere sive eidem derogare, quia legibus solutus est, *ff. de legi. l. Princeps*. Et sic locum habet quod dicitur, quod Papa potest supra jus positivum dispensare, & illud tollere. Extra *de conce. præben. C. proposuit*. Et privilegium in præjudicium aliorum dare 12. *q.* 2. *Bona rei*. Et sententiam iuvalidam confirmare 4. *q.* 6. *C. hoc quippe*. Et notatur 9. *q.* 2. *C. nullus*. Et sub hoc intellectu dicitur, quod Papa omnes judicat, & ipse a nemine judicatur. Et sic loquuntur jura 9. *q. ult. C. Episcopo, & C. patet, & C. nemo & C. aliorum, & C. facta. Et* 40. *di. C. si Papa*. Et non appellatur ab eo, quia sic superiorem non habet, & sic loquitur *C. Cuncta* 9. *q. ult.* superius allatum. Et quod non subiacet Conciliis. *Extra de electi. C. significasti*; Et hac potestate absoluta, quæ plenitudo dicitur potestatis non intelligitur Papa uti, nisi, ut prædictum est, expressam de hoc faciat mentionem, quod jus velit tollere, & eidem ex certa scientia derogare. *Extra de offi. & potest. indi. dele. C. Ex parte tua* in tex. & in Glos. Si vero agitur de gestis per Papam ex potestate ordinata, ex qua semper intendit, & vult procedere, & debet jura servare, tunc non tenent gesta, sive facta per eum contra jus: Unde si rescriptum vel mandatum aut Processus sui emanarent contra jus, non tenent; nec est ei obediendum, ut espresse habetur, & notatur *Extra de æta. & quali C. cum te* in Tex. & Glos. & *extra de rescript. C. si quando* in Tes. & Glos. & *C. cum adeo* 25. *q.* 2. *C. ut dammosa, & C. rescripta. Et C. de precib. Imp. off. l. quoties & l. rescripta*. Et secundum hanc potestatem nusquam per suum mandatum, vel rescriptum intendit, nec potest juri alteri derogare *Extra de offi. & potest. judi. dele. C. super eo, Et ff. ne quod in loco pub. fiat. l.* 1. *§. si quis a Principe, &* 25. *q.* 2. *C. de Ecclesiasticis* in Tex. & Glos. Unde non licet Papæ prædium Ecclesiæ alienare 12. *q.* 2. *C. non liceat*, quia licet legibus sit solutus, tamen secundum jura agere debet. *ff. de legi. l. Princeps & C. de legi. l. digna vox, &* 93. *di. §. Ecce* & ibi notatur: Et ex eo quod facit, vel concedit aliquid contra jus, præsumitur per surreptionem obtentum, ut notatur *Extra de transla. Epi. C. ult. super verbo. Cum postulatio*: Et a sententia, sive rescripto Principis per surreptionem emanante appellari, sive provocari potest. Quia non adversus Principem, sed adversus obreptionem intelligitur provocatum *ff. quo. appel. sit; & intra quæ tempora l.* 1. *p. re. &* 2. *q.* 6. *C. biduum*, circa fin. vel ipse debet suum errorem revocare, vel ejus successor. 35. *q.* 9. *§. his ita respondetur, & C. quod quis, & C. veniam, & C. sententiam, & C. Gregorii*. Et de hac duplici potestate Papæ absoluta, & ordinata notat Hosti. *in apparatu Extra de excessi. præla. C. sicut uni*. In secundo vero casu, cum quæritur de gestis per Papam circa fidem, vel bonos mores sive jus divinum: In his subjacet Papa legi divinæ, & statutis Sanctorum Patrum. Quia non potest ex aliqua potestate contra ea facere. Sed quod determinatum est a lege Divina, sive a Sanctis Patribus tenetur firmiter observare, & inviolabiliter custodire, ut patet espresse 25. *q.* 1. *sunt quidam & C. contra statuta, & C. omne, & C. prima salus, & C. satagendum* ibi. Quibus nos etiam subditos esse Sacræ Scripturæ præcipiunt. Nec in his Papa potest suorum Prædecessorum statuta destruere 25. *q.* 2. *C. si ea destruerem*, & in *C. amputato*. Et in his Papa subiacet Conciliis, nec contra ordinata in Conciliis possit facere, probatur 15. *di. C. sicut Sancti* in Tex. & Glos. & *C. Sancta Romana*. Unde Papa non possit statuere vel dispensare, quod religiosi, qui voverunt vivere sine proprio, haberent proprium. *Extra de sta. mo. C. Cum ad monasterium* in fine: Nec contra statum universalis Ecclesiæ 24. *q.* 1. *C. memor. &* 25. *q.* 1. *C. quæ ad perpetuam* in tex. & Glos. & 19. *di. §, hoc autem*. Imo si Papa aliquid contra hoc statueret, foret sicut hæreticus ab omnibus Catholicis repudiandus. 19. *di. C. Anastasius*, ubi Glos. or. super verbo *Concilio* dicit sic: *Videtur ergo quod Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum; quod verum est, ubi de fide agitur: Et tunc Synodus major est Papa, sicut major est Orbis urbe* 93. *di. C. legimus*: Imo si Papa recedit a fide, sive facit contra fidem Catholicam est depositus. 40. *di. Si Papa* in tex. & Glos & minor est quocumque Catholico. Unde non potest aliquem Catholicum excommunicare, cum quilibet Catholicus eo sit superior, nec etiam aliquem hæreticum, quia æqualis est sibi, ut probatur 24. *q.* 1. *§. si autem* circa fin. & *in C. Acacius*, & ibi notatur plene in Glos. His igitur ad evidentiam dicendorum præmissis, pluribus rationibus ostenditur evidenter, quod sententia depositionis, sive amotionis ab Officio Generalis ministerii, & ceteri Processus per dictum D. Joannem contra præfatum Fratrem Michaelem prolati, ac institutio dicti Vicarii Ordinis facta per ipsum D. Joannem, & omnia gesta per dictam congregationem Fratrum, tam in deponendo ipsum Fratrem Michaelem quam in eligendo præfatum Fratrem Geraldum in Generalem Ministrum & ceteris allocutis, nullius fuerunt, & sunt roboris, & momenti. Prima ratio sic sumitur. Certum est, quod mandatum sive sententia & Processus Papæ etiam legitimi, & Catholici ex falsis causis, sive tacita veritate, & expressa falsitate prolati non habent roboris firmitatem, ut probatur *Extra de rescriptis C. si quando* in tex. & Glos. & *C. cum adeo, & de sen. & re judi. C. cum olim, &* 35. *q.* 9. *C. veniam* in tex. & Glos. & *ff. de natali. resti. l.* 2. *& Extra de procura. C. in nostra*: Nec literis Papæ, quæ taliter processerunt est obediendum. *Extra de æta. & quali. cum te* in tex. & Glos. Sed dicti processus facti per dictum D. Joannem tam in deponendo, sive amovendo dictum Fratrem Michaelem ab Officio generalis ministerii, & eum diffamando, quam in constituendo præfatum D. Bertrandum de Turre Vicarium dicti Ordinis, ut superius est ostensum, fuerunt ex falsis causis, sive tacita veritate, & espressa falsitate, & etiam ex abrupto sine causæ cognitione prolati & in maximum præjudicium, & gravamen dictæ universitatis Fratrum minorum, quæ in Capitulo Generali Bononiæ celebrato dictum Fratrem Michaelem generalem Ministrum tanquam sufficientem, & idoneum approbavit, & confirmavit, etiam post illa quæ in dicto Processu dicti D. Joannis falso asseruntur, ipsum generalem Ministrum in favorem hæreticorum perpetrasse, & propter hujusmodi favorem ipsum ad Curiam vocatum: maxime enim derogatur & præjudicatur dictæ universitati Fratrum, cum infertur, quod ipsa universitas hominem a fide dignis, declaratum de crimine hæresis, & citatum, sive præventum pro tali crimine, sicut dicitur in dicto Processu approbavit, & confirmavit in suum generalem ministrum, & sententia lata in præjudicium universitatis, quæ fungitur jure minorum *C. de jur. re. publi. l. rem publicam*, ex falsis allegationibus nulla est, *C. si ex fals. alle.* per totum, & ibi notatur. Ergo hujusmodi depositio, sive amotio a dicto officio generalis ministerii, & constitutio dicti Vicarii, nullam habuerunt roboris firmitatem, etiam si ipse fuisset verus, & catholicus Papa. Et per consequens quicquid secutum est ex eis, vel ob id, scilicet mutatio prædicti termini de Capitulo generali ad formam regulæ prædictæ Parisiis celebrando, & ordinatio facta per dictum D. Bertrandum se dicentem Vicarium dicti Ordinis,

„ dinis, quod ministri & custodes se congregarent Parisiis in proximo futuro Capitulo Pentecostes ad alium generalem ministrum eligendum; Et institutio, & destitutio ministrorum, custodum, & aliarum Personarum facta per dictum D. Bertrandum. Nam quicquid factum est per surreptionem non valet. *Extra de Offi. Vica. C. tua nobis* in tex. & Glos. Et si principale non tenet, nec quæ sequuntur ex eo tenent. *extra de fid. Instr. C. Inter dilectos & C. de legi. l. non dubium. Et ff. de regul. jur. l. cum principaliter* cum similibus. „ Secunda ratio sic sumitur. Certum est, quod in regula Beati Francisci per Sanctam Romanam Ecclesiam approbata, & confirmata, ad cujus observantiam universi fratres dicti Ordinis ex voto suæ professionis inviolabiliter astringuntur, statuitur, & dicitur in hæc verba. *Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum, & servum totius fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente electio successoris fiat a ministris Provincialibus, & Custodibus in Capitulo Pentecostes; in quo Provinciales ministri teneantur semper insimul convenire ubicumque a generali ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem, vel minorem sicut a prædicto ministro generali fuerit constitutum. Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum Provincialium, & Custodum prædictum ministrum non esse sufficientem ad servitium, & communem utilitatem fratrum, teneantur fratres prædicti quibus electio data est in nomine Domini sibi alium eligere in Custodem:* hæc verba dictæ regulæ. Et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Concilium generale in Decretali *Exivi de Paradiso* in *lib.* 7. Decretalium inserta, verba dictæ regulæ declarans diffinit in hæc verba: *Nos volentes ipsos posse clare, & secure procedere in omnibus factis suis, declaramus, statuimus, & etiam ordinamus hac Constitutione in perpetuum valitura: ut cum alicui Provinciæ de ministro fuerit providendum, ipsius ministri electio penes Capitulum Provinciale resideat, quam idem Capitulum sequenti die qua fuerit congregatum facere teneatur. Ipsius autem electionis confirmatio ad ministrum pertineat Generalem.* Et infra: *Cæterum si Capitulum memoratum die prædicta ministrum eligere prætermittat. Ex tunc ministri Provincialis provisio ad Generalem ministrum libere devolvatur.* Et infra: *In Destitutione vero dictorum ministrorum Provincialium servari volumus, quod super hoc in dicto ordine fuit hactenus observatum. Cæterum si contingeret eosdem ministros generali ministro carere, per Vicarium Ordinis fiat super hoc quod fuerat faciendum per eundem ministrum usquequo provisum fuerit de generali ministro. Porro si quid de hujusmodi Provinciali ministro secus forte attentari contigerit, illud ipso facto sit irritum, & inane:* hæc verba dicti Concilii generalis Ecclesiæ Sacrosanctæ. Ex quibus verbis clare patet, quod electio Provincialis ministri pertinet ad Provinciale Capitulum, & confirmatio ad generale ministerium. Et quod aliquis vicarius dicti Ordinis, quantumcumque canonice, & legitime constitutus non potest in aliqua Provincia aliquem ministrum instituere, sive eidem Provinciæ de Provinciali ministro providere, nisi cum duo copulative concurrunt, scilicet, quod Provinciale Capitulum negligit eligere ministrum Provincialem; & ordo caret generali ministro. Et cum hactenus in dicto Ordine fuerit observatum, quod ministri Provinciales solummodo per generalem ministrum cum Discretorum Fratrum consilio, & causa cognita, & probata ab ipsorum officiis destituuntur, & promoventur. Et cum etiam per Decretalem *Exiit qui seminat* in 6 *lib.* insertam per dictum generale Concilium approbatam constet, quod Custodes illi qui ad Generale Capitulum transmittuntur, & electioni generalis ministri intersunt, ab aliis custodibus constituuntur. Patet secundum formam Juris, & dicti generalis Concilii, quod Vicarius dicti Ordinis nullam habet potestatem deponendi, sive amovendi Provinciales ministros, vel constituendi Custodes ituros ad Capitulum generale Ordinis antedicti. Certum est etiam quod si quis a Papa etiam Catholico, & legitimo impetravit literas tali Juri, sive Concilio generali contrarias, non valent tales literæ, nisi de ipso Jure sive Concilio in ipso rescripto fiat specialis mentio, ut expresse patet *extra de Capell. Monaco. C. Ex parte tua* in tex. & Glos. ordi. & *extra de rescrip. C. nonnulli*, & in præalleg. *C. Eam te Extra de Æta. & quali.* Unde si aliqui religiosi, vel alii impetrant literas a Papa super confirmatione Prioratus, sive alterius administrationis in Religione, non tenent tales literæ, & præsumuntur subreptitiæ, ut expresse patet. *Extra de Confir. util. vel inutil. C. ad vitam, & C. porrectæ* in tex. & Gl. Sed constat quod dictus Dominus Bertrandus se vicarium asserens ordinis antedicti pro libito voluntatis contra formam Juris, & Concilii instituit, & creavit ministros Provinciales, & Custodes qui in dicta Congregatione fuerunt, & absque aliqua causa legitima probata, ministros rite, & secundum formam dictæ regulæ, & dicti Concilii generalis electos, & confirmatos destituit & absolvit: Et quod illi qui fuerunt in dicta Congregatione imo verius conspiratione facta Parisiis fuerunt pro majori parte per dictum D. Bertrandum dicentem se vicarium ministri Provinciales, & Custodes creati. Nam cum sint solummodo 34. ministri in toto ordine de ministris legitime electis, & institutis, qui erant in officio ministri tempore Capituli generalis Bononiæ celebrati, viginti defuerunt in Congregatione ordinata, & facta Parisius in festo Pentecostes immediate sequenti per D. Bertrandum qui se vicarium Ordinis authoritate Jacobi de Caturco asserebat, scilicet minister Angliæ, Hiberniæ, Daciæ, Alamaniæ Superioris, Saxoniæ, Turoniæ, Provinciæ, Aquitaniæ, Castellæ, Aragoniæ, Terræ Sanctæ, Siciliæ, Calabriæ, Terræ laboris, Apuliæ, Pennensis, S. Francisci, Marchiæ, Sclavoniæ, & Mediolanensis. Et idem etiam creditur de multis aliis. De quatuordecim, aut residuis ministris quatuor fuerunt per Fratrem Michaelem Generalem Ministrum absoluti ex Causis legitimis, & cum magno Consilio, scilicet, ministri Januæ, Sancti Antonii, Bononiensis, & Tusciæ. Et sciendum quod de his quos Frater Bertrandus instituit, de facto plures sunt notorie, & publice infames, & de gravissimis Criminibus accusati, & confessi, sicut acta ordinis clare demonstrant, propter quod prædictus Frater Michael Generalis minister eos absolverat ab officiis ordinis, in quibus erant: Et secundum eorum demerita aliis etiam pœnis gravibus punierat: Et hos tales promovit dictus Dominus Bertrandus, ut ad quæcumque sibi grata præberent assensum: Et quod ipse D. Bertrandus impetravit a dicto Domino Joanne confirmationem dictarum institutionum, & destitutionum ministrorum Provincialium & Custodum per eum contra formam dicti generalis Concilii, & Juris perperam attentatarum, nulla de dicto Concilio, nec de Jure eligendi Provinciales ministros pertinente ad Capitula Provincialia, nec de jure Institutionis dictorum Custodum in ipsis literis habita mentione. Ergo quicquid factum fuit per dictam Congregationem tam circa depositionem dicti Fratris Michaelis, quam circa electionem dicti Fratris Geraldi, quam circa alia, nullius fuit roboris prorsus atque momenti; cum nec ipsa depositio, nec ipsa electio, nec cætera fuerint facta a majori parte universitatis ministrorum, & Custodum rite, & secundum regulam Beati Francisci, & formam dicti Concilii generalis institutorum: nec in generali Commissione vicariatus venire potest talis amotio, & destitutio,

„ & col-

„ & collatio administrationis hujusmodi *extra de offi. vica. C. licet, & C. Cum in generali lib. 6.* Nec in generali Commissione etiam facta per Papam Catholicum, & legitimum venit, nec venire potest, ut talis Commissarius sive delegatus a Papa possit aliquos suo jure contra concilia, sive Jura privare; quod contra jura dispensare, & contra Concilia agere solummodo est Sedi Apostolicæ reservatum; cum ex certa scientia, & de jure ipso sive Concilio habita mentione expressa dispensat. 9. *q.* 3. *per principalem, & extra de conce. praben. proposuit*. Unde talia in generali consilio, ac commissione non veniunt. *Extra de Offi. lega. Quod translationem, &* 17. *di. C. huic sedi.* in tex. & Glos. Et licet Papa generaliter committat alicui quæstionem aliquam terminandam, appellatione remota. Tamen non est suæ intentionis, nec aliquid intelligi potest in tali commissione venire, per quod Juri alterius præjudicium generetur, *extra de offi. & potest. judi. dele. c. super eo* in tex. & Glos. & *de offi. ordi. licet*, & *extra de deci. C. ex multiplici, & de rescrip. C. ad aures*. Impetrando etiam confirmationem institutionum, & destitutionum factarum ipse Dominus Bertrandus, per consequens fateri videtur, se non potuisse tales institutiones, & destitutiones facere, *extra de offi. & potest. judi. dele. cum super abbatia*. Tertia ratio sic sumitur in dicto Instrumento Depositionis si sic dici potest, per dictam Congregationem de dicto Fratre Michaele, dicitur sic: *Prædicti ministri, & custodes asserentes prædictum Fr. Michaelem legitime fuisse depositum a præfato Domino Joanne, nihilominus ex abundanti, & ad cautelam, & ad ejus malitiam convincendam, qua se audet erigere, ut abutatur dicto officio contra voluntatem, & præceptum dicti Domini Papæ, & contra totius Ordinis voluntatem, qui ipsum reputat juste depositum a prædicto D. Papa ex potestate ex eorum regula eis data ipsum deposuerunt, & amoverunt quantum in eis est ab officio memorato*. Ex quo patet quod ipsi quasi Judices, scilicet, ex potestate quam sibi asserunt per regulam traditam deposuerunt eundem tanquam abutentem dicto officio. Ex quibus verbis sic arguitur. Certum est, quod ubi plures habentes jurisdictionem, sive potestatem aliquam deponendi, vel amovendi ab officio procedunt ad ipsam depositionem, vel amotionem, cum non habentibus aliquam potestatem, sive jurisdictionem, quicquid per eos agitur nullius est momenti, ut probatur expresse *Extra de Offic. & potest. judi. delega. cum super Abbatia*. Sed dato sine præjudicio, quod illi qui fuerunt in dicta Congregatione fuissent pro majori parte rite, & secundum formam regulæ, & dicti Concilii in Ministros, & custodes instituti, quod falsum est. Tamen constat, quod ad dictam depositionem processerunt cum illis, qui nullam habebant authoritatem, neque potestatem deponendi, quia fuerant tam contra formam dicti Concilii per dictum D. Bertrandum instituti: Ergo dicta depositio nullius fuit roboris, vel momenti. Præterea constat ex prædictis, quod dicta depositio fuit in falso fundata, & ex falso promulgata, cum dicatur in ea, quod ipsum deponunt ab Officio memorato pro eo quia ut dicunt, abutitur dicto Officio contra voluntatem dicti Ordinis, qui ipsum reputat juste depositum a prædicto Papa, & quia fuit juste depositus. Quorum quodlibet ex prædictis & infrascriptis convincitur esse falsum Constat autem quod illud, quod ex falsa causa gestum, & in falso fundatum non habet roboris firmitatem, ut in juribus superius in prima ratione allegatis probatur, & ostenditur evidenter. Cum ergo pateat ex prædictis quod depositio, quam dicta congregatio asserit per dictum Dominum Joannem juste factam, & etiam se fecisse ex authoritate & potestate, quam dicit sibi a regula traditam nullius fuerit momenti, per consequens sequitur quod electio per ipsam Congregationem attentata de dicto Fratre Geraldo nullius fuit momenti. Quia non potest aliquis eligi, vel institui in locum ejus qui non est legitime destitutus. *Extra de renuncia. C. ult.* in Tex. & glos. Quarta ratio sic sumitur. Certum est, quod circa electionem Generalis Ministri faciendam est tradita certa forma per sedem Apostolicam, videlicet quod fiat a ministris, & custodibus legitime electis in Provincialibus Capitulis, & confirmatis per Generalem Ministrum. Et quod fiat in Capitulo in Festo Pentecostes, & in loco, & in tempore constituto a Generali Ministro, salvo tamen, quod si aliquo tempore appareret universitati ministrorum Provincialium, & Custodum, Generalem Ministrum non esse sufficientem ad servitium, & communem utilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data est alium sibi eligere in custodem. Et constat quod apparuit universitati ministrorum Provincialium & custodum Generalem Ministrum esse sufficientem, & ipsum Bononiæ confirmaverunt. Et ordinarunt cum beneplacito ipsius, quod futurum generale Capitulum ad Triennium tunc proxime futurum celebraretur Parisiis. Et dictus Generalis constituit, quod ad ipsum terminum Triennii ipsum Capitulum celebraretur Parisiis, ut supra dictum est. Et certum est, quod hanc formam traditam a Sede Apostolica, & regula, ac Concilio nullus potest immutare, nisi solus Papa verus, & Catholicus, cum ex certa scientia habita mentione expressa de regulæ statuto, & Concilio generali formam hujusmodi mutaret, alias immutatio etiam facta per Papam non habita mentione expressa de regula, & Concilio non tenet, ut in præalle. *C. extra de Capell. mona. C. ex parte* in Tex. & Glos & *de confir. uti. vel inutil. C. porrecta*. & superius in secunda ratione est ostensum, ubi dictus D. Bertrandus non potuit hanc formam immutare, quia a forma data per sedem Apostolicam nullus inferior potest recedere. Et quicquid contra formam datam a Canone fit, nullius est momenti *Extra de Electi. C. quia propter, & C. de jure fisci. l. certa forma l. X.* cum similibus. Cum igitur ipse D. Bertrandus hanc formam immutaverit, quia mandavit quod Capitulum celebraretur in festo Pentecostes tunc sequenti, & novos ministros de facto, & minus legitime, & contra formam dicti Concilii Generalis instituit, & legitime institutos destituit de facto, ac mandavit, & ordinavit dictam Congregationem fieri ad hunc finem, sive effectum, scilicet ut novum generalem eligerent, cum assereret dictum Fratrem Michaelem jam depositum per dictum D. Joannem, unde secundum ipsius D. Bertrandi ordinationem, & mandatum non permittebatur in potestate dictæ Congregationis, videre utrum dictus Frater Michael esset sufficiens ad servitium & communem utilitatem Fratrum, & eum amovere, sed necessitas indicabatur eisdem quod alium eligerent, ipso habito pro deposito juste ab officio generalis ministerii; Et cum etiam illi qui fuerunt in dicta congregatione non venerint, nec tenderent ad hunc finem, & effectum, ut ipso præcise habito pro deposito juste unum eligerent, sicut patet manifeste ex verbis eorum in dicto Instrumento positis, sequitur manifeste, quod dictum Capitulum regulæ non potuit in eis sibi locum aliqualiter vendicare: Et quod quicquid actum fuit per eos tam in deponendo dictum Fratrem Michaelem, quam in eligendo dictum Fratrem Geraldum nullius fuit momenti. Quinta ratio sic sumitur. Certum est de jure, quod electio quæ fit ab universitate, Capitulo, sive Collegio exclusis, sive contemptis illis, qui dictæ electioni debent interesse, nullius est momenti: Et intelliguntur excludi, sive repelli, vel cum repelluntur, vel cum non vocantur, sicut expresse probatur 63. *di. C. abeuntibus*

*tibus*

*tibus* in Tex. & Glos. or. *extra de arbi. cum o-*
*lim de electis*. quod sicut, & notatur 7. *q.* 1. *C.*
„ *factus est* in Glos. Secundum etiam statuta, &
„ consuetudinem dicti Ordinis approbatam vacante
„ Ordinis generali Ministro per Ministrum Provin-
„ cialem ad hoc deputatum vel Vicarium mandan-
„ dum est omnibus ministria quibus mandari potest,
„ quod veniant in Festo Pentecostes in Capitulo
„ generali in loco ubi ordinatum fuerat per gene-
„ ralem ministrum Capitulum celebrari. Sed constat
„ quod dictus D. Bertrandus, vel minister Pro-
„ vincialis aliquis nusquam vocaverunt illos mini-
„ stros, qui interesse debebant electioni generalis Mi-
„ nistri si qua de jure facienda fuisset, imo ipse D.
„ Bertrandus de facto ipsos exclusit, eos absentes,
„ & non citatos, nec vocatos absque causa legitima
„ contra jura, & canonicas sanctiones, & consuetu-
„ dines approbatas dicti Ordinis de facto privando,
„ sive destituendo, & alios minus idoneos in lo-
„ cum eorum de facto cum de jure non posset in-
„ stituendo: Ergo dicta electio facta de dicto Ge-
„ raldo per dictam Congregationem nullius fuit mo-
„ menti. Igitur sine præjudicio præsupposito hoc
„ falso quod dictus D. Joannes fuisset, & esset ve-
„ rus & Catholicus Papa, & pro vero, & Catho-
„ lico Papa habendus; tamen adhuc in hoc casu
„ ex prædictis quinque rationibus probatur, & osten-
„ ditur evidenter, quod depositio facta de dicto
„ Fratre Michaele, & electio facta de dicto Fra-
„ tre Geraldo nullius fuit momenti. Sexta ratio sic
„ sumitur. Certum est quod Papa in his quæ per-
„ tinent ad fidem Catholicam subest Conciliis ut
„ patet per jura superius allegata 25. *di. sicut San-*
„ *cti* in Tex. & Glos. & 19. *di. Anastasius* in Tex.
„ & Glos. super verbo *Concilio*, & quod legitur,
„ & notatur 40. *di. si Papa*. Et si Papa deviat a
„ fide Catholica minor est quocumque Catholico.
„ 24. *q.* §. *Item cum Dominus*, & in *C. Acacius*
„ in Glos. or. plene traditur, & notatur. Unde pa-
„ tet quod ubi dicitur Papam contra fidem fecisse,
„ & in fidei Catholicæ præjudicium aliquem, seu
„ aliquos gravasse, potest per ipsos gravatos ab eo
„ provocari, & appellari, ut superius est probatum:
„ Et Concilium generale habet de tali appellatione
„ in dubio cognoscere, & diffinire. Et certum est,
„ quod per appellationem interpositam eximitur ap-
„ pellans a potestate, & jurisdictione illius, a quo
„ appellavit, ut patet per id quod legitur & nota-
„ tur *Extra de app. C. proposuit* in Tex. & Glos.
„ Et appellatione pendente non potest in præjudi-
„ cium appellantis aliquid innovari 2. *q.* 6. *C. ap-*
„ *pellatione*, & *ff. nil. inno. ap. pen. l.* 1. Et is ad
„ quem appellatum est, habet de tali appellatione co-
„ gnoscere, non is a quo appellatum est. *Extra*
*de appellati. C. ut debitus*, & *C. cum speciali*. Si e-
„ nim is, a quo appellatur, possit de tali appella-
„ tione cognoscere in causa, Papa jus sibi diceret,
„ quod esse non potest 24. *q.* 4. *inter querelas*,
& *q.* 5. *de occidendis*, & 4. *q.* 4. *C.* 5. & *C.*
*ne quis in causa Papa judicet, vel jus sibi dicat*
„ per totum. Sed constat quod præfatus Generalis
„ Minister suo, & dicti Ordinis nomine appellavit
„ a dicto D. Joanne, ex eo quia præfatus D. Joan-
„ nes pronunciavit, & asseruit pluries determinatio-
„ nem, & assertionem fidei Catholicæ fuisse hære-
„ ticam, quam totum Capitulum dicti Ordinis, o-
„ lim apud Perusium congregatum fecit, & per pa-
„ tentes literas universis Christi fidelibus destinavit,
„ firmiter asserens, quod Christus, & Apostoli vi-
„ am perfectionis ostendentes jure proprietatis non
„ habuerunt aliquid in speciali, nec in communi,
„ prout Sancta Romana Ecclesia in Decretali *Exiit*
„ *qui seminat* §. *Porro* profitetur, Et quia dictus
„ Minister Generalis præfato D. Joanni zelo fi-
„ dei, & Ordinis in facie contradixit, ipse dictum
„ Generalem Ministrum in sua Curia detinuit, &
„ arrestavit, & eidem graviter comminatus fuit,
„ de qua appellatione facta, & interposita Avinio-
„ ne infra X. dies a tempore dicti gravaminis sibi,
„ & toti Ordini prædicti illati, factum fuit publi-
„ cum Instrumentum. Et constat, quod post, &
„ contra dictam appellationem, & ea pendente di-
„ ctum Fratrem Michaelem ab Officio Generalis
„ Ministerii de facto amovit, sive deposuit & ab-
„ solvit, & dictum D. Bertrandum Vicarium di-
„ cti Ordinis constituit, qui ejus authoritate man-
„ davit, quod dicta Congregatio fieret Parisiis in
„ termino supradicto, & quod per ipsam Congrega-
„ tionem procederetur ad electionem alterius Mi-
„ nistri Generalis: Et quod Fratres qui iverunt
„ Parisiis principaliter, & per se ex dicto man-
„ dato moti, & dictæ depositioni, & absolutio-
„ ni factæ totaliter inhærendo, & se in ipsis fun-
„ dando ipsum Fr. Michaelem deposuerunt, &
„ ad electionem dicti Fratris Geraldi processerunt.
„ Quod etiam aperte patet, cum dicunt in Instru-
„ mento. *Nihilominus ad Cautelam, & ad ejus*
*convincendam malitiam qua se audet erigere, ut*
*abutatur officio contra voluntatem, & præceptum*
*Domini nostri Papæ, & contra totius Ordinis vo-*
*luntatem, qui ipsum reputat juste esse depositum a*
*Domino nostro Papa ex potestate ex eorum regula*
*eis data ipsum deposuerunt*. Ergo quicquid factum
„ fuit tam per ipsum Dominum Joannem, & præ-
„ fatum Dominum Bertrandum, quam per dictam
„ Congregationem post, & contra dictam appella-
„ tionem, & quicquid ex eo vel ob id factum est
„ in dicti appellantis præjudicium nullius fuit mo-
„ menti. Septima ratio sic sumitur. Certum est quod
„ omnis hæreticus, est omni potestate, & ministra-
„ tione privatus. 24. *q.* 1. *Dicimus omnes*, & in
§. *si ergo*, & §. *si autem*, & §. *his authoritatibus*,
& in §. *Item cum Dominus* ibi liquido constat: Et
„ est ipso jure damnatus, & excommunicatus per
„ sententiam Sacri Concilii generalis. *Extra de hæ-*
*reti. C. Excommunicamus*, & 2. *excommunica-*
*mus*, & *C. ad abolendam*: Et omni actu legitimo
privatus. *C. de hæreti. l. Manichæos & in dicto C.*
*Excommunicamus itaque*: Unde quicquid agit hæ-
„ reticus tanquam Prælatus sive per modum Ju-
„ risdictionis, & potestatis, nullius est momenti 7.
*q.* 1. *C. factus*, & *C. Novatius*. Et ideo omnis
„ sententia depositionis, vel damnationis per eum,
„ vel ejus authoritate prolata, & omnis commissio
„ per eum facta, & omne mandatum nullius sunt
„ momenti; sicuti omnis ordinatio & electio facta
„ de hæretici mandato, & ejus authoritate, vel vice,
„ nullius est momenti. *C. de legi. l. non dubium*.
„ Gesta enim per illum, sive illos, vel eorum au-
„ thoritate, qui non habent de Jure potestatem,
„ sive Jurisdictionem, nullius sunt valoris ipso Jure.
*Extra de offi. vica. C. tua nobis* in tex. & Glos.
*C. si a non compe. judi. l. ult.* & per totum, &
*XI. q.* 1. *C. penult.* Sed constat, quod præfatus
„ D. Joannes ex quo tria statuta hæreticalia fecit,
„ & per mundum publice promulgavit, quorum
„ primum incipit, *Ad Conditorem Canonum*, secun-
„ dum *Cum inter nonnullos*, tertium, *quia quo-*
„ *rundam*: In quibus doctrinam Evangelicæ, &
„ Apostolicæ perfectionis, quam Christus & Apo-
„ stoli verbo, & exemplo docuerunt, & Sancta
„ Romana Ecclesia tenet, & firmiter docet esse
„ tenendam, judicavit hæreticam. Et hæreses con-
„ tentas in ipsis statutis hæreticalibus post appella-
„ tiones tam pro parte dicti Ordinis, quam per Re-
„ gem Romanorum contra hujusmodi hæreses in-
„ terjectas publice, & notorie, ac pertinaciter de-
„ fendit, fuit, & est censendus hæreticus notorius
„ & manifestus. *Extra de verbor. sign. C. super*
*quibusdam*: Et ipso facto fuit excommunicatus, ut
„ legitur, & notatur expresse 24. *q.* 1. *C. Acha-*
*cius* in tex. & Glos. & damnatus, ita quod nullo
„ modo fuit sibi obediendum. 19. *di. C. Anasta-*
*sius* 2. Et quod gessit non tenuit. Et omnes sibi
„ consentientes in hujusmodi hæresi fuit hæretici,
„ ut legitur, & notatur 25. *q.* 1. *C. quæ ad per-*

*petuam*: Et etiam evidenter, & plenissime ostenditur, & probatur per jura, & rationes introductas in appellatione contra dictum D. Joannem per dictum Generalem Ministrum interposita, & in aliis allegationibus super his factis. Et quod etiam constat, quod ipse D. Joannes dudum est declaratus, denunciatus, & publicatus hæreticus per sententiam latam per D. Imperatorem de consensu Cleri, & Populi Romani: Et constat, quod ipse Dominus Joannes hæreticus manifestus post, & dictam appellationem, damnationem, & publicationem dictum Fr. Michaelem Generalem Ministrum ab officio generalis ministerii de facto deposuit, sive amovit; & dictum D. Bertrandum Vicarium instituit: Et quod ipse D. Bertrandus authoritate commissionis vicariatus sibi factæ per dictum hæreticum manifestum mandavit, quod dicta Congregatio Fratrum fieret Parisiis in termino supradicto ad hunc effectum, ut ipsi fratres alium Generalem ministrum eligerent in locum dicti Fratris Michaelis, quem asserebat in suis literis juste, & rite per dictum D. Joannem depositum, sive privatum officio generalis ministerii: Et quod illi fratres propter dictum mandatum authoritate hæretici factum Parisiis se congregarunt, alias hoc non facturi, nisi ea ordinatione prædicta. Et quod ipsi fratres qui se ibidem congregaverunt principaliter per se ex dicta ordinatione, & depositione moti, & dictæ depositioni, sive privationi factæ per dictum hæreticum & ipsius Processibus, & Commissioni Vicariatus totaliter inhærendo, & in ipsis, ut prædictum est se fundando ad dictam electionem fratris Geraldi de facto processerunt: Ergo necessario sequitur, quod dicta depositio facta de dicto fratre Michaele, & dicta Commissio vicariatus, & mandatum factum per eum, quod fratres convenirent Parisiis, & ipsa Congregatio, & quicquid factum fuit per ipsam Congregationem tam in deponendo de facto dictum fratrem Michaelem, ex eo quod abutebatur dicto officio contra voluntatem, & præceptum dicti D. Joannis quam in eligendo dictum Fratrem Geraldum, quam in aliis. Et quicquid secutum fuit ex eis vel ob id, nullius fuerint roboris, vel momenti. Octava ratio sic sumitur. Certum est, quod omnes fautores, & defensores hæreticorum, & eis adhærentes, & præbentes auxilium, consilium, & favorem sunt ipso jure, & facto excommunicati, & omni officio, & beneficio, ac dignitate, & actu legitimo privati: Unde nec eligere, nec eligi possunt. *Extra de hæreti. C. Excommunicamus. §. credentes, & C. sicut ait, & e. lib. 6. C. quicumque, & de sen. exco. C. solet in fin.* nec tales excommunicati possunt aliquem deponere. *24. q. 1. audivimus, & §. si autem, & extra de sen. & re. judic. C. ad probandum*. Sed constat, quod isti Fratres iverunt ad dictam Congregationem, & eam fecerunt de mandato dicti hæretici, scientes jam per dictum Generalem ministrum appellantem nomine totius ordinis fore appellatum contra eum tanquam contra hæreticum manifestum, & ipsum D. Joannem fore hæreticum publicatum, & denunciatum pro tribus dictis hæreticalibus statutis per eum per mundum publice divulgatis, sive de mandato dicti Domini Bertrandi Commissarii ipsius hæretici asserentis ipsum Generalem per ipsum hæreticum fuisse depositum: Et quod ipsam Congregationem fecerunt etiam contra mandatum, & præceptum obedientiæ dicti Generalis mandantis eis per obedientiam generalem, quod ad ipsum mandatum hæretici, sive ejus Commissarii nullatenus convenirent. Et constat, quod ipsi Pseudofratres, qui in ipsa Congregatione fuerunt, gesta, facta, & statuta per dictum hæreticum approbaverunt, & gesta, & facta per ipsum generalem ministrum in favorem, & defensionem fidei Catholicæ, & professionis, & regulæ B. Francisci, & ad impugnationem hæresum, & errorum dicti hæretici reprobaverunt: Et etiam una cum dicto Fratre Geraldo pronunciaverunt de facto dictum generalem ministrum, & socios, & sibi adhærentes incurrisse pœnas Processuum, quos dictus hæreticus fecit contra ipsos Generalem, & socios &c. ut superius est ostensum; ex quibus manifeste convincitur eos fuisse fautores, & defensores hæretici, & hæreticæ pravitatis, & eidem totaliter in suis erroribus adhæsisse; & ob hoc ipso jure & facto eos excommunicatos, & omni actu legitimo, & jure electionis activæ, & passivæ privatos: Unde concluditur, quod quicquid factum fuit per ipsam Congregationem, imo verius conspirationem tam in deponendo dictum Generalem, quam in aligendo dictum fratrem Geraldum, quam in aliis per eos gestis, nullius fuit omnino roboris & momenti: Et quod ipse frater Geraldus nullo modo dici potest generalis minister Ordinis B. Francisci; & quod a veris Fratribus B. Francisci non potest eidem tanquam ministro Generali Ordinis Beati Francisci, absque animarum periculo obediri. Ex prædictis igitur patet, quod non obstat illud, quod pro parte dictæ Congregationis, imo verius conspirationis opponitur, scilicet quod ipsi ex abundanti, & ad Cautelam ex potestate, quam dicunt se habuisse ex dicta regula deposuerunt & deponere potuerunt dictum Fratrem Michaelem ab Officio generalis Ministerii, & elegerunt, & eligere potuerunt dictum Fratrem Geraldum in Generalem Ministrum, prout asserunt, & affirmant. Et vere non obstat. Primo, quia, ut dictum est, authoritate, & de mandato dicti hæretici congregatio facta fuit. Unde non potuit dici Capitulum Generale, imo nullum fuit, & quicquid secutum fuit ex eo, ut superius est probatum. Secundo quia ad hunc effectum, & finem mandatum fuit eis, quod se congregarent Parisiis: Et ipsi se congregaverunt ad hoc, ut Ministrum Generalem eligerent in locum jam depositi, & amoti; unde non habuerunt potestatem videndi, nec cognoscendi utrum dictus Frater Michael esset sufficiens ad communem utilitatem, & servitium fratrum, & sic amoverent eum, sicut requiritur ex verbis dictæ Regulæ. Cum conceditur universitati Ministrorum habenti Generalem Ministrum, quod possint alium eligere, si ille qui est Minister eis aliquo tempore insufficiens ad servitium, & communem utilitatem fratrum videatur. Tertio, quod ipsi fuerunt fautores, & defensores hæretici, & hæreticæ pravitatis adhærentes eidem & gestis per eum, & eum in suis hæresibus defendentes, & foventes: unde fuerunt excommunicati: Ergo nullus eorum potuit eligere, nec eligi, imo omnes fuerunt active, & passive privati electione, ut superius est probatum. Quarto, quod hoc falso sine præjudicio supposito, quod dictus D. Joannes non possit dici hæreticus antequam esset per Concilium Generale de appellatione, & contentis in ea causis definitum. Tamen constat, quod generalis, & sibi adhærentes, & ordo quorum nomine appellavit, pendente ipsa appellatione deponendi dictum Generalem, nec mandandi quod Capitulum Generale congregaretur ad alium ministrum eligendum: Et ideo dicta electio nulla fuit, quia attentata fuit de mandato nullam jurisdictionem habentis talia faciendi: Et quia ipsa depositio, & electio fuerunt post, & contra dictam appellationem, & in præjudicium appellationis & appellantis attentatæ. Quinto quia ipsa depositio quam dicunt se fecisse authoritate dictæ Regulæ fuit facta ex falsa, & erronea causa expressa in ea; cum dicant, quod deponunt eum ex potestate eis ex regula tradita, ex eo quod abutitur officio Generalis Ministri contra voluntatem, & præceptum Domini Nostri Papæ, & contra totius ordinis voluntatem, qui ipsum reputat juste depositum a prædicto Domino Papa: Unde

„ talis

talia depositio, quæ errorem intolerabilem continet nulla est. 24. *q.* 1. §. *his auctoritatibus*. Sexto, quia dato, quod prædicta cessarent; constat tamen manifeste, quod in dicta Congregatione non fuit major pars ministrorum secundum formam regulæ, ac dicti Concilii Generalis institutorum; sed illi qui ibi fuerunt pro majori parte fuerunt de facto instituti, sive creati Ministri per dictum D. Bertrandum nullam habentem auctoritatem sive potestatem hoc faciendi, & contra dictum Concilium Generale decernens irritum, & inane, quicquid fit contra illud, ut superius est probatum. Septimo, quia esto quod ibi fuisset major pars legitimorum Ministrorum, tamen non fuerunt vocati, sed exclusi, & privati illi qui debebant interesse de jure, & qui erant legitime instituti. Unde non potuit dici Capitulum, quia non fuit legitime convocatum, nec congregatum, ut superius est probatum, ex eo quod fecerunt ipsam electionem contra prohibitionem sui Superioris. Octavo, quia cum depositio, si rite facta est, præsupponat, quod antea esset generalis Minister, & quod ipse generalis Minister antea mandasset per obedientiam omnibus Ministris dicti Ordinis, quod non convenirent, nec irent ad Capitulum ad terminum Triennii per eum de voluntate generalis Capituli celebrati Bononiæ secundum regulam constitutum. Et cum ipsi eorum Superiorem asserant præfatum D. Joannem, & per dictum D. Joannem, sive ejus authoritate per dictum D. Bertrandum, quem dicunt Vicarium, præcise mandatum fuisse eis pure, & simpliciter, quod novum Ministrum eligerent in locum dicti fratris Michaelis depositi. Sequitur, quod deponendo eum in omnem eventum fecerunt contra formam mandati Superioris. Electio autem facta contra mandatum, sive interdictum Superioris, nulla est, ut patet per id quod legitur & notatur *Extra de electi. C. ult.* in Glos. or. in fin. glo. Item fecerunt contra formam *C. regulæ*. Ex quo *C.* dicunt se eum potuisse deponere, quia ipsum *C. regulæ*, ex quo dicunt se ipsum potuisse deponere, universitati Ministrorum legitime institutorum habenti Ministrum Generalem concedit sub conditione, scilicet, si viderit eum esse insufficientem, ad servitium, & communem utilitatem fratrum, ut possint alium eligere? at ipsi expresse asserunt, eum legitime fuisse depositum per dictum D. Ioannem; sed quia, ut dicunt, abutitur dicto Officio contra voluntatem, & præceptum præfati D. Ioannis, & etiam voluntatem totius ordinis, qui ipsum reputat justa depositum; Ideo eum deponunt: Unde tam ex dicto, quam ex causa dicti ipsorum patet, quod ipse non erat Minister, & quod Ordo carebat Ministro secundum eorum confessionem, & assertionem. Et ideo non pertinebat ad eos videre, an esset insufficiens Minister ad communem utilitatem, & servitium Fratrum; & sic dictum Capitulum Regulæ in dicto Casu non poterat sibi locum aliquem vendicare, quod Minister, qui non est, absolvi, sive deponi non potest; Ut probatur per id quod legitur, & notatur *extra de despon. impub. C. ad dissolvendum*; sicut & Collegio, quod non est, privilegium dari non potest. *Extra de Ecclesiæ ædifi. C. audientiam*; & testatum quod non est, rumpi non potest. *ff. de iniust. rup. & irri. testa. l. Nam & si sub Conditione*. Nec ante juris ratio quam persona quærenda est. *ff. de jure codici. l. quidam referunt*. §. 1. Et sic prius debuit haberi, sive quæri Minister, quem deponere, & amovere possent, quam quæreretur, utrum de jure eum amovere seu deponere possent.

Subsequenter videns præfatus D. Ioannes, quod prædictus Frater Michael Generalis Minister ab ipso solemniter appellaverat, & de hoc duas appellationes, unam prolixam, & completam, & aliam parvam, & abbreviatam ex dicta prolixa, & completa extractam ediderat. In quibus antedictas suas tres Constitutiones impugnabat, & fore hæreticas ostendebat: Quartam Constitutionem ad suarum Constitutionum, & hæresum defensionem, & dictæ parvæ appellationis impugnationem edidit, & publice promulgavit. Majori vero, & prolixæ appellationi quamvis eam habuit, quia in communi audientia Avinionis posita fuit, respondere noluit, aut nescivit.

Tenor vero dictæ Constitutionis noscitur esse talis.

## CONSTITUTIO

### CONTRA APPELLATIONEM FRATRIS MICHAELIS

*Ministri jam depositi.*

JOannes Episcopus &c. ad perpetuam rei memoriam. Quia vir reprobus Frater Michael da Cesena dudum Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum, qui suis excessibus exigentibus de Ministratus Officio per nos de Fratrum nostrorum consilio privatus, & inhabilis redditus ad quæcunque dignitates & officia obtinenda fuerat justitia exigente, conversus in vaniloquium non intelligens quæ loquitur, & de quibus affirmat in illam prorupit insaniam, quod tres Constitutiones nostras, videlicet, *ad Conditorem Canonum; Cum inter, & Quia quorumdam* visus est multipliciter impugnare, asserendo inter alia hæreticum, quod dicta Constitutio *Cum inter* Catholicum asserit, & Catholicum quod Constitutio eadem hæreticum declarat. Et ut sua insania pluribus esset nota libellos suos continentes impugnationes prædictas ad diversas Mundi partes, & studia destinare, ac ipsas affigi in Portis Ecclesiarum, vel locis aliis publicis temeritate placabili attentavit, propter quod, & plures ipsius excessus alios de eorumdem Fratrum Consilio fautorem hæreticorum, & hæreticum exigente justitia declaravimus, prout hæc in nostris sententiis latius continentur, licet impugnationes prædictæ adeo sint invalidæ, notoriæ, quod non sint responsione indigentes. Quia tamen in ipsis impugnationibus arma sumit contra legem ex lege, ac Evangelium impugnat ex Evangelio; Et de veris fingens mendacia, provocat ad mendacium veritatem; ne simplicium corda possint inficere erronea, ac hæretica dicta sua, succincte duximus, suis oppositionibus ut sequitur respondendum. In primis itaque hæreticus ille Constitutionem *ad Conditorem Canonum* in eo nititur impugnare, quod dicta Constitutio probare intendens, quod per Fratres Minores sine proprio vivere profitentes in rebus quæ usu consumuntur non sunt dicendi simplices usuarii, asserit quæ sequuntur. Dicere siquidem quod in talibus rebus, quæ usu consumuntur usus juris vel facti separatus a proprietate rei, seu dominio possit constitui repugnat juri, & obviat rationi. Et infra. In rebus usu consumptibilibus nec jus utendi, nec usus facti separata a proprietate seu dominio possint constitui vel haberi: hæc verba Constitutionis prædictæ, ut dicit iste hæreticus Sacræ Scripturæ, & Sacris Canonibus, & diffinitionibus Sanctorum Doctorum ac etiam determinationi Romanæ Ecclesiæ obviant manifeste. Quod autem Sacræ Scripturæ repugnent per id quod legitur in actibus Apostolorum 2. & 4. C. aperte probatur, ut dicit. In secundo enim C. dicitur sic. *Omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia, possessiones, & omnes substantias vendebant, & dividebant illa singulis, prout cuique opus erat*. 4. vero C. scribitur sic. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat:* Et paulo post sequitur: *Nec quisquam egens erat inter eos, quotquot enim erant possessores agrorum, & do-*

*morum, vendentes, afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, dividebant autem singulis prout cuique opus erat, & panes frangebant circa Domos sumentes cibum cum exultatione*. hæc ibi. Hoc autem vocabulum *suum* Sancti exponunt sic *suum*, idest, *proprium*, ut patet 12. *q.* 1. *scimus* & *C. nobis*, & *C. non dicatis* §. *sic Ergo*. Et per Augustinum circa principium regulæ suæ, & Glos. or. super verbo *habebant omnia communia* dicit. *Indicium fraterni amoris est omnia possidere, & nihil proprium habere*. Ex quibus verbis, ut dicit iste hæreticus, insinuatur manifeste, quod nullius rei temporalis, nec usu consumptibilis nec usu non consumptibilis habebant credentes proprietatem. Quia res non consumptibiles usu, scilicet, possessiones, agros, domos, & substantias Glos. idest *pecora* vendebant, & ipsa nec in speciali, nec in eorum communitate tenebant. Illas autem res, quas lex in *Insti. de usufruc.* §. *Constituitur*, usu consumptibiles esse testatus, scilicet pecuniam pro pretio rerum venditarum acceptam, & panes, de quibus habetur ibi mantin specialis in communi habebant, & dividebant singulis prout cuique opus erat, & nullus ex eis aliquid suum idest proprium esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et sic quilibet eorum habebat usum rerum usu consumptibilium absque proprietate, & dominio, idest a proprietate, seu dominin separatum. Ex quibus concludit quod dicta assertio, & doctrina in dicta Constitutione contenta scripturæ divinæ obviat, & omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis rerum temporalium destruit, & confundit, quia secundum hoc quilibet religiosus, quum uteretur rebus usu consumptibilibus proprietarius censeretur. Hæc sunt verba istius hæretici, in quibus includit procul dubio multa falsa. Ad quæ ut sequitur respondemus. Dicimus enim quod verum est, quod dicta constitutio docet, & asserit, quod in rebus usu consumptibilibus nec jus utendi, nec ipsum uti potest constitui, vel haberi; ipsis tamen potest quis, sicut dicit dicta constitutio, abuti. Abuti autem secundum eandem constitutionem dum tractatur de rebus usu consumptibilibus sumitur pro consumptione rei: Et quod jus utendi in talibus rebus non possit constitui, probat dicta constitutio ex diffinitione usus quæ talis est. Usus est jus utendi alienis rebus salva rerum substantia, idest jus percipiendi fructus, seu utilitatem aliam in totum, vel pro parte suo nomine, qui possunt ex re in qua usus constituitur provenire. Constat autem quod ex rebus usu consumptibilibus, quamdiu earum substantia salva integra permanet, nulla potest utilitas provenire, ut patet in pane, & vino, ex quibus nullus fructus, sive utilitas potest colligi, vel haberi salva substantia rei. Quare evidenter relinquitur, quod in rebus talibus videlicet usu consumptibilibus jus utendi separatum a proprietate seu dominio nequeat constitui, vel haberi. Et per hoc B. Joannes Chrysostomus rationem reddit, quare pro pecunia mutuata usura, sicut merces pro Domo, vel re alia usu non consumptibili, locata licite recipi nequaquam possit dicens; quod in re usu non consumptibili, ut in Domo, vel agro, habens illa non solum habet proprietatem, seu dominium, sed ex illius substantia salva rei, ac proprietate rei & dominio fructus, seu utilitatem aliam percipit, ut patet in Domo in qua inhabitat, & sic ex ea commodum inhabitationis habet, sibi Domus salvo dominio remanente. Et ideo quia locans fructus rei, seu utilitatem aliam provenientem ex ea retento sibi dominio conductori concedit, nec illa scilicet, fructus, & utilitatem Domus vel agri finita locatione repetit: non est mirum si pro his pretium recipere possit: mutuans autem pecuniam in eum, qui ab eo mutuatus est transfert pecuniæ Dominium, non fructum aliquem nec utilitatem, quæ ex ea salva rei substantia valeat provenire, & tantumdem ab eo cui mutuat postea repetit. Quare ultra illud quod mutuatum a recipiente mutuum licite recipere nequit, ut legit. 88, *di. C. Ericiens*. Quod autem ipsum uti ab aliquo haberi nequeat dicta constitutio sequens Augustini sententiam positam in libro Confessionum clare probat. Quia, quod non est, haberi nequaquam potest. Actus autem utendi in rerum natura non est, nec antequam quis utatur, nec postquam usus est, nec dum est in actu utendi, prout latius prosequitur dicta constitutio, quare relinquitur, quod haberi non possit. Ad id autem quod dicit, quod ex prædictis Scripturis Sacris insinuatur aperte, quod nullius rei temporalis nec usu consumptibilis, nec non consumptibilis usu proprietatem credentes habebant; dicimus, si intelligat, quod in speciali proprietatem nullus habebat credentium, verum esse quod dicit pro tempore illo, pro quo scriptura prædicta loquitur, quia hoc dicit expresse Scriptura Sacra *Act.* 4. *C.* cum dicit: *Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat*. Si autem intelligat, sicut intelligit, ut per ea, quæ ponit inferius clare patet, quod credentes nullius rei expresse, cum dicat quod illis, scilicet, credentibus omnia erant communia inter eos, & quod illa omnino quoad proprietatem, seu dominium intelligi debeant, ex eo patet, quia id quod prius ante conversionem Judæorum ipsis fuerat proprium, postquam credentes effecti fuerint, fuit inter eos communicatum. Constat autem, quod illa quæ possidebant ante conversionem erant illis quantum ad dominium propria, alias enim illa communicare non poterant. Quare sequitur, quod fuerint quoad proprietatem, seu dominium inter eos communicata. Quod de rebus usu non consumptibilibus scriptura prædicta *Act.* 4. aperte dicit, nisi violentia sibi fiat. Cum enim dixisset; *Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat: sed erant eis omnia communia*. Parum post sequitur: *Nec quisquam egens erat inter eos:* Et causam hujusmodi volens reddere subdit. *Quotquot enim erant possessores Agrorum, & Domorum vendentes pretia, ponebant ante pedes Apostolorum &c.* Cum ergo prius dicat, quod inter credentes omnia erant communia; & posterius subjungat, quod agri vendebantur, & domus, evidenter apparet, quod illa communia, antequam venderentur, erant effecta, alias enim sequeretur, quod remansissent illorum, quorum prius fuerant propria, & per consequens quod illi ante venditionem illorum remansissent proprietarii; cujus tamen contrarium dicit scriptura prædicta, cum dicit. Nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat. Ad illud autem quod volens probare, quod rerum usu non consumptibilium credentes non habuerunt dominium etiam in communi, subjungit, scilicet, quod res non consumptibiles usu vendebant, & ipsas in speciali, nec in eorum communitate retinebant. Dicimus, quod ex hoc non sequitur, quod ante venditionem illarum rerum non habuerunt dominium, sed bene sequitur quod post venditionem, illud non retinuerunt; Et hoc est verum. Per venditionem enim perfectam in ementes transtulerunt dominium, quare illud sibi non retinuerunt. Et si quæratur, quare Apostoli agros, & domos non retinebant in Judæa, sed potius illis venditis habebant eorum pretia in communi? Respondet Melchiades Papa, dicens futuram, idest transituram Ecclesiam in gentibus, idest ad Gentes Apostoli prævidebant. Idcirco prædia in Judæa minime sunt adepti. Et si dicatur, quod Melchiades videtur supponere, quod credentes etiam ante venditionem prædiorum, illa nequaquam habuerunt in communi, cum dicat, quod illa in Judæa minime sunt adepti. Dicimus quod Mel-

chia-

ehiades pro tanto dixit Apostolos in Judæa non fuisse adeptos prædia, quia non sic adepti fuerunt ea quod illa sibi intenderent retinere; & ideo non videbantur fuisse adepti, cum qui sic rem adipiscitur, ut eam incontinenti a se abdicare debeat adeptus proprie non dicatur. Ex prædictis patet, quod Apostolis fuit licitum in Judæa, si voluissent retinere prædia; nec voto eumpulsi sunt, quod illa non retinuerint, sed voluntate propria, quia se non contracturos moram ibi, sed transituros prævidebant ad gentes. Ad id autem, quod subsequenter dicit, quod res usu consumptibiles in communi credentes habebant: Et sic quilibet eorum habebat rerum usu consumptibilium usum facti. Dicimus quod si intelligat quod erant eis communia quoad proprietatem, seu dominium, verum dicit? Si vero intelligat quod non fuerint communia quoad proprietatem, seu dominium, sed tantum quoad simplicem facti usum, eum errare dicimus, & Scripturæ Sacræ contradicere supradictæ: & quod scriptura illa demonstrative supponat res usu consumptibiles, quoad proprietatem seu dominium credentibus fuisse communia, patet. Dicit enim omnia illis, scilicet credentibus fuisse communia: Et quia omne dicens, nihil excludit: Sequitur quod dictum illud etiam res usu consumptibiles comprehendit. Quæro ergo quomodo ad quid erant illis communia bona illa? Aut dicet iste hæreticus, quod erant communia, quoad usum facti, aut quoad jus utendi, seu usumfructum sive possessionem, aut quoad dominium sive proprietatem; hæc enim secundum illam Decretalem *Exiit* in rebus temporalibus reperiri consueverunt: quod tamen non est falsum in rebus non consumptibilibus usu. Quantum autem ad simplicem usum facti, quod res illæ, scilicet, usu consumptibiles communes fuerint, dici nequaquam potest. Primo quidem, quod in rebus talibus scilicet usu consumptibilibus usus facti sumendo usum proprie locum habere non potest. Usus enim proprie sumptus requirit, quod cum ipso usu substantia remaneat salva rei, ut ex prædictis patet, quod in rebus usu consumptibilibus nequit esse. Item quia usus facti sic est utentis proprius, quod non potest dici alterius, nec communicabilis sibi: Patet enim quod actus comedendi sic erat sibi proprius quod non poterat aliis dici communis esse. Quare communio prædicta non potest intelligi quo ad simplicem facti usum. Rursus quia usus facti Communitati non convenit, cum talis usus personam veram exigat, quam non gerit Communitas, sed potius imaginariam, seu etiam repræsentativam; adhuc dici possit eum in rebus temporalibus, scilicet usu consumptibilibus jura prædicta, scilicet, jus utendi, seu usufructus constitui nequeant, ut ex eorum deffinitionibus, quas ponit dicta Constitutio, *Ad Conditorem Canonum* patet. Item nec quo ad possessionem dicta communio potest dici, quia si loquamur de possessione, quæ jus est, illa communio inter credentes secundum eum esse non potuit, cum ipse asserat Apostolos nullum Jus habuisse in istis temporalibus, sed tantum simplicem facti usum. Si autem loquamur de possessione, quæ facti est: Illa sic est cujuslibet possidentis propria, quod non est communis alicui, nec etiam communicabilis, sicut de usu facti dictum est superius. Quare sequitur, quod res illæ usu consumptibiles, quam inter ipsos erant effectæ communes quoad proprietatem & dominium sint communes effectæ inter ipsos. Quantum autem ad id quod postea iste hæreticus dicit, videlicet: Et sic quilibet eorum habebat usum rerum usu consumptibilium absque dominio, & proprietate, sive a proprietate, & dominio separatum. Dicimus, quod illud infert ex falsa suppositione, quam fecerat superius. Dixerat enim prius, quod res usu consumptibiles inter credentes erant communes tantum quo ad simplicem facti usum. Et ex hoc concludit, quod quilibet eorum absque dominio, & proprietate habebat usum rerum usu consumptibilium usum facti. Unde cum primum sit falsum, scilicet, quod res usu consumptibiles essent communes inter credentes tantum quoad simplicem facti usum, imo erant communes quoad dominium, seu proprietatem, ut superius est probatum, patet id quod ex eo concluditur esse falsum scilicet quod quilibet haberet in rebus temporalibus simplicem facti usum. Præterea patet falsum alia ratione; quia usus facti haberi nequit ab aliquo, ut superius est ostensum. Ad illud vero quod dicit iste hæreticus, quod dicta Doctrina scilicet quod in rebus usu consumptibilibus usus Juris, vel facti a proprietate, seu dominio separatus non potest constitui, nec haberi, omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis rerum temporalium destruit, & confundit, quia secundum hoc quilibet religiosus quum uteretur rebus usu consumptibilibus proprietarius censeretur. Dicimus quod mentitur aperte. Omnes enim religiones præterquam B. Francisci, quarum professores ad vivendum sine proprio astringuntur, confitentur se habere posse secundum suas regulas, & habere etiam tam res usu consumptibiles quoad proprietatem, & dominium in communi, licet aliqua per statuta superaddita regulis quantum ad aliqua immobilia suas regulas duxerim restringenda, quarum professores dici non possunt uti rebus consumptibilibus usu, si usus proprie sumatur ut superius est probatum; possunt tamen res hujusmodi consumere utpote panem comedendo, & vinum bibendo, & sic de aliis. Sed per actum sumendi talia non sunt censendi proprietarii cum ipsa non ut propria consumere, sed ut communia sunt, censendi? Actus quoque consumendi res hujusmodi nequaquam a communi dominio separantur. Sicut si duo habentes panem communem, illum indivisum comederent, neuter propter hoc panis quem comedit proprietarius fieret, nec diceretur comedisse proprium, sed communem; videtur etiam quod probabiliter dici possit quod post distributionem bonorum usu consumptibilium, quæ fiebat inter Apostolos, & credentes alios, ut dicitur *Act.* 2 & 4. quilibet portionis sibi assignatæ proprietarius, & dominus possit dici; Et hoc scriptura prædicta *Act.* 4. videtur expresse supponere cum dicit. *Nec enim quisque egens erat inter eos*. Et quare hoc? Reddit rationem, subjungens. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebant autem singulis prout unicuique opus erat*. Cum ergo dicat quod nullus egens erat pro eo quod unicuique dabatur divisim cujuslibet erat proprium. Dividere enim est divisim alicujus diversas partes dare. Cum ergo daretur ab illis qui dare poterant scilicet Apostolis, & illis, qui recipere poterant ea quæ ad vitæ humanæ sustentationem pertinebant; videtur, quod Dominus quilibet fuerit ejus portionis, quæ sibi fuerat assignata. Alias non videretur verum, quod dicitur, quod egentes non essent, nisi plus post divisionem haberent in assignata portione, quam ante. Præterea constat, quod vestimenta quotidiana inter res usu consumptibiles computantur. Poss communionem autem prædictam, de qua fit mentio in prædicto *C. Act.* 4. in actibus legitur, quod Angelus dixit Petro: *Præcingere, & calcea te caligas tuas*. Item dixit ei: *Circunda te vestimentum tuum &c.* Ubi clare supponit Angelus, quod caligæ, & vestimentum assignata Petro proprie quo ad dominium erant Petri. Quare videtur quod pecunia, panis, & vinum, & aliæ res usu consumptibile sibi divisim pro vitæ sustentatione assignata similiter ejus essent: nec votum vivendi sine proprio videtur, quod se extendit ad talia, quibus necessario

„ fario

sario eget humana vita. Praeterea ex illo *C. Act.* 4. probari non potest, quia credentes de bonis illis communibus ea divisione Apostolorum licite recipere potuerint, & ut proprium obtinere. Scriptura enim praedicta quantum ad hoc nihil aliud dicit nisi quod sequitur: *multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Nec quisquam eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Per verba autem illa videntur isti omnium quae possidebant a se dominium abdicasse, & illud transtulisse in communitatem, non autem videntur se astrinxisse, quum si detur eis de bonis illis communibus, quoad sustentationem vitae suae possint licite recipere, & ut propria retinere; imo haec scriptura praedicta satis supponit aperte cum dicit: *Dividebatur autem cuique prout opus erat.* Dividere autem, sicut praedictum, est alicujus rei divisas partes alicui dare. Item ad probandum, quod asserere, quod in rebus, quae usu consumuntur non possit haberi usus a dominio separatus, obviat scripturae sacrae, adducit illud quod Petrus Domino dixit Math. 19. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Quod secundum eum non potest intelligi, quod Apostoli reliquerunt omnia quantum ad usum, quia constat ea scriptura sacra, quod postea rebus usu consumptibilibus utebantur: Ergo reliquerunt omnia tam consumptibilia, quam non consumptibilia usu quantum ad dominium, & proprietatem, ut probatur ut ipse dicit 12. *q.* 1. *C. Dilectissimis.* Quia qui dicit omnia, nihil excipit. Et sanctus Gregorius super illo verbo. *Relictis retibus* dicit, quod *multum reliquit, qui nihil sibi retinuit, qui quantumlibet parvum, totum deseruit:* Ergo dicere, quod usus rerum usu consumptibilium non potest separari a proprietate, & dominio, sacrae scripturae obviat, & repugnat. Et confirmatur hoc, sicut dicit, quod Apostoli abdicationem voverunt omnium rerum temporalium, non tamen quantum ad usum. Quare sequitur secundum eum, quod Apostoli voverunt, & religiosi vovent abdicationem dominii, & proprietatis omnium rerum usu consumptibilium, & non consumptibilium usu: Haec dicta ejus. Ad hoc dicendum quod per illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia &c.* non potest concludi, quod quo ad dominium, seu proprietatem reliquerunt ea. Reperimus enim haec dicta de Petro, Jacobo, & Joanne *Luc.* 5. ubi dicitur, quod *subductis ad terram retibus, relictis omnibus secuti sunt eum.* Et tamen post verba illa legitur *Math.* 4. quod *Jesus ambulans juxta mare Galilaeae, vidit Petrum, & Andream mittentes retia in mare: Quibus ait, venite post me, & faciam vos piscatores hominum, qui continuo relictis retibus secuti sunt eum.* Et quod dictum *Luc.* 5. praecesserit illud, quod dicitur *Math.* 4. dicit Augustinus in *lib. de Concordia Evangelistarum* expresse. Item post illud quod legitur *Math.* 4. habetur *Math.* 8. quod *venit Jesus in Domum Petri:* Ergo Domus remanserat adhuc Petro. Item *Math.* 26. legitur quod *unus ex his, qui erant cum Jesu,* videlicet, Petrus ut dicitur Joannis 18. *exemit gladium suum, & percutiens servum Pontificis, amputavit auriculam ejus.* Cui Jesus ait: *Converte gladium tuum in locum suum:* Ergo gladius erat Petri. Item *Luc.* 22. dictum est Petro, & aliis Apostolis: *Qui habet sacculum, tollat similiter, & peram, & qui non habet,* scilicet gladium, *vendat tunicam suam, & emat gladium.* Item *Act.* 12. dicit Angelus Petro: *praecingere & calcea te Caligas tuas.* Item dixit ei: *Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me.* In quibus sacra scriptura evidenter supponit, quod post illa verba posita *Luc.* 5. de Petro, Jacobo, & Joanne *relictis omnibus secuti sunt eum,* Scriptura Sacra inquam supponit eum & retia & Domum: Et post illa, *Ecce nos reliquimus omnia,* etiam gladium, & vestes habuisse ut sua. Quare relinquitur quod per verba illa *relictis omnibus secuti sunt eum* non potest concludi Apostolos a se dominium omnium temporalium abdicasse: Item de Mathaeo legitur *Luc.* 5. quod cum Jesus dixisset Matthaeo. *Surge sequere me,* quod ipse surgens relictis omnibus secutus est eum, statim sequitur, quod Matthaeus, qui & Levi dicebatur fecit ei magnum convivium. Et propter hoc Petrus *Math.* 19. Cum Dominus dixisset uni, qui non erat de discipulis: *Si vis perfectus esse: vende omnia quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Caelo, & veni, & sequere me.* Petrus dixit. *Ecce nos reliquimus omnia &c.* Non dixit, vendidimus omnia, & dedimus pauperibus, sed dixit: *Nos reliquimus omnia.* Possunt enim res temporales relinqui quoad affectionem, & curam illarum sine dominii abdicatione, vel relinqui omnia scilicet praeter illa, sine quibus haec vita transiri non potest, sicut sunt alimenta, vel pro alimentis necessaria: Quibus non est verisimile quod ipsis renunciaverint, ut probant scripturae praedictae, & aliae multae, de quibus dicetur latius infra in objectionibus, quas iste haereticus facit contra Constitutionem, *Cum inter.* De Jacobo autem & Joanne dicitur *Math. primo,* quod *relicto Patre suo Zebedeo in navi cum Mercenariis secuti sunt eum.* Certe patrem non reliquerunt, ut ei renunciaverint, & pro patre postea non habuerint eum, imo ejus filii remanserunt. Quare verba illa non concludunt, quod per verba illa *Nos reliquimus omnia,* intelligatur a se omnia temporalia, saltem illa, de quibus Sacra Scriptura dicit contrarium, quoad proprietatem, & dominium abdicasse. Item non obstat *C. Dilectissimis* 12. *q.* 1. quod pro se dictus haereticus inducit, in quo Beatus Clemens scribit condiscipulis suis Hierosolymis habitantibus cum Beato Jacobo Episcopo Hierosolymitano; statum aequiparans Apostolorum, & ipsorum Discipulorum, ac Judaeorum Hierosolymis post missionem S. Spiritus conversorum, quoad modum habendi ista temporalis, statui primorum parentum, scilicet, innocentiae constitutorum. Et dicit ibi quantum ad statum primorum Parentum, quod communis usus omnium qui sunt in hoc Mundo omnibus hominibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius illud: Et sic inter mortales facta est divisio. Proculdubio ista Scriptura supponit, quod si primi parentes non peccassent, omnia communia fuissent quoad proprietatem, seu dominium, quod patet in eo quod dicit, quod per iniquitatem, idest, per peccatum primorum Parentum, alius dixit hoc esse suum, alius illud, & sic inter mortales facta est divisio; haec autem divisio facta fuit ejus rei, cujus prius erat communio. Divisio autem facta rerum, & non usus simplicis facti, ut patet, quia alius dicebat hoc esse suum, & alius illud: & non dicit quod unus diceret usum hujus rei suum esse, & alius alterius, sed dicebat unus rem aliquam, & alius aliam esse suam. Sicque patet quod rerum quo ad dominia non quoad usum divisio fuit facta. Et per consequens sequitur, quod ante divisionem, quo ad rerum dominia communio erat, Et hoc clarius per sequentia in *E. C.* patet, ubi sequitur. Et sicut non potest dividi aer, neque splendor solis: Ita nec reliqua, quae communiter data sunt hominibus ad habendum: manifeste patet quod dicit omnia temporalia communiter data fuisse omnibus hominibus ad habendum; non dicit quo ad facti usum, sed dicit ad habendum, quia usus facti nullatenus haberi potest, ut superius est probatum: Ergo si data fuerunt eis ab illo, scilicet, Deo qui dare potuit; Dicendum est, quod Domini fuerunt effecti; quia dare est rem accipientis facere. Deinde subiungit B. Clemens sic. *Istius enim consuetudinis more retento Apostoli, eorumque discipuli una nobiscum, & vo-*

*biscum*

*biscum communem vitam duxerunt: Ut enim bene nostis, erat multitudinis eorum, scilicet credentium cor unum, & anima una: Nec quisquis eorum aut vestrum de his quæ possidebat aliquid suum esse dicebat. Sed omnia nobis, & illis erant communia.* In quibus verbis supponit B. Clemens aperte, quod ante conversionem Judæorum illorum, de qua habetur *Act.* 2. & 4. mentio, Apostoli, & eorum Discipuli aliqua possidebant; ibi, cum dicit Apostoli eorumque discipuli una nobiscum, & vobiscum, & loquitur Judæis conversis, communem vitam duxerunt: Et in quo erat illa communis vita declarat dicens. Erat enim multitudinis credentium cor unum, & Anima una: Nec quisquam eorum scilicet Apostolorum, & discipulorum, de quibus locutus est supra, aut vestrum, scilicet, Judæorum conversorum de his quæ possidebat. Ecce aperte dicit, quod Apostoli, & discipuli aliqua possidebant ante. Sequitur, aliquid suum esse dicebat, sed omnia nobis & illis erant communia, scilicet, conversis Apostolis, & Discipolis. Sicque per dictum C. clare patet quod ante conversionem Judæorum prædictam Apostoli & eorum Discipuli aliqua habebant, & quod illa communicaverunt Judæis conversis: Et Judæi conversi communicaverunt Apostolis, & Discipulis eorum similiter quæ habebant. Ita quod quisque eorum scilicet Apostolorum, & Discipulorum, ac Judæorum conversorum, eorum quæ possidebat nihil suum esse dicebat, sed omnia nobis scilicet conversis & illis erant communia inter ipsos. Item in eo quod dicit, quod Apostolis post verba illa. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te* usi sunt rebus consumptibilibus usu. Dicimus esse falsum, quod in rebus usu consumptibilibus usus proprie sumptus haberi nequit, nec illis aliquis uti potest ut superius est ostensum. Item in eo quod dicit B. Augustinum dixisse Apostolos vovisse rerum omnium abdicationem. Dicit falsum: hoc enim Augustinus non dixit, sed cum dixisset Apostolos dixisse: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te,* subiunxit *hoc votum potentissime voverant.* Dic mihi quod est illud votum, quod voverunt? Certe dici non potest quod votum illud esset abdicationis proprietatis, seu dominii omnium rerum temporalium, cum de hoc in præcedentibus, seu subsequentibus nullam fecerint mentionem. Quid ergo est illud votum? Certe videtur quod voverunt se Dominum secuturos, de quo immediate mentio erat ibi, secuti sumus te. Et si dicatur, quod imo voverant, se relicturos omnia, & Dominum secuturos, quia ista præcesserant illa, cum dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Dicimus, quod non est verisimile, quod B. Augustinus intellexerit, quod in voto hujusmodi scilicet quod reliquimus omnia intelligantur illa comprehensa, quæ scriptura sacra eos postea habuisse commemorat, secuti sunt, quæ ipsos habuisse superius est probatum. Item non est intelligendum, quod B. Augustinus intellexerit quod ipsi Apostoli voverunt non habere aliquid in communi, cum intendens circa vitam Apostolicam suam religionem fundare loquens suis Fratribus sic dixit in regula sua. *Sit animus una, & cor unum in Domino, & non dicatis aliquid proprium, sed sint omnia communia, & distribuatur unicuique vestrum prout opus erit.* Et sequitur. *Sic enim legistis in actibus Apostolorum, quia erant eis omnia communia, & distribuebatur unicuique prout opus erat:* Cum igitur B. Augustinus & ejus Fratres res habuerint, & habebant in communi, non est revocandum in dubium, quin B. Augustinus Apostolos habuisse in communi supposuerit. Quare per authoritatem Augustini prædictam iste hæreticus nequaquam concludere potest, quod Apostoli voto abdicaverunt omnium rerum proprietatem, seu dominium, nec quod id abdicaverint in proprio, & in communi. Item non obstat. *C. illud XVI. q.* 1. *C. Ex authoritate* superius per ipsum allegatum, imo facit potius contra ipsum; loquitur enim de Monacis, qui, ut dicitur ibi, figuram Apostolorum tenent. Constat autem quod Monaci habent mobilia, & immobilia quoad proprietatem & dominium in communi, ut probatur 18. *q.* 2. *C. In nullo.* Quare videtur, quod Apostoli habuerint seu habere potuerint talia in communi. Verum est tamen, quod in Judæa non retinuerunt immobilia, sed ea potius vendiderunt, quia videbant ad Gentes Ecclesiam transituram, ut probatur *Act.* 2. & 4. *C.* & 12. *q.* 1. *C. futuram.* Adhuc iste veritatis hæreticus & fidei inimicus ad probandum, quod in rebus, quæ usu consumuntur possit haberi usus a dominio separatus, arguit sic. Omnes Decimæ terræ sive de frugibus, sive de Pomis arborum Domini sunt, ut habetur *Levit. ult.* usus tamen Decimarum tantum est Levitarum, ut habetur *Numerorum* 18. Constat autem, quod illæ Decimæ sunt de frugibus & pomis, quæ sunt res usu consumptibiles; quare cum Dominium decimarum sit Domini, & usus earum sint Levitarum, sequitur, quod in rebus usu consumptibilibus haberi potest usus a Dominio separatus. Ad hoc dicendum, quod iste arguit evidenter ex falsis. Quod enim dicit Levitas habuisse usum tantum Decimarum, falsum dicit, ut probatur *numerorum* 18. *C.* per eum in contrarium allegato, ubi Dominus sic dicit filiis Levi: *dedi omnes decimas Israel in possessione pro Ministerio, quo serviunt mihi in Tabernaculo fœderis.* Ex quibus patet, quod Levitæ tantum usum in Decimis non habuerunt, sed dominium. Nec obstat, quod in *e. C.* dicitur, quod in usus Levitarum, & necessaria Dominus decimas separavit. Aliud est enim alicui in usum rem aliquam dare, & aliud alicui dare usum alicujus rei. Ubi enim usus alicujus rei conceditur alicui, usus tantum rei, & non dominium sibi intelligitur esse datus. Sed ubi alicui res datur in usum, ne dum usus rei, sed dominium intelligitur esse datum: unde cum dicitur in præalleg. C. quod in usus Levitarum Dominus necessaria separavit, declaravit Dominus ad quid, propter quid Levitis decimas dedit, quia enim de frugibus, & fructibus nos dupliciter vivamus; uno modo comedendo; ad quod primo, & principaliter sunt concessi juxta illud *Genesis* 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Verum quia nonnunquam qui abundant in talibus, deficiunt in aliis necessariis ad vitam humanam voluit Dominus quod Levitæ possent non solum de frugibus illis comedere, sed etiam de illis quoad alia vitæ necessaria vendendo, vel mutando sibi providere. Et ideo dixit *in usus, & necessaria.* Et idem dicendum est de verbis illis in *e. C.* contentis ad Aaron prolatis. Ubi Dominus sic dixit: *universa frugum initia quæ gignit humus, & Domino deportantur, cedant in usus tuos.* Illarum autem rerum dominium concessit illis Dominus, ut in *e. C.* patet, in quo Dominus ad Aaron loquens sic dixit: *Omnis oblatio, & sacrificium, & quicquid pro peccato, atque delicto redditur mihi, & cedit in Sancta Sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum* sequitur: *primitias autem quas voverant, & obtulerunt filii Israel dedi tibi, & filiis, & filiabus tuis jure perpetuo.* Ex quibus patet, quod non solum in Decimis in rebus prædictis aliis Aaron & Levitæ usum & dominium habuerunt. Rursus nititur ostendere quod dicere, quod usus simplex facti non possit haberi in rebus usu consumptibilibus a dominio separatus, est vitam Christi, & Apostolorum ejus impugnare, quia perfectio paupertatis sicut, & aliæ perfectio-

nes

nes Consiliorum Evangelicorum fuerunt in Christo, & in Apostolis perfectissime. Et constat secundum eum, quod paupertas Evangelica excludit solicitudinem, quam requirit proprietas seu Dominium temporalium rerum; Ex quo sequitur secundum eum, quod usus rerum usu consumptibilium potest a proprietate, & earum dominio separari. Ad hoc dicendum quod concedimus quod perfectio paupertatis in Christo, & Apostolis perfectissime fuit: perfectio siquidem paupertatis Evangelicæ magis consistit in animo, ut scilicet animus amore istis temporalibus non adhæreat, quam in carentia temporalium rerum: hanc autem paupertatem Christus perfectissime habuit, & post eum Apostoli ejus, & per consequens perfectionem paupertatis Evangelicæ habuerunt. Ad illud autem, quod dicit, quod paupertas Evangelica rerum usu consumptibilium, dominium, & proprietatem excludit; Dicimus quod est falsum, imo illarum rerum supponit Scriptura Sacra ipsos Apostolos ad minus in communi habuisse proprietatem, & dominium, ut probatur *Act.* 4. ut superius est ostensum. Ad illud autem, quod dicit, quod abdicatio proprietatis, & dominii sollicitudinem excludit: Dicimus similiter, quod est falsum. Et quod talis abdicatio non excludat solicitudinem patet. Constat enim, quod si Dominus servo concedat peculium, quanquam proprietas, seu dominium peculii non cadat in servum, non propterea servus a sollicitudine est immunis, alias injuste reprehendisset Dominus servum negligentem, de quo agitur *Luc.* 19. quia pecuniam a Domino sibi traditam non tradiderat ad usuras. Et hoc videmus ad sensum, quod ille ad quem rei utilitas pertinet, sine dominio magis est circa rem illam sollicitus, quam sit nudus Dominus ejus, ut ad sensum videri potest in Fratribus Minoribus, qui nudum usum facti se habere in talibus asserunt, qui circa illa magis sunt sollieiti, quam Romana Ecclesia ad quam illarum rerum dominium asserunt pertinere. Præterea dicit iste hæreticus, quod vitæ Apostolorum repugnat vita prædicta. Quare secundum eum quantum ad abdicationem proprietatis rerum temporalium fuerunt Apostoli secundum B. Remigium ad dignitatem primi hominis revocati. Sed primus homo, & ejus posteri si stetissent in originali Justitia habuissent usum rerum usu consumptibilium sine proprietate, & dominio earundem secundum B. Clementem, ut dicit. Ad quod probandum inducit 12. *q.* 1. *C. Dilectissimis*. Quare dicere quod in rebus usu consumptibilibus non potest usus a proprietate & dominio separari est, ut dicit, vitam Apostolorum & Religiosorum Apostolos imitantium in abdicatione omnium rerum temporalium impugnare. Ad quod dicendum, quod illud quod ipse dicit, quod primi Parentes in statu innocentiæ in nullo habuerunt dominium, sed tantum simplicem facti usum ad minus post illam benedictionem: *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam.* Alia litera loco ejus quod supra dicitur, *& subiicite eam* habet, *& dominamini ei:* Et illam prosequitur Augustinus in *libro super Genes. ad literam, & in lib. de Civitate Dei lib.* 14. *C.* 21. Et sequitur, *& dominamini Piscibus maris & volatilibus Cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Ex quibus evidenter apparet primos Parentes post benedictionem prædictam, & Terræ, & Piscium maris, & volatilium Cæli & universorum animantium, quæ moventur super terram dominium in statu Innocentiæ habuisse. Et si quæratur, utrum illud dominium proprium fuerit, vel commune; videtur dicendum quod si tempore benedictionis prædictæ solus Adam formatus erat, & non Eva, sicut ordo scripturæ sacræ evidenter innuit, cum illa benedictio data fuerit Adam extra Paradisum existenti, Eva vero formata fuerit ipso Adam in Paradisum translato, ut patet *Genes.* 1. *&* 2. *C.* videtur quod ante formationem Evæ dominium temporalium Adæ proprium fuerit non commune. Commune quidem esse non potuit, cum solus pro tempore illo fuerit, & respectu ejus, qui nunquam alios socios habuit, nihil commune dici possit. Et hoc videtur expresse dici *Eccl.* 17. *C.* ubi dicitur sic: *Deus creavit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum:* Et sequitur: *Dedit ei potestatem eorum, quæ sunt super terram & posuit timorem illius super omnem Carnem, & dominatus est bestiarum, & omnium volatilium.* Ex quibus patet, quod solus dominatus fuit. Ex quo sequitur illum solum pro illo tempore dominium habuisse. Quia secundum Dionysium *de divinis nominibus C.* 12. *a Domino dicitur Dominus, dominans, & Dominator. Unde cum de solo Adam dicatur, quod dominatus est bestiarum, & volatilium,* sequitur, *creavit ex ipso adjutorium simile sibi.* Hoc idem videtur sentire Damascenus *lib.* 1. *C.* 8. ubi loquens de primo Parente sic dicitur: *hunc igitur hominem conditor masculinum construxit, statuit & tribuit, & sui ipsius divinam gratiam, & in communione ejus per hanc ipsum fecit, unde & animalium nominatorem prophetice, & suorum dominatorem effecit donorum.* Alia litera habet, & *suorum servorum dominatorem effecit.* Et sequitur: *ex ipso auxiliatricem ipsius &c.* Nec obstat *C. Dilectissimis* in contrarium allegatum, per illud enim concludi non potest, quod primi Parentes temporalium dominium non habuerint, sed quod illud non habuerunt divisum; imo ex authoritate Philosophi quam B. Clemens in eodem C. adducit, concluditur evidenter, ipsos habuisse dominium in communi. Ipse enim dicit, quod sicut non potest dividi aer, nec splendor solis: Ita nec reliqua, quæ communiter data sunt ad habendum dividi debere. Ex quibus verbis clare patet, Philosophum dixisse, ista talia temporalia fuisse data communiter omnibus ad habendum; & si data fuerunt ab illo, qui dare potuit, utpote Deo, & ei qui capax fuit sicut homo, sequitur, quod eorum dominium perfectum fuit: Nec Philosophus inducit comparationem aeris, & splendoris solis: Sic nec haberent dominium temporalium rerum, sed respectu indivisionis tantum illam comparationem induxit. Sic enim dicit: *Et sicut non potest dividi aer, nec splendor solis, ita nec reliqua quæ communiter data sunt hominibus ad habendum dividi debere, sed communia sunt habenda.* De aere tamen B. Augustinus 2. *lib. de libe. arbi.* sic dicit: *Si aliquid aeris, quod ego reddidero, possis tu ducere: Illud tamen non poteris, quod in meum cesserit alimentum: quia nec reddi potest: nam & a naribus alimenta nos capere medici docent, quod alimentum, & spirando solus sentire possum, & reflando non possum restituere, ut a te ductum naribus censeatur.* Adhuc ad ostendendum quod in rebus usu consumptibilibus usus facti possit a dominio separari, adducit, quod legitur *Luc.* 19. ubi Dominus servo cui pecuniam ad negociandum tradiderat, & eam tenuerat ociosam, dixit: *Serve nequam, quare non tradidisti pecuniam meam, & ego veniens cum usuris exegissem.* Ex qua authoritate patet, ut dicit, quod in pecunia prædicta servus usum habebat actualiter, & Dominus proprietatem ejusdem. Quare cum pecuniam esse de rebus usu consumptibilibus Lex præallegata superius testetur, expresse secundum eum Doctrina prædicta S. Evangelio contradicit. Ad hoc dicendum, quod sicut probatum est supra, impossibile est in rebus usu consumptibilibus quemquam usum habere vel simplicem usum facti. Nec obstat scriptura prædicta; usus enim pecuniæ, imo potius abusus non est ipsam simpliciter alicui tradere, sed tradere taliter, quod consumpta quo ad dominium censeatur. Unde licet servus actualiter pe-

„ cu-

,, cuniam mutuanti traderet per traditionem solam,
,, sive translationem dominii, nequaquam usum sed
,, abusum potius fuisse pecuniæ potest dici. Sed per
,, translationem Dominii habetur, quod consumpta
,, pecunia, quam quidem translationem non servus
,, sed Dominus cujus nomine fiebat mutuum facit.
,, Unde cum servus nomine Domini mutuasset,
,, ipse Dominus videtur usus imo abusus potius fuisse
,, pecunia, & non servus. Præterea servus qui jussu
,, Domini pecuniam mutuat non debet dici habere
,, usum, sed abusum simplicem facti, cum Jus ha-
,, buerit per concessionem hujusmodi mutuandi.
,, Rursus dicit quod prædicta assertio determinationi
,, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obviat, & repugnat.
,, Quia in Decretali, quæ incipit *Exiit* per univer-
,, salem Ecclesiam, ut dicit approbata, & in Con-
,, cilio Viennensi approbata diffinitur, quod Fratres
,, minores habent usum facti omnium rerum, qui-
,, bus utuntur absque omni dominio, & proprie-
,, tate, de quo usu sic dicit: *Qui usus non Ju-
ris, sed facti tantummodo nomen habent, quod
facti est tantum in utendo præbet utentibus, nihil
Juris. Manifestum est autem*, dicit, *quod Fra-
tres minores habent tantum usum facti rerum usu
consumptibilium: Ergo in rebus usu consumptibi-
libus potest usus facti a proprietate, & dominio
separari*. Ad hoc dicendum, quod sicut dicta Con-
,, stitutione *Ad Conditorem Canonum* dicit, verba
,, prædicta intellexit Conditor illius Canonis *Exiit*
,, de rebus, quæ non consumuntur usu, quod per
,, subsequentia, & præcedentia probatur satis clare.
,, Ante enim proposuerat quæ sequuntur: *Cum
in rebus temporalibus sit considerare præcipue pro-
prietatem, possessionem, usumfructum, & simplicem
facti usum &c.* Et post sequitur. *Condecens fuit
ei professioni, quæ sponte devovet Christum paupe-
rem in tanta paupertate sectari necessaria usu facti
contenta*. Cum autem prædicta scilicet usufructus
,, proprietas, jus utendi, & usus facti sumptus pro-
,, prie nequeant in rebus usu consumptibilibus re-
,, periri sed proprietas tantum, ut patet ex diffini-
,, tionibus usufructus, & usus, apparet, quod de rebus
,, usu consumptibilibus in quibus præmissa nequeunt
,, reperiri, non intellexit Conditor Canonis verba illa.
,, Hoc etiam apparet per ea quæ in eadem Constitu-
,, tione subsequuntur. Sequitur enim quod prædicti
,, scilicet fratres *sint usu facti contenti*. Non obviat
,, quod Civilis providentia in humanis rebus consti-
,, tuit videlicet non posse usum vel usumfructum a
,, dominio perpetuo separari, ne dominium semper
,, abscedente ab eo usufructu Dominis inutile red-
,, deretur. Quæ quidem Lex de rebus illis intelli-
,, gitur, quum penes unum usus rei, & penes alium
,, dominium possit licet inutile remanere. Quod ne-
,, quaquam in rebus usu consumptibilibus potest es-
,, se, cum in illis per usum, seu abusum usuarii,
,, substantia talis esse desinat, & per consequens et-
,, iam proprietas inutilis non subsistat, sicut dicitur
,, in constitutione, *Ad Conditorem* supradictam. Si
,, autem velit iste hæreticus, quod dicta constitutio
,, *Exiit* diffinierit, quod Fratres Minores in rebus
,, usu consumptibilibus habeant simplicem facti usum.
,, Dicimus, quod si diffinivit impossibile, & per con-
,, sequens diffinitio non valeret de jure. Cum enim
,, sit impossibile in rebus usu consumptibilibus usum
,, juris vel facti habere a dominio separatum, cum
,, hoc rationi obviet, & juri repugnet, statutum a
,, quocumque factum in contrarium non tenet. Item
,, in hoc quod dicit, quod dicta constitutio fuit per
,, universalem Ecclesiam approbata. Dicimus quod.
,, quantum ad hoc, quod Fratres Minores habeant
,, in rebus usu consumptibilibus usum facti nunquam
,, fuit per universalem Ecclesiam approbata. Dici-
,, mus etiam quod non fuit in Viennensi Concilio
,, confirmata, nec hoc poterit per Constitutionem
,, aliquam, vel alias apparere, imo nec de Fratrum
,, concilio promulgata. Adhuc iste hæreticus dicit
,, constitutionem prædictam *ad Conditorem* errorem

,, alium continere in eo quod continet quæ sequun-
tur. *Rursus nec simplex usus facti, qui neque ser-
vitus, nec pro illo competit jus utendi in talibus
rebus scilicet usu consumptibilibus potest constitui vel
haberi. Cum enim uti re aliqua nihil aliud sit pro-
prie quam fructus rei, seu utilitatem aliam insoli-
dum vel pro parte recipere, quæ ex ea possunt sal-
va substantia provenire. Restat quod re illa uti quis
nequeat ex qua ejus salva substantia nulla sibi po-
test provenire utilitas, quales res usu consumptibiles
esse constat. Ex quibus patet quod nec usus qui est
servitus Personalis, nec jus utendi quod non est ser-
vitus sed mere jus personale, nec actus ipse utendi
sine jure aliquo possunt in rebus usu consumptibili-
bus constitui, vel haberi, cum quodlibet præmissorum
exigat, quod ex re ipsa salva rei substantia possit ha-
benti jus utendi, seu utenti ex re ipsa utilitas aliqua
provenire. Quod utique in rebus usu consumptibilibus
nequit reperiri*. Et infra. *Licet autem in rebus usu
consumptibilibus nec Jus utendi, nec ipsum uti pos-
sit constitui, vel haberi, ipsis tamen poterit quis
abuti. Abuti autem dum tractatur de rebus usu con-
sumptibilibus pro rei consumptione sumitur, quod ei
opponitur, quod est uti. Uti quidem præsupponit,
quod cum usu rei salva substantia maneat; sed abuti
exigit, quod cum actu hujusmodi rei substantia con-
sumatur, cum abuti nihil aliud quam contra natu-
ram usus uti in hac materia proprie dici possit*.
,, Hæc verba constitutionis. Ex quibus apparere di-
,, cit hæreticus supradictus, quod dicta constitutio in
,, eo quod dogmatizat quod nec usus facti, nec
,, actus utendi haberi potest in rebus usu consum-
,, ptibilibus, quodque nullus hujusmodi rebus usu
,, consumptibilibus uti potest; quamvis eis abuti pos-
,, sit abusu qui contra naturam usus existit, Sacræ
,, Scripturæ obviat manifeste. Ad quod probandum
,, inducit *Levit. C. ult.* ubi dicitur quod omnes de-
,, cimæ terræ sive de frugibus, sive de pomis arbo-
,, rum Domini sunt; & *Numeror.* 18. dicitur de
,, Levitis, quod nihil aliud possidebunt decimarum
,, oblatione contenti, quas in usus eorum, & neces-
,, saria separavi. Ex quibus liquere dicit, quod usus
,, in rebus usu consumptibilibus ex Dei Statuto ha-
,, betur. Ad hoc dicendum, quod ille in prædictis
,, maxime se fundat in falsis. Quod enim Levitæ
,, in decimis tantum habuerunt simplicem usum fa-
,, cti falsum est, & contradicit expresse illi C. *XVIII.
Numeror.* per ipsum allegato, ubi sic Dominus dicit:
*Filiis Levi dedi omnes decimas Israel in possessione
pro Ministerio quo serviunt in tabernaculo fœderis*.
,, Ex quo patet, quod Levitæ non tantum usum
,, in decimis, sed & dominium habuerunt. Nec ob-
,, stat, quod in eodem *C.* dicitur, quod in usus Le-
,, vitarum, & necessaria Dominus decimas separavit.
,, Aliud est enim alicui dare in re aliqua usum facti
,, & aliud alicui rem in usus ejus, & necessaria dare,
,, ut superius est ostensum. Ad illud autem, quod
,, dicit, quod usus in rebus usu consumptibilibus ex
,, Dei statuto habetur. Dicimus quod est falsum,
,, quia in tota Scriptura Sacra non habetur mentio
,, de simplici usu facti. Adhuc dicit hæreticus præ-
,, dictus, quod ubicumque Scriptura Sacra de usu
,, rerum consumptibilium usu loquitur, semper ma-
,, nifestat, quod quis rebus usu consumptibilibus po-
,, test uti, & quod proprie contingit, & veraciter
,, eis uti: Sicut patet ad *Timotheum* 5. *ibi*; *modico
utere vino*; & 2°. *Reg.* 14. *C.* ibi: *filiæ Regum
vestimentis hujusmodi utebantur*. Et *Numeror.* 18.
*C.* ibi: *Universa frugum initia, quæ Domino depor-
tantur, cedunt in usus tuos*. Et parum post: *Carnes
vero in usum tuum cedent*. Et *Judic.* 19. ibi: *ha-
bentes panem, & vinum in usus, & ancillæ suæ
usus*. Et *Deuteronom.* 24. *C.* in fin. Et *Josue* 5.
*ibi: Nec usi sunt ultra &c.* Et *Levitici* 7. *C.* ibi
*in usus varios &c.* Et *Hester* 2. Et *Exodi* 28.
,, Idem etiam patet secundum eum per authori-
,, tates Sanctorum scilicet sancti Clementis 12.
*q.* 1. *C. Dilectissimis*; & *S. Augustini di.* 41.

Ad hoc dicendum, quod constitutio prædicta *Ad Conditorem* loquitur de usu, & de uti secundum quod dividitur usus contra dominium, & proprietatem, & contra usum fructum, & jus utendi, ac simplicem usum facti & jus utendi secundum Decretalem illam, *Exiit*, quæ dicit ista, scilicet, proprietatem, usum fructum, jus utendi, ac simplicem usum facti in temporalibus reperiri, cujus gratia dicta Constitutio, *ad Conditorem* fuit facta. Iste etiam hæreticus ad ostendendum quod pecunia inter res usu consumptibiles numeretur, allegat legem, ut ex prædictis patet. Constat autem secundum leges, quod in rebus usu consumptibilibus, nec usus fructus, nec jus utendi, quod est servitus potest constitui vel haberi, nec etiam jus utendi, quod non est servitus, sed mere jus personale, ut probatur *ff. de usu fruc. earum rerum, quæ usu consumuntur l. 1. & 2. ff. de jur. juran. l. Sed & si possessori §. sed & si rerum ff. commoda l. in §. fi.* Cum multis similibus. Item nec quisquam uti talibus rebus potest sumendo proprie uti. Usus enim seu uti si sumatur proprie secundum leges requirit, quod ex re illa in qua usum se habere asserit, vel ea vult uti, possit fructus, vel utilitatem aliam assequi, substantia salva rei, quod non potest in rebus usu consumptibilibus reperiri. Et ex hoc B. Joannes Chrysostomus rationem reddit, quare mutuans pecuniam pro mercede pecuniam recipere nequeat licite, cum locans agrum vel Domum, hanc licite recipere possit, ut dictum est supra. Ex quibus patet, quod in rebus usu consumptibilibus usus haberi nequeat, nec quis ipsis etiam uti possit, cum hoc juri repugnet, & obviet rationi; licet autem in talibus rebus, scilicet usu consumptibilibus usus, vel uti locum sibi proprie non vendicent: consumptio tamen, & usus consumendi locum habet, ut dicit Constitutio prædicta, quæ tamen non possunt dici simplicia nec a rei, quæ consumitur Dominio separata, cum ipsa rei consumptione ejus dominium pereat, & prorsus desinat esse, ut probat dicta Constitutio, *ad Conditorem*, quæ sic dicit: *Præterea si in rebus usu consumptibilibus possit usus constitui vel haberi, nequaquam simplex, nec a proprietate, seu dominio separatus usus hujusmodi possit dici, cum per talem usum, idest, utendi actum, & in ipso actu, & cum ipso actu res consumantur hujusmodi, ac sine ipsius rei consumptione esse valeat usus talis.* Ex quo patet quod usus talis nec simplex nec separatus a dominio dici potest. Et hoc patet cum per talem facti usum proprietas, & dominium ipsius rei proprie noscatur. Dicimus ergo quod Decretalis *ad Conditorem* de usu, & uti loquitur, sicut Decretalis *Exiit* loquebatur, quæ de ipsis loquitur secundum quod leges loquuntur, secundum quas impossibile est loquendo de illis proprie, sicut dicta Decretalis *ad Conditorem* loquitur, & dicit expresse in dicto §. *Rursus nec simplex usus facti:* Ibi cum dicit. *Cum enim uti re aliqua, nihil aliud sit proprie &c.* locum habeant in rebus usu consumptibilibus, sed in ipsis consumptio & consumendi actus locum habeant, ut probatur *ff. de usu fru. ea. re. quæ usu consum. l. hoc senatus §. 1. & §. fin. ff. de jur. juran. l. sed & si possessori §. sed si rerum*. Licet autem, ut prædictum est in prædictis rebus usu consumptibilibus usus proprie loquendo locum non habeat, tamen frequenter dicitur, quod quis in illis usum habeat, vel eis utatur. Sed quoties hoc contingit usus, vel uti pro rei consumptione debent sumi, sicut dicimus, quod quoties Sacra Scriptura usum in talibus rebus usu consumptibilibus attribuit, pro rei consumtione ipsum sumit, ut patet in illa authoritate: *Utere modico vino*. Sumitur enim *utere*, ibi pro consumere, idest pro bibere. Constat enim quod vinum bibendo consumitur, & per hoc patet responsio ad illas authoritates inductas, hoc salvo quod *numer.* 18. ubi dicitur, *universa frugum initia, quæ Domino deportantur, cedunt in usus tuos*, falso modo inducitur; ut superius est ostensum. Adhuc iste hæreticus dicit, quod dicere, quod sint aliquæ res usu consumptibiles, & tamen non contingit illis uti, contradictionem implicat manifestam; profecto per hoc ut ignarus, & inscius legislatorem arguit, qui rubricam posuit *de usu fructu earum rerum, quæ usu consumuntur*. Unde constitutio loquitur secundum quod legislator, & leges plerumque loquuntur, sumendo usum pro abusu, idest pro consumptione rei, quia nec alius usus, videlicet, nisi consumptio in rebus usu consumptibilibus uti potest. Et ideo dicitur *ff. de jur. juran. l. sed & si possessori §. sed si rerum*. Sic: *Si rerum in quibus usus fructus constitui non potest propter abusum, idest, propter rei consumptionem &c.* Et Glos. super Rubricam illam *ff. de usu fruct. earum rerum, quæ usu consumuntur* super illo verbo *usu* dicit idest *quasi usu expresse innuit, quod usus ibi ponitur improprie*. Adhuc dicit iste hæreticus quod cum secundum Augustinum *l. 1. de Doctrina Christiana* abusus sit illicitus usus: Ex prædictis sequi videtur, quod Christus, & Apostoli, & alii Sancti viri, quoties actus comedendi, bibendi, & induendi exercuerunt, toties rebus hujusmodi sunt abusi: Quod sentire vel dicere est impium & blasphemum. Ad quod dicimus quod Christus, & Apostoli, & alii Sancti viri panem comedendo, & vinum bibendo abusi sunt rebus illis, sicut abusus in Constitutione prædicta sumitur, in qua pro rei consumptione accipitur, sicut patet ex ejus serie manifeste. Sed contra hoc dicit hæreticus supradictus, quod hoc, videlicet quod abuti sumitur pro consumptione rei, non valet tamen, quia quod sic debeat accipi nec auctoritate, nec ratione probatur, tum quod abuti re non voce semper in mala significatione sumitur. Sic patet *Genes. 35. & Hester ult. & p. ad Corinth.* 9. & aliis pluribus locis. Ad hæc dicimus quod illud quod dicit nec authoritate, nec ratione probari quod verbum abuti pro consumptione rei sumitur, evidenter est falsum. *In l. enim ff. de usu fruc. ea. re. quæ usu consumuntur l. hoc Senatus §. Si pecuniæ*, dicitur sic: *Si pecuniæ sit usus fructus legatus, vel earum rerum quæ in abusu consistant, nec cautio interveniat, videndum finito usu fructu, an pecunia, quæ data sit, vel certæ res, quæ in consumptione consistunt conduci possint*. Ubi patet, quod legislator in rebus quæ usu consumuntur promiscue utitur verbis istis, abusu videlicet & consumptione, & *e. l. §. fi.* dicitur sic: *Quæ in usu fructu pecuniæ diximus, vel cæterarum rerum quæ sunt in abusu, eadem & in usu dicenda sunt*. Item *ff. de jur. Jur. l. sed & si possessori §. sed si rerum* dicitur sic: *Sed si rerum in quibus usus fructus propter abusum, idest propter rei consumptionem constitui non potest &c.* ubi aperte abusum pro consumptione recepit legislator. Ex quibus patet, quod legislatores loquentes proprie de rebus, quæ usu consumuntur, negant usum in illis habere locum, & abusum locum habere concedunt. Qui quidem abusus, idest rei consumptio, si fiat ab eo cui jus abutendi, idest consumendi competit, erit licitus. Si vero ab eo, cui jus non competit, illicitus est censendus. Item, quod abusus pro consumptione ponatur, congruit rationi; propositio enim dictionis sensum, cui per compositionem apponitur augere, vel diminuere consuevit: Unde patet, quod rationi congruit, quod propter illam propositionem sensus dictionis usus, cui per compositionem apponitur augeatur. Falsum insuper dicit in eo quod dicit, quod abusus quoties re non voce dicitur accipitur in mala significatione. In legibus enim Imperatorum abusus cum de rebus usu consumptibilibus agitur in bo-

„ na

ma parte communiter sumitur, ut superius est probatum. Adhuc reperimus quod in scriptura sacra abusus in bona significatione sumitur. Unde *Jeremiæ* 18. Propheta loquens Deo dicebat sic: *Fiant corruentes in conspectu tuo in die furoris tui; abutere eis*; ubi *abutere* non pro actu illicito, sed pro licito debet accipi, cum in Deo abusus in mala parte sumptus non cadat. Tantum autem valet dicere *abutere eis*, sicut si diceret, *consume eos*. Sicque patet, quod abusus in Sacra Scriptura pro consumptione rei sumitur, & in significatione bona. Adhuc dicit ille hæreticus, quod illa definitio, quam dat de uti dicta Constitutio non est vera diffinitio, nec consona diffinitionibus, quas dant Sancti. Ad hoc dicimus, quod illa diffinitio, descriptio, seu notificatio, quam dat dicta Constitutio de uti, conveniens est, & vera: Dicit enim, quod uti re aliqua, nihil aliud est proprie, quam fructus rei, seu utilitatem aliam, insolidum, vel pro parte recipere, qui ex ea possunt salva rei substantia provenire. Et quod sit conveniens patet. Usus enim diffinitur sic: *Usus est jus utendi rebus alienis, substantia salva rei*. Ex quo sequitur, quod uti proprie loquendo requirit, quod cum ipso usu remaneat salva substantia rei, & quod ex ea possit utendi utilitas aliqua provenire. Ad illud autem, quod dicit, quod dicta diffinitio non est consona diffinitionibus, quas dant Sancti dicimus quod non est inconveniens, quod ejusdem rei diversimode consideratæ dentur diffinitiones diversæ. Sancti autem quum ipsum uti diffiniunt, ipsum uti aliter sumunt, quam sumat Constitutio antedicta. Respectu enim finis accipiunt ipsum uti; videlicet ad quem finem rebus quibus utimur, ordinentur. Et secundum hoc Augustinus dicit: *quod uti est, res, quæ in usum veniunt, referre ad ea, quibus est fruendum*. Decretalis autem *Exiit*, cujus occasione Constitutio *Ad Conditorem* facta fuit, de usu loquitur, non prout res ad finem est ordinabilis, sed prout contra dominium seu proprietatem, ac usumfructum, & Jus dividitur. Et ideo non est mirum, si per Sanctos aliæ diffinitiones de usu datæ fuerunt, cum ipsum uti aliter sumpserint, quam sumat Constitutio antedicta. Præterea iste hæreticus loquendo de usu, & de uti cætra modum loquendi Scripturæ Sacræ, & Sanctorum se ponit. Dicit enim in rebus usu consumptibilibus locum habere absque aliquo Jure simplicem usum facti. Profecto modus iste loquendi nec in novo Testamento, nec in veteri, nec in scripturis sanctorum aliquibus, sicut credimus, poterit reperiri. Præterea advertat iste hæreticus, si Augustini diffinitio conveniat dictis suis. Item dicit, quod in rebus usu consumptibilibus potest haberi simplex usus facti a dominio separatus. Augustinus tamen dicit, *quod uti est, res quæ in usum veniunt, referre ad ea, quibus est fruendum*. Proculdubio dicta diffinitio ejus dictis non convenit, cum de rebus loquitur dicta diffinitio, & ipse de simplici usu facti dicendo: *Uti est res quæ in usu &c.* Adhuc dicit iste hæreticus quod prædicta assertio determinationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obviat in sæpedicta Decretali *Exiit*, sic dicente: *In his quæ ad victum, & vestitum & divinum Cultum, ac sapientiale studium pertinent, necessarium usum fratribus esse concessum*. Ex quibus verbis colligitur evidenter, quod contingit in rebus pertinentibus ad victum, & vestitum, quas constat esse res consumptibiles usu. Dicimus quod per verba illa non concessit fratribus simplicem usum facti, imo hoc ipso quod ipsius usum concessit, si concessio valuit, jus ipsis utendi concessit, & sic in illis non habent simplicem usum facti. Et si dicat quod imo nullum Jus ipsis concessit; dicimus quod quantum ad res usu consumptibiles posuit usum improprie pro rei consumptione, nec est novum quod idem verbum ponatur proprie, & improprie respectu diversorum.

Præterea Decretalis prædicta dicit necessarium usum rerum in his quæ ad victum, & vestitum pertinent fratribus esse concessum, non dixit usum facti, & sic nihil facit pro eo. Et si omnino dicat quod Conditor Canonis intellexit de usu facti sumendo usum proprie, Dicimus quod cum in talibus usus constitui nequeat nec haberi, ut probat dicta Constitutio, & est probatum supra in articolo primo, dicta Constitutio quantum ad hoc impossibile contineret, & per consequens cum Constitutio possibilis esse debeat, non valeret. Non tamen fuit illa Conditoris intentio, ut probat Constitutio *ad Conditorem* antedicta. Rursus dictus hæreticus dicit, dictam Constitutionem *Ad Conditorem* alium errorem continere in eo quod continet, quæ sequuntur: *Præterea inquit si simplex usus facti absque jure utendi haberi possit ab aliquo: Constat quod non justus actus esset utendi hujusmodi reputandus, cum ille usus fuerit, cui jus non competebat utendi, talis autem usus, scilicet, non justus ad perfectionis statum nequaquam pertinet, nec perfectioni aliquid adjicit, sed potius sibi repugnare ac contradicere noscitur manifeste*: Et infra loquens de usu facti concesso fratribus secundum quod in Decretali *Exiit* continetur sic dicit: *Ex quo sequitur, quod usus facti, de quo ordinatio loquitur, de tali intelligi debeat, qui justus sit, idest pro quo competat Jus utendi*. Item hæreticus volens imponere constitutioni, quod non dicit, dicit quod prædicta. Constitutio intelligit loqui de jure utendi civili, & mundano, quod est jus proprium, pro quo datur actio in Judicio, sicut patet, ut dicit in hac Constitutione, *Ad Conditorem*, & in Constitutione, quæ incipit, *Quia quorumdam*. In qua hoc, ut dicit, manifestat aperte, de quo asserit inferius, se dicturum; hoc autem asserit obviare sacræ scripturæ dicenti *Math.* 19. in Persona Apostolorum. *Ecce nos reliquimus omnia*. Ex quo ut dicit per Doctores Catholicos patet, quod reliquerunt jus agendi in Judicio, quod non stat cum tali perfectione supererogationis, quæ implicat ad peccatum, sicut probat Apostolus *primo ad Corinth.* 6. dicens: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quia Judicia habetis inter vos*: Et ideo ut dicit Christus injunxit perfectis ut non litigent, nec contendant in Judicio. *Math.* 5. & *Luc.* 6. Ad hoc dicimus, quod dicta Constitutio aperte, & expresse loquitur de usu, pro quo competit Jus utendi, cui tamen non competit Jus agendi, quare dicimus quod imponit Constitutioni, quod nec intellexit, nec dixit. Utrum autem tale Jus sit mundanum & Civile, & an pro illo Apostolis competierit jus agendi, dicetur inferius in his, quæ opponit iste hæreticus contra Constitutionem, *Cum inter*. Item in hoc quod dicit, quod Constitutio: *Quia quorundam* continet manifeste, quod intelligitur de jure Civili, & mundano, quod est proprium, mentitur aperte, imo dicta Constitutio dicit clare, quod Jus utendi Communitatis existit. Cum enim Innocentius, & Alesander in suis declarationibus regulæ fratrum minorum dixerint, quod locorum, domorum, utensilium, & librorum, quæ licet habere Ordini habeat Ordo usum; dicta Constitutio, *Quia quorundam* volens probare quod illud de usu Juris intelligi debeat sibi subjunxit. *Cum enim dicatur in declarationibus supradictis, quod Ordo usum habeat rerum præmissarum; ad usum juris necesse est hoc referre; facta quidem quæ singulorum sunt personam veram exigunt, & requirunt. Ordo autem persona vera non est, sed repræsentativa, & imaginaria potius est censenda; quare, quæ facti sunt, vere sibi convenire nequeunt, licet ei possint congruere quæ sunt Juris*. Ex quibus patet, quod dicta Constitutio Jus utendi non dicit esse proprium, sed toti universitati commune: Item dicit Dominus hæreticus, quod si usus possit separari a Jure utendi, usus a Jure utendi separatus non efficit Justus. Quia aliud est habere

Jus utendi, & aliud licentiam utendi. Et imo quamvis usus absque omni jure, & licentia utendi esset illicitus, usus tamen absque Jure utendi cum licentia tamen utendi nequaquam illicitus est censendus. Secundum hoc iste hæreticus inter jus, & licentiam videtur facere differentiam, supponens quod aliquis habeat utendi licentiam ab eo, qui eam potest concedere, & quod habeat Jus utendi, quod tamen evidenter est falsum. Si enim aliquis licentiam concedit aliis utendi re sua usibili, ita quod licentia teneat, constat quod ille habet Jus utendi re illa, cui est licentia concessa: Hinc est quod licet religiosus extra suum monasterium in concordia sine sui superioris licentia, jus consentiendi non habeat, obtenta tamen licentia jus habebit consentiendi, *extra de Electi. C. quum sis lib. 6. & C. si religiosus* cum similibus multis. Præterea si iste hæreticus aut dicet, quod iste cui utendi re aliqua licentia est concessa, juste re illa utitur; aut quod injuste; aut quod nec injuste, nec juste re illa utitur. Si dicat, quod injuste, concordat utique cum Constitutione prædicta, quæ vult, quod qui sine jure utitur, utatur injuste: Si dicat, quod juste utitur; sequitur per consequens, quod & jure, quia quod juste fit, & jure fit. *extra de verbor. signif. C. Jus dictum est 14. q. 4. C. quid dicam*. Si autem dicat, quod iste, cui est licentia utendi concessa, nec juste utatur, nec injuste; hoc est falsum. Impossibile enim est actum humanum individualem indifferentem esse, idest nec bonum, nec malum, nec justum, nec injustum. Cum enim actus humanus dicatur, qui ex deliberata voluntate procedit, & per consequens qui fit propter aliquem finem, qui quidem objectum noscitur voluntatis, oportet quod si finis actus sit bonus, quod & ipse actus sit bonus; Si vero finis sit malus, oportet quod actus sit malus. Quia sic Augustinus in *lib. de moribus Ecclesiæ* dicit: *secundum quod finis est culpabilis, vel laudabilis, secundum hoc culpabilia, & laudabilia sunt opera nostra*. Nec obstat, si dicatur, quod imo Isidorus inter justum, & injustum ponere medium *fas* videtur dicens, *quod ire per Agrum alienum fas est, jus non est*. Isidorus enim diviserat legem inter divinam, & humanam, & imposuerat nomina istis legibus dicens, quod *fas lex divina est, Jus lex humana*, unde volens de his exemplum dare subiunxit: *Ire per agrum alienum fas est*, idest de Jure Divino licitum est. Jus non est, idest, de jure humano non licet, ut patet *di. 1. C. omnes leges*. Non ergo voluit Isidorus inter Justum, & injustum *fas* pro medio ponere, sed declarare, quod aliquid de Jure Divino licet, quod de Jure humano non licet. Adhuc iste hæreticus dictam Constitutionem satagit impugnare in eo quod probare intendens, quod simplex usus idest sine jure utendi a proprietate, seu dominio separatus in re usu consumptibili esse non possit sic dicit: *Præterea quod simplex usus sine jure utendi a proprietate, seu dominio separatus in re usu consumptibili haberi nequeat, sic probatur. Si enim haberi posset usus talis, aut ante ipsum actum, aut in ipso actu, aut post actum hujusmodi completum haberetur. Quod autem hoc fieri nequeat, ex hoc patet, quia quod non est, nequaquam haberi potest, patet autem quod actus ipse antequam exerceatur, aut etiam dum exercetur, aut postquam perfectus est, in rerum natura non est. Ex quo sequitur, quod haberi minime potest, licet enim ante actum ipsum quis facultatem habeat ipsum exercendi; per hoc tamen actus ipse in rerum natura nisi in potentia non existit. Cum autem actus est in fieri, nec adhuc est in rerum natura, cum esse rem perfectam significet, quod quandiu est in fieri non potest actui convenire; quod enim de actu qui est in fieri præteriit, jam non est: quod autem fit, instantaneum est, seu momentaneum, & tale, quod magis intellectu percipi potest quam sensu. Adhuc post actum ipsum completum, licet si ex ipso facto perducta res aliqua fuerit, res ipsa haberi valeat; factum tamen, quod jam transit, non habetur*: hæc verba ipsius constitutionis. Ex quibus concludere nititur dictus hæreticus, quod prædicta probatio gesta Christi, & Apostolorum destruit, quæ Sacra Scriptura eos fecisse testatur; scilicet, quod si actus utendi haberi non possit, quia in rerum natura non est nec antequam fiat, nec dum fit; nec postquam perfectus est; per consequens sequitur, quod nec aliquid fieri possit, cum factum, antequam fiat, in rerum natura non sit; nec dum fit, nisi pro instanti; nec postquam fuerit factum. Procul dubio ista consequentia est falsa, & est potius totum contrarium concludendum, videlicet quod si actus utendi, quia in rerum natura non est, haberi non potest, concludi debeat, quod quia factum in rerum natura non est, fieri non possit: sicut enim quod non est, haberi non potest, sic quod factum est fieri nequit; unde si actus utendi haberi non possit, quia in rerum natura non est, sequitur, quod factum, quod in rerum natura non est, haberi non potest. Rursus dicit iste hæreticus quod per rationem prædictam sequeretur quod nec usus rerum usu consumptibilium etiam conjunctus cum proprietate seu dominio haberi possit. Quod de usu facti utique nos fatemur, & idem dicimus de rebus usu non consumptibilibus; licet enim quis illis de facto uti valeat: haberi tamen nequit in talibus usus facti, ut ex prædictis patet. Præterea dicit hæreticus iste, quod dicta Constitutio falsum includit in eo quod dicit, quod in rebus usu consumptibilibus possit usus constitui vel haberi nequaquam simplex, nec separatus a proprietate, seu Dominio usus hujusmodi possit dici, cum per talem usum, idest, utendi actum, & in ipso actu, & cum ipso actu res hujusmodi consumatur, in ipsius rei exerceatur substantia, nec sine ipsius rei consumptione esse valeat usus talis. Dicit enim quod prædicta Constitutio intelligit, quod statim, & ultimate in actu utendi res hujusmodi consumantur, cum manifestum sit, quod vestes non statim in primo actu utendi ultimate, & omnino consumantur. Sicut etiam panis non statim in principio actus consumitur; Et sicut non est inconveniens, quod Dominus habeat dominium servi: Ita non est inconveniens, quod Dominus habeat dominium cibi, vel panis existentis in ore servi. Ad quod dicendum, quod iste hæreticus imponit Constitutioni, quod nec intellexit, nec dixit, videlicet quod in primo Actu utendi ultimate, & omnino res usu consumptibiles consumantur. Dixit enim quod per talem usum idest utendi modum, seu actum & in ipso actu res hujusmodi consumantur. Posuit enim copulative utendi actum, & in ipso actu, & cum ipso actu; unde satis expressit, quod non per ipsius actus principium consumantur res hujusmodi, sed per actum perfectum. Item subinnxit, quod actus utendi in ipsius rei, scilicet consumptibilis usu exerceatur substantia, nec sine ipsius rei consumptione esse valeat usus talis evidenter expressit, quod de usu illo per quem res consumantur non de ejus principio intellexit. Rursus dictus hæreticus dictam Constitutionem, impugnare nititur, in eo quod dicit, quod *retentio dominii quam summus Pontifex fecit in rebus, quæ ad Fratres Minores obvenerant, vel imposterum obvenirent dictis Fratribus quantum ad statum perfectionis nihil profuit, quantum ad hoc, quod propter carentiam talis dominii se pauperiores dicere valeant, quam si res illas cum illo quo carere se dicunt dominio obtinerent*, & infra. *Nolentes in posterum, quod sub prætextu, seu pallio talis dominii verbalis nudi, & ænigmatici fomentum tantis malis, quanta procedunt ex simulatione hujusmodi ministretur ſtudiis &c.* Prædicta verba secundum istum hæreticum

„ ticum Sacræ Scripturæ, ac Doctrinæ Evangelicæ & Apostolicæ, & Sanctæ Matri Ecclesiæ obviant, & repugnant. Nam ex Scriptura Divina superius, ut asserit, est ostensum, quod Apostoli, & eos sequentes viri perfecti ex consilio Christi proprietatem, & dominium rerum temporalium omnium reliquerunt, usu rerum necessariarum ad vitæ humanæ sustentationem, cui non est licitum renunciare, contenti. Constat autem secundum ipsum, quod dominium, quod Apostoli in rebus omnibus temporalibus, quorum usum habebant ex Christi Consilio reliquerunt, fuit omni temporali commodo, usu scilicet utili denudatum. Sicut manifeste patet in rebus, quarum proprietatem & dominium, usu retento, prout Evangelica testatur historia, reliquerunt, cum in consilio Christi dato de rebus temporalibus abdicandis, abdicatio proprietatis, & dominii earum rerum, & non usus, ut superius ostenditur, includatur. Si ergo carentia talis dominii ad perfectionem non pertinet, nec pauperiorem non efficit non habentem, sicut dicta Constitutio dogmatizat, sequitur quod Christus simulatam & falsam Doctrinam tribuerit volentibus ad perfectionem attingere, quod omnia temporalia quoad proprietatem, & dominium relinquerent consulendo: Et quod Augustinus, & Hieronymus, Doctores Ecclesiæ, & alii sancti Patres Religionum institutores erraverunt, qui dictum Christi consilium sequi volentes abdicationem proprietatis, & dominii omnium rerum sunt professi. Profecto iste hæreticus, ut prævaricator legis notorie verba Constitutionis prædictæ truncata recitat, illa quæ ejus defectum manifeste insinuant omittendo. Intendit enim probare dicta Constitutio, quod retentio dominii prædicta facta per summum Pontificem, quantum ad statum perfectionis, nequaquam dictis Fratribus profuit, quam probationem omittit dictus hæreticus, quæ talis est, ut ex dictæ Constitutionis tenore manifestius liquet. Quod enim inquit quantum ad statum perfectionis, nequaquam eis profuit retentio dominii supradicta probatur. Cum enim perfectio vitæ Christianæ principaliter, & essentialiter in Charitate consistat, quæ ab Apostolo vinculum perfectionis dicitur. Et quæ unit, seu jungit aliqualiter hominem suo Deo, ad quem per contemptum bonorum temporalium, & ipsorum expropriationem via disponitur per hoc præcipue quod sollicitudo, quam ipsa temporalia in acquirendo, conservando, & disponendo exigunt, quæ plerumque ab actu Charitatis retrahit amputatur, restat, quod sollicitudo, eadem post expropriationem hujusmodi quæ ante ipsam inerat perseveret, ad perfectionem hujusmodi talis expropriatio valeat nil conferre. Constat autem quod post ordinationem prædictam non fuerunt in acquirendis, aut conservandis bonis prædictis in Judicio, & extra minus solliciti, quam ante illam fuerant fratres prædicti, quamquam sint religiosi, mendicantes, alii habentes aliqua in communi. Credimus itaque quod nullus sapiens probationem hujusmodi reprobabit propter quod ipsam dictus hæreticus non expressit. Item intendit probare dicta Constitutio quod quantum ad hoc, quod propter carentiam talis dominii se pauperiores fratres ipsi dicere valeant, quam si res ipsas cum illo quo se carere dicunt dominio obtinerent, non profuit retentio dominii supradicta, quod ut sequitur probat. Licet enim prædecessor noster prædictus dominium earum rerum, quæ ipsis fratribus offerri, seu conferri, aut alias obvenire contingeret, quarum tamen usum facti licet habere Ordini, vel Fratribus antedictis, usu facti simplici prædictis fratribus reservato, in se, & Romanam Ecclesiam recipiendum duxerit, ac libere pertinere decreverit, ut superius est expressum: attento tamen ipsorum fratrum utendi modo, & ejus effectu, & patientia circa modum Romanæ Ecclesiæ subsecuta, non ipse usus fratrum dici debet, sed potius Romanæ Ecclesiæ dominium esse simplex. Quis enim simplicem usuarium dicere poterit, cui rem usuariam licet permutare, vendere, aut donare, procul dubio hæc repugnant usuariis, nec ad usuarium pertinent, quæ tamen de rebus mobilibus antedictis faciunt fratres ipsi. Quod autem dominium Romanæ Ecclesiæ reservatum simplex censeri debeat: ex hoc patet quia ex illo nullum eidem Ecclesiæ temporale obvenit hactenus commodum, nec speratur quod obvenire debeat in futurum, cum nec intentio reservantis, nec fratrum ipsorum fuerit, quod ad quemcumque ullum, quam ad fratres dictarum rerum perveniret compendium. Quod proculdubio modus ipsorum fratrum, & Romanæ Ecclesiæ subsecuta patientia evidentius declarave. Et quod talis fuerit intentio ordinantis ex hoc patet quod illarum rerum sibi, & Ecclesiæ Romanæ dominium dumtaxat retinuit, quarum usum facti licet habere Ordini, & fratribus antedictis. Talis autem dominii carentia re in præsenti, & spe in futurum omni commodo denudati, quo ad paupertatem temporalem, quam altiorem præ mendicantibus aliis in communi habentibus sibi vendicant dicti fratres, pauperiorem non efficit non habentem. Ex prædictis probatum evidenter credimus, quod attento usu dictorum fratrum rerum in quibus se usum facti simplicem asserunt habere, & patientia Apostolicæ Sedis eos pauperiores carentia talis dominii non efficit. Ad hoc autem quod ipse dicit, quod ex hoc sequitur quod Christus simulatam, & fallacem Doctrinam tribuit volentibus ad perfectionem attingere, quod omnia temporalia quoad proprietatem, & dominium relinquerent consulendo. Dicimus falsum esse, quod hoc consuluerit Apostolis, & Discipulis suis, ad minus quod non haberent in communi: Et de hoc dicetur latius in objectionibus contra Constitutionem *Cum inter* per istum hæreticum factis. Ad illud autem, quod dicit, quod etiam ex prædictis sequitur, quod Augustinus, Hieronymus, & alii Religionum institutores erraverunt, qui dictum Christi Consilium sequi volentes abdicationem proprietatis, & dominii omnium rerum sunt professi. Dicimus quod mentitur aperte, quia nullus illorum exceptis fratribus Minoribus abdicavit a se, nec suis fratribus res quantum ad proprietatem, & dominium in communi, imo eis secundum suas regulas licet, & licuit habere in communi etiam res immobiles. Ad illud autem quod inducit *Levitic. Ult.* ubi dicitur, quod *omnes Decimæ terræ sive de frugibus, sive de Pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur*; & quod *Numer.* 18. loquens de perfectione Levitarum, dicit Dominus. *Nihil aliud possidebunt, Decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum separavi.* In usus inquit iste hæreticus non in dominium dixit: Profecto per hoc se prævaricatorem Legis ostendit manifestum. In illo enim *C. Numer.* 18. expresse dicitur, quod Dominus dedit Levitis dominium decimarum, & quid daret eis declaravit dicens, quod in usus eorum, & necessaria decimas hujusmodi separabat. Non autem dixit quod usu facti Levitæ essent contenti. Multum autem refert utrum res aliqua aliquibus detur in usum & necessaria. An usus in re aliqua, seu rei alicujus alicui concedatur, sicut plenius, & latius est superius, ubi adduxit eadem Capitula, declaratum. Ad illud, quod dicit, quod hoc est contra determinationem Ecclesiæ factam in *C. Exiit*, superius sæpius est responsum. Rursus iste hæreticus Constitutionem *Cum inter nonnullos* satagit impugnare dicens, quod dicta Constitutio declarat fore censendum hæreticum affirmare deinceps Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque Apostolos non habuisse aliquid in speciali, & in communi: Et insuper hæreticum dicit fore censendum affirmare Christo, & Apostolis ejus in his quæ eos habuisse

„ Sa-

,, Sacra Scriptura testatur non competiisse jus uten-
,, di, nec illa vendendi, seu donandi jus habuisse,
,, aut ex ipsis alia acquirendi. Dicimus quod hære-
,, ticus iste Constitutionem imperfecte recitat quan-
,, tum ad ultimam partem ejus, quia post illud ver-
,, bum *nequaquam jus utendi ipsis*, omittit, *seu*
,, *consumendi*, quod immediate sequitur ibi: Item
,, post verbum, aut *ex ipsis alia acquirendi* omit-
,, tit, quæ sequuntur, scilicet, *Quæ tamen ipsos de*
*præmissis fecisse Sacra Scriptura testatur, seu ipsos*
*potuisse facere supponit aperte:* Unde ut melius
,, ejus fraus, & malitia detegatur, textus dictæ Con-
,, stitutionis partis ultimæ noscitur esse talis: *Rur-*
*susque in posterum pertinaciter affirmare, quod Re-*
*demptori nostro prædicto, ejusque Apostolis in his,*
*quæ eos habuisse Sacra Scriptura testatur, nequa-*
*quam jus ipsis utendi seu consumendi competierit,*
*nec illa vendendi seu donandi jus habuerint, aut*
*ex ipsis alia acquirendi, quæ tamen ipsos de præ-*
*missis fecisse Scriptura Sacra testatur, seu ipsos po-*
*tuisse facere supponit aperte. Cum talis assertio ipso-*
*rum usum, & gesta evidenter includit in præmis-*
*sis non justa. Quod utique de usu gesti, seu facti*
*Redemptoris nostri Dei filii sentire nefas est; Scri-*
*pturæ Sacræ contrarium & Doctrinæ Catholicæ ini-*
*micam, assertionem ipsam de Fratrum nostrorum*
*consilio deinceps erroneam fore censendam merito,*
*& hæreticam declaramus &c.* Dicit ergo hæreti-
,, cus iste, quod dicta Constitutio, cum de habere,
,, & competere loquitur & intelligit de habere sive
,, competere jura proprietatis, seu dominii Civilis
,, & mundani, per quod contenditur, & in Judiciis
,, litigatur. Et quod de tali intellexit patet, ut di-
,, xit, quia dicta Constitutio evidenter includit,
,, quod Christus & Apostoli in his rebus, quas eos
,, habuisse Sacra Scriptura testatur jus utendi, ven-
,, dendi, & donandi, & alia ex ipsis acquirendi ha-
,, buerunt, quod jus a jure humano fuisse intro-
,, ductum manifestum est. Profecto iste hæreticus
,, imponit Constitutioni quod ipsa non dicit. Con-
,, stitutio enim dicit quod pertinaciter affirmare Chri-
,, stum & Apostolos in his, quæ eos habuisse Sa-
,, cra Scriptura testatur jus ipsis utendi, seu con-
,, sumendi non competierit, vel illa vendendi, seu
,, alienandi jus non habuerint aut ex ipsis alia ac-
,, quirendi. Quæ tamen ipsos de præmissis Scriptu-
,, ra Sacra testatur, seu ipsos potuisse facere sup-
,, ponit aperte, hæreticum est censendum. Et tamen
,, licet de jure dominii, seu proprietatis nullam fa-
,, ciat mentionem, ipse tamen imponit ei quod in-
,, tellexit loqui de jure proprietatis & dominii Ci-
,, vilis, & mundani, per quod contenditur, & in
,, judicio litigatur, & hoc ex eo quia jus emendi,
,, vendendi, & donandi, quod dicta Constitutio
,, Christum, & Apostolos asserit habuisse ab huma-
,, no jure introductum fuisse manifestum existit.
,, Et imo dicit quod dicta Constitutio intellexit,
,, quod Christus, & Apostoli non solum in com-
,, muni, sed etiam in speciali proprietatem, & do-
,, minium rerum temporalium habuerunt. Quod di-
,, ctum secundum eum omnem religionem, quæ
,, voluit vitam, & doctrinam Apostolorum sequi
,, vovens vivere sine proprio, destruit, & confun-
,, dit, & omnes religiosos facit proprietarios in spe-
,, ciali, & voti sui per consequens transgressores,
,, & Doctrinæ Evangelicæ & Apostolicæ ac San-
,, ctæ Romanæ Ecclesiæ, & omnium Doctorum
,, Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum institutorum re-
,, ligionum obviat manifeste. Proculdubio dicta ip-
,, sius hæretici possent uno verbo repelli, videlicet
,, quod falsum imponit Constitutioni imponendo,
,, ei quod intellexerit loqui de jure dominii, seu
,, proprietatis, cum nulla in ea habeatur de domi-
,, nio mentio, ut patere potest cuilibet intuenti. Sed
,, quia iste hæreticus pertinaciter asserit Christum &
,, Apostolos nullius rei temporalis proprietatem, seu
,, dominium habuisse in communi, vel in proprio,
,, videndum est utrum ejus assertio possit stare.
,, Et quia ipse dicit in præcedentibus, & hic etiam
,, supponit, quod dominium proprium de jure hu-
,, mano est introductum. Primo quæritur quo ju-
,, re sit jus proprietatis, seu dominii introductum.
,, Ad hoc dicit iste hæreticus, quod a jure huma-
,, no, & Civili, ad quod probandum inducit 8. *di.*
,, *C. quo jure*; ubi dicitur, quod jure humano di-
,, citur hæc villa mea est; hic servus meus est;
,, hæc Domus mea est. Item inducit dictum Cle-
,, mentis, quod recitatur 12. *q.* 1. *C. Dilectissimis*,
,, ubi dicitur sic. Communis usus omnium quæ
,, sunt in hoc mundo omnibus hominibus esse de-
,, buit, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum,
,, & alius aliud. Et sic inter mortales facta est divisio.
,, Et intelligitur illud quod dicit per iniquitatem de-
,, bere intelligi jus humanum. Scriptura Sacra di-
,, cit contrarium evidenter scilicet quod imo jure
,, divino non humano fuerit dominium introdu-
,, ctum. Jus enim divinum est quod in Scripturis
,, Divinis habemus, ut legitur 8. *di C. quo jure*
,, in princip. ubi dicitur, quod jus Divinum est
,, quod in Scripturis habemus Divinis; Humanum
,, jus quod in legibus regum. In Scripturis autem
,, Divinis habemus, quod ante leges regum, imo
,, antequam Reges essent res aliquæ alicujus erant.
,, Ergo jure Divino aliquis dicere poterat aliquid
,, suum esse. Major patet per *C. quo jure* privi-
,, legatum. Minor patet pro innocentiæ statu. Vi-
,, detur enim quod Adam in statu innocentiæ ante-
,, quam Eva formaretur solus dominium habuerit
,, rerum temporalium. Commune enim dominium,
,, cum solus esset pro illo tempore habere non po-
,, tuit, cum Communia plures requirere dignoscan-
,, tur. Et quod dominus fuerit antequam Eva
,, formaretur. *Eccl.* 17. probari videtur expresse:
,, Ibi enim dicitur sic: *Deus de terra creavit ho-*
,, *minem*, & sequitur, *posuit timorem illius super*
*omnem Carnem, & dominatus est Bestiarum, &*
,, *Volatilium*. Dicit ergo quod dominatus fuit, ex
,, quo sequitur, quod dominium habuit. A domi-
,, nio enim secundum Dionysium *de divinis nomi-*
,, *nibus C.* 12. dicitur Dominus, Dominator &
,, dominans. Ex quo sequitur, quod postquam do-
,, minatus est, dominium habuit. Quod autem tunc
,, formata Eva non esset patet, quia statim post
,, illa verba, *& dominatus est bestiarum, & vo-*
*latilium*; sequitur *creavit ex eo*, scilicet Adam, *adju-*
,, *torium simile sibi*, scilicet Evam. Ad idem fa-
,, cit *Sapientiæ C.* 9. ubi dicitur sic: *Deus Patrum*
*nostrorum, & Domine necne qui fecisti omnia ver-*
*bo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, ut*
*dominaretur Creaturæ Terræ, quæ a te facta est &c.*
,, Et hoc expresse dicit Damascenus *lib.* 2. *C. fi.*
,, ut dictum est supra. Item quod post lapsum pri-
,, morum Parentum ante Diluvium, & antequam
,, essent Reges potuerit aliquis dicere, hoc est meum;
,, probatur *Genes.* 3. ubi Deus ad Adam dixit: *In*
*sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Ergo patet, quod
,, Adam potuerit tunc dicere Panem suum, & ta-
,, men tunc non erant Reges neque homines alii,
,, nisi soli primi Parentes. De Abel quoque qui
,, fuit secundogenitus primorum Parentum dicitur.
*Genes.* 4. quod *Abel obtulit de Primogenitis gregis*
*sui*. Ex quo patet, quod Abel potuit dicere. *Iste*
*grex est meus*. Item quod post Diluvium sine Jure
,, regum potuerit quis dicere suum; patet, legitur
,, enim *Genes.* 9. quod Noe vineam plantavit, &
,, vinum ex ea productum bibit; puto quod nullus
,, sapiens negabit quin vineæ dominus fuerit, &
,, etiam vini. Et tamen non legimus Regem ali-
,, quem extitisse. Item *Gen.* 12. dixit Dominus ad
,, Abraham existentem in Terra Canaan, *semini tuo*
*dabo terram hanc*, quod & fecit. Constat autem,
,, quod illi de semine suo potuerunt dicere. Terra
,, nostra est ista: Et hoc non per Jura regum, quia
,, ex collatione Dei habuerunt, non regum. Item
*Genes.* 26. Cum descendisset Isaac in Geraris dixit
,, Dominus ei: *Tibi, & semini tuo dabo universas*
*regio-*

*regiones has*; quarum regionum dominium semen ejus non ex Jure regum, sed ex collatione Dei habuerunt. Præterea *numer.* 31. dicitur, quod uniuscujusque quod in præda rapuerat suum erat; quod non erat per Jura regum. Cum ille Populus Israeliticus tunc regem aliquem non haberet, sed Dux ejus Moyses tantum esset. Item *numer.* 33. Dominus ad Moysen dicit: *Præcipe filiis Israel: Et dic ad eos: Quando transieritis Jordanem intrantes in terram Chanaan, dispergite cunctos habitatores illius: Ego dedi vobis illam in possessionem, quam dividatis vobis sorte.* Quod & fecerunt, ut legitur *Josue* 13. Quilibet ergo istorum post divisionem Terræ illius, illam quæ ad eum obvenit, potuit dicere suam esse; & hoc non Jure regum, sed Divino, cum tunc temporis ut dictum est regibus non regeretur populus ille. Item *numer.* 35. Dominus ad Moysen dixit: *Præcipe filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, & suburbana per circuitum, ut ipsi in urbibus maneant, & suburbana sint pro pecoribus eorum, & Jumentis*; quod & fecerunt, ut legitur *Josue* 14. Ex quibus patet, quod cum Dominus præceperit filiis Israel dare Levitis de Possessionibus suis, quod filii Israel antequam darent possessiones illas poterant dicere suas esse, & Levitæ ex quo fuerunt sibi datæ: Et hoc non per jura regum, cum reges non haberent, sed per ordinationem divinam. Ex quibus omnibus patet, quod in scripturis sacris habemus, quod aliquis, & in statu innocentiæ, & post lapsum primorum Parentum, & ante diluvium, & post diluvium dicere poterat sine jure regum aliquid esse suum: Et quod Jure Divino sint dominia aliqua probatur 23. *q.* 7. *C.* 1. Adhuc quod nullo Jure humano sed solum Divino temporalium rerum dominium potuerit hominibus dari patet. Constat enim, quod rem aliquam aliquis dare non potest nisi cujus est, vel alius ejus voluntate: Nec dubium, quin Deus omnium temporalium vel jure Creationis, quia illa de nihilo creaverat, vel jure factionis, quia de sua materia illa fecerat Dominus esset. Ergo nullus Rex de illarum dominio nisi de voluntate Dei potuerit ordinare; unde patet, quod neque jure naturali primævo, si ponatur pro illo jure quod omnibus animantibus est commune, cum illud Jus nihil statuat, sed inclinat, seu dirigit ad aliqua omnibus animantibus communia facienda: Nec Jure gentium, nec Jure regum, seu Imperatorum fuit Dominium rerum temporalium introductum, sed per Deum qui est, & erat earum rerum Dominus fuit collatum primis Parentibus, ut patet *Genes. C.* 1. Quarum rerum Adam quandiu solus fuit, idest antequam Eva formaretur solus, ut videtur, Dominus extitit, ut superius est ostensum. Verum est tamen, quod de Jure gentium multi modi acquirendi dominium, & nonnulli per Jura Civilia introducta. Ex prædictis itaque patet, quod non obstat *C. quo Jure* in contrarium allegatum, loquitur enim de Jure agendi in Judicio, cujus formulas Jus Civile, & non aliud introduxit. Et hoc voluit dicere Augustinus in illo *C. quo Jure*, quum dixit: *Tolle Jura Imperatoris, & quis audet dicere: hæc villa est mea, meus est iste servus, mea hæc est Domus*; quasi dicat: Nullus potest hoc in Judicio proponere, nisi per Imperatoria Jura, quod Jus actionum formulas introduxit; vel potest dici, quod hoc dicebat Augustinus cum hæreticis disputando, non quod hoc pro veritate teneret, scilicet, quod dominium de Jure Divino non esset. Et quod ita sit, patet, quia 23. *q.* 7. *C.* 1. dicit ipse idem Augustinus contrarium expresse, ubi dicit sic: *quamvis res, quæcumque terrena non recte a quoquam possideri possit, nisi vel jure divino quo cuncta justorum sunt, vel jure humano, quod in potestate est regum terræ &c.* Item non obstat 12. *q.* 1. *C. Dilectissimis*: ubi dicitur sic: *Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo omnibus esse debuit, sed per iniquitatem, alius hoc dixit esse suum, alius istud. Et sic inter mortales facta est divisio*: Et hoc dicit ipse, quod divisio temporalium facta est per Jus humanum, quod dicitur iniquum, & contra æquitatem Juris naturalis. Dicimus, quod hoc est falsum, quod per iniquitatem Jus gentium, cum sit æquum, scilicet intelligitur peccatum primorum Parentum per quod natura corrupta fuit, & post non fuit contenta communibus, sed sibi propria voluit possidere. Secundo quæritur, utrum Christus alicujus rei temporalis dominium habuit, & quale? Quod autem dominium rerum temporalium habuit, Sacra Scriptura tam in veteri Testamento, quam in novo testatur in multis locis: Multi quidem Prophetæ eum regem futurum Populi Israelitici, & per consequens habere regni dominium prophetaverunt. Isaias quidem de eo prophetavit: *Isaiæ* 33. sic dicens; *Ecce Dominus Judex noster, legifer noster, Dominus Rex noster, ipse veniet, & salvabit nos.* Item per os Jeremiæ Prophetæ Deus *Jeremiæ* 23. ita dixit: *Suscitabo David germen justum & regnavit Rex, & sapiens erit*: Et sequitur. *Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus Justus noster. Iste enim est lapis abscissus sine manibus, cui Deus Cæli dedit regnum quod in æternum non dissipabitur*, ut habetur *Daniel.* 2. Item Zachariæ 9. de eo dicitur sic: *Exulta satis filia Sion: Jubila filia Jerusalem, ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper, & ascendens super Asinam, & filium Asinæ.* De hoc David in multis locis prophetavit. Unde in quodam loco in personam ejus sic dixit; *Ecce constitutus sum ab eo rex &c.* eumque futurum in multis aliis locis prophetavit: Unde totus ille Psalmus *Eructavit* loquitur de rege isto, & sponsa ejus scilicet Ecclesia: Et alii multi Psalmi loquuntur de Rege hujusmodi satis clare. De hoc etiam Salomon *Canticorum* 3. sic dixit: *Egredimini filiæ Sion: & videte Regem Salomonem &c.* De hoc etiam antequam conciperetur, Gabriel Archangelus, ut legitur *Luc.* 1. dixit: *Dabit illi Dominus Sedem David Patris ejus, & regnabit &c.* Item & eo nato Angelus ad Pastores dixit: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus* idest Rex, & Dominus. Huic etiam illi tres Magi Evangelici *Matth.* 2. perhibuerunt testimonium sic dicentes: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum.* Item ille Nathanael verus Israelita, in quo dolus non erat dixit ei *Jo.* 1. *Tu es filius Dei: tu es Rex in Israel.* Pilatus quoque in subscriptione Crucis scripsit *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Quam quidem superscriptionem non sine divino instinctu Judæis instantibus, quod non scriberet *Rex Judæorum*, sed *quia dixit se Regem Judæorum*, ipsos audire noluit; sed dixit, *quod scripsi, scripsi.* Hoc etiam Salvator noster confessus fuit *Jo.* 18. Cum enim Pilatus interrogaret eum utrum esset Rex Judæorum: Respondit ei. *Regnum meum non est de hoc Mundo.* Ex quo Pilatus concludens dixit. *Ergo Rex es tu?* Jesus vero respondit. *Regnum meum non est hinc*, non dixit, non est hic, sed dixit non est hinc, quasi diceret. Regnum meum a Mundo non habeo, sicut nec habebat, imo a Deo, sicut Angelus ejus Genitrici prædixerat dicens *Luc.* 1. *Dabit ei Dominus Sedem David &c.* Et hoc B. Petrus *Act.* 2. expresse testatur dicens, *Certissime sciat omnis Domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* In quibus verbis Petrus satis clare concludit duo de Jesu Domino nostro; Videlicet, quod Regnum suum a Mundo non habuit, sed a Deo: In eo quod dicit, quod Jesum fecit Deus, idest, Christum Regem; per Christum enim Regem intelligimus, quod Christus interpretatur unctus: Et quia Reges inungi consueverant per Christum intelligimus Regem. Unde Rabanus, ibi manifeste. *Petrus ex hoc Psalmo Regnum Christi non*

terre-

*terrenum sed Cæleste ostendit esse*. Item concludit Petrus ex verbis prædictis; quod Christus in quantum homo subsistens in Divino supposito fuerit Dominus, & Rex factus. Constat enim quod in quantum erat Deus, crucifixus non fuit, sed in quantum homo. Et ideo cum Rex & Dominus fuerit factus in quantum crucifixus, & crucifixus fuerit in quantum homo: Sequitur quod Regnum, & dominium tanquam homini Deus sibi concessit; hoc etiam supponit Angelus loquens eo nato Pastoribus dicens: *hodie natus est vobis Salvator qui est Christus Dominus*, idest Rex, & Dominus. Ubi advertendum, quod illud quod Gabriel Angelus Christo nondum nato dixerat de futuro dicens Mariæ: *Dabit ei Dominus Sedem David Patris ejus &c.* Angelus iste eo nato dixit Pastoribus per verba de præsenti dicens: *hodie natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus:* hoc August. in *li. de Concordia Evangelistarum in Proœmio* expresse testatur, dicens: *Dominus Jesus Christus Unus verus Rex, & unus verus Sacerdos est*. Et paulo post dicit sic; *secundum hominem quippe Christus Rex, & Sacerdos effectus est, cui dedit Deus Sedem David Patris ejus, & Regni ejus non erit finis*. Item quod Salvator fuerit Dominus omnium temporalium videtur: De eo enim dicitur *Isaiæ* 16. *Emitte Domine Dominatorem Terræ*. Item *Micheæ* 5. de eo dicitur sic: *Et tu Bethleem terra Juda effreta nequaquam minima es in Principibus Juda: Ex te enim egredietur qui sit Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio a diebus æternitatis*. Malachiæ vero 3. de eo dicitur sic. *Statim veniet ad Templum Sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus, quem vos vultis*. Item *Jo.* 13. ipsa veritas dicit; *Vos vocatis me Magister, & Domine, & verum dicitis. Sum etenim*. Item *Math.* 21. dixit Discipulis: *Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim invenietis Asinam ligatam, & Pullum cum ea: solvite, & adducite mihi: Et si quis vobis dixerit aliquid: Dicite quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos*: hoc quoque B. Joannes *Apocalypsis* 19. testatur dicens; *habet scriptum in vestimento suo: Rex Regum & Dominus Dominantium:* hoc etiam Apostoli in suo symbolo confitentur dicentes, & *in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum*: hoc etiam Sancti Patres in Symbolo, quod cantatur in Missa protestantur expresse: ibi. *Et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum*. Præmissa autem scilicet Regnum, & universale Dominium habuit Jesus in quantum Deus ab æterno, eo ipso quod Deus Pater genuit eum: Et in quantum homo ex tempore ab instanti conceptionis suæ ex Dei datione, ut patet ex prædictis: & nihilominus habuit dominium aliquarum rerum temporalium non ab instanti suæ conceptionis, sed postea successive modis aliis utpote ex collatione fidelium vel emptione acquisitas. Et quæ sint illa videamus. Nullus autem de his potuit melius testimonium perhibere quam Apostoli, & discipuli ejus. Videamus ergo quid super hoc ipsi dicant specialiter a tempore, quo cœpit miracula facere, & prædicare. Certe narrant ipsum aliqua habuisse, licet pauca: habuit itaque vestimenta. Unde legitur *Matth.* 17. in transfiguratione ejus *vestimenta sua facta sunt alba, sicut nix*. Item *Joan.* 13. de eo dicitur sic: *Surgit a Cœna, & ponit vestimenta sua &c.* Item Joan. 19. in persona ejus legitur. *Partiti sunt vestimenta mea, & in vestem meam miserunt sortem*. Et ad idem facit *Matth.* 27. Item *B. Joannes Baptista* loquens de eo dixit: *Cujus non sum dignus calceamenta portare*; & imo videtur supponere, quod habuerit Calceamenta. Et *Matth.* 3. recitatur ipsum dixisse. *Cujus non sum dignus procumbens solvere Corrigeam Calceamentorum*. Joannis vero primo recitatur dixisse. *Cujus non sum dignus ut solvam Corrigeam Calceamenti*. Item Joannes supponit illum loculos habuisse; in quibus Judas quæ mittebantur portabat. Item *Joa.* 13. Cum dixisset Judæ Jesus, *quod facis, fac citius, quidam putaverunt quia portabat & habebat loculos Judas, quod dixisset ei Jesus. Eme ea quæ nobis opus sunt ad Diem Festum aut ut egenis aliquid daret*: & quod loculi essent Jesu, patet per Augustinum dicentem, *habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservans & suorum necessitatibus aliisque indigentibus tribuebat*, & habetur 12. *q.* 1. *C. habebat*; & patet per id quod in ejus Persona dixit: *Qui manducat meum Panem, levabit calcaneum suum contra me*. Et recitatur Joa. 13. Quod autem vinum interdum habuerit, patet quod ad minus in Cœna illa habuit, in qua Eucharistiæ instituit Sacramentum, de quo habetur *Matth.* 26. *Marc.* 14. & *Luc.* 22. Iste ergo hæreticus dicendo Christum Jesum Dominum nostrum non habuisse dominium aliquod temporalium, scripturis prædictis veteris, & novi testamenti contradicit expresse. Et si velit dicere quod illi regno, & Dominio renunciavit expresse, ostendat illam Scripturam, si sciat, quod tamen, ut credimus per Sacram Scripturam non poterit: imo Sacra Scriptura contrarium supponit expresse, quæ supponit eum non longe a passione sua dixisse: *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim*. Item illud *Matth.* 16. ubi Dominus duobus Discipulis dixit: *Ite in Castellum quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & Pullum ejus cum ea, solvite, & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit dicite, quia his Dominus opus habet*. Item tempore passionis se Regem recognovit, ut probatum est supra. Item David in Personam ejus loquens etiam pro tempore passionis, *diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*. Et recitatur *Matth.* 27. Ex quibus evidenter apparet, ipsum regno, & Dominio non renunciasse prædictis, imo videtur, quod nec potuerit renunciare, & si fecisset, contra ordinationem Patris fecisset. Dicitur enim *Danielis* 2. ubi de ejus Regno fit mentio sic: *Suscitavit Deus Cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum ejus alteri non tradetur*. Item Daniel. 7. dicitur sic. *Dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum: Et omnes Populi, Tribus, & linguæ ipsi servient; Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus non corrumpetur*. Sed dicit iste hæreticus, quod hoc est contra Scripturam Sacram, quæ in plerisque locis dixit Christum fuisse pauperem, & egenum. Ad quod dicendum, quod dici non debet esse contra Scripturam Sacram, quod in tot locis Scriptura Sacra testatur aperte: sed juremerito potest dici, quod dicere contrarium est dicere contra Scripturam Sacram, & mendaces reddere tot Prophetas; Angelum, & Apostolos, ac ipsum Dominum nostrum, qui tamen *est veritas, & vita*. Ad aliud autem quod dicitur, quod Scriptura Sacra ipsum fuisse pauperem, & egenum in plerisque locis testatur, est dicendum, quod non carentia dominii fecit eum pauperem, & egenum, sed potius carentia perceptionis fructus, & obventionis rerum, quarum Dominus erat. Nudum enim dominium separatum in perpetuum ab omni perceptione commodi rei habentem non facit divitem, cum sit inutile reputandum: unde habens tale dominium potest egenus & pauper merito reputari, quod patet ad sensum. Si enim Rex Franciæ non renunciando Regno se absentaret a Regno, & post lapsum alicujus temporis incognitus rediret ad illud, si se pro Rege non gereret, nec aliqua Emolumenta reciperet dicti Regni, sed in Domu Regia perciperet ut unus alius ex gratia necessaria vitæ suæ: Talis utique licet Rex esset, & Dominus, posset mendicus, & pauper merito reputari: hinc est quod Apostolus ad *Galat.* 4. dicit, quod *hæres quandiu est parvulus non differt a*

*ser-*

*servo, cum tamen sit Dominus omnium*: Sic Christus Rex Regum, & Dominus Dominantium quo ad pereeptionem regni fructuum & rerum temporalium, nisi in valde paucis se pro rege vel Domino non gessit, propter quod merito dici potuit pauper, & egenos voluntarius non propter dominii carentiam, sive regni, sed propter ea, quia se eorum fructibus, & proventibus non juvabat. Nunc autem de Apostolis est videndum, utrum habuerunt dominium aliquarum rerum temporalium in proprio vel in communi. In quæstione ista videtur distinguendum, inter tempus quo Apostoli fuerunt cum Redemptore nostro cum viveret, & tempus post ejus mortem. Si quæratur utrum tempore quo cum Redemptore nostro fuerint, habuerint aliqua: Videtur adhuc distinguendom inter tempus, antequam ad prædicandum mitterentur, & tempus missionis, & quo in prædicatione fuerunt: & tempus postquam sunt a prædicatione reversi. Si autem consideretur tempus primum: videlicet tempus antequam ad prædicandum mitterentur. Non videtur quod eis habere aliqua præsertim ad vitæ sustentationem pertinentia fuerint interdicta, quod apparet ex forma vocationis eorum. Cum enim ad disciplinam vocari, idest ad Discipulatum, forma vocationis Petri, & Andreæ, ut patet *Matth.* 4. fuit hæc: *Venite post me, & faciam vos Piscatores hominum:* Et sequitur: *At illi relictis retibus continuo secuti sunt eum*. De Jacobo autem, & Joanne in *eod. C.* non dicitur aliud, nisi quod vocavit eos. Et sequitur: *Illi autem statim relictis retibus, & Patre, secuti sunt eum*; forma autem *Math.* fuit hæc: *Sequere me*. Et sequitur qood *relictis omnibus surgens secutus est eum*: forma autem vocationis Philippi noscitur fuisse talis. *Sequere me*. ut habetor *Jo.* 1. Ex forma autem prædictarum vocationum nec ex his, quæ ipsi fecisse tunc leguntur non apparet, quod ipsi renunciaverint bonis suis omnibus. De Petro enim, & Andrea non legitur, quod tunc reliquerunt nisi retia sua. Et tamen legitur *Marc.* 1. & *Math.* 8. quod post prædicta Jesus egrediens de Synagoga venit in Domum Simonis, & Andreæ cum Jacobo, & Joanne, obi curavit Socrum Petri de febre. De Jacobo autem, & Joanne non legitur, quod tunc reliquerint nisi retia, & Patrem, quæ quidem retia videntur fuisse Patris qui vivebat potius, quam ipsorum. De Philippo non legitur, quod tunc reliquerit aliquid. De Matthæo autem legitur, quod relictis omnibus secutus est eum: Et tamen sequitur statim postquam dictum est quod reliquit omnia, & secutos est eum, quod Levi, idest Matthæus fecit magnom Convivium in Domo sua: Ergo per illam generalitatem non desierat Domus esse sua. Præterea cum Jesos misit 12. quos, & Apostolos vocaverat legimus eis interdixisse aliqua, videlicet ne possiderent aurum, nec argentum, nec Æs in Zonis suis, & alia nonnulla. Ex quibus patet, quod ante missionem illa eis interdicta non erant, alias frustra in missione fuissent eis talia interdicta, ut patet *Math. X.* & *Marc.* 3. & *Luc.* 9. Eodem modo 70. Discipulis dum eos misit, aliqua interdixit, ot patet *Luc. X.* Ex quo sequitur quod illa eis antea non fuerant interdicta. De Discipulis autem constat, quod habuerunt aliqoi multa: De Joseph ab Arimathia legitur *Jo.* 19. quod erat Discipulus Jesu. *Math.* autem 27. dicitur quod erat dives homo, & Discipulus Jesu. Item constat, quod Simon leprosus erat Discipulus Jesu, & tamen legitur *Math.* 26. quod Jesos in Bethania erat in Domo ejus. Item Lazarus, Martha, & Maria Magdalena, qui erant ejos Discipuli, erant multa bona habentes. Unde legitur de eis *Jo.* 6. quod Castrum dictum Bethaniæ erat Mariæ Magdalenæ, & Marthæ. Et quod in Bethania fecerunt Cœnam Magnam ei, in qua Martha ministrabat. Lazarus autem erat unus de discumbentibus cum eo. Maria vero accepta libra unguenti nardi pistici pretiosi unxit pedes Jesu, & extersit Capillis Capitis sui pedes ejus. De Tabita quoque quæ interpretatur Dorchas, quam Petrus suscitavit a mortuis legitur *Act.* 9. quod erat Discipula, & plena operibus bonis, & Eleemosinis quas faciebat. Et quod omnes viduæ flentes ostenderant Petro tunicas, & vestes, quas faciebat eis Dorchas. Ex qoibus patet, quod & ista non obstante Discipulatu temporalia habebat, de quibus faciebat eleemosinas prædictas. Nec reperimus quod Jesus Dominus noster aliam legem vivendi Discipulis dederit, & aliam Apostolis suis, Imo B. Clemens in quadam Epistola sua, cojus pars recitatur 12. *q.* 1. *C. Dilectissimis* expresse supponit, quod eadem erat Apostolorum, & Discipulorum vita, dicens: *Communis vita omnibus est necessaria, & maxime his qui vitam Apostolorum eorumque Discipulorum imitari volunt*. Item nec cum ipsos Apostolos ex Discipulis fecit, videtur eis indixisse vitam aliam, quam prius habuerant, sed potestatem eis aliquam tribuisse: unde cum eos Apostolos ordinavit legitur *Math. X.* sic dixisse: *Et convocatis* 12. *Discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & infirmitatem*. Si vero consideretur tempus quo missi fuerunt ad prædicandum videtur pro illo tempore, qood aliqua fuerunt eis interdicta habere. Legitur enim *Math. X.* quod illos 12. Apostolos misit præcipiens, & dicens. *Nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, nec calceamenta, nec virgam*. *Marc.* vero 6. legitor sic dixisse. *Et vocavit* 12. *& cœpit eos mittere binos, & præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, nec in Zona Æs, sed calceatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis* *Luc.* vero 9. legitur sic dixisse: *Misit illos, scilicet,* 12. *Discipulos prædicare Regnum Dei, & sanare infirmos, & ait ad illos. Nihil tuleritis in via, nec virgam, nec peram, nec Panem, neque Pecuniam, nec duas tunicas habeatis*. Ex quibus videtur, quod pro tempore viæ prædictæ tantum prædicta fuerunt eis interdicta. Augustinus tamen dicit expresse in libro *de Concordia Evangelistarum*, quod illud non fuit præceptum, sed potestas data recipiendi necessaria ab his, quibus Evangeliom prædicabant, quam servare Apostolis licuit, vel non licuit servare. Alias autem Apostolus transgressor præcepti hujusmodi extitisset, quia plerumque ab illis quibus prædicabat non recipiebat necessaria: Sed illa vel recipiebat, ab illis, vel ea suis manibus acquirebat, sicut patet *primo ad Corinth. IX. ad Philippen.* 3. *primo ad Thessalon.* 3. & *Act.* 20. ubi dicitur: *argentum autem, & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quantum ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ*. Præterea quod illud præceptum fuit temporale sans innuitur *Luc.* 22. ubi Dominus Apostolis dixit: *Quando misi vos sine pera & sacculo, numquid aliquid defuit vobis?* Præterea Discipulis 70. quando misit eos dixit. *Nolite portare sacculum* in quo pecunia consuevit portari, *nec peram* in qua consueverunt calceamenta portari, & alimenta, & tamen de illis certum est, quod multi ex discipulis erant multa habentes ut patet ex prædictis. Si autem consideremus tempus post reversionem, tunc videtur, quod eis licuit habere præmissa saltem in communi: habuerunt enim Apostoli, postquam reversi fuerunt de prædicatione Panes, & Pisces, ut patet in miraculis Panium, & Piscium, quæ facta fuerunt, postquam de prædicatione fuerunt reversi ad Jesum, ut patet *Math.* 6. ubi de Apostolis postquam a prædicatione redierunt, dicitur sic: *Et convenientes Apostoli ad Jesum re-*

*nunciaverunt illi omnia quæ facta erant per eos, & quæ docuerunt* scilicet in prædicatione. Ecce „ quod de prædicatione ad quam missi fuerant reversi fuerunt, & rationem Domino reddiderant de ea. Et post *eodem C.* sequitur miraculum quinque Piscium, & quinque Panum, ubi Apostoli, cum Dominus, dixisset eis, quod darent Turbæ manducare, dixerunt: *Emamus, denariis ducentis Panem, & dabimus illis manducare. Luc.* vero *IX.* dicitur sic: *Et reversi Apostoli narraverunt illi quæcumque fecerunt*: Et post *e. C.* sequitur miraculum quinque panum, ubi dicitur quod cum Dominus Apostolis dixisset: vos date illis manducare. Illi dixerunt, Non sunt nobis plus quam quinque panes, & duo pisces, nisi forte nos emamus in omnem hanc Turbam Escas. Ex quibus patet quod postquam reversi sunt a prædicatione Apostoli, habuerunt & panes, & pisces, & pecuniam de qua tantæ turbæ, quanta erat illa poterant emere cibos. Item quod postquam redierunt de prædicatione habuerunt pecuniam patet, legitur enim *Joannis* 4. quod Jesu sedente super fontem Jacob, Discipuli ejus abierunt in Civitatem, ut cibos emerent: Sicque patet, quod pecuniam habebant, cum emptio mediante pecunia fiat. *Deuteron.* 2. *C.* Et tamen tunc temporis Apostoli de prædicatione fuerant, ut videtur, reversi, cum in *C. præallegato* Jesus Discipulis dixerit. *Ego misi vos metere quod non laborastis, alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.* Supponit quoque evidenter Scriptura Evangelica ipsos post reversionem prædictam sacculos, in quibus portabatur pecunia, & plures Tunicas habuisse. Legitur enim *Luc.* 22. Dominum nostrum Jesum Christum Apostolis dixisse. *Qui habet sacculum, tollat similiter & peram: Et qui non habet gladium, vendat tunicam suam & emat gladium.* Et sequitur, quod Apostoli dixerunt ei: *Domine ecce gladii duo hic.* Ex quo patet, quod duos gladios habebant. Petrus quoque legitur Joannis XVIII. gladium habuisse, ubi dicitur, quod Simon Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit servum. Pontificis. Cui Dominus dixit. *Mitte gladium tuum in vagina.* Si autem quæratur de tempore post mortem Christi, videtur adhuc distinguendum inter tempus ante missionem Spiritus Sancti, & post missionem ipsius. Si quæratur de tempore ante missionem Spiritus Sancti non legitur, quod quoad præmissa circa eos aliquid fuerit immutatum, sed quod juxta præceptum Domini dicentis *Luc. ult. Vos autem sedete in Civitate, quousque induamini virtute ex alto*, expectaverunt in Civitate adventum Spiritus Sancti. Si autem quæratur de tempore post missionem Spiritus Sancti, videtur adhuc distinguendum inter illos qui ex Judæis conversi fuerunt in primitiva Ecclesia Hierosolymitana, & inter gentiles. Quoad Conversos ex Judæis, videtur, quod Apostoli & Discipuli Christi ex una parte, & illi qui postea ad Prædicationem Petri, & miracula fuerunt conversi, omnia, quæ habebant sibi invicem communicaverunt. Ita quod nullus ipsorum proprium sibi retinuerit, sed communia fuerunt effecta. Et intelligo, quod quoad dominium illa fuerunt communicata, ut probatur *Act.* 2. & 4. ut superius est ostensum. Et quia iste hæreticus dicit, quod illa communio intelligitur de turba Discipulorum, inter quos erant omnia communia, quæ habebant, non de Apostolis, qui nihil habebant in temporalibus, nec in proprio, nec in communi, nisi tamen in rebus usu consumptibilibus simplicem facti usum. Dicimus, quod hoc dicendo Apostolos a credentium numero evidenter excludit. Dicitur enim *Act.* 2. quod omnes qui credebant, erant pariter & habebant omnia communia: Si ergo omnibus credentibus erant omnia communia: Sequitur quod si Apostolis non erant communia, quod non erant credentes: Quod est falsum; imo sicut ipsi inter credentes principales erant; sic eis omnia communia principaliter existebant: unde sicut principalioribus pecuniæ agrorum, & domorum venditarum ante pedes Apostolorum ponebantur, ut legitur *Act.* 4. Et hoc expresse probatur per Epistolam Clementis recitatam pro parte 12. *q.* 1. *C. Dilectissimis*, in qua Beatus Clemens scribens suis Condiscipulis Hierosolymis habitantibus cum B. Jacobo Episcopo Hierosolymitano, sic dicit: *Apostoli eorumque Discipuli una nobiscum communem vitam duxerunt, ut enim bene nostis, erat multitudinis eorum Cor unum, & anima una; Nec quisquam eorum aut nostrum de his quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed omnia nobis erant communia.* Ubi satis clare monstratur, quod Apostoli & eorum Discipuli illa quæ habebant communicaverunt Judæis Hierosolymis conversis, & e contra. Unde Hieronymus ibi talem fuisse Ecclesiam credentium primo in Christum, qualem nunc etiam Monachi imitantur, & cupiunt, ut cuiquam nil sit proprium, nullus dives inter eos, nullus pauper, Patrimonium dividatur, orationi vacetur, & Psalmis; Doctrinæ quoque & continentiæ insistatur. Lucas manifeste refert, cum dicit: *Quotquot erant possessores Agrorum, aut Domorum &c.* expresse quoque innuit & supponit quod ante illam Communionem habere poterant Apostoli, & Discipuli eorum aliqua in proprio, seu Communi. Quantum autem ad Conversos ex gentibus non videtur quod ipsi sibi invicem, & aliis credentibus communicaverunt sua: imo videtur, quod ipsa sibi retinuerunt propria sicut prius, ut probatur de Corinthiis *p. ad Corinth. C. fin.* in princ. Ubi dicitur sic. *De collectis autem quæ fiunt in Sanctos sicut ordinavi in Ecclesiis Galaciæ: Ita & vos facite: per unam sabbati unusquisque vestrum apud se reponat recondens quod placuerit sibi.* Item ad *Philip.* 4. Apostolus Philippensibus sic dixit: *Scitis autem & vos Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia in rationem dati, & accepti nulla mihi communicavit Ecclesia, nisi vos soli, quia & Thessalonicen semel, & bis in usum misistis mihi*: Et sequitur: *repletus sum acceptis ab Epafrodito quem misistis in odorem suavitatis.* Item *Act. XI.* legitur, quod cum Achabus Propheta in Antiochia in præsentia Barnabæ & Sauli significasset per Spiritum famem magnam futuram in universo Terrarum Orbe, quæ facta est sub Claudio; Discipuli prout quisque habebat disposuerant singuli Ministrum mittere fratribus habitantibus in Judæa, quod & fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnabæ & Pauli: & hoc est quod Augustinus in *li.* 3. *de Doctrina Christiana* dixit expresse: sic dicens: *Tam capaces extiterunt Spiritus Sancti, qui primo ex Judæis crediderunt ex quibus facta est prima Hierosolymitana Ecclesia, ut & omnia sua venderent, eorumque pretium indigentibus distribuendum ante Apostolorum pedes ponerent; se quoque totos dedicaverunt Deo tanquam templum novum in orationibus, & fractione Panis spiritualis, & corporales, qui prius veteri templo serviebant, quod nullas Ecclesias gentium fecisse scriptum est, qui non tam proprie erant, qui simulacra manufacta Deos habebant, ex quo intelligimus magnam utilitatem fuisse Judæos sub lege tanquam sub Pedagogo custoditos, ut signa quæ temporaliter eis carnaliter servientibus erant imposita, ad unius Dei Cultum, qui fecit Cælum, & terram opinionem observantium religarent.* Tertio videndum est, utrum pro rebus quas habuerunt Apostoli, licet non legantur litigasse pro ipsis, eis licuerit litigare. Et quod non licuerit dicit iste hæreticus. Ad quod probandum inducit *Matth.* 19. ubi Petrus pro se, & aliis Apostolis Domino dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Ex quo secundum Catholicos Doctores

„ ut

ut dicit, patet, quod reliquerunt Jus agendi in Judicio, quod non stat cum tali perfectione supererogationis quæ implicat ad peccatum, sicut probat secundum eum Apostolus *p. ad Corinth.* 6. dicens: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quia Judicia habetis inter vos:* Et ideo Christus ut dicit injunxit perfectis, ut non litigant in Judicio *Matth.* 5. & *Luc.* 6. dicens, quod illa tantum intelligantur perfectis iniuncta: Et similiter illud Apostoli ad *Corinth.*, 6. In quibus iste hæreticus mentitur aperte, quia quod in dictis Evangeliis dicitur, non potest de perfectis intelligi, prout ipse sumit perfectos. Illos enim solos perfectos asserit, qui a se temporalium omnium proprietatem abdicarunt, & dominium sibi dumtaxat usu facti simplici retentn. Constat autem quod verba illa, *ei qui vult tecum in Judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & Pallium*, posita *Matth.* 5. & *Luc.* 6. intelliguntur de hit, qui in ipso temporalia obtinebant: loquitur enim illi Dominus qui tunicam habebat, & pallium, dicit ei *qui voluerit tunicam tuam tollere dimitte ei, & Pallium*; sicque patet, quod & Tunicam habebat & Pallium is, cui loquebatur. Præterea statim illi cui prædicta iniunxerat, sic præcepit, ibidem: *Qui petit a te, da ei, & volenti mutuare a te, ne avertare*. Ex quibus etiam patet quod habentibus temporalia hactenus locutus est, cum dixerit quod det ei, qui a se petit, quod non posset facere, cum dare sit accipientis facere; nisi dominium etiam quo ad temporalia obtineret: nec etiam mutuare possit, nisi ejus quod mutuaret esset Dominus, cum in mutuo a mutuante in eum qui mutuum recipit rei mutuatæ sit dominium transferendum. Item ipse intelligit Apostolis datum prædictum fuisse mandatum, quod est falsum, tempore enim illius sermonis in monte facti in quo injuncta fuerunt prædicta, nullus adhuc erat Apostolus, ut patet, quia Sermo ille recitatur *Mat.* 5. & Apostoli fuerunt facti post, ut patet *Mat. X.* unde dici non potest nisi mendaciter, quod illa præcepta contenta in illo Sermone Domini in monte solis Apostolis facta fuerunt, cum nondum Apostoli essent. Item attendat iste hæreticus, quod Dominus præcepit *Matth.* 18. Discipulis suis. *Si peccaverit* inquit *frater tuus in te, corripe eum inter te & ipsum solum*: & sequitur: *si autem non audierit dic Ecclesiæ. Si autem non audierit Ecclesiam, sit tibi ethnicus & Publicanus*: voluit ergo Salvator noster, quod ejus discipuli, inter quos erat Petrus, ut patet, quia statim sequitur, ibi, *tunc accedens ad eum Petrus &c.* conquererentur Ecclesiæ de iniurantibus sibi; & quod verba prædicta *Matth.* 5. non solum perfectis, sed generaliter intelligantur omnibus esse dicta ex eo patet, quia illa verba sunt dicta in illo magno Sermone Domini in monte quod continetur *Matth.* 5. 6. & 7. C. Dominus concludens sic dixit: *Omnis ergo, qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro prudenti, qui ædificat Domum suam supra Petram &c.* Et sequitur, *quod omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit Domum suam super arenam*. Cum ergo non dixit, quod omnis qui audit verba mea, sed dixerit verba mea hæc, & facit ea assimilabitur Viro Sapienti. Qui vero audit & non facit similis erit viro stulto, apparet quod non solum perfectis sunt dicta verba prædicta, imo, & imperfectis, cum omnibus illa servantibus promittatur præmium, & omnibus non servantibus pœna. Pro hoc etiam facit quod Christus Apostolis *Matth. ult.* dixit: *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis*. Ex quibus etiam clare patet, quod mandata data discipulis sicut illa fuerunt data, cum nondum essent Apostoli, ut patet ex prædictis, intelliguntur omnibus data. Et hoc tenet Augustinus in *li. de Sermone Domini in monte*. Item illud Apostoli *primo ad Corint.* 6. *Jam quidem delictum est in vobis, quia Judicia habetis inter vos, quare non magis accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis*. Et hoc Fratribus non intelligitur dictum talibus personis, de quibus loquitur iste hæreticus, scillcet, qui a se dominium omnium totaliter abdicarunt, contenti solo usu simplici facti. Loquebatur enim Apostolus *Corinthiis* conversis ad fidem: Qui quidem non renunciaverunt bonis suis, nec ad invicem communicaverunt sibi, ut patet *p. ad Corint. ult. in prin.* ubi Apostolus hortatur eos, ut collectas inter se facerent deferendas Hierusalem Sanctis, sic dicens. *De Collectis, quæ fiunt in Sanctis, sicut ordinavi in Ecclesiis Galaciæ: Ita & vos facite per unam sabbati: Unusquisque autem vestrum apud se reponat recondens quod ei placuerit*. Hoc autem non facerent, si nihil haberent. Et patet sicut in Articulo proximo latius continetur. Augustinus quoque dicit, quod non legitur, quod conversi ex gentibus communicaverunt sua. Quare patet, quod dictum Apostoli nihil pro dicto hæretico facit, quia non loquitur de perfectis, sicut ipse perfectos accipit, scilicet, qui abdicaverunt omnium temporalium dominium solo simplici usu facti contenti; sed loquitur omnibus Corinthiis ad fidem conversis, qui omnium temporalium dominium retinuerunt sibi. Sane autem secundum hoc videtur, quod fidelibus non liceat litigare sine peccato, quod esset nimis durum; & ideo dicendum quod præcepta illa *Math.* 5. data. *Si quis te percusserit in una maxilla præbe illi, & alteram: Et qui vult in Judicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & Pallium. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum eo alio duo.* Sed quod Augustinus dicit in *li. de sermone Domini in monte; non sunt semper servanda in executione operis, sed semper in præparatione animi sunt habenda, ut scilicet simus parati hæc facere, & sustinere, quum Caritas hoc requiret*; & recitetur *XXIII. q. in prin. C. paratus*: Et propter hoc non simpliciter dixit Apostolis *primo ad Corint.* 6. quare non iniuriam accipitis, sed dixit: quare non magis iniuriam accipitis? Et quod hoc eis non simpliciter interdixit, ex eo patet quia in præcedenti C. scilicet *primo ad Cor.* 5. Apostolus reprehenderat Corinthios, quia erant negligentes in judicio faciendo dicens eis. *Nonne de his, quæ intus sunt judicatis?* Item in præallegato *C. primo ad Cor.* 6. Apostolus Corinthios reprehendebat, quia erant negligentes in judicio faciendo dicens eis: *Nonne de his, quæ intus sunt judicatis*. Item in præalle. *C. primo ad Corinth.* 6. Apostolus Corinth. reprehendebat, quia coram infidelibus litigabant, & judicium subibant dicens: *Audet aliquis vestrum habens negocium adversus alterum judicare*, idest judicium subire, *apud iniquos, & non apud Sanctos*, idest fideles. Item ostendebat quod hoc ad fideles, pertinebat dicens: *Et si in vobis*, idest per vos *judicabit mundus*, idest mundani, *indigni estis, quod de minimis*, scilicet de temporalibus, *judicatis*: quasi dicat non quia qui majoribus multo magis minoribus est dignus. Et sequitur: *Sæcularia igitur judicia si habueritis contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad Judicium*: hoc autem dicebat sibi ironice. Unde subdit: *Ad verecundiam vestram dico*, suaudi, quia curritis ad Judicia infidelium; *non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem & fratrem suum, sed frater cum fratre contendit, & hoc apud infideles*. Deinde reprehendit eos, quia injuste, & fraudulenter fratres suos ad Judicium trahebant dicent: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quia Judicia habetis inter vos*, scilicet fraudolenta, & injuriosa: Unde sequitur: *Sed vos in-*

*juriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus*: Et quod de talibus qui fraudulenter trahebant fratres ad Judicium intellexerit Apostolus, patet, quia statim subiunxit. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt*, eos agere iniquè supponens; unde patet quod Apostolus non interdixit simpliciter Corinthiis conversis ad fidem litigare; imo quod eis liceret ex multis, ut patet ex prædictis ostendit, & ideo subiunxit; *omnia mihi licent*. Glos. *omnia mea licet repetere mihi*. Nec per Scripturam Sacram patet quod Christus, seu Apostoli secundum Intellectum historicum semper servaverint præcepta prædicta. De Christo enim Domino nostro legitur *Jon.* 14. quod cum unus ex Ministris Pontificis dedisset alapam ei, non sibi præbuit aliam, sed dixit ei. *Si male locutus sum, perhibe testimonium de malo: si bene: cur me cædis?* Item de B. Paulo legitur *Act.* 22. quod cum Tribunus jussisset eum flagellis cædi, & torqueri, & astrinxisset eum loris, dixit astanti Centurioni Paulus: *Hominem Romanum indemnatum licet vobis cædere?* Quo audito tortus non fuit. Item *Act.* 23. Cum Prineipes Sacerdotum præcepissent percutere os Pauli: Paulus dixit ad eum: *Percutiat te Deus paries dealbate, & tu sedens, judicas me secundum legem, & contra legem jubes me percuti?* Item *e. C.* legitur, quod Paulus cum audisset a filio Sororis suæ, quod plures ex Judæis devoverant se uon manducaturos, nec bibituros, donec occiderent ipsum, misit nepotem suum ad Tribunum ad nunciandum ei prædicta, & sic evasit, ut legitur 23. *q. in C. maximus*. Item cum Hierosolymis in manus Romanorum traditus fuisset, & Judæis contradicentibus ipsum non expedirent, ad Cæsarem appellavit, ut legitur *Act. ult.* Ex quibus satis liquet, quod non fuit intentio Salvatoris nostri prohibere fideles se defendere in Judicio, & res suas, nisi quum hoc charitas suaderet. Quare patet, quod prædictus hæreticus, ut prævaricator legis Divinæ allegaverat supradicta Capitula quæ non tangunt in aliquo Constitutiones nostras prædictas. Cum ergo quæritur, utrum Apostolis, & Discipulis, ac eorum sequacibus pro rebus, quas habebant licuerit, & liceat litigare, videtur dicendum quod illis qui propria non habebant pro rebus aliquibus tanquam propriis non licuit litigare. Illis autem qui habebant communia pro illis ut pro communibus animo ipsa bona defendendi, vel repetendi sine fraude, & alicujus injuria licuit litigare, præsertim illis qui curam habent illius communitatis, vel alii eorum mandato, nisi forsan ex hoc grave scandalum sequi possit; quo casu esset judicium differendum, vel omittendum, cum grave scandalum possit sequi. Et si diceretur, ut dicit iste hæreticus, quod viris perfectis pro rebus religionum suarum esset prohibitum litigare, omnes religiosi, qui renunciaverunt propriis, & habent in communi, ut sunt illi qui vivunt secundum regulam B. Augustini, & Benedicti, ac quasi omnium aliorum Sanctorum Patrum diversarum religionum fundatorum, qui habent in communi, in via damnationis existerent bona communia in Judicio defendendo, qui tamen tenentur servare, tueri, & defendere bona illa. Quod ex eo patet, quod Augustinus ad Bonifacium dixit: *Maximus Episcopus Vagiensis, auxilium petiit ab Imperatore Christiano contra h. non tam sui ulciscendi causa, quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda*. Item quod Prælatis, quorum status reputatur perfectior aliis, & qui locum tenent Apostolorum pro rebus Ecclesiarum suarum litigare liceat, patet: Nicolaus enim Papa præcepit Archiepiscopo Treverensi, & ejusdem Ecclesiæ filiis, ut spirituali simul, & materiali gladio tam diu occupatores possessionum, & rerum ipsius Ecclesiæ insequerentur eorumque fautores: quousque cum integritate, & possessiones, & res Ecclesiæ occupatæ fuerint revocatæ. 16. *q.* 1. *C. authoritate*; quod non fecisset, si hoc licitum non fuisset. Ad quod facit *extra de sen, Exco. C. Dilecto lib. 6. de restitu. spol. cum olim*. Item in Concilio Gangrensi statutum fuit, quod *si quis oblata Deo dederit, vel acceperit præter Episcopi consensum, qui ab eo institutus est; & qui dat & accipit, anathema sit*: Et sequitur. *Iniquum enim esse censemus, ut potius custodes carcerum quam defensores rerum creditarum, ut præceptum est judicemur*. 16. *q.* 1. *C. Canonibus*. Innocentius quoque III. hoc quod renunciantibus propriis, & habentibus in communi pro communibus liceat litigare expresse determinasse videtur. *extra de Judi. C. cum deputati*. Adhuc iste hæreticus Constitutionem *Quia quorundam* impugnare nititur dicens, quod de Clavibus Ecclesiæ male docere videtur, quia in dubium revocat, sive negat Clavem scientiæ, Ecclesiæ Catholicæ fore Clavem. Cum enim in dubium revocet: Utrum scientia Clavis Ecclesiæ sit censenda & super hoc opiniones contrarias, & diversas recitat, in partem illam, quod scientia non sit Clavis in Ecclesia declinare videtur cum dicit, quod Salvator noster in promissione Clavium facta B. Petro hoc sensisse videtur expresse, cum immediate post illam promissionem subiunxerit. *Quodcumque ligaveris &c.* nulla de scientia habita mentione, quæ Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Ecclesiæ sententiis & Doctrinæ Ecclesiæ, ut dicit iste hæreticus, contradicunt. Ad quod inducit illud quod legitur *Luc. XI.* ubi Salvator noster sic dixit: *Væ vobis legis peritis, qui tulistis Clavem scientiæ, ipsi non introistis, & illos qui introibant prohibuistis*: Ex quo patet ut dicit, quod Clavis scientiæ est una Clavis Ecclesiæ a Clave potentiæ separata. Profecto patet, quod ejus malitia adeo illum hæreticum excæcavit, quod ad veritatem aliquam nequit intellectum erigere. Dicat nobis iste hæreticus, quibus loquebatur Salvator prædictus in verbis prædictis. Profecto negare non potest, quod Pharisæis, & Scribis loqueretur, quia hic ille Textus dicit expresse, quibus tamen Claves Ecclesiæ quovis tempore traditæ non fuerunt: unde patet, quod non intellexit loqui de Clavibus Ecclesiæ Dominus in verbis prædictis. Attendat adhuc iste verba Salvatoris nostri, dixit enim: *væ vobis legisperitis, quia tulistis Clavem scientiæ*, non dixit Clavem regni Cælorum: Et de quibus Clavibus cum de Clavibus Ecclesiæ loqueretur est intelligendum, Illas enim Petro a Christo promissas legimus, & non scientiæ Clavem, ut patet *Matt.* 16. ubi Dominus Petro sic dixit. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam; & tibi dabo Claves regni Cælorum*. De Clavibus autem illis regni Cælorum, Augustinus de Doctrina Christiana sic dixit: *has Claves dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in terra, soluta essent & in Cælis: Et quæ ligaret in terra, essent ligata in Cælis*. Hoc etiam Salvator noster dixisse videtur expresse, sicut Constitutio prædicta *Quia quorundam* dixit, quod immediate post illa verba: *Tibi dabo Claves regni Cælorum*, subjunxit. *Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis: Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*: Et si quæratur, quæ sit Clavis scientiæ, de qua Dominus loquitur *Luc. XI.* Resp. Glos. quod *Clavis scientiæ divinæ est Christi humilitas*, quam qui habet, habet apertum ostium ad intelligendum scripturas; hanc Pharisæi, & legisperiti contempserunt: nec ipsi eam in lege, & Prophetis voluerunt intelligere, nec ab aliis intelligi permiserunt. Item Clavis scientiæ potest dici fides secundum illud Isaiæ 7. *nisi credideritis, non intelligetis*; hanc Clavem scientiæ scilicet Christi fidem Pharisæi, & legisperiti suis pravis expositionibus de legis, ac Prophetarum dictis abstulerant,

„ rant, quantum in eis fuit, sicut & iste hæreticus, ut patet, nititur auferre hanc Clavem, scilicet fidem, quam habebat Petrus antequam sibi Dominus promitteret regni Cælorum Claves, ut patet in præalleg. *C. vos autem quem me esse dicitis. Respondens Petrus dixit. Tu es Christus filius Dei vivi*: Et sic patet, quod hanc Clavem scilicet fidei, Petrus habebat ante promissionem prædictam; habebat etiam & humilitatem, alias Deus Pater hoc non revelasset ei, quia talia revelare parvulis, idest, humilibus consuevit juxta illud *Matth. XI. Confiteor tibi Pater Domine, qui abscondisti ea a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*: Et juxta illud Psalmistæ: *Scientiam dat parvulis*: Et quod Pater revelaverit responsionem prædictam Petro, hoc immediate subjunxit Dominus noster, qui immediate post responsionem Petri eidem Petro sic dixit: *Beatus es Simon Barjona, quia Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in Cælis*. Item impognat adhuc iste hæreticus Constitutionem prædictam, falso imponens ei, quod dicit quod Summus Pontifex in his quæ ad fidem, & mores pertinent, non potest suorum prædecessorum diffinitiones, & dicta revocare, & contrarium statuere, prout decreverit statuendum. Aperte juxta morem suum mentitur hæreticus supradictus; Constitutio enim illa hoc non dicit, nec de hoc facit aliquam mentionem, ut patere potest cuilibet intuenti; imo expresse negat, quod dicere Christum & Apostolos non habuisse in his quæ habuerunt nisi simplicem usum facti; profecto hoc directe ad fidem non pertinet, ut in §. *Præterea* patet. In quo sic dicit: Præterea dicant nobis assertores hujusmodi, ubi legant quod ad fidem, vel mores pertineat Christum, & Apostolos non habuisse in iis, quæ habuerunt, nisi simplicem usum facti. Profecto directe hoc ad fidem non pertinet, cum de hoc non sit Articulus fidei aliquis, nec sub quo valeat comprehendi, ut patet ex Symbolis, in quibus Articuli fidei continentur, nec etiam reductive, quasi hoc sacra scriptura contineat, quo negato, tota scriptura sacra redditur dubia, & per consequens Articuli fidei, qui habent per scripturam sacram probari reddantur dubii, & incerti. Hoc enim in scriptura sacra non poterit sed contrarium reperiri. Ex quibus concludit dicens: Unde non possunt ex prædictis nisi concludere falso, quin contra ordinata per Summos Pontifices circa talia liceat successoribus aliud ordinare. Quod Nicolaus III. præfatus inseruit in sua Declaratione ut superius continetur. Præmissa quoque ut ad plurium possent pervenire notitiam, eorumque memoria conservari valerent diutius scripturæ præsenti decrevimus committenda. Quam quidem Bulla nostra munitam majoris Ecclesiæ Avinionis ostiis affigi fecimus, seu appendi, ut sic juxta nostrum desiderium ad communem deducta notitiam hæreticorum Doctrina prædicta pestifera sic suo præfocetur in ortu, quod nequaquam ejusdem virus nequiter ad inficiendum simplices ulterius diffundatur.

„ Datum Avinionis 16. Kalendas Decembris
„ Pontificatus nostri anno 14.

Subsequenter cum pervenisset ad præfati Michaelis Generalis Ministri notitiam, quod prælibatus Dominus Joannes dictam Decretalem, *quia vos reprobus* contra ejus appellationem, & in maximam ejus infamiam, & enorme præjudicium & gravamen, & non solum ipsius Fratris Ministri Generalis, sed etiam fidei Catholicæ, & Ordinis sæpedicti ediderat, & publice promulgaverat, a dicta decretali seu Libello in Monaco Provinciæ Alamaniæ superioris existens publice, & solemniter appellavit. Cujus appellationis tenor noscitur esse talis.

# APPELLATIO
## FRATRIS MICHAELIS
*Generalis a Constitutione præscripta.*

„ UNiversis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, humiles Christi pauperes fideles, & Catholici oppressi pro defensione veritatis fideique Christianæ salutem, & pacem in eo, qui cum esset Dives pro nobis pauper factus est & tradidit semetipsum pro nobis, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Veritatem sapientis animus non recusat, nec fides recta patitur quamque jacturam. *Sine fide*, si quidem secundum Apostolum, *impossibile est placere Deo*. Almus Christi Confessor, & vitæ ipsius præcipuus imitator Franciscus, ac ejus stigmatibus mirabiliter insignitus Divino Spiritu illustratus prædixit: Regulam suam, & vitam Christi acerrime impugnandam: & quod super eam venirent tentationes immensæ: Et qui fuerint tunc probati accipient Coronam vitæ. Væ autem illis qui de sola specie religionis confisi tepescent, nec resistent constanter tentationibus ad probationem electorum permissis. Qui vero spiritu ferventes ex charitate & zelo veritatis adhærebunt pietati, tanquam inobedientes, & Scismatici persecutiones innumeras sustinebunt. Nam persequentes eos a malignis spiritibus agitati magnum esse obsequium Dei dicent tam pestilentes homines interficere, & delere de Terra. Erit enim refugium afflictis Dominus, & salvabit eos, quia speraverunt in eo. Et ut suo capiti conformentur fiducialiter agent, & per mortem vitam merentes æternam obedire Deo magis quam hominibus eligent, & mori potius quam consentire falsitati, & perfidiam nullatenus formidabunt. Nam veritas tunc a prædicantibus operietur silentio, aut conculcata negabitur, & vitæ sanctitas a suis professoribus habebitur in derisum. Quare dignum digitis non Pastorem, sed exterminatorem mittet eis Dominus Jesus Christus. Et quod aliquis non canonice electus, & infectus hæretica pravitate in articulo tribulationis illius in Papatum assumptus multis mortem sui erroris sagaciter propinare conabitur; Hæc Prophetia dicti Patris ad literam cernitur adimpleta in Joanne XXII. qui quantum in ipso fuit, perfectionem Evangelicam, & totum statum Ecclesiasticum exterminavit, & multas hæreses in Ecclesia seminavit, prout in quatuor statutis per ipsum statutis, & evidenter editis annotatur. Quorum primum incipit *ad Conditorem Canonum* secundum *Cum inter nonnulles*: Tertium *quia quorundam*: Quartum *Quis vir reprobus*; Quorum errorum in prædictis statutis contentorum aliqui de pluribus cum eorum veris reprobationibus hic breviter scribentur.

„ Primus error est, quod Dominus noster Jesus Christus in quantum homo viator, & mortalis, imo in quantum crucifixus fuit verus Rex temporalis habens universale Regnum & dominium omnium rerum temporalium hujus Mundi. Qui Error Scripturæ Sacræ, Sanctorum Doctorum, & Patrum doctrinæ contradicit aperte. Quod autem Scripturæ Sacræ contradicat patet per illud quod legitur *Joann.* 18. Christum dixisse Pilato. *Regnum meum non est de hoc Mundo: si ex hoc mundo esset Regnum meum, Ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis, nunc autem meum Regnum non est hinc*. Et Joannis 6. *Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, & facerent Regem, fugit iterum in montem solus*. Ergo vitabat Regnum & regnare in temporalibus secundum hoc. Et *Luc.* 12. ubi cuidam de Turba dicenti sibi: *Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem respondit dicens; homo*

*homo quis me constituit Judicem aut divisorem super vos?* Constat ergo quod ad Regem tanquam ad ordinarium judicem spectat de hæreditatum divisionibus judicare, & cogere ad easdem: Ergo non regnavit temporaliter; aliter falsum dixisset, quod non pertinebat ad eum: Et sic articulus iste contradicit sacro Textui. Et quod adversetur dictis Sanctorum Doctorum patet. Ait enim Augustinus in quodam Sermone de Innocentibus. *Putabat se infelix Tyrannus Domini Salvatoris adventu regali solio detrahendum: sed non est ita. Non enim ad hoc venerat Christus, ut alienam gloriam invaderet, sed ut suam donaret. Non inquam venerat ad hoc Christus ut Regnum prærriperet terrestre, sed ut cæleste donaret: Non venerat ad potestates dignitatesque capiendas, sed ad contumelias perferendas; non ad hac venerat ut illud Sacrum Caput ad Diadema gemmarum, sed ut ad Coronam spineam præpararet. Non inquam venerat ut constitueretur super sceptrum magnificus, sed ut crucifigeretur illusus.* Item idem Augustinus in Epistola ad Madarienses dicit sic: *Itaque non Christus Regno decoratus, nec terrenis opibus dives, nec Christus ulla terrena felicitate præfulgens, sed Christus crucifixus per totum Orbem terrarum prædicabatur.* hæc ibi. Item Ambrosius super *Luc. li.* 3. super illo verbo: *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus: Ergo si Angelo non credis, ipsi saltem Domino crede dicenti. Tu dicis quod Rex sum ego. Nunquid ergo ipse mentitus est, qui regnare se dixit, qui non regnavit in terris. Quomodo Scriptura solvitur, qui Regem eum dicit, & non regnare astruit.* Et infra. *Qui dicit de hoc mundo non esse regnum suum, ostendit esse super mundum. Et ita erat regnum ejus, & non erat in sæculo, sed super sæculum.* Item Bernardus super *missus est* dicit. *Dabit ergo ei Dominus Deus sedem David Patris ejus non typicam sed veram, non temporalem, sed æternam, non terrenam, sed Cælestem. Quod idcirco memoratur fuisse David; quia hæc in quantum temporaliter sedes David, æternæ illius gerebat imaginem.* Item Gregorius in Pastorali loquens de regno Christi dicit: *Nolite plures Magistri fieri. Nam ipse Dei, & hominum mediator Regnum recipere vitavit in terris, qui supernorum spirituum sensuumque transcendens ante Sæcula regnat in Cælis. Qui enim idcirco in carne venerat, ut non solum per passionem suam redimeret, verum etiam per suam conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens Rex fieri voluit, ad Crucis vero patibulum sponte venit; oblatam gloriam culminis fugit, pœnam opprobriosæ mortis expetit, ut membra ejus discant favores fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare:* Hæc Gregorius. Item Sanctus Leo Papa in quodam sermone Epiphaniæ, qui legitur in Ecclesia loquens de Regno Christi dicit sic: *Herodes vero audiens Judæorum Principem natum, successorem suspicatus expavit:* Et parum post. *O cæca stulta æmulationis impietas, quæ perturbandum putas divinum tuo furore consilium, Dominus mundi temporale non quærit Regnum, qui portaverat æternum.* Quibus authoritatibus nihil clarius dici potest ad ostendendum, quod Regnum Christi in quantum homo viator non fuit temporale, & terrenum, sed Cæleste, & æternum. Item quod Regnum Christi in quantum homo viator non fuerit temporale sed spirituale & cæleste apparet per hoc. Quod tale fuit Regnum Christi, quale venit annunciare & prædicare: & non tale quale venit contemnere, & despicere: sed Christus venit prædicare & annunciare Regnum Cælorum, & contemnere, atque despicere regnum temporale, & terrenum propter Regnum Cælorum. Quare inquit *vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo. Matth. IX. & Marc. X. & Luc.* 18. Ergo Regnum Christi non fuis temporale, sed æternum. Præterea ille qui venerat temporaliter non judicare, sed judicari, non venit temporaliter principari, & dominari, sed magis temporaliter subiici, & subdi. Item Regnum Christi, pro quo mortuus est, non fuit temporale, quia temporale Regnum Judæorum per mortem Christi extitit dissipatum: Et Prophetæ dixerunt per Christum esse suum Regnum reparandum. Concluditur evidenter, quod Regnum Christi non fuit temporale, sed spirituale, & cæleste. Nota pro sana intelligentia veritatis, quod Regnum Christi tripliciter intelligi potest. Primo pro Regno æternali, & divinali: Secundo pro Regno spirituali. Tertio pro Regno Materiali, vel sæculari. Primum spectat ad Christum, quantum ad suam Divinitatem, qua æqualis est, & unum & idem cum Patre ratione creationis, & gubernationis cunctorum. Et de hoc non est quæstio. Quantum etiam ad humanitatem spectat ad ipsum per communicationem idiomatum ratione personalis, sive hypostaticæ unionis, quia quicquid prædicatur de Deitate, prædicatur de homine Christo, & e converso. Secundum etiam competit Christo ratione creationis, redemptionis, justificationis, glorificationis, doctrinæ, & pastoralis curæ vel spiritualis desponsationis suorum fidelium & electorum, sive membrorum. Nec de hoc est quæstio. Tertium vero non spectat, nec spectare potest ad Christum, nec ratione divinitatis, cum contradictio sit Regnum, vel regimen temporalium corruptibilium æternum posse esse, vel divinum: Nec ratione humanitatis, sicut probatur supra, quia ad Christum ex officio sibi commisso non pertinebat de temporalibus judicare, hæreditates dividere, leges Civiles condere, homicidas, latrones, & malefactores punire, peregrino, pupillo, & viduæ cum opprimerentur a potentibus mundi temporale auxilium exhibere, & alia quæ ad Officium Regum sæcularium pertinent exercere. Et de isto tertio modo est controversia. Est igitur Christus in quantum Deus, Rex omnium Angelorum, & hominum bonorum, & malorum, fidelium, & infidelium, rationabilium, & irrationabilium, & cunctorum, & eodem regimine, quo Pater, omnia regit. Similiter Christus homo eodem modo quo dictum est. Secundo fuit Christus Rex spiritualis in quantum Deus, & in quantum homo a spirituali regimine quod ad hoc venit in mundum, ut scilicet fideles sibi credentes quantum ad spiritualia gubernaret. Et isto modo Christus est credentium sive fidelium Rex tantum, sive sint Gentiles, sive Judæi. Quia soli credentes sunt Judæi omnes secundum spiritum. Tertio Christus nec quantum ad humanitatem, nec quantum ad Divinitatem, sive in quantum fuit homo mortalis, fuit Rex a regendo temporaliter, secundum quod aliquis dicitur Rex per supradictum modum regendi temporaliter. Prophetæ igitur in suis Prophetiis loquuntur de Regno Christi spirituali, & æternali. Quod autem Papa Joannes XXII. loquatur de Regno temporali, patet: Quia dicit, quod Christus nisi in valde paucis pro Rege vel Domino se non gessit: Ergo loquitur de regno temporali & sæculari: Ergo hæreticus manifeste ut supra patuit. Si autem loquitur de Regno Divino, & spirituali: Tunc est hæreticus, & blasphemus manifestus, dicere quod non gerat se pro Rege nisi in valde paucis, quia ut dictum est Rex est omnium omnia creando, gubernando, & conservando. Quod autem loquatur de Regno temporali, seu sæculari, patet per hoc. Secundo quia dicit ideo pauper fuit, quia se fructibus, & proventibus Regni non juvabat. Perceptio autem fructuum ad adjumentum, & conservationem vitæ, & emolumenta pertinent ad Regnum Civile, vel sæculare. Ergo de Regno sæculari vel temporali loquitur: ergo hæreticus. Si autem loquitur de

„ Regno Divioo & spirituali, tunc est hæreticus bestialis ponendo quod Deus indigeat fructibus, & conservatione ex aliqua re temporali parva, vel magna. Plures rationes adduci possent, sed causa brevitatis omittuntur.

„ Secundus error est, quod Christus in quantum homo mortalis fuit Dominus habens proprietatem, & dominium omnium rerum temporalium. Qui quidem error, sive articulus sacræ scripturæ, sanctis Doctoribus, & determinationi Ecclesiæ contradicit: Et quod sacræ scripturæ contradicat: patet: Nam *Luc. IX.* dicitur: *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos; filius autem hominis non habet, ubi Caput suum reclinet.* Ubi Glos. Hier. in parte X. ait: *Quid me propter divitias, & sæculi lucra sequi vis? cum sim tantæ paupertatis, ut nec hospiciolum quod meum sit habeam, & tecto utar alieno.* Et Chrysostomus super eodem: *Aspice qualiter paupertatem, quam Dominus docuerat per opera demonstrat. Non erat ei mensa, non candelabrum, non domus, nec quicquid aliud talium.* Item Apostolus 2. *Cor.* 8. *Scitis,* inquit, *gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus: Et in hoc consilium do.* Et Psalm. ex persona Christi dicit: *Ego vero egenus, & pauper sum:* Ubi Glos. dicit: *Egenus fuit Christus, quia petens, & pauper sum.* ubi Glos. dicit: *Christus secundum quod homo mendicus fuit: Et mendicus est qui ab alio petit, & pauper qui sibi non sufficit,* habet Glos. Quod autem determinationi Ecclesiæ adversetur patet. Nam *extra de verb. signif. li. 6. C. Exiit* scribit Papa diffinite sic: *Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi propter Deum meritoria est, & sancta: quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit:* hic ergo Sancta Mater Ecclesia diffinitive pronunciat, quod Christus exemplo firmavit abdicationem proprietatis omnium rerum: & per consequens Papa Joannes XXII. qui dicit quod Christus habuit proprietatem, & dominium omnium rerum temporalium contradicit in forma determinationi Ecclesiæ: Ergo est hæreticus. Item quod sacris Doctoribus adversetur patuit supra. Sed ut abundantius pateat ait Hieronymus ad Nepocianum: *Turpe est ante fores Sacerdotis Domini nostri Jesu Christi crucifixi & pauperis, qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores militum, & Consulum excubare.* Item idem ad Eliodorum: *Affatim dives est qui cum Christo pauper est.* Item Gregorius Nazianzenus dicit: *vestigiis illius incedam, qui propter nos pauper factus est, cum esset dives:* Et Chrysostomus super Epistolam ad Hebræos dicit. *Nemo causetur de paupertate tanquam causa sit multorum malorum, nec obloquatur de Christo, qui perfectionem illam dixit: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes &c. hoc enim, & verbis ipse dixit, & operibus ostendit & discipulos suos docuit.* Item idem: *Si vis audire paupertatis prædicamenta, ipsam professus est Christus, qui dicit: filius autem hominis non habet ubi Caput suum reclinet.* Item Anselmus in libro de sacramentis ait: *Pauper ita fuit Christus, ut veniens in mundum non in sua, sed in aliena Domo nasceretur: Et natus propter inopiam loci in Præsepe Brutorum animalium poneretur: Et vivens in mundo non haberet ubi Caput suum reclinaret; ac moriens unde nuditatem suam tegeret, nec mortuus unde involveretur; nec sepulcrum aut locum, ubi corpus mortuum collocaretur.* Præterea omnia ad perfectionem, & fidelium utilitatem spectantia quod Christus docuit ipse fecit. Sed abdicare temporalium divitiarum dominium, & proprietatem ad perfectionem fidelium, & utilitatem spectat: Et hanc abdicationem Christus docuit: Ergo ipse hanc abdicationem servavit prout *Act. p. cœpit Jesus facere, & docere:* Ergo fecit quod docuit. Item *Matt.* 5. dicit. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocatur in regno Cælorum:* Sed Christus non fuit minimus, sed maximus in regno Cælorum: Ergo fecit quod docuit. Patet etiam in supradicta authoritate Chrysostomi. Quod autem Christus docuerit divitiarum abdicare dominium, & proprietatem patet per illud *Matth.* 19. *vade, & vende &c. Et amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia &c. & Matth. 6. Nolite thesaurizare &c.* Et in multis aliis locis Christus docuit mundum contemnere, & divitiarum dominium abdicare. Præterea paupertas religiosorum non est major, nec perfectior paupertate Christi. Sed religiosi abdicant dominium, & proprietatem divitiarum saltem in speciali: Ergo & Christus saltem in speciali dominium divitiarum abdicavit: Et constat, quod nullus alius a Christo habuit dominium omnium temporalium commune cum ipso. Ergo Clirislus nec in communl habuit universale dominium omnium temporalium. Nam omnes religiosi imitantur Christum in paupertate, non præcedunt. Ergo &c.

„ Tertius error est, quod Dominus Noster Jesus Cristus in quantum homo mortalis per successum temporis acquisivit sibi diversis modis dominium proprietarium in speciali quam plurium rerum temporalium, scilicet vestimentorum, & calceamentorum, loculorum, & alimentorum partim per collocationem fidelium, partim per emptionem. Qui error contradicit Evangelicæ veritati: quia ut ipse Christus dixit *Luc.* 14. *Omnis ex vobis qui non renunciaverit, quæ possidet, meus non potest esse Discipulus.* Constat autem, quod Christus fecit, quod docuit ad perfectionem vitæ pertinens, ut probatum est supra *Act.* 1. *Cœpit Jesus facere, & docere.* Et Ambrosius in sermone 8. *Epiphaniæ* dicit; *facere prius voluit, quod faciendum omnibus imperabat, ut bonus magister Doctrinam suam non tam verbis insinuaret, quam actibus exerceret: Et ad fidem nos gestu pariter confirmaret, & sensu.* Hæc Ambrosius. Aliter enim, ut supradictum est, non fuisset *Magnus in Regno Cælorum*, quia non fecisset quod docuit. Item Hieronymus super illo verbo *Ps.* 3. *Eripiens inopem de manu fortiorum eius* dixit, idest *Christum de manibus, & potestate Judæorum. Inops enim fuit Christus, qui nihil proprium habuit: Unde ipse ait: Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi Caput suum reclinet:* hæc Hieronymus. Item Basilius in regula sua dixit: *Si quis ergo dicit aliquid proprium esse, alienum se facit ab Electis Dei, & charitate Domini: Qui quod verbo docuit opere complevit.* Item Hieronymus ad Rusticum monacum: *Si habes substantiam, vende & da pauperibus, & nudum Christum nudus sequere: Durum grande & difficile, sed magis sunt præmia.* Item ad Eustochium dicit de Christo: *pauperrimum, & abiectissimum se ostendit.* Item Glos. super illo verbo *Jo.* 14. *venit Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam* dicit: *noluit enim Dominus habere, quod perderet, pauper venit, ne haberet Diabolus quod auferret:* hæc Glos. Sed omne temporale dominium proprium modicum vel satis auferri potest, & perdi. Ergo Christus nullius rei temporalis dominium habuit. Et Bernardus ad fratres de monte Dei de Christo dicit: *Cum dives esset, pro nobis pauper factus est: & qui voluntariæ paupertatis dedit præceptum, ipse ejusdem in semetipso formam dignatus est demonstrare; ut enim sciant Evangelici Pauperes quid eis faciendum sit: Ipse etiam a fidelibus poscere voluit, nonnunquam ab infidelibus, sed ut fideles faceret vitæ necessaria non recusavit accipere:* hæc Bernardus: Iste error contradicit præcedenti in propria forma, quod ibi dicit, quod ab instanti Conceptionis suæ habuit dominium universale omnium temporalium: Et hic dicit, quod acqui-

„ sivit

fivit dominium, non habuit ante: habere ergo universale dominium omnium rerum, & aliquarum rerum non habere, est contradictio in forma, propter quod convenit sibi illud Augustini ad Bonifacium Comitem contra Donatistas; & ponitur 23. *q.* 7. *C. quod autem*, sic inquiens: *Qui adeo calumniandi cupiditate cacantur; ut non attendunt quam sint inter se contraria quæ loquuntur*. Quod autem non habuit Christus proprietatem Calceamentorum, ut dictus hæreticus dicit, patet quia nec usum habuit. Dicit enim Hieronymus ad Eustochium: *Discipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellium nudi ad prædicationem novi Evangelii destinantur, & milites vestimentis Jesu sorte divisis, caligas non habuere, quas tollerent: Neque enim Dominus poterat habere, quod prohibuerat in servis*. Item Chrysostomus super Math. *Homil. ult. Apostoli unica tunica induti discalceati circuierunt, & omnes superaverunt*. Item *Homil.* 32. *Nunquid aliquid defuit vobis, quoniam misi vos nudos, & discalceatos:* Et Bernardus *de* 7. *horis hora* 3. *Postea considera quomodo habeat illos pedes confractos, nec credas, quod esset calceatus, quia non ipse nec Discipuli ejus Calceamentis utebantur*. Patet etiam, quod ipse Discipulus interdixit calceamenta portare, ut habetur *Math. X. & Luc. X*. Et ipse fecit, quod docuit, ut supra patet: Ergo nec ipse, nec Discipuli ejus calceamentis utebantur. Ad rationem vero quam pro se adducit hæreticus iste ad probandum, quod Christus habuit calceamenta, quia scilicet Johannes Baptista dicit de eo: *Cujus non sum dignus corrigeam calceamenti solvere*. Respondent Glossæ, quarum una dicit: *Calceamentum mysterium, corrigeas ligatura mysterii; non enim valet Joannes corrigeam calceamenti solvere, quia mysterium Incarnationis non suffecit explicare*. Et alia Glos. dicit. *Non sum dignus corrigeam calceamenti solvere, idest nomen sponsi non mihi usurpo*. Quod vero Christus non habuit proprietatem in Loculis, sicut ipse hæreticus dicit, patet per Hieronymum super illud *Mat.* 17. *Vade ad mare*. Ubi dicit: *tantæ paupertatis fuit Dominus, ut unde tributa solveret non haberet*. Quod si aliquis obiecerit, quod Judas in Loculis pecuniam portabat; respondebimus, *quia res pauperum in usus suos committere nefas putavit:* hæc ad literam dicit Glos. Rabani. Item Chrysostomus super illud *Joannis* 13. *Quod loculos habebat Judas, & nil mirum, quia nullus discipulorum pecunias portabat*. Sed per hoc quod hic dicit, occulte insinuat, quod quædam mulieres eos de suis facultatibus nutriebant. Item Augustinus super Joannem P. 2. *Hom.* 8. & ponitur 12. *q.* 1. dicit sic: *habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuebat, tunc prius Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta*: hæc Augustinus: Sed constat quod pecunia quoad proprietatem, & Dominium non est Episcoporum, & Prælatorum Ecclesiæ, sed quoad ministrationem, & dispensationem, ut idem Augustinus dicit, & ponitur 23. *q.* 7. *C. quod autem* sic inquiens: *Non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum Procuratorem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus*. Nec obstat illud *Joan.* 4. *Discipuli ejus iverant in Civitatem, ut Cibos emerent*, quia tunc non erant facti Apostoli, & per consequens non tenebantur expropriare pecuniam, sed fuerunt assumpti ad Apostolatum in sermone de monte, ut patet expresse *Luc.* 6. Qui, ut patet *Matth.* 4. fuit factus in Galilæa post hunc transitum per Samariam & reditum in Galilæam: de quo habetur *Joann.* 4. Qui quidem secundum Augustinum *li.* 5. 2. *de consensu Evangelistarum C.* 17. fuit ille, de quo dicitur *Matth.* 4. *Cum audisset Jesus, quod Joannes esset traditus, secessit in Galilæam*. Et post inde narrat illam tertiam, & perfectam vocationem Petri, & Andreæ, Joannis, & Jacobi: Et post, in principio videlicet, ponit sermonem factum in principio in monte, in quo facti sunt Apostoli, ac deinde fuerunt eis imposita a Christo illa præcepta, in quibus dicitur, quod nil possiderent *nec aurum nec argentum, nec pecuniam: & quod nihil portarent in via &c.* ut patet *Matth. X. Marc. 6. Luc. IX*. Secundo dicendum, quod ex pecunia mulierum emissent, quæ loquebantur eum, ut habetur *Luc.* 8. non autem summam Christi Sapientiam in hoc casu cum similibus. Quæritur aliud est dare formam condescensionis, aliud formam vitandæ periclitationis, aliud formam animæ pastoralis, aliud formam mediocris religionis, aliud formam vitandi erroris, ad formam spiritualis præcipicii præcavendi: Christus enim usus est raro loculis, partim descensive tam pro infirmis, quam pro forma mediocris religionis: partim pietate curæ pastoralis, ut ostenderet, quod Prælatus oblationes Ecclesiasticas in usus pauperum debet convertere potius quam in suos: Et sic debet miserias pauperum sublevare, & eorum curam habere; quod tamen Congregationi magnorum Thesaurorum non debet pro hac re insistere: unde dicti sunt diminutive loculi, idest parvi locelli. Usus est etiam ad docendum, quod in casu periculosæ & inevitabilis necessitatis licitum, imo debitum est quibuscumque perfectis uti loculis, aut æquivalenti. Usus est etiam Christus in condemnationem futurarum hæresum dicentium, quod nulli Christiano, & præcipue Clerico vel Prælato licet habere aurum, vel argentum. Docuit etiam per hoc formidandam esse providentiam, & conservationem rerum temporalium. Quæritur, unus ex duodecim Apostolis cecidit in latrocinantem cupiditatem: Et in hoc ipse docuit quantum sit fugiendum malum cupiditatis ecclesiast. eorum bonorum, quod Judes ex hoc factus est proditor Christi. Docuit etiam quoscumque Prælatos, ut dispensationem rerum temporalium etiam necessariarum alteri relinquant, ipsi vero soli orationi instent, sicut fecerunt postmodum Apostoli *Act.* 6. Et ne in hoc nimis curiose timerent de infidelitate dispensantium, aut ne pro tali timore dispensationes hujusmodi ad se revocarent; cum tolerabilius sit temporalia perdi, quam a spiritualibus retrahi officiis. Habuit igitur Christus res aliquas absque earum dominio, & proprietate, quantum illa vocabula, meum, tuum, suum, istius, & illius & habere, & similia multipliciter accipiuntur in scripturis. Alium enim important dominium & proprietatem, alium usum facti, alium licitam potestatem utendi, alium custodiam: alium locationem, alium originem patriæ, aliisque innumerabilibus modis accipi possunt. Quare potest concedi, quod Christus varias res habuit quantum ad usum, quantum ad licitam potestatem utendi, quantum ad consuetudinem utendi, quantum ad originem patriæ, quantum ad dispensationem, sive dispositionem, licet non habuit dominium, & proprietatem: Et ita vestimenta Christi, & cætera necessaria, quibus necessario utebatur, erant Dei, & Christi in quantum erat homo quoad usum: Dicit enim Bernardus de Christo & Apostolis, & Apostolicis viris, & evangelicis religiosis. *Cui nempe de proprio nihil est, totum profecto quod habet Dei est*. Unde pro tota ista quæstione & materia de Christi, & Apostolorum paupertate dicendum est Primo, quod Christus, & Apostoli fuerunt in duplici statu; fuerunt enim universales Prælati Ecclesiæ novi Testamenti: Et hoc modo habuerunt quantum ad auctoritatem dispensationis & distributionis pro dando pauperibus, & ministris Ecclesiæ, sicut de Apostolis scribitur *Act.* 4. Et negare quod non habuerunt isto modo, est hæreticum, & de hoc non est quæstio: Et ista prælatio-

„ tionis auctoritate dicitur Christum loculos habuisse, una de causis. Secundo Christus & Apostoli possunt considerari ut speciales, & singulares petræ fundamenta perfectionis religiosæ, & contemptores mundi, & gloriam mundi calcantes, & Christi consilia de supererogatione perfectionis in se ipsis observantes, & omnibus volentibus esse perfecti astra lucida tribuentes. Et si quærunt, utrum isto modo habuerunt: Distinguendum est de duplici mndo babendi. Quorum primus est civilis, & mundanus quemadmodum leges diffiniunt Imperiales duas ejus partes nstendentes in hæc verba. *Ea in bonis nostris esse dicuntur, in quibus habitis exceptionem, & defensionem, & non habitis repetitionem habemus*. Et ita patet, quod qui habet aliquid civiliter, & mundane potest defendere rem suam ab invasore; & repetere a detentore cum Judice Imperiali. Et isto modo dicere, quod Christus, & ejus Apostoli habuerunt res mundanas est hæreticum, quia est contra Sanctum Evangelium. Nam Christus Rex pacificus, qui Apostolos suos fecit filios pacis, separavit eos ab omni mundano litigio. *Matth. 5. Et qui vult tecum in Judicio contendere & tunicam tollere: præbe ei, & pallium*. Et *Luc. 16. Ab eo qui aufert quæ tua sunt, non repetas*. In quibus verbis Christus removet a se, quia ipse fecit quod docuit: Et a suis Apostolis, quibus hæc imposuit, duas partes Juris Civilis, & mundani, scilicet defensionem habiti, & petitionem perditi. Et iste modus habendi dicitur proprie habere in re proprietatem, & dominium. Et Christus & ejus Apostoli isto modo non habuerunt. Ideirco Beatus Petrus pro se, & aliis Apostolis dixit, sicut verus pauper *Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia*. Dicere ergo, quod Christus, & ejus Apostoli isto modo habuerunt in Communi, vel speciali proprietatem, & dominium, est hæreticum, & blasphemum. Alio modo possunt haberi res temporales scilicet quantum ad Jus naturæ, & communis Charitatis fraternæ. Et isto modo Christus, & Apostoli habuerunt bona temporalia Jure naturali, quod ab aliquibus dicitur Jus poli, ad sustentationem naturæ, repellentes omnia, quæ divitias saperent, vel delicias redolerent, vel mundi pompam nutrirent. Et isto modo habuerunt bona temporalia, vestes, panes, pisces, sicut dicit Apostolus primo ad Timotheum: *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus*. Nec aliqua professio, nec aliquod consilium Christi est, quod prohibeat talem modum habendi, scilicet quantum ad necessarium usum vitæ. Et imo dicere, quod Christus, & Apostoli non habuerunt isto modo, esset hæreticum. Secundo notandum est, quod ad tollendas cavillationes ista quæstio vel materia est in tales terminos resolvenda: utrum scilicet servando vitam Evangelicam, quam Christus instituit, & servavit, & Apostoli servaverunt, & B. Franciscus in sua regula servandam accepit, prout sibi Ecclesia confirmavit, possit quis habere proprium in speciali, vel in communi civiliter, & mundane, prædictam vitam in sua perfectione servando. Et tenendum est pro fide indubitabili Evangelii, quod non.

„ Quartus error est, quod Apostoli postquam fuerunt ad Apostolatum assumpti habuerunt in speciali, & singillatim non solum in communi proprietatem, & dominium multarum rerum: Et quod nunquam abdicaverunt a se universalem proprietatem, & dominium omnium rerum temporalium; nec votum abdicationis proprietatis, & dominii omnium rerum temporalium emiserunt: Sed etiam post missionem Spiritus S. super eos factam habuerunt in speciali, & singillatim potestatem, & dominium perpetuum vestimentorum, calceamentorum, & alimentorum: Et quod Christus nunquam consuluit eis abdicationem proprietatis, & dominii omnium rerum: Qui error contradicit



Evangelicæ veritati, & est destructivus Evangelicæ perfectionis. Dicitur enim *Matth. 4.* de Petro, Andrea Joanne, & Jacobo. *At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum*: ubi Glossa dicit. *Amplius non ad propria reversuri*. Super quo etiam Gregorius: *Multum dimisit, qui nihil sibi retinuit. Multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renunciavit*. Et Matth. 6. *Nolite vobis thesaurizare thesauros in Terra: Et nolite solliciti esse quid manducabimus dicentes*: Et Luc. 12. *vendite quæ possidetis, & date eleemosinas. Et* Matth. X. *Nolite possidere aurum nec argentum; Et C.* 19. Petrus in Persona omnium Apostolorum ait: *Ecce nos reliquimus omnia. Et* Luc. 14. *Omnis ex vobis, qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus*. Super quo Ambrosius: *Negat Christus suum esse Discipulum, quem viderit aliqua possidere*. Et Augustinus *de contemptu mundi* dicit: *Quondixit omnibus: nihil proprium a suis Discipulis possideri voluit: qui quicquam possidet, remotus est a Christiana Disciplina*: Item Hieronymus super Psal. *Comminuet eos tanquam vitulum Libani* dicit: *Apostolos filios unicornium intelligimus, qui ex Judæis processerunt: hii adeo pauperes, & nudi fuerunt, ut eis proprii nihil remansisset: Eisdem testantibus, & dicentibus: Ecce nos reliquimus omnia*: Item idem ad Elipantum: *nemo Apostolis pauperior fuit: & nemo tantum pro Deo dereliquit*. Item Gregorius super Cantica super illo verbo: *Si dederit homo omnem substantiam suam*, dicit: *homo omnem substantiam Domus suæ pro dilectione tribuit, quum quicquid in mundo possidet pro Christo distribuit*. Et parum post: *Hoc Apostoli fecerunt, qui non solum possessa, sed & concupita, ut Christum sequerentur dimiserunt*. Quod autem votum abdicationis omnium rerum Apostoli emiserint, patet; dicit enim Augustinus de Apostolis *XVII. de Civitate Dei: Dixerant illi potentes: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te: hoc votum potentissime voverant. Sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic dictum est continuo dans votum voventi. Non enim quisquam Deo rectum voverat, nisi ab illo reciperet, quod voveret*. Hæc Augustinus. Ex quibus verbis manifeste concluditur, quod Apostoli voverunt sequi Christum in abdicatione proprietatis omnium rerum. Quod etiam multiplici ratione probari possit, sed causa brevitatis omittimus; quia ex subscriptis & dicendis, satis patet. Obviat etiam hæreticalis assertio antedicta determinationibus Ecclesiæ Sacrosanctæ, ut patet *extra de verb. signif. C. Exiit* ubi diffinitive dicitur: *Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta, quam Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmavit. Quamque primi fundatores Ecclesiæ militantis, prout ab ipso fonte hauserant in volentes perfecte vivere per Doctrinæ, ac vitæ ipsorum alveos derivarunt*. Concluditur ergo, quod ipse est hæreticus manifeste, tam ipse, quam ejus assertio antedicta.

„ Quintus error est, quod Christus non imposuit aliam legem vivendi Apostolis, quam quibuscumque aliis Discipulis, per Discipulos intelligentes quoscumque Christi Discipulos, idest Christianos, sicut exemplificat de Lazaro, Maria, Martha, Joseph ab Arimathia, & Dorchas. Qui error contradicit Scripturæ Sacræ, Divinæ, & Ecclesiæ, & Doctoribus. Quod patet, Nam *Matth. X.* scribitur: *Et convocatis 12. Discipulis misit Jesus præcipiens eis dicens. In viam gentilium ne abieritis*: Et inde: *Nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in zonis vestris, non peram in via, nec duas tunicas, nec calceamenta nec virgam*. Et similiter *Luc. IX. nihil tuleritis in via, nisi virgam tantum, non peram nec panem, nec in zona æs*. Item Hieronymus contra Jonimanum: *Nunquid omnibus præceptum est, nec duas vestes habeant,*

*nec cibos in pera, æs in zona, calceamenta in pedibus, & ut vendant universa, quæ habent, & dent pauperibus, & sequantur Christum, sed his, qui volunt esse perfecti.* Item Gregorius 16. *moralium* „ super illud *Job. Judicium pauperibus distribuit. Speciali*, inquit, *jussione paucis, & perfectione perfectioribus, & non generaliter omnibus dicitur hoc, quod adolescens dives audivit. Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Si enim hæc jussio generalis sub præcepto cunctos astringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est, quod per Scripturam Sacram generaliter omnibus præcipitur, aliud quod perfectioribus specialiter imperatur*: hæc Gregorius. Hæreticus ergo est supradictus, & tamquam insanus contra Scripturam Sacram, & contra Sanctos garrulat impudenter. Est ergo sciendum quod Discipuli fuerunt in triplici differentiu. Quidum erant Apostoli: Quidum vero præter Apostolos ad prædicundum fidem Christi fuerunt a Christo speciuliter deputati. Et isti fuerunt 72. de quibus habet. *Luc. X.* Tertii erant conversi Discipull ad fidem, sed officium prædicationis a Christo minime acceperant. Primi & secundi non habebant temporalia qon ud Dominium & proprietatem: Sed tertii poterant habere quæcumque temporaliu, scilicet pro illo tempore. Et ideo exempla sua in nollo concludunt.

„ Sextus error est, non abdicaverunt, sed habuerunt, & licite potuerunt habere bonu immobilia ut agros, & prædiu quoad proprietutem, & dominium in communi: Et quod illu in Judæa non receperunt, nec retinuerunt: nec fuit, qui hoc repugnaret eorum perfectioni; sed quiu videbant se in Spiritu transituros ad gentes. Qui error contradicit Scripturæ Sucræ, & Sanctis Doctoribus ot priores, patet enim *Luc.* 14. *nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus*: Et *Matth.* 19. *Ecce nos reliquimus omnia* &c. Item Affricanus in Legenda Simonis, & Judæ refert, quod Apostoli dixerunt: *Nobis non licet aliquid possidere super terram, quia possessio nostra in Cœlo est, quæ est æterna, ubi immortalitas regnat. Et ideo nulla ratione possumus accipere aurum & argentum, aut vestes, aut Domos, aut servos, aut ancillas; illa omnia terrena sunt, & morientem hominem non sequuntur.* Item Augustinus de facultatibus Ecclesiæ dicit: *De Evangelio vivunt qui nihil proprium habere volunt.* Ad hoc faciunt omnes authoritates Scripturæ, & Sanctorum in supradictis duobus erroribus positæ. Ad Decretum Melchiadis, quod ipse pro se ullegat 12. *q.* 1. *C. futuram*, dicendum primo secundum Glos. super nomen *Melchiadis*, quæ dicit: *falsus est textus, quia Melchiades fuit ante Silvestrum, & Constantinum*: de ejus donatione cum expresso nomine Constantini fit mentio in *d. C. futuram*: Ideo non potest esse Melchiades. Secundo dicendum est, quod illa non fuit Causu pro Apostolis, quare non receperunt prædia, sed paupertas Evangelica quam ussumpserant. Pro aliis vero credentibus bene fuit illu Causa. Quiu si prævidissent Ecclesiam permansuram in Judæa, non imposuisset eis illam tantam paupertatem sicut nec Conversis in Ecclesiu de gentibus imposuerunt. Unde pro sanu intelligentia veritatis circa istum articulom est notandum quod duplex est, & fuit Communitas in uctibus Apostolorum: ona scilicet ipsorum Apostolorum tanqoam majorum, & perfectiorom, & ud majora obligatorum: Aliu vero reliquorum credentium, & inferiorum. De quadruplici contrarietate loquitur Bonaventura *Apologiæ C.* 7. *d. Quamvis enim legatur in actibus Apostolorum, quod multitudinis Credentium erant omnia Communia: Et quod rerum venditarum ponebantur pretia ad pedes Apostolorum, non est intelligendum, quod Apostoli, vel Discipuli aliquid proprium possederunt, vel commune. Quia Communitas illa non refertur ad Apostolos, sed ad turbam, sicut Glos. ibidem insinuat. Doctorum, & auditorum inquit discernit ordinem. Nam multitudo Credentium rebus scriptis copula Charitatis jungebantur. Apostoli vero virtute fulgentes mysteria Christi pandebant.* Et infra. *In quibus insinuat quod Apostolis in sua egestate manentibus eorum dispositioni, quo ad res, & personas primitiva illa Ecclesia suberat: hanc tamen dispositionem maluerunt committere aliis, non quod per illud Mysterium aliquid possiderent. Unde, & Petrus in eadem urbe, ubi hæc fiebant pauperi Eleemosynam petenti respondit. Argentum, & aurum non est mihi: ubi Glos. memor illius præcepti Christi. Nolite possidere aurum, nec argentum.* Hæc Bonaventura. Ergo falsum est, quod asserit hæreticus supradictus.

„ Septimus error est, quod litigare in Judicio pro rebus temporalibus non distrahit, nec diminuit de perfectione evangelica, & Apostolis, & Evangelicis viris licuit in speciuli, & singillatim & in communi pro rebus temporalibus tanquam pro propriis in Judicio contendere, & litigure. Qui error adversatur Doctrinæ Regis pacifici Jesu Christi dicentis *Matth.* 5. *qui vult tecum in Judicio contendere, & tunicam suam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo.* Et Luc. 6. *Ab eo qui aufert tibi vestimentum, & tunicam noli prohibere: Et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.* Et Apostolis *primo ad Corinth.* 6. *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quia Judicia habetis inter vos.* Et infra. *Quare non magis iniquitatem patimini: quare non potius fraudamini.* Unde Augustinus in *Enchyridion C.* 44. pertractans dicta verba Apostoli dicit: *Nam in his putari posset judicium habere adversus alterum non esse peccatum: Sed tantummodo hoc extra Ecclesiam universalem judicari, nisi secutus adjungeret. Jam quidem omnino delictum est in vobis, quia Judicia habetis vobiscum: ne quis se excusaret, & diceret se justum habere negocium, sed iniquitatem pati, quam velit a se Judicii sententia removeri, continuo talibus cogitationibus atque excusationibus occurrit, atque ait. Quare non magis iniquitatem patemini, quare non potius fraudamini; ut ad illud redeatur quod Dominus dixit. Si quis voluerit tunicam tuam tollere: dimitte ei & Pallium: Et alio loco. Qui abstulerit inquit tua, noli repetere. Prohibuit itaque suos de sæcularibus habere Judicium cum aliis. Ex qua Doctrina dicit esse delictum, tamen cum finit in Ecclesia talia Judicia finiri inter fratres fratribus litigantibus, extra vero Ecclesiam terribiliter vetat. Manifestum est etiam hic quid secundum veniam infirmitatis concedatur: propter hæc, atque hujus peccata, & alia licet his minora oportet, ut quotidie crebroque oremus Deum, atque dicamus; Dimitte nobis debita nostra:* hæc Augustinus. Item Glos. Interlinearis super illud. *Jam quidem omnino delictum est in vobis*, dicit: *Ex hoc solo quod Judicium habetis, peccatum est enim litigare, cum pax esse debeat.* Notandum ergo quod inter præcepta, vel Consilia Christi positu in Sermone de monte quædam sunt negativa, quædam affirmativa. Ut *noli repetere. Dimitte ei Pallium*; quorum unum est negativum, aliud affirmativum. Illa ergo quæ sunt negativu in prædictis præceptis, suasit Jesus Discipulis in communi omne tempus in executione servare, quæ tamen Imposuit Apostolis sub præcepto, & aliis suasit omni tempore dictum præceptum scilicet non contendere in operis execurione. Sic & Apostolus Corinth. Illa vero quæ affirmativa sunt scilicet dimittere Palliam volenti tunicam, & percutienti io una maxilla præbere, & ulteram, non posuit Apostolis sub præcepto sed secundum præparationem cordis, vel animi Negativa vero ut dictum est aliis suasit sine fraude tamen, & sine litigio, ut dictum est superius.

„ Octa-

„ Octavus error est, quod Dominus noster Jesus Christus non interdixit simpliciter, & absolute Apostolis suis ne possiderent aurum nec argentum & pecuniam in Zonis, sed solum pro tempore vitæ, quando ibant ad prædicandum: Post reditum autem a prædicatione poterant libere possidere, & portare. Iste error contradicit Evangelicæ veritati, sicut & cæteri. Nam quod præcepta illa *Matth.* X. *Mar.* 6. & *Luc.* IX. non sint tantum pro tempore viæ dicit Chrysostomus super illo verbo: *Nolite possidere aurum. Intende qualiter eos denudans, omnia eis dedit, permittens in Domo eorum qui docentur manere, & nihil habentes introire.* Et post. *Si in alia patria existeates, nihil amplius oportet petere quotidiano cibo, quanto magis Domi manentes?* Item *Act.* 3. dixit Petrus Paralitico; *Aurum, & argentum non est mihi* ubi Glos. *Petrus memor illius præcepti; Nolite possidere aurum*; Certum est quod tunc Hierosolymis erat. Item Hieronymus ad Exuperantium: *Nemo Apostolis pauperior fuit, & nemo tantum pro Deo dereliquit.* Quod non esset verum si pro omni tempore non reliquissent omnia. Item idem ad Geronciam. *Apostoli toto Orbe Peregrini non aes in Zona, non caligas habuere in pedibus.* Item idem ad Ebediam: *Si vis esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis, fac quod faciebant Apostoli; vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere Salvaterem.* Item Ambrosius super Epistolam secundam ad Corinth. *Quantum ad præsentem vitam pertinet pauperes videbantur egeni in Terris, in Cœlis divites, nihil habentes omnia possidentes: hoc fuit in Apostolis gloriosum, ut sine sollicitudine, & voluntate possidendi, non solum ea quæ in possessionibus erant, sed eorum Dominos possederunt.* Item Bernardus ad Eugenium li. 3. *Nam quid aliud dimisit tibi Sanctus Apostolus. Quod autem habeo, hoc tibi do inquit. Quid illud? unum scio, non aurum, nec argenum; cum ipse dicat argentum, & auram non est mihi.* Et infra. *Esto ut alio quæcumque hæc tibi vendices ratione, sed non Apostolico jure. Nec enim ille tibi dare potuit quod non habuit.* Item Chrysostomus super Math. *Homil.* 46. *Quid inquam Apostolas magnificos ostendit? pecuniarum contemptus, gloriæ despectus, ab omnibus hujus vitæ negociis ereptio. Quare si hoc non habuissent, & decem millia mortuos suscitassent, non solum nulli profecissent, sed etiam seductores æstimati fuissent.* Præterea dictum suum destruit, & convincit se ipsum, quia Apostoli magis indigebant prædictis in via, quam Domi existentes, ut dicit Chrysostomus in authoritate superius allegata. Est igitur sciendum, quod in missione Apostolorum Christus quædam præcepit, quædam permisit, & quædam prædixit. Præcepit illa, per quæ eorum prædicatio fieret credibilis, & provocaret auditores ad credendum: & ostendit mundi contemptum, sicut non portare, nec velle, nec possidere pecuniam, nec aliud temporale. Et hoc non tantum pro tempore viæ, sed ut essent lucidissima Exempla omnis perfectionis omnibus sequentibus usque in finem sæculi, ut patet in superioribus, multipliciter concessit, sive permisit sumptus ab audientibus accipere in casu, quo aliunde non haberent, ut ait Gregorius: *Qui sacculum, & peram portare prohibuit, sumptus, & alimenta ex eadem prædicatione concessit.* Prædixit persecutiones & odium omnium contra eos, ut eos ad tolerantiam omnium præmuniret. Et illud quod ipse hæreticus pro se adducit. *Quando misi vos sine sacculo, & pera &c. Sed nunc qui habet sacculum &c.* Arguens per hoc, quod illud præceptum fuit temporale. Audi Basilium dicentem super illa verba. *Sed nunc qui habet sacculum &c. Christus non dispensavit pro tempore necessitatis, sed prædixit & prophetavit tribulationes eis per suam captionem, & mortem superventuras: unde ait, quod correctiores libri non habent, vendat, tollat, & emat, quasi imperative, vel permissive sit dictum; sed est, tollet, & vendes, quasi prædictive, & pronunciative dictum.* Et hoc satis clarum est ex dictis Christi ibidem, scilicet de emendo gladios. Quare certum est, quia non permisit eos se defendere cum gladio, imo prohibuit dicens: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Præterea erroneus sermo est, & contra Sanctos, ut concedatur sine necessitate illud quod est generaliter prohibitum. Dicit enim Chrysostomus. *Pro tempore necessitatis, & persecutionis Christus relaxavit Apostolis prioris præcepti rigorem*; hoc idem dicit Beda in summa. Ideo concluditur contra eum, quod si pro tempore fuit eis prohibitum portare pecuniam, & calceamenta quum magis videbatur esse necessarium, multo magis Domi manentibus.



„ Nonus error est, quod bona Primitivæ Ecclesiæ seu multitudinis credentium, de qua habetur *act.* 2. & 4. *nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia*, non erant illis communia per distributionem, sed quilibet post diffinitionem efficiebatur proprietarius, & Dominus portionis sibi assignatæ: Et quod votum Religiosorum absque proprio vivere profitentium, non se extendit ad illa, quibus necessario eget vita humana. Qui error contradicit Sacro Textui ibidem 4. *act. Nec quisquam eorum quæ possidebat &c.* dicit Glos. *suum, hoc est proprium esse dicebat.* Et sic exponitur 12. *q.* 1. *C. scimus* & *C. nolo.* & *C. non dicatis*; & §. *Si ergo.* Item super illud *erant eis omnia communia*, dicit Glossa Interlinearis: *Judicium fraterni amoris est, omnia possidere, & nihil propriam habere.* Item Clemens Papa 12. *q.* 1. *C. Dilectissimis* dicit: *Communis vita omnibus necessaria est, & maxime his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque Discipulorum imitari volunt. Communis enim usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud. Et sic inter mortales facta est divisio. Et sicut non potest dividi aer, nec splendor Solis. Ita nec reliqua, quæ data sunt hominibus ad habendum dividi debere, sed habenda omnia communia.* Præterea monachi, & Canonici Regulares Sancti Augustini tenent figuram, & imitantur illam primam credentium multitudinem. Dicit enim Hieronymus in libro *Illustrium Virorum: apparet proprium talem Christo credentium fuisse Ecclesiam, qualem nunc Monaci imitantur, & cupiunt esse, ut nihil cujusquam proprium sit.* Quod autem Monachis, & regularibus non liceat habere proprium, patet aperte: Dicit enim Innocentius III. *Extra de stat. Monac. C. Cum ad Monasterium: prohibemus districte in virtute obedientiæ sub obtestatione divini Judicii, ne quis Monacorum proprium aliquo modo possideat; sed si quis aliquid proprium habet, totum in continenti resignet. Si vero proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, monitione præmissa de monasterio expellatur, nec recipiatur alterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam fuerit deprehensa in morte ipsa cum eo, in signum perditionis extra Monasteriam in sterquilinio subterretur, sicut narrat B. Gregorius in Dialogo se fecisse. Nec extimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monaco dispensare. Quia abdicatio proprietatis, sicut, & castitatis custodia adeo annexa est Regulæ Monacali, ut contra eam nec summus Pontifex possit dispensare.* Et ut clarius intelligatur hoc esse præceptum de hiis, quibus necessario eget vita humana, patet per regulas Sanctorum Patrum. Dicitur enim in regula B. Benedicti ab Ecclesia approbata: *Nec quis præsumat aliquid dare, vel accipere, nec aliquid habere proprium, nullam omnino rem, nec Codicem, nec Caballas, nec graffiçium, sed nihil omnino; quippe quibus nec corpora sua* nec

*nec voluntates licet habere in propriâ voluntate.* Et
infra. *Accipientes nova, vetera semper reddant in
præsenti reponenda vestiario propter pauperes.* Item
„ Basilius in regula sua per Ecclesiam approbata, di-
cit. *Si quis ergo aliquid sibi dicit esse proprium, si-
ne dubio alienum se facit ab electis Dei, & Charitatis
Domini, qui, quod verbo docuit, opere adimplevit.* Et infra. *Quærentibus fratribus, si licet cuiquam
veterem tunicam suam, aut calceamenta dare cui
voluerit, nonne causa propter mandatum.* Responsio
*B. Basilii: dare aliquid mandati gratia non est o-
mnium, sed eorum, quibus hoc officium traditum est.*
„ Item Augustinus in regula sua dicit similia supra-
„ dictis. Item B. Franciscus 6. *C. regulæ suæ*, dicit:
*Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec lo-
cum, nec aliquam rem &c.*

„ Decimus error est, quod in rebus usu consum-
„ ptibilibus, nec usus Juris, nec usus facti licite
„ potest a proprietate, & Dominio separari: Et quod
„ in talibus rebus, nec Jus utendi, nec usus facti
„ separatus a proprietate rei seu dominio potest con-
„ stitui, vel haberi, eo quod per usum talium rerum
„ earum proprietas, & dominium consumatur. Qui
„ error omnem religionem volentem vivere sine
„ proprio destruit, & confundit, & sacræ scriptu-
„ ræ, & determinationi Ecclesiæ universalis mani-
„ feste repugnat. Scribitur enim *p. ad Timot.* 5.
*utere modico vino propter stomacum tuum, & fre-
quentes infirmitates tuas:* Et ad Philip. ult. *misistis
mihi in usum*, super quo Glos. Augustini dicit: *Præ-
ter usum in rebus nihil est quærendum: Et qui am-
plius quærit malum invenit.* Item super illud ad
„ Timoth. *habentes alimenta, & quibus tegamur*,
„ ut ostendat, se quærere non aliud quam usum:
„ Et num. 18. *Universa frugum initia, quæ gignit
humus & Domino deportantur, cedent in usus tuos.*
„ Et Josue 5. dicitur: *Nec usi sunt ultra cibo illo
filii Israel.* Et in pluribus aliis locis sacræ scriptu-
„ ræ hoc ostenditur manifeste. Quod autem con-
„ tradicat Doctoribus sanctis, patet. Dicit enim Au-
„ gustinus in lib. de Doctrina Christiana; *quod sa-
piens sine aliquo vitio cibo pretiosissimo uti potest.*
„ Et similiter in libro quæstionum Evangelii dicit,
*quod Ciborum non usus, sed concupiscentia repre-
hendenda est.* Et idem in eodem. Et ponitur in
*Glos. ad Roman.* 8. *Omnia vestra sunt non dominio, sed
usu, sicut res dominorum sunt famulorum, non do-
minii potestate, sed utendi facultate, quia utuntur
eis ad victum & ornatum, aut ad aliud hujusce-
modi.* Præterea dicta hæreticalis assertio obviat legi
„ Civili, habetur enim *ff. de acqui. posse. L. qui-
quid filius familias, habet ex peculio profectitio,
sive sint cibaria, sive vestes, sive pecunia, vel alia
quæ usu consumuntur, solum habet usum facti, &
proprietas sive dominium facti residet penes Patrem.*
„ Item *Insti. de usu, & habitat.* §. 1. & 2. dicitur.
*Minus Juris est in usu quam in usufructu. Nam
qui usum fundi nudum habet, nihil ulterius habere
intelligitur, quam ut oleribus, pomis, floribus, feno,
stramentis, lignis ad usum quotidianum utatur, nec
ulli alii Jus quod habet aut vendere, aut locare,
aut gratis concedere videtur; cum is qui usumfru-
ctum habet, possit hæc omnia facere.* Et Dominus
„ Azo in Summa *Insti. de usu, & habitat.* dicit sic:
*Usus, qui est Jus, vel servitus non potest esse salva
substantia; sed usus, qui est facti, vel in facto con-
sistit, ut in bibendo, comedendo, bene potest esse.*
„ Item iste error contradicit determinationi Ecclesiæ
„ & Definitionibus multorum summorum Pontifi-
„ cum suorum Prædecessorum, qui dicunt & de-
„ terminant, quod Fratres minores nihil proprii ha-
„ bere possunt, nec in speciali, nec in communi,
„ etiam in rebus usu consumptibilibus, quibus utun-
„ tur. Dicit enim Nicolaus Papa in Decretali *Exiit*
„ superius allegata. *Verum condecens fuit ei pro-
fessioni, quæ devovit Christum pauperem in tanta
paupertate sectari, omnium abdicare dominium, &
rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam.*

*Nec per hoc quod proprietatem usus, & rei cujuscum-
que dominium a se abdicasse, vero usu simplici omnis
rei renunciatum esse convincitur. Qui usquam usus
non Juris, sed facti nomen habens, quod facti est
tantum præbet utentibus, nihil Juris:* hoc idem di-
„ cunt Gregorius IX. Innocentius IV. & V. Ale-
„ xander IV. Clemens IV. Martinus IV. Quibus
„ consonat Clemens V. in Concilio Viennensi, in
„ Decretali, quæ incipit *Exivi de Paradiso*, sic in-
„ quiens: *Proinde cum vir sanctus paupertatis pro-
missa modum exprimens dixit in eadem; fratres
nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec
aliquam rem: sitque declaratum per nonnullos præ-
decessores nostros Romanos Pontifices, hanc expro-
priationem intelligi debere tam in speciali, quam
etiam in communi, propter quod rerum omnium con-
cessarum, oblatarum, & donatarum fratribus quas,
& quarum usum facti, scilicet ordini, vel ipsis fra-
tribus licet habere, proprietatem, & dominium in
se, & Romanam Ecclesiam receperunt, dimisso in
ipsis fratribus tantummodo simplici usu facti.* Ecce
„ quam clare, & aperte Venerabiles Patres, & Do-
„ mini Romani Summi Pontifices dividunt usum
„ a proprietate, & diffiniendo pronunciant quod
„ Christus, & Apostoli abdicaverunt a se domi-
„ nium, & proprietatem omnium rerum tempo-
„ ralium. Quibus D. Joannes non tantum con-
„ tradicit in supradictis erroribus, sed ipsos hæreti-
„ cos facit, & Romanam Ecclesiam, quæ recepit
„ eorum determinationem. Dicit enim in suo sta-
„ tuto tertio hæreticali, quod incipit; *Quia quorun-
dam, quod quicumque scienter verbo, vel scripto
asseruerit aliquid contra diffinita & determinata
in suo primo statuto; Ad Conditorem Canonum, tan-
quam rebellis, & contumax Ecclesiæ habeatur:* Et
„ in ipso statuto, *ad Conditorem* determinat, & dif-
„ finit expresse, *quod usus rerum usu consumptibi-
lium non potest a proprietate & dominio separari.*
„ Sed supradicti Summi Pontifices, & Scriptura
„ Apostolica, & Sancta mater Ecclesia, ut apparet
„ ex præmissis, asserunt oppositum evidenter. Ergo
„ Doctrinam Apostolicam, & determinationem San-
„ ctæ matris Ecclesiæ Catholicæ facit erroneam,
„ & scismaticam. Præterea in secunda sua hæreti-
„ cali Constitutione quæ incipit. *Cum inter non-
„ nullos* diffiniendo pronunciat, *quod pertinaci-
ter asserere Redemptorem nostrum Dominum Je-
sum Christum, ejusque Apostolos in speciali non ha-
buisse aliquid in communi, assertionem hujusmodi
pertinacem deinceps erroneam fore censendam, &
hæreticam de Fratrum nostrorum Consilio hoc per-
petuo declaramus Edicto*: hæc est deffinitio, & de-
„ terminatio ejus: Sed mater Ecclesia in Decreta-
„ li superius allegata solemniter pronunciando de-
„ terminat: *Dicimus quod abdicatio proprietatis o-
mnium rerum tam in speciali quam in communi
propter Deum meritoria est, & Sancta, quam &
Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit,
& exemplo firmavit &c.* quæ diffinitio, & deter-
„ minatio dudum est ab universali Ecclesia recepta,
„ & in Corpore juris inclusa sub *tit. de verb. si-
„ gnif.*, & etiam per generale Concilium approba-
„ ta. Tunc sic arguitur, aut Nicolaus III. & Cle-
„ mens V. diffinierunt Catholice, aut hæretice, dif-
„ finiendo Christum, & Apostolos nihil habuisse
„ jure proprietatis, & dominii, & declarando ad
„ hoc teneri Fratres ratione suæ regulæ. Si hære-
„ tice, tunc ipse fuit hæreticus, approbando & con-
„ firmando, quod ipsi diffinierunt. Quare in suo
„ statuto, quod incipit *Quorundam exigit cæcæ scru-
pulositatis ambiguum*, dicit, *præfatas declarationes
salubriter editas, solidas quidem, claras, & luci-
das, multaque maturitate digestas, nostras, Deo fa-
vente indubias declarationes declarationibus adjun-
„ gimus &c.* Si Catholice, tunc est hæreticus ma-
„ nifestus, & sibi ipsi contrarius diffiniendo hæreti-
„ cum esse, Christum, & Apostolos nihil habuisse
„ in communi jure proprietatis, & dominii. Sequi-
„ tur

,, tur enim secundum eum, quod Ecclesia erravit, & in errore fuit usque ad sua tampora, quod dicere, vel sentire, est hæreticum, & insanum. Sequitur etiam, quod Sacra Scriptura errat, & dicit falsum, quæ ut a Doctoribus est exposita dicit Christum, & Apostolos maxime viam perfectionis perfectis ostendendo non habuisse aliquid jure dominii, & proprietatis, & Papa Joannes diffinit hoc esse hæreticum; Et quod Sancti Doctores Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, Chrysostomus, Rabanus, Beda, Basilius, & similes expositorum erraverunt, & falsum dixerunt, dicentes Christum, & Apostolos fuisse pauperes, & non habuisse proprium in rebus: Papa Joannes diffinit hoc esse hæreticum. Præterea B. Franciscus ab Ecclesia canonizatus, & Sacris Stigmatibus Domini nostri Jesu Christi mirabiliter insignitus secundum hoc fuit hæreticus: nam non solum fuit professus hanc paupertatem, sed tanquam Prælatus, & Doctor, & legislator in regula strictissime mandavit servari: quod regula, & professores tam præteriti quam præsentes & futuri fuerunt, & sunt, & erunt hæretici talem paupertatem profitentes, & observantes; Et Ecclesia erravit, & in errore eos firmavit. Sequitur etiam quod quilibet religiosus vovens sine proprio vivere, vovit, & promittit errorem: Nec aliquis religiosus imitatur Christum nisi sit proprietarius in speciali, & in communi: sequitur etiam, quod regulæ Sanctorum Basilii, Augustini, Bernardi, Dominici, & Francisci sunt erroneæ, falsæ, & similiter earum Institutores, & fuerunt decepti, & deceptores, & per consequens in statu deceptionis. Nam omnes mandaverunt in suis regulis suos Fratres vivere sine proprio: Et omnes religiosi sine proprio vivere profitentes fuerunt, & sunt, & erunt rebelles & contumaces Ecclesiæ, & tanquam hæretici ab omnibus evitandi. Nam Papa Joannes damnat tanquam rebellem, & contumacem Ecclesiæ, & hæreticum omnem contradicentem determinationi, & diffinitioni in decretalibus *ad Conditorem Canonum, & Cum inter nonnullos*, in quibus diffinit non posse usum haberi a proprietate, & dominio separatum in rebus quæ usu consumuntur; & esse hæreticum tenere Christum, & Apostolos non habuisse proprium in speciali, nec in communi: Sequitur etiam, quod Dei filius Dominus noster Jesus Christus, & ejus Sancti Apostoli Doctrinam falsam & erroneam mundo tradiderunt. Nam secundum Sanctum Evangelium, & secundum Sanctos Doctores Exponentes nihil habuerunt jure proprietatis & dominii: Et alios volentes ipsos perfecte sequi docuerunt nihil habere, sicut multipliciter tam per Sanctos Doctores, quam per determinationem Ecclesiæ Sacrosanctæ superius multipliciter est ostensum. Sed hoc est hæreticum, erroneum, & blasphemum. Sequitur ergo quod dictus Papa Joannes est hæreticus manifestus, & per consequens damnatus, & excommunicatus, & omni authoritate privatus. Dicit enim Hieronymus 24. q. 3. C. *hæresis; qui aliter Sacram Scripturam intelligit, vel exponit, quam sensus spiritus Sancti efflagitat, a quo approbata est, licet corpore ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus est censendus; Ideo ab omnibus catholicis evitandus.*

## NUNC DICTUS

## MINISTER GENERALIS

*respondet quibusdam obiectionibus ut sequitur.*

,, ET quia nos zelo catholicæ fidei, & obedientiæ Sanctæ Matris Ecclesiæ resistimus hæresibus supradictis, sustinemus calumnias, & diffamationes innumeras, & persecutionem ad mortem. Dato quod non sit omnibus respondendum quia aliqua tangunt personas nostras particulares, quas committimus Domino Nostro Jesu Christo, cum publica, & secreta sunt æqualiter manifesta. Aliquibus tamen per nostram informationem duximus, ut sequitur respondendum. Primo dicunt aliqui, quod Papa Joannes revocavit. Aliqui quod si Papa Joannes fuit hæreticus non sequitur, quod successores sint hæretici. Alii quod Papa potest omnia. Alii quod propter hoc non debemus ab eis separari, præsertim ante sententiam. Alii quod ex hoc sequitur, quod Ecclesia erravit, & quod Papa non est Papa, Episcopi non sunt Episcopi, Presbyteri non sunt Presbyteri, Corpus Christi non est Corpus Christi, Christiani non sunt Christiani. Aliqui, quod non pertinet ad nos reprehendere Papam, vel alios Prælatos, quia inferior non debet reprehendere superiorem. Alii quod non debemus judicare, Christo dicente *Matth. 7. Nolite judicare*. Alii, quod omnes judicamus, & neminem excusamus. Alii, quod nos pauci contradicimus toti multitudini, & imo dividimus tunicam Domini Nostri inconsutilem. Alii, quod Papa Simoniam non committit conferendo beneficia, & ordines propter pecuniam,

,, Ad primum, quod Papa Joannes revocavit: Tunc sequitur, quod omnes persequentes nos propter impugnationem dictarum hæresum, sunt hæretici; quia quod Papa Joannes retractavit, & retractandum bene, & necessarium reputavit; ipsi pertinaciter tenent & defendunt. Ad evidentiam autem hujus, est sciendum, quod Papa Joannes ultra prætatos errores superaddidit hæreses hæresibus cumulando: fecit enim quendam sermonem anno Domini 1331. in festo omnium Sanctorum, qui incipit *Mementote operum Patrum vestrorum:* Et alium eodem anno in tertia sequenti Dominica de Adventu: qui incipit: *Gaudete in Domino semper*. Et alium qui incipit: *Tolle puerum & matrem ejus*, quem fecit anno sequenti in vigilia Epiphaniæ, in quo tres errores pestiferos dogmatizat. Primus est, quod animæ sanctorum quantumcumque justorum a corpore separatæ non videbunt, nec vident Deum facie ad faciem ante Diem futuri Judicii generalis, & futuram Corporum resurrectionem. Secundus error est, quod animæ quantumcumque reproborum, & damnatorum non iverunt, nec ibunt in Infernum, nec pœnis Infernalibus cruciantur, nec cruciabuntur ante Diem prædictum Judicii. Tertius error est, quod Diabolus, & Dæmones non sunt in Inferno, nec pœnis Infernalibus cruciantur, nec cruciabuntur ante præfatum diem Judicii. Hos errores non tantum in dictis sermonibus, sed in pluribus aliis & in quodam Libello de hoc specialiter edito & publice divulgato, qui incipit. *Quæritur utrum animæ sanctorum ab omnibus peccatis purgatæ videant divinam essentiam?* pertinaciter tenuit usque ad diem mortis suæ. Item in quodam sermone qui incipit; *Psallite Domino qui habitat in Sion*; quem fecit anno Domini 1330. inter cætera dixit. *Vere filius Dei incarnatus est magnus, & salva reverentia Patris, & Spiritus sancti major est utroque: Nam licet Pater sit Deus, & Spiritus sanctus, tamen Pater non est incarnatus, nec Spiritus sanctus humanatus, sed solus Filius, & in hoc major est Patre, & Spiritu sancto*. Quod quidem est hæreticum manifeste. Quia secundum fidem Catholicam Filius est æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Item in quodam alio sermone publico, quem fecit de victoria regis Castellæ contra Sarracenos qui incipit, *Tulerunt Justi spolia impiorum* dixit, & asseruit, *quod Deus de sua potentia absoluta non possit facere, quod res aliter evenirent, quam eveniant*: quod quidem est hæreticum manifestum, quum ex hoc sequitur, quod omnia quæ fuerunt de necessitate absoluta veniant. Ex quo tollitur

,, libe-

liberum arbitrium, meritum & demeritum humanum perit, gratia evacuatur, Dei libera prædestinatio estuffatur, & ejus potentia annichilatur. Quæ omnia sunt hæretica, & blasphema. Et in alio sermone publico, qui incipit: *Gaudete in Domino semper* dixit, quod in Trinitate Filius non discernitur a Patre, nec Spiritus sanctus discernitur a Patre, & Filio. Quod quidem est hæreticum manifeste, quia est aperte confundere Personas in Divinis, sicut Sabellius hæreticus faciebat. Item in quodam sermone publico facto in festo Purificationis Domini anno 1332. qui incipit. *Statim veniet ad Templum*, dixit, & asseruit, quod Christus in quantum homo non regnabit, nec illuminabit, nisi usque ad diem Judicii: Et tunc tradet Regnum Deo Patri; quod est hæreticum, & contradicit Symbolo: *Et iterum venturus est judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis.* Prædictorum omnium errorum, duos primos prædictos scilicet de materia visionis animarum beatarum, & pœnis damnatarum, in ultima hora mortis dicitur revocasse, quamvis male, & falsè. Quam revocationem apud nos habemus, & ut per 7. rationes solemnes in operibus magistrorum fratrum minorum, hic brevitatis caussa dimissas, probatur, non valuit, nec fuit vera, nec fuit in forma. Sed quicquid sit contra, & alios in sermonibus supradictis positos allegationes, & reprobationes non curamus adducere. Tum quia de se satis patent, tum quia successores ejus non tenuerunt, nec tenent, & ideo non oportet contra ipsos insistere. De materia autem paupertatis Christi, & Apostolorum nulla fit mentio in dicta litera revocationis, nec aliquid de prædictis decretalibus revocavit. Sed per illud, quod in fine revocationis subiungit in fine dicendo: *Ac prædicta omnia, & alia quæcumque dicta, prædicata, & scripta per nos de quacumque materia, ubicumque & in quocumque loco, ac in quocumque statu quem habemus, vel habuimus hactenus, summittimus Determinationi Ecclesiæ, ac Sanctorum nostrorum* Quod per hoc inquam non excusetur, patet. Nam certum est, quod ubi aliqua sunt in fide dubia, illa sunt ad Examen, & diffinitionem sedis Apostolicæ reducenda Ubi vero sunt aliqua aperte, & explicite in fide per Sacram Scripturam vel per sanctam Ecclesiam diffinita, aut aliqua sunt tanquam hæretica, & fidei Catholicæ obviantia damnata, & reprobata, talia non debent amplius in dubium revocari, nec in disceptationem adduci, sed sunt firmiter tenenda *extra de summa Trinit. & fid. Cathol. C. 1. in princ. in Tex. & Glos.* Imo quamcumque revocationem id in dubium constat esse hæreticum *extra de hæretic. C. 1. & 24. q. 1. C. aperte* in Tex. & Glos. Et per illud Augustini 8. *de Trini.* dicens: *Nemo salva Christiana fide dicet forte de Virgine natus est Christus. Non enim debet sub dubio poni, quod certa, & indubitabili fide debet teneri.* Et sicut qui dicet forte de Virgine natus est Christus, sed utrum natus sit de Virgine, vel non, suppono determinationi Ecclesiæ, non excusaretur, imo foret ab omnibus censendus hæreticus, & tanquam hæreticus evitandus juxta illud Hieronymi. *Dubius in fide, infidelis est*; Et sic de omnibus aliis, quæ aperte in Scriptura Sacra continentur, vel per Ecclesiam diffinita, & determinata sunt, qui in dubium revocaret, foret ab omnibus hæreticus censendus, & tanquam hæreticus est vitandus. Et quia in prædictis decretalibus multa continentur Scripturæ Sacræ, & determinationibus Sacrosanctæ Ecclesiæ clare & aperte multipliciter adversantur: Quas decretales sub Bulla sua sub pœna rebellionis, & excommunicationis, ac etiam hæresis recipi jussit: Ideo per illa verba generalia in dicta revocatione contenta, scilicet, quæcumque dicta, prædicata, vel scripta suppono determinationi Ecclesiæ, ipse ab hæresi minime excusatur. Quod patet. Quæritur: illis qui in hæresim inciderunt, & publice tenuerunt, & dogmatizarunt hæresim, Sancta Ecclesia formam quam servare debent in sacris Canonibus tradidit, si voluerint se ostendere correctos, & ad fidem Catholicam redisse, ut videlicet pure, & simpliciter absque alicujus excusationis pallio confiteantur se errasse, & suum errorem revocent, & veritatem fidei Catholicæ clare & aperte confiteantur, ut probatur expresse 1. q. 7. *C. Donatum:* ubi Sanctus Leo Papa dicit; *Donatum aut Cerasensem Episcopum ex Novaciano, ut reperimus cum sua plebe conversum, ita Dominico Gregi volumus præsidere, ut libellum suæ fidei meminit ad vos dirigendum. In quo Novaciani dogmatis damnet errorem, & plenissime confiteatur Catholicam veritatem.* Et idem habetur in seq. *C. Saluberrimum*; & in alio C. immediate ex Concilio Martini Papæ habetur sic: *Si quis Episcopus vel alius Presbyter alicujus hæresis opinionem defenderit, & hanc ob causam fuerit excommunicatus, nullus Episcopus eum in communionem recipiat, nisi prius in Concilio porrecto fidei libello satisfaciat omnibus, & ita liberam suam teneat purgationem: hoc etiam de fidelibus sit decretum si in aliqua hæresi opinione sint notati:* Et in eadem *Causa, & q. C. Convenientibus* in 7. Synodo dicitur sic: *Constitutio Ecclesiastica habet canonice tradita a Sanctis Apostolis, & successoribus eorum, & Sanctis Patribus nostris, & Magistris & Sanctis universalibus Synodis, ut qui ab hæresi aliqua convertuntur ad Orthodoxam fidem, & traditionem Ecclesiæ Catholicæ scripto negare debent hæresim suam, & confiteri fidem Catholicam*; hæc ibi. Hoc idem ponitur *extra de hæreticis, ad abolendam.* Prædictam autem formavit ad literam Berengarius absque pallio excusationis, ut habetur *de Consecra. di.* 4. dicens: *Ego Berengarius indignus Sancti Mauricii Andegaven. Ecclesiæ Diaconus, cognoscens veram & Catholicam, & Apostolicam fidem anathematizo omnem hæresim, præcipue eam, de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur panem, & vinum, quæ in Altari ponuntur post Consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse.* Et infra. *Consentio autem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi: Et ore, & corde confiteor de Sacramentis Dominicæ Mensæ eamdem fidem me tenere, quam D. & Ven. Pater Nicolaus, & hæc Sancta Synodus authoritate Evangelica & Apostolica tenenda tradidit, mihique confirmavit, scilicet panem & vinum, quod ponuntur in Altari, post Consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, jurans per Sanctam homousion Trinitatem, & per hæc Sacrosancta Evangelia Christi, eos qui contra hanc Sanctam fidem venerint cum Dogmatibus, & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuncio. Quod si ego ipse aliquid contra hæc sentire, aut prædicare præsumpsero Canonum severitati subiiciar. Lecto, & perlecto sponte subscripsi.* hæc verba dicti Berengarii, & sequitur in Textu: *hanc confessionem de Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi a Berengario Romæ coram CXII. Episcopis factam Papa Nicolaus misit per Urbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & ad quæcumque loca, ubi potuit fama pravitatis ejus antea pervenire, ut Ecclesiæ, quæ prius doluerunt de adverso, atque perverso, gaudeant postea de reverso, atque converso*: hæc ibi. Ex quibus omnibus clare constat secundum formam traditam per Sacros Canones, & Sacrosancta Concilia, quod revocatio ejus nulla fuit. Ubi nec se errasse confitetur, nec errores revocat, nec etiam mentionem aliquam facit, nec veritatem Catholicam confitetur. Et imo mortuus est hæreticus pertinax, quod non revocavit, sed potius confirmavit. Quia talia verba generalia, *Si qua dixi &c.* nihil po-

„ nunt

„ nunt de suis erroribus; Et quilibet Catholicus qui nunquam in fide erraverit, hoc facere posset, & bene per verba alia inadvertenter prolata.

„ Ad secundum, scilicet quod si Papa Joannes fuit hæreticus, non sequitur, quod successores sui sint hæretici, dummodo quod ipsi incidunt in eandem sententiam. Scribitur enim *extra de Immunit. Eccl. C. adversus* in Glos. sic: *Delictum Prædecessoris est delictum successoris proprium; ex quo ipsum non purgat cui succedit in vicium; eadem sententia ligat cum contumacia procuratoris Dominum suum involvat, quoniam Dominus ipsam non purgat*; hæc ibi. Ipsi enim non solum non correxerunt, sed etiam defendendo errores Papæ Joannis, insuper persecuti sunt, & persequuntur usque ad mortem occidendo, & occidi faciendo omnes impugnantes dictas hæreses. Et imo non tantum hæretici sed hæresiarchæ protectores illius, qui erravit appellandi sunt. Dicit enim Urbanus Papa 14. *q.* 3. *C. qui aliorum errorem defendit, multo damnabilior est illis qui errant, quia non solum ipse errat, sed etiam aliis offendicula erroris præstat & confirmat: Unde quia Magister erroris est, non tantum hæreticus, sed hæresiarcha dicendus est.* Item 83. *di.* dicit Innocentius Papa: *Error cui non resistitur, approbatur, & veritas cum minime defensatur opprimitur. Negligere quippe cum possis perturbare perversos, nil aliud est quam favere: Nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obviare.* Item Gregorius Papa dicit ibidem: *Consentire videtur erranti, qui ad resecanda quæ corrigi debent, non occurrit.* Et ibidem Pius Papa dicit: *Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti.* Item 86. *di. C. facientes: Proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.*

„ Ad tertium scilicet, quod Papa omnia potest. Quod falsum est, quia non potest contra articulos fidei, & contra Sacram Scripturam & contra detecminata per Sanctos Patres in his quæ pertinent ad fidem, & bonos mores. Dicit enim B. Leo Papa, & ponitur 55. *q.* 5. *C. Quæ ad perpetuam generaliter ordinata sunt utilitatem, nulla commutatione varientur; nec ad privatum trahantur commodum, quæ sunt ad bonum commune præfixa.* Super quo *C.* dicit Glos. ordinaria: *Ex hoc C. patet, quod Papa non potest contra generale statutum Ecclesiæ dispensare, nec contra articulos Fidei: Nam si omnes consentirent ei, non valeret statutum, sed omnes essent hæretici, & excommunicati.* Et Sanctus Urbanus *e. Causa. q.* 2. *C. sunt quidam dicentes, Romano Pontifici semper licet condere novas leges: quod & nos non solum non negamus, sed valde affirmamus. Sciendum vero summopere est, quod inde novas leges condere potest, unde Evangelistæ nequaquam aliquid dixerunt. Ubi vero aperte Dominus, vel ejus Apostoli, vel eos sequentes Sancti Patres aliquid sententialiter diffinierunt, ibi non novam legem Summus Pontifex dare potest, sed potius, quod prædicatum est usque ad animam, & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur.* Et sic patet, quod non potest omnia, imo est pertinax hæreticus, quando contra diffinita Patrum attentare præsumpserit, sicut ipse de facto fecit determinando hæreticum esse pertinaciter asserere Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque Apostolos non habuisse proprium in speciali, nec in communi; ideo hæreticus manifestus. Dicitur enim 14. *q* 1. *C. hæc est fides, quod quicumque improbat quod semel est per Ecclesiam approbatum, hæreticus est.* Et 15. *q.* 1. B. Cosimus Papa *C. contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest authoritas.* Et B. Gregorius, & ponitur 15. *q.* 2. dicit: *Si ea destruerem, quæ Antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed destructor juste comprobarer.*

„ Ad quartum, scilicet, quod non debemus ab eis separari, & potissime ante sententiam, dummodo quod cogimur præceptis sanctæ matris Ecclesiæ, quæ strictissime mandat omnibus Catholicis ab hæreticis & excommunicatis separari, nam quinque Concilia generalia dederunt sententiam contra hæreticos separandos eos a communione fidelium; scilicet, concilium Lateranense Innocentii III. *extra de hæret. C. excommunicamus itaque, & anathematizamus omnem hæresim extollentem se adversus hanc Orthodoxam, & Catholicam fidem, quam supra exposuimus, condemnantes hæreticos universos quibuscumque nominibus censeantur. Et C.* 2. *Excommunicamus.* Concilium Carthaginense 4. 24. *q.* 3. *C. Clericus*, ubi dicitur: *Cum Clericis hæreticis nec orandum, nec psallendum est.* Concilium Martini Papæ 1. *q.* 5. *C. non liceat Clericis, vel Laicis ab hæreticis eulogias accipere, quia maledictiones sunt magis quam benedictiones, nec liceat cum hæreticis, vel scismaticis orare.* Concilium Laodicense ibidem *C. non oportet.* Concilium Africanum *extra de hæreti. C. Si quis Episcopus*, ut Glos. dicit. Idem juris est de hæreticis, & paganis & *C. ad abolendam* & 24. *q.* 5. *C. qui dignior.* dicit Ambrosius; *fides igitur Ecclesiæ in primis quærenda mandatur, in qua si Christus habitator sit, haud dubie sit degendum: Si vero perfidus populus aut hæreticus præceptor deformet habitaculum, vitanda est hæreticorum communio, fugienda est Synagoga*, ubi Glos. dicit: *duæ sunt Ecclesiæ una est Catholicorum, quæ non patitur pollutos habitare in se, cum habeat Christum habitatorem. Alia est hæreticorum, quæ vera non est: hæc semper vitanda est, ne ariditate ejus polluamur.* Item *eadem causa, & quæstione C. dicimus omnes omnino hæreticos, & scismaticos nihil habere juris, & potestatis.* Et infra: *inveniemus in tali facinore non solum Duces, & authores, sed etiam participes eorum pœnis destinari, nisi a communione malorum se separaverint, præcipiente per Moysen Domino, & dicente: Separamini a Tabernaculis hominum istorum durissimorum. Et nolite tangere de omnibus, quæ sunt eorum, ne simul pereatis in peccatis eorum.* Item in *C. audivimus* §. *si autem dicitur* in fine. *Liquido constat eum qui ab integritate fidei Catholicæ recedit, benedicendi vel maledicendi potestatem minime habere. Catholicum namque utpote superiorem se maledicere non valet. In alienum vero a fide tanquam in sibi æqualem sententiam dare non pruvalet.* Et Glos. dicit. *Et tu dic indistincte, quod sive veterem sequatur hæresim, sive novam, excommunicatus est, licet occultus sit: Et ideo non potest alium excommunicare. extra de hæret. C. ad abolendam*, dicit: *hodie omnis hæresis est damnata: Et omnis hæreticus est excommunicatus, quantumcumque sit occultus. Et imo non potest alios excommunicare.* Et *C. cœpit Hermigildus* dicit: *quod potius est arripere mortem quam accipere communionem de manu hæretici.* Et hoc patet, quia est a jure servatum: Et ut amplius pateat 24. *q.* 1. *C.* Acacius dicitur in Glos. *hic est casus in Papa, qui Papam ligare potest, & Papa in Canonem latæ sententiæ incidit;* Nec obviat illa regula, quia par parem ligare, vel solvere non potest, quia si Papa efficitur hæreticus, est minor etiam quocumque Catholico fideli 12. *q.* 1. Scimus quia lex factum notat etiam sine sententia *ff. de rit. nup. l. palam*, ubi Glos. Item *extra de sen. Exco. C. Cum non ab homine*, dicit Glos. *Et sic quum certo scio aliquem esse excommunicatum, statim debeo ipsum vitare, quamvis non sit denunciatus.* Sed hodie omnis hæreticus est excommunicatus, ut supra patuit. Item Glos. 2. *q.* 7. *C. Sacerdotes* dicit: *Si Prælati sint scismatici, hæretici, vel excommunicati, vel notorii fornicatores, vel non servent Canones, tunc potest recedi ab eis ante sententiam* 59. *di. C. nulli* 16. *q. ult. C. sane, &* 32. *di. nullus.* In alio Crimine ante sententiam non est recedendum,

„ dum. Item Glos. 8. *q. x. C. nunc*. Respondendo obiectioni dicit: *Nec obstat scilicet quod non sit recedendum ante sententium. 32. di. nullus* & *18. di. C. si qui*, & *16. q. ult*. Sane, quia ibi de suspensis a Canone loquitur. Nam in illis tribus criminibus speciale est, scilicet in simonia, in hæresi, & in notoria fornicatione. Item 19. *di. Anastasius* habetur, quod multi Clerici abegerunt a communione Anastasii Papæ, qui communicaverat Fotino hæretico. In Chronicis etiam habetur exemplum B. Eusebii recedentis a communione Liberii hæretici; & Hilarii recedentis a Leone Papa hæretico. Nec Papa habet privilegium vel prærogativam aliquam plus quam alii in facto hæresis, quin sis subiectus omnibus pœnis, & sententiis hæreticorum, imo minus, quod probatur 2. *q. 5. C. Præsul*, idest Cardinalis Episcopus *non damnetur nisi cum 72. testibus*, supp. de hæresi, ubi dicit Glos. *Sed nunquid contra Papam duplicabuntur testes; non, imo duo sufficiunt, & in hoc deterioris conditionis est, quia ipse sine comparatione aliorum creatus est. Ideo sine spe veniæ damnandus est ut Diabolus, de pœnit. di.* 2. principium. Et ut supra patuit, *minor est quolibet Catholica*. Item Gregorius 2. *q. 7. Admonendi sunt subditi, ne plusquam expedit sint subiecti, ut cum student plusquam oportet hominibus subiici, compelluntur eorum vitia venerari*. Et B. Bernardus: *par periculum est obedientiam præbere, cui non debetur, quam denegare cui debetur. Cum enim Dominus vel Prælatus jubet, quæ Deo contraria sunt, tunc ei obediri non debet*. Et idem dicit Bernardus ad Adam monacum. Si igitur juxta sententiam Augustini & Bernardi non debemus obedire Prælatis non recte præcipientibus, multo minus hæreticis, cum quibus communicare non permittitur. Item ea conscientia tanquam obedientes mandatis Ecclesiæ recessimus ab obedientia, & communione hæreticorum, & scismaticorum, & excommunicatorum, quia non obedientes præceptis Apostolicæ Sedis Crimen Paganitatis incurrunt. Peccatum igitur Paganitatis incurrit, si quis cum se Christianum asseruerit, Sedi Apostolicæ obedire contempserit. Et S. Damasus *c. causa q. 1. C. violataret. Spiritum Sanctum blasphemant, qui sacras Canones violant* & 1. *q. 7. Ex septima Synodo* habetur sic: *Si quis omnem traditionem scriptam vel non scriptam violat, anathema sit*. Notetur autem quanta necessitate cogimur nos & omnes Catholici a prædictorum obedientia separari.

„ Ad quintum quod ex hoc sequitur quod *Ecclesia erravit, & quod Papa non est Papa &c.* Dicimus, quod falsum est, quod hoc sequatur ex prædictis. Et quo ad primam partem dicimus, quod Ecclesia Christi nunquam erravit, nec errare potuit, nec potest in fide, & moribus. Et de hoc est articulus fidei. *Credo unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*. Et de hoc habetur 14. *q. 1. C. a recta fide, & C. memor & C. in sede, & C. hæc est fides*. Et Glos. super *C. a recta* dicit: *Quæra de qua Ecclesia intelligas, quæ dicitur, quod non potest errare. Si de ipso Papa, qui dicitur Ecclesia supra c. quicumque & 7. q. 1. Scire debetis. Sed certum est quod Papa errare potest, ut dicitur 19. di. Anastasius, & 40. di. Si Papa. Respondeo ipsa Congregatio Fidelium dicitur Ecclesia, & talis Ecclesia non potest non esse, ut infra eodem, pudenda. Nam Christus oravit pro Ecclesia 21. di. §. 1. Qui voluntate labiorum suorum non fraudabitur*. hæc Glos. Item 21. *di. C. quamvis* dicit Glos. *quod ubicumque sunt boni, ibi est Romana Ecclesia*. Ad secundam vero partem sciendum, quod in Papa, & quolibet Prælato sunt duæ authoritates, vel potestates, una scilicet jurisdictionis, quæ habet administrationem, & correctionem super suos subditos, ad quam pertinet absolutio, vel ligatio, electio, confirmatio, & distributio: Et hæc potestas non est necessario annexa Ordini vel Sacramento, sed potius officio, vel Dignitati, quia non est nisi quoddam spirituale dominium super Ecclesiasticis Personis, vel rebus. Et hanc perdit per hæresim de jure totaliter, & de facto, quum tunc non habet subditum, quia minor est omni Catholico, ut habetur 24. *q. 1. C. Achacius* in Glos. Alia vero authoritas, vel potestas vocatur sacramentalis, vel caracterica, quæ sequitur Ordinis sacramentum, quæ potest conficere Corpus Christi, & ordines conferre. Et licet ista interdicatur hæreticis, & privatis, tamen de facto auferri non potest, quum conferat de facto ordines, & vera conficiat sacramenta, quantumcumque sit hæreticus, apostata, homicida, privatus, ut habetur *di. 33. C. præter hæc §. Porro* 21. *q. 1. C. quod quidam & C. qui perfectionem* in Glos. ubi dicitur, quod quilibet Episcopus, sive Catholicus, sive hæreticus, sive in Ecclesia, sive extra Ecclesiam conferat ordinem, dum tamen conferat in forma Ecclesiæ, recipit ordinatus ordinem, licet non recipiat executionem ordinis. Similiter si taliter ordinati alios ordinent, & sic in infinitum. 29. *q. 1. in princi.* dicit Glos. hæc ergo sit fides tua, quod hæretici, & depositi, & excommunicati vera Sacramenta conferunt & verum Corpus Christi conficiunt. De utraque autem simul potestatum ipsarum habetur in Glos. 24. *q. 1. C. audivimus §. Si autem* super verbo *non valet*, quæ dicit. Conficit tamen extra Ecclesiam si formam servet, quia hoc ordinis est, quem retinent recedentes ab unitate 1. *q. 1. quod quidam*. Sed non potest excommunicare, quia hoc jurisdictionis est, quam amittit qui recedit ab Ecclesia 1. *q. 1. remissionem*. Item, quod hæretici, & præcisi dent vera sacramenta quantum ad formam, vacua tamen, & inania quantum ad fructum præter Baptismum in necessitate, habetur 32. *di. præter hoc §. Porro, & 1. q. 1. C. etiam corde, & C. his qui baptismum, & C. remissionem peccatorum*; quæ pertinet ad jurisdictionem habetur 1. *q. C. remissionem, & 24. q. 1. C. audivimus §. Si jam, & C. didicimus, & C. nis Cælestinus, & C. aperte, & C. miramur §. his authoritatibus, &* 1. *q.* 1. Leo Papa dicit, *hi qui Baptismum ab hæreticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, sola Sancti Spiritus Sanctificatione per impositionem manuum confirmandi sunt, quoniam formam tantum Baptismi sine sanctificationis virtute præsumpserunt: Et hanc regulam servandam, ut scitis in omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel junctum nulla ratione violetur; dicente Apostolo, unus Deus, una fides, unum Baptisma, ejus ablutio nullo modo retractanda est, sed ut diximus sola sanctificatio Sancti Spiritus invocanda est, ut quæ ab hæreticis nemo accipit, a Catholicis Sacerdotibus consequatur. & 24. q. 1. C. Si quem forte*. Igitur consequentia prædicta est hæretica, & est hæresis Donatistarum, qui tenebant, quod baptizati ab hæreticis erant rebaptizandi, quæ hæresis tunc per generale Concilium fuit condemnata. Non dicimus ergo Papa non est Papa, Episcopus non est Episcopus &c. Quia nec B. Petrus, vel B. Gregorius, vel aliquis Sanctus Prælatus habuerunt plures ordines, vel veriores, quia in veritate quantum ad substantiam ordinum nihil minus eis habent: sed quia sunt hæretici & Symoniaci; ideo excommunicati, & per consequens omni authoritate privati, modo & ordine supradicto: hæc radix tres Papas germinavit.

„ Ad sextum scilicet quod non pertinet ad nos reprehendere Papam, vel alios Prælatos quia inferior non debet reprehendere superiorem. Dicimus primo, quod quilibet fidelis est superior, & major quocumque hæretico, ut probatum est 24. *q. 1. C. Acacius* in Glos. *hic est Casus &c. suppositus*. Præterea falsum est, quod Papa non possit de hæresi reprehendi; habetur enim *di. 40. C. Si Papa*.

*Papa. Papa a nemine est reprehendendus nisi in fide erraverit:* ubi dicit Glos. Sed quare non potest de alio erimine accusari? ponamus quod notorium sit erimen ejus, vel per confessionem Judicii vel per facti evidentiam, quare non accusatur vel de erimine simoniæ, vel adulterii, & cum accusatione etiam incorrigibilis est, & scandalizatur Ecclesia per factum ejus. Certe credo quod si notorium est erimen ejus vel per Confessionem Judicii &c. & inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis sit, quod inde possit accusari. Nam contumacia dicitur hæresis ut 81. *di. si qui sunt.* Et contumax dicitur infidelis, ut 38. *di. nullus:* hic tamen specialiter fit mentio de hæresi; Ideo & quia si occulta esset hæresis, de illo potest accusari, sed de alio occulto crimine non possit. Et quod non possit statuere, quod non posset accusari de hæresi, quia ex hoc periclitaretur tota Ecclesia. Item 96. *di.* Sicut quamvis dicitur in Glos. quod si Papa erraret contra religionem Christianam potest a quocumque redargui, & si scisma faceret, Item 2. *q.* 7. *C. testis §. ita respondet.* Prælati sunt reprehendendi a subditis, si a fide exorbitaverint, vel alios exorbitare exemplo vel verbo a fide coegerunt. Præterea 2. *q.* 7. *c. plerumque §. ult.* dicitur, quod non omnes Prælati pro Prælatis habendi sunt. Et ibidem in *C. Paulo* dicit Gregorius: *Quem non vita seniorem facit graviter est increpandus:* & *C. non omnes* dicit Hieronymus, quod *Dignitas non facit Episcopum sed vita:* Et quod *non omnis qui dicit pax vobis ut Columba audiendus est.* *Et C. qui susceptum* dicit Augustinus: *Qui susceptum officium non administrat, nec sua, & subditorum delicta deterserit non Episcopus dicendus est, sed Caius impudicus.* Quibus authoritatibus ostenditur, quod non solum hæretici, qui pro Prælatis habendi non sunt vel pro superioribus ut supra patuit, sed etiam veri Pastores pro loco & tempore, & ex Charitate reprehendendi sunt. Dicit enim B. Gregorius & ponitur 2. *q.* 7. *sicut,* inquit, *Laudabile discretumque est reverentiam, & honorem exhibere: Ita rectitudinis, & Dei timoris est si qua in eis sunt, quæ indigent correctione, nulla dissimulatione postponere, ne totum, quod absit, Corpus morbus invadat si languor non fuerit in Capite curatus.* Præterea non reprehendimus Papam, nec alios Prælatos, sed damnatos ab Ecclesia vitamus: Et ad hoc cogimur Sanctorum Patrum decretis superius allegatis: Quibus non obedire paganitatis crimen, & anathematis sententia incurritur ipso Jure, ut patet 81. *di. si qui sunt* & 25. *q.* 1. *violatores,* & 6. *causa q.* 2. *si quis dogma.* 1. *q.* 7. *si quis.*

„ Ad septimum quod non debemus judicare Christo dicente *Matth.* 7. *nolite judicare, & non judicabimini &c.* Dicendum quod Christus loquitur de occultis, & de his quæ bono, & malo animo fieri possunt, ut dicit Glos. Bedæ super illud *nolite judicare,* & ponitur super illud *Extra de regul. Jur. C. Estote,* quod de occultis, & de his quæ bono, & malo animo fieri possunt non præsumitur judicare, sed de manifestis, & de his quæ non possunt nisi malo animo fieri, ut est furtum, blasphemia, fornicatio &c. nobis permittitur judicare. Ideo qui dixit *nolite judicare,* dixit *Joannis* 7. *nolite judicare secundum faciem, sed rectum Judicium judicate.* Item Gregorius 22. *q.* 2. *C. non ita. Caveatur arrogantia, ut veritas relinquatur.* Et S. Hieronymus in *lib. de obitu suo* dicit, quod *tacere contra vitia, est humilitas Diabolica.*

„ Ad octavum scilicet, quod omnes virtutes damnamus, & omnes judicamus, & neminem excusamus. Dicendum quod nos nullum condemnamus, quia simplices Personæ, & sine prælatione non habemus authoritatem condemnandi, sed tanquam filii obedientes jussionibus, & præceptis Ecclesiæ Sacrosanctæ, quæ Spiritu Sancto condemnat hereticos, & scismaticos universos, nec non fautores & defensores ipsorum, ipsos vitamus, & vitandos declaramus. Nec est verum quod neminem excusamus, quia quos probabilis ignorantia excusat nos excusatos habemus. Dicit enim Augustinus in *li. quæstionum Evangelii. Non omnis ignorans est immunis a culpa. Ille enim ignorans poterit excusari a pœna qui quod disceret non inveniret. Illis autem hoc ignosci non poterit, qui habentes a quo discerent operam non dederunt. Cum itaque voluntaria ignorantia omnibus sit noxia, Sacerdotibus est perniciosa,* ut patet *di.* 38. *in Concilio Toletano. Ignorantia enim mater est cunctarum errorum:* Et Glos. super verbo Apostoli. *Qui ignorat ignorabitur,* idest, *qui negligit scire, vel contemnit.* Et infra. *Nec etiam excusetur quis per ignorantiam qui potest habere copiam peritorum. ff. de Jur. & facti ignor. l.... vel sua prudentia facile potuit illud scire. C. de jug. l.* 3. hæc Glos. Dicitur enim 38. *di. C.* 1. *Ignorantia alia Juris Civilis vel Canonici quæ neminem excusat; alia Juris naturalis hæc neminem excusat, si est adultus, & discretus. Alia est ignorantia facti probabilis, & hæc excusat, quia etiam peritissimos fallit. Alia est crassa, & supina ut cum quis ignorat quod publice factum est in Civitate, hæc neminem excusat* 16. *di. quod dicitis* & 12. *q.* 2. *Qui & humanis.* Ignorantia crassa & supina est, quum homo non laborat, ut sciat quantum debet, & sicut debet, vel quia laborem refugit addiscendi, ut possit se per ignorantiam, vel inertiam excusare. Dicit enim Gregorius, 25. *li. moralium* super illud Job. *Scientiarum viarum tuarum: Sed aliud est nescire, aliud nescire voluisse. Nescit namque qui apprehendere vellet, & non valet. Qui autem ut nesciat aurem a voce veritatis avertit. Iste non nesciens, sed contemptor dicitur.* Et idem Gregorius in eodem, & ponitur 38 *di.* dicit: *Qui ea quæ Dei sunt, sapiunt, a Domino sapiuntur.* Et Glos. *approbantur. Et qui ea quæ Dei sunt nesciunt, a Domino nesciuntur; Paulo attestante, qui ait. Si quis ignorat ignorabitur.* Hieronymus: *Qui stultus est in culpa, sapiens erit in pœna.*

„ Ad nonam, scilicet quod nos pauci contradicimus toti multitudini, & ideo scindimus Tunicam Christi inconsutilem. Dicendum quod non ad multitudinem, sed ad rem, & ad veritatem intuendum est; sicut dicit B. Augustinus contra Petilianum, & ponitur 23. *q.* 4. *Qui peccati.* Restat ergo ut nihil ad requirendum esse fateamini, nisi utrum juste an impie fecerit. Et Seneca ait. *Argumentum pessimi turba est.* Et Chrysostomus in Homilia. *Abeuntes pharisæi consilium inierunt &c. a veritate nudos se esse professi sunt, quia multitudine se armaverunt.* Et Christus in Evangelio. *Ampla est via quæ ducit ad mortem, & multi gradiuntur per eam. Arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci vadunt per eam.* Et iterum. *Pauci sunt vocati, multi vero electi.* Super quo verbo dicit Anselmus: *Qui vult esse securus an sit de electis, debet conari ut non sit ejus vita de numero multorum, sed de numero paucorum: & si vult esse securus, debet esse de numero paucissimorum.* Et etiam præceptum Dei Exodi 23. dicit Deus. *Non sequaris turbam ad faciendum malum. Nec in Judicio plurimorum acquiescet sententiæ, ut a numero devies.* Et jus, sive jurisdictio personaliter in uno residens ut dicit Glos. *extra de postula. gratum. Et extra de electi. C. Illa quotidiana* dicit Innocentius IV. in apparatu, quod si omnes excommunicati eligunt unum, & solus non excommunicatus alium, tenet electio non excommunicati. Item 9. *di. C. Ego solus* in Glos. dicitur. Non est magis credendum honorabiliori personæ quam alteri, quia veritas a quocumque prolata semper præferenda est. Et ut Cælestinus ait, & ponitur. *LXII. di. C.* 2. Docendus est Populus non sequendus. Nos quoque

fi nefciunt quid liceat quidve non liceat commonere, non his confenium præbere debemus. Et mirum certe quod Chrift anus multitudine fe armat contra veritatem Chrifti. Nam unus poteft contradicere toti multitudini, & univerfitati fi habeat caufam rationabilem, ut habetur 31. *di. C. Nicana in Tex. & Glof.* Exemplo Panucii qui revocavit totam Nicænam Synodum, & in melius reformavit: Ergo tunicam Chrifti fcidit quia folus erat. Et B. Athanafius in ejus perfecutione univerfus pene conjuravit orbis ut ejus legenda, & Martyrologio legitur, commoti funt Populus, Reges, Principes, Regna, & Populi, nec aliquis ad latendum fuperetat eis locus. Ergo falfum tenebat, cum filiom dixit &c. quod eft hæreticum dicere, quia ipfe defendit fidem Chriftianam in Partibus Orientalibus, & compofuit: *Quicumque vult falvus effe &c.* fimiliter Eufebius & Hilarius qui tempore Arianorum in confeffione, & defenfione fidei permanferunt. Et fimiliter fequeretur de alio Eufebio presbytero. In cujus legenda habetur, quomodo reftitit Liberio Papæ hæretico: Et tandem tenetur a Conftantino, & ipfi Liberio, Cui dixit. *Tu folus Chriftianus es in Urbe Romana.* Ad quem dixit Eufebius *Sic in Domino confidimus, quia fideles nos invenit Chriftus &c.* Si ergo quia folus erat in Urbe Romana, & confeffus eft cum diceret Papa &c. tunicam Chrifti laceravit ex hoc? Ergo errat Ecclefia ipfum canonizando & annuatim venerando pro Sancto. Item Ubertinus in 4. *C. Jefus* fpirans ad flatum dicit. Verum eft tamen fi in tota Ecclefia communiter reciperetur adulter cum fponfo, hæreticus pro Catholico, lupus pro agno, & pro Paftore fcifmaticus, & Idulolatra, qui etiam contra ftatuta Chrifti, & Ecclefiæ ufurparet fibi Sedem Papalem: Si unus folus Catholice fibi refiftet, & totus alius mundus eum prædicaret, & ei obediret, a toto mundo recederet gratia Jefu, & authoritas Ecclefiæ, & in folo illo qui catholice refifteret remaneret; non ergo ad multitudinem, nec ad femetipfam recurrendum eft ad fciendum veritatem fidei, ut teftatur Leo Papa 24. *q.* 3. quid autem impius, quid iniquus, quam impia fapere, & fapientibus doctoribus non credere. Sed in hanc infipientiam cadunt quicumque ad cognofcendum veritatem aliquo impediuntur obftaculo, non ad Propheticas voces non ad Apoftolicas literas, nec ad Evangelicas authoritates, fed ad femetipfos decurrunt. Ideo Magiftri erroris fiunt, quia veritatis Difcipuli non fuerunt. Nos vero nihil de noftro ponimus, fed facram Scripturam, dicta Sanctorum Doctorum, & determinationes Ecclefiæ recitamus, ut patet intuentibus: quæ quamvis pauci fimus, non minus vera funt. Et certe Noe cum paucis in Arca falvatus eft. Et Loth de Sodomis cum duabus filiabus. Et Beata Visgu fola remanfit fidelis in Triduo Paffionis, & multitudo clamavit *Crucifige, Crucifige.*

„ Ad Decimum, & ultimum fcilicet quod Papa fymoniam non committit conferendo Beneficia, & ordines propter pecuniam. Datu quod indignum fit refpondere; Tamen ad evitandam periculum animarum eft notandum primo. Quid fit Simonia, deinde quibus pœnis Simoniaci ab Ecclefia feriantur. Eft igitur Simonia *ftudiofa voluntas, vel cupiditas emendi, vel vendendi aliquod fpirituale.* 1. *q.* 1. *presbyter*, dicit B. Gregorius: *Altare, & Decimas, & Spiritum Sanctum vendere, vel emere fymoniacam hærefim effe nullus fidelium ignorat; & eadem caufa & q.* 2. *C. qui ftudet* dicitur: *Nam Spiritum Sanctum comparari quid aliud eft, quam capitale crimen, & fymoniaca hærefis.* Item *eadem caufa q. C. Salvator* dicit Urbanus Papa propofito Sancti Vincentii fic. *Igitur quoniam innotuifti nobis quod tibi obiicitur. Utrum vendere Ecclefiafticam rem fit fimoniacum, hoc fimoniacum effe patenter colligitur ex hoc quod B. Petrus Simoni ait. Pecunia tua tecum fit in perditionem, quia exiftimafti Donum Dei pecunia poffidere: Donum quippe Dei eft Spiritus Sanctus, & Donum Dei eft res Ecclefiæ oblata,* Et infra. *Ideoque qui eas non ad hæc, quæ inftituta funt, fed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obfequii, vel pecuniæ largitur, vel adipifcitur, fimoniacus eft.* ubi Glof. dicit. Oftenditur quinque authoritatibus, quod vendere Ecclefiaftica Beneficia fimoniacum eft. Item ibidem ait Innocentius *C. Si quis præbendas, vel Prioratum, vel Decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam Ecclefiafticam, feu quodlibet Sacramentum Ecclefiafticum, ut puta Chrifma, vel Oleum Sanctificatum, & confecrationes Altarium, vel Ecclefiarum interveniente execrabili ardore avaritiæ per pecuniam acquifivit, honore male acquifito careat &c.* Nec prætextu feu obtentu alicujus confuetudinis ante vel poft aliquid exigatur, vel ipfe dare præfumat, quum fimoniacum eft. Pœnæ fimoniacorum funt multæ. Quarum inter alias prima, quod ipfo jure funt excommunicati, & anathematizati, ut patet 1. *q.* 1. per Ambrofium dicentem; *Reperiuntur quamplurimi negociatione muneris velle mercari gratiam Spiritus Sancti, dum illi pretium donant, ut Pontificalis Ordinis fublimitatem accipiant, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem. Pecunia tecum fit in perditionem, quia exiftimafti pecunia Donum Dei poffideri.* Alia pœna eft, quod funt privati ab Officio, & Collatione gratiæ, confequenter Ordine, & ab executione Ordinum, & miniftratione temporalium, & fimiliter a beneficio ut patet per B. Leonem Papam 1. *q.* 1. *C. gratia. Si vero datur vel accipitur gratis, gratia non eft. Simoniaci autem non gratis accipiunt. Igitur gratiam, quæ maxime in Ecclefiafticis Ordinibus operatur non accipiunt. Si autem non accipiunt, non habent. Si non habent, nec gratis, nec non gratis dare poffunt. Quid ergo profecto quod habent. Quid autem habent profecto fpem mendacii. Quomodo hoc probamus. Quia fi fpiritus veritatis, teftante ipfa veritate, de qua procedit, gratis accipitur; procul dubio fpiritus mendacii convincitur effe qui non gratis accipitur.* Item Innocentius Papa ait. *C. qui perfectionem. Spiritus quem acceperant perdiderunt, non dare eis plenitudinem poffunt, quæ maxime operatur in ordinationibus, quam per fuam perfidiam perdiderunt.* Et iterum: *qui honorem non habuit, honorem dare non potuit, nec aliquid ipfe accepit, quia nihil erat in dante, fed damnationem, quam habuit per pravam manus impofitionem dedit.* Quod autem privati fint a beneficio, & Dignitate, Jurisdictione, & adminiftratione rerum Ecclefiafticarum patet ex Concilio Chalcedonen. 1. *q.* 1. *C. Si quis Epifcopus, & C. qui per pecuniac,* & eadem caufa *q.* 3. *Si quis dator.* Et Urbanus Papa ibidem ait: *ea quæ a fanctis Patribus de Simoniacis ftatuta funt, nos quoque judicio, & Apoftolica authoritate firmamus: Quidquid ergo in facris Ordinibus vel Ecclefiafticis rebus, vel data, vel promiffa pecunia acquifitum eft, nos irritum effe, & nullas unquam vires obtinere cenfemus;* hoc idem habetur in multis aliis Capitulis. Alia pœna eft quæ in facramentis, & divinis officiis a fidelibus vitari jubetur, ut patet per Beatum Gregorium 32. *di. C. præter hæc.* ubi dicitur: *Officium Simoniacorum, & in fornicatione jaccatium fcienter nullo modo refpiatis: Et quum poteftis, tales a fanctis myfteriis, ubi oportuerit prohibeatis.* Et in Glof. *unde ab occulto fymoniaco, quem fcis effe Simoniacum non debes recipere Sacramenta.* Item *eodem C.* infra fequitur: *fed agentibus, & confentientibus hæc Sacramenta quam præfatorum Pontificum inftituta, nifi forte folo morte interveniente ne fine Baptifmo, vel Communione quilibet humanis rebus excedat, eis in tantum quantum obfunt, ut vere idololatræ fint cum talibus, &* ordi-

*ordinationum, & sacramentorum confectio, & aliter quam permissum est scienter susceptio vehementer a Sanctis Canonibus prohibeatur.* Quæ verba decla- „ rans Innocentius IV. in apparatu *extra de hæreti. C. fraternitatis* ait. *Idem dicimus de omnibus præcisis, depositis, & excommunicatis, & suspensis a Collatione Sacramentorum, sive a Jure sive ab homine sint suspensi, quia si a talibus suscipiantur Sacramenta, cum a collatione eorum privati sint, inobedientes sunt, qui recipiunt ab eis, nisi sit notorius fornicator, & Symoniacus, qui licet suspensi sint a Collatione Sacramentorum, tamen in Articulo mortis Corpus Christi, & Baptismum conferunt. 32. di. C. præter hæc §. verum. Et cum a talibus licitum sit Sacramentum recipere, eis licitum erat tangere, non tamen conficere; nec licitam credimus ab hujusmodi Extremam Unctionem accipere, & alia sacramenta. Nam cum sint generaliter prohibita, & de his specialiter contendatur. Consequens in talibus patet, quod de aliis negatur.* Item Innocentius *Extra de Simo.* in apparatu *in C. tanta* dicit: *Si Simoniacorum officium audire non debent, etiam si nulla feratur sententia contra eos. Est enim in eis speciale, sicut in notoriis fornicatoribus, quod eorum officia audire non debent.* Item Joannes Chrysosto- „ mus, & habetur in libro Canonum principalium: *Baptismum a quovis hæretico, vel facinoroso suscipi potest, si in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizaverit. Si quis autem in infirmitate detentus morti appropinquaverit, & Sacerdos, vel Clericus defuerit, tunc ab alio in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizari potest. Pænitentia autem & Communio a nullo suscipienda est, nisi a Catholico. Catholicus autem Sacerdos quamvis facinorosus sit, non tamen privatus, quicquid sacrum est unusquisque fidelis potest suscipere sine culpa, quia Salvator dicit: Omnia quæ dixerint vobis homines, servate, & facite, secundum vero opera eorum nolite facere. Si autem nullus Sacerdos Catholicus fuerit, rectius est sine communione manere visibili, & adeo invisibiliter communicari, quam ab hæretico communicari, & a Christo separari. Nulla conventio Christi ad Belial, ait Apostolus. Nulla communicatio fidelis cum infideli. Omnis hæreticus infidelis est, Simoniacus autem est hæreticus: Ergo infidelis. Sacramentum communionis Christi quamvis visibiliter, & corporaliter Catholici habere per imminentes hæreticos non possint: dum tamen mente, & Corpore Christo conjuncti permanent, Sacram communionem Christi invisibiliter habent:* hæc Chry- „ sostomus. Alia pœna est, quod quantumcumque „ quis ignoranter ordinetur a Symoniaco non recipit „ executionem, ut patet 1. *q.* 1. *C. statuimus, & C. si quis a Simoniacis*, ubi dicit Glos. *Nam quantumcumque occulti sint, & etiam ignoret iste, non sequitur executionem, & hoc in Simoniaco in ordine: Et licet sine culpa istius ordinati contingat, indiget tamen dispensatione, & hoc in detestationem criminis: Et ideo dicit misericorditer, licet hoc ignoret:* Et infra: *hoc teneas pro certo, quod si ego scio aliquem esse Simoniacum licet occultum, non debeo recipere ordines ab eo; ut Extra de Simo. per tuas: Et si vellet me cogere, potius debeo pati excommunicationem, ut extra de sen. Exco. C. Inquisitioni. Et non magnitudinem hujus pestis.* Nam uno com- „ mittente Simoniam omnes ab eo ordinati, & ab „ eo descendentes usque in infinitum privantur exe- „ cutione ut dicit Glos. 1. *q.* 1. *C. qui perfectionem*, „ licet non commiserint Simoniam ordinati aut Epi- „ scopi. *Quilibet Episcopus &c. ut supra in quinta responsione.* Alia pœna est, quod tenentur de ne- „ cessitate salutis renunciare beneficio, & executio- „ ni Ordinis, ut patet per Glos. *extra de Simo. C. tanta*, quæ dicit: *Nec potest agere pænitentiam, nisi renunciet beneficio, & Executioni, &* 1. *q.* 7. *C. requisitus.* Gregorius dicit: *quod si injusto cordis amore, vel precibus sordidis, sive comitatu, sive manuali servitio sive fraudulento munusculo Episcopalem, seu Sacerdotalem, non lucro animarum, sed inanis gloriæ avaritia fultus dignitatem acceperat, & in vita sua non reliquerit, eumque aspera more in pænitentia non invenerit, procul dubio in æternum peribit, &* 13. *di. c. nervi* in textu & Glos. „ dicitur: *Ille si vult salvari, dimittat locum, & sit in perpetua pænitentia.* Nec aliquis se potest ex- „ cusare propter aliquam consuetudinem ut habetur *extra de Simo. C. Cum in Ecclesiæ Corpore; horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere: Ut pro Episcopis, vel Abbatibus, vel quibuscumque Personis Ecclesiasticis ponendis in Sede, sive introducendis presbyteris in Ecclesia, nec non & pro sepulturis, & Ecclesiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis benedictionibus aliquid requiratur.* Alia pœna est, „ quod Simoniaci hæreticis comparantur, ut patet „ per plura decreta superius allegata. Et 1. *q.* 1. „ dicit B. Gregorius: *Benedictio illi in maledictionem convertitur, quia ad hoc ut fiat hæreticus promovetur* super quo dicit Glos. 1. *qui sic honorem accipit, hæresim incurrit.* Est enim consecutivum & „ non causativum. Et idem Gregorius ibidem. *Quisquis pro pecunia ordinatur, ad hoc ut fiat hæreticus promovetur.* Plures sunt pœnæ Simoniacorum, „ & quasi innumera Capitula ad hæc probanda, quæ „ brevitatis causa omittuntur. Sed aliqui dicunt, „ quod apud Papam est plena potestas, & ideo po- „ test absque vicio Simoniæ vendere ordines & be- „ neficia. Quod Papa non potest contra Jus Divi- „ num, ut *supra in 3. responsione.* De Simonia „ vero habetur *extra de post. C. Cum pridem.* „ Glos. ordi. signata super verbo *Illicitæ pactionis* „ pertractans utrum authoritas Papæ, sive dispen- „ satio aliqua possit excusare a peccato Simoniæ, „ dicit sic: *In his quæ de natura sua sunt Simoniaca, quia in veteri vel novo testamento sunt prohibita, ut vendere Sacramenta, & hujusmodi spiritualia, non excusat authoritas Papæ.* Ergo Papa po- „ test de Simonia accusari 40. *di. C. si Papa* in „ Glos. *in 6. responsione.*

„ Supplicamus igitur omnibus præsentes literas „ inspecturis, ut non tædeat murum nos opponere „ pro Domo Israel, idest pro defensione quæ com- „ munis est omnibus fidelibus 6. *di. C. ubi* nostra. „ Et Jo. Chrysostomus *XI. q. 3. Nolite*, dicit. *Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem pro veritate palam mentientem loquitur; sed etiam ille qui non libere pronunciat veritatem, quam libere pronunciare debet, aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere convenit, proditor est veritatis: Nam sicut Sacerdos debitor est, ut veritatem quam audivit a Deo libere prædicet: Sic laicus debitor est ut veritatem quam audivit a Sacerdotibus prolatam quidem in Scripturis Divinis defendat. Quod si non facit prodit veritatem. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Hieronymus in „ primo Prologo Bibliæ 4. C. Et ponitur 2. *q.* 7. *C. Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest: Et quantum ex vitæ merito Ecclesiam Christi ædificat, tantum sibi nocet si destruentibus non resistat.* „ Ille igitur pro cujus amore, & fide pugnamus, „ qui etiam penuria paupertatis, & afflictione suæ „ Carnis inter nos redemit, faciat nos prædicta „ salubriter intelligere, & operibus exercere. Cui „ cum Patre & Spiritu Sancto in Trinitate per- „ fecta omnis sit laus & gloria in Sæcula Sæcu- „ lorum amen.

# LITTERA

## MINISTRI GENERALIS

### *Missa per Ordinem contra Dominum Joannem Papam XXII.*

„ UNiversis & singulis Ministris, Custodibus Guardianis, Vicariis, cæterisque Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, fidem Catholicam, Sanctum Evangelium, & regulam quam voverunt firmiter tenentibus & volentibus observare; Frater Michael ejusdem Ordinis Generalis Minister, & Servus, salutem & pacem in Domino sempiternam. Christianæ fidei fundamentum & splendor Dominus Jesus Christus, qui in hoc apparuit mundo, ut Diaboli dissolveret opera in Ecclesia Catholica, & Apostolica duo genera salvandorum hominum stabilivit; primum eorum qui per fidem rectam, & mandatorum legis observantiam merentur ad vitam æternam pervenire, de quo in Evangelio dicit; *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: Secundum eorum qui eupientes etiam in consiliis Evangelicis vitam ipsius Domini nostri Jesu Christi, & Apostolorum ejus sequi, perfecte servare Sanctum Evangelium, vivendo sine proprio, & in Castitate promittunt; de qua ipse in Evangelio dicit; *Si vis ad vitam ingredi serva mandata &c. Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me*. Et Sanctus Petrus Apostolus in Persona omnium Apostolorum insinuans se & Apostolos dictum perfectionis mandatum implesse respondit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis*. Quia tria consilia Evangelica Sancta Romana Ecclesia in Sacris Canonibus, & præcipue *Extra de stu. mo. C. cum ad Monasterium & 12. q. 1. C. Dilectissimis, & C. duo sunt, & C. tun. C. scimus. C. Nolo C. Non dicatis. & C. Exiit de verbor. signif.* Et in regul. Sanctorum Augustini, Benedicti, & Francisci per universalem Ecclesiam approbatis, & confirmatis determinat, & diffinit, fore cuilibet religioni perfecte imitanti vitam Christi, & Apostolorum annexa; hinc Doctrinæ Evangelicæ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ quicumque contradictor extiterit, sive eam non crediderit, & fideliter confessus fuerit, absque dubio in æternum peribit: Et ideo ipso facto est excommunicatus, atque damnatus tanquam hæreticus per sententiam Generalis Concilii universalis Ecclesiæ: Quia nec firmiter credit, & confitetur & tenet Doctrinam, quam Christus viam vitæ demonstrando humano generi tribuit salutarem, & quam Sancta Romana Ecclesia firmiter tenet. Sed patet in generali Concilio universalis Ecclesiæ posito *Extra de sum. Trin. & fi. Cathol. C. firmiter. C. de hæreti.* dicitur: *excommunicamus itaque, & anathematizamus omnem hæresim extollentem se adversus hanc Sanctam Orthodoxam, & Catholicam fidem, quam supra exposuimus, condemnantes universos hæreticos quibuscumque nominibus censeantur*. Cum autem certum sit, quod illa salutaris Doctrina, via vitæ, quam Christus humano generi tribuit, & demonstravit, quæ est firmiter tenenda, & confitenda, de qua dicitur in dicto Concilio *C. hæc quoque Sancta Trinitas*, est Doctrina Sacra, in Sancto Evangelio a Christo docta, & in novo Testamento descripta, ut probatur 14. *di. C. si Episcopus*, de qua non est licitum dubitare, vel disceptare, utrum verum sit, & Sanctum, quicquid in ea constiterit esse scriptum; sed quicquid in ea reperitur incunctanter credendum est, ut dicitur 9. *di. C.* 1. & *C. quis nesciat*. Et qui in ipsam sacram Doctrinam Evangelii sive veteris, & novi testamenti impingit, in Articulos fidei: *Credo in Deum Patrem; Credo in Jesum Christum filium ejus*: Tertio in *Spiritum Sanctum, trinum, & unum Deum*, a quo ipsa Doctrina prolata est; Et in Articulum, *Unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*; quæ Doctrinam dictam Evangelii, & Sanctorum Patrum regulas approbavit, evidenter impingit. Et quicumque aliter evangelizat, sive docet quantum evangelizatum est, anathema est; ac a Deo, & ejus Catholica Ecclesia, & Apostolica separetur, Apostolo testante *Gal. licet nos aut Angelus de Cælo evangelizat & vobis præter id quod evangelizatum est, anathema sit*. Et quicumque Sacram Scripturam aliter intelligit quam Spiritus Sanctus a quo prolata est efflagitet hæreticus est censendus, licet corpore ab Ecclesia non recesserit, ut dicitur 24. *q.* 3. *hæresis*: Unde & Papa contra Doctrinam fidei Catholicæ docens sive statuens in sententiam excommunicationis, & privationis incidit ipso facto, & minor est quocumque Catholico, sicut habetur, & notatur 24. *q.* 1. *in princ.* & in Glos. & in *C. Achatius* in Tex. & in Glos. & *in §. si autem, & §. his authoritatibus, & C. dicimus. &* 19. *di. C. hoc autem, & C. quia vero, & C. Anastasius* in Tex. & Glos. Et credentes fautores & defensores ejusdem sunt ipso jure excommunicati, & infames effecti, nec possunt aliquod officium legitimum exercere, nec ex Testamento alterius capere; nec eligere, vel eligi ad officium vel dignitatem, nec ad testimonium aliquod, nec ad hæreditatis alicujus successionem sunt aliquatenus admittendi, ut probatur in *dicto C. Excommunicamus itaque. C. credentes*, & in sequenti *C.* Et ideo almus Christi Confessor, & vitæ ipsius præcipuus imitator Franciscus, ac ejus stigmatibus notabiliter insignitus, Spiritu Sancto dictante prædixit Regulam, & Religionem suam acerrime diffamandam, & quod super eam venirent tentationes immensæ: Et qui fuerint tunc probati accipient Coronam vitæ. Væ autem illis, qui de sola specie religionis confisi tepescent, nec resistent costanter tentationibus ad probationem electorum permissis. Sed quantiscumque tentationibus fuerit dicta Religio ipsius impulsa, salva tamen semper Christi munere permanebit, ut hæc habentur in dictis ipsius Sancti. Ideo factum diebus illis novissimis, ut Jacobus de Caturio, dictus Joannes Papa XXII. qui prius Pontificatus sui anno secundo approbavit, & in Judiciis, & scholis publice legi mandavit Decretalem quæ incipit *Exivi de Paradiso*, sicut patet in Procemio per ipsum facto super novas Constitutiones Clementis Papæ V. in qua Decretali regula Sancti Francisci, quæ est Sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, & in Castitate tanquam forma, & regula vitæ Cælestis, & totali universali Ecclesiæ plurimum fructuosa. Ac declaratio D. Nicolai III. & abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam etiam in Communi tanquam abdicatio ad perfectionem deducens, & altissima paupertas solo Deo contenta approbatur, & commendatur, ac dicta Religio Sancti Francisci pronunciatur Sancta, & muris regularis observantiæ firmiter undique circumclusa. Et etiam idem D. Joannes de Consilio Cardinalium suorum fecit aliam declarationem super dictam regulam, quæ incipit *Quorundam exigit*, In qua pronunciavit Decretalem *Exiit qui seminat* fore salubriter editam, solidam, claram, & lucidam, multaque maturitate digestam, & dictam Religionem S. Francisci sanctam, & de die in diem, de virtute in virtutem ad perfectionem tendere, terrena despiciendo, & cælestia complectendo: Et aliam quæ incipit *Gloriosam*; In qua pronunciavit dictum Ordinem fratrum Minorum ab ipso suæ fundationis exordio dicti Almi Confessoris B. Francisci regulari traditione, & Apostolicæ Sedis Con-

„ fir-

„ firmatione fore in vita, & doctrina solidum, &
„ indissolubili quadam textura Ecclesiæ Catholicæ
„ connexum, fide clarum, spe validum, charitate
„ perfusum, obedientia devotum, velut singulare Ju-
„ bar, sanctitatis Exemplo, vitæ ac doctrinæ verbo
„ per universum Orbem claruisse, & Ecclesiæ de-
„ cori multum utilitatis inclytæ alacritatis plurimum
„ attulisse. Et quosdam Fratres dicti Ordinis, quos
„ dixit in dictas suas declarationes impingere tanquam
„ hæreticos judicavit, prout hæc omnia in dictis
„ Constitutionibus editis per dictum D. Joannem
„ Pontificatus sui anno 2°. plenius & seriosius ex-
„ plicantur. Sed ipse postmodum in reprobum sen-
„ sum datus, & a cupidine divitiarum hujus sæcu-
„ li, quæ teste Evangelio, verbum Dei suffocavit,
„ excæcatus, & sibi ipsi, & dictis suis Constitutio-
„ nibus contradicens, & se ipsum proprio judicio
„ condemnatus, elapso anno 6°. Pontificatus sui,
„ fecit quatuor detestanda statuta hæreticalia mani-
„ feste adversantia fidei Catholicæ, & dictæ Do-
„ ctrinæ Evangelicæ, & Apostolicæ, & Sanctæ
„ Romanæ Ecclesiæ. Quæ statuta per mundum di-
„ vulgavit. Quorum primum incipit *Ad Condito-*
„ *rem Canonum*. In cujus fine scriptum est: *Da-*
„ *tum Avinione Pontificatus nostri anno 7°*. Et se-
„ cundum incipit: *Cum inter nonnullos*: Datum
„ anno 8°. A qua Constitutione, *Ad Conditorem*
„ *Canonum* pro parte dicti Ordinis in præsentia ip-
„ sius D. Joannis & Cardinalium suorum, primo
„ per Fratrem Bonagratiam Procuratorem dicti Or-
„ dinis ad Sanctam Romanam Ecclesiam Catholi-
„ cam extitit appellatum. Tertium incipit: *Quia*
„ *quorundam*: Datum anno 9°. Quartum Statutum,
„ in quo ipse Joannes sui pectoris venenum mani-
„ festius explicat, & evomit: Quod incipit: *Quia*
„ *vir reprobus*: In cujus fine scriptum est: *Datum*
„ *anno* 14. *Pontificatus nostri*. In quibus statutis,
„ sive libellis hæreticalibus publice notorie, & per-
„ tinaciter dogmatizat, quod Christus, & Apostoli
„ in rebus temporalibus, quas Scriptura eos habuisse
„ testatur tam in speciali, quam in Communi pro-
„ prietatem & dominium habuerunt: & quod a se
„ proprietatem, & dominium rerum temporalium
„ nullatenus abdicaverunt, nec illa reliquerunt, nec
„ abdicationem hujusmodi docuerunt, & omnes as-
„ serentes oppositum, fore censendos hæreticos, &
„ sicut hæreticos condemnandos judicat, & diffinit.
„ Et in dicto suo Statuto, sive libello: *Quia vir*
„ *reprobus*, dogmatizare præsumit manifeste, quod
„ Christus in quantum homo ab instanti suæ con-
„ ceptionis habuit ex Dei donatione universale Do-
„ minium omnium rerum temporalium hujus mun-
„ di: Et fuit Dominus, & Rex verus in tempora-
„ libus omnibus: Et nihilominus habuit dominium
„ multarum rerum temporalium non ab instanti con-
„ ceptionis suæ, sed successive modis aliis, utpote
„ ex collatione fidelium vel emptione acquisitarum.
„ Et quod illi dominio & regno nunquam renun-
„ ciavit, nec renunciare potuit, quia fecisset contra
„ ordinationem Patris; de qua in Daniele dicitur.
*Suscitabit Deus Cæli regnum, quod non corrumpe-*
*tur, nec dissipabitur in æternum. Et regnum ejus*
*alteri non tradetur, & potestas ejus æterna, quæ*
*non auferetur*. Et quod carentia dominii non fecit
„ Christum pauperem, sed potius carentia perceptio-
„ nis fructus, & obventionis rerum, quarum erat
„ Dominus, quia se ipsarum rerum, quarum erat
„ Dominus & Rex, fructibus & proventibus nisi
„ in valde paucis non juvabat. Et quod Petrus A-
„ postolus & alii Apostoli Jesu Christi etiam post
„ mortem Christi, & post missionem Spiritus San-
„ cti in eos factam in rebus temporalibus eis con-
„ cessis, sive assignatis habuerunt proprietatem, &
„ dominium tam in speciali, quam in communi.
„ Et quod quilibet ipsorum Apostolorum rerum,
„ quæ eis assignabantur in communitate credentium,
„ de qua dicitur *Act*. 4. *C*. fuit proprietarius, &
„ Dominus. Et quod ipsi Apostoli nunquam emi-
„ serunt votum abdicationis proprietatis, & domi-
„ nii. Et quod votum vovendi sine proprio ad
„ res quas necessario requirit vita humana mini-
„ me se extendit. Et quod Christus nullum mo-
„ dum vivendi in speciali imposuit Apostolis, ni-
„ si sicut cæteris discipulis, per discipulos intelli-
„ gens non tantum septuaginta duos, sed etiam cæ-
„ teros Christianos, qui Christum sequebantur. Quod
„ manifeste patet per ejus verba. In quibus inter di-
„ scipulos de quibus loquitur computat Joseph ab
„ Arimathia, & Lazarum, & Martham, & Mariam
„ Magdalenam, & Dorcham, de quibus manife-
„ stum est quod non fuerunt de 72. Discipulis, sed
„ de turba magna conversorum ad Christum, qui
„ etiam in generali dicebantur Discipuli, ut patet
*Act. XI*. Et insuper dogmatizat, quod Christus, &
„ Apostoli incesserunt calceati. Hæc est Doctrina
„ dicti hæretici in sæpe dicto libello *Quia vir repro-*
*bus* explicite dogmatizata: & in supradicto Statuto,
*Quia quorumdam mentes*, dicit, quod Christus non
„ docuit nec exemplo firmavit non portare pecu-
„ niam. Et quod id quod dicitur in Evangelio:
*Nolite portare pecuniam* non fuit præceptum, sed
„ potestas recipiendi necessaria; unde dicit, quod
„ Apostolis licuit hujusmodi injunctum, sive man-
„ datum non servare, asserens quod Apostoli etiam
„ pecuniam portaverunt post prædicta. Et sic osten-
„ ditur, quod dictus D. Joannes, & omnes fratres
„ in dictis suis erroribus eum sequentes, & scienter,
„ & sponte defendentes incidunt in plures hæreses
„ per universalem Ecclesiam Catholicam, & Apo-
„ stolicam condemnatas. Et primo ostenditur, quod
„ incidunt in damnatam hæresim Vigilantii hæretici
„ damnati, qui incidit, & dixit ac dogmatizavit il-
„ los melius facere, & Christum & Apostolos se-
„ qui perfectius, qui suarum possessionum, & re-
„ rum proprietatem, & dominium retinent, & pau-
„ latim fructus, & proventus earum pauperibus ero-
„ gant, quam illos qui omnibus possessionibus, &
„ rebus omnibus venundatis omnia simul pauperibus
„ largiuntur. Quam hæresim S. Hieronymus Ec-
„ clesiæ Doctor improbat in libro, quem edidit con-
„ tra dictum Vigilantium hæreticum sic dicens: *Quod*
*autem asseris Vigilantius eos melius facere qui utun-*
*tur rebus suis, & paulatim fructus possessionum sua-*
*rum pauperibus dividunt, quam illos, qui possessio-*
*nibus venundatis simul omnia pauperibus largiuntur,*
*non a me, sed a Domino respondebitur. Si vis per-*
*fectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, &*
*da pauperibus, ad eum loquitur, qui cum Apostolis*
*Patrem, naviculam, & rete dimittit*. Quare se-
„ cundum Doctrinam in dictis statutis hæreticalibus
„ per dictum Joannem hæreticum dogmatizatam
„ Christus nunquam verbo, & exemplo docuit ab-
„ dicationem paupertatis, & dominii rerum tempo-
„ ralium, sed totum oppositum, ut superius est
„ ostensum. Et nullus est perfectus nec esse potest,
„ nisi in quantum sequitur Doctrinam Christi, qui
„ fuit fundamentum, & fundator, ac Doctor, &
„ forma, & exemplar omnis perfectionis, & o-
„ mnium perfectorum. Juxta quod dicitur *Math.*
*X. Non est discipulus super Magistrum, nec servus*
*supra Dominum; sufficit Discipulo quod sit sicut*
*magister ejus, & servo si sit sicut Dominus*. Et in
*Luc. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut Ma-*
*gister suus*. Et sic patet, quod per dictam Doctri-
„ nam in dictis statutis hæreticalibus dogmatizatam,
„ quod melius sequuntur Christum, & per conse-
„ quens melius & perfectius faciunt illi, qui sua re-
„ tinent, & in paucis de fructibus possessionum sua-
„ rum se juvant, quam illi, qui proprietatem &
„ dominium omnium rerum temporalium a se abdi-
„ cant, sicut Vigilantius hæreticus asserebat. Se-
„ cundo ostenditur, quod ipse Joannes & dictæ ejus
„ Doctrinæ sequaces incidunt in damnatam hære-
„ sim Joviniani hæretici damnati, qui nullam dif-
„ ferentiam faciens inter præcepta data omnibus Chri-
„ stianis, & consilia data omnibus volentibus esse

„ per-

perfectos dixit, & dogmatizavit, quod quantum ad meritum nulla est differentia inter honestatem conjugalem, vidualem, sive virginalem: Et quod inter abstinentes, & intemperate epulantes nullum est discrimen. De qua hæresi habetur 24. *q. ult.* §. *Secta hæreticorum*, videlicet Jovinianistæ. Quod si verum foret, quod dictus hæreticus in dicto libello, sive statuto suo, quod incipit *quia vir reprobus*, dogmatizat cum dicit, quod Christus nullum modum vivendi specialem imposuit Apostolis, nisi sicut cæteris Christianis, sicut prius deductum est; cum manifestissimum sit, quod Apostoli fuerunt perfectiores omnibus Christianis & exemplar post Christum omnium perfectorum, & majoris meriti, sicut manifeste probat Glos. Ordinaria super illud *ad Rom.* 8. *Nos ipsi primitias spiritus habentes* dicens: *Nos Apostoli qui majores aliis sumus, per hoc quod primitias spiritus habemus, & cæteris abundantius:* hæc Glos. sequitur manifeste, quod Status coniugalis, & Status habentium dominia, & possessiones in merito, & perfectione non differunt a Statu Religiosorum viventium in Castitate & sine proprio: sed ejusdem meriti, sicut dictus Joannes asseruit. Quam hæresim reprobant omnes Doctores Ecclesiæ Catholicæ & Sancti Patres. Sed unam solam authoritatem Augustini sufficiat, quantum ad præsens causa brevitatis adducere, qui in libro de *bono Conjugali* dicit sic: *Bonum Susannæ in Conjugali Castitate laudamus. Sed tamen ei bonum Annæ, ac meritum Mariæ Virginis anteponimus. Bonum erat qui faciebant, qui de substantia Christo, & Apostolis ejus ministrabant. Sed melius qui omnem substantiam dimiserunt ut Christum Deum expeditiores sequerentur*: hæc Augustinus. Per quæ hæreses Joviniani, & Vigilantii, & dicti Joannis hæretici simul confunduntur. Et per ea quæ Sanctus Hieronymus in libris quos edidit contra dictos Jovinianum, & Vigilantium allegat, quæ hic brevitatis causa dimittuntur. Tertio ostenditur quod dictus Joannes, & prædictæ ejus Doctrinæ sequaces incidunt in damnatam hæresim Baldensium, qui bonum, & meritum obedientiæ Sanctæ quod præstatur hominibus propter Deum diffitentur, & abnegant; soli Deo, sive præceptis Dei obediendum esse pertinaciter asserentes: Quia si votum vivendi sine proprio non extendit se ad res quas vita humana necessario requirit, ut dictus Joannes hæreticus dogmatizat, & secundum eum in rebus omnibus usu consumptibilibus non possit separari usus a proprietate: Ita quod quilibet qui habet usum temporalium, habet per consequens proprietatem, ut ipse hæreticus in dicto suo statuto *Ad Conditorem*, & in dicto Libello: *Quia vir reprobus*, dogmatizat: sequitur manifeste, quod religiosi in rebus omnibus usu consumptibilibus, sive ad vitam humanam necessariis eis in singulari concessis, datis, vel oblatis habent proprietatem & dominium, ac liberam secundum eorum voluntatem dispositionem, & quod possunt de eis tanquam de propriis rebus facere quicquid placet, absque voluntate superiorum suorum; cum lege testante, quilibet sit in re propria legitimus moderator, & arbiter. *C. mandati. L. in Re mandata: Et inst. de rerum divisi.* §. *per traditionem, & C. de contra. empti. l. dudum, & 1. q. C. eos*. Omnis enim Dominus qui habet vendit, si vult, & re propria, ac potestate faciendi de ea quod placet, nec privandus sine culpa sua. *L. dictu satis perversum & 16. q. ult. C. Juventum*; & per consequens superiores sive Prælati religiosorum non habent potestatem præcipiendi ipsis subditis suis, quod de talibus rebus aliter faciant, quam ipsis subditis suis videatur, & placeat; nec ipsi subditi tenentur eis obedire in his: Et sic bonum obedientiæ quæ præstatur per religiosos suis superioribus annullatur. Insuper dictus Joannes hæreticus & dictæ suæ doctrinæ sequaces judaizant, & erroribus Judæorum, & sectæ magni Anti-Christi viam præparant, & fomentum. Quia sicut apparet in sæpedicto libello, qui incipit: *Quia vir reprobus*; ipse dicta Danielis Prophetæ, & aliorum Prophetarum loquentium de regno Christi spirituali, & æterno exponit, & intelligit de temporalibus, & mundano regno, probans per ipsa Prophetarum dicta, quod Christus in quantum homo fuit verus Rex, & Dominus in rebus temporalibus. Et Judæi similiter dicta Prophetarum loquentia de regno Christi & Messiæ venturi intelligentes ad literam de regno temporali, & mundano arguunt ex ipsis dictis Prophetarum, quod Christus quem Christiani colunt, non fuit ille verus Christus, & Messias, quem Prophetæ venturum prædicant in scripturis. Quia certum est ex Evangelio quod ipse dominia rerum temporalium hujus mundi non habuit nec obtinuit, imo cum Judæi eum regem facere vellent recusavit, & divitias, & dominia rerum hujus mundi docuit relinquenda; unde ex tali falso intellectu scripturæ Prophetarum Judæi decepti expectant Christum, & Messiam venturum, qui Dominium hujus mundi & regnum obtineat: Et suscipient Anti-Christum, qui ad literam obtinebit universale dominium, & regnum totius mundi, ac divitias temporales suis sequacibus largietur. Ex quo patet, quod secundum dictum hæreticum exponentem, & intelligentem dicta Prophetarum, sicut exponunt, & intelligunt de dominio, & regno hujus mundi paratur via, & fomentum ad sectam Anti-Christi, scilicet ad credendum, quod ille venturus est, & universale dominium hujus mundi & divitias habiturus, & aliis largiturus, sit ille verus Christus & Messias in Prophetis & lege promissus, sicut hæc plene probantur in Libello magistrorum de quo infra dicetur. Prædictus quoque Jacobus hæreticus ultra prædictas hæreses superius specificatas, plures alias damnatas hæreses notorias, & manifestas in dictis suis statutis, & Libellis publice dogmatizat. Quæ seriatim explicantur, & continentur tam in appellatione majori per me adversus dictum Jacobum interjecta, quam in aliis libris allegationum compositis per excellentes magistros in Sacra Pagina, quorum primus incipit. *De Patre impio querantur Filii*. Alius incipit: *Principales hæreses. Tertius quicumque vult salvus esse:* Et rationibus & auctoritatibus divini Juris, & Sanctorum Doctorum Ecclesiæ, ac diffinitionibus Sacrorum Conciliorum Ecclesiæ Catholicæ convincuntur. Quæ omnia præsentibus explicare nimis foret prolixum. Quo circa ne aliquis sub colore ignorantiæ se excusabilem esse prætendat, vobis & cuilibet vestrum districte per obedientiam injungo, quatenus præsentes literas in vestris Conventibus frequenter legi, & exemplari in multis partibus faciatis. Quodque exemplar ipsarum literarum, originali penes vos retento, ad omnes partes, & omnia loca dicti Ordinis vobis subjecta curetis velociter destinare. Et quod etiam apud cæteras personas tam Ecclesiasticas, quam Sæculares prædicta omnia prout securius, & melius per vos fieri poterit publicetis. Ad hoc ut prædicta veritas juxta meum desiderium ad communem omnium notitiam deducatur, & publice prædicetur, ne hæreses, & errores præfati hæretici ab omnibus vere catholicis detestandi animas simplicium decipiant, & involvant, & ad æternam damnationem perducant. Valete in Domino & orate pro relevatione veritatis Doctrinæ Evangelicæ, & Regulæ Almi Confessoris B. Francisci: Et pro me, & Fratribus persecutionem maximam pro defensione hujus veritatis sustinentibus. In quorum omnium testimonium, & fidem præsentes literas fieri feci, & sigilli officii mei munimine roborari. Datum in Monacho quarta Die Mensis Januarii Anno Domini 1335.

AD

## AD SUPERIORA OPUSCULA,

### SEU

### HISTORIAM DE FRATRICELLIS

# ANIMADVERSIO ET DISSERTATIONES

R. P. N. W. O. M. L. T.

*Diu in sua cordis obstinatione post datam die quarta Januarii e Monachio Civitate epistolam* Christianæ fidei fundamentum & splendor *incipientem Vir, tunc reprobus, Michael de Cesena incredibili cum audacia perseveravit; nomen, officium, & jurisdictionem Ministri Generalis totius ordinis Minorum, quamvis ab anno 1329. auctoritate Romani Pontificis, & Capituli generalis Parisiis congregati ab eo munere iure dejectus esset, atque depulsus, sibi temeraria impietate semper adsciscens; donec ad ultimum vitæ suæ terminum anno 1343. deveniens divinæ gratiæ auxilio præventus, cordis duritiem detestatus, suæque pœnitens inobedientiæ, cum Ecclesia reconciliatus, in ejus sinu & pace mortalitatis debitum naturæ persolvit. Hujus hominis ac Sociorum ejus facinora ad Historiæ initium per Fratrem Joannem conscriptæ perperam cum Fratricellorum gestis permisceri videntur, cum nil commune isti cum illis habuerint. Efferbuit quidem Michael contra Joannem, eumque dira impietate sæpe sæpius Hæreticum appellavit, multisque erroribus infectum aut cæca ignorantia, aut studio partium affectus publicavit, nec non ab illius obedientia Schismatica rebellione sese subduxit, sed tamen Romanam Ecclesiam semper veneratus, ejusque fidem perpetuo se profiteri in suis libellis contestabatur, quod Fratricelli non præstabant. Quoniam tamen ex occasione controversiæ circa Christi in terris paupertatem excitatæ inter Joannem Pontificem, & Franciscani Ordinis Alumnos, & nimio, quam par esset, hinc inde ardore defensæ multi fuere Criminatores, qui tam in Romanum Antistitem, quam in S. Francisci Ordinem innumera probra evomuerunt & maledicta, Papam veluti Heterodoxum traducentes & improbum; Franciscanum ordinem tamquam Fratricellianæ hæresis fontem, ideo duabus sequentibus dissertationibus & Joannis Orthodoxiam a Ludovico Bavaro, aliisque impetitam, & Franciscani Ordinis illibatum a Fratricellorum labe candorem vindicabimus.*

## PRO ROMANO PONTIFICE

# JOANNE XXII.

## APOLOGETICA DISSERTATIO.

Quamquam non pauci, nec indocti criminationes, & maledicta in Summum Pontificem Joannem XXII. non solum a Ludovico Bavariæ Duce, & Romanorum electo Imperatore, ejusque fautoribus Okamo, Michaele de Cesena aliisque tunc temporis, sed etiam recentioris ætatis ab aliis vel Catholicæ Professionis juratis hostibus, vel intemperantioris Critices amatoribus invecta (a) repellere, summique Antistitis Orthodoxiam vindicare fategerint, quia tamen impia Ludovici, aliorumque dicteria, in tenebris quidem sepelienda, at iterum lucem videant Historiæ necessitas, rerumque conditiones expostulant, ne in simplicium mentibus quid summo Pontifice minus dignum relinquant, omisso partium studio, pro visibili Ecclesiæ capite Christi Vicario in terris, cui Fratres in fide confirmare præcepit, & ne fides ejus aliquando deficiat rogavit Jesus (b) breviori, qui fieri possit, calamo probra omnia, atque calumnias in summum editas Pastorem repellere, destruere, exterminare conabor.

(a) Apud Beltarm. lib. 4. de Rom. Pont, Cap. 2.

(b) Lucæ Cap. 22.

Duplici ex causa in Joannem invehit Ludovicus; & ob duas constitutiones circa paupertatem Christi, & Apostolorum editas, in quibus altissimæ paupertati, quam Religiosi S. Francisci Regulam profitentes, ad Christi imitationem servare gloriantur, non leviter præjudicium adferre, eamque e medio tollere videbatur; & ob processum, atque depositionis sententiam qua imperio Ludovicus privabatur, pronunciatam, ac excommunicationem in eum latam: Propter hæc ergo Ludovicus appellationem a Pontificis sententia interposuit eumque variis criminibus tam circa mores, quam fidem insimulavit, atque a Pontificia excidisse dignitate impie publicavit, nec non Pseudopontificem Schismaticum tandem eligere atque coronare præsumpsit. Querebatur Ludovicus, quod Joannes Imperii ad se trahere jura tentaret, quod discordiarum, & innoxii Sanguinis effusionis esset amator, quod Processum instituerit, ac sententiam, inaudita parte, quia non fuit præsens, nec per contumaciam absens, contra juris ordinem, & sacrorum canonum institutiones pronunciaverit, quod hæreticos & patarenos, varios Italiæ populos, eo quod Imperio essent addicti, existimaret, suosque Legatos minus honeste dimiserit.

Bavari querimonias non dixerim, sed patentes potius, ac procaces calumnias facillimum erit exsufflare, si istius Pontificis gesta, quorum monumenta ex Epistolis ab eo datis, atque a Doctissimo Raynaldo relatis desumantur, tantisper perlustrare non pigeat. Ex illis fit palam, quod elapso vix ab hujus Pontificis electione anno, totus in componendis dissidiis, in bellis totam ferme Europam crudeliter grassanti-

bus

bus sedandis extitit intentus: ita testantur ejus Epistolæ ad Fridericum Trinacriæ, atque ad Robertum Siciliæ Reges; nec non ad eosdem, pacis instituendæ causa, suorum Legatorum expeditio anno Christi 1317. Eodem pariter anno ad Ferrarienses, qui ab Ecclesiæ Dominatu ad Estenses Marchiones desecerant, Episcopos Bononiensem, & Aretinum ut animum demulcerent Rebellium misit, ac Censuris Ecclesiæ pertinacium obstinationem infringerent. Quid pro componenda Gallia Cisalpina in duplicem distracta factionem Guelfam scilicet, & Ghibellinam, ut ad pacem reduceret & unitatem intentatum reliquit? Eo Bertrandum de Turre Franciscani Osdinis, & Bernardum Guidonis Dominicanum veluti pacis Nuntios misit; ad Italiæ Principes hortatorias dedit litteras ut monitis atque consiliis suorum Legatorum dignarentur obtemperare. Hoc eodem se gessit modo Summus Pontifex cum Ildephonso Portugalliæ Principe, qui a suo Patre Rege Dionysio rebellaverat, & in eum bellum commiserat; omne enim studium ut ad pacem perduceret & unitatem apposuit censuris Ecclesiasticis compellens, illisque subiiciens quoscumque in Dionysium aliquid attentare molientes. Bellum ut extingueret inter Adoardum Angliæ Regem, & Robertum Bruseium Scotiæ Regnum detinentem exortum, eosque ad pacem reduceret summam adhibuisse diligentiam Ecclesiasticæ testantur historiæ. Qua cura, quave sit usus diligentia ut dissidia inter Philippum Franciæ Regem, ac Robertum Flandriæ Comitem componeret, eorumque animos ad pacem reduceret atque tranquillitatem, tam Legati ad eos missi palam faciunt, quam ad pacem inter eos perpetuo stabiliendam, & postquam fuit obtenta, ad eam confirmandam, Pontificis Epistolæ ad Philippum Regem, ad Joannam Reginam, ad Robertum Comitem, aliosque Principes datæ satis convincunt. Hæc cum ita sint, cumque hisce alia similia, & quidem innumera, pro statuenda inter Principes pace, concordia servanda, quæ causa brevitatis omittuntur atque apud Raynaldum

(a) Raynald. ad annum Christi 1317. & sequent. Spondanus & Alii.

videri possunt (a) cæterosque Ecclesiasticorum Annalium scriptores, patraverit Joannes toto vitæ suæ tempore; qua fronte, pacis amatorem eximium, bellorum inimicum acerrimum, concordiæ inter Catholicos Principes fautorem insignem Joannem Papam XXII. cujus vita in componendis discordiis videtur consumpta; dissidiorum, & innoxii sanguinis effusionis amantem Ludovicus Imperator electus appellat? Veritatis cultores utriusque causam judicent.

Imperii autem jura quod trahere ad se non tentaverit iste Pontifex, sed tantummodo quam eo temporis jurisdictionem possidebat Ecclesia, defendere conaretur, fatebitur quisque ad illius ætatis consuetudines animum tantisper intendens. Lex erat ab Innocentio III. præscripta, quæ Tit. 6. Lib. 1. decret. Cap. *Venerabilem* refertur, in qua cautum est tanquam certum ab immemorabili consuetudine atque exemplis firmatum, quod ad Romanum Pontificem declarare spectaret, quisnam verus esset Imperator, cum duos in eligentium discordia & divisione ad imperatoriam dignitatem evehi contingeret; cum ergo notorium esset ac manifestum quod electio Ludovici Bavariæ ducis in Eligentium discordia habita esset, eo quod eidem suffragati siquidem fuerint Moguntinus, & Trevirensis Archiepiscopi, Rex Bohemiæ, & Waldemarus Brandeburgensis Marchio, non tamen per se, sed per nuncium, qui mandati fines præteriens, præter sui Domini sententiam in Ludovicum contulit votum, ut

(b) Coquæus in Apolog. pro Rom. Pont. in Antidot. contra Progress. Sum. 57. Tom. 2.

referunt nonnulli (b). Alia ex parte, pro Friderico Austriæ Duce Coloniensis Archiepiscopus, Rodulphus Bavariæ Dux, Rheni Palatinus, & Rodulphus Saxoniæ cum suis votis firmiter steterunt. Uterque electus ad Romanum Pontificem pro confirmatione & coronatione dedit Epistolas, sed neutrum Joannes voluit confirmare, cum utriusque causam per viam juris esse examinandam responderit, atque tandem pro veritate sententiam & pro justitia esse proferendam. Epistolarum Ludovici & Friderici ad Joannem Pontificem Chronicon Germanicum meminit his verbis apud Coquæum (c)

(c) Coquæus loco citato.

,, Cum primum audivit Ludovicus esse Pontificem electum mittit Avinionem Legatos cum muneribus & promissis amplissimis confirmationem petens a Joanne XXII. Pontifice Maximo. Pontifex vero causis redditis recusavit. Quod ubi audivit Fridericus negatum adversario Pontificemque parum æquum Ludovico ob delicta quædam, mittit statim Avenionem Legatos subiiciens se & suum imperium S. Sedi Apostolicæ, juraturumque pollicetur se nunquam a sententia Pontificis discessurum: Pontifex non negat illi confirmationem, sed differt nescio quam ob causam. Rediere Legati bonam spem afferunt de confirmatione, sed nihil certi ,,. Bellum interim Ludovicum inter atque Fridericum & quidem inextinguibile grassabatur, omnibus Germaniæ populis unius, aut alterius electi Imperatoris partes defendentibus, donec circa finem mensis Septembris anni 1322. victus a Bavaro Fridericus atque in ejus potestatem perductus, suum jus in Imperium cedere, omniaque instrumenta & literas quibus sua fulciri poterat electio in Ludovici manus deponere compulsus est. Scripsit interim Ludovicus ad Joannem ut coronationem acciperet, cui Summus Antistes ut clementiam in Fridericum ostenderet respondit; eorum autem causam per viam juris agnoscere, ac tandem pro justitia definire paratus erat. Hoc multoties repetiit Romanus Pontifex, sed neque precibus Ludovicus cedens, armis sua voluit jura defendere, ut refert Villanius (d).

(d) Joann. Villani Lib. 9. Cap. 219. & 271.

Quinimmo ob victoriam illam Ludovicus superbiens Romanum Præsulem aspernari cœpit, ac adversus eum Leopoldum Austriæ Ducem concitare tentavit, plurium errorum eumdem inculans; a quibus facillime se defendit calumniis Joannes, ut ejus litteræ apud Raynaldum testantur (e).

(e) Raynald. ad annum Christi 1324.

(f) Krantzius Lib. 9. Saxoniæ Cap. 8.

Alia etiam attentavit, quæ nec sui erant officii, neque potestatis ut refert Krantzius (f) ,, Ex elatus victoria Ludovicus pro Rege illico se gessit, multa disponens, quæ confirmatum coronatumque decuit Romani Pontificis judicio, consilioque subiicere ,,

Quænam vero fuerint a Ludovico commissa facinora, incertum est: si præsertim de iis loqui velimus, per quæ motus est Romanus Pontifex ad excommunicationis sententiam in eum pronunciandam; referentibus nonnullis quod juramentum violaverit, quo se obstrinxerat ecclesiæ jura defendere atque in Ecclesiæ hostes semper irruere, cum postea Vicecomites Mediolanenses ab Ecclesia tanquam hæreticos & rebelles excommunicatos adiuvare non erubuerit; alteram reddit causam Trithemius (g) latæ in eum excommunicationis

(g) Trithem. in Chronico Hirsaug. ann. 1324.

,, Ludovicus Imperator cupiens dilatare dominium suum uxorem cujusdam viri potentis violenter abstulit, eamque Othoni filio suo Brandeburgensi Marchioni matrimonio cum pompa & solemnitate copulavit, viro ejus, cum quo vixerat matrimonialiter annos undecim, reclamante, & auxilium summi Pontificis licet frustra, invocante: dicebat enim Imperator inter eum, & illam impedimentum extare consanguinitatis. Sed alia eum causa movebat, scilicet desiderium habendi dominium Ducatus Carinthiæ & Tirolis, quod ad ipsam mulierem jure hæreditario fuerat revolutum. Unde commotus Papa Joannes XXII. tanta iniquitate scripsit Ludovico multis vicibus rogando, monendo, & comminando quatenus uxorem viro suo restitueret, & pro corona imperii suscipienda ad se Avenionem veniret. Sed Imperator Papam contemnens nec mulierem viro suo restituit, nec venire in Galliam commisit. Quam ob causam iratus Pontifex nimioque furore non iniuste commotus ei communionem Ecclesiæ interdixit, & variis censuris eum publice damnavit ,,. Quæ a Trithemio referuntur de Ludovico, consentire cum iis

quæ

quæ scripsit Krantzius videntur omnino. Quid ergo mirum si Summus Antistes in sacrilegum, in hæreticorum fautorem, processum instituit, atque imperii administrationem interdixit die 8. Octobris anni 1323. sub gravissimis censuris? Quam Pontificis sententiam postquam Ludovicus audivit nuncios ad eum misit inducias expostulans ut majori cum otio rem suam peragere posset: his auditis Romanus Præsul die 2. Januarii anni 1324. duorum mensium concessit spatium, intra quos coram Apostolica sede causam suæ electionis aliasque differentias tractare deberet Ludovicus. Sed quid æquitas cum iniquitate? quid veritas cum elatione juvare potest? Offensionem in se factam a Pontifice ob temporis brevitatem simulans, nedum Pontificis acquievit judicio, ut par erat, sed aperta facie arma pro Vicecomitibus Mediolanensibus, atque Marchionibus Estensibus suscepit, quamvis palam hæretici illi, Ecclesiæ rebelles isti fuissent denunciati, & adversus eos pugnaturum Sacramento antea spopondisset Dux Bavariæ. Varia ad eum monita, variæ exhortationes factæ sunt a Romano Pontifice, sed in obstinatione persistentem compulsus tandem est Joannes deponere a quocumque jure per electionem in imperium acquisito, & ejus subditos a fidelitatis juramento absolvere, vetans omnibus Christifidelibus ne illi obtemperarent, atque cum eo communicarent.

Dicat modo Ludovicus, dicant alii quilibet Pontificiæ auctoritatis inimici atque Schismatis amatores injuste in Ludovicum processisse Joannem; dicant eum inaudita parte contra juris ordinem condemnasse, atque deponendi nullam habuisse auctoritatem: Ludovicus ipse a Romano Pontifice se in imperio esse confirmandum fatebatur; hoc enim ab ipso Joanne ut fieret, postulavit; ita faciendum tunc temporis & consuetudo, & lex Ecclesiastica testabantur, quemadmodum etiam quod ad Pontificem Electorum in discurdia causam cognoscere pertineret. Non ergo aliquid novi attentare præsumpsit Joannes tam de electione definire volens Ludovici, quam ipsum ab imperio deponens; hoc enim antea gesserant in causa Lotharii & Conradi in discordia electorum Innocentius II. & in causa Philippi Sueviæ Ducis, & Othonis cum discordia pariter electorum Innocentius III. ille enim Lotharium, iste Othonem confirmavit, & corona insignivit: Hæreticos autem, aut Hæreticorum fautores alios depositos fuisse a sua dignitate Imperatores gesta Innocentii III. & Honorii Romanorum Pontificum palam testantur. Quod ergo tunc temporis Pontifex gessit Joannes nec novum fuit nec inauditum, sed quod a se faciendum esse credebat, hoc fecit; quamvis diversimode nostra hac tempestate de Pontificis auctoritate disputetur.

Verum Joannis XXII. summam æquitatem summamque justitiam inter omnia, quæ adduximus, argumenta, ejus responsum ad Principes Alamanniæ datum evidenter demonstrat; cum itaque isti Avenionem nuncios misissent anno 1325. rogantes ut Fridericum Austriæ antea cum Ludovico Bavariæ electum in discordia Imperatorem confirmaret; nondum esse illius causam aperte discussam, atque in judicio propositam respondit Joannes, adeoque prius examinandam esse, ac secundum leges, & jura sententiam daturum promisit; ita refert Raynaldus ad annum Christi 1325. Qui ergo propensionem Joannis in Fridericum cognovit & hanc pro eo responsionem audivit necessario compulsus fuit optimum de eo judicium statuere.

Verum grati simus Romani Pontificis adversariis: non falsæ criminationes sint, & maledicta quæ adversus Joannis mores impegit Ludovicus; nunquid propterea a Pontificia dignitate ob morum personæ suæ perversitatem excidisse dicetur? Quis nisi hæreseos, aut summæ inscitiæ labe conspersus privata seu personalia delicta Pontificis dignitatem, aut jurisdictionem perimere fatebitur unquam? solum ergo hæresis & quidem publicæ crimen, sola falsitas doctrinæ, quam ex Cathedra doceat, eamque amplecti fideles compellat Romanus Pontifex (quod nec unquam contigit, nec contingere posse credo) sunt, quæ a Petri cathedra illum deicere possunt. Hujuscemodi crimen etiam in Joanne XXII. se adinvenisse gloriabatur Ludovicus occasione illarum constitutionum, quas superius recensuimus, sed perperam, sed inepte, & imperite hunc nævum impegit Romano Pontifici, qui levissimo halitu exsufflatur.

Causam, & rationes, quibus permotus summus Antistes Constitutionem, *Ad conditorem*, & alteram *Inter nonnullos* ediderit satis exponit Frater Joannes Ordinis Minorum, quamvis minus accurate Michaelem de Cesena aliosque ejusdem Ordinis Alumnos cum Fratricellis hæreticis confundat atque permisceat; cum evidenter constet sententiam istorum longe diversam fuisse a Fratricellorum errore, nullaque hæresis labe fuisse conspersos Minoritas, quamvis non ea, qua par erat, reverentia, & humilitate coram Pontifice suam opinionem, atque declarationem Perusii factam propugnaverint; condemnamus proinde eos tanquam audaces atque inobedientes, sed ab omni hæresi immunes fuisse opinamur. Verum ab ista criminatione prius abstergamus Joannem, cujus orthodoxia in universalis Ecclesiæ decus redundat.

Notatur a Ludovico Bavariæ summus Præsul hæreseos, quia in Bulla *Ad conditorem* asseruit non majoris esse perfectionis altissimam Minorum Fratrum paupertatem, quam sit paupertas aliorum Mendicantium Religiosorum; quod contradicit definitionibus prædecessorum Pontificum & præsertim Nicolai III. quod usus facti in rebus ipso usu consumptibilibus sit inseparabilis a Dominio; & quod tandem definierit hæreticum esse pertinaciter asserere Christum, ejusque Apostolos nihil omnino in communi, vel in particulari possedisse; ut constat ex Bulla *Inter nonnullos*, cujus oppositum definierat Nicolaus in sua Constitutione *Exiit*. Verum nil contrarietatis in hisce constitutionibus contineri circa catholicum dogma insignes Theologi demonstrarunt (*a*), iis omissis Auctoribus, qui perperam tamen, ajunt Joannem per modum disputandi non definiendi in suis constitutionibus fuisse loquutum (*b*). Nos tamen ex verbis earumdem Constitutionum ostendemus evidenter quam facile invicem concilientur tam definitiones Nicolai III. quam Joannis XXII. Si ea secernamus & distinguamus, ut jam animadvertit Bellarminus (*c*) quæ Dogmata Fidei respiciunt, ab iis, quæ ex principiis vel Moralis Philosophiæ, vel Scholasticæ Theologiæ derivantur. Triplex ergo invenitur quæstio ab Joanne discussa; prima; An Religiosorum S. Francisci paupertas sit perfectioni magis idonea quam paupertas aliorum Mendicantium Regularium? secunda; An in rebus usu consumptibilibus Dominium ab ipso usu sit separabile? tertia; An pertinaciter asserere Christum ejusque Apostolos nihil omnino in commune, vel particulari, jure possedisse, sed solum facti usum habuisse sit hæreticum? Sola hæc ultima quæstio Fidem Catholicam respicit; & in hujus resolutione Romanos Pontifices Nicolaum III. & Joannem XXII. nil contradictionis habere hoc pacto demonstramus.

(*a*) Joannes de Turrecremata & alii inferius videndi.
(*b*) Molina de Iustitia & Iure Tract. 2 disp. 6. n. 6.
(*c*) Bellarm. Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 14

Summus Pontifex Nicolaus III. ita scribit in sua Constitutione „ Sunt illius Sanctæ Regulæ Professo-
„ res (Religiosi Franciscani), quæ evangelico fun-
„ datur eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo;
„ Fundatoris Militantis Ecclesiæ, Apostolorum ejus
„ Sermonibus actibusque firmatur. Hæc est apud
„ Deum & Patrem munda & Immaculata Religio,
„ quæ descendens a Patre luminum per ejus Fi-
„ lium exempláriter, & verbaliter Apostolis tradita,
„ & deinde per Spiritum Sanctum Beato Franci-
„ sco, & eum sequentibus inspirata, totius in se
„ quasi continet testimonium Trinitatis = Inferius au-
„ tem §. *Porro cum ipsa* subiungit = „ Dicimus quod
„ abdi-

„ abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum „ non tam in speciali, quam in communi propter „ Deum meritoria est & Sancta, *quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit*, quamque primi fundatores Militantis „ Ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserant volentes „ perfecte vivere per doctrinæ ac vitæ exempla in „ eos derivarunt „ = Postquam hæc scripsit Nicolaus III. aliqua in eadem subiungit Constitutione, quæ manifeste indicant ea mente Nicolai Christum aliquando nonnulla possedisse; inquit enim „ Nec his „ (quæ dixit de paupertate Christi) quisquam putet „ obsistere quod interdum dicitur Christus loculos „ habuisse: Nam sic ipse Christus cujus perfecta „ sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus „ condescendens, & viam perfectionis extolleret, „ & imperfectorum infirmas semitas non damnaret; „ sic infirmorum personam Christus suscepit in lo„ culis.... egit namque Christus, & docuit opera „ perfectionis, egit etiam infirma, sicut interdum „ & in fuga patet, & in loculis, sed utrumque per„ fecte perfectus existens, ut perfectis & imperfectis „ se viam salutis ostenderet, qui utrosque salvare „ venerat, qui tandem mori voluit pro utrisque „. Quo sensu imperfecti dicantur illi pro quibus loculos dicitur habuisse Redemptor noster, ne nimii simus in hac nostra Apologia, videantur S. Bonaventura in Cap. 4. Regulæ Fratrum Minorum, Hugo de S. Victore in Psal. 91. Cap. 64. S. Augustinus Concion. 3. circa medium in Psalm. 103. Cajetanus in 2. 2. q. 188. articulo 7. §. 2.

Duo nobis ex Nicolai verbis occurrunt notanda, Christum scilicet & verbis, & exemplis abdicationem totalem nedum in particulari, sed etiam in communi suos Apostolos docuisse; & tamen aliquando loculos habuisse: ex quibus necessario in vita Salvatoris nostri diversæ sunt temporum differentiæ contemplandæ; aliquando etenim Christus se gessit ut princeps & caput atque magister universalis Ecclesiæ, in qua perfecti continentur & infirmi inveniuntur; & tunc ea docuit, & fecit perfecte quidem, quæ omnium hominum conditionibus erant necessaria; quandoque vero ut altissimæ perfectionis incessit magister, & tunc evangelica posuit consilia, aliaque gessit opera infirmis quidem & imbecillis perdifficilia, perfectis autem, atque per gratiæ Divinæ auxilium robustis accommodatissima. Perfectionis ergo, non universalis Ecclesiæ fungebatur magisterio Redemptor noster dum abdicationem totalem rerum temporalium adhibuit; Non quod semper Magister Ecclesiæ non extiterit Christus, sed quatenus non quælibet perfectionis consilia ab universis Ecclesiæ filiis essent observanda: his cognitis temporum diversitatibus, ut ita dicam, in vita Christi, evidenter convincitur nil contradictionis in Constitutionibus Nicolai III. & Joannis XXII. posse adinveniri. Joannes etenim tanquam hæreticum condemnavit asserere quod Christus ejusque Apostoli nihil in particulari, vel in communi possederunt, & hæc definitio verissima est si ad quamcumque temporis differentiam assertio illa respiceret in vita Christi, quasi scilicet Christus nunquam aliquid possederit toto vitæ suæ tempore; hoc enim contradicit clarissimis Scripturæ Divinæ textibus adeoque hæreticum est, & in hoc sensu fuisse loquutum Joannem ejus generalissima definitio in Bulla *Inter nonnullos* apposita testatur.

Sed Nicolaus etiam cognovit peroptime Christum aliquando possedisse ut in sua decretali testatur, proindeque & ipse damnaret asserentem quod Christus nunquam possederit aliquid; hoc ipsum statuerunt Franciscani Ordinis Patres in generali capitulo congregati Perusii anno 1322. cum a Pontifice Joanne eorum sententia de Christi paupertate fuit requisita. Scripserunt videlicet juxta formulam Nicolai III. „ Dicimus & fatemur concorditer, quod asserere, „ quod Christus viam perfectionis ostendens, & A„ postoli eamdem viam perfectionis sequentes & in „ volentes perfecte vivere derivantes, nihil jure „ proprietatis dominii, seu juris proprii in speciali, „ vel in communi habuerint, non est hæreticum, „ sed sanum, Catholicum, & fidele „. Non ergo pro quocumque tempore Christum omni proprietatis jure privatum asseruerunt, quod hæreticum esset, ut definit Joannes XXII. sed cum viam perfectionis ostendit, quod Catholicum est, ut definierat Nicolaus III. En ergo quam facile conciliantur definitiones Nicolai III. & Joannis XXII. circa Christi paupertatem, quas invicem contradictorias & Ludovicus Bavariæ Dux, aliique hæretici & Critici demonstrare conati sunt frustra. Viros quosdam in suis scriptis tam P. Bonagratia de Pargamo, quam F. Joannes Ordinis Minorum hujus historiæ compilator quod asperserint adversus Pontificem Joannem ex male intellecta Præsulis mente & ex nimio partium suarum affectu negari non potest, proindeque eorum audaciam condemnamus, quia majori humilitate, reverentia, & obsequio cum Christi Vicario est procedendum; pacato etenim animo si ad examen controversia perducta foret, atque pro utraque parte rationes intellectæ, non tot calamitatibus, dissidiis, ac contumeliis Franciscanus Ordo, & Joannes Pontifex subiecti essent. Vivit Dominus tamen ad gregis sui, & Ecclesiæ Catholicæ custodiam, proindeque Catholica fides hinc & utrinque inviolata permansit. Si quis autem diligentiorem concordiam illarum constitutionum requirat, eam apud Joannem de Turrecremata in summa de Ecclesia Lib. 2. Cap. 112. solut. ad 10. & ex eo, apud Melchiorem Canum Lib. 6. de Locis Theol. Cap. 8. ad sextum argumentum, nec non apud Bellarminum Lib. 4. de Roman. Pontifice Cap. 14. adinveniet; Nos interim ne arbitrarium videamur apposuisse conciliationem, ea quæ scripsit Franciscus Pegna in secundam partem Directorii Inquisit. Comment. 42. subiungemus. „ Quoniam Christus ut ex „ contextibus Evangeliorum, & SS. Patrum exposi„ tionibus colligitur duas paupertates ordinavit con„ gruentes diversis statibus perfectorum, primam „ illis competentem qui prædicaturi mittendi erant „ in Judæam ad annunciandum Regis adventum, & „ hæc paupertas nihil proprium habere permitte„ bat nec in speciali, nec in communi de qua in„ telligitur illud Matthæi 10. „ *Nolite possidere aurum nec argentum*„ Altera fuit paupertas illis compe„ tens, qui sibi erant mansuri in congregatione, cujus „ proprium est nihil habere in particulari, bene ta„ men in communi, de qua Actorum. 4. dicitur„ *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia*„ Utranque igitur pau„ pertatem Christus habuit. Quodam enim tempo„ re primam tenuit nihil penitus habens, nec in par„ ticulari nec in communi, sed illis vescebatur, quæ „ sibi a piis offerebantur, qui ipsum sequebantur; de „ quo Lucæ Cap. 8. extat exemplum. Secundam „ paupertatem approbavit verbo & exemplo, Lucæ „ 22. cum dixit „ *Quando misi vos sine pera & calceamentis nunquid aliquid defuit vobis?* „ Pri„ mam igitur paupertatem intuitus Nicolaus Pon„ tifex, Christum omnia abdicasse & in communi „ & in particulari asseruit; sed & præterea conce„ dit Christum aliqua in communi aliquando ha„ buisse.... Secundam respiciens Joannes XXII. „ Scripturæ Sacræ repugnare decrevit, & hæreti„ cum esse dixit asserere Christum & Apostolos „ nihil in communi aut in particulari habuisse, sic„ que sibi facile conciliantur „. Demonstratam igitur remanet evidenter nullum in Nicolai, & Joannis Pontificum constitutionibus locum habuisse spiritum mendacii respectu definitionum dogma catholicæ fidei respicientium.

Quantum vero ad alteram quæstionem de majore perfectione ex altissima paupertate descendente, fatetur Joannes a suis Prædecessoribus judicatum fuisse quod totalis illa rerum temporalium abdicatio ad

evan-

evangelicæ perfectionis acquisitionem facilius perducebat; sed attento usu, quem circa res sibi necessarias Fratres minores adhibebant, nihil eisdem hujusmodi abdicatio prodesse poterat. Hoc tamen falsum omnino erat, atque errore facti decipiebatur Joannes, falsisque rumoribus, atque opinionis præventione ducebatur; in quæstionibus autem facti, quæ ab hominum testimonio dependent, si cum iure permixtæ non sint, decipi posse Romanum Pontificem ultro fatentur catholici omnes: cæterum in paupertate majore, vel minore evangelicam perfectionem non consistere, nisi ex majore paupertate, finis principalis alicujus Religiosi Instituti sit expectandus, concedimus nos ipsi, cum paupertas sit medium ad perfectionem, non autem ipsa perfectio, ut docet S. Thomas (a). Sed tamen in majori rerum sæculi abrenunciatione majorem virtutem contineri, atque magis proportionatum esse pro fine, nempe pro perfectione consequenda medium, evidenter demonstravit S. Bonaventura in sua Pauperum Apologia, in qua omnes etiam criminationes retundit, quæ in Christi paupertatem altissimam fuerunt jactatæ. Penes ergo duo illa Ecclesiæ lumina S. Thomam, & S. Bonaventuram locis laudatis quæ de paupertatis perfectione dici possunt, cum legi queant, non est cur in iis immoremur ulterius.

(a) S. Thomas 2. 2. q. 181. a. 7.

Tertia tandem quæstio est in qua usus facti, a Dominio, in rebus præsertim, quæ usu consumuntur an sit distinctus quærebatur; sententiæ negativæ adhæsit Joannes, sed eam disputando defendit, non autem tanquam fidei Dogma definivit; Joannis autem argumenta solide in *Forma appellationis* per Patrem Bonagratiam de Pargamo refutata sunt, & ante eum Theologi ordinis S. Francisci communiter, sed præsertim S. Bonaventura in Apologia Pauperum Respons. 4. secundo Cap. hinc Martinus V. anno 1428. extravagantem Joannis *Ad Conditorem* expresse & solemniter revocavit per Constitutionem *Amabiles fructus* incipientem, Syndicos Apostolicos iterum instituit, & eum ea facultatis amplitudine, qua erant a Martino IV. instituti; ex qua convincitur quod Joannes vel partium studio nimis affectus, vel propriæ opinioni abundanter indulgens non satis apte argumentabatur Dominium distingui non posse ab usu in rebus illis, quæ ipsomet usu consumuntur. Verum hæc controversia mere Scholastica tunc erat, neque Fidei catholicæ dogmata respiciebat, proindeque Visibile Caput Ecclesiæ tunc temporis non defecit, sed firmum semper in ea fide permansit, a qua ne desciceret Salvator Jesus oravit. Michael autem de Cesena, Guilielmus Ockamus, & Bonagratia de Pargamo insipienter omnino a Romani Pontificis obedientia ad Ludovicum excommunicatione ligatum accesserunt, impie etiam & iniuste adversus Joannem Ochamus præsertim scripsit, ello in pace Ecclesiæ, & cum reconciliatione, atque a Censuris absolutione omnes obierint, nullamque cum Fratricellorum errore partem habuerint, quidquid in oppositum ordinis sancti Francisci obtrectatores conscripserint, ut in altero loco demonstrabitur.

# PRO ORDINE MINORUM

# S. FRANCISCI

## APOLOGETICA DISSERTATIO

### *In qua de Fratricellorum origine, & Auctore.*

CUm nonnullæ ad initium ferme Minoritici ordinis S. Francisci subortæ essent inter ejus Alumnos dubietates, ab anno videlicet millesimo circiter ducentesimo quadragesimo circa obligationem paupertatis altissimæ, quam gloriabantur Religiosi illi per votum solemne profiteri, sæpe sæpius ad veritatis Magistram, nempe Apostolicam Sedem confugerant, ut dubia resolveret, ac conscientiæ paci, & tranquillitati succurreret; quod & benigne ac misericorditer per Pontificias declarationes super prædicta S. Francisci Regula pluries noscimus factum, præsertim a Nicolao III. Clemente V. aliisque Romanis Pontificibus, donec ab Joanne XXII. edita fuit Constitutio incipiens: *Quorundam:* per quam facultas conceditur superioribus ordinis determinandi de vestimentis Religiosorum; atque servari posse citra Regulæ transgressionem triticum, & vinum in Conventibus pro victu Fratribus necessario declaravit. Hujuscemodi Constitutioni, nonnulli imprudentes Zelatores refragari sunt ausi, existimantes eam puritati Seraphicæ Regulæ esse oppositam, ac propterea nullo modo attendendam; quinimmo cum in capite primo dictæ Regulæ legatur: *Hæc est Regula & vita Fratrum minorum, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate*; unum & idem esse Christi Evangelium solvere, ac super Regulam S. Francisci dispensationem concedere arbitrabantur insipienter: Horum temeritate permotus Summus Pontifex Joannes alias edidit constitutiones, quæ fuerunt in causa cur tot contentiones, & dissidia inter ipsum Joannem, & Michaelem de Cesena, aliosque nonnullos Seraphicæ Religionis Alumnos sint excitatæ. Cum autem hoc eodem tempore in Dei Ecclesia Fratricellorum seu Beguardorum secta iterum invalesceret, quæ per constitutiones plurium Summorum Pontificum Joannis XXII. prædecessorum jam extincta ferme erat, nec non per ipsum Joannem in Constitutione *Sancta Romana* iterum damnata fuit; multi scriptorum hanc Fratricellorum colluviem ex Franciscano ordine derivatam crediderunt, ex paucis videlicet illis improbis paupertatis zelatoribus, qui cum nonnullis ex Narbona, & aliis ex Tusciæ Provincia in Siciliam fugerunt, ut ab Joannis Papæ, & Ordinis superiorum obedientia sese subducerent, ibidemque Henricum de Ceva illegitime & invalide in suum superiorem elegerunt. Varii statim errores eisdem Apostatis fuerunt impositi, quamvis in hoc uno solum deciperentur quod Regula S. Francisci esset indispensabilis, quia esse credebant ipsum Evangelium, & quod Joannis Constitutiones invalidæ essent, & illicitæ; nihilque aliud in eis subodorare potuit Lucas Wadingus, qui singulis annis eorum gesta est perscrutatus diligentissime: nihilque aliud invenit in quatuor illis Religiosis Michael Monachus Inquisitor, quos brachio tradidit sæculari comburendos, ut constat ex ejus sententia apud Baluzium in *Miscellan. Tom. 2. edit. Lucanæ pag.* 248.

Quia tamen Fratricelli, seu Beguardi in Viennensi Concilio sub Clemente V. damnati jam fuerant; eorum errores ex scriptis Petri Joannis Olivi, quem Fratricellorum Antesignanum volunt Eimericus 2. p. Director. Inquis. S. Antoninus in Chronico part. 3. tit. 24. cap. 9. §. 11. Bzovius ad annum 1324. deprompros esse opinantur; quod & Michael Monachus apud Baluzium *ibidem* asseruit de erroribus quatuor illorum Fratrum damnatorum. Jordanus histori-

storicus in quodam manuscripto Fratricellorum principium a Petro de Forosempronio, & a Petro de Macerata Ordinis Minorum Apostatis desumendum esse credidit; cui Natalis Alexander in sua Ecclesiastica historia Tom. 8. pag. 97. editionis Lucanæ, Graveson Tom. 4. pag. 83. præbuerunt assensum, quamvis pagina 87. ejusdem Tomi innixus Jordani testimonio Angelum Clarenum Fratricellorum signiferum appellat, quod & Eimericus etiam adfirmavit.

Admodum diversa est aliorum scriptorum opinio de Fratricellorum origine seu Auctore; Nicolaus Sanderus in primis Lib. 7. de visibili Monarchia hæresi 160. Jacobum Justum, & Bononatum; Prateolus in Elencho verbo *Pseudo-Apostoli* Gerardum Sagarelli Parmensem; Wadingus Tom. 6. Annal. pag. 286. Hermannum Pongilupum; Genebrardus tandem Dulcinum Novariensem, ejusque scortum Margaritam tanquam Fratricellorum Auctores agnoscunt. Verum longe remotius hujus pestis principium esse inquirendum opinamur, quamvis istos omnes veluti restauratores nefariæ sectæ indicemus.

Monitos tamen volo Legentes, duo veluti Fratricellorum agmina ab aliquibus scriptorum distingui, in quorum uno ii omnes comprehendebantur, qui Dulcinistæ, Beguardi, & Bizochi dicti sunt, iidemque variis & quidem infandis erroribus tincti erant; in altera autem Cohorte, qui ex Apostatis Minoritis progressi existimantur a nonnullis Fratricelli, continentur. Verum pro rei veritate quocumque partium rejecto studio ostendemus nullam omnino Hæreticorum sectam ex Franciscano Ordine esse derivatam, quamvis non diffiteamur aliquem fortassis ex illis Apostatis ad Beguardorum sectam declinasse.

Quoniam autem Joannes Olivi Fratricellorum protoparens habitus est: nullis eorum extitit tinctus errorum quos Fratricelli defendebant, quidquid Natalis Alexander de ejus Postilla super Apocalypsim adfirmet, quæ iis non invenitur erroribus referta, si in sensum Auctoris intelligatur, quamvis acrem adversus illam emiserint censuram Doctores, quorum examini commissam legimus, ut excerpti articuli demonstrant apud Baluzium Miscellan. Tom. 2. edit. Lucanæ. Pag. 258. hoc enim semper supponunt censores, quod *Meretricis Magnæ* nomine Catholicam intelligat Ecclesiam, cum potius congregationem peccatorum in Ecclesia existentium significare voluerit, eo ferme pacto, quo in sensu Catholico & sancti Zeli pleno intelligitur a Natali Alexandro Hieronymus Savonarola dum prædicabat quod in Ecclesia Dei *a planta pedis usque ad verticem capitis nihil sani esset, & abominatio desolationis staret in loco sancto*, ut patet ex Tom. 9. historiæ Ecclesiasticæ pag. 179. edit. Lucanæ.

Verum Orthodoxiam Petri Joannis Olivi cognoscemus evidentius si tantisper advertamus, pluries adhuc viventem esse accusatum ab iis, quos tanquam laxioris vitæ amatores ille sæpissime objurgaverat, nec tamen aliquo nævo aliquando a superioribus inventus fuit maculatus, quamvis jussu Nicolai IV. Summi Pontificis a Fratre Raymundo Generali Ministro strictissime foret inquisitus. In Generali etiam Parisiensi Capitulo anno Christi 1292. Joannis Olivi sententias ad examen revocarunt septem Sacræ Theologiæ Magistri, inter quos Ricchardus de Media villa, cumque aliquas tantummodo singulares & novitatem sapientes opiniones invenerint, eas Joannes audita Doctorum censura solemniter revocavit. Ad ultimum vitæ suæ accedens Joannes brevem edidit expositionem in Regulam S. Francisci, in qua miro cum modo Romanam Ecclesiam veneratur, eidemque ab omnibus fidelibus obedientiam & reverentiam esse præstandam adfirmat; hæc quidem cum articulis excerptis ex commentario super Apocalypsim non cohærent, nisi in sensum extraneum a censoribus intelligantur, & exponantur. Ad extremum vitæ tandem accedens anno 1297. publicam & solemnem edidit Fidei professionem, quam ex originali refert Wadingus in Annalibus ad annum 1297., post ipsam Ecclesiæ sacramentis devotissime refectus in Ecclesiæ sinu obdormivit Petrus Joannes.

Post mortem illius variorum errorum insimulari cœperunt ejus Scripta, donec sub Clemente V. in Viennensi Concilio aliquæ ejus propositiones proscriptæ sunt innominato nihilominus Auctore ob diversas fortasse, quæ de ejus probitate ferebantur opiniones: id unum adverto quod in Clementina de summa Trinitate in qua nonnulli proscribantur errores Joanni adscripti, nec verbum habitum fuit de tot blasphemiis atque hæresibus in Sanctam Romanam Ecclesiam, quæ in Joannis Commentario inventæ postea fuerunt a Censoribus; quæ quidem damnatæ essent in Viennensi Concilio, si aut in sensum Catholicum facile explicari non possent, aut revera in eo commentario tunc temporis extitissent. His adiungo quod Ubertinus de Casali vir summæ existimationis apud Clementem V. & Joannem XXII. pro Doctrina Joannis publicam edidit Apologiam in qua omnia resolvit obiecta, atque calumnias contra Joannem expositas; ipsemet etiam Wadingus Tom. 5. Annalium a pag. 380. usque ad 390. errores Joanni adscriptos celeberrime refutavit. De Scriptis Joannis mentionem fecerunt Marianus, Henricus Willot, Xystus Senensis, Gonzaga, Possevinus, aliique absque eo quod Auctorem vel tantillum suspectæ fidei insimulaverint. Quod si aliquando Scripta Joannis ab Ordinis Prælatis prohibita fuerunt, id ad scissuras, & Schismata ab Ordine removenda factum est, quas perpetuo machinabantur imprudentes aliqui Zelatores Joannis doctrina, & Auctoritate suffulti, perperam Auctoris sensa intelligentes. Verum Sixtus IV. Romanus Pontifex nil adversus fidem Catholicam in eis contineri, adeo expresse quod in Catholicum sensum explicari non possit, declaravit, ut refert Wadingus: Quod quidem sufficientissimum est ad Petrum Joannem ab errorum labe vindicandum; ut enim quispiam inter hæreticos adnumeretur satis non est quod aliquos scripserit errores, sed aliquid aliud requiritur, ut tradunt Canonistæ in Caput *Damnamus de summa Trinitate & Fide Catholica*; ut tamen brevitati consulamus de hoc legatur Caput 33. Lib. 2. de Canoniz. Sanctorum Sapientissimi Pontificis Benedicti XIV.

Petri Joannis cineres exhumatos esse ignique traditos jussu Romani Pontificis scribit Eimericus; hoc tamen admodum non curamus cum non de factis, sed de jure factis simus solliciti; innumeræ contra eum inferebantur accusationes a suis æmulis, quorum fortasse testimoniis errore facti deceptus Pontifex hanc in eum pronunciavit sententiam, si verum narrat Eimericus; nobis tamen dubitandi locum reliquit, cum a Clemente VI. id factum pronunciet part. 2. director. quæst. 38. alibi vero tradat ab Joanne XXII. ut testatur Franciscus Penna in Comment. 2. part. Director. Schol. 30. cum nihilominus ipsemet Franciscus combustum opinetur sub Cælestino III. & tamen certum est quod anno 1318. die 7. Maii Frater Michael Monacus ne venerarentur publica adoratione ossa Petri Joannis tanquam Sancti ab Ecclesia probati interdixit, ut patet ex Tom. 2. Miscell. Baluzii Editionis Lucan. pag. 250. Nullo ergo modo posse videtur adscribi Petrus Joannes inter Fratricellos Hæreticos, sive ejus scripta in Viennenti Concilio examinata sive ejus solemnem fidei professionem in vitæ fine emissam attendamus; sive tandem consideremus diu ante eum extitisse Fratricellos, ut inferius demonstrabimus, sive alteram cohortem Fratricellorum constitutionibus Joannis XXII. refragrantium diu post ejus mortem excitatam fuisse animadvertamus.

Multo etiam minus veritas suffragratur eorum sententiæ qui Petrum de Macerata, simul cum Petro de Foro Sempronio aut Angelum Clarenum Fratricellorum sectæ principium dedisse opinantur. Fra-

cta

Sta perpendantur attente. Cum in Marchiæ Provincia nonnullæ a Fratris Eliæ discipulis contra Franciscanæ Regulæ puritatem lassitates in Ordinem invehereutur, Zelantissimi ac Religiosissimi Viri Raymundus, Thomas de Tolentino qui postea Martyr extitit Jesu Christi inter Infideles, Petrus de Macerata aliique Sanctæ vitæ homines se veluti muros opposuere pro Domo Israel, quo factum est ut laxioris vitæ Fratres ita contra eos invaluerunt ut carceris perpetui, tanquam pacis perturbatores fuerint condemnati, donec Raymundus Gaufredi in Ministrum Generalem electus eos omnes liberavit, cognita ipsorum innocentia, & ut ex corde suis ignoscerent inimicis hortatus est, misitque eos in Armeniam ut Christi fidem prædicarent, atque ab ulterioribus liberarentur vexationibus; Quamnam autem sint ibi fortunam sortiti fuse narrat Wadingus Tom. 5. pag. 236.

Creato autem anno Christi 1294. in summum Pontificem Petro de Murrhone sub Cælestini V. nomine ex Oriente ad eum accessere supradicti Petrus de Macerata, Angelus Clarenus, & Frater Liberatus, quos benigne recepit Sanctus ille Pontifex, eisdemque ut quo vellent rigore atque austeritate viverent misericorditer indulsit, ac in posterum quod pauperes Eremitæ Domini Cælestini vocarentur concessit Fratre Liberato eis in superiorem constituto.

Excanduerunt Franciscani Ordinis Prælati ad hanc in Religione scissuram, sed conticuerunt donec abdicato per Cælestinum Pontificatu suffectoque in ejus locum Bonifacio VIII. operam dare non destiterunt ut ad Ordinis unitatem reverti compellerentur; & sane hac in eos commota tempestate, alii ad superiorum obedientiam reverti, alii in ipsis conventibus rigidiorem præcæteris vitam ducebant, nonnulli tandem cum Angelo Clareno permanserunt, & Clarenorum congregationem instituerunt, nullusque eorum inventus est, qui vel levissimo errore tinctus fuerit; quinimmo Angelus a Pontifice Bonifacio cum vel ad suum Ordinem redire, vel in alteram ab Apostolica sede probatam Religionem pertransire compelleretur, libere respondit & clare se esse de Ordine Eremitico Domini Cælestini; quapropter Bonifacius jussit ut illum habitum reassumeret, quod & statim præstitit Angelus cum suis, remansitque in suo vigore hæc Clarenorum congregatio, quia solum irritas reddidit Bonifacius eas Cælestini concessiones, quæ executioni mandatæ nondum fuerant ut testatur Cardinalis Jacobus Stephaneschi Cælestini & Bonifacii contemporaneus, quemadmodum scribit Franciscus Pagi. Diu perseveravit ista Clarenorum congregatio, quæ tempore Sixti IV. adhuc florebat ut constat ex hujus Pontificis Epistolis ad eam directis sub hoc titulo *Eremitis S. Francisci* anno 1477. defecitque tandem sub Pio V. cum Fratribus de Observantia Sancti Patris Francisci fuit unita. Quis autem nesciat Fratricellos omnes sub Pontificatu Joannis XXII. exterminatos fuisse? Quidquid ergo dicant Natalis, Eimericus, Jordanus: ab Angelo Clareno ejusque sociis nec originem, neque progressum Fratricelli habere potuerunt.

Si tamen aliqui historicorum velint sectam Fratricellorum, qui contra Joannem XXII. insurrexerunt, ex nonnullis Narbonensibus, atque Etruscis Fratribus, qui in Siciliam fugerunt, originem traxisse; ut insinuare videtur ipsemet Pontifex Joannes in sua Constitutione *Gloriosam Ecclesiam* in qua legitur „ Dudum superstitiosi, & discoli homines in Provincia Provinciæ adversus Communitatem dicti Ordinis (S. Francisci) insurgentes & se solos suosque Complices de observantia Regulæ B. Francisci mira vanitate iactantes, reliquam Ordinis multitudinem de transgressione Regulæ perperam judicando notabant..... quorum vipereos partus in ipso sui exortu felicis recordationis Nicolaus Papa IV...... ad veritatis petram allidere cupiens, generali Ministro, qui tunc temporis memorato Ordini præsidebat, districte præcipiendo mandavit ut hujusmodi Præsumptores disciplina debita coerceret.....Sed eorum pestilentissimas novitates hoc remedio compressas fuisse potius quam extinctas, redivivus error enunciat, & tristis experientia manifestat. Nuper enim nonnulli factionis superstites memoratæ, adiunctis sibi quamplurimis de dicta provincia Provinciæ & provinciæ Tusciæ, & aliis diversarum Fratribus nationum coram piæ memoriæ Clemente Papa V. &c. „ deinceps eos redarguit variorumque incusat errorum & hæresum; si hoc, inquam velint historicorum nonnulli, duo necesse est ut animadvertant, Apostatas videlicet illos Siciliam appulisse anno Christi 1317., Fratricellos autem, Beguardos & Beguinos diu ante iam extitisse, cum a Bonifacio VIII. per Constitutionem *Nuper ad audientiam* anno 1297. damnati essent; Apostatæ ergo illi pauci nil commune cum Fratricellis hæreticis habuere, ac proinde cum illis confunduntur immerito; nisi dicere velimus aliquem ex istis apostatis ad Beguinorum sectam defecisse habitu Religionis penitus dimisso, quod & nos probabile credimus: hoc autem est quidem ad hæreticos confugere, non autem hæreticorum sectam constituere. Alterum, quod advertere necessarium iudicamus, est Partem narrativam Constitutionis illius *Gloriosam Ecclesiam* erroribus facti esse conspersam, ut ab Auctore *Nitelæ Franciscanæ*, a Wadingo aliisque celeberrimis scriptoribus demonstratum est; nec mirum, cum ad Pontificis aures essent Prælati Ordinis, qui lapidem movebant quemcumque ut hujusmodi Apostatæ vel ad Ordinem reverterentur, vel exterminarentur; unde si aliquos tenuerunt errores, plures etiam eisdem fuerunt probabiliter impositi, cum sit incredibile homines in Religione educatos, ob nimium observantiæ regularis zelum errantes, in tot statim errores, quorum ab Joanne insimulantur, prolapsos tam brevi tempore fuisse.

Quod autem Joannes XXII. errore facti in parte narrativa illius Constitutionis *Gloriosam Ecclesiam* fuerit deceptus, ex eo revincitur quod inter discolos & improbos homines, illos quoque recenseat qui ad Clementem V. accesserunt ut dubia aliqua super Regulam exorta explicarentur. Clemens autem qui eos visu noverat & auditu, en quomodo de illis in sua loquitur Constitutione *Exivi* „ Quia vero dictæ Sanctæ Regulæ Professores & æmulatores devoti, & veri Alumni, & filii tanti Patris (S. Francisci)... ferventer affectant ad purum, & ad plenum præmissam Regulam firmiter observare... Verum quia plerumque ubi culpa non est, eam timere solent conscientiæ timoratæ, quæ in via Dei quidcumque devium expavescunt, non sunt ad plenum ex dictis declarationibus (prædecessorum Pontificum) dictorum omnium Fratrum conscientiæ quietatæ, quin circa aliqua ad Regulam, ipsorumque statum pertinentia dubitationum in ipsis fluctus aliqui generantur, & oriuntur...... quapropter per ipsos Fratres extitit nobis humiliter supplicatum quatenus prædictis dubiis quæ occurrerunt, & quæ possunt occurrere in futurum, adhibere opportuna declarationis remedia, de benignitate Sedis Apostolicæ curaremus.... Nos igitur tam pia supplicantium intentione commoti &c. „ Clarius adhuc Clemens Pontifex eos commendat Religiosos in Epistola ad Prælatos Ordinis data, in qua illos, Solemnes ejusdem Ordinis Personas, magnæ & Solemnis auctoritatis, ac Zeli vocat. Quomodo ergo ab Joanne XXII. hujusmodi Religiosi, Discoli ac superstitiosi appellari possunt nisi errore facti decepto? En ergo unde hauserunt errorem qui existimarunt ex Ordine minorum exortos esse Fratricellos, quia videlicet Joannes XXII. plurium errorum accusatos condemnavit paucos illos Apostatas per Constitutionem *Gloriosam Ecclesiam* & quia eodem ferme tempore per alteram Constitutionem *Sancta Romana* Beguinos damnavit seu Fratricellos Hæreticos, qui modo de tertio Ordine S. Francisci, modo de ipsa Religione Professos, & ad literam ob-

seq-

servare Regulam illam mentientes, sese prædicabant; invicem permiati fuerunt proinde errantes illi ab incautis Scriptoribus, atque insimul omnes ex Ordine S. Francisci gravi cum ejus iniuria derivandos volunt, ut tradit etiam Berninus To. 3. historiæ heresum pag. 404. Apostatæ autem illi post publicationem Constitutionis *Gloriosam Ecclesiam* in varias Provincias fuere dispersi, atque penitus exterminati nullamque proinde sectam instituerunt, nisi fortassis aliquis eorum, ut diximus Beguardorum societati sese conjunxerit.

Ab Anno ergo 1318. usque ad 1321. tranquillitas aliqua in Ordine S. Francisci videbatur, donec excitata est celebris illa controversia de Paupertate Christi; cujus historiam describit Frater Joannes Ordinis minorum Tom. 3. Miscell. Balutii pag. 206. Lucanæ edit. licet imperite eam cum Fratricellorum causa permisceat. Varia utriusque partis Scripta ibidem referuntur. Michaelem de Cesena, Okamum, & Bonagratiam eoquod plurima scripserint in Summum Pontificem maledicta, ac ab eius obedientia recesserint condemnamus & execramur; ab omni tamen Fratricellorum errore fuerunt immunes, cum perpetuo in suis Scriptis fidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ se profiteri testarentur. Quod autem in Capitulo generali, Perusii suam exposuerint Sententiam, id, a nonnullis Cardinalibus aliisque solemnibus Personis requisiti, præstiterunt. Catholicum fuit eorum assertum; quemadmodum Joannis Successores declararunt, nec prædefinire Controversiam in Romana curia exagitatam præsumpserunt, quidquid in eos pro solita sua benignitate in Ordinem minorum declamet Natalis Alexander Tom. 8. hist. pag. 50. edit. Lucanæ.

Quoniam ergo, ut vidimus, nulla hæreticorum Secta ex Ordine Minorum progressa est, cum Apostatæ illi pauci in ipso exortu extincti fuerint, & a quibus fortassis secundam Fratricellorum cohortem, quam præmonuimus, derivandam esse poterant nonnulli existimare, licet immerito, eoquod Sectarios non habuerint: superest modo ut aliquam de Fratricellis hæreticis tradamus notitiam, breviorem quidem quam possumus. Et quoniam isti duplicem Ecclesiam, carnalem unam & divitem; spiritalem alteram & pauperem admittebant, quæ vera esset Jesu Christi Societas; advertimus hunc errorem in Ecclesia Dei antiquitus fuisse excitatum, ab eaque repulsum. Refert enim S. Epiphanius Tom. 1. Lib. 2. adversus Hæreses, ad Hæresim 41. quamdam extitisse hæreticorum sectam, qui se *Apostolicos*, & *Apostaticos*, hoc est Renunciatores appellabant, & isti a Tatiani dogmatibus veluti avulsione quadam propagati, de inopia rerum omnium gloriabantur, ac Sacrosanctam Ecclesiam ascititiis Superstitionibus temere dividunt & labefactant. Extollentes deinde paupertatem Apostolici, neminem sine illa, quam Apostoli profitebantur, salvari posse aiebant, ut S. Augustinus de Hæresib. Cap. 40. scribit. Aliæ deinde hæreses circa paupertatem sequentibus temporibus exortæ sunt, ut tradit Alphonsus a Castro Lib. 12. de Hæres. verbo *Paupertas*, donec Sancti Bernardi ætate grassari admodum cœpit Apostolicorum error, a quodam Henrico Tolosano iterum forsan excitatus aut saltem propagatus, cuius hominis indolem accurate S. Bernardus in Epistola 140. pingit, atque eius errores in sermonibus 65., & 66. super cantica refellit.

Inter alios, quos divi Bernardi tempore Apostolici docebant errores, isti recensentur: Quod Sacerdotes lethali infecti peccato nullam haberent Sacramenta conficiendi, & administrandi facultatem; quod sola eorum secta vera esset Ecclesia; quod illi soli veri essent Apostolorum successores: quod iuramentum semper esset illicitum: huiusmodi errores iidem omnino sunt cum enumeratis a Joanne XXII. in Constitutione Gloriosam Ecclesiam.

Post mortem Sancti Bernardi, circa annum 1160. Petrus Waldo principium dedit Waldensium sectæ Lugduni, cuius postea discipuli, Pauperes de Lugduno dicti sunt, sibique Henricianos errores adoptare cœperunt, atque inter se *Fratres* appellarunt, ut tradit Petrus Wesembeccius in Bibliotheca Patrum Tom. 25. pag. 258.

Waldensium impia congregatio varias in factiones subinde divisa fuit, variisque cœpit nominibus insigniri iuxta loca, in quibus, vel Auctores, a quibus extendebatur impia doctrina; in Insubria potissimum cœpit propagari, ut adfirmat Ivo Narbonensis in sua epistola ad Giraldum Episcopum Narbonensem, quæ refertur a Matthæo Paris in Annalibus Anglicanis. In Alemanniam etiam & Galliam translati fuerunt Waldensium errores, donec impiæ sectæ nonnulli incredibili cum audacia ad apostolicam sedem accedentes petierunt societatem suam approbari, sed in vanum, inquit Abbas Urspergensis in Chronico ad annum 1212. Quamvis enim, scribit ille, dicerent se gerere velle Apostolorum vitam, nihilque velle possidere, aut certum locum habere, cappas insuper deferrent quasi Religionis, nudis pedibus incederent; Summus tamen Pontifex Lucius quædam eis obiecit superstitiosa, & probrosa, præsertim quod viri, & mulieres simul ambularent in via, & plerumque simul manebant in una domo, cui responderunt hæc omnia ab Apostolis descendisse. Verum non approbata fuit, sed damnata hæc societas. = Habita repulsa, nefarii homines eo devenerunt iniquitatis, vitam apostolicam simulantes, ut prædicare, & confessiones audire præsumpserint, proindeque subiecti fuerunt Ecclesiæ censuris, ac publicam subierunt excommunicationis sententiam; furtim deinceps prædicationem suis in conventiculis faciebant, atque suorum confessiones excipiebant, ut testatur Pilichdorffius contra Waldenses Cap. I. in Bibliotheca Patrum Tom. 25. pag. 278.

Diu prosequuti sunt Waldenses sua privata conventicula, donec per Sanctum Franciscum Minorum Ordine in summa paupertate fundato, atque per varias Orbis partes iam propagato, huius Ordinis habitum nonnulli ex Waldensium secta simulare cœperunt, ita ut Gregorius IX. Pontifex Maximus omnibus omnino prohibuerit, Franciscanis exceptis, habitum illum deferre, per constitutionem datam idibus Decembris anno 1240. quæ extat apud Wadingum Tom. 2. pag. 414. Sectæ Waldensium Alumnus fuit forsitan Hermannus Pongilupi Ferrariensis, qui tot errores edocuit, tantasque impietates exercuit, ut Gnosticorum recens instaurator ab Historicis, & Fratricellorum Princeps, & caput existimetur: ita eum indicarunt Baovius sub Bonifacio VIII. Prateolus verbo *Hermannus* & verbo *Fratricelli*, Philippus Bergom. in supplement. anno 1298. Angelus del Pas in Symbol. Lib. 9. Cap. 20. Bellarm. in Chronic. anno 1286. Bernardus a Lutzemb. Lib. 2. verbo *Hermannus*, Sauderus de visibil. Monarch. Lib. 7. hæresi 159. Albertus Krantius in Metropol. Lib. 8. cap. 54. Gualterus Sæculo 12. Franciscus Penna Schol. 31. Spelta in Histor. Ticinensi anno 1298. Binius ad vitam Bonifacii VIII. Joannes Baptista Penna in Historiæ Ferrariæ Lib. 3. aliique.

Mortuo Hermanno circa annum 1270. Gerardus Segarelli de Parma in impietatis doctrina multum excelluit atque nefariam Societatem instauravit, suos forsitan discipulos iterum *Apostolicos* nominavit, hinc Honorius IV. anno primo sui Pontificatus constitutionem edidit *Olim felicis* qua eos damnavit Hæreticos, qui sub nomine Ordinis Apostolorum per diversas Orbis partes discurrebant, de eleemosinis viventes ac Pauperes se fingentes. Ex illis turbidis fontibus suos hausit errores Dulcinus Hæresiarca, qui pariter Societatem aut de novo instituit, aut *Apostolicorum* restauravit. *Fratrem* se nominabat Dulcinus, suosque discipulos *Fratres* appellabat ut ex duabus ejus Epistolis quarum una data fuit mense Augusti anno 1300. altera vero mense decembri 1303; mulieres autem quas secum ducebant, *Sorores in Cristo* nuncupabant Dulcinistæ, ut videri potest apud Antonium Muratorium Tom. 9. de Rerum Italicarum Scriptoribus Column. 450.

Dul-

Dulcini errores referuntur apud Muratorium loco laudato; docebat in primis quod Ecclesia Romana amiserit auctoritatem sibi a Christo collatam; Quod Ecclesia quam tenent Papa, & Clerici, ac Religiosi sit Ecclesia reprobata; Quod tota potestas a Christo Ecclesiæ tradita in suam Congregationem translata est; quod sua Congregatio est vera Ecclesia Dei; quod Ecclesia Romana est meretrix illa magna, de qua Joannes in Apocalypsi; Quod suæ Congregationis Fratres nec Romano Pontifici, nec alteri homini obedire tenentur; Quod nec Papa, nec alius aliquis potest eis præcipere ut relinquant Statum illum; & quod non potest eos excommunicare: multos alios docebat errores qui videri possunt citato loco; obiit tandem impius iste Hæresiarcha die 1. Junii anno 1307. ejusque discipuli in Viennensi Concilio cum aliis damnati fuerunt, & tandem ab Joanne XXII. in extravaganti *Sancta Romana*; Si comparentur ergo errores Dulcinistarum cum erroribus ab Joanne XXII recensitis in Constitutione *Gloriosam Ecclesiam*, nullus in extravaganti illa invenietur, qui ab improbis hisce Sectariis disseminatus non fuerit; propter ergo simultatem temporis quo damnati fuerunt ab Joanne tam Apostatæ illi pauci Ordinis Minorum, quam Fratricelli; propter similitudinem errorum, quos utrisque tribuebat Summus Pontifex, quamvis transfugæ illi in hoc solum errarent, quod, Regula S. Francisci a Romano Pontifice dispensari non posset, quod idem esset cum Evangelio, & tandem quod invalidæ essent & illicitæ Constitutiones super Regulam editæ prædicarent, in causa tamen fuerunt quod ab Scriptoribus nonnullis vel cum Fratricellis hæreticis Apostatæ illi permiscerentur; vel Fratricellorum institutores fuerint existimati; sed immerito quidem, cum antequam Apostatæ aliquam de se suspicionem dedissent, jam Fratricellorum Secta & Beguardorum longe antea extitisset ut demonstratum est; Nullum ergo Hæresiarcham ex Ordine Minorum S. Francisci produisse, gloriari possunt S. Francisci Alumni, quamvis aliquis ex eodem in aliorum fortasse errores prolapsus fuerit.

F I N I S.

# JOANNIS DOMINICI MANSI
## IN SEQUENTEM COLLECTIONEM CANONICAM
# P R Æ F A T I O.

*EGregium hanc canonum collectionem casus mihi obtulit. Codicem enim Bibliothecæ Capituli Cathedralis Lucensis cartaceum num. 541. evolvens animadverti colligatu in fine habere folia quædam membranacea scripturæ multo quam superiora omnia vetustioris, utpote quæ exarata sæculo XIII. eoque non admodum adulto videntur. Sub ipso statim intuitu agnovi aliam esse canonum compilationem, ab ea diversam, quæ sub Clemente IX. adornata est nomine quinti Decretalium celebris, quamquam nonnulli hic pariter legantur canones, qui in eodem libro quinti Decretalium recurrunt; integriores tamen in nostra hac, & minus refecti quam in Decretalibus illis exhibeantur. Nec plane omnino convenit cum prima, secunda, & tertia compilatione canonica a Cl. Antonio Augustino evulgatis; quamquam & hic pariter ex tribus hisce compilationibus exhibentur. De quarta nihil memoro cum nostra multo antiquior sit, utpote quæ sub Innocentii III. confecta videri possit, cum Pontificum usque ad Innocentium III. & nihil ultra, Decretales referat. Ita tamen trium illarum Decretalium canones continet ut in illis tamen non semel diffusior sit & magis integra. Demum & canones habet nonnullos, quot ex compilationibus illis frustra repetas. Neque pariter eadem credi potest cum compilatione quæ post Lateranense Concilium sub Alexandro III. in collectionibus conciliorum offenditur. Ejus author quicumque tandem fuerit sub Innocentio III., uti jam innui, vivebat, atque ex ipso Regesto epistolarum sua descripsisse censeri potest, cum interdum illorum librum diligenter signet. Non tamen constare arbitror unius ejusdemque authoris opus esse, nec eo fine compilatum ut continuatum pleramque opusculum canonicum conficeretur; nam sub ipso fere exordio canones in suos titulos (quot adnotui diligenter) digestos præfert; dein confuse reliqua procedunt, ut modo sese offerat e. g. canon* de Decimis, *tum alter* de Simonia, *statimque alter* de Decimis, *nec amplius classium tituli intus in codice præscribantur, sed eadem manu ad marginem indicantur.*

*Sunt etiam adnotationes aliæ ab alio quopiam sed æqualis vetustatis adjectæ, quas hic pariter servandas censui, quanquam nil aliud ferme continent, nisi Canones ex Decreto acceptos ad Canonem illum cujus lateri adduntur referendos.*

*De authore quod disputem nihil occurrit. Scitum est sub Innocentio III. plures hanc provinciam, Canones scilicet colligendi occupasse; ex his profecto unus hic fuit qui hanc nostram collectionem compilavit. Cæterum multi habenda est utpote quæ Canones in compilationibus Augustini legendos auget & illustrat; ac quemadmodum ejusdem Augustini compilationes plurimum lucis afferunt Decretali Gregorianæ, ita & nostra hæc multum supplet ejusdem Augustini Decretalibus, ut conferenti patebit, cujus rei exemplum illustre sufficit nobis caput* Cum causam *quod est Alexandri III. cujus minimum fragmentum suppeditat compilatio secunda Augustini; ferme integram vero epistolam collectio nostra offert. Nam vero integra sit vel aliquis desiat in principio locus est ambigendi, nam in ipso folii exordio nullus titulus apparet, contineturque in aliquot foliis aliunde decerptis. Num pariter in fine aliquid modicum desit dubitare etiam possumus, avulso media sui parte postremo codicis folio; si quid tamen deest parum utique est, cum folium istud a tergo purum cernatur.*

*DESUNT*

*DESUNT PRÆCEDENTIA*

# CLEMENS PAPA III.

*Habetur Registrorum Libro. Cæsaraugustano Episcopo.*

Ex M. S. Codice Majoris Eccl. Luc.

IN præsentia nostra positus Ambrosius, duxisti necessario requirendum, quid agendum sit tibi de quibusdam mulieribus in tua Diœcesi constitutis, quæ cum viros suos in captivitatem, vel aliam peregrinationem adductos jam ultra septemnium fuerint præstolatæ, nec certificari possint de vita, an morte, licet super hoc sollicitudinem diligentem habuerint; quod com pro juvenili ætate, seu alia fragilitate carnis humanæ continere non possunt, aliis expetunt in matrimonio copulari. Cum autem dicat Apostolus: *mulier tandiu alligata est viro, quandiu vir ejus vivit*. Tuæ consultationi taliter *respondemus:* quod quantocunque annorum spatio ita remaneant, viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, nec tu eas contrahere Ecclesiæ auctoritate permittas, donec certum nuncium receperint de morte virorum. Datum Laterani.

*Idem dicit Villelmo Regi Siciliæ.*

Caritatis amica simplicitas nullis verborum fallaciis, nullis appetit ambiguitatum involucris offuscari. Frequenter igitur est necesse, ut quæ minus plene dicta videntur, & ambiguitatis scrupulos possent sane dicta generare, explanatione veridica clarius elucescant. Ea propter benigne in Domino fili, audito, quod in magnitudinis tuæ præsentia quæstio mota fuerit, utrum ex nostri tenore rescripti colligeretur, quod singuli hæredum tuorum singulis nostris successoribus fidelitatis præstare debeant hujusmodi juramentum. Intellecta etiam expositione dilectorum filiorum A. in titulo S. Crucis in Jerusalem, & P. in titulo S. Laurentii in Damaso Presbyterorum Cardinalium, Sedis Apostolicæ Legatorum, quæ ad nos fuit sub sigillorum suorum testificatione transmissa, a sano eorumdem intellectu nolentes aliquatenus dissentire, Serenitati Regiæ duximus intimandum, quod cum intentio nostra sit nil intolerabile tibi, vel hæredibus tuis imponere, taliter in hoc titulo tibi duximus respondendum; ut hæredes tui qui nobis, vel alii successorum nostrorum juraverint, alii postea jurare minime compellantur; Catholicis tamen successoribus nostris, qui præpositi fuerint & hominii & fidelitatis puritatem nihilominus, ac si juraverint omne tempore teneantur absque tergiversatione aliqua fideliter observare, nisi forte alicui eorum, sicut personæ tuæ fuerit hominium benignitate Sedis Apostolicæ relaxatum, qui tamen non se propterea eredit a fidelitatis observatione immunem. Datum Laterani.

*Idem Abserenti Episcopo, & Abbati S. Andreæ de Bergis.*

Cap. ad Audientiam 12. De homicid. vol.

Ad audientiam Apostolatus nostri ex parte vestra pervenit, quod quidam Presbyter volens corrigere quemdam de familia sua eo cingulo, quo cingi solebat, illum verberare tentavit; & contingit quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus, eum in dorso aliquantulum vulneravit. Postmodum vero cum ille vulneratus aliquandiu vixisset, & jam convaluisset a vulnere, graviori ut ereditur infirmitate perculsus, cum sana mente ac devotione debita viam est universæ carnis ingressus. Quia vero utrum occasione vulneris decessisset dubium habebatur, eodem presbytero ab omni officio, beneficioque suspenso, quid super hoc vobis esset agendum Apostolicam Sedem consultare voluistis. Nunc itaque vestræ discretionis industriæ duximus respondendum, quod cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ne de cætero in sacris ordinibus administrare accedat, injuncta tamen pœnitentia congruenti potestis ei concedere ut sit contentus in minoribus ordinibus ministrare. Si vero vobis legitime constiterit quod ex alia infirmitate obierit de vestra licentia poterit, sicut erat solitus divina officia celebrare. Datum Laterani.

CLEMENS PAPA III.

Ad id quod nobis per literas tuas intimasti de quadam parochiana tua, quam suus vitricus cuidam Teutonico matrimonialiter copulavit, taliter respondemus, quod quamvis undecim annos adhuc habens ab initio ei invita fuisset tradita & renitens, tamen quia postmodum per annum, dimidiumve ei cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire, nec de cætero recipiendi sunt testes, si quos memorata mulier ad probandum quod non consenserit in eum nominavit producendos, cum mora tanti temporis hujusmodi probationem excludat. Volumus igitur, & mandamus ut propter hoc non omittas quominus appellatione remota per censuram ecclesiasticam utrumque compellas ad alterum maritali affectione reamandum, nisi forte vellent ad Religionem pariter convolare, pœna eis inflicta pro eo quod ad alienos, & illicitos concubitus uterque transiverit. Datum Laterani. Cap. Ad id 21 de Sponsal.

*Idem Formolensi Episcopo.*

Consanguinei Ermengardæ latoris præsentium, sicut nobis litteris tuis intimasti, productis jure sub examine testibus compaternitatem inter ipsam & virum suum legitime provenire, ita quod inter eos sententiam divortii protulisti. Prædicta vero E. cum sit tibi postmodum confessa ejus commater in veritate ante sententiam non fuisse, post separationem compaternitatem eam contraxit, & tamen ad secundas nuptias convolavit. Quia igitur reatum suum nunc recognoscens consilium nostrum super hoc expectat, tu a nobis in hoc postulasti responsum. Fraternitati tuæ præsenti pagina respondemus, quod propter solam confessionem mulieris non est recedendum a sententia per judicium Ecclesiæ rationabiliter promulgata, nisi forte in contrarium legitime probaretur. Ad ultimum eidem mulieri vero delictum suum tibi confessæ pœnam illam injungas, quam juxta qualitatem personæ & quantitatem excessus ei videris imponendam. Cap. Consanguinei 11. De sent. & re judic.

Martinus Bertam duxit in uxorem. Tebergam sibi Lotharius copulavit, Lotharius Martini & Bertæ filium de sacro fonte suscepit. Lotharius vero & Berta sublatis de medio, Martinus cum Teberga contraxit. Quærit a nobis tua Fraternitas utrum tales sint ab invicem separandi. Nos autem tuæ consultationi duximus respondendum, quod cum secundum verbum Domini vir, & mulier una per connubium caro efficiuntur, liquidum est Tebergam non posse Martino matrimonialiter copulari, qui compar ejus fuerat, cum quo ipsa Teberga una caro noscitur extitisse. Cap. Martinus 4. De eo qui cogn. consf.

Super alio vero, de quo rescriptum Apostolicæ Sedis postulasti, utrum conjugatus qui ante contractum matrimonium uxoris suæ consanguineam propinquam carnali commixtione cognovit, cum id uterque

que confiteatur, & aliqua pars viciniæ id acclamare dicatur, tit ab uxore sua Ecclesiæ judicio separandus: tali responso tuæ Fraternitati rescribimus; quod si aliter veritas ordinario judicio non patuerit in muliere, propter eorum confessionem tantummodo vel rumorem viciniæ separari non debent. Cum enim quando nonnulli inter se contra matrimonium colludere velint, ad confessionem incæstus facile prosilirent, si suo desiderio crederent præjudicium concurrendum. Rumor autem viciniæ non est momenti usque adeo judicandus valide, quod nisi rationabiles, & fide dignæ probationes accedant, possint bene constitutum matrimonium vitare.

Aliud in fama publica, propter quam separantur, si confiteantur. Ut XXXV. vt. *Si duo &c.*

Tertio loco quæstionis hujusmodi nodum Fraternitas tua petiit explicandum, an juvenis sponsam suam in quantum per verba de præsenti consensit, uxorem debeat habere, ad quorum matrimonium, impediendum neptis ipsius sponsæ prosiliens, se a juvene carnaliter præcognitam proponebat, & cum de hoc testes produceret, dixerunt illi se pro certo credere, quod illa prædicti juvenis concubina extiterit, & ei carnali commixtione conjuncta, adiicientes quod eos insimul videbant per plana, & nemora, vias, & invia pluries convagantes, & testimonium viciniæ se super hoc recepisse dicebant. Ad majorem autem certitudinem quod minus sufficienter credidisti probatum, quod eadem mulier asserebat tam ipsam, quam juvenem juramentis adstrictos dicentem convenisti, & seorsum venti confessi sunt, quod se ad invicem carnaliter præcognoverant. Licet juvenis nollet ab ea quam desponsaverat separari. Nos autem iis, quæ dicta sunt intellectis attendentes viciniæ famam & dictorum mulieris, ac juvenis confictas confabulationes, & per solitudines vagos incessus per testes esse probatos, & de carnali cognitione eos per juramentum separarim fuisse confessos, præsertim cum hoc non dicatur occultum, sed quam manifeste a pluribus prædicitur, prædecessorom nostrorum vestigiis inhærentes, & præsertim felicis memoriæ Alexandri Papæ statuta sectantes consultius, & securius esse credimus, ut matrimonialiter non jungantur, sed ab invicem solutis sponsalibus separentur. Datum Laterani.

## CÆLESTINUS III.

*Rothomagensi Archiepiscopo.*

Cap. ad Eminentiam 20. De sent. excomm.

Ad eminentiam Sedis Apostolicæ est recurrendum quotiens articulus dubitationis emergit, ut tanto quis promptiori conscientia recipiat, & observet quod super re dubia sibi fuerit a Seda Apostolica responsum, quanto prærogativa dignitatis illius certiori noscitur ipsius veritatis sententia roborata, quæ in beato Petro Apostolorum Principe præ omnibus aliis amplitudinem Prælationis accepit. Sicut antem ex parte Fraternitatis tuæ nostris est auribus intimatum, dubium tibi extat, utrum ii sint pro absolutis habendi, qui pro injectione manoum in Clericos, vel alias Religiosas personas excommunicationem incurrerent, & a Legatis Cardinalibus, qui a latere Romani Pontificis destinantur, sint pro tempore absoluti, eum id Legati mandatum sibi super his non ostendant expressum. Soper quo id a te, ac a tuis suffraganeis volumus observari, ut eos habeatis absque omnis hæsitationis scrupulo absolutos, quos constiteris a talibus beneficium absolutionis adeptos. Datum Laterani.

## CÆLESTINUS III.

*Rothomagensi Archiepiscopo.*

Agnoscitur Sedis Apostolicæ dignitas, eidem ab ipso Domino in Beato Petro concessa, ut ubi emergit alicujus dubitationis articulus ad ipsius oraculum referatur, & quod ipsa statuerit respondendum sine ulla debet ab omnibus hæsitatione recipi, & servari. Ex tua siquidem nobis est parte propositum quod in Provincia tua sæpe contingit, ut ad Ecclesias, in quibus Collegia jus præsentandi noscuntur habere, eorum Abbates aut per se, aut per literas suas personas idoneas Diœcesanis Episcopis repræsentant, quibus præsentatis, postmodum, & receptis, aliquando ante institutionem, aliquando post contradicunt Monachi, seu alterius Ordinis collegia, & reclamant, super quibus aperto tibi quæris certificari responso, utrum institutio jam facta, vel adhuc facienda propter hujusmodi debeat impediri. Ad quæ tibi duximus hoc modo respondendum, quod videlicet in præsentationibus taliom Prælatorum intelligi debent quod de Collegiorum suorum fiant assensu, sine quo firmitatem non valent aliquatenus obtinere. Unde cum constiterit Conventus, vel majoris, & sanioris partis non affuisse consensum, institutiones hujusmodi convenit vacuari, nisi ex antiqua, & approbata consuetudine vel concessa libertate aliqui eorum probaverint commissi sibi Collegii non debere in Ecclesiarum, seu beneficiorum collationibus requiri consensum. Datum Laterani.

Cap. Veniens 16. de Sent. Excomm.

Veniens ad Apostolicam Sedem Jacobus lator præsentium, proposita nobis assertione monstravit, quod cum matutina officia celebraret, quædam Monialis Ecclesiam ipsam ingrediens cum alio Clerico ludendo, impedimentum parabat quominus Deo posset debitum obsequium exhibere. Unde memoratus Sacerdos commotus, ut liberius posset circa divinorum celebrationem vacare, manibus in eam appositis ut extra Ecclesiam poneret, cum nollet exire, in trahendo ipsam coegit eamdem intra Ecclesiam residere; sed tu illum propter hoc tanquam excommunicatum vitasti, & facis ab aliis evitari. Ideoque p. a. tibi man. quod si res ita se habet, cum de cætero non evites, cum ex hoc ipsum excommunicatum videamus aliquatenus non teneri.

## CLEMENS PAPA III.

*Abbati S. Thomæ.*

Ex literarum tuarum insinuatione percepimus quod Thomasius lator præsentium Parochianus tuus olim uxorem suam in adulterio deprehensam Antecessoris tui consensu abiecit; sed licet illa postmodum habitum susceperit monachalem, dictus tamen vir antequam illa decederet aliam superduxit, & cum ea XII. annis vixit, & ex ipsa filius plures suscepit. Cæterum quia dicta mulier decessit, & quid super secunda copula fieri debeat sedem duxisti Apostolicam consulendam, Fraternitati tuæ de Fratrum consilio respondemus, quod illos debes sine dilatione ab invicem separare, & eidem viro de adulterio pœnam injungere competentem, qui peracta pœnitentia, dummodo in Christo, libere aliam ducere poterit in uxorem.

*Clemens Aquileiensi Patriarchæ.*

Cap. Cum desideres 15. De Sent. excom.

Cum desideres quid tua fraternitas observare super his, quæ dubietatem contineut, Apostolicæ Sedis scripto plenius edoceri, nos, qui licet immeriti ex susceptæ administrationis officio consultationibus respondere cogimur, singulorum interrogationum tuarum nodos præsenti rescripto solvere volumus, & tuam in hoc prudentiam commendamus, qui cum Juris Canonici peritiam habeas, & prudentum consilio perfruaris, ad majorem tamen evidentiam, & formam cæteris præfigendam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matris tuæ consulta requiris, in quo Spiritom Consilii, & fortitudinis, sicut vir dilectus, & prudens te habere ostendis. Fuit autem primæ quæstionis tenor hujusmodi, utrum alicui excommunicato, qui mandato Ecclesiæ stare juravit, & ante absolutionem Episcopus ei Communionem reddidit, sit communicandus ab aliis, & an Episcopos id facere debeat? Cui siquidem quæstioni taliter duximus re-

ſpondendum; quod cum cautio juratoria, quam hodie, qui excommunicati ſunt, præſtant, potius ad cautelam ex conſuetudine Eccleſiæ, quam ex rigore Canonum ſit inducta, neque momenti tam validi reputetur, ut niſi abſolutionis beneficium ſubſequatur, ille, qui excommunicatus eſt debeat aliorum communioni reſtitui, præſertim cum ex eo juramento abſolutionem conſecutus non ſit, & conſtet eum excommunicatum fuiſſe, & verum ſit abſolutum non eſſe, non poteſt Epiſcopus, nec debet ei communionem reddere, nec alii eidem communicare, niſi fuerit ſecundum formam Eccleſiaſticam poſt juramentum præſtitum abſolutus, quia ſecundum Apoſtolorum Canones, & Fabiani Statuta Pontificis, qui cum excommunicato ſcienter communicaverit, eſt communione privandus; imo juxta Iſidorum ſtatim cum eo excommunicationis contrahet pœnam.

Secundæ quæſtioni, ſtatuta Canonum, & præcipue piæ memoriæ Alexandri Papæ III. Prædeceſſoris noſtri ſequentes hunc finem duximus imponendum, quod ſi publica fama eſt, aliquem verberaſſe Clericum, nec Epiſcopus, nec alii ei communicare debent, niſi legitime ad arbitrium Epiſcopi de hoc ſe purgaverit, vel ad majorem cautelam beneficium abſolutionis acceperit.

Tertio loco tua diſcretio requiſivit: Si Clericus verberatus ab aliquo querimoniam apud Epiſcopum ſuum depoſuit, & teſtes producere paratus fuit, & Epiſcopo mediante, & communicante ei, qui verberavit ipſum amicabiliter cum eo compoſuit, & reconciliatus ei fuit, an ſit ei communicandum ab aliis, ſuper quo taliter reſpondemus: quod licet ille, qui violentas manus injecit, ei quem læſit, ſatisfeciſſe videatur, Eccleſiæ tamen gratiam offendit, ex hoc non ſatisfeciſſe dignoſcitur, niſi forma Eccleſiaſtica, quæ pro abſolutione talium, ut ſupra diximus, introducta eſt obſervetur.

Ultimæ præterea quæſtionis perplexionem revolvimus, quod non impari ſtylo criminis conquadratur, qui Clericum captivum detinet, licet violentas manus in ipſum non injecerit, ei, qui violentas manus injecit, nec eſt communioni fraternæ reddendus, niſi juxta formam Eccleſiæ fuerit, ut ſupra dictum eſt, abſolutus. Data, ut ſupra.

*Clemens Papa III.*

Idem Conſanguinitatis, & Affinitatis ex Literis CC. ar. Nobis eſt ex parte Eccleſiæ veſtræ requiſitum utrum aliqui ſuper accuſatione Matrimonii nil voce propria depromentes debeant per ſolam cartulæ conſcriptionem admitti. Ad hoc dicimus quod in talibus niſi quantum ad præſumptionem nullius momenti eſt conſcriptio, qua ad ſententiæ calculum proferendum, niſi alia legitime ſuffragante: præterea quia & hoc conſultationi fuit adjectum, inde reſpondemus, quod qui ſponſalibus interfuerunt, & tacuere quæſiti, non ſunt recipiendi, poſtea ſi velint contra matrimonium aliqua confiteri, niſi de his aliqua velint dicere quod in veritate poſtmodum didicerunt, de quibus etiam conſtet eos nihil factæ interrogationis tempore cognoviſſe. Qualiter ab his, qui accuſant matrimonium, vel aliquid proteſtantur recipiendum ſit ſacramentum, & poſt quot annos ſint aliqui in accuſatione matrimonii audiendi, præſentibus literis non duximus aduectendum, quia forma hujuſmodi ſacramenti pene in omnibus patet in canonibus diligenter expreſſa, tum quia propter varietatem caſuum, & diverſitates perſonarum certa de annorum ſpatio iis non poſſit meta præfigi. Data Laterani.

CÆLESTINUS PAPA III.

*Vamenſi Epiſcopo.*

Cura ſuſcepti regiminis nos inducit ut Fratrum
§ 11. Q. V. Monomachiam noſtrorum debeamus conſultationibus reſpondere, & ab eis quantum humana permittit fragilitas dubitationis ſcrupulum animi privare. Hinc eſt quod cum tua duxerit Fraternitas Sedem Apoſtolicam conſulendam, utrum ſuper Eccleſiarum præſentationibus duella debeant ſuſtineri, tuæ duximus ſollicitudini reſpondendum, quod quia in eo caſu, nec etiam in aliis monomachias debes aliquatenus tolerare, cum eas ſacri repellant canones, & a Chriſti debeant Fidelibus, quantum in te fuerit, omnimodo extirpare. Cap. Cura ſuſcepti 1. de purgat. vulg.

Datum Romæ apud S. Petrum.

CLEMENS PAPA III.....

*Epiſcopo.*

Quæſitum eſt a nobis utrum Sacerdotibus Græcis quibus legitimo matrimonio licet uti publica ſit pœnitentia imponenda, ſi eam ſibi poſtulent pro filiis oppreſſis injungi. Huic igitur conſultationi taliter reſpondemus, quod ſi ipſis procurantibus, vel ſtudioſe negligentibus filii in lectis reperiuntur oppreſſi, ab officio altaris debent perpetuo abſtinere, & eis gravior quam laicis, non tamen publica, niſi id in publicum veniat, pœnitentia debet imponi. Qui tamen non ſolum a ſacrorum Ordinum executione ceſſabunt, verum etiam ſi ſunt infra ipſos ad eos minime aſſumantur. Verum ſi ex incuria mortui inveniantur in cunis, & fuerit illud occultum, pœna eis pro arbitrio pœnitentiarii imponatur, & in terrorem aliorum ad tempus abſtineant a celebratione Miſſarum. Datum Laterani. C. quæſitum 7. de pœnit. & remiſſ.

*Idem ........ Epiſcopo.*

Ex literis tuis accepimus quod lator præſentium W. nomine de tua Diœceſi olim quandam duxit Luciam videlicet in uxorem, qui maligno ſpiritu inſtigante paucis temporibus fuere concordes. Proponebat etiam idem W. quod illam per violentiam ſibi illatam metu etiam mediante duxiſſet. Tu vero una cum Capitulo tuo cum tam minis quam admonitionibus inter eos ſæpius pacem reformare ſtudens, & eos temere ſegregatos reconciliari pariter coegiſſes, tandem vir uxorem ſuam ſuper crimine fornicationis ...... tentavit. Poſt longas vero inducias & admonitiones diligentes factas, ut ab hujuſmodi litigationibus ceſſarent, cum ad hoc ulterius ſedari non poſſent, vir etiam eam iterum de crimine fornicationis expreſſius appellaret, ipſi neſcimus quo ducta ſpiritu cœpit publice confiteri quod cum vir ei negaret in debitis, & neceſſariis providere, crimen compulſa eſt incurrere memoratum. Cumque diligentius a te fuiſſet commonita, ne ad ſuggeſtionem alicujus vel iniquum conſilium illud tam turpe contra ſe proponeret, ipſa eadem manifeſtius aſſerebat. Sane convocato Capitulo tuo, & aliis viris diſcretis, cum ex eorum conſilio utrique parti continentiam firmiter injunxeris obſervandam, ita quod caſte viverent invicem ſegregati, & ex relatione quorumdam perceperis quod aliam memoratus W. intenderet ducere in uxorem, licet ipſum ne hoc facere aliquatenus attemptaret monuerit diligenter, ipſe nihilominus extra Civitatem furtim cum alia ſponſalia, & nuptias temere celebravit. Verum cum factum inquirere laborares, ut ſecundum illud procederes, ſupradictus W. rei ſeriem prout factum fuerat explicans, & exponens, ad noſtram audientiam dicitur appellaſſe. Unde Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quoniam ſi res ita proceſſit, prætaxatum virum appellatione remota ad legitimam uxorem per excommunicationis ſententiam redire compellas, & injuncta eidem pœnitentia de commiſſo adulterio cum ſecunda, priorem maritali affectione ab ipſo facias pertractari. Capellanum nihilominus, quem benedictione tibi conſtiterit celebraſſe cum ſecunda, ab officio, beneficioque ſuſpenſum cum literarum tuarum teſtimonio apud Sedem Apoſtolicam nullatenus deſtinare poſtponas. Datum Laterani.

IN-

## INNOCENTIUS III.

Idem de Testibus & a te veniens CC.

Quamvis ad abolendam simoniacam pravitatem a Prædecessoribus nostris varia emanaverint instituta, usque adeo tamen in quosdam fatuæ filios ille morbus irrepsit, ut adhuc, peccatis exigentibus nec leni poterit medicamine, nec igne curari, quin eo potius in iniquitatis semina pullulaverint, quo amplius sollicitudo messorum visa est suffocare: quia vero ex defectu testimonii in plerisque non potest hujusmodi perversitas canonica pœna feriri, & tu Sedem duxisti Apostolicam consulendam, utrum mediatores, & interlocutores per quos scelus illud plerumque committitur ad testimonium possint contra sceleris actores admitti, quod in odium criminis admitti debeant respondemus, cum tanta sit labes illius sicut in Canone continetur, quod in eam ad ferendum testimonium quilibet admittatur.

## CLEMENS III.

Super quodam Regulari Canonico de tua Diœcesi, qui in articulo mortis agens, licet a Priore suo communitus proprium, quod contra Regulam latenter habebat noluit resignare, & sic diem clausit extremum, quid scilicet de illo agendum sit, cum nihilominus sit inter alios Fratres traditus sepulturæ, nos duxisti necessario requirendos: quia vero te ignorare non credimus, quid de talibus in Regula S. Augustini habeatur statutum, & quid in Synodo Lateranensi constet inhibitum, manifeste inquisitioni tuæ præsentibus literis respondemus, quod ille Canonicus non tantum fuit Christiana sepultura privandus, verum etiam si sine maximo scandalo potuerit fieri de ipsa projici dignus, & extra cimiterium Ecclesiæ sepeliri, cum sicut in ipsa Synodo habetur expressum nec absolutio pro eo facienda sit, nec inter fratres debeat sepulturam habere; hoc autem cum forte contigerit in talibus est agendum.

## CÆLESTINUS III.

*Abbati, & Conventui Vercellensi.*

Cap. Cum ad quorundam. 7. de Excess. Prælat.

Cum ad quorundam malitiam coercendam in Concilio fuerit Lateranensi multa deliberatione statutum, ut Archiepiscopi, Archidiaconi, Archipresbyteri, & etiam Decani certum evectionis numerum, & personarum in Ecclesiarum visitationibus non excedant, quia, sicut audivimus, quidam ex prædictis personis, id in Ecclesiis vestris nequaquam observant, super hoc commoditati vestræ salubriter duximus providendum. Ideoque discretioni vestræ, præsentium auctoritate, concedimus, ut si præpominatæ personæ numerum evectionis, & personarum in Concilio constitutum cum eas visitant, excedere forte præsumpserint, & pro illis procurationem exegerint, liberum sit auctoritate Apostolica denegare, & si per hoc in Ecclesias vestras, vel Clericos vestros aliquam sententiam promulgaverint, ipsam, auctoritate Apostolica, decernimus non valere. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum.

## INNOCENTIUS III.

*Teronensi Archiepiscopo.*

De Testibus

Tua nos duxit Fraternitas consulendos utrum cogendi sint super principali etiam negotio facere testimonium veritati, & an illi sint sicut cæteri testes examinandi distincte qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur. Super hoc itaque Fraternitatem tuam plurimum in Domino commendamus, quæ in dubiis A. P. S. vult certificari rescripto taliter apposito respondemus quod si testes inducti jam sint ad exceptionem solummodo probandam contra sacramentum, juraverint dicere veritatem; super principali, nec deberent exaudiri, nec cogi testimonium perhiberent utpote super quo deponeret, non jurati. Si vero cum ad probandam exceptionem peremptoriam ab alterutra partium inducuntur, reliqua pars super principali etiam eos deponere forte petierit, & ut cogantur super toto negotio dicere veritatem sacramento eos postulaverit obligari, ad id sunt sine dubitatione cogendi, nisi forsan sufficiens productio testimoniorum super principali jam facta fuerit tibi renuntiatum a partibus, vel depositiones testium fuerint publicatæ. Illi vero qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur id solum tenentur juramento firmare quod veritatem eum credant juramento dicere qui purgatur.



## IDEM ABBATI S. PROCULI,

*Et Magistro Labfranco Canocis....*

Ad hoc Deus in Apostolica Sede constituit totius Ecclesiæ magisterium, ut quia secundum Scripturæ sententiam fecit Deus hominem rectum, sed ipse se etiam illicitis quæstionibus miscuit, ad eam nodi quæstionum difficiles referrentur, suo judicio dissolvendi, ad Apostolatus quippe nostri notitiam litterarum vestrarum insinuatione pervenit, quod cum causa quæratur R. . . . . . . uxorem ejus vertitur ad is. . . . . filio nostro G. Sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali tunc Apostolicæ Sedis Legato nobis fuisset sine debito terminanda, viro ipso ad vos ad instantiam mulieris sæpius convocato, tandem R. patricium suum in causa ipsa coram vobis constitutum R. . . . . . . . . . qui signato sibi die ei libello responderet uxoris, quo virum & a separatione tori, & ut dotem suam reciperet de adulterio accusabat, donec advocatus ejus, qui absens erat rediret postulavit, quibus ad diem certam obtentis, iterum propter eamdem causam similes impetravit dilationes, cum etiam tertio dilationes hujusmodi eum instantia petens optavit in præsens publice proclamavit se nunquam coram vobis aliter responsurum neque aliter sententia vobis præsentiam exhibere. Unde duobus fere mensibus sic impedito causæ progressu cum vobis dictus procurator illudere videtur, testes mulieris habito consilio recepistis, & allegationibus insuper præbuistis auditum, quo facto dictus procurator ad præsentiam vestram accedens dixit respondere paratum velle negotio interesse. Qui sibi die statuta cui crederetur libello de quo præmisimus, responsurus restitutionem uxoris ex parte viri prius fieri postulavit, & ne secus fieret ad Sedem Apostolicam vocem appellationis emisit. Verum quia mulier ipsa dicebat se virum habere suspectum, vel quia in domo ejus coacta fuerat se adulteraram compluribus confiteri, vel quia meretricem publice detinebat, ex qua etiam prolem susceperat, sicut evidentia facti, & fama uberrime demonstrabat, super quo etiam testes produxerat, & alios parata erat ad hoc ipsum probandum producere ab ipso procuratore quæsitis ..... de mulieris impunitate cavere, qui dixit super hoc de osculo responsurum, sed ad diem statutam nec respondit, nec se vero conspectui præsentavit, quin etiam ad alium diem citatus se asseruit nisi post ejus advocatus reditum nullatenus responsurum, sicut nuncius vester juramento firmavit. Unde iterum testes multos de prudentum consilio recepistis, attestationibus publicatis diligenter auditis quæ fuerint ipsius notitiæ allegata. Quia vero cum de ferenda sententia cum viris prudentibus concertaretis diversorum invenistis diversa consilia, quibusdam dicentibus appellationi simpliciter deferendi; aliis autem appellatio defendendi non esse, nonnullis etiam asserentibus appellationem nullatenus tenuisse cum mulier non sit viro restituenda suspecto. Tu si de earum pravitate sufficienti præstita cautione. Vos in tanta varietate nos consulere voluistis qualiter esset in hoc negotio procedendum: nos ergo consultationi vestræ de fratrum nostrorum consilio taliter respondemus, quod hoc licet ordo judiciarius in aliis con-

§ 3. q. 9. de........ .......... solummodo dicunt quod istud habet locum in matrimonialibus causis & est speciale in istis secus in aliis ut in........ ........ vel hic....... .......... ....... secundum leges non autem secundum ......

vel dicat quod ibi derogatur per illud cum de illo nullam fecerit mentionem . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . ceterum & dicunt, quod sententia haberi posset super principali, dummodo Judici liqueat de causa.

troversiis observandus, in matrimonialibus causis non usquequaque servetur, quia tantum in præsenti negotio non est ocium defendere . . . . . sed de crimine adulterii per quod ad separationem conjugii, non ad commistionem intenditur, cum lite non contestata testes fuerint recepti & adtestationes & publicatæ, sive deferenda sive non deferenda appellatio fuisset non est ad difinitivam sententiam procedendum. Potuit tamen præfatus R. post contumaciam excommunicationis vinculo innodari.

## CÆLESTINUS III.

### *Episcopo Rothomagensi, & Decano.*

Cap. Prudentiam. De mutuis petit:

Prudentiam tuam debita laudum prosequimur actione pro eo quod more prudentis viri in articulis juris, super quibus aliquando dubitas Sedem ducis Apostolicam consulendam, ad quam utique omnes difficiles quæstiones, & causas antiqui Patres statuerunt decere referri. Sane consuluisti nos, utrum cum causa appellationis cessante, committitur, & reus sub eodem judice actorem reconvenerit, vel eisdem, quod quidem ex constitutione tam canonica, quam Forensis juris licite fieri potest, & actor super reconventione appellationis se interponit, appellationi sit huiusmodi deferendum. Nos vero ita sentimus, quod cum in hoc actoris, & rei una sit causa, & eadem, eodem jure circa remedium appellationis uti debet uterque. Unde nec appellationi taliter interpositæ deferendum esse credimus, etenim ipso Christo attestante, qui est veritas, didicimus, quod omnia quæcunque volunt aliqui, ut eis homines faciant, eadem & ipsi facere debeant, nec juris peritus ab hac sententia discrepat; quapropter authentica quæ incipit, & consequitur in quo id de facienda reconventione expresse habetur, & alibi statuitur, ut eodem jure quis utatur quod duxerit in alium statuendum, ideo sicut desiderant ut sibi justa, respondeat mandatoris justitia fiat, appellatione remota, ita debet & eadem ratione se reconvenienti in sua justitia respondere.

I. Extrav de App quæ si just CC. sed quod hic intelligitur quando aliqua causa committitur remota appellatione in uno articulo, unde intelligatur esse remota in omnibus aliis articulis, sive in principio inhibeatur appellatio, sive in medio, sive in fine. Ubi dubita intelligitur quando plures erant causæ commissæ, & penitus diversæ. Unde licet Appellatio esset prohibita in una, non tamen in alia. Alii sunt, qui volunt trahere istam ad illam, alii e contra.

Secundo requiris cum pluribus articulis in una commissione positis in uno tantum contingit appellatione remota expresse vetari utrum appellatio teneat si super aliis fuerit appellatum. In hoc taliter respondemus, quod cum secundum beatum Gregorium verba intentioni deserviunt, & sit nostra intentio, ut de omnibus articulis, qui in commissione nostra ponuntur justitia non opposita, appellatio suum sortiatur effectum, in omnibus intelligitur appellatio interdicta. Nihil enim interest utrum primo an medio, licet etiam in fine inhibeatur appellatio, cum sicut nos docent utriusque juris argumenta expressa, & ea quæ in principio rescriptorum ad medium & ad finem, atque principium & quæ in fine ad principium atque medium sæpe numero referri contingit.

Tertio postulas edoceri cum aliquis Judicem tanquam suspectum recusat, an causam suspicionis debeat allegare, & causam, nisi manifesta sit, coram eodem Judice probare teneatur, utrum etiam judex possit in ipso negotio procedere, si ille qui suspicionem obiicit, causam ejus non velit, vel non valet in jure probare. In hoc nimirum tale duximus consultationi vestræ dare responsum, quod cum aliquis judicem se suspectum habere proponit, suspicionis causam coram eodem judice allegare tenetur, ne possit alias quodlibet pro suæ voluntatis arbitrio quorumlibet judicium frustratorie declinare, sed partes ut in aliquem judicem, vel aliquos non valde remotos conveniant per eumdem judicem qui nominatur suspectus debent cogi, coram quo licet quibus si causa suspicionis intra competentem terminum probata non fuerit tunc demum auctoritate sua utetur, quod si coram ipsis, in quos convenitur evidens fuerit suspicionis causa probata, Judex recusatus a causæ cognitione supersedere tenebitur. Ipsa namque ratio dictat, & plurimis probatur exemplis, quod

De appellat. Ca: secundo requiris.

suspecti, & inimici judices esse non debeant, cum sicut decretale prohibet institutum nihil gratius, & amabilius quis dare valeat inimico quam si ea ad impetendum commisit, quem lædere, & damnificare intendit.

Illam præterea quæstionem ultimo loco proponis utrum Judex cognoscere possit an frustratorie sit, an causa rationabili appellatum, & si appellans rationabilem appellationis causam non opposuerit, aut non probaverit quantum opponit, an judex hujus appellationis obtentu teneatur a causæ cognitione cessare: hic non placet nobis aliud diffinire, quam ab Antecessoribus nostris, & juris peritis utriusque fuerit diffinitum, cautum etenim est in lege, quod appellatione interposita, sive recepta sit, sive non, tempore medio nihil immutari oportet. Canonica nihilominus continent instituta, ut qui volunt, vel quibus necesse fuerit ad Romanam Ecclesiam quasi ad caput suum suffugere possint, & sine impedimento quolibet appellatione ad quam nimirum sine ulla custodia, vel ulla excommunicatione, vel damnatione, seu spoliatione ire libere concedatur, qui utique sacrorum Canonum sanctiones passim appellare permittitur, ideo judex cum causam ante se tractaverit, quam sic per appellationem suspensam esse perspexerit, a cognitione causæ quamcitius abstinebit.

Quinto igitur loco supplicas informari utrum cum tribus, vel pluribus causa committitur, ita ut si omnes interesse nequiverint, duo nihilominus exequuntur; si a duobus reus tantum fuerit convocatus, venire necessario teneatur, & si citatus fuerit a duobus tantum, seu pluribus coram duobus apparuerit, tertio autem ulteriori nec venire, nec se per literas excusante, ut solet fieri, an duo præsentes in causam possint procedere, & eam diffinire, & fine canonico terminare. Nostra in hoc casu talis exstitit responsio, quod cum aliquis Delegatorum Judicum per certum nuntium, vel excusationem litteratorie destinatam non ostendit, se interesse non posse, licet alias de eodem canonice constare nequiverit, residui ad causæ cognitionem procedere non debent, & qui sic processerint nihil egisse reputabuntur, illa quippe fuit antiqua Sedis Apostolicæ provisio, ut hujusmodi cognitiones, & decisiones duobus quam uni, tribus quam duobus libentius delegaret, cum sicut sacri canones attestantur integrum sit judicium quod plurimorum sententiis confirmatur, mandati siquidem fines excedere probaretur, si quis citra formam accepti rescripti præsumeret judicare.

Addicimus etiam quod ubi fuerit in commissione appositum, ut si omnes interesse nequiverint duo in. ex. & si aliquis ex ipsis cum possit noluerit interesse, duo nihilominus in causa procedant, licet ille tertius gravissime sit arguendus pro eo quod mandatum Apostolicum exequi subterfugit, aut contempsit. Idem per omnia dicemus cum causa committitur duobus eo apposito quod si omnes interesse non possint, alter nihilominus exequatur.

Sexta nobis proposita ex parte tua quæstio continebat quod cum aliquibus judicibus causa committitur, & quandoque contingit, quod reus actori obiicit quod stare non potest judicio, utpote vinculo excommunicationis astrictus, si reus non velit eum statim excommunicatum probare, si non possit, an actor nihilominus debeat audiri, donec super eo quod ei obiicitur rei veritas fuerit denudata. Hanc dubitationem taliter amovemus quod si ille, qui tale quod obiicit statim vel intra terminum competentem non probaverit legitime quod intendit, actori permitti debet ut sine offendiculo quolibet audiatur. Cæterum si vel ex confessione actoris, vel alio quolibet legitimo modo constiterit actorem esse vinculo excommunicationis astrictum, a judicibus Delegatis secundum formam Ecclesiæ valet absolvi; ita tamen, ut si propter aliam justam causam, & evidentem ab ordinario judice, vel delegato fuerit excommunicatus, ad excommunicatorem mitti debeat absolvendus; qui si malitiam adhibuerit, delegati judices id

ritu

rito Ecclesiastico libere prosequuntur; dummodo non tale genus sit illius excommunicationis, cujus absolutio Sedi Apostolicæ reservatur. Explorati juris quidem existit ut delegatis judicibus, quibus principale, & accessorium committitur. Si vero ab eis judicibus fuerit absolutus præstito scilicet juramento quod stabit mandato Ecclesiæ.

Rursus interrogas an coram illis delegatis judicibus, vel coram ordinario, a quo est excommunicatus teneatur super eadem causa, pro qua fuit vinculo excommunicationis innodatus respondere, & quorum debeat stare mandato. In quo quidem casu taliter Respondemus; quod coram ipsis excommunicatoribus super illa causa pro qua excommunicatus fuit stare debeat, & eorum servare mandatum, nisi specialiter illud negocium a Sede Apostolica fuerit alii delegatum; qui excommunicatores si maliniose distulerint, tunc Delegati eandem jurisdictionem quam in principali, & in accessorio exercebunt. Datum Laterani XV. Kal. Julii Pontificatus nostri Anno III.

## CÆLESTINUS III.

*Priori, & Canonicis S. Raverii.*

Ex tenore litterarum Venerabilis Fratris nostri Episcopi videtur, & ex parte vestra nostro est Apostolatui declaratum, quod cum olim in Ecclesia vestra certus esset Canonicorum numerus institutus, vos unanimi voluntate, ac pari consensu & juramento firmastis, ut nullus de cætero ultra constitutum numerum in socium debeatis accipere, vel in fratrem. Postmodum vero quam Albericum clericum ad preces Apostolicas, & mandatum nostrum recepistis in collegium, dejerationis notam vos incurrisse timetis, & super hoc Apostolicæ sedis postulatis vobis oraculum exhiberi; ad quod utique vobis taliter duximus respondendum, quod licet in juramentis super tali articulo interpositis minime contineatur expressum, semper tamen intelligi debet, quod in eis Sedi Apostolicæ auctoritas reservetur.

*Idem Vidrosiensi Archiepiscopo.*

Cum ratio ab homine &c. & infra. In secunda vero quæstione ita sentimus quod a communione ejus, qui per sacrilegam manuum extensionem in edictum excommunicationis incidit, licet denunciatus non sit, adhoc debeas abstinere, nisi forte id tibi soli pateret, in quo casu ipsum private tantummodo vitabis, quandiu ab Ecclesia toleratur, ut saltem sic verecundiæ rubore perfusus pro latenti excessu satisfacere compellatur.

*Idem Teratino Episcopo.*

Insinuasti nobis quod quidam Parochianus tuus, C. nomine, postquam juravit quod filiam V. duceret in uxorem, voluntate mutata se alii sacramento obligans, cum ipsa secunda intendebat nuptias celebrare. Verum cum partibus in tua præsentia constitutis de causa plenius cognovisses, quasi per sententiam eidem C. præcepisti ut filiam V. in conjugem acciperet, & fortius inhibuisti ne contraheret cum secunda, unde quia sicut asseris.... & prohibitionem, ad sacramentum cum secunda veniens celebravit, & super hoc quid sit agendum inquiris. Videtur nobis quod quamvis graviter deliquerit, tamen non debeat a secunda recedere; imponenda est ei pœna competens de eo quod contra juramentum, & sententiam tuam ac prohibitionem Ecclesiæ venire præsumpsit.

*Idem Capitulo Bisinco.*

Universitatis Vestræ consultationem accepimus, quod a nobis requiritis, utrum ille laicus incidat in excommunicationis edictum, qui ad jussionem Abbatis, in cujus servitio commoratur, in clericum, Cap. Universitatis
vel monachum vel conversum manus temerarias 24. De sent.
præsumpsit mittere; maxime ubi causa non subest excom.
quare debeant verberari. Nobis autem videtur quod nisi causa regularis disciplinæ hoc facit Abbas in propria persona, vel si necessitas urget per clericum, vel monachum fieri jubeat, tam qui tales verberari præcipit, quam illi qui verberant, etiamsi causa subesset, excommunicationis sententiam donec ad Sedem Apostolicam veniant, nequaquam evadunt.

## ALEXANDER III.

Si quis sane puerum tunc mersetit dicendo: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* si non Cap. Si quis 1. de
dixerit, *ego te baptizo*, talis immersio non potest Baptis.
dici baptismus.

*Idem Episcopo Agathensi, Lib. XII. Registri.*

De muliere illa, quæ, ut nobis significasti, cupiens viri sui ampliorem amorem sibi acquirere, su- In Comp. II. est
scepto corpore Christi, & in ore retento, eidem viro Alexandri III.
cum eo osculum porrexit, & ipsum traiicere non potuit, sed postea versum est in carnem cum tangeret juxta dentes molares & caro succreverit, & adhuc est in ore ejus, Fraternitati Tuæ non possumus dare consilium, nisi quod eam moneas, & compellas, ut tantum per dignam pœnitentiam, & bona opera satagat quod possit expiare delictum. Credere quippe debemus quod si vere contrita fuerit, & pœnam condignam egerit, & super ipsa ad Dominum oraverit corpus traiicere poterit, divina gratia suffragante.

## CLEMENS III.

*Præposito Falc...*

In audientia nostra talis fuit consultatio ex parte tua proposita, utrum Clerici, qui arma militaria, relicto habitu clericali, gestare nullatenus erubescunt, si eis fuerit corporalis injuria illata, vel se a captore redemerint, illa debeant clericorum immunitate gaudere qua pro temeraria manuum injectione facta in clericum excommunicatus quis ipso jure notetur. Ad hoc tibi breviter respondemus, quod cum frustra Ecclesiæ suffragium invocat, qui committit in ipsam, & lex sæcularium Principum huic responso satis efficacia afferat argumenta, quo manifeste cautum habetur. Matronam cujus pudicitia attentata fuerit, non posse injuriarum agere si fuerit in veste meretricia deprætensa; hujusmodi clerici si fuerint a Prælatis suis tertio commoniti, & noluerint arma deponere, de privilegio clericorum habere non debent.

## ALEXANDER III.

*Vigorniensi & Coventrens. Epis.*

Ex literis, quas nobis vestra Fraternitas destinavit, evidenter accepimus, quod cum causam quæ Aliquid simile est
inter Magistrum A. de Hide. & R. de Alta Ripa Cap. Ex literis 3. De
super capella de Camb. vertitur, de mandato nostro fid. instrum.
suscepissetis terminandam, & nostras in communi audientia litteras perlegi fecissetis, prædictus R. fieri sibi copiam postulavit, quod si quis litteras illas in scripturis arguat falsitatis, quod in facti narratione sunt abrasæ ubi scriptum est super parochia &c. nos inspicientes litteras vestras quod propter abrasionem non possent judicari falsæ, nec etiam suspectæ haberi, præsertim cum privilegia in possessionibus abradantur, & literæ in narratione de facto non erant & (*sic*) possint incunctanter abradi.

CLE-

## CLEMENS SEGORI

*Episcopo.*

Pervenit ad nos quod in Episcopatu tuo sæpe contingat quod a laico enormis, & intolerabilis injuria clerico multis adstantibus, & videntibus inferatur, vel præsente plebe in Ecclesia cum diabolicæ fraudis instinctu accidit horribiliter sanguinem humanum fundi, & ob hoc injurantes in causa tracti negant se tantum facinus commisisse, & cum læsus illatam injuriam eorum testimonio, qui præsentes viderunt, probare desideret, ipsimet, licet veritatem cognoverint, contemnunt testimonium veritati perhibere, & sic ecclesiastica justitia deperit, & clericalis ordo vilescit. Accidit etiam complures frequenter in clerico violentas manus temere injiciunt, ad sedem nequeunt Apostolicam plurimis obstaculis venire; & quia super his tua nos duxit Fraternitas consulendos, tuæ consulationi taliter Respondemus: quod qui de rebus Ecclesiasticis nolunt testimonium perhibere, si alias veritas nequiverit inveniri, licet juxta rigorem canonum unius testimonio non sit standum, juxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ propter reverentiam ordinis Clericalis ipsorum juramento fidem volumus adhibere. Illos autem, qui valetudine præpediti pro absolutionis beneficio ad Sedem nequeunt Apostolicam venire, recepto ab eis juramento, sicut moris est, potes absolvere: ita quod sanitati pristinæ restituti Apostolico conspectui se repræsentent. Sexui vero fœmineo, & pueris, ac senibus satis credimus te libere dispensare. Ecclesias, quæ fuerint sanguinis effusione pollutæ, civitatis Clericis convocatis, & cum processione, & aquæ benedictæ aspersione prout in ordinario habetur scriptum poteritis emundare.

Compellendi sunt testes ad testimonium in rebus Ecclesiasticis. & est credendum sacramento unius clerici prolati, valetudinariis, pueris, & senibus, & feminis poterit ex dispensatione provideri.

Idem de sententia ex.........................

De his vero qui non fratri enormem injuriam irrogant, tuæ Fraternitatis arbitrio duximus relinquendum.

Cap. Pervenit 17. De Senten. Excom.

## CLEMENS SEGOCIENSI

*Episcopo.*

Interrogatum nobis est ex parte vestra, utrum Judæi, vel Saraceni ad Fidem Christianam conversi suis uxoribus cohabitare valeant, quas in secundo, tertio, & quarto gradu sibi dum fuissent in infidelitate positi, matrimonio copularunt; an & ipsis conversis liceat relictis conjugibus ad alias nuptias convolare. Auctoritate igitur præsentium respondeo, quod taliter ad Fidem conversi, quandiu volunt uxores eorum remanere cum ipsis, eas, sive conversæ sint, sive non, licentiam habent si voluerint retinendi, non tamen ad hoc sunt cogendi. Cæterum ipsis viventibus, & volentibus remanere, cum aliis contrahere non debent; quod si in odium Fidei Christianæ recesserint, cum teste Gregorio contumelia Creatoris solvit matrimonium, jus circa eum qui relinquitur, alias ducere minime prohibentur. Nec refert utrum in secundo, vel tertio, vel quarto gradu, dum fuissent in infidelitate, contraxerunt, cum tantum fuisset in veteri lege prohibitum, ne sororum suarum turpitudinem revelarent.

Nota ad marg. Cod. vetus sed alia manu. Videtur ergo per literam ista quod si conversæ fuerint uxores non sunt cogendi ut ipsas teneant quod credo falsum. Unde credo quod Litera sit: non restrate nisi ad primum casum; scilicet quando non est conversa, & ita non repugnat caput *Judæi* & caput *Jope*. Alii dicunt quod illud caput *Judæi*, & *Jope* intelligitur quando Christiani cum Judæis [illegible] contrahere præsumunt; hic vero de matrimonio contracto in Judaismo. Alii dicunt quod illud intelligitur de his, qui nomen Christi non abhorrent; illud de his, qui abhorrent.

## DE ELECTIONE, ET ELECTI

### POTESTATE IN III. LIB. REG.

*Cælestinus III. Ravennati Archiepiscopo III.*

Ut super aliqua &c. & *infra* quæsivisti etiam quomodo intelligatur quod in forma tradenda Pallii retinetur, videlicet tradimus tibi Pallium, ut utaris eo in Ecclesia tua, & intra qualibet Ecclesia tuæ Provinciæ. Si vero te vestibus sacris Ecclesiam processionaliter, vel alio modo exire contigerit, tunc Pallio minime uti debes. Datum Laterani anno III.

## DE ÆTATE, ET QUALITATE,

### ET ORDINE PRÆFICENDORUM.

*Cælestinus Rodulpho Andegavensi Episcopo.*

Cum sacrosancta Rom. in Ecclesia, & *infra* alios autem qui propter impedimentum ætatis presbyterii honorem adipisci non possunt, si id solum obstare cognoveris, licet forsitan ad talia officia non debuerint in ea ætate assumi, æquo animo debes usque ad illud tempus sine ranchore aliquo tolerare, quod eos ad suscipiendum onus Sacerdotii de constitutione canonum idoneos, si alia non obstiterint, comprobabis.

Est portio Cap. Ut super 3. de reb. eccl. non alien.

## DE FILIIS PRESBYTERORUM

### ORDINANDIS, VEL NON.

*Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo.*

Ad extirpandas, & *infra*. Interest quod Fraternitati tuæ per Apostolicæ Sedis præceptum mandamus quod si qui filii clericorum Provinciæ tuæ, in quibus Patres eorum tanquam personæ, vel Vicarii nulla personæ intermedia ministrant, eos, sive geniti fuerint in Sacerdotio, sive non, ab Ecclesiis ipsis con. & ap. esse non differas amovere. Si vero aliqui sint filii Clericorum, qui Ecclesias, quas Patres eorum tenuerunt personis aliis mediis sunt adepti, eos, dummodo idonei sint, in illis poteris sustinere; ita quod si unus plures Ecclesias, quas pater ejus tenuerat, possidet, quarum una possit sibi sufficere, ipsum una quam maluerit, facias esse contentum, dummodo tales non sint, a quarum una reliquæ pendere noscantur.

Cap. Ad extirpandas 11. hoc tit.

## DE CORPORE VITIATIS

### ORDINANDIS VEL NON.

*Alexander III. Episcopo Meldensi.*

Dilectæ in Christo filiæ nostræ Priorissa, & Conventus de Celonantia a Sede Apostolica quæsierunt, si juvenis quidam conversus eorum genitalibus destitutus in presbyterum possit de permissione Canonum ordinari. Nos itaque volentes in hac causa destrictionem Canonum observari, mandamus, quod inquiras diligentius veritatem, si ab hostibus sectus fuerit, vel a medicis, aut nesciens carnis vitio reluctari ipse sibi manum injecerit; priores enim admittunt Canones, si alias idonei sint; tertium velut homicidam statuunt puniendum.

## DE OFFICIO, ET POTESTATE

### JUDICIS DELEGATI.

*Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo.*

Cum te consulente postulas doceri utrum ad te pertineat sententiam quam in causis judices a nobis intra provinciam delegati protulerunt, confirmare, licet de causis ipsis nil in tua præsentia sit tractatum; consultationi tuæ præsentibus literis respondemus, quod sententiam ipsam non teneris, nisi volueris confirmare, si id tibi ex tuo officii debito noveris imminere ut si ad mandatum illorum judicum sententia non possit exequtioni mandari, eis præstes auxilium & favorem; & ipsam, si noveris etiam rationabiliter latam, poteris confirmare.

Item si super causis quæ tibi ex nostra delegatione committuntur personis ecclesiasticis uni aut pluribus ut litigantium interim parcas laboribus & expensis cognitionem ipsius causæ & testium examinationem sententia tibi servata committis, appellatio fuerit

Cap. Cum te consulente 18. de offi. & potest. Jud. deleg.

rit interposita, hujusmodi appellationis intuitu causam ipsam indefinitam relinquere non teneris.

## DE OFFICIO ET POTESTATE

### JUDICIS DELEGATI.

*Lucius III. Norvicensi Episcopo.*

Quæsitum est a nobis ex parte tua si judex ordinarius, vel cui judex delegatus mandaverit, ut partes citaret, vel exequeretur sententiam, delegato teneatur judici obedire, cum non sua fide legantis vice fungatur, & cum jurisdictio delegetur omnia delegari quæ ad jurisdictionem facere videantur, merito delegatus potest tam ordinarium, quam alium cui mandaverit, cogere ad efficiendum quod præcipit, & ei qui obedire contempserit pœnam indigere comperentem.

## ALEXANDER III.

*Eboracensi Archiepiscopo.*

Cap. Ad aures 33. De Appell. Ad aures nostras, te significante, pervenit, quod interdum cum tibi vel aliis causa committitur sub appellationis remedio altera partium ut examen declinare valeat judicis delegati quæstiones incidentes opponit, & licet in principali causa non sit appellationis remedium reservatum, in appellationis tamen vocem prorumpit, appellationis suæ terminum non præfigens, sicque partem aliam sine prosecutione appellationis facit manere suspensam, postulabas igitur tibi & aliis judicibus ubi causæ sententia sine appellationis remedio committitur, incidentes quoque sine debito appellatione postposita terminare. Cæterum cum incidentes quæstiones sæpius præjudiciales non immerito judicentur, petitioni tuæ in hac parte non duximus annuendum. Sed ne quæ partium diutius frustratoriis judiciis affligantur, appellanti ad prosequutionem terminus præfigatur congruus, intra quem si appellationem non fuerit prosequutus, ex tunc tam super incidentibus quam super principali causa stare judicio delegati judicis, appellatione postposita, compellatur, ita quod nec uni commune remedium subtrahatur, nec alter possit frustratoriis dilationibus fatigari.

## DE APPELLATIONIBUS

*Cælestinus III. Cremonensi Episcopo.*

Licet appellationis remedium & *infra*. Nos igitur tantæ clericorum incommoditati pastorali volentes sollicitudine præcavere, & laicis ipsis auferre materiam clericos sugillandi, vel eos sub eorum judicio coercendi, tibi taliter duximus super hoc respondendum; ut si cujuslibet clerici tibi subjecti quæstio ad tuam fuerit Fraternitatem delata, & quod in quæstione vertitur quadraginta solidorum valentiam non attingat, clerico qui ex hoc ad Sedem Apostolicam duxerit appellare, necessitatem tibi non imponimus differendi quominus, si malueris, causam sine appellationis obstaculo valeas terminare, nisi manifesta contra te suspicionis, & rationabilis causa fuerit ostensa. Datum Laterani Anno III.

## DE COHABITATIONE CLERICORUM

### ET MULIERUM.

*Lucius III. Magistro & Fratribus Militiæ S. Jacobi.*

Cap. Vestra 7. de cohabit. Cleric. Vestra duxit devotio inquirendum, ut consulamus fratribus vestris Parochiales Ecclesias adeuntibus, quorum clerici concubinas habent, de hoc enim diversæ videntur sacrorum canonum sententiæ emanasse; alicubi enim dicitur: nullus audiat missam presbyteri, qui indubitanter concubinam habet; alibi non potest aliquis quantumcunque pollutus Dei Sacramenta polluere, quæ purgatoria sunt cunctarum cogitationum &c. quia omnia in Fide Christi purgantur. Cæterum aliud est quando crimen notorium non diffitetur presbyter, vel de ipso canonice est condemnatus; aliud est cum penitus est occultum, vel adhuc ab Ecclesia toleratur. Item a talium officiis abstinere ut peccandi licentia aliis auferatur, & ad dignæ pœnitentiæ fructum attrahantur. Aliud si tanquam innocentium ministeria reputantur. Sine dubitatione itaque teneatis, quod a Clericis, & Presbyteris, quanquam fornicariis, quandiu adhuc celantur, nec opus evidentiam habet, licite audiantur divina officia, & alia suscipiantur Ecclesiastica sacramenta.

## DE EXCOMMUNICATIONE,

### ET INTERDICTIONE.

*Clemens III. Lugdunensi Archiepiscopo.*

Ad quæstiones solvendas, quæ per Fratres & Coepiscopos nostros Sedi Apostolicæ porriguntur, juxta officii nostri debitum, nos convenit solutionem adhibere. Intelleximus utique ex tuis literis, quod duæ conventuales Ecclesiæ sunt in tua Diœcesi constitutæ, quarum utraque parochialem habet Ecclesiam cum possessionibus magis alteri, quam sibi vicinam. Illis autem eas desiderantibus permutare, cum illarum altera respectu meliorum proventuum possessionum suæ Ecclesiæ sibi postulet adiici certam summam pecuniæ numeratæ, ut sic ad qualitatem præmii valeat perveniri, utrum possit id licite fieri cœpit ab aliquibus dubitari, quam ob causam Sedem Apostolicam consulere voluisti. Licet itaque tuæ discretionis industriam ignorare minime reputemus, quid super eodem articulo sit agendum, nihilominus sic tuæ diligentiæ respondemus quod cum de jam dictis Parochialibus Ecclesiis per se queat permutatio celebrari, & in permutatione possessionum per se non sit inhibitum, ubi altera possessionum alteri præponderat, pecuniam posse refundi, de ipsarum quoque possessionibus ad invicem prout visum fuerit expedire refusa certæ pecuniæ quantitate, poterit contractus permutationis fieri, sic tamen quod nequaquam contractus sibi invicem misceantur. Cap. ad quæstiones solvendas 6. de rer. permut.

## DE SEPULTURIS

*Cælestinus III. Abbati, & Conventui Lirum in II. T. R.*

Certificari voluisti a nobis quomodo illa clausula, quæ solet in privilegiis nostris apponi de justitia illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur, intelligi debeat & exponi. Cum autem super hoc articulo diversa nostrorum antecessorum manaverint instituta Leone justitiam ipsam aliquando in tertiam partem, quanquam vero medietatem, & Urbano III. quartam fore censente: Nos tale præbemus in hac varietate responsum, ut sicut beatus Hieronymus inquit unaquæque Provincia in sensu suo abundet, & secundum rationabilem consuetudinem regionis illa justitia circa medietatem, vel tertia, aut quarta parte pro locorum diversitate attendatur. Datum Laterani Anno II. Cap. Certificari 9. de sepult. J. L. XXVI Utinam

## DE DECIMIS

*Cælestinus III. Biterensi Episcopo in secundo T. R.*

Ex parte dilectorum nostrorum filiorum Canonicorum Ecclesiæ tuæ nobis est querela proposita, quod quidam agricultores cum simul, vel in diversis temporibus anni in eodem agro, vel horto diver- Cap. Ex parte 21. de decimis.

sa

sa semina sumpserint, non tamen de illorum seminum fructibus decimas eis exolvunt; quidam etiam decimas de agrorum proventibus non curant exolvere, nisi quibusdam prius deductis expensis, quas faciunt pro illis ad aream ad horrea deportandis. Quia igitur per hoc Canonicis, ipsi & Ecclesiæ Dei non modica injuria irrogatur, cum Levitis absque impensis decimas sit injuctum persolvi; Fraternitati tuæ per Apostolicum scriptum mandamus qualiter inquisita diligentius veritate, si rem noveris taliter se habere, Agricultores illos, ut de omnibus fructibus prædiorum, nullis subtractis expensis, sed integras potius decimas, & absque diminutione persolvant, per censuram Ecclesiasticam omni contra, & appellatione remota compellas, & auctoritate nostra districte inhibeas, ne talia de cætero aliqua cupiditate seu præsumptione attemptent. Datum Laterani Anno III.

Idem in Extrav. Non est in Potestate.

## DE JURE PATRONATUS

*Clemens III. Archiepiscopo de Sancto Marino.*

Cap. nobis fuit 17. de Simon.

Nobis fuit ex parte tua significatum cum magna diligentia, quod cum quatuor essent a Capitulo constituti, qui debeant quendam in Plebanum eligere, amici illius, de electione cujus res habebatur, uni eligentium, vel omnibus promiserunt se pecuniam soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi interveniente promissione postmodum est electus. Quia igitur nos super hoc consulere voluisti, sollicitudini tuæ taliter respondemus, quod nisi forte constaret illos, qui tale promissum fecerunt per fraudem, & in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse, quamvis Ipse conscius promissionis non fuerit, tamen electio tanquam simoniace per pravitatem hujusmodi acquisita est penitus reprobanda.

Præterea quæsivisti a nobis si quis efficiatur suæ Ecclesiæ constructione patronus, vel si ad electionem Plebani sit cum clericis admittendus, seu ab ipsa omnino repellendus, tametsi de longa consuetudine electioni se allegaverit interesse debere. Et huic siquidem tale damus responsum, quod si quis Ecclesiam consensu Diœcesani Episcopi construxerit, ex eo jus patronatus acquirit. Cæterum in conventuali Ecclesia non electioni Plebani faciendæ, sed jam factæ, ut honestius patroni postuletur consensus, nisi patronus alias de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ. Secus tamen est in capella, in qua unus presbyter statuendus, quoniam a patrono eligitur, & per institutionem habendam loci Episcopo præsentatur. Pro fundatione quoque ipsa honor processionis fundatori servatur, & si ad inopiam vergit ab Ecclesia illi modeste succurritur, sicut in canonibus est constitutum.

Ad ultimum super hoc, quod in fine tuæ epistolæ invenimus hoc, duximus respondendum, quod aliquis in Plebanum, seu Presbyterum, seu quemlibet Ecclesiæ Prælatum electus, & si est per pravitatem reprobatus, ab Episcopo suo dispensationem aliquam de jure obtinere non debet. Datum Laterani VIII. Idus Maii.

L. XVIII. q. II. Abbatem CC L. post poterit distingui inter electionem, & electionem, nam primo debent tractare clerici de electione ut XXIII. di. in nomine Domini. & iste talis tractatus improprie dicitur electio. & huic tali electioni non debet interesse patronus, ut hic dicitur. Dicitur etiam electio, & pronunciatio electionis, & huic tali electioni debet interesse patronus. Ut in Cap. Abbatem.

## DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS.

*Alexander III. Burdegalensi Archiepiscopo. Pars cap. Consuluit.*

Cap super eo. 2. de Consan.

Super eo vero, quod juvenem quendam asseris puellam quandam nondum nubilem fide interposita jurasse, quæ nunc facta nubilis iterum repetit, & ille excipit, dicens, se non debere illam ducere pro eo quod postquam puellam illam desponsaverat, carnaliter propinquam ejus cognovit, inquisitioni tuæ duximus respondendum, quod si manifestum est, & id fama loci habet, cum desponsatio tantum fuit de futuro, idem juvenis ab impetitione puellæ potest, & debet absolvi.

## QUI CLERICI......

### Matrimonium contrahere possunt

*Urbanus III. Priori S. Crucis.*

Ex parte dilecti filii nostri Abbatis S. Petri de Romadine ad audientiam nostram pervenit, quod cum D. de Cel. in infirmitate positus, consentiente uxore ipsius votum vovens castitatis monachalem habitum suscepisset, postmodum ab infirmitatis ipsius liberatus molestia, & prædictam uxorem suam tenuit, & aliam ea defuncta sibi temere copulavit. Quia vero licet prædictus D. uxore sua in sæculo remanente ad Religionem nequiverit proficisci, ea tamen sublata de medio, votum quod fecit, sine salutis suæ periculo, nequaquam potuit violare. Mandamus igitur quatenus, si verum est quod asseritur, præfatum D. per excommunicationem compellas, ut illam mulierem sine dilatione dimittat, & ad monasterium revertatur. De cætero sub regulari observantia serviturus. Datum Veronæ.

Cap. Ex parte 9. De convers. Conjug

## DE CONSANGUINITATE,

### Et Affinitate.

*Alexander III.*

Ad aures nostras pervenisse cognoscas, quod cum quidam vir Parochianus tuus mulierem quamdam publice duxisset in uxorem coram dilectis filiis nostris Ecclesiæ canonicis est probatum quod prædictam mulierem consobrinus ejusdem viri ante & post matrimonium cognovisset. Verum quoniam præfatus vir ad alia vota postulat transire, Fraternitati Tuæ per Apostolicum scriptum præsens mandamus, quatenus si res ita se habet, memorato viro, cum istud nullum fuerit matrimonium, accipiendi aliam in uxorem liberam in Christo tribuas facultatem, nisi cum prædicta muliere postquam eam cum suo consobrino peccasse cognovit, commisisse comprobetur incestum.

Nam incestus impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum.

## DE FRIGIDIS ET MALE.

### Et Impotentia Coeuntibus.

*Alexander III. in Registro Vigiliensi Episcopo.*

Cap. Consultationi 4. de frigid. &c.

Consultationi tuæ, qua nos consuluisti utrum fœminæ clausæ, impotentes misceri maribus matrimonium contrahere, & si contraxerint debeat rescindi, taliter respondemus, quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus matrimonium contrahat; & quamvis expressum canonem non habemus, sacrosancta Mater Romana Ecclesia consuevit in consimilibus judicare, ut quæ non possunt haberi tanquam uxores, habeantur tanquam sorores. Verum tamen talibus aliquando consuevit artificio humano succurri, ut valeant apte debitum reddere, & recipere.

## DE DIVORTIIS.

*Cælestinus III. Abbati Viziliacensi in III. lib. R.*

Cap. Plerumque 4. de donat.

Plerumque accidit, ut proponis, in Parochia tua mulieres a viris suis fornicationis causa recedunt, & sic usque ad mortem ipsorum permanere noscuntur. Ipsis vero defunctis cum a consanguineis, ad quos hæreditates eorum deveniunt, dotem suam cum dotalitio suo repetunt, eis audientiam denegant, & nolunt restituere ob eam causam, quia eo ipso se indignas fecisse putantur, quod a viris suis causa fornicationis duxerint recedendum. Præterea in tuo petitorio adiecisti, quod cum causæ tibi a sede Apostolica delegantur, in literis citatoriis rescriptum Apostolicum inseris, ut eo viso deliberare valeat qui

ab

ab altero convenitur coram non ad primam, & secundam canonicam citationem, sed ad tertiam peremptoriam tamummodo veniat, actore ad omnes citationes veniente, & ipse actor intentionem suam in jure proponat, reus vexationi ejus intendens, tunc primo deliberatorias inquirat inducias, cum actor eidem autenticum offerat, ut conferat cum rescripto, quod in prima citatione recepit. Asserens etiam quod tam longo citationum spatio si voluit plenæ deliberationis tempus potuit habere. Quia igitur quid agendum in utroque Apostolico responso desideras edoceri, in primo taliter respondemus, quod si mulier suæ fornicationis causa per judicium Ecclesiæ, aut propria levitate a viro recedit, nec postea reconcilietur eidem, eo defuncto dotem vel dotalitium suum repetere jure non potest. In secundo vero casu dicimus, quod prædicto modo reo ad judicium convocato, si ex rescripto sibi transmisso plene potuit instrui super eodem quo conveniebatur, induciæ deliberatoriæ non sunt ulterius indulgendæ, sed procedendum est potius ad causæ examinationem, & finem ei debitum imponendum. Datum Laterani Anno III.

## DE JUDÆIS, ET SARACENIS,

*& eorum servis.*

Ad hæc cum sacris canonibus cautum sit, ne Judæi Christiana mancipia habeant, Petri tibi auctoritate præcipimus quatenus sub anathematis interminatione inhibeas publice ne aliquis Christianorum alicujus Judæi mancipium efficiatur. Si autem contra prohibitionem tuam venire præsumpserint; eos sup. ap. re. ecclesiastica censura compellas, vel percellas. *Pars cap. superioris de cohabitatione Clericorum & mulierum.*

## DE HOMICIDIO VOLUNTARIO, VEL CASUALI.

*Cælestinus. III.*

Cap. ad aures 7. de ætate & qualit.

Ad aures nostras te significante pervenit, quod cum in arte physica eruditus existas, pluribus circa ipsius artis traditiones medicinas cum diligentia tribuisti, licet pluries in contrarium tibi successerunt, & quibus putaveras adhibere cautelam medicinis perceptis mortis periculum incurrerunt. Verum quia sicut asseris ad sacros desideras ordines promoveri, & nos super hoc consulere voluisti, tibi duximus respondendum, quod super præmissis conscientia videtur te quomodolibet remordere, ad majores ordines de nostro consilio non ascendas.

## DE USURIS.

*Eugenius Papa Joanni Paduano Episcopo.*

Super eo, quod a nobis Tua Fraternitas requisivit, scilicet an illi crimen usurarum (committant) qui ex possessionibus sibi pignore obligatis fructus percipiunt; & postmodum recipiunt capitale: breviter tibi dixerim eos omnes usurarum criminibus obligari, qui plus recipiunt, quam fuerit capitale, quicquid enim sorti accidit, usura est.

## DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

*Cælestinus III.*

Cap. a nobis 21. de sent. excom.

A nobis fuit ex parte tua quæsitum, si quis ita pronuntiaverit, quisquis furtum fecerit excommunicatus sit, hæc generalis sententia ad ipsius excommunicatoris subditos restringatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de jurisdictione ipsius. Ad quod utique dicimus, quod hæc sententia non nisi subditi obligantur, nisi forte plus ei contulerit major, & largior auctoritas delegantis. Præterea requisiti fuimus, si quis Judex ita protulerit: Nisi Sempronio intra decem dies satisfeceris, te excommunicatum aut suspensum, aut interdictum esse cognoscas, & ille in quem sententia talis fertur medio tempore appellans, ad dictum statutum minime satisfacit, utrum tali sententia ille ligetur, an interpositione appellationis tutus existat. Videtur autem nobis quod hujusmodi sententia obstaculum appellationis debeat impedire. Datum Laterani anno III.

## DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

*Cælestinus III. Anconitano Episcopo. In III. Lib. R.*

Significavit nobis &c. *& infra*, Verum Clericos illos, qui scienter, & sponte participaverunt excommunicatis a nobis, & ipsos in officiis receperunt, eadem cum ipsis sententia non dubitamus involvi, quos etiam pro beneficio suæ absolutionis habendo, ad nos volumus cum litterarum tuarum insinuatione transmitti. Cap. significavit 18. de sent. exc.

## CÆLESTINUS III.

*Priori, & Capitulo Dehum. Lib. III. R.*

Bonæ memoriæ &c. *& infra*. Ab hac itaque prima confirmatione quasi suborta exhibita est in auditorio nostro secunda, quæ ita se habet: similiter eisdem videlicet posterioribus literis hæc clausula poneretur; non obstantibus aliquibus literis confirmationis latæ sententiæ audiatur causa, & fine debito terminetur. Utrum sic primæ revocari deberent. Ad hoc dicimus quod per ultimas primæ forent penitus irritandæ Verum si diceretur, sicut frequentius in Rescriptis Apostolicis consuevit apponi: nullis literis veritati, & justitiæ præjudicantibus, vel sub alia forma verborum, dummodo non diceretur de literis confirmationis, expresse dicimus quod tandiu suum vigorem habent, donec de iniqua, vel falsa sententia cognitio plenior habeatur. Idem de dol. ...... .......... .......... ........

## CLEMENS PAPA III.

*R. Sanctorum Marcellini &c. & Petro Presbytero Cardinali Abbati.*

Tenor literarum tuarum nobis transmissus ostendit, quod cum in Archipresbyteratu Sancti Germani inter Robertum, & B. mulierem quæstio matrimonii verteretur, ipsa testes pro matrimonio producente, vir ad Sedem Apostolicam appellavit. Cumque venerabili Fratri Telesino Episcopo, causa commissa fuisset, quia terra illa tunc pro Regis morte turbata, mulier sibi evidenti periculo viarum præcavens, non poterat se judici quo ab eo tertio citata fuerat, præsentare, licet nuncium cum excusatione transmiserit, Episcopus tamen eumdem R. postmodum muliere absente, ab impetitione ipsius absolvit. Cæterum eadem mulier ad præsentiam nostram accedens a nobis ad te literas impetravit, ut de causa cognoscens, & eam debito fine dirimeres, quandoquidem coram memorato Episcopo pro commotione terræ non poterat diffiniri. Dictus vero R. a te convocatus ad causam infirmitate prætenta non affuit; sed quia nocte sequente aliam sibi copulare præsumpsit, in eum excommunicationis sententiam promulgasti, a qua tandem fuit postmodum absolutus, cum ante te in propria persona veniens ostendit literas Episcopi memorati, quibus eum ab inquietatione ipsius ob hoc absolutum fuisse patebat, quod ad præsentiam Episcopi non accessit. Quia igitur, sicut proponis, mulier eadem cum lacrymis quoti- Cap. Tenor 10. de sent. & re judic.

die clamat post te, suos testes afferens ad probandum quod idem eam desponsationis annullo publice subharrasset, tu quid super his agere debeas humiliter postulas edoceri, inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod non obstante tali illicita absolutione, quam Episcopus fecit, in causa sublato appellationis impedimento procedas, & eam debito fine decidas, eidem Roberto sub pœna excommunicationis arctius interdicens, ne ad eam, quam superinduxit, accedat priusquam fuerit causa decisa. Testes autem non respuas, quos de parentela sua, vel aliis, dummodo alias idonei sint, prænominata B. duxerit producendos, cum consaguinei tum chartis, tum testibus, tum & recitatione majorum, vel argumentis aliis melius quam extranei suam consueverunt cognoscere parentelam.

*De eo qui cognovit consanguineam uxoris.*

Ex literis tuæ discretionis accepimus quod cum G. a te pœnam postulasse confessus quandam intra nubiles annos desponsasse, sed cum in domo patris sui cum ipsa maneret, ad sororem suæ sponsæ accessit, eamque carnaliter, diabolo suggerente, cognovit; sed postmodum cum a parentibus cogeretur ut sponsam acciperet, eis confessus est præscriptum facinus pertrasse; sed Archidiaconus loci nihilominus ipsum sponsæ suæ debitum carnaliter persolvere ecclesiastica censura coegit. Qui licet invitus se asserit paruisse. Cæterum quia prohibuisse diceris ut ad neutram carnalem accessum habeat, & nos consulere voluisti quid officio tuo competat faciendum, consultationi tuæ taliter respondemus, quod ex sola ipsius viri confessione super hoc crimine, a sponsa sua non debet aliquatenus abstinere.

## DE JUREJURANDO.

Cum te audiremus ante consecrationem tuam juramenta adeo in damnum Episcopalis juris, & dignitatis Canonicis dare monitum præstitisse, quod ex eo robur Episcopale videatur nimium enervari, tu super hoc sicut providus & discretus nos consulere voluisti, & huic incommoditati remedium Apostolicum suppliciter implorasti. Nos itaque & auctoritate pro nostri offi ii debito providere volentes tuæ sollicitudini respondemus quod illicita juramenta in damnum Episcopatus Claremontano Capitulo a te præstita nullum tibi debent impedimentum afferre, & ut super hoc contra detrahentium objectiones tutus, & præmunitus existas, nostras absolutionis litteras tibi in testimonium duximus indulgendas.

## DE SIMONIA.

*Alexander III. Gregorio Tridentino Episcopo.*

Cap. Veniens 19. De Simonia. Veniens ad nos Fr. presbyter simplici nobis assertione proposuit, quod Abbas, & Fratres Sancti R. noluerunt eum in Monachum recipere quousque vel pro Monachatu XXX. libras dare conveuit. Conventione autem facta statim sequenti die monasticum habitum induerunt, & demum monachi Capituli XXX. sol. Abbas vero XL. & familia XII. pro pastu, asserentes hoc esse de consuetudine monasterii postulaverunt. Quoniam ergo rei veritas nobis non constat, & factum hujusmodi perniciosum videtur, Fraternitati tuæ per Apostolicum scriptum mandamus, quatenus rei veritatem diligenter inquiras, & si ita inveneris esse, Abbatem, & Monachos ad restituendam pecuniam præfato F. tam indigne acceptam instanter admoneas, & cum omni districtione compellas, & Abbatem & majores personas monasterii pro tantæ pravitatis excessu ab officio sacerdotali suspendas, & nobis rei veritatem significes. Prædicto F. ut in alio Monasterio in habitu monastico studeat Domino deservire.

## DE SIMONIA

*Clemens III. Cæsaraugustano Episcopo.*

De Regularibus Canonicis, seu Monachis nos voluisti consulere qui per simoniam ingressum ipsis scientibus, & machinantibus habuerunt. Cap. de Regular. 25. de Simonia.

Verum cum super hoc auctoritates multæ inveniantur expressæ, non aliud quam statutum est respondemus, ut locum qui taliter accepti sunt omnino dimittant, & sollicitudines, seu alia monasteria districtiora adeant, in quibus tam execrabilem excessum absque intermissione deplorent. Si autem ignorantibus ipsis pecunia data fuerit, cogas eos ad renuntiandum loco eidem; & postmodum in ipsum reduces, si ibi absque scandalo remanere potuerint, vel in aliquo, quod sit de Ordine ipso ad serviendum poteris collocare.

## DE SIMONIA.

*Alexander III. Exoniensi Episcopo.*

Ex tuæ Fraternitatis litteris, & confessione Sacerdotis præsentium latoris accepimus quod cum eum ad Sacerdotis ordinem non aliter voluisset ejus Archidiaconus præsentare, V. solidos eidem Archidiacono solvit, & sic postea per ordinem ipsum per eum præsentatus accepit. Unde super eo, de quo nostrum consilium postulasti, tibi duximus respondendum, ut si hoc non est publicum, sed secretum, eumdem sacerdotem secreto converias, monens eum, sine ulla tamen coactione, propensius inducens, ut Ordinem alicujus Religionis assumat, & perpetuo ab officio, quod illicite acquisivit, abstineat. Si vero ad Religionis ordinem observandum inducere forte non poteris, studeas ei ad substentationem suam aliquod Ecclesiasticum beneficium constituere, ad hoc ut a Sacerdotio debeat in perpetuum abstinere; alioquin non erit tutum. Cum secutus excessus ipsum invitum ab eodem officio cohibere sed tantum secretam pœnam, secundum quod tibi visum fuerit, injungere non postponas. Cap. ex tuæ 10. de Simonia.

## DE HOMICIDIO VOLUNTARIO

### VEL CAUSALI.

*Clemens III. Consulibus, & Populo Genuæ.*

Suggestum est auribus nostris, quod cum D. Subdiaconus, præsentium lator, aliqua die per quemdam pontem transitum faceret, & casu in eo moram faceret vidisset juvenes quemdam puerum contendentes in flumine violenter, bono zelo ductus, ne ab eis suffocaretur in aqua, ipsos leviter arguere cœpit, ut puerum relaxarent. Illi vero, puero dimisso, eumdem subdiaconum conati sunt ad flumen per pedes attrahere. Verum cum ad rivam proximus erat, ne pro eorum violento tractu præceps rueret se, ut poterat, tenuisset, lapis tamen avulsus eumdem puerum, quem prius liberare voluerat, interfecit. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolicum Scriptum mandamus, quatenus si res ita se habet, eodem subdiacono per aliquod tempus, prout tibi visum fuerit, ab Ordinis suscepti executione suspenso, ipsum in eodem postea ministrare permittas. Ad majores autem ordines, ne scandalum populo Dei generetur, licet quoad hoc in culpa non videatur fuisse, nequaquam adscendet, nisi forte ad Monasterium, seu Canonicam Regularem circa ipsum de suspensis ordinibus fiat dispensatio, & ordinatori suo visum fuerit faciendum.

## DE JUREJURANDO.

*Urbanus III.*

Cap. Sicut 13. de Jurejur.

Sicut ex literis tuæ discretionis cognovimus H. Prior monasterii tui lator præsentium iracundiæ calore succensus, præcipitato mentis instinctu, temerario juramento firmavit, quod in claustro ejusdem Monasterii, quo se vinculo professionis astrinxerat, non esset veritus cum Wi. monacho moraturus; quærenti ergo tibi quid super hoc circa eumdem monachum sit agendum, respondemus, quod cum beatus Benedictus in regula sua, quam fere omnes monachi profitentur jurare omnino prohibeat, non licuit monacho supradicto temerarium juramentum facere; maxime quod fidem professionis frangeret, & stabilitatis propositum vacuaret. Ideoque circa eum tua sollicitudo provideat, quod talis ei pœna injungatur, per quam Omnipotenti Deo de suscepto in vanum ejus nomine satisfaciat, & alius quilibet ejus exemplo deterritus, simile id pertimescat, ipse vero in claustro, quod licite abjurare non potuit, cum stabilitate perpetua suam pœnam exequatur; ita tamen ne ex eo quod ad præsentiam nostram accessit, solita regularis beneficii portione privetur.

## DE FILIIS PRESBYTERI.

*Clemens III Cassinensi Archiepiscopo.*

Cap. ad hæc 12. de fil. Presb.

Ad hoc ex tua parte nostris auribus relatum est &c. Quod a nobis tua Fraternitas requisivit, an a Pontificibus generari valeant ad gradus Ecclesiasticos promoveri, si scientia fuerint, & morum honestate probabiles: sciat discretio tua, quod dummodo ex legitimo matrimonio sint procreati, nec aliud canonicum obviat, licite possunt in sacris Ordinibus ordinari, & in eisdem ecclesiis, in quibus possunt, vel etiam præfuerint genitores eorum beneficium obtinere.

## DE FILIIS PRESBYTERI.

*Alexander Cantuariensi Archiepiscopo.*

Cap. ad extirpandas 11. De fil. Presb.

Sanctis Dei Ecclesiis studio totius sollicitudinis debemus intendere, te etiam decet ad hoc curam vigilem exhibere, ne circa ministerium suscepti regiminis videamus minus diligentes existere, si vitium in Ecclesiis vel Ecclesiasticis viris permittimus populare; hinc est quod Fraternitati Tuæ per Apostolicum scriptum mandamus quatenus si quod filii clericorum Provinciæ tuæ teneant Ecclesias, in quibus Patres eorum tanquam personæ vel vicarii nulla persona media ministrarunt, eos sive geniti fuerint in sacerdotio, sive non, ab Ecclesiis propriis contra & appellatione cessante non differas amovere. Si vero aliqui sunt filii clericorum, qui Ecclesias quas patres eorum tenuerant, personis aliis mediis sunt adepti, eos, dummodo sint idonei, in ipsis poteris sustinere. Itaque si unus plures Ecclesias, quas pater ejus tenuerat, possidet, quarum una sibi possit sufficere, ipsum una quam maluerit facias esse contentum, dummodo tales non sint, quarum una a reliqua pendere noscatur.

*Alexander III.*

Licet universis Christi fidelibus ex commissi nobis officii debito vobis &c. debeamus provisione adesse attentius, tamen Ecclesiasticos viros a pravorum molestiis malignantium vigili cura defensare debemus, ad quorum regimen specialius sumus licet insufficientibus meritis, Dei providentia deputati. Perlatum est autem ad audientiam nostram quod viri in civitate vestra commorantes ad tantam devenerit superbiam, & elationem, quod si quando inter eos, & quemlibet clericum, seu inter vos & ipsos causa emerserit, ad sæcularem judicem trahunt, & coram quocunque judice vobiscum litigant per simplicem chartam absque testibus per unum qualemcunque Christianum sive Judæum, contra omnem justitiam, & rationem causam suam probare intendunt, & adversum se magnorum, & probatorum virorum non recipiunt testimonium. Quia vero non est licitum alicui Christiano, multo minus Cruci Christi inimico, ut scilicet Ecclesiasticos viros ad sæcularem curiam trahant, & causæ suæ unius tantum, & legitimo testimonio fidem imponant; Dominationi Vestræ per Apostolicum scriptum mandamus, quatenus si inter vos, & quoscumque Christianos si causa emerserit, ne pro illius provocatione ad sæcularem curiam, ut ibi de negotiis tractetis, aut judicem unum attendere præsumatis; & sicut exigit justitia, & æquitatis ratio postulat in qualibet causa Christiani, & maxime clerici nonnisi testimonium duorum, vel trium virorum, qui sint probatæ vitæ, & fidelis conversationis non admittatis, juxta illud Dominicum: *in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*: quia licet quædam sint causæ, quæ plures quam duos exigant testes, nulla est tamen, quæ unius tantum testimonio quamvis legitimo terminetur rationabiliter.

Cap. ad hæc 8. De Judæis

Ad hæc vobis præsentium auctoritate mandamus, atque præcipimus, ut omnibus Christianis, qui sunt in jurisdictione vestra penitus interdicatis, & si necesse fuerit ecclesiastica districtione compellas, ne ipsi Judæorum servitio assidue pro aliqua mercede se exponant, quin & obstetricibus, & mulieribus eorum prohibere curetis, ne infantes Judæorum in domibus eorum nutrire præsumant, quia Judæorum mores, & nostri in nullo concordant, & ipsi de facto ob frequentem conversationem, & assiduam familiaritatem instigante humani generis inimico ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos inducunt.

Cap. Præterea 7. de Usuris.

Præterea parochianis vestris usuram accipere omnibus modis inhibeatis, quod usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestatur. Quod si monitis vestris parere contempserint, si clerici sunt, eos ab officio suo & beneficio suspensos cum litteris rei usuram continentibus ad præsentiam nostram mittere non differatis. Si laici fuerint usque ad dignam satisfactionem ipsos excommunicationis vinculo astringatis.

*Idem Vituriensi Archiepiscopo.*

Cap. Consuluit. 29. de Appellat.

Consuluit nos tua Fraternitas utrum sit appellationibus deferendum a carissimo filio nostro in Christo L. illustri Francorum rege pro Judæis interpositis, ut mancipia detineant, utrum sustinere debeas quod de novo construant synagogas ubi eas nullatenus habuerunt. Scripsimus itaque memorato Regi, ut a defensione Judæorum in hac parte desistat; & insuper etiam per alias ipsum fecimus admoneri, & credimus quod nostris monitis acquiescat, quia non est tutum ut quod a sanctis Patribus, & nuper in Concilio statutum est, negligentius servaretur; unde non convenit ut pro hujusmodi appellationibus Judæos etiam de novo construere Synagogas, ubi eas non habuerunt pati non debes. Verum si antiquæ corruerint, vel ruinas minantur, ut reædificent potes æquanimiter tolerare, non autem ut eas exaltent, aut ampliores, aut pretiosiores faciant quam antea fuisse noscuntur: quod utique pro magno debent habere, quod in suis observantiis, & veteribus synagogis tolerantur.

Cap. Consuluit 7. de Judæis ...

*Item.*

Super eo quod sollicitudo tua a nobis quæsivit, utrum sit ille qui prius cognovit matrem, sive sororem ejus, quam postea duxit in uxorem teneatur eidem carnale debitum reddere, & exigere possit ab ea. Quod etiam consilium dandum sit ei, qui hoc cer-

certius confitetur, cum probari non possit, nec illa velit ullatenus continere; tuæ prudentiæ duximus respondendum, quod attentius est monendum, ut uxorem laboret inducere ad continentiam observandam, ut si illa continere voluerit, continentia simul observetur. Si autem ad hoc induci non potest, & debitum reddat & de commisso pœnitentiam agat. In hoc vero casu, cum aliquis post contractum matrimonium uxoris suæ matrem, vel sororem cognoscit, idipsum quod in priori observetur.

## DE DIVORTIIS.

*Item Exonexant Episcopo (sic)*

Litteris tuæ Fraternitatis receptis ex tenora illarum nobis innotuit, quod cum P. parochianus tuus ab A. muliera, quam in uxorem acceperat, tuo vellet judicio separari, actiones matrimonii produxerunt testes firmiter asserentes, quod postquam prædicto viro contraxerat matrimonium, consanguineum viri, solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentem, ea ut credebatur intentione ut eam agnosceret, carnaliter videretur; sed & in locis secretis, & latebrosis, ad hoc commodis & electis, tam hominibus quam locis sæpesæpius contigisse dixerunt, publicaque fama consentit, quod post contractum matrimoniam se miscuerunt ad invicem, quod in præsentia tua publice, ut asseris, sunt confessi, quamvis id se ante contractum matrimonium fecisse negarent. Dicitur quoque de muliere prædicta quod de marito sese simulans concepisse, alienum partum jam baptizatum, ut fertur, se mentita est peperisse, & rebaptizari faciens viram suum decepit. Procedente vero tempore cum fama empti alieni partus fraudem detegeret, petentibus eis, a quibus emerserat, occulte restituit. Postea veneficum poculum, & alias vitæ insidias viro paratse eadem mulier perhibetur: Quia ergo tua nos Fraternitas duxit consulendos, si ad solvendum matrimonium jam dictæ probationes sufficiant, præsentium tibi significatione injungimus, quod cum ex confessione, tum ex violenta suspicione certæ fornicationis præsertim si de partu & machinatione mortis ut dictum est probari valet, non immerito potest sententia divortii promulgari, ita quod ut vir licentiam habeat ea mortua ducendi aliam; mulier vero sine spe conjugii maneat.

*Item Vomicensi Episcopo.*

Rediens ad nos W. lator præsentium simplici nobis insinuatione monstravit, quod in domo sua mulierem quamdam recepit, quæ filium & filiam habuit, & cui fidem coram pluribus præstitit quod eam duceret in uxorem. Interim autem cum de quadam civitate ad propria remearet apud domum vicini sui pernoctavit, cujus filia nocte illa quod metus causa secum concubuit, & cum pater eos insimul in lecto invenisset, summo mane eam invitam desponsare coegit. Quod nuper in præsentia nostra constitutus nos consuluit cui potius adhærere deberet; quia vero nequaquam nobis innotuit, utrum post fidem præstitam primam cognoverit, Fraternitati tuæ per Apostolicum scriptum mandamus, quatenus rei veritatem diligenter inquiras, & si inveneris quod primam post fidem præstitam cognovit, ipsum cum ea facias remanere. Quod si post datam fidem eam non cognovit, secundæ nisi metu coactus, qui posset in quemlibet constantem cadere eam desponsaverit, tanquam uxori facias adhærere. Ex ..........

## DE APPELLATIONIBUS.

*Idem Cantuariensi Episcopo.*

Cum te consulente &c. & infra. Item si super causa, quæ tibi ex nostra delegatione committitur a personis Ecclesiasticis uni vel pluribus, quibus ut parcas laboribus & expensis cognitionem ipsius causæ, & testium examinationem, sententia tibi reservata, committis, appellatio fuerit interposita, hoc appellationis intuitu causam ipsam indefinitam relinquere non teneris,

*Idem Catelano Episcopo.*

Meminimus jam pridem tibi præcipiendo mandasse, ut dilectæ filiæ nostræ C. Abbatissæ Monasterii S. Zacariæ, cujus electionem confirmavimus munus benedictionis impendere; sed quia H. pro altera parte ad nostram præsentiam accessit, te exinde ad audientiam nostram appellavit, proponens quod eam accusaret de simonia, mandatum nostrum distulisti effectui mancipare. Quia vero non decet te in hac parte appellationi ejusdem H. deferre, cum non liceat Clericis contra Laicos, aut Monachos testimonium ferre; cum idem H. fuerit memoratæ C. manifestus inimicus, & contra eam testimonium tulerit, nos si bene meminimus, eamdem Abbatissam benedici mandavimus, appellatione remota Fraternitati tuæ per Apostolicum scriptum mandamus quatenus cum inde fueris requisitus præfatæ Abbatissæ contra & appellatione cessante munus benedictionis non differas impertiri. Cap. Meminimus 13. de accusat.

## DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

*Cælestinus III. Brugna Episcopo.*

Quod de his etiam non dubitas, & quid de ipsis servari debeat agnovisti, Apostolicæ Sedis responsa requiris, tanto Fraternitatem tuam magis in Domino collaudamus, quanto in his quæ sacrorum Canonum institutionibus sunt expressa, auctoritate nostra procedere desideras, & disponis. Sane requisivit a nobis tua Fraternitas, utrum is, qui se confitetur in latæ sententiæ cautionem incidisse, nec ad hoc potest induci, ut ad Sedem Apostolicam veniat absolvendus, ab Episcopo, vel etiam a simplici presbytero, absolutionis possit, vel debeat beneficium promereri; & utrum presbyteris bigamis, vel viduarum maritis eorum uxoribus viam universæ carnis ingressis missarum liceat solemnia celebrare. Verum licet quid de his observari debeat sacris canonibus sit definitum; hoc tamen tuæ Fraternitati ad præsens duximus respondendum, quod is qui asserit in cautionem latæ sententiæ incidisse non nisi per Sedem Apostolicam absolutionis potest beneficium promereri; nisi forsan in mortis sit periculo constitutus, vel paupertate vel infirmitate, vel senectute tanta gravetur, quod ad Ecclesiam Romanam laborem subire non valeat veniendi, vel ab hoc alio impedimento canonico retrahatur. Cæterum ab his in forma sacramenti exigi consuevit, ut resumptis viribus, & opportunitate concessa Romanam Ecclesiam in propria debeat persona visitare. Cap. quod de his 26. de sent. excom.

De Presbyteris autem bigamis, & viduarum maritis id omnino sentimus, ut nec viventibus uxoribus, nec defunctis ad divinarum debeant celebrationem admitti, maxime cum id a doctrinæ sit apostolicæ, & Ecclesiasticæ institutionibus alienum. Cap. de bigamis 3. de Bigam.

*De cognatione Spirituali.*

Laudabilem Pontificalis officii prosequeris, quia in his, de quibus dubitas matrem tuam Romanam Ecclesiam consulis, & ab ea postulas edoceri, asserisque

risque in primis quod quidam quandam in uxorem duxit, cujus pater ipsum dum esset puer de sacro fonte levaverat, qui ambo conjuges XX. annis pariter simul manserunt, quare & filios procreaverunt, licet a decimo quinto anno eorum conscientia læsa fuisset, postmodum vero contra convictione actione e jure proposita facta est fides Ecclesiæ per testes omni exceptione majores, ipsum virum a patre ejus, cum qua contraxerat de baptismatis unda fuisse susceptum. Hujusmodi autem eum Zacarias & Deusdedit Romani Pontifices talem copulam decreverint separandam, utpote ubi cognatio spiritualis esset minime dubitatur, maxime inter eos, per quos compaternitas ipsa contrahitur, qui in lege divina germani esse dicuntur, licet tanto tempore sibi invicem cohabitaverint, quia tamen diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget, & specialius potest hoc nota super hac causa proprio decurrente Ecclesia contractum illum cognovit illicitum, dicens matrimonium illud fore secundum statuta canonica dirimendum. Monendus est tamen uterque ut in necessariis provideat alteri juxta vires. Prolem autem susceptam ante separationem hujusmodi, si aliud non obsistit, legitimam esse censemus.

Ex articulo qui matrimonium accusare possunt consuluit — art. CC.

sensus turbatus.

Quæris iterum quando matrimonium accusari contingit, an sit carnale commercium suspendendum, aut quamdiu dissimulari possit, vel potius sustineri. Ad quod habetur responsum. Quod Alexander II. aperte prohibeat ne ab invicem donec causæ justæ dat examinatio separentur, & Simmaci Papæ contineat institutum ut Prælatus aliquis accusatus antequam ea quæ obiiciuntur luce clarescant, relinqui non debeant a subiectis ante probatam actionem jure suo, quod habet in altero privari non opus sit præsertim articulo conjugii alteruter accusatus.

VIII. Q. III. ........ ........

Item superadiecisti quod aliquis contraxit cum quadam puella innubili, quæ tandem ætatis metam attingens, & ab illo cognita pluries, post quatuor aut quinque annos perfecta ætate digressos contra matrimonium allegavit, asseverans se ab initio dissensisse semper ab illo; & quod dicit per testes probat fama, & conversatione præclaros. In hoc itaque casu sentimus, quod adversus matrimonia audiri non debeant, quæ ante cognitionem sive ante legitimum adtingens cum potuit minime reclamavit, sicut enim ante consensum, qui in anno XII. speratur secundum jus canonicum potuit dissentire, sic postquam legitimo tempore accedente semel etiam copulæ maritali consensit, ex ratihabitione sibi super hoc silentium non ambigitur indulsisse.

Rursus quidam, ut dicis, votum castitatis emittens juravit se quandam ducturum, postea in uxorem, ubi a Fraternitate tua quæsiri consultis viris prudentibus arbitramur, quod cum simplex votum apud Deum non minus obliget quam solemne, pro eo quod temere juravit, pœnitentiam agens, quod Deo votum fecit studeat observare. Quod si per se quod hujusmodi juramentum præstitit ad nuptias jam motu proprio convolasset, cum votum simplex licet matrimonium contrahendum impediat, contractum tamen non dirimat, nihil ambiguitatis tua quæstio continet. Verum quod interrogasti de Saracenis, qui cum in captivitate essent Christianorum, quosdam earum viros insidiis, & machinationibus occiderunt; utrum quia postea ad fidem Christianam conversi fuerint, easdem de jure possint ducere in uxorem, de jure vel si duxerint ipsum conjugium valeat. Hic Tribunensis Concilii regulæ consentimus, asserentes, quod cum mortem virorum malitiose fuerint machinatæ, licet earum studio ad Ecclesiasticam *Fidem* accesserint, tum nec eis adhærere debeur, nec si adhæserint tolerandi, non enim hæc dispensatio sine periculo posset admitti; cum damnum tantum tali lucro Ecclesia compensare non velit.

f. fidem

Ad hæc Saraceni quidam in bello sunt Christianos interfecisse notati, Christiani similiter Saracenos. Postea Saraceni ad Christianam Fidem conversi, uxores eorum, quos certamine bellico neci tradiderant, sibi matrimonialiter copularunt; idipsum, & Christiani de Saracenis mulieribus conversis ad Fidem fecisse noscuntur, quæ tamen postquam de priori morte veritatem comperiunt, divortium instanter exposcunt. Respondeo quæstioni in his qui cum nec Christiani, nec Saraceni mortem alterutrorum procurasse noscuntur, matrimonia hujusmodi inter prædictas personas licite contrahi possunt, & taliter copulati cujuscumque sexus existant divortium propter mortem conjugum jure obtinere vel etiam postulare non possunt.

Videtur istud matrimonium contra dictum Domini, qui dixit, si uxor & vir separentur propter fornicationem, uterque altero vivente maneat innuptus, aut sibi reconcilientur. Ut XXXII. .... .......... dixit Dominus. Nam & matrimonium inter fideles contractum post carnalem copulam ita est ratum quod licet alter conjugum ab altero recedat, neuter tamen poterit altero vivente contrahere, ut XXVI. II. Q. II. §. ultimo quod dicitur contumelia Creatoris. Et cum intelligatur de matrimonio contracto inter infideles, ut idem Gregorius dicit XXVIII. Q. II. C. ultimo sed articulus iste corrigitur per Decretalem Innocentii III. Quanto novimus.

Item si quid juris erit in sequenti casu, quem proponere voluisti, cum scilicet Christiano viro propter odium Christum negante & sibi copulante paganam, & ex ea filios procreante, Christiana in Christi opprobrium relicta, cum consensu sui Archidiaconi ad secundas nuptias convolasset, & filios ex ipsa suscepisset, non videtur nobis quod licet prior maritus redeat ad Ecclesiasticam universitatem eadem a secundo debeat recedere, & resignari priori, maxime cum ab ea visa fuerit Ecclesiæ judicio discessisse, & teste Gregorio contumelia Creatoris solvat jus matrimonii contra eum qui relinquit odio Fidei Christianæ.

Quod an possit priori viro reversu ad Fidem, & nolente ad vitam monasticam commeare, vel utrum ille reversus eam quam ritu gentili sibi copulavit, & quæ propter eum ad Fidem nostram cum suis liberis est reversa, mortua prima possit habere in uxorem, & an filii ante conversionem geniti obtentu nuptiarum, quæ post conversionem ritu Ecclesiastico celebratæ fuerint, & similiter filii illius, quæ cum licentia Archidiaconi sui a marito priori venientes sed secundo infideli nupsit viro catholico legitimi sint tenendi. Tam gloriosæ doctrinæ Apostoli qua dicitur si matrimonio fidelis discedit, discedat, non frater aut soror subiecti hujusmodi servituti, quam illud Decretum memorati Gregorii non est peccatum dimisso propter Deum si aliis se copulaverit; Infidelis enim discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium. Et nihilominus quod prædecessor noster bonæ memoriæ Alexander III. ita dixit; tanta est vis matrimonii, ut qui ante sunt geniti post contractum matrimonium legitimi habeantur: nos in hujusmodi dubitare non sinunt, quia in his & liber aditus pateat ad Religionem migrare volenti, & ille qui ad fidem revertitur, eam, quæ conversa est defuncta prima, sibi possit licite copulare, filii etiam in supradicto casu legitimi habeantur.

Præterea cum quis cognovisse aliquam accusatur, an sint testes interrogandi de visu, aut sola viciniæ fama sufficiat; vel si juratis testibus sit credendum, qui se illius copulæ conscios esse fatentur, sed de visu nil affirmant, nos inter alia consulere decrevisti. Ad hæc itaque respondemus, quod si testimonium conveniens de visu reddatur, vel auditu violentem præsumptionem fama consentiens subministret, & amminicula legitima in hoc impertiatur, eidem standum est testimonio juratorum; etenim circumspectus judex atque discretus juxta id, quod in jure civili cautum existit, motum animi sui ex argumentis & testimoniis, quæ rei aptiora esse comperit, in hujusmodi confirmabit.

Cap. Præterea 27. de testi.

Sollicite quoque ad ultimum requisivisti quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis, in qua si defecerint separentur. Nos vero (*cum*) in antiquis tam canonibus, quam legibus super hæc diversa tempora concedantur, id tamen in præsenti consultatione sentimus, ut si naturaliter frigidus non potest illam quam duxit uni pro conjuge a tempore celebrati contractus, si frigiditas prius probari non possit, usque ad triennium secundum authenticum legale cohabitet; quo elapso, si nec tunc coire potuerit, juxta decretum Gregorii, mulier per justum judicium de viro probare potuerit quod cum ea coire non possit, alium acci-

Cap. Laudabilem 5. de frigid. & malef.

accipiat: si autem illa alium acceperit separentur. Quod si ambo sentiunt simul esse, vir eam & si non uxorem, saltem habeat ut sororem. Aut si quid nunquam se invicem conjungunt, ambo fatentur, septima propinquorum manu aut vicinorum bonæ famæ, si propinqui defuerint, tactis Sacrosanctis Evangeliis uterque jurejurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti sint, & tunc videtur quod valeat ad secundas nuptias convolare. Verum si ille aliam duxerit, tunc illi qui juraverant rei perjurii teneantur, & peracta pœna cogantur ad connubia priora redire.

Denique quid indicia, & persona testium, quibus ante juramentum vel depositiones nullibi objectum fuit post attestationes publicatas possit opponi. Hæc in Ecclesia Romana de longa consuetudine obtinuisse cognoscas, ut ante juramentum vel depositiones & præjudicia & ipsas testium legitima exceptio in jure possit proponi, & si crimina testibus objiciuntur, de quibus non fuerint hactenus accusati, sed tantum ad solam exceptionem a quolibet opponuntur, probatio utique illorum criminum exhibenda est, antequam causa per sententiam terminetur, cum sicut canonica constituta (debeant esse) testes absque ulla infamia vel suspicione, vel manifesta macula, in ferendo testimonio, requiritur quod si sola illa crimina de quibus alio tempore convicti, vel confessi fuerint, testibus objiciuntur, a testimonio repelli possunt, quia sicut Stephanus & alii Papæ Pontifices Romani multi testantur non est credendum contra alios eorum confessioni, nisi prius se probaverint innocentes. Cæterum si de criminibus ad solam exceptionem objectis testes convicti fuerint, sive confessi, pœna ordinaria mulctari non possunt, cum actio contra ipsos secundum jus ex ordine non procedat. Sufficit ergo si a perhibendo testimonio repellantur, præsertim ubi crimen, quod eis objicitur causam, de qua agitur contingere non videatur.

sensus turbatus.

De testibus & attestationibus C. Quamvis simus.

XX. Q. I.

Cap. cum virum 12 de testib. & attest.

Cum virum te prudentem noverimus & discretum, si in quibusdam dubitas a nobis sollicitudine Pastorali requiris, tibi libenter de jure canonico quod possumus respondemus, & prudentiam tuam dignis in Deo laudibus commendamus. Curasti tua nobis insinuatione proponere, utrum ea, quæ intra discretionis annos a parentibus Monasterio tradita est & habitum Religionis induens benedictionem accepit, & exiens postmodum cuidam se militi copulavit, etiam ex quo prolem suscepit, ad monasterium redire cogatur, cum illa se asserat postquam consentiendi habuit facultatem discessisse, & benedictionis munus invitam se suscepisse commemoret, super quo consultationi tuæ taliter duximus respondendum quod cum visa Concilii collecta censuram monachum aut paterna devotio aut propria professio faciat, & quod horum fuerit allegatum tenebit revertendi ad sæculum aditu penitus interdicto, non videtur illa monasticæ a se professionis posse jugum excutere, cum eam non constet evidenter contradixisse cum benedictionem accepit; quam quidem non nisi ætate discreta recipiunt quæ velantur; præsertim si ratihabitione sequtæ, & si eam quando contradixisse constiterit quod antea gestum est roboratum, nec obloquitur quod de Sancti viri prædecessoris nostri Leonis propria constitutione per contrarium sensum admittitur, ut puellæ, quæ parentum coactæ imperio virginitatis habitum susceperunt, ipsum possunt sine prævaricatione deserere, cum hæc de ea constet intelligi quæ in ætate nubili constituta noscitur, tum quia liberum habet arbitrium in electione posita Parentum sequi non cogitur voluntatem.

## ALEXANDER III.

*Fulconi Decano, & Ma. R. Canonico Rhemensi.*

Cum causam, quæ inter P. civem Rhemensem & A. Presbyterum super quadam domo diutius est agitata. Venerabilibus Fratribus nostris Abianensi, & Silvanensi Episcopis commisissemus fine debito terminandam post commissionem ipsius causæ prædictus Presbyter ad præsentiam nostram accessit, asserens quod non fuit illis duobus ita commissa, quod si uterque judicio interesse non posset, alter in negotio procederet, & spatium quadraginta dierum, intra quod præceptum fuerat causam decidi jam esse elapsum, Silvan. tamen inconsulto Abianensi in causa ipsa processit, & contra eam sententiam tulit. Cumque vobis in mandatis dedissemus, ut si ita esset sententiam revocaretis, & causam ex integro audientes decideretis, memoratus P. cum literis prædictorum Episcoporum ad nos veniens, a nobis obtinuit quod sententiam excommunicationis, quam præfati Episcopi in eundem Presbyterum, sicut eorumdem litteræ continebant, protulerant, nihil tale suspicantes, ratam habuimus, & firmam, & eam præcipimus inviolabiliter observari. Tandem autem cum causa ipsa deberet discuti, & prædicto P. asserente quod Presbyter non esset audiendus donec ab excommunicatione absolveretur, & illo respondente quod a nobis fuerat absolutus, & ab eo requisitum fuisset, si sine absolutionis litteras recepisset, se asseruit non habere; verum duos produxit presbyteros, qui dixerunt se interfuisse ubi eum feceramus absolvi, & hæc juramento parati erant monstrare. Unde venerabilis frater H. Rhemensis Archiepiscopus cui mandavimus, ut sententiam daret, observari huic rei supersedit, & Presbyter divina celebravit, donec præfatus P. a Curia nostra reversus litteras nostras detulit, in quibus Archiepiscopo injungebamus, ut sententiam præscriptam faceret teneri. Nunc autem utroque ad præsentiam nostram accedente, Presbyter constanter asseruit, quod Silvan. secundum mandati nostri tenorem sine Abianensi non potuisset negotium diffinire. Adversarius ejus vero asserebat quoniam Silvan. de assensu Abianensi negotium terminasset. Nos igitur ex assertione dilecti filii I. tenentes quod eum absolvisset, eum remittimus absolutum, ideoque dilectioni tuæ mandamus quatenus cum ex mandato requisiti fueritis, utramque partem ante præsentiam vestram convocetis, quod si ambo interesse non possent, alter nihilominus exequeretur, aut si terminus quadraginta dierum de...... nec de consensu partium postea fuerit productus, sententiam ipsam revocetis, & causam ex integro audientes, eam concordia, vel justitia mediante, sine personarum acceptione, vel gratia diffiniatis si vobis constiterit, quod litteræ, quas prædictus P. portavit, & nos vobis sub sigillo nostro transmisimus de conscientia Avianensi non fuissent compositæ, quæ omnino videntur suspectæ, pro eo quod in eisdem vitium est grammaticæ artis continetur in expensas, quas idem Presbyter ad nos veniendo fecit, sæpedictum P. contemnens. Cæterum si ita fuit memoratis Episcopis causa commissa, quod si uterque interesse non possit, alter in ea procedet, & terminus quadraginta dierum non erat elapsus, aut assensu partium fuerit productus, sententiam prædicti Silvan. aut Abianensis confirmetis, nec eumdem P. in expensis aliquatenus condemnetis.

## DE IMMUNITATE ECCLESIÆ

*Incipit . . Turon. sub Alexandro III.* (sic)

Quoniam novis supervenientibus morbis novas expedit invenire medicinas, Ecclesiasticæ libertati consulere, & subditorum utilitati providere curantes, statuimus, ut Capellani Castrorum, & qui eorum vi-

ces

ces miniſtrant hujuſmodi ſacramento adſtringantur, ex quo fuerit cognitum eis aliquid Eccleſiæ, vel cimiterii, vel Eccleſiaſticæ poſſeſſionis in caſtrum veniſſe, vel caſtrenſium violentia ablatum fuiſſe, conveniant dominum caſtri ſive illum qui primus ab eo dominatum tenet, cujus poteſtate, & conſilio res dirigi poſſit, & ſi eorum commonitione prædicta non reddiderit, ſi affuerint, vel ſi non affuerint de integra reſtitutione, intra octos dies & ſecurum non fecerit, ex tunc ab omni eccleſiaſtico ceſſabit officio, excepto Baptiſmo, & Confeſſione, & timore mortis, Communione. Quod in omnibus eorum propriis terris præcipimus obſervari, necnon & in illis in quibus exercet integram dominationem. Permittimus tamen ſemel in hebdomada in proxima villa cauſa conficiendi Corpus Domini ut miſſa celebretur clauſis oſtiis, omnibus excluſis præter miniſtros Altaris. Quod ſi prædicti caſtrenſes poſt datam in eos ſententiam incorrigibiles per quadraginta dies extiterint, capellani ab eorum officio excedant, non amplius cum eis commoraturi, quandiu ſub anathematis vinculo teneantur. Sub hac lege Scriptores claudamus, quod ſi Capellani vel quilibet Officiales Clerici ex ſuis poſſeſſionibus ſunt advocatis ſervitii creditores ultra tres menſes cum eis commorandi licentiam non adhibemus. Quod ſi gratia commorationis eis conceditur, conveſcendi tamen, & cohabitandi interdicimus participationem. Qui vero ultra præfixum terminum cum eis commorari præſumpſerit ordine ſuo eccleſiaſtico careat beneficio. Et ne forte præda in dolo committatur, & clericos caſtrorum exenſet ignorantia, egredi debent obviam prædæ audituri, & ſollicite inquiſituri ſi quæ res ibi fuerint eccleſiaſticæ vel earum reclamatores. Si quis autem clericus ob hujuſmodi receſſum propter juſtitiam a Domino ſuo rerum ſuarum damnum pertulerit, ipſe dominus niſi per integram omnium reſtitutionem merebitur abſolvi. Si quælibet villa duos vel plures advocatos habuerit, in quorum aliquem ſententia ſit lata, non carebunt niſi qui ejus ſubſunt dominio. Quod ſi Eccleſia ſuæ advocationis fuerit ſuis eadem & ſibi interdicta, licet alterius advocationis corpora ſepeliri; Miſſa tamen non celebretur. Si mutandis autem caſtrorum Vicariis vel clericis, ſtatuimus ut Archidiacono ſignificetur ne aliquis loco ejus ſubſtituatur, donec eodem adſtringatur juramento. Mercatoribus autem, & cæteris hominibus Civitatum, & Burgorum ne aliquem nomine excommunicatum hoſpitio ſuſcipiant, nec in venditione, vel emptione, ſive aliquo participent accommodatione. Qui vero tranſgreſſores extiterint a Sacerdote Parochiano per tres dies vocentur, tribus autem aliis diebus expectentur ad correctionem; ſeptima autem die ſi incorrigibiles apparuerint, anathematis ſententiam ſubituri; nec ab Epiſcopo, nec ab Archidiacono ſe noverint abſolvendos. Si vero a Domino, aliquove potente ad hoſpitandum excommunicatum hoſpiti vim eſſe illatam cognitum fuerit, hoſpes reus non habeatur, ſed ejus, qui violentiam intulit, terra ſuſpendatur, cujus ſuſpenſionis reſtitutio Pontificis erit arbitrio reſervanda. In Villis vero vel Urbibus, vel Caſtellis, quæ ſub dominio ſunt, in quibus conſtabularii ad tempus ſtatuuntur, ſi ipſum ſtabularium contigerit anathematis ſententiam ſubiiſſe, ipſo in villa præſente, loco illo divina vacent & officia, quo recedente eadem die reverſuro alii divinum officium non admittent, ſuis domeſticis omnibus a Chriſtianitate ſuſpenſis. De cimiteriis, & eccleſiis, ſeu aſtibus quibuslibet, & poſſeſſionibus cenſarias pro Fidei ſuæ clerici ſponſionem interponant. Quod ſi præſumpſerint ordinis ſui, & beneficii periculum incurrent. Qui vero Eccleſiam, vel cimiterium combuſſerit, vel ordinariis manus violentas impoſuerit anathematis ſententia feriatur, nec ab aliquo quam a Domino Papa conſequatur abſolutionem, niſi mortis interveniente articulo diſpenſatio merito ſubveniet, data tamen pro poſſe ſatisfaciendi ſecuritate ſi convaluerit pro abſolutione Pontificem aditurum. Si quis autem excommunicatum nomine ſuſceperit hoſpitio, vel ei pecuniam ſcienter accomodaverit, quia noſtri ſunt contemptores mandati prohibemus ne chriſtianus, vel chriſtiana eis ſerviat donec inde ſatisfecerint. Præcipimus etiam quod decani eidem adſtringant quatenus ſi eis cognitum fuerit aliquem de eccleſiaſticis juris hæc decreta non reſervare Epiſcopo ſi affuerit, vel Archidiacono renuntient. Prohibemus etiam ne Abbates vel Monachi vel Priores, vel Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ de poſſeſſionibus Eccleſiaſticis cenſarias donent, clericis autem & laicis prohibemus ne quis ſcienter prædam Eccleſiæ emat, vel prædam cimiterii, ſive cujuslibet Eccleſiaſticæ poſſeſſionis, & qui præſumpſerit, anathematis ſententia feriatur.

## CÆLESTINUS III.

### *Suffraganeis & Decano Rothomagenſi.*

Per falſarios qui nuper ſunt in Urbe reperti quædam ſunt litteræ deſtinatæ quas timemus tanquam veras ab aliquibus admitti. Ideoque per Apoſtolicæ Sedis præceptum mandamus ſi quos tales volueritis reperire quas cognoſcere poteritis ex comparatione bullæ, & qualitate ſtyli faciatis omni dilatione poſtpoſita capi, & tandiu ſub arcta cuſtodia detineri, donec id nobis fuerit intimatum, ut quid exinde nobis fieri debeat vobis ſignificare poſſimus, quicquid enim actione illarum litterarum factum fuerit in irritum volumus revocari.

De Fide Inſtrum.

### *Idem Cantuarienſi Archiepiſcopo.*

An ſit deferendum appellationi illius, quem adverſarius de ſpoliatione poſt appellationem legitime interpoſitam ſibi facta paratus eſt in continenti convincere, nos duxiſti per nuncium tuum conſulendos. Reſpondemus itaque quod cum in eo puniendus ſit, in quo deliquit, ſe beneficio reddidit appellationis indignum qui appellationem deferre neglexit. Unde nec ei appellanti deferendum eſſe cenſemus.

De Appellationibus. Cap. An ſit 42. de Appellat.

### *Idem eidem.*

Si matrimonii cauſa per procuratorem valeat expediri, ut nos tua duxit prudentia conſulendos. Hic autem decernimus diſtinguendum, quod ſi in prima cauſa matrimoniali criminaliter quæſtio agitatur, & ob eamdem ab adverſa parte ſit agendum non per interpoſitam perſonam ſed per ipſam principalem per cauſam matrimonii terminari oportet, cum ſicut jura teſtantur, præſens præſentem debeat accuſare, & ſe talionis vinculo alligare, ſecus autem in cauſa non criminali, in qua non criminaliter agimus credimus procedendum; ſecurius tamen ageretur, ſi cum haberi poſſit principalium præſentia perſonarum, ipſis præſentibus in utroque ad diffinitivæ ſententiæ calculum procedatur.

Vacat

De Procuratoribus

Idem de reſtitutione ſpoliatorum ex conqueſtione.

### *Gregorius VIII. univerſis Chriſti fidelibus.*

Ex adminiſtrationis &c. Quoniam igitur creditores ad uſuras ſibi ſolvendas in manifeſtum periculum animarum juramento debitores adſtringunt. Nos eorum ſaluti volentes juxta debitum officii noſtri proſpicere, & nequam gravamen a debitoribus removere, & ab illis præcipue, qui ſe vel auxilium dederint ad ſuccurſum Terræ Jeroſolymorum parandum unius viri, mandamus quatenus creditores ipſos ad juramenta ſuper uſuris ſolvendis præſtita relaxanda, ſublato contra & appellationis obſtaculo diſtrictionis Eccleſiaſticæ ſeveritate cogatis.

De jurejurando.

Cap. Ex adminiſtrationis 24. De jurejur.

### *Clemens III. Livonienſi Epiſcopo.*

Quam ſit laudabile &c. *Et infra*. Tuis, frater Epiſcope, petitionibus annuentes, tibi tuiſque ſociis, cum

De Judæis & Sarracenis.

Cap. Quam fit 10. de Jud. & Saracen.

cum ad prædicandam Christi fidem paganis exibitis, Apostolica auctoritate concedimus, ut vobis iis cibis cum modestia, & gratiarum actione, servata temporum qualitate juxta canonicas sanctiones uti liceat, qui vobis ab ipsis infidelibus apponuntur. Insuper indulgemus, ut quicumque viri monachi seu clerici idonei ad nuntiandam gentibus Evangelicam veritatem, requisita, & habita suorum Prælatorum licentia si voluerint adhætere, id absque contrarietate aliqua, exequendi liberam habeant auctoritate Apostolica facultatem.

*Idem.*

Cap. Tua nos 19. De sent. excom.

Tua nos duxit Fraternitas consulendos an ii soli sint ad Sedem Apostolicam destinandi, qui in latæ sententiæ canones incidentes manus in clericos verterunt violentas, & utrum possint ab eadem sententia nisi per Romanum Pontificem liberari. Unde Fraternitati Tuæ respondemus, quod non solum ii, qui in clericos temerarias manus mittunt, sed etiam incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiasticam sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Sedem sunt Apostolicam destinandi, & nonnisi per Romanum Pontificem absolvendi.

:::::...Debent resarcire damnum ut in Extrav. ex::: Q. ultima.. .........

Illi vero, qui Ecclesiastica beneficia de manibus præsumunt laicorum accipere, non consueverunt pro tali excessu ad Sedem Apostolicam laborare.

De Clerico ægrotante C. ultimo. Cap. Tua nos 4. De Cleric. ægrot.

De Sacerdote vero, qui divino judicio lepra respersus in Parrochiali Ecclesia prælationis officio fungitur, tibi duximus intimandum, quod pro scandalo, vel obmurmuratione populi, ab administrationis debet officio removeri, ita quod juxta facultates Ecclesiæ si quod vixerit ministretur.

*Idem Turonensi Episcopo, in eodem libro.*

Cap. Cum H. 2. De Eo qui furti.

Cum H. lator præsentium sicut sua nobis conquestione monstravit ad tuam præsentiam ordinationis tempore accessisset, tua ei Fraternitas juxta consuetudinem Patriæ quatuor minores ordines contulit, quibus nullatenus contentus, subdiaconatum eodem die inter alios latens te inscio, & diaconatum temerario ausu recepit. Quia vero idem clericus in facto isto multum excessit, Fraternitati Tuæ mandamus, quatenus eum in minoribus ordinibus permittas ministrare. Si vero domum Religionis intraverit, & vita ejus, & mores exegerint, Abbas suus etiam in aliis cum eo poterit ordinibus dispensare.

*Idem Abiencensi Episcopo.*

Ne clerici vel Monachi.

Ea noscitur, &c. *& infra*. Ad Audientiam siquidem nostram, te significante, pervenit, quod quædam Ecclesiæ intra vastram Diœcesim & ad tuam jurisdictionem spectantes, cum in eis prius fuerint clerici sæculares, ad Regularem observantiam sunt translatæ. Verum in qua aliquando viginti clerici soliti fuerunt substentari, vix modo septem in ea, vel octo monachi commorantur, & ubi decem fuerunt clerici, vel quatuor vel tres monachi sunt statuti, cum possessiones non sint modo diminutæ, nec aliqua alia, ex quibus clericis solebant provenire. Quapropter quid tibi super his sit amodo faciendum nostris petisti litteris edoceri. Ne igitur Ecclesiis illis ex mutatione hujusmodi Dei obsequium diutius maneat imminutum, Fraternitati Tuæ præsentis scripti pagina duximus indulgendum, ut si Prælati, ad quos Ecclesiæ istæ pertinent, ad commonitionem tuam in eis tantum Religiosorum numerum instituere prætermiserint, quantus ex earum proventu honeste valeat substentari, liberum tibi sit in eis tot Religiosas personas ejusdem Ordinis contra & appellatione cessante statuere, quot eorum redditus sufficiunt ad necessaria providenda. Liceat quoque tibi per districtionem ecclesiasticam quos contradictores inveneris, appellatione cessante, cogere ad observationem eorum, quæ super his duxeris statuenda.

Notabilis casus si quod Episcopus potest instituere Clericos secundum facultates Ecclesiæ. Arc. de Vita & honestate Clericorum quemadmodum ait scriptum.

*Idem Cantuariensi Archiepiscopo.*

De Sponsalibus.

Est in Comp. II. & Clem. III. adscribitur.

Ex litteris tuæ Fraternitatis accepimus, quod cum B. miles L. mulierem XXV. annis tenuerit in uxorem, nunc dictus miles ab ea separari desiderans matrimonium accusavit, asserens se ad invicem in quinto gradu consanguinitatis attingere, idemque coram te probaturum idoneis testibus proponebat; adiiciens insuper quod ob hanc causam a G. prædecessore tuo in primo nuptiarum anno vinculo fuit excommunicationis adstrictus. Ex adverso vero præfata mulier dixit actionem suam nullatenus audiendam, eo quod sic probare manifeste dicebat, semper XXV. annis idem vir tanquam legitimam uxorem eam tenuisse. Unde quia super hæc nos consulere voluisti, consultationi tuæ taliter respondemus, quod si tibi constiterit prædictum virum mulierem illam XXV. annis tanquam uxorem legitimam tenuisse, ipsum ad eam uxorem, de cætero detinendam, & maritali affectione tractandam appellatione remota compellas, perpetuum ipsi viro super eadem quæstione silentium apostolica auctoritate imponens.

## DE HIS, QUÆ FIUNT

### *A majori parte Cap.*

*Idem.*

Fraternitatem Tuam &c. *& Infra*. Diligenti si quid a nobis consultatione credidit tua solertia inquirendum quid observare debeas, & Apostolica auctoritate statuere super eo in ecclesia tua quidam vel etiam minimus ipsam Ecclesiam, sine tuo, & aliorum canonicorum consensu interdicto supponit, per quod & ipsius Ecclesiæ servitium deperit, & in populo scandalum non modicum generatur; addidit etiam discretio tua super eo se velle rescriptum Sedis Apostolicæ promereri, quod quidam ex clericis majoris Ecclesiæ, vel aliarum in tua Diœcesi constitutarum ordinationes earum, & alia rationabilia statuta Capituli . . . . . . canonicæ contradictionis occasione impediunt, & ordinationem Ecclesiasticam procedere non permittunt. Primæ igitur quæstionis articulo Respondemus, ut interdictum sine tuo, & fratrum assensu per aliquem ex canonicis in Ecclesia positum nullatenus servare debeas, nec sustinere ut alii, præsertim contra justitiam, edictum observent. Secundæ quæstionis nodum auctoritate Lateranensis Concilii duximus resolvendum, ut nisi videlicet ab aliquo, vel aliquibus potioribus, vel inferioribus tanquam rationabile aliquid objectum probari contigerit, prævaleat semper & obtineat debitum appellatione remota objectum, firmatum, quod a majori, & saniori parte Capituli fuerit constitutum, nisi antiqua consuetudo Ecclesiæ hactenus observata, & Auctoritate Sedis Apostolicæ confirmata aliud suaserit observandum, sic enim & audacia dante Domino refrænabitur improborum, & ecclesiasticorum utilitas latius extendetur.

Cap. Quæsivit. 1. De his quæ fiunt. & est Cælestini III. ad Claremon. Episc.

Idem de his quæ fiunt...... .......... .......

## DE CONCESSIONE ECCLESIÆ

### NON VACANTIS.

*Idem Rothomagensi Archiepiscopo.*

Ar. CC. prope. in c. Quia requisisti.

Ea noscitur &c. & infra. Ex tua si quid nobis est ex parte propositum quidquid dubium tibi extat, utrum illorum sit appellationi deferendum qui occasione promissionis sibi factæ super Ecclesiis non vacantibus, cum eis prætermissis vacantes postmodum Ecclesias intelligant conferendas, in vocem Appellationis prorumpunt. Super quo Fraternitati Tuæ duximus respondendum, quod cum promissiones hujusmodi in Concilio Lateranensi fuerint prohibitæ, nisi sedis Apostolicæ Auctoritas intervenerit, vel aliud quid rationabile obviaverit pro hujusmodi appel-

latio-

latione non debet vacantium Ecclesiarum institutio prorogari vel aliquatenus impediri.

## DE PRÆBENDIS.

*Idem Asturicensi Episcopo.*

In Ecclesia vestra centum numero Canonicorum, sicut nobis innotuit consuevit instituere, & institutionem vestram religione firmare juramenti. Unde quia (Natalibus cautum.) numero illo successu temporum diminuto in dubitationem deducitis, utrum ipsum de institutione Canonicorum supplere possitis laicis computatis, qui in (Cap. In Ecclesia a. de Instit.) Ecclesia vestra canonicorum titulo nominantur, statutis nostris sit impletum. Ut hæc ambiguitas a vestris cordibus auferatur, nobis videtur, quod laici non debent in canonicorum numero computari, nec vos debeatis quominus statutum nostrum juramento præstito roboratum, de aliis clericorum personis idoneis canonicos suppleatis. Nec enim alia nostra intentio fuisse putatur quam quod tales ad supplendum numerum cum necesse foret curaretis unanimiter invenire, per quos Deo in divinis officiis per Ecclesiasticos ordines congrue serviretis. Ad hæc vero districtius prohibemus, ne de cætero laicos ut canonicos admittatis.

## CLEMENS III.

*Allocensi Episcopo electo.*

(De sententia Excommunicationis.) Perpendimus ex literis tuis, quod quidam Sacerdos tuæ Diœcesis pro eo quod se filium Regis nominare præsumpsit, & armis arreptis in Provincia seditionem fecit, & guerram, a dilecto filio H. Comite per vicos visus est fustigari, qui postea ejus mandato patibulo traditus expiravit. Quia igitur tam ipsum Comitem, quam alios hujus facti participes velle super hæc satisfacere intimasti, præsenti pagina duximus respondendum; quod si memoratus Sacerdos tali modo excessit, & arma ferens non propulsando iniuriam, sed eam inferendo fuit occisus, non videtur nobis, quod interfectores ejusdem propter hæc ad obtinendam absolutionem Apostolicam Sedem adire cogantur. Tu vero quod melius nosti merita personarum, eis aliam pœnam competentem adjungas.

(De Voto.) Cæterum de voto, quod ipsum Comitem fecisse proponis, ut scilicet singulis sextis feriis in pane jejunet & aqua, non videtur quod reo e pretio illa sufficiat de altari constructo, cum quamvis voluntarium sit vovere, ex necessitate tamen vota licita sunt solvenda.

Ad ultimum quod de subveniendo Terræ Jerosolymorum promisit, ipsum ad eundem illuc in propria persona si fieri potest diligentius exhortetis, vel in voti supplementum competentia subsidia euntibus Jerosolymam subministret.

In ultimo quo litterarum tuarum loco requisisti a nobis, utrum Baro quidam de tua Diœcesi, qui Sacerdoti mortem inflixit, & postea ad Cisterciensem ordinem convolavit, jam nunc factus Monachus ab Abbate tuo possit absolvi. Ad quod breviter respondemus, quod ubi præcessit talis excommunicatio in Monachum, non nisi per Romanum Pontificem, vel ejus mandato absolutionem sui poterit obtinere; ex dispensatione tamen ei poteritis auctoritate nostra munus absolutionis impendere, & pro excessu pœnam imponere competentem.

## DE DUELLO

*Idem.*

(De Duello. 166.) Cura suscepti regiminis nos inducit, ut Fratrum nostrorum debeamus consultationibus respondere, & ab eis quantum humana permittit fragilitas dubitationis scrupulos amputare. Hinc est quod cum tua



duxerit Fraternitas Sedem Apostolicam consulendam, utrum super Ecclesiarum præsentationibus duella debeant sustineri, tuæ duximus sollicitudini respondendum, quod neque in eodem casu, nec etiam in aliis debes aliquatenus tolerare.

## DE SENTENTIA

### EXCOMMUNICATIONIS.

*Idem Lucensi Capitulo.*

Cum bonæ memoriæ Clemens Papa prædecessor noster L. M. M. & alios quosdam Bareu. Clericos vocasset ut Berando Archidiacono suo, quem graviter læserant, ad ipsius accederent præsentiam responsuri, quia venire juxta mandatum Apostolicum contempserunt, in eos fecit per Vigilem Episcopum suspensionis sententiam promulgari, in qua sicut dicitur triennio permanentes, quidam ex ipsis suspensi aliud Beneficium Ecclesiasticum sunt adepti, & quia utrum beneficia adepta possint rationabiliter retinere nos consulere voluisti, significatione præsentium vobis Respondemus, quod non liceat illos nec illa quæ habuerant, nec ea beneficia, quæ postmodum sunt adepti aliquatenus retinere. (De Sententia Excommunicationis.) Unde venerabili Fratri nostro Bar. Episcopo dedimus in mandatis, ut eos pro tanta pertinacia & contemptu Apostolico, beneficiis, quæ habent, non differat spoliare, ea tandiu in suis manibus detineantur, donec quid super his facere debeat literas nostras accipiat, & mandatum.

*Idem Ludimensi Archiepiscopo.*

(De Appellationibus) Cum in Ecclesia Dei pro diversitate ordinum, & honorum jurisdictio possidentium nonnunquam in subditis varietur, & venerabiles Fratres nostri Episcopi concessam sibi potestatem exerceant in reddendis juribus subditorum populorumque; evenit, ut non consideratione justitiæ, sed voluntatis propriæ libertate pensata, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærentes, ipsorum Episcoporum judicium, potestatemque declinant appellationis refugium usurpantes, cujus auxilium juste interponendum ad præsidium innocentium noscitur institutum. Accepimus autem venerabilis Fratris nostri Lingoniensis Episcopi transmissa nobis conquæstione querelam, quod quidam Clerici de Guilan. gravaminis necessitate non compulsi, & ullius oppressionis mole gravati, (Cap. cum in Eccles. de Appellat. & est Clemen. III.) sed solo prætextu excutiendi a se jugum Ecclesiasticæ disciplinæ, ut possint liberius in sui erroris, & nequam propositi libertate baccari, ab audientia sua vocem appellationis emittunt, & occasione judicii tui quod velle observare se jactant, ejusdem judicis ordinarii sine rationabili cognitione evitant. Quia vero Appellationis diffugium non ad defensionem iniquitatis, sed ad remedium oppressorum, & damnatorum injuste tam canonica, quam civilia jura induxerunt. Ad statuta Lateranensis Concilii non est subditorum hujusmodi appellatio admittenda, quæ non porrigitur nisi ubi digna correctio eludi valeat Prælatorum & omnium, qui in parte sollicitudinis Ecclesiarum, disponente Domino convocantur; interesse dinoscitur, ut sua cuique jura illibata serventur, Fraternitatem tuam litteris præsentibus duximus commonendam, per Apostolicum scriptum tibi mandantes, ut si quando contigerit aliquem de prædictis Clericis a præfato Episcopo tuam audientiam appellare, non ante sibi audientiam præbeas nec ejus appellationem admittas, quam tibi constiterit ab appellatione illius, vel a gravamine, vel injusta condemnatione porrectum; alioquin ipsum ad præfati Episcopi auditorium remota appellatione remittas, in suæ discussionis examine justo ejus judicio permittimus. Sic enim contumacia refrænabitur improborum, & honor Coepiscopis debitus per Fraternæ vicissitudinis observantiam in sua libertate consistet.

*Idem Cæsaraugustano Episcopo.*

De Appellationibus.

Est Cælest. III. in II. Compilat.

Quia requisisti a nobis, fili Præposite, quid agendum sit quando præbenda in Ecclesia tua vacante contigerit complures ex his qui numerati sunt ibi in vocem appellationis erumpunt, interdicentes expressim ne ad electionem alicujus procedant, consultationi tuæ taliter respondemus, quod si appellationem, quam interponunt, intra quadraginta dies prosecuti non fuerint, procedendum est postmodum, appellatione nullius obstante ad canonicam electionem personæ ministerio Ecclesiæ competentis.

*Idem Fidelibus in Vianensi Provincia constitutis.*

De Decimis. Cap. Non est de Decimis.

Non est in potestate hominum cum plantant arbores, vel aliqua terræ semina mandant, quid ejus sit fatio vel plantatio redditura, cum juxta verbum Apostoli ad litteram exponendum. *Neque qui plantat aliquid plene facit, neque qui rigat, sed Deus qui tribuit incrementum.* Audivimus autem quod quidam vestrum de vineis, oliveris, cavila mellis & frugibus, nisi primo deductis expensis seminum, laboris, & agriculturæ decimas curant Ecclesiis exhibere. Revera, sicut sancti Patres in suis tradiderunt scripturis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, & negotiatione. de ipsa etiam militia, & de venatione, & de omnibus bonis, decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ; ita etiam ut qui has solvere negleaerit, ecclesiastica debeant districtione compelli. Præterea si quis Domino decimas non dederit, quæ sunt tributa egentium animarum & ex debito requiruntur, ad decimam partem, ut docet Augustinus, revocari meretur. Volumus igitur, & districte præcipimus, quatenus antequam deducatis de cunctis vestris bonis collectis expensas, salvis privilegiis Ecclesiæ Romanæ, decimas ecclesiis quas pertinent cum integritate debita persolvatis.

S. in Ex. ex parte dilectorum.

Vacat

De scholaribus, qui non debent conducere hospitia aliorum.

Ex rescripto litterarum piæ recordationis P. quondam Tusculani Episcopi nobis innotuit, quod cum Civitatem Bononiensem tempore suæ legationis intrans invenit fuisse ibi a bonæ memoriæ W. quondam Portuensi Episcopo constitutum, & sub excommunicatione prohibitum, ne aliqui scholares aliorum hospitia majoris mercedis promissione conducerent, ubi ea sibi vel inanis gloriæ studio quasi potentiores in expensis apparere volentes, vel privatæ utilitatis commodo vendicarent. Unde ipse sollicita provisione considerans, quod hujusmodi conductionis improbitas in discordiæ fornacem, & impedimenta non modica pareret studiorum, prædictam constitutionem legatione qua fungebatur Sedis Apostolicæ confirmavit, perpetuis temporibus, sub pœna decernens anathematis observandum, ut nullus magistrorum, sive scholarium super ducendis hospitiis in læsionem, & præjudicium habitantium audeat hospitem convenire, nisi prius constiterit tempus conductionis elapsum, vel inquilini in hoc suum præstiterint placido favore consensum. Quocirca nos, qui detestabiles versutias bonæ fidei contractibus inimicas non solum in clericis, sed etiam in quibuslibet etiam mercatoribus condemnamus, prædictam constitutionem a præfato Portuensi Episcopo factam, & demum a jam dicto præfato Episcopo Tusculano confirmatam ratam esse decernimus, & eam auctoritate Apostolica confirmamus, studentes ut a te Frater Episcope, & tuorum omnium successorum singulis annis in communi audientia Magistrorum, atque scholarium præsens pagina recitetur, & prætaxata pravæ conductionis improbitas innovata per annos singulos excommunicationis sententia reprimatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere. &c.

## CLEMENS III. SURONT.

*Archiepiscopo.*

Cap. Contracto 1. De Cognat. Spirituali

§ XXX. Q. Perveni.

Contracto matrimonio inter P. & A. uxorem suam, sicut ejus P. nobis conquestio patefecit, cum per biennium insimul habitassent, & filium ex ipsa uxore memoratus P. suscepisset, quia consanguinei ejusdem A. volentes eam separari a viro contracto matrimonio obiecerunt, asserentes quod eadem A. in primo sancti salis pabulo filium ex concubina quondam ipsius P. tenuerit, cum fuit primo in eam inductus, & propter hæc tuam præsentiam adeuntes dicebant ipsam debere a viro per tuum judicium separari. Tua vero Fraternitas, sicut accepimus, causa non cognita carnale eis commercium interdixit, prohibens ipsi P. ne debitum ab uxore requireret. Verum si constaret Ecclesiæ vera esse quæ diximus, non ideo tamen contractum matrimonium solveretur, quæ res utique vix contrahendo matrimonio impedimentum afferret; ideoque tibi per Apostolicum scriptum mandamus, quatenus præfato P. firmiter auctoritate nostra injungas quod memoratam A. sicut uxorem propriam maritali affectione pertractet, & carnale debitum, & ab ea licenter exigat, & persolvat. Sive quod supra dictum est ipsam A. ante matrimonium contractum cum P. sive postea egisse constiterit, dum tamen si in fraudem causa separandi matrimonii id fecit pœnam pro præsumptione accipiat, matrimonio in sua firmitate durante.

*Idem.*

De homicid. vol. & casu:

Est Clement. in II. Compil.

Inspectis litteris, quas bonæ memoriæ Urbano prædecessori nostro misisti, plene cognovimus quod perlator C. subdiaconus dum olim in minori ætate positus cum quodam puero ludum exercens, jactu lapidis uteretur, ipsum puerum non studiose, sed casualiter vulneravit, de quo vulnere vix fuit cura medicorum agentes (sic) infra breve temporis spatium, sicut credebant, plene curatus; tamen elapso anno vulnus fecit postmodum aperturam; sed quia medicus, qui fuit adhibitus ad curandum, circa ipsum, negligentia seu ignorantia vel etiam alia culpa, minus necessariam sollicitudinem creditur habuisse, puer occasione ipsius vulneris expiravit. Respondentes igitur ad hæc Fraternitati Tuæ mandamus, quatenus cumque res ita processerit, eumdem in minoribus ordinibus ministrare permittas. Acturus circa eum de Beneficio, quod per te illi postulas conferendum sicut ejus merita postulant, & tuæ melius insederit voluntati. Ad altaris vero officium non accedat qui occasionem morti ejusdem pueri dedisse videtur.

## CÆLESTINUS III.

Si matrimonii causa possit per Procuratorem expediri nos tua duxit Fraternitas consulendos. Super hoc autem sic credimus distinguendum, quod si in ipsa causa matrimoniali criminaliter quæstio ventiletur, & ob eamdem ab adversa parte criminaliter sit agendum, non per interpositam personam, sed per ipsam principalem causam matrimonii terminari oportet, cum, sicut jura testantur, præsens præsentem accusare debet, & se talionis vinculo obligare. Secus autem in causa non criminali, in qua non criminaliter agitur, credimus procedendum; securius tamen ageretur, si cum haberi possit principalium præsentia personarum, temporibus præsentibus in utroque ad definitionis calculum procedatur.

*Innocentius Ferrariensi Episcopo.*

Cap. Quanto novimus 7. de divort.

Quanto novimus te in canonico jure magis peritum, tanto Fraternitatem tuam amplius in Domino commendamus, quod in dubiis quæstionum articulis

ticulis ad Sedem Apoſtolicam recurris, quæ diſponente Domino cæterorum Fidelium mater eſt, & magiſtra. Ut opinio, quam in eis quondam habueras dum alios canonici juris peritiam edoceres, vel corrigatur per Sedem Apoſtolicam, vel probetur. Sane tua nobis Fraternitas ſuis intimavit litteris, quod altero conjugum ad hæreſim tranſeunte, qui relinquitur ad ſecunda vota tranſire deſiderat, & filios procreare: quod utrum poſſit fieri de jure per eaſdem literas nos duxiſti conſulendos. Nos igitur de communi Fratrum conſilio reſpondendo diſtinguimus, licet quidam prædeceſſorum noſtrorum ſentiſſe aliter videantur, an ex duobus infidelibus alter ad Fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel

Hæc Decretalis corrigit unum articulum illius Decretalis *Laudabilem*.

ſaltem non abſque blaſphemia divini nominis, vel duobus vel alter habitaverit etiam in hæreſi, vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium conjugum ad Fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel ſaltem non abſque blaſphemia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad ſecunda ſi voluerit vota tranſibit, & in hoc caſu intelligimus quod dicit Apoſtolus, *ſi infidelis diſcedit, diſcedat:* Frater autem, vel ſoror non eſt ſubiectus ſervituti in hujuſmodi; & Canonem etiam, in quo dicitur quod contumelia Creatoris ſolvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur. Si vero alter fidelium conjugum vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad gentilitatis errorem, non credimus in hoc caſu quod is, qui relinquitur vivente altero poſſit ad ſecundas nuptias convolare, licet enim in hoc caſu major appareat contumelia Creatoris. Nam & ſi matrimonium verum quidem inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum, inter fideles autem verum quidem & ratum exiſtat, quia ſacramentum Fidei, quod ſemel admiſſum, nunquam amittitur, ratum efficit conjugii ſacramentum, ut ipſum in conjugibus, ipſo durante perduret. Nec obſtet, quod a quibuſdam forſan obiicitur, quod * infidelis relictus non debet

* fidelis

ſuo jure privari, cum multis caſibus contingat ut ſi alter conjugum incidatur. Per hanc autem reſponſionem quorumdam malitiæ obviatur, qui in odium conjugum, vel quando quæ ſibi invicem diſplicent, ſi eas poſſent in tali caſu dimittere, ſimularent hæreſim, ut ab ipſa conjugibus nubentibus reſilirent. Per hanc ipſam reſponſionem ſalvatur illa quæſtio qua quæris, utrum ad eum qui vel ab hæreſi, vel ab infidelitate revertitur, is qui permanſit in fide redire cogatur.

*Idem Mariſicano Epiſcopo.* (ſic)

Significaſti nobis per litteras tuas, quod cum B. vir O. mulierem prius carnaliter cognitam poſt deſponſaſſet, eamdem poſtmodum non cognovit, imo ad partes alias tranſiens ſibi aliam copulavit, de qua filios, & filias jam ſuſcepit. Verum quia eadem O. ad te reverſa vel virum ipſum reſtitui poſtulat, vel dari licentiam contrahendi, & tu quid ſuper his fieri debeat noſtris quæris litteris edoceri, Fraternitati Tuæ taliter reſpondemus, quod ſi dictus vir eam deſponſavit per verba de præſenti, ad ipſam cogendus eſt de jure redire. Quod ſi forſitan in deſponſatione ipſius verbis uſus eſt de futuro, impoſita utrique pœnitentia de fide mentita, mulieri eidem nubendi cui voluerit in Domino liberam tribuimus facultatem.

## INNOCENTIUS III.

*Cenetenſi Uxi. Epiſcopo.*

Cap. Vergentis 10. De Hæreticis

Vergentis in ſenium ſæculi corruptela non ſolum ſapiunt elementa corrupta, ſed & digniſſima creaturarum ad imaginem & ſimilitudinem condita Conditoris, prælata privilegio dignitatis, volucribus Cœli, & beſtiis univerſæ terræ teſtatur; nec tantum eo quaſi deficiente jam deficit; ſed & inficit, & inficitur



ſcabra rubigine vetuſtatis. Peccat enim ad extremum: homo miſerrimus, & qui non potuit in ſui & mundi creatione in Paradiſo perſiſtere, circa ſui & orbis diſſolutionem degenerat, & pretii ſuæ redemptionis circa fines ſæculorum oblitus, dum variis quæſtionum nexibus ingerit, ſeipſum laqueis ſuæ fraudis innectit, & incidit in foveam quam paravit. Ecce etenim Inimico homine meſſi dominicæ ſuperſeminante ſemen iniquum, ſegetes in Zizaniam pullulant, vel potius polluuntur, & triticum areſcit, & evaneſcit in paleas, & in flore tinea, & Vulpes in fructu demoliri vineam Domini moliuntur. Nova ſiquidem ſub novo Teſtamento Achor progenies de ſpoliis Jerico regulam auream, palliolumque furatim, & Abiron, Dathan, & Chore ſoboles deteſtanda novis thuribulis fermentatum thymiama, novis voluit altaribus adolere, dum non nocti ſcientiam indicat, dum cæcus præbet cæco ducatum, dum hæreſes palliant, & quem Divinæ reddit hæreditatis expertem, ſuæ conſtituit hæreticus hæreſis, & damnationis hæredem. Hi ſunt caupones, qui aquam vino commiſcent, & virus Draconis in aureo calice Babylonis propinant, habentes ſecundum Apoſtolum ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus penitus abnegantes. Licet autem contra Vulpes hujuſmodi parvulas, ſpecies quidem habentes diverſas, ſed caudas ab invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipſum, diverſa prædeceſſorum noſtrorum temporibus emanaverunt inſtituta, nondum tamen uſque adeo peſtis potuit mortificari mortifera; quin ſicut cancer amplius ſerperet in occulto ſui virus iniquitatis effundat. Dum palliata ſpecie Religionis, & multos decipit ſimplices, & quoſdam ſeducit aſtutos, factus magiſter erroris, qui nondum fuerat diſcipulus veritatis. Ne ergo nos, qui licet circa horam undecimam, inter operarios tamen, imo verius ſuper operarios vineæ Domini Sabaoth ſumus a Patrefamilias Evangelico deputati, & quibus ex officio paſtorali ſunt oves Chriſti commiſſæ, nec capere Vulpes demolientes vineam Domini, nec arcere lupos ab ovibus videamur, & ob hoc merito vocari poſſimus canes muti, non valentes latrare, ac perdamur a malis agricolis, & mercenario comparemur, contra defenſores, receptatores, fautores & credentes hæreticorum aliquid ſeverius duximus ſtatuendum, ut qui per ſe ad viam rectitudinis revocari non poſſunt, in ſuis ſaltem defenſoribus, receptatoribus, & fautoribus, ac etiam credentibus confundantur, cum ſe viderint ab hominibus evitari, reconciliari deſiderent omnium unitati. De communi ergo Fratrum noſtrum conſilio, aſſenſu etiam Archiepiſcoporum apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium diſtrictius inhibemus, ne quis hæreticus receptare quomodolibet, vel defendere, ipſis favere, vel credere quomodo præſumant præſenti decreto firmiter ſtatuentes, ut ſi quis aliquid horum facere forte præſumpſerit in primo, ſecundove commonitus a ſua ſuper hoc curaverit præſumptione ceſſare, ipſo jure ſit factus infamis, nec ad publica officia, vel alia Civitatum, nec ad eligendos aliquos ad hujuſmodi, nec ad teſtimonium admittatur. Sit etiam inteſtabilis, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Nullus præterea ipſi cogatur ſuper quocumque negotio reſpondere. Quod ſi forſitan judex extiterit, nullam obtineat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio inſtrumenta confecta per ipſum nullius penitus ſint momenti, ſed cum auctore damnentur. In ſimilibus etiam idem præcipimus obſervari. Si vero Clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur, ut in quo major eſt culpa gravior exerceatur vindicta. Si quis autem tales poſtquam ab Eccleſia fuerint denotati contempſerit evitare, anathematis ſe noverit ſententiam incurriſſe. In terris vero temporali noſtræ juriſdictioni ſubiectis, & in aliis id fieri præcipimus poteſtates, & Principes ſæculares, nec ad eos ipſorum bona al-

Nota Defenſores hæreticorum ipſo jure fieri infames, niſi admoniti ceſſent.

ternis revertantur, nisi eis ad cor redeuntibus, & abnegantibus hæreticorum consortium aliquis voluerit misereri, temporalis saltem pœna corripiat, qui spirituali corrigitur disciplina. Cum enim secundum legitimas sanctiones reis læsæ majestatis punitis capite bona confiscentur ipsorum, eorum filiis vita solummodo ex misericordia conservata; quanto magis qui aberrantes a Fide Domini, Dei Filium Jesum Christum offendunt, a capite nostro qui est Christus Ecclesiastica debet districtione præcidi, & bonis temporalibus spoliari, cum longe gravius sit æternam quam temporalem lædere majestatem, nec hujusmodi severitatis censura orthodoxorum exhæredatio filiorum, quasi cujusdam miserationis prætexta, debet ullatenus impedire, cum in multis casibus, etiam secundum divinum judicium, filii pro Patribus temporaliter puniantur, & juxta canonicas sanctiones quandoque feratur ultio non solum in actores scelerum, sed etiam in progenie damnatorum: decrevimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis vero hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

## L U C I U S III.

*Norvicensi Episcopo.*

Idem dicit ........ in Extrav. quæsitum, & per eadem verba.

Quæsitum est a nobis ex parte tua si judex ordinarius, vel alius, cui judex delegatus mandavit partes citari vel ut exequatur sententiam, delegato judici teneatur obedire. Cum autem non sua sed delegantis vice fungantur, & cum jurisdictio delegatur omnia delegari quæ ad jurisdictionem faciunt videantur, merito delegatus potest tam ordinarium, quam alium cui mandaverit cogere ad efficiendum quod præcipitur, & ei qui obedire contempserit pœnam infligere competentem.

## C Æ L E S T I N U S III.

*Aquilejensi.*

Ad audientiam nostram pervenisse cognoscas quod in tua Provincia, & aliis Teutoniæ Terræ consuetudo nimium perversa invaluit, quod videlicet Præpositi & alii, quibus secundum morem terræ noscitur attributa potestas in loco decedentium personis aliquibus assignandi præbendas, quando proprios filios, quos in sacris constituti ordinibus genuerunt substituunt decedentibus, per quos sæpe contingit uno, eodemque tempore patrem, & filium in eadem Ecclesia ministrare, & proventus accipere præbendarum. Præterea commotationes præbendarum ac dignitatum quidam ex Clericis contra statuta Concilii temeritate propria non verentur facere. Nolentes igitur incorrecta relinqui, Fraternitati tuæ per Apostolicum scriptum mandamus quatenus per totam Provinciam tibi subiectam auctoritate nostra, & tua prohibeas, ne talia ulterius attemptentur. Quod si post inhibitionem tuam fuerint attemptata, corrigendi habeas liberam facultatem. Studeas etiam quæ scripta sunt hactenus juxta formam canonicam prout poteris emendare.

## C L E M E N S III.

*Decano Cama. Cen. . . . . .*

Cap. Gravis 17. de censib.

Gravis admodum, & correctione dignissima nuper querela in audientia nostra est proposita, quod salva conscientia sub dissimulatione transire non possumus. Cum enim quadam Ecclesiasticæ personæ Ecclesias quasi plebes in Morinensi Diœcesi habeant, cum eas vacare contigerit non aliter quemquam ad ipsarum regimen volunt vocare, nisi antea novum censum Ecclesiis illis imponant, aut illæ terræ contra constitutionem Lateranensem augmentent, ad ipsius solutionem instituendum Episcopum Presbyterum juratoria cautione vel fidejussoria cautione cogentes, quandam etiam partem reddituum suis usibus applicare contendunt. Unde sæpe contigit ut Diœcesano Episcopo excessus hujusmodi ignorante, vel eo minime requisito in Ecclesiis illis inducant pro suæ voluntatis arbitrio sacerdotes. Quoniam igitur constitutiones prædicti Concilii pati noluimus, neque debemus aliquorum malitia violari, discretioni vestræ per Apostolicum scriptum mandamus atque præcipimus, quatenus cum super hoc fueritis requisiti, partibus ad vestram præsentiam convocatis, quæcumque noveritis contra constitutionem prædictam super Ecclesias illas vel earum censu ab aliquibus a tempore prædictæ constitutionis attentata, contradictione, & appellatione cessante in irritum revocantes, ab augmentatione censuum Ecclesiis penitus absolvatis, & ad statum debitum reducatis. Presbyteros quos super his illicita juramenta præstitisse noveritis congrua satisfactione imposita faciatis absolvi, Eos etiam quos de cætero contra formam canonum super his venire noveritis, sine cujusquam personæ sublato appellationis obstaculo censura canonica punistis.

## I N N O C E N T I U S III.

*Abbati S. Andreæ.*

Cap. A nobis. de Sententia Excommunicationis.

A nobis est sæpe quæsitum utrum si aliquis excommunicatus, in quo inditia fuerunt pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit quominus reconciliaretur Ecclesiasticæ unitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus; & utrum pro tali sit accipienda eleemosyna, & si a fidelibus pro eo sit orandum. Ut autem quod intendimus per suppositionem exempli tibi apertius exprimamus: quidam Presbyter, & Canonicus, sicut per tuas litteras nobis intimasti, cum publica laboraret infamia, quod ad quamdam accederet conjugatam, maritus mulieris ejusdem, & consanguinei ejus in eum manus injecerunt temere violentas, propter quod per Diœcesanum Episcopum denuntiati sunt quod excommunicationis sententiæ subiacerent. Verum ipsi postmodum ad eumdem Episcopum accedentes, præstito in manibus ejus, quod parerent judicio Ecclesiæ corporaliter juramento in mandatis receperunt ab ipso quod propter hoc Apostolico conspectui se repræsentarent. Cumque unus illorum iter attingeret veniendi a quibusdam suis æmulis est peremptus, & extra cimiterium Ecclesiæ tumulatus. Et licet contra interfectores amici, & consanguinei interfecti graviter sint commoti promiserunt quod eis tamen omnem rancorem remitterent, & offensam, dummodo interfecti cadaver traderent Ecclesiasticæ sepulturæ. Videtur igitur forsan in hoc casu quibusdam, quod cum sacramentum non necessitatis articulus, sed contemptus religionis excludat, & judicium Ecclesiæ divinum debeat judicium imitari, cum etiam in interfecto prædicto manifesta pœnitentiæ signa præcesserint, & propter hoc absolutus etiam ab Ecclesia sit habendus. Sed e contrario cum ex sola culpa ligetur quis quoad Deum apud triumphantem Ecclesiam; ex sola vero sententia ligetur quo ad homines apud Ecclesiam militantem; quando vinculum culpæ remittitur, absolvitur apud Deum, sed apud hominem non absolvitur, nisi quando vinculum sententiæ relaxatur, alioquin absolutio Ecclesiæ nullatenus necessaria videtur, cum sola cordis contritione præter sacerdotale officium rigor relaxetur Ecclesiasticæ disciplinæ. Nos igitur Consultationi Tuæ de communi Fratrum nostrorum consilio breviter respondemus, quod judicium Dei veritati quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur. Judicium autem

Ec-

Ecclesiæ nonnunquam opinionem prosequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli; propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum Ecclesiastica sit sententia innodatus. Vinculum ergo quo peccator ligatus est apud Deum in culpæ remissione dissolvitur. Illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam cum sententia remittitur, relaxatur: quod in suscitatione Lazari sermo Evangelicus manifestat, quem prius Dominus suscitavit, & Apostolis præcepit Dominus postmodum solvere suscitatum. Unde quantumque prædictus se juramento, quod Ecclesiæ mandato pareret humiliare curaverit, quantæcunque in eo poenitentiæ signa processerint; quod autem morte præventus absolutionis beneficium non potuit obtinere, quamvis apud Deum absolutus esse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri, sic videlicet ubi tunc de ipsius poenitentia evidentia signa constiterint defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat quod Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi, & solvendi homines super terram; tanquam non possit solvere, vel ligare sub terra sepultos; vel quod legitur: ne communicetur mortuo cui non est communicatum & vivo &c. Et si communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quoniam non contemptus religionis, sed necessitas impedivit: eo, & in certis casibus a canonibus denotatis ligasse legitur Ecclesia mortuos, & solvisse: Ut autem in uno pariter, eodemque negotio & servemus rigorem, & mansuetudinem ostendamus, statuimus, ut illius mortui absolutio a Sede Apostolica requiratur, quod cum viveret, ab ipsa fuerat absolvendus. Aliorum autem absolutionem extra præmissa cæteris indulgemus, a quibus cum viverent fuerant absolvendi. Absolutionis autem forma servetur ubi fiat cum poenitentiali psalmo, & tam oratione Dominicale, quam alia consueta. Hæres tamen ipsius ad satisfactionem tamen pro ipso, si commonitione præmissa noluerit per districtionem ecclesiasticam compellatur.

*Idem Arinoconensi Episcopo.*

(Tea)

Cap. Volens 1. de purif. post partum.

Solers Fraternitas per responsionem Apostolicam edoceri humiliter a nobis expetiit, utrum mulieres statim post partum debeant ecclesias ingredi, vel ab earum ingressu per dies aliquot abstinere. Licet autem secundum legem Mosaicam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum a templi cessarent ingressu; quia tamen lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est, nos Sanctorum Patrum vestigiis inhærentes taliter tibi duximus respondendum, quod postquam umbra legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii, si mulieres post prolem enisam acturæ gratias intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum aditus est aliquatenus denegandus, ne pœnam illis in culpam convertere videamur. Si aliunde ex veneratione aliquandiu abstinere voluerint, devotionem earum non credimus improbandam.

*Idem Senonensi Archiepiscopo.*

De Institutionibus.

Audivimus quod venerabilis Frater noster Episcopus Carnotensis ita quandoque sequitur motum propriæ voluntatis, quod cum ad vacantes Ecclesias in sua Dioecesi personæ idoneæ præsentantur, ipse licet nihil eis de jure possit obiicere, eas tamen contradicere instituere dicitur. Cum ergo per te, qui ejus Metropolitanus existis, ipsius volumus supplere defectum. Fraternitati Tuæ per Apostolicæ Sedis præceptum mandamus, quatenus, si idem Episcopus personas idoneas a dilecto F. P. . . . . . .

desunt hic aliqua

Archidiacono canonice præsentatas, admittere, post trinam commonitionem tuam sententiam diligenter eidem malitiose forte distulerit, tu, nostra fretus auctoritate, sublata appellatione, eas instituere non omittas; ita tamen quod nullum ex hoc Episcopo imposterum præjudicium generetur.

*Idem Lincolniensi Episcopo.*

Cap. Cum haberet 5. De eo qui duxit.

Cum haberet uxorem legitimam nomine Alitiam Joannes lator præsentium, cum M. crimen adulterii perpetraverit, quod ipse tibi publica confessione detexit, sicut nobis tuæ litteræ demonstrant; cumque super hoc fuisset vocatus in jus ipsam M. adulteram in jure abiuravit. Postea vero juramento posthabito, & contempto, cum eadem matrimonium contrahere qualecunque, & vivente legitima ipsi mœchæ diutius cohabitare præsumpsit. Denique supradicta Alitia de præsenti luce subtracta, nihilominus memoratus Joannes cum præfata adultera per decennium est commoratus, de qua etiam decem filios procreavit. Quia igitur consulis, an prædicti Joannes & Ma. similiter manere possint, vel si debeant separari, utrum liceat eis ad alias nuptias convolare, tale damus consultationi tuæ responsum, ut separentur omnino, & eis injuncta pœna competenti perpetuæ pœnitentiæ addicantur; præsertim cum in diebus satis ambo processerunt, & tandiu in publico adulterio cx. sententia perdurantes Ecclesiam gravi scandalo perturbarent. Nosti enim quod Leo Papa statuit, ut nullus ducat in matrimonium quam polluit per adulterium. Si fides dumtaxat præstita fuisset adulteræ ut defuncta legitima eam duceret in uxorem, cum eadem vivente quod mulieri moechæ moechus adhærere præsumpsit, & sacramentum suum temere violare. Quod utique connubium, nisi nulla intercesserit religio Sacramenti, tam Gregorius Papa, quam Triburiensis Synodus detestatur, & utrumque hoc modo conjunctum præcepit publicæ poenitentiæ subiici, ac perpetuo sine ulla spe conjugii permanere, nisi certe ab eodem J. & M. adminiculum afferatur ut simul maneant quod decennio cohabitaverint simul, ac decem susceperunt filios; cum multiplicitas prolis ita susceptæ magis eorum crimen exageret, & diuturnitas peccatum non minuat, sed augeat. Solicitudinis Tuæ tamen intererit, ut uterque provideat liberis procreatis, & secundum quod eisdem suppetunt facultates substentationi eorum necessaria subministrent.

*Idem.*

Conquestione Nicoli studentis Parisius Apostolatui nostro innotuit quod Joannes Crassus, & Philippus de log. Græci Parochiani sui decimas reddere contradicunt, ea occasione prætensa quod cum Græci sint, Latinis non tenentur. Cum tamen ipsi & ea quæ possident in Dioecesi & Territorio Latinorum, & pro parte decimas reddunt, sed longe pro majori parte eas subtrahere non verentur. Quia vero decimas ex debito requirunt, quæ tributa sunt egentium animarum, & licet dispar sit in aliis ritus Græcorum ab observatione Latinorum, tamen quoad parochialia jura reddenda æqua est conditio inter utrosque; præsertim cum alia Græcorum Ecclesia ibi constituta non sit, cui teneantur super his respondere, in Ecclesia Latinorum psalmum sumant, cui debent reddere timpanum. Districtioni vestræ mandamus, ut si alia rationabilis causa non impediat, eos ad decimam præstationem diligentius moneatis; & efficaciter inducatis, & si per contumaciam satisfacere contradicunt, censura ecclesiastica eos, sicut justum est, appellatione postposita compellatis.

. . . . . . . .
. . . . . . . .
. . . . . . . .
De Decimis.

Ex insinuatione tua nobis innotuit, quod Pater tuus interveniente pecunia tibi præbendæ beneficium acquisivit. Cumque ad annos discretionis postmodum pervenisti, dominicæ Crucis signum accipiens, dictam præbendam in Præpositi, & Fratrum libere resignasti; sed idem Præpositus & Fratres, tibi compatientes, de novo in suum canonicum elegerunt, ita scilicet quod secundum electionem ipsam postremum locum in choro, & aliis locis obtineres. Cæterum

. . . . . . .
. . . . . . .
. . . . . . .
Cap. Ex insinuatione 26. de Simon. est Clementis III.

terum quia a nobis humiliter requiſiſti juxta priorem receptionem tuum locum recuperare valeas, devote duximus reſpondendum, ut indulgentia, quam Fratres tui tibi miſericorditer feciſſe noſcuntur contentus eaiſtens, ratione primæ redemptionis nil audeas in Eccleſia ipſa vindicare.

Placuit nobis, & *infra*, per dilectum autem filium G. Decanum Satalenſem apoſtolatum noſtrum tua ſolicitudo conſuluit, utrum mulier credens mortuum maritum habitum Religionis adſumpſit, & eo reverſo de monaſterio educta ſit, poſt viri obitum ſit ad obſervantiam voti compellenda. Super quo reſpondemus, quod licet votum ejus non tenuerit uſquequaque, eatenus tamen ſuit obligatorium, quatenus ſe potuerit obligare. Penmiſit enim intrando Monaſterium non exequturam debitum carnis, quod erat in ejus poteſtate; redire vero ad ſæculum in ejus poteſtate non erat, ſed in poteſtate mariti; & ideo quantum ad ipſam tenuit votum, quod poſt viri obitum tenere non deſinit, cum ad eam cauſam redierit, a qua poterat efficax habere principium. Conſultius duximus & congruentius ad ſalutem, prædeceſſoris noſtri felicis memoriæ, Alexandri Papæ veſtigia imitantes, ut vanitatibus ſæculi relictis, ad monaſterium redeat, ubi bona ducta intentione profeſſionem fecit, & habitum Religionis accepit. Si vero ad hoc induci non poterit, invitam ipſam credimus non cogendam.

## INNOCENTIUS PAPA III.

### *Virdunenſi Epiſcopo.*

Cap. Inter corporalia 3. De translat. Episcop. Quamvis hæc Epiſtola in multis conveniat cum epiſtola Innocentii Decano & Capitulo Andegav. ex quo deſumptum eſt Cap. Inter corporal. tamen & in multis diſcrepat; & alteri directa eſt; ſed in eadem cauſa.

Cum fortius ſit ſpirituale vinculum quam carnale, dubitari non debet, quin Omnipotens Deus ſpirituale conjugium, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, ſuo tantum judicio reſervavit diſſolvendum, quaſi diſſolutione carnalis conjugii, quod eſt inter virum, & fœminam, ſuo tribunali reſervavit, præcipiens, ut quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Non enim humana, ſed potius divina poteſtate conjugium ſpirituale diſſolvitur. Cum per tranſlationem, aut depoſitionem, vel conceſſionem, auctoritate Romani Pontificis, quem conſtat eſſe vicarium Jeſu Chriſti, Epiſcopus ab Eccleſia removetur. Et ideo tria quæ præmiſimus, non tam conſtitutione canonica, quam inſtitutione divina ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata. Sicut autem Epiſcopus conſecratus, ſine licentia Romani Pontificis, ſuam non debet Eccleſiam derelinquere; ſic & electus & confirmatus præter ejus aſſenſum ſuam deſerere nequit Eccleſiam, cui eſt matrimonialiter alligatus; cum non debeat in dubium revocari, quin poſt electionem, & confirmationem canonicam inter perſonas eligentium, & electi conjugium ſit ſpirituale contractum; quia licet inveniatur in canone quod electus ultra quinque menſes per ſuam negligentiam retinuerit viduatam Eccleſiam, quod nec ibi, nec alibi conſecrationis donum percipiat; non tamen intelligi viduata quaſi ſponſum non habeat, ſed quia cum ſponſus ejus nondum ſit conſecratus, adhuc quoad quædam quaſi viri ſolatio manet deſtituta. Nos ergo qui ſacra docente ſcriptura monemur ne noſtrum alii demus honorem, quoniam Apoſtolatui noſtro taliter referentibus innotuerit, quod venerabilis Frater noſter Tornacenſis Archiepiſcopus magiſtrum W. de Cumeleio, qui electus ſuerat in Ambricenſem Epiſcopum, & per Metropolitanum ſuum poſtea confirmatus, diutius tam in ſpiritualibus, quam temporalibus miniſtraverat, in Andegavenſem præter Apoſtolicæ Sedis auctoritatem transferre præſumpſit, & Epiſcopum conſecrare, quem & venerabilis Frater noſter Rothomagenſis Archiepiſcopus præter Apoſtolicæ Sedis mandatum abſolvit, & ei tribuit licentiam tranſeundi, tibi de quo plenam fiduciam obtinemus, dedimus in mandatis, ut inquiſita ſuper hoc plenius veritate, ſi rem geſtam taliter invenies, præfatos Tornacenſem, & Rothomagenſem Archiepiſcopos, qui ſaltem Apoſtolicam Sedem ſuper hoc conſulere debuiſſent, a confirmatione pariter, & conſecratione Pontificum; memoratum vero W. ut ab executione Pontificalis officii noſtra fretus auctoritate ſuſpendes; qui mandati noſtri diligens executor ſuper quo devotionem tuam digna gratiarum proſequimur actione, cum per confeſſionem ſpontaneam tibi de veritate negocii conſtitiſſet, præfatos Archiepiſcopos juxta tenorem mandati noſtri ſuſpendiſti. Quia vero dicti Epiſcopi, Archiepiſcopi nobis humiliter, & devote per nuntios, & litteras ſupplicavere, ut veniam dantes errori quia non ea malignitate, ſed ea ſimplicitate peccarunt, cum id etiam urgens neceſſitas, & evidens utilitas Andegavenſis Eccleſiæ poſtularet, cum in aliam perſonam idoneam non poterant convenire, eorum erratis miſericorditer parceremus, ne vitam in confuſione finirent nos confeſſionem ſpontaneam, & ſupplicationem devotam benignius attendentes de conſueta Romanæ Sedis clementia pœnam inflictam duximus relaxandam, Fraternitati tuæ per Apoſtolicum ſcriptum mandamus quatenus ipſos Archiepiſcopos a pœna ſuſpenſionis publice denunties abſolutos.

### *Ex Pœnitentiali Theodori.*

Mulier quocunque molimine aut in ſeipſa, aut cum altera fornicans duos annos pœniteat.

### *Item idem in eodem.*

Si ſanctimonialis cum alia ſanctimoniali per aliquod machinamentum fornicata fuerit ſex annos pœniteat.

### *Ex Concilio Anquiritano.*

Mulier ſi cum muliere fornicata fuerit annos duos pœniteat, ſic & illa quæ ſemen viri ſui miſcit cibo, ut plus maritus ejus amorem habeat.

### *Item ex eodem.*

Feciſti ſolus tecum furtim ellecatorem, ut quidam facere ſolent, ita dico, ut tu ipſe tuum virile membrum in manu tua acciperes, & ſic duceres præputium tuum in manu propria commoveres, ut ſic per delectationem ſemen a te proiceres; ſi feciſti, decem dies in pane, & aqua pœnitere debes.

### *Item ex eodem.*

Feciſti fornicationem ut quidam facere ſolent, ut tuum virile membrum in ligneum perforamen, aut in aliquid hujuſmodi mitteres, & ſic per illam commotionem, & delectationem ſemen a te proiceres, ſi feciſti, viginti dies in pane & aqua pœnitere.

### *Item ex eodem.*

Neglexiſti infantem tuum ut per tuam culpam ſine baptiſmo moreretur. Si feciſti, per duos annos per legitimas ferias pœnitere debes, & nunquam ſis ſine pœnitentia.

### *Item ex eodem.*

Si quis in botio inroraverit patrem, aut matrem, tres annos pœniteat, quod ſi manum levaverit, aut eis perniciem intuierit, ſeptem annos pœniteat.

### *Item ex eodem.*

Si quis domum vel aream cuicunque igne voluntarie cremaverit, & ſublata, vel incenſa omnia reſtituat, & quatuor annos pœniteat.

INNO-

## INNOCENTIUS III.

*Constantiensi Episcopo.*

Est inter Epistolas Innocen. XII. l. 1. fol. 341. edit. Venet. 1578.

Quid ad consultationem quam nobis nuper fecisti de duabus partibus decimæ frugum feudalium, quas laici tanquam feudum suum religiosis domibus volunt conferre, presbyteris invitis & reclamantibus, & ad suas ecclesias, unde laici percipiunt sacramenta decimas ipsas asserentibus pertinere, debeat responderi, per Decretalem epistolam ad aliorum præstolationem in simili casu dudum a nobis emissam, cujus rescriptum Fraternitati tuæ de verbo ad verbum duximus transmittendum perpendere poteris evidenter. Super autem quod a nobis similiter postulasti utrum appellationi sit clerici deferendum, qui purgationem indictam sibi per sententiam, & ad ipsius receptionem terminum competentem puta viginti dies, vel amplius sine contradictione recipiens, & adjiciens consequenter appellat, causam non exprimens appellandi, nec sit locus nisi suscipiendæ purgationi, & executioni sententiæ, a cujus latione, ac purgatione injuncta ultra decennium dicitur effluxisse, taliter credimus respondendum quod cum post decem dierum spatium sententia in auctoritate rei judicatæ transeat, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit appellandi sibi aditum denegavit; cum per hoc videatur per interpositionem juris latæ sententiæ paruisse, præsertim ubi causa non redditur appellandi; sed nec executionem ipsius sententiæ, ideo convenit retardari. Licet ad hoc agendum quadrimestre tempus regulariter sit statutum, quia id arctari potest nonnunquam a sedente in medio etiam prorogari, & qui ab amico sponte recepit terminum breviorem imputare sibi potest, & debet, cum ex hoc videatur amplius beneficium contempsisse. Unde talis non dicitur appellans, nisi forte modus executionis canonicus adversus eum excedatur.

## IDEM OLIMBIENSI

*Et aliis Episcopis in Regno Portegaliensi constitutis.*

Cap. Cum in partibus 18. de verb. sign.

Cum in partibus vestris, peccatis exigentibus, sæpius contingat diversa loca interdicto supponi, quando generale vel particulare interdictum dici debeat apud vos accepimus in dubium revocari, cum illi qui ab Ecclesia Romana decorari privilegio meruerunt, videlicet cum generale interdictum terræ fuerit, liceat eis clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis, & interdictis submissa voce divina officia celebrare: Interdicto particulari se asserunt non arctari, asserentes illud interdictum generale dumtaxat, quando Regnum, vel saltem tota Provincia subjicitur interdicto, propter quod & justitia sæpius deperit, & Prælatorum sententiæ contemnuntur, cum in aliis interdictis penitus divina celebrent, & suspensis organis aliorum ipsi pulsatis campanis, & apertis januis quoslibet passim recipiant ad divina. Ne autem diversa interpretatio discordiæ causam inter vos ulterius & odii fomitem valeat ministrare, vel quod interdictum dici debeat generale, amodo in dubium revocetur; significatione vobis præsentium intimamus, quod cum in privilegiis de Regno, vel Provincia nihil dicatur expresse, nomine terræ non solum Regnum, vel Provinciam intelligi volumus, verum etiam villam, & castrum, ut & his locum habeat quod de generali dicitur interdicto, videlicet ut cum villa, vel castrum generali subjicitur interdicto, scripta privilegii forma debeat observari.

## INNOCENTIUS III.

Miramur non modicum de tua prudentia, quod cum ad nos tua consultatio destinata, si canones, & leges studeas intueri, nihil fere dubitationis continere putetur, super hoc quod certum est Apostolatum nostrum consulere curasti. Cæterum sancitum est in constitutionibus antiquorum quomodo servi in gradus Ecclesiasticos ordinari debeant. Et in servitutem non debeant revocari. Unde quia te credimus non ignorare decreta, nil aliud Fraternitatem tuam in hoc articulo facere volumus, nisi quod in eorum sanctionibus invenitur. De Subdiaconali tamen ordine, quia de eo non sit mentio in Patrum statutis expresse, videtur nobis quod in his eum Diaconali gradu privilegio gaudent eodem. Nam licet sacer non reputaretur in Ecclesia primitiva, tamen a constitutione Gregorii, atque Urbani secundum moderna tempora inter sacros esse gradus minime dubitatur, Data Laterani in eodem anno.

F I N I S.

JOAN-

# JOANNES DOMINICUS MANSI
## LECTORIBUS.

*Quas hic evulgo, epistolæ dandæ fuissent in exordio hujus Appendicis, quo Romanorum Pontificum epistolas, quæ mihi ad manus tunc erant contuli. Sed cum sero in manus meas venerint missæ ab eximio viro eodemque eruditissimo Comite Josepho Garampi viro sat noto literariæ Reipublicæ; ideo, ne penitus dimitterem ineditas, quod sane incommodum accidisset viris literatis, hic dare coactus sum.*

# COLLECTIO EPISTOLARUM QUORUMDAM
## ROMANORUM PONTIFICUM.

### GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Abbati Cisterciensi.*

*Ex Lib. II. Epist. an. IV. Gregorii P. IX. n. 8.*

*Ut in Vaticanis Codicibus M.S.*

ILlius regis licet immeriti vicarii constituti, qui ut reconciliaretur servum Domino, dignatus est fieri homo Deus, libenter iis qui prope, ac iis qui longe sunt, pacis consilia cogitamus. Scientes evangelica veritate docente, beatos esse pacificos quoniam Dei filii vocabuntur; ut ex præmii quantitate, meriti qualitas designetur; cum inter alias beatitudines nulla potior habeatur, quam hominem Dei filium nuncupari. Sed præter hæc specialis dilectionis affectus quo carissimos in Christo Filios nostros.... Franciæ ac Angliæ reges illustres & eorum regna in Christi visceribus amplexamur efficaciter nos inducit, ut inter eos satagamus pacis foedera reformare, videntes & dolentes quod ex dissensione guerrarum præter id quod sine pace temporis pax pectoris vix habetur, innumera habentur dispendia, irreparabilia pericula corporum & irremediabilia detrimenta inevitabiliter imminent animarum, ut jacturas alias taceamus, quarum expers esse non potest Ecclesia generalis, quam inimici pacis & fidei tunc securius impetunt, cum ejus vident filios ab invicem dissidentes. Cum igitur reformandæ concordiæ idoneus habearis, per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus ad submovendam discordiam, & concordiam reformandam, vel saltem treguas firmandas, partes tuas affectuose ac efficaciter interponas, ita quod exinde laudes apud Deum & homines merearis, & nos diligentiam tuam digne commendare possimus. Dat. Laterani XVII. Kal. Maii Pontificatus nostri an. IV.

*In eumdem modum scriptum est Angliæ & Franciæ regibus.*

### GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Magistris & Scholaribus Parisiis & Andegavis commorantibus.*

*Ex eod. n. 59.*

Fluminis impetus Parisiensis dudum lætificans civitatem, venas aquarum viventium ad diversas & longinquas mundi regiones effudit; quæ dum valles influentibus rivulis irrigabant florere faciebant, amigdalas & ficus producere grossos suos; hujus namque inundatione fluminis foecundata Parisius, par Syon videbatur effecta, & tamquam Jerusalem similis dici poterat urbs beata, quia speculatores ejus in specula domini constituti, pacis videre poterant & ostendere visionem. Quod nempe mirum, si fluminis hujusmodi torrens excrevit, cum neque dubium esse possit ejus emanasse originem de fontibus Salvatoris; illi quidem qui ex ipso torrente aquas in gaudio hauriebant, sitientes vocare poterant ad bibendum, sperantes utique quod qui ex eis bibereat, amplius non sitirent. Quia vero humani generis hostis antiquus & pacis insidiator diabolus tantæ felicitatis augmentum nuper calliditate sua, quod dolentes referimus, usque adeo minorare fategit, quod inter vos & cives Parisienses exorta discordia in civitate prædicta Theologicæ facultatis studia, & cujuslibet disciplinæ scholasticæ dogmata defecerunt. Nos qui ejusdem civitatis honorem diligimus, & studiorum defectum pati non possumus nec debemus, ad reformationem eorum intendere cupimus, ne quod absit, amplius destituantur. Licet autem ordinationes quasdam viderimus & superadditiones petitas, quia tamen per ipsas de dicto negotio plenius instrui non potuimus, ne sine vobis, quorum specialiter & principaliter tangitur negotium, procedere disponamus. Præsentium vobis auctoritate mandamus, & districte præcipimus, quatenus aliquos nomine universitatis usque ad festum Assumptionis Beatæ Virginis proximo futurum ad nostram præsentiam destinetis. Licet propter hoc magistrum W. duxerimus retinendum. Et ut possimus plenius instrui de libertatibus vestris & negotium vestrum planius expedire, volumus & mandamus, ut transcripta omnium privilegiorum vel indulgentiarum quæ habetis sive a nobis sive a regibus, nobis sub aliquibus sigillis authenticis transmittatis. Dat. Laterani VI. Id. Maii Pontificatus nostri an. IV.

*In eumdem modum scriptum est.... Episcopo & .... Cancellario Parisiensibus, ut personaliter veniant.*

### GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei.... Illustri Regi Franciæ.*

Illo devotionis affectu Reges Francorum fuerunt semper divinitus inspirati, ut Ecclesiarum augmentum proprium reputantes jura sua integra conservarint eisdem & eas etiam de proprio multipliciter ampliarint, quorum te affectantes non minus devotione quam sanguine existere successorem, excellentiam tuam ad Ecclesiarum devotionem, & conservandum statum earum libenter inducimus & hortamur. Sane venerabilis.... frater noster Arelatensis Archiepiscopus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod claræ memoriæ Symon comes Montis Fortis a quondam prædecessore suo castrum Bellicadri & totam arsentiam eum pertinentiis suis & districtu recepit in feudum, pro quo fidelitatem juravit, & homagium fecit eidem. Pro hoc etiam mille marcas pro emendis possessionibus ad usum mensæ Archiepiscopalis libidare debuit, quod tamen efficere prætermisit. Promisit insuper seque juramento adstrinxit, centum marcas argenti nomine census annis singulis se pro dicto feudo Arelatensi Archiepiscopo soluturum; sicut hoc totum in instrumento inde confecto nobis exhibito plenius continetur. Cum autem feudum ipsum

per

per triennium & amplius tenuiſſe dicaris & nihil pro eo feciſſe Archiepiſcopo memorato, idem noſtræ interventionis ſuffragium imploravit. Quocirca ſerenitatem tuam rogandam duximus propenſius & hortandam, quatenus pro divina & noſtra reverentia, amore quoque juſtitiæ quam teneris Eccleſiis ſpecialiter conſervare, taliter præfato Archiepiſcopo ſuper hoc providere procures, quod vel conventiones initæ inter ipſum & Comitem ſupradictum ſerventur eidem, vel plena ei fiat reſtitutio prædictorum. Sic vero preces & monitiones noſtras admittat regia Celſitudo, quod Deo & nobis eſſe poſſit acceptum, & providere ipſi Archiepiſcopo aliter non cogamur. Dat. Laterani V. Id. Maii Pontificatus noſtri anno IV.

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Magiſtro Petro Capellano noſtro Apoſtolicæ Sedis Legato.*

Ex cod. n. 40. Venerabilis frater noſter.... Arelatenſis Archiepiſcopus humiliter poſtulavit a nobis, ut caſtrum Mornacii quod nomine Eccleſiæ Romanæ tenetur, conceſſum olim a bonæ memoriæ m. prædeceſſore ſuo in feudum nobili viro R. Comiti Toloſan, ſicut de jure ſpectat ad Arelatenſem Eccleſiam reſtitui faceremus eidem. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus inquiſita ſuper præmiſſis diligentius veritate, ſuper reſtitutione Caſtri prædicti, facias quod exigente juſtitia ejuſdem Eccleſiæ prudentia tua viderit faciendum. Dat. Laterani III. Id. Maii, Pontificatus noſtri an. IV.

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Comiti Tholoſano.*

Ex cod. n. 46. Dilectos filios Roſtagnum de Podio Alto, & Pontium Aſtvandi nuntios tuos ſolita benignitate recepimus & quæ nobis ex parte tua proponere voluerunt, intelleximus diligenter; qui utique ſicut viri providi & diſcreti ad promotionem negotiorum tuorum, quæ injuncta fuerunt eiſdem, laboraverunt ſollicite & prudenter, nihil, ſicut credimus, de contingentibus omittendo. Sane iidem devote ac ſuppliciter ex parte tua cum multa inſtantia petierunt, ut tam ſuper paſſagio tuo & tuorum in ſubſidium Terræ Sanctæ, quam ſuper ſumma decem millium marcharum in qua Eccleſiis pro damnorum reſtauratione teneris, inducias tibi de ſolita benignitate Sedis Apoſtolicæ concedere dignaremur, cum de novo reconciliatus Sanctæ matri Eccleſiæ de terra tua, ſicut oportet, diſponere non potueris, & de tranſitu tuo cum non iſtet modo paſſagium provenire nequiret utilitas quæ ſperatur nec termino aſſignato, ſcilicet proximo venturo feſto Reſurrectionis Dominicæ illuc valeres prout te decet accedere cum terra tua nimium exauſta facultatibus infra tam breve ſpatium non ſufficeret ad expenſas neceſſarias miniſtrandas. Nos vero tibi volentes juxta fervorem devotionis quam habere diceris ad Deum & Eccleſiam, gratiam quam cum Deo poſſumus exhibere ſuper ſolutione ſummæ prædictæ uſque ad beneplacitum noſtrum tibi duximus terminum prorogandum. Dilecto Filio Magiſtro P. de Collemedio capellano noſtro Apoſtolicæ Sedis Legato noſtris dantes literis in mandatis, ut inquiſita ſuper concedenda tibi dilatione paſſagii voluntate illuſtrium Regis & Reginæ Francorum, & habito conſilio Prælatorum & aliorum bonorum virorum quos viderit expedire. Conſideratis quoque tuo ac terræ tuæ ſtatu & circumſtantiis univerſis quod invenerit nobis, ſtudeat fideliter intimare, ut per ſuam relationem inſtructi ſuper hoc ſecurius diſponere valeamus. Cum autem firmiter proponamus perſonam tuam in devotione Sedis Apoſtolicæ perſiſtentem, abundantiori caritate diligere, teque inter alios tamquam ſpecialem filium



Eccleſiæ confovere. Nobilitatem tuam monemus atque hortamur attente, quatenus indubitatam gerens fiduciam quod in præmiſſis & aliis quantum cum honeſtate poterimus, juxta ſinceritatis tuæ merita ſenties gratiam Apoſtolicæ Sedis & noſtram, ſic te ſtudeas Deo & Eccleſiæ exhibere devotum, & ſic zelator exiſtas catholicæ puritatis, quod ſiniſtra ſuſpicio, in quam apud multos incideras ceſſet omnino, & eos qui graviter te notaverant, appareat fuiſſe mendaces, noſque inde tanto amplius gaudeamus quanto ardentius cupimus animæ tuæ profectum, & famam tuam integram conſervari. Dat. Laterani. VII. Id. Julii Pontificatus noſtri an. IV.

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Sancti Pauli Piſanæ, & Sancti Michaelis de Guamo Lucanæ Diœceſis Abbatibus.*

Præſentium vobis auctoritate mandamus, quatenus quam & cujuſmodi poſſeſſionem & in quibus rebus & juribus tempore motæ guerræ inter Piſanos & Lucenſes habuit Lucana Eccleſia in caſtris & terris, quorum occaſione inter eamdem Eccleſiam & dictos Piſanos quæſtio dinoſcitur agitari diligenter, & ſollicite inquiratis, quod ſuper hoc inveneritis, nobis ſub ſigillis veſtris fideliter deſtinantes. Dat. Anagniæ VII. Kal. Septemb. Pontificatus noſtri an. IV. Ex cod. n. 55.

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Epiſcopo Bellvacenſi.*

Efficax tuæ devotionis affectus quo Romanam Eccleſiam veneraris, te ac tua ipſius obſequiis exponendo tempore opportuno, digne meretur ut perſonam tuam ſpeciali prærogativa dilectionis & gratiæ complectentes te honorificentia proſequamur. Ex cod. n. 64. Quatenus magnanimitas tua magnifice honorata luce fulgeat clariori, & memoriale tuum laudibus producatur in tempora longiora. Sed ecce dum te honorare proponimus, oneramus, quia quo plures tuæ gubernationi committimus, eo diligentiæ tuæ ingerimus plus laboris, indeque fit, ut cum noſtri muneris munia rite tractaveris ut ſperamus, ex noſtro tibi conſtituamur præmio debitores. Hinc eſt quod de fide ac induſtria tua indubitatam fiduciam obtinentes Marchiam & Ducatum, Peruſium & Tudertum, Urbemveterem, Narniam & Ameliam regimini tuo, quamdiu nobis placuerit committimus confidenter, ut qui quaſi natura docente ac arte juvante, naturam didiciſti præeſſe, commiſſos tibi populos gubernes ſub juſtitiæ diſciplina, quam pacis quies neceſſario committatur. Quo circa fraternitatem tuam rogamus & monemus attente per Apoſtolica ſcripta mandantes quatenus cuſtodiens juſtitiam & diligens æquitatem, confotes malitiam, & innocentiam tuearis, manſuetos attollas & deprimas pertinaces, ut te cenſorem irreprehenſibilem univerſi & ſinguli ſentientes, diſcant modeſtiam obſervare. Nos enim, ne aliquid tibi deſit quominus commiſſum tibi miniſterium valeas exercere, pœnam ſpiritualem ſeu temporalem quam dictaveris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino firmiter obſervari. Dat. Anagniæ VII. Kal. Octob. an. IV.

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei..... Patriarchæ Gradenſi & ſuffraganeis ejus &c.*

Utinam ſuperveniente manſuetudine corriperentur ad pœnitentiam peccatores, ut ſubtraheretur increpationi materia, & locum ultio non haberet, quia tunc reficeremur gaudio ſalutari, cum delinquen- Ex cod. n. 85.

tes castigare possemus in spiritu lenitatis, eo quod plaga leni unguento curata perfectius, & si non celerius solidatur, quam quæ incisionis gladium vel ignem pertulit ustionis. Sed quod non sine amaritudine ferimus & referimus, quia non cito fertur sententia contra malos, filii hominum mala perpetrantur sine fine, divinæ utique patientiæ abusores, quæ cum eos adducat ad pœnitentiam, iidem iram in die iræ & justi judicii Dei sibi damnabiliter thesaurizant. Sane cupientes juxta consilium sapientis in mansuetudine opera nostra perficere, quantumcumque nos zelus angeret animarum quo nullum Deo sacrificium est acceptius, multa dissimulavimus, multa siluimus propter quæ forsitan indignatio supervenis, quia dum dissulimus contra prævaricatores, officii nostri debitum exequi, gravis contra Ecclesiam fuit mota tempestas, quietem nobis adimens temporalem, ut non possemus contra eos sine gravi difficultate procedere cum vellemus, quia multum culturæ subtrahitur, cum hostilis formidatur incursus. Verum pace nunc per Dei gratiam Ecclesiæ confidimus restituta, ne virgæ vigilantis officium inofficiose aliis & periculose nobis gerere videamur; vos etiam duximus ad vigilias excitandas, aliosque in ministerio pastoralis officii diligentius exercendos. Quia vero inchoanda est a domesticis disciplina, ut ab aliis perfectius observetur: cum Clerici qui deberent esse tanquam Stellæ fixæ in Ecclesiæ firmamento lucendo sibi per vitæ meritum & aliis per exemplum, pro majori parte vitiorum tenebris involuti, prout plus flere possimus quam referre, multis quasi auctoritatem ingerant excedendi, eo quod a presbyteris populi vita pendet; dum ipsi tanquam filii onagrorum liberos se putantes & ducentes librum quidquid, per abrupta se præcipitant peccatorum trahendo alios in ruinam, ut tot mortibus digni fiant, quot ad proximos perditionis exempla transmittunt: expedit utique ut qui de patrimonio Christi vivunt, ne dixerimus, in eo prodigaliter debacchantur, compescantur supplantationem ampliare proditorie contra eum, & cogantur ei cujus sustentantur stipendiis utinam ad placitum militare. Cæterum taciturnitatis argui potius eligentes, quam illorum excedentes abusus, & abusivos excessus latius explicare velimus qui vobis sunt, ultra quam per alium innotescere valeant notiores, universitatem vestram monemus, hortamur & obsecramus in Domino, sub obtestatione vos divini judicii adjurantes, quatenus vobis & commissis vobis gregibus singuli & sollicite attendentes, extirpandis vitiis & plantandis virtutibus diligentius intendatis, & specialiter incontinentiæ vitium, quod enormiter Christi sponsæ derogat honestati, studeatis modis quibus potestis in Clericis cohibere, ipsos nunc monitis, nunc comminationibus, nunc etiam beneficiorum subtractionibus compescendo, ut qui nunc sunt multi in scandalum & horrorem, ad frugem melioris vitæ Domino revocante conversi, sint pœnitentibus ad exemplar, vosque Deo animas lucrifacientes eorum meritorum vobis cumulum augeatis, & nos diligentiæ vestræ studium, dignis in Domino laudibus non immerito commendare. Scituri quod si vos inveniremus in iis ulterius negligentes, negligentiam vestram negligere non possemus, ne a Domino negligi mereremur, timentes mandatorum ejus argui neglectores. Dat. Anagniæ VIII. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno IV.

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Perusin. Tudertin. Urbevetan. Narnien. & Amelien. Potestatibus & Populis &c.*

Ex cod. n. 66. Cupientes a Subditis nostris amari potius quam timeri, eisque magis caritate quam potestate præesse, libenter eisdem disponimus profutura, ut erga se nostræ cognoscentes sinceritatis affectum, non tam formidine pœnæ quam virtutis amore, voluntate, nobis & actione studeant complacere. Videmus siquidem quod calami dispares sæpe in unam dulcem consonant melodiam, colorum docta varietas picturam efficit gratiorem, & in pratis vernans florum diversitas plus delectatur. Sed peccatis exigentibus diversi hominum diversorum affectus sæpissime in adversa nitentes, sibi adeo invicem adversantur, quod aspernantes justitiæ disciplinam, alii aliis graves injurias moliuntur nisi superioris moderamine compescantur. Quare volentes vos in pacis dulcedine gubernare, sectorem vobis idoneum providimus præferendum, qui recta gerens & dirigens indirecta, mansuetos attollat & deprimat contumaces. Ad quod quidem venerabilem fratrem nostrum ...... Belvacen. Episcopum virum utique providum & honestum, nobilitate præclarum, magnanimitate magnificum nobis & Fratribus nostris merito suæ probitatis & obsequii gratiosum fiducialiter eligentes, gubernationi ejus commisimus terram vestram, potestatem sibi super iis plenariam concedendo. Ut igitur dispositionibus nostris vos hilariter exponentes gratiæ nostræ reddamini aptiores; universitatem vestram rogamus monemus & hortamur attente per apostolica vobis scripta sub debito juramenti quo nobis tenemini firmiter præcipiendo mandantes quatenus eumdem Episcopum, vel potius nos in ipso suscipientes in omni reverentia & honore, sibi tanquam nobis efficaciter intendatis, & de omnibus juribus & rationibus nostris eidem plenarie respondere curetis, ita quod devotionem vestram debeamus merito commendare. Alioquin pœnam spiritualem sive temporalem quam idem dictaverit in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino firmiter observari. Dat. Anagniæ VII. Kal. Octob. Pontificatus nostri an. IV.

*In eumdem modum scriptum est omnibus Civitatibus per Ducatum & Marchiam constitutis.*

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Perusin. Urbevetan. Narnien. Amelien...... & ...... Tudertin. Episcopis & dilectis filiis Ecclesiarum Prælatis & aliis Clericis per civitates & vestras Diœceses constitutis. &c.*

Cum non mediocriter inter alia nostræ incumbat sollicitudini, ut de patrimonio Ecclesiæ Romanæ specialiter cogitantes dirigamus de bono in melius statum ejusdem & satagamus conservare directum; profecto decet, expedit, ut ab hoc non quoslibet, sed illos eligere debeamus de quibus certi existimus, quod sincere diligant Sedem Apostolicam, & in talibus docti per experientiam habeantur; quare nos civitates & Diœceses vestras cupientes salubriter gubernari, Rectorem vobis idoneum providimus præferendum, videlicet Ven. Fratrem nostrum Belvacens. Episcopum virum providum & discretum, quem experti sumus dilectionis & devotionis ad Romanam Ecclesiam habere favorem, & ejus honorem ardentius affectare, & quidem in committendo gubernationi ejus prædictas terras. Hæc quæ dicta sunt, consideravimus diligenter, & quia idem sanguine ac moribus generosus, exercitatus in magnis, & experientia doctus, prudenter novit regere alios & præesse utiliter ac prodesse; ut igitur liberius prava in directa dirigat, & aspera convertat in plana, universitatem vestram monemus per apostolica scripta districte præcipiendo mandantes quatenus benigne recipientes & honeste tractantes eumdem, ac in persona ejus nobis exhibentes reverentiam & honorem, cum pro obedientia Sedis Apostolicæ se beneplacitis nostris obmiserit in hac parte, & merito suæ probitatis & obsequii gratiosum reddiderit, nobis ac fratribus nostris carum plurimum & acceptum, devote ac humiliter intendatis & obediatis eidem, & efficax consilium & auxilium impendatis in iis præcipue quæ ad honorem Ecclesiæ & statum Ex cod. n. 67.

tum

sum terræ crediderit expedire. Alioquin sententias quas idem tulerit in rebelles ratas habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Dat. Anagniæ V. Kal. Octob. Pontificatus nostri anno IV.

*In eumdem modum scriptum est omnibus Episcopis per Ducatum & Marchiam constitutis.*

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Rectoribus Societatis Lombardiæ.*

Ex cod. n. 19. Magnifica vestræ devotionis obsequia quæ in personis & rebus Ecclesiæ Romanæ impendistis tempore opportuno jugiter præ oculis mentis habentes, eorum non possumus oblivisci. Sed de retributione condigna & superabundanti non desimus cogitare, debitores nos merito reputantes ad omnia quæ vobis procurare possumus profutura. Absit enim ut Ecclesia Romana ingratitudinis arguatur quæ semper affluens gratia gratiosis, merita supplicum consuevit præmiis largioribus superare. Sane cum carissimus in Christo filius noster F. Romanorum imperator illustris semper Augustus & Rex Siciliæ viam pacis eligens tutiorem se humiliarit in tantum quod ad mandatum Ecclesiæ rediens reverenter meruerit a vinculo excommunicationis absolvi, forma pacis inter nos & ipsum mediantibus Principibus Alamanniæ necnon Ven. Fratre nostro .... Brixien. Episcopo qui vobis & pro vobis astitit fideliter & prudenter, tractata prius & multiplici munimine roborata, vobis & parti vestræ sufficienter est cautum, quod nullatenus vos offendet, sed remisit expresse, si eum forsitan offendistis. Quare non expedit ut exinde nullatenus dubitetis, cum nec leviter possetis offendi, quin graviter nos reputaremus offensos; ideoque universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attente per apostolica scripta mandantes quatenus in Ecclesiæ Romanæ devotione inflexibiles persistentes, fide, quæ per dilectionem operatur beneplacitis nostris obsequi studeatis certi omnimodis & securi quod grata vobis intendentes vicissitudine respondere, vos dignis prosequemur retributionibus gratiarum. Et ecce ad majorem cautelam tenores literarum continentium cautionem vobis sub bulla nostra duximus destinandos, qui sunt tales. Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator semper augustus Jerusalem & Siciliæ Rex per præsens scriptum notum facimus universis, quod nos remittimus omnem offensam & poenam Theutonicis, Lombardis, Tuscis & hominibus Regni generaliter & Gallicis & omnibus aliis qui Ecclesiæ contra nos adhæserunt, & per Thomasium comitem Acerrarum dilectum fidelem nostrum facimus in anima nostra jurari, quod prædictos nullo tempore offendemus, vel faciemus offendi pro eo quod Romanæ Ecclesiæ contra nos orta discordia astiterunt, & quod pacem Ecclesiæ & eis observabimus. Remittimus etiam sententias, constitutiones & banna, si qua per nos vel per alios lata vel edita sunt occasione hujusmodi contra eos. Promittimus etiam quod terras Ecclesiæ in Ducatu vel marchia seu alio patrimonio Ecclesiæ non invademus nec devastabimus per nos vel per alios. Ad cujus rei evidentiam præsens scriptum fieri & bulla aurea typario nostræ majestatis impressa jussimus communiri. Tenor aliarum literarum: In nomine Domini amen. Bertoldus Aquilegensis Patriarcha, Eberardus Archiepiscopus Salzburgensis, Sifridus Episc. Ratisponensis, Liupuldus Austriæ atque Siriæ, Bernardus Carinthiæ, Otto Moraviæ duces Dei gratia Principes Imperii, per præsens scriptum notum fieri volumus universis, quod Dominus Imperator remitit omnem offensam & poenam Theutonicis, Lombardis, Tuscis & hominibus de Regno Siciliæ generaliter & Gallicis & omnibus aliis, qui Ecclesiæ contra eum adhæserunt, & Thomasium comitem Acerrarum fecit in animam suam jurare, quod prædictos nullo tempore offendet, nec faciet offendi pro eo quod Romanæ Ecclesiæ contra eum orta discordia astiterunt, sed pacem eis & Ecclesiæ observabit. Remittit etiam Dominus Imperator sententias, constitutiones & banna si qua per eum vel per alios lata vel edita sunt occasione hujusmodi contra eos. Promittit insuper quod terras Ecclesiæ in Ducatu & in Marchia, seu alio patrimonio Ecclesiæ non invadet neque vastabit per se vel per alios, sicut in scriptis ab eodem Domino Imperatore super prædictis omnibus factis & bullis aureis impressis & typariis majestatis suæ communitis plenarie continetur. Nos autem tactis sacrosanctis Evangeliis juramus procurare bona fide, quod prædictus Dominus Imperator prædicta servabit & contra ea non veniet, alioquin nisi infra tres menses in regno Siciliæ, infra quatuor in Italia, infra quinque extra Italiam non duxerit emendanda, potenter ac patenter ad requisitionem Ecclesiæ assistemus ei contra eumdem Dominum Imperatorem donec satisfecerit. Tenor aliarum literarum: Nos J. Dei gratia Sabinensis Episcopus & Th. eadem gratia N. S. Sabinæ presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis legati auctoritate Domini Papæ præcipimus Domino Imperatori quod a die absolutionis usque ad octo menses caveat Ecclesiæ bona fide per fidejussores idoneos & juratos Principes, Comites & Barones Theutoniæ & communia Civitatum, Lombardiæ Tusciæ & Marchiæ Romagnolæ, & earumdem Provinciarum Marchiones, Comites & Barones quos Ecclesia nominabit, qui ad requisitionem Ecclesiæ teneantur assistere Ecclesiæ contra illum donec satisfaciat, si mandata Ecclesiæ non servaverit, vel pacem fregerit seu terram Ecclesiæ vel eorum terras quas Ecclesia tenet ad manus suas vel personas eorum ceperit, occuparit seu devastarit, & infra tres menses, si fuerit in regno, si in Italia infra quatuor, si autem extra Italiam infra quinque ea non duxerit emendanda, & super hoc dabunt Ecclesiæ chartas suas suo sigillo munitas. Injungimus quoque ei quod infra quindecim dies certum nuntium mittat ad curiam, qui recipiat nomina illorum, quorum fidejussionem requiret Ecclesia. Hæc autem supradicta mandamus ei omnibus cautionibus in sua integritate manentibus olim præstitis pro negotio terræ Sanctæ, ut pro illo satisfaciat secundum quod Ecclesia ordinabit. Si quid autem a nobis per occupationem vel per incuriam est omissum, de his quæ mandare debuimus Domino Papæ reservetur.

Dat. Anagniæ VI. Id. Octob. Pontific. nostri an. IV.

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei &c. Illustri Romanorum Imperatori semper Augusto & Regi Siciliæ &c.*

Dilectum filium Q. Junicem Papiensem nuntium tuum cum literis imperialibus ad sedem apostolicam accedentem, solita benignitate recepimus, & tam viva quam literali voce nobis ex tua parte proposita intelleximus diligenter. Ex cod. n. 76. Cæterum inspecto literarum tenore, quas pro fidejussoris Principibus & aliis destinabas, quia quædam sive per negligentiam sive per occupationem in eis erant omissa, quare videri poterant imperfectæ, ipsas non duximus publicandas, ne forte contra nos pariter & forsitan contra te amplius sineremus detractoribus materiam murmurandi, quasi tibi contra formam juratam & scriptam de quadam quasi suspecta gratia deferremus. Sed ad collationem literarum ipsarum & quorumdam aliorum scriptorum Ven. Fratrem nostrum .... Capuanum Archiepiscopum, qui & nostræ intentionis affectum & suæ judicium rationis fideliter plone ac plane tibi sicut confidimus intimabit fiducialiter admittentes quæ addenda vel immutanda conspeximus, tibi præsentibus dirigimus interclusa, Serenitatem tuam affectuose ro-

gantes & monentes attente quatenus sinceritatem nostram sine fictione aliqua diligenter attendens, ea secure sine dubitatione studeas adimplere, nil penitus suspicans quasi te in aliquo circumveniri velimus, cum jam per Dei gratiam, omnibus serenatis, cupiamus ut omnia in luce procedant, nullo prorsus loco versutiarum tenebris derelicto, optantes ut ad votum tuum omnia prospere dirigantur. Verum valde credimus expedire, ut nuntius ille tuus, qui nescimus quo spiritu nostrum declinans aspectum in Theatoniam est profectus, celeriter revocetur; ne contra formam perscriptam contingat cautionem a Principibus exhiberi. Dat. Laterani III. Nonas Decembris Pontificatus nostri An. IV.

GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Consilio & Populo Urbevetan.*

Ex cod. n. 83. Non diffitemur quin graviter doleamus quod terram Ecclesiæ Romanæ per violentiam occupatam, cum necesse habeamus intendere ad vindicandam eamdem & forte injuriam Sedis Apostolicæ vindicandam, ne jura Ecclesiæ negligere videamur, qui alios arguimus negligentes. Sed multo gravioribus doloribus perurgemur, dum mente tractamus animarum pericula quæ pro detentione Terræ prædictæ non ambigimus evenisse; utinam nos ventura non oporteat formidare. Cum enim ex debito fidelitatis ad conservandum & defendendum patrimonium Beati Petri juramento præstito esse teneamini adjutores, patet quod invasores effecti, violatores fidei, nobis rebelles & nostrorum fidelium oppressores Deum contra vos periculosissime provocatis. Væ autem illis qui quasi simplicitate traducti, culpas hujusmodi minime attendentes negligunt confiteri, cum membrum quod obstupuit eo insanabile quo insensibile fit longius a salute. Sed & væ illis qui propria illecti malitia, spiritu ad superbiam obfirmato aspernantur de pœnitentia cogitare, eligentes perire potius, quam reddere alienum, non advertendo quod nullam commutationem potest homo dare pro anima sua. Verum & si non per singulos dies Dominus irascatur, quia tamen quanto diutius signa continet irascentis, tanto iratus acerbius punit gravius transgressores, qui nullum malum deserit impunitum, nequaquam super prorogatione vindictæ vobis blandiri debetis cum reprobis facto etsi non voce dicendo, peccavimus, & quid accidit nobis triste, cum nihil infelicius felicitate peccatorum. Ne igitur divinæ patientiæ abusores probemini & reprobemini pertinaces, universitatem vestram monemus & hortamur in Domino per apostolica scripta sub debito fidelitatis firmiter præcipiendo mandantes, quatenus terram vallis lacus saltem nunc licet sero nobis sine difficultate reddatis, ut facientes de necessitate virtutem, nos vobis reddatis favorabiles & benignos, cum si recte pensatis non est abbreviata manus Ecclesiæ quin & terram ipsam vindicare, & fructus inde perceptos condicere nec non vindicare injuriam valeamus si vos invenerimus ulterius obstinatos. Dat. Anagniæ V. Kal. Decembris Pontificatus nostri an. IV.

GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei . . . . . Bellnaten. Marchiæ & Ducatus Spoleti Rectori & universis Episcopis per Ducatum ipsum & Marchiam constitutis.*

Ex cod. n. 89. Si cavendum est nobis ne sanguis subditorum de nostris manibus requiratur, clericorum culpas, quæ periculosæ sunt propter dignitatem officii & perversitatem exempli non debetis relinquere incorrectas; horum enim quanto gradus est altior, tanto gravior casus existit, & excessus ipsorum vehementer in exemplum extenditur, dum in excusationem dicitur, sufficit discipulo si sit sicut magister ipsius, sicque per eos facientes delinquere populum, nomen Domini blasphematur, cum non soleant facere qui sequuntur, nisi quod eos qui præcedunt viderint facientes: licet autem corrigendi sint omnes Clericorum excessus, & mores & actus ipsorum in melius reformandi, specialiter est tamen in eis incontinentiæ vitium exprobrandum, cum non deceat per immundos sancta tractari, & fœdatos libidine mensæ Domini ministrare. Unde Abimelech Sacerdos David legitur respondisse se ad manus panes laicos non habere, sed solummodo panem sanctum quem mundis pueris maxime a mulieribus obtulit manducandum. Ut igitur judicium a domo Domini incipiat, præsentium auctoritate vobis in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus usque ad tres menses clericos prædicto vitio laborantes præsertim super cohabitatione mulierum diligenter & sollicite corrigere studeatis, taliter circa vos ipsos invigilare curantes, quod magis commendatione, quam correctione dignum in vobis valeat inveniri. Alioquin si qui vestrorum, quod non credimus, præcepti nostri fuerint contemptores, ex tunc infra mensem responsuri nobis de contemptu personaliter ad Sedem Apostolicam accedere non postponant. Tu vero Frater Belvacen. contra Prælatos & alios qui sunt infecti vitio Simoniæ, cum tales Dominus facto flagello de resticulis de templo ejecisse dicatur, ac eos qui Ultramontanos sine literis commendatitiis suorum Episcoporum ausi sunt ad ordines promovere, inquiras sollicite veritatem; & quod inveneris infra prædictum tempus nobis rescribere non omittas, ut per tuam relationem instructi procedamus secundum quod viderimus expedire. Dat. Laterani IV. Non. Januarii, Pontificatus nostri anno IV.

GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei . . . . . . Archiepiscopo Ebredunensi.*

Cooperatores Dei cupientes existere juxta quod ex injunctæ nobis officio imminet servitutis, libenter ejus gratiam sequimur præeuntem. Studioso ipsius beneplacitum obsequio prosequendo, quia licet omnipotens omnia secundum suæ voluntatis consilium operetur, placet tamen sibi humanæ cooperationis affectus, cui nihil potest adici vel adimi per effectum. Sane gratias agentes gratiarum omnium largitori, qui per suorum fidelium ministerium propriam causam gerens, Majoricas & alias terras diu a Saracenis detentas invasas restituit cultui Christiano; alias sicut confidimus ad gloriam sui nominis & dilatationem generalis Ecclesiæ largiturus, quia expedit ut non solum ad terras alias acquirendas, sed etiam acquisitas inhabitandas succursus illuc continuus dirigatur, universis Christifidelibus nostris damus literis in mandatis, in remissionem eis peccaminum injungendo, ut illi famulantes ad placitum, qui famulos suos gloria coronat æterna; illuc in personis & rebus succurrant magnanimiter & potenter. Nos enim de divina misericordia & BB. Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi omnibus habitare volentibus terras noviter acquisitas, seu etiam acquirendas, eam indulgemus veniam peccatorum, quam haberent si proficiscerentur in subsidium Terræ Sanctæ. Aliis autem, qui terræ illi in bonis vel personis subvenerint secundum subsidii qualitatem, quantitatem subventionis, & devotionis affectum indulgentiam concedimus peccatorum. Quocirca Fraternitatem tuam rogamus & monemus attente per Apostolica scripta, mandantes, quatenus prædictam indulgentiam in Civitate Diœcesi ac Provincia tua prædicans & per suffraganeos & Fratres Prædicatores faciens prædicari subditos tuos ad succurrendum illuc sedulis monitis exhortetis. Turbatores autem illorum, qui ad partes illas accesserint, per censuras ecclesiasti- Ex cod. n. 92.

cas

cas appellatione remota compefcas. Mandatum noftrum taliter impleturus, quod Deo gratum & nobis effe poffit acceptum. Dat. Laterani X. Kal. Jan. Pontific. noftri anno IV.

GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei F. Illuftri Romanorum Imperatori femper Augufto & Regi Siciliæ. &c.*

Ex cod. n. 98. Cum in forma pacis inter nos & te habitæ fuerit ordinatum, ut pro iis quæ in tractatu pacis venerant obfervandis, ex tunc ad octo menfes præftares fidejufforiam cautionem, & propter impedimenta fupervenientia id nequiverit adimpleri; nolumus tibi ex tranfcurfu præteriti temporis præjudicium generari. Tu tamen ex nunc prædicta ftudeas adimplere, cum jam tempus præftandæ cautionis hujufmodi tibi currat. Dat. Laterani XIII. Kal. Febr. Pontific. noftri an. IV.

GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Dilecto Fratri Palmerio Canonico Sanctæ Trinitatis de Campanolis Ordin. S. Auguftini Regin. Diœcef. &c.*

Ex cod. n. 102. Conqueftus eft nobis Ven. Frater nofter ..... Bononienfis Epifcopus, quod Poteftas & Commune Bononien. temporalem jurifdictionem, quæ in S. Joannis in Perficeto, Unciolæ, Maximatici, Podii, Dulioli, Caftri Epifcopi, & quibufdam aliis caftris & villis Ecclefiæ Bononienfi competit pleno jure, & in cujus quafi poffeffione fuiffe ac effe dinofcitur, per violentiam ufurpantes, & turbantes quemdam qui apud dictum caftrum S. Joannis homicidium perpetravit, per eos puniendum a Rectore Caftri ejufdem fibi exhiberi fecerunt & adhuc tenent in vinculis, ipfum reddere denegantes, onde per literas noftras ipfi mandavimus, ut ab ipfius Epifcopi moleftia defiftentes & eidem Epifcopo reftituentes fine difficultate qualibet homicidam, libere ipfum permitterent in dictis locis uti jurifdictione præfata, comparituri coram nobis ufque ad feftum omnium Sanctorum proximo præteritum ad faciendum & recipiendum quod juris ordo dictaret, fi in dictis caftris & villis proponerent jurifdictionem aliquam fe habere: qui hoc ficut dicitur contemnentes, nec reftituerunt fibi malefactorem præfatum moniti diligenter, nec permiferunt Epifcopum libere uti hac jurifdictione in locis eifdem, neque ad nos refponfalem idoneum deftinarunt, fed peccatum peccato potius cumulantes, poftquam utriufque partis nuntii ad Sedem Apoftolicam acceffeiunt, dicti Poteftas & Commune quofdam ex parte fua miferunt ad inveftigandum & puniendum quoddam maleficium patratum in terra Dulioli ad jurifdictionem ipfius Ecclefiæ pertinente, fuper quo inquifitio facta fuerat per dicti Epifcopi nuntios, & a malefactoribus pignorum cautiones & aliæ fecuritates acceptæ: quare nuntii ejufdem Epifcopi humiliter petierunt a nobis, ut fuper his deberemus indemnitati Bononienfis Ecclefiæ præcavere. Quia cum valde fit iniquum & ingens facrilegium, ea quæ collata funt pro remedio peccatorum venerabilibus Ecclefiis vel relicta aut eis juftis modis aliis acquifita a fidelibus & viris catholicis a quibus fervari ea convenit, aliis ufibus applicari, merito invafores rerum ipfarum tamquam facrilegi, nifi eas reftituant per Ecclefiarum Rectores, cum Ecclefiafticum fit crimen facrilegii, funt anathemati ufque ad fatisfactionem congruam fupponendi. Ecclefiarum quoque favore nofcitur introductum, ut malefactores fuos venerabilium locorum Rectores poffint, fub quo maluerint judice convenire. Sed Fori exceptione per nuntios veftros oppofita inftanter petebatur ab ipfis, ut cum regulariter actor Forum rei fequi debeat, relinqueremus quæftionem hujufmodi judicio feculari. Super iis ergo deliberatione cum Fratribus noftris habita diligenti, paterna dulcedine ipfos monemus, depofcimus & rogamus, obfecrantes per falutem animarum fuarum, & per Dominum obteftantes, quatenus humiliantes fe fub potenti manu Dei, cum in hoc longe magis fit vinci quam vincere gloriofum, non abnuant falutarem recipere medicinam. Sed nobis hæc gratuita liberalitate fub fpe mercedis æternæ donantes Deo & Ecclefiæ fuper præmiffis debitam fatisfactionem impendant. Civitatis enim fuorum Ecclefiæ Romanæ devote follicita defideramus affectione falutem, alligare curantes, quod contractum eft & reducere quod abiectum, & cupientes eofdem per patientiam noftram ad poenitentiam revocare. Nolentes itaque afflictionem ejufdem Ecclefiæ ad dictorum Poteftatis & communis periculum quod verfatur in ipfa diffimulare, ne contra officii noftri debitum veniamus, fcientes quod obedire Deo magis quam hominibus nos oportet, difcretioni tuæ per Apoftolica fcripta mandamus, quatenus fi tibi conftiterit ipfos invadere aut turbare fuper præmiffis jura ipfius Ecclefiæ aut hactenus invafiffe vel turbaffe, tu diligenti monitione præmiffa per cenfuras Ecclefiafticas ceffare ipfos ab hujufmodi & fatisfacere de præteritis damnis & injuriis appellatione remota compellas. Teftes &c. Provifo ne in univerfitatem Communis Bononienfis excommunicationis vel interdicti fententias proferas, nifi fuper hoc a nobis mandatum receperis fpeciale. Dat. Laterani VI. Kal. Febr. Pontificatus noftri anno IV.

GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Magiftro Domus Militiæ Templi Jerofolymitani.*

Tempora cum caufis ita fapiens commetitur, ut nequaquam invicem fibi derogent, fed potius mutuo fuffragentur, cum alias a difcrimine non vacaret, dum res exponeretur non tam prudentiæ quam fortunæ. Sane cariffimus in Chrifto Filius nofter F Romanorum Imperator Illuftris femper Auguftus & Rex Siciliæ gravem ad nos querimoniam deftinavit quod tu non attendens varia difcrimina, quæ de guerra inevitabiliter imminent Terræ Sanctæ, treguas violare contendis contra formam pacis & contra prohibitionem Balivi fui ad movendam guerram de regno Jerofolymitano milites plures abftrahendo, nonnullis de militibus peregrinis quos ipfe duxerat ab hoftibus miferabiliter captivatis, unde Regi Perfarum in exterminium illarum partium properanti, via videretur aptior præparari, ut affequatur facilius, quod intendit. Licet igitur ex eo quod inimicos Chrifti defideras debellare, fis apud Deum & homines merito commendandus; quia tamen hoc temporis qualitas non expofcit, fed potius interdicit; difcretionem tuam monemus & hortamur attente per Apoftolica tibi fcripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus nihil agas omnino per quod poffit Terræ Sanctæ vel vifitantibus eam aliquod periculum imminere; cum id facile redundaret in confufionem totius populi Chriftiani: alioquin fi contra mandatum noftrum aliquid attemptares, non poffemus æquanimiter fuftinere, quin exceffum tuum animadverfione debita puniremus. Dat. Lat. IV. Kal. Mar. Pont noftri an. IV. Ex cod. n. 110.

GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. F. Romanorum Imperatori femper Augufto & Regi Siciliæ &c.*

Si vere defideras, ficut decet, ut Terræ fanctæ negotium non turbetur, fed potius dirigatur, expedit ut Hofpitalarios & Templarios per quos Terra illa eft inter multas anguftias hactenus gubernata, & fine quibus nequaquam poffe creditur guber- Ex cod. n. 111.

nari

nari nulla molestatione fatiges, sed potius beneficentiæ gratia prosequaris, sic agens proprium interesse, ut apud Deum incomparabile tibi meritum compares, & apud homines nomen bonum. Sane ut taceamus, quod nobis mendaciter exprobratur, quod quasi momentanea videtur fuisse possessio de illis quæ per nos sibi restituta fuerunt, nunc illorum gravamen & amaritudine plenam non possumus obaudire querelam lamentantium quod nuper sunt & alii spoliati, cum nec vellent, nec valerent juris ordinem declinare. Quare non est dubium quin exinde gravia possint Terræ Sanctæ dispendia imminere, cum indigentia laborantes non habeant unde Terram ipsam valeant more solito defensare. Ut igitur conscientiæ propriæ nec non famæ tam nostræ quam tuæ provide consulas, Imperialem celsitudinem rogamus monemus & hortamur in Domino, quatenus eligens potius vinci misericordiæ pietate, cui cæteræ virtutes cedere minime dedignantur, quam justitia exasperata notari, dictis Hospitalariis & Templariis ablata restitui facias universa, ita quod divinam evites offensam, & nos mansuetudinem tuam possimus merito commendare; cum alias patientiam nostram variis detractionibus exponere videreris. Ut autem super hoc plenius tibi nostrum insinuemus affectum, in ore dilecti Filii... Abbatis Casæmarii posuimus verba nostra, quibus te credere volumus incunctanter. Dat. Laterani IV. Kal. Mardi Pontificatus nostri anno IV.

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei F. Romanorum Imperatori semper Augusto & Regi Siciliæ.*

Ex eod. n. 112. Imperialis Celsitudinis literas nobis per dilectum Filium.... Abbatem Casæmarii præsentatas gratanter recepimus & intelleximus diligenter, gaudentes in Domino, quod erga nos & Romanam Ecclesiam debitum exhibes sinceritatis affectum, quo tibi Dei & hominum gratiam comparas & favorem, & nos ad profectus tuos efficaciter exhortaris. Cæterum intellectis quæ idem Abbas nobis ex parte tua viva voce proposuit, circa plurima occupati & specialiter pro negotio fidei, nequaquam super his vel aliis in urbe deliberationem habere potuimus opportunam. Sed cum sicut creditur, noster inde non in longum differatur egressus, tunc poteris ad nos tuum nuntium destinare, qui tuam nobis intentionem exponens, nostrum responsum tibi plenius reportabit. Interim autem iis quæ prædictus Abbas ex parte nostra mansuetudini tuæ viva voce proponet, fiducialiter acquiescas, certus quod votis tuis libenter annuimus quanta cum salva possimus honestate. Dat. Laterani IV. Kal. Martii Pontificatus nostri an. IV.

*Eidem.*

n. 113. Quanto malivoli & maliloqui majori æstuant libidine detrahendi, recta etiam in sugillationem nostram & tuam nequiter depravando, tanto sinceritati tuæ accuratius est cavendum, ne occasionem des illis contra utrumque linguas maledicas relaxandi, quem utriusque famæ decet esse solicitum zelatorem. Intelleximus siquidem quod illos de regno qui Ecclesiæ adhæserunt intendis compellere transfretare, hoc est eos sicut sibi videtur & aliis in exilium relegari, cum ad id ex minori dilectione credaris induci. Ne igitur contra eos occasionem quærere videaris, & per consequens contra nos & te linguas acuas detractorum, Imper. cel. affectuose rogamus & monemus attente quatenus ab intentione tali desistens, eos occasione hujusmodi minime inquietes. Dat. ut supra.

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Serv. Dei.... Regin. Archiepiscopo.*

Speravimus ut sicut nobis præsentialiter promisisti Hospitalariis & Templariis restitui procurares ablata. Sed adhuc ablatis primitus destituti, aliis sunt noviter expoliati, sicut nobis eorum lamentabilis conquestio patefecit; cum igitur propter hoc dil. Filium...... Abbatem Casæmarii ad Imperialem præsentiam destinemus, fraternitatem tuam rogamus & monemus attente per apostolica scripta mandantes, quatenus apud carissimum in Christo filium nostrum F. Romanorum Imperatorem illustrem semper augustum & Siciliæ Regem, ut eis ablata restituat universa, interponas efficaciter partes tuas; ita quod diligentiam tuam possimus merito commendare. Dat. Laterani IV, Kal. Martii, Pontific. nostri an. IV. Ex eod. n. 114.

*In eumdem modum... Archiepiscopo Capuano.*

## LITERA

## AD DOMNUM PAPAM

*Sanctissimo Patri suo Domino Gregorio Dei gratia summo Pontifici Fridericus eadem gratia Romanorum Imperator semper augustus Jerusalem & Siciliæ Rex salutem & filialem reverentiam.*

Cælestis altitudo consilii quæ mirabiliter in sui sapientia cuncta disposuit, non immerito sacerdotii dignitatem & regni fastigium ad mundi regimen sublimavit, uni spiritualis & alteri materialis conferens gladii potestatem, ut hominum ac dierum excrescente malitia, & humanis mentibus diversarum superstitionum erroribus inquinatis, uterque justitiæ gladius ad correctionem errorum in medio surgeret, & dignam pro meritis in actores scelerum exerceret ultionem. Sane cum omni honorificentia venerandis apicibus vestræ paternitatis acceptis, & earum tenore cognito, juste non potuimus non moveri velut qui ad laudem bonorum, ad vindictam vero malefactorum collatum nobis a Domino ensem justitiæ bajulamus, dum nostris est auribus per easdem sacras literas intimatum, quod hæreticæ labis morbus paulatim serpens ut cancer pro magna parte Italiam, & specialiter quidem dolentes referimus in Regno nostro Siciliæ, Neapolim & Anversam, partesque vicinas dicitur infecisse; sicut per quemdam ab eodem errore tandem Domino inspirante conversum Apostolicæ Beatitudini accepimus revelatum. Super quo tanto vehementius anxiamur, quanto vicinior Apostolicæ & Imperiali sedi tanti superstitio invenitur erroris, ut in circuitu matris insultent impii, & ante faciem ejus proh pudor in injuriam fidei perfidia tam obstinata consurgat, dum heritii foveas habeant & lamiæ nudent mammas & lactent catulos infelices. Quia igitur ex Apostolicæ provisionis instantia qua tenemini ad extirpandam hæreticam pravitatem, potentiam nostram ad ejusdem hæresis exterminium precibus & monitis excitatis. Ecce ad vocem virtutis vestræ zelo fidei quo tenemur ad fovendam Ecclesiasticam unitatem gratanter assurgimus beneplacitis vestris devotis affectibus concurrentes, illam diligentiam & sollicitudinem impensuri ad evellendum & dissipandum de prædictis civitatibus pestem hæreticæ pravitatis, ut auctore Domino cui gratum inde obsequium præstare confidimus ac vestris coadjuvantibus meritis nullum in eis vestigium supersit erroris, ac finitimas & remotas quascumque prævia fama partes attigerit inflicta pœna perterreat, & omnibus innotescat, nos ardenti voto zelare pacem. Ecce & adversus hostes fidei & ad gloriam & honorem matris Ecclesiæ ultore gladio potenter accingi. Datum Tarenti 25. Febr. IV. Indict. Ex eod. n. 131.

## GREGORIUS &c.

*..... Episcopo Brixien.*

Ex cod. n. 132. In nostra & Fratrum nostrorum præsentia fuit ex parte tua propositum, quod olim cives Brixienses restauratoribus damnorum illatorum ad invicem, quæ propter multas civiles discordias incurrerant plurimum aggravati, statutum per venerabilem Fratrem nostrum Patriarcham Antiochenum tunc Brixien. electum editum, videlicet de non petendo vel recipiendo in posterum restauratores hujusmodi a communi generaliter approbarunt & firmarunt etiam juramento. Nuper vero non sine nostro labore & sollicitudine procurasti, quod super discordia quæ graviter cives ipsos exagitat, Consules & consilium præcise ac absolute jurarunt se mandatis tuis omnibus parituros, quam tamen nisi per commune Brixien. damna passis saltim in expensis quas hujusmodi occasione fecerunt provideri contingat, perfecte sopire non potes quin sustineat recidivum. Super quo Apostolicum remedium adhiberi. Cum igitur aliud sit damnorum restauratio quam satisfactio expensarum, & ideo in juramento exhibito super damnorum articulo intelligi non debeat quod factum expensarum fuerit comprehensum; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus juramento non obstante prædicto auctoritate nostra provideas quod dictum commune pro bono concordiæ ad expensarum satisfactionem contribuat juxta tuæ discretionis arbitrium a te sicut expedierit moderandum. Dat. Laterani XV. Kal. Aprilis Pontific. nostri an. IV.

## GREGORIUS &c.

*.... Archiepiscopo Remen. & suff. ejus.*

Ex cod. n. 137. In vinea Domini Sabaoth cultores licet immeriti positi & custodes, sic in culturæ ac custodiæ nos debemus ministeriis exercere, ut in plenitudinem potestatis assumpti vos ad eadem ministeria in partem sollicitudinis evocatos sedulo studio excitemus; cum & si ejus sit illam colere qui plantavit, & custodire, sine quo nihil utiliter custoditur, quia tamen ex denario diurno in ea convenimus laborare, ne quod absit non solum mercede fraudemur, sed tamquam servi desides repellamur, expedit ut universi & singuli sollicitudine non pigri, ferventes spiritu Domino servientes in ipsa infatigabiliter operemur extirpandis vitiorum spinis & peccatorum tribulis quæ superficiem ejus obumbrasse videmur, nec non plantandis virtutum germinibus in quibus Dominus delectatur totis affectibus intendendo. Custodiæ quoque invigilare tenemur, ne venenata reptilia hæretici scilicet tamquam inter sarmenta sibi latibulum vendicantes, a perditionis filiis recepteutur, sed in sua potius comprehendantur astutia, ut receptati & receptantes pariter confundantur; verum quia inchoanda est a domesticis disciplina, ut ab aliis perfectius observetur; cum Clerici qui deberent esse Stellæ fixæ in Ecclesiæ firmamento lucendo sibi per vitæ meritum & aliis per exemplum pro majori parte vitiorum tenebris involuti prout plus flere possumus quam referre, multis quasi auctoritatem ingerant excedendi eo quod a presuyteris populi vita, dum ipsi tamquam pulli onagrorum liberos se putantes & ducentes licitum quicquid libet, per abrupta se præcipitant peccatorum, trahendo alios in ruinam, ut tot mortibus digni fiant, quot ad proximos perditionis exempla transmittunt. Expedit utique, ut qui de patrimonio Christi vivunt, ne diximus prodigaliter debacchantur, compescantur supplantationem amplitura proditorie contra eum, & cogantur ei cujus sustentantur stipendiis utinam ad placitum militare. Cæterum taciturnitatis argui potius eligentes, quam illorum excedentes abusus & abusivos excessus latius explicare velimus qui vobis sunt ultra quam per alium innotescere valeant notiores. Universitatem vestram monemus, hortamur & obsecramus in Domino, sub obtestatione vos divini judicii adjurantes quatenus vobis & commissis vobis gregibus singuli sollicite attendentes extirpandis vitiis & plantandis virtutibus diligentius intendatis, & specialiter incontinentiæ vitium, quod enormiter Christi sponsæ derogat honestati, studeatis modis quibus potestis in Clericis cohibere, ipsos nunc monitis, nunc comminationibus, nunc etiam beneficiorum subtractionibus compescendo, ut qui nunc multis in scandalum & horrorem, ad frugem melioris vitæ Domino revocante conversi sint poenitentibus ad exemplar, vosque Deo animas lucrifacientes eorum meritorum vobis cumulum augeatis, & nos diligentiæ vestræ studium dignis debeamus in Domino laudibus non immerito commendare. Scituri quod si vos inveniremus in iis ulterius negligentes, negligentiam vestram negligere non possemus, ne a Domino negligi mereamur. Dat. Lat. Idibus Martii Pontific. nostri an. IV.

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Dilecto in Christo filio..... Abbati S. Galgani Ord. Cistercien. Vulteran. Dioec. Salutem & Apost. benedictionem.*

Ad grande salutis exordium utilitatibus plurimorum largiente Domino magnifice profuturum aspiras quorundam nobilium divinitus inspirata devotio qui totis visceribus concupiscunt in suæ Civitatis Dioecesi fieri cœnobium juxta Cistercien. instituta. Ex Regest. an. VI. Ep. 26. Vehementer quippe desiderant e vicino aliquem portum quietis habere, ad quem confugiant fugientis seculi fluctuantes sæpius reperita naufragia, ne si tendentes longius tardaverint anchoram in tuta figere statione, propter distantiam optati refugii a fluctibus interim comprehensis abissi profundum absorbeat, & putens pravæ consuetudinis suum, quod absit, os urgeat super eos. Ut autem, quod desiderant, facilius assequantur, se ipsos & sua salubri consilio disponentes divinis obsequiis mancipare impensas non modicas paraverunt ad ædem sacram & domorum fabricam ad instar præfati ordinis erigendam, & possessiones amplas offerunt ad sustentandos fratres congregandos in loco quem elegerit Dominus per Sedem Apostolicam ad hoc opus. Denique Fratres quidam sitientibus ferre aquas & cum panibus occurrere fugientibus ferventi animo satagentes quæsitum diutius locum aptum & tandem monstratum a Domino invenerunt, Ecclesiam videlicet regularem Sancti Pantaleonis Lucan. Dioec. quæ commoda situ loci aquarum influentia vicinitate nemorum, & a strepitu circumhabitantium separata, late sinum spandens placida se coaptat ut cernitur ad ordinis hujus amplexum, & ad suum incolatum ipsum videtur quodammodo in... tare præsertim cum collapsa in spiritualibus, prout docet Inquisitio nuper facta expetat in ordine ac ministris Deo famulantibus renovari. Quare nobis a viris religiosis fuit cum multa instantia supplicatum, ut ad tam Sancti desiderii complementum eidem ordini locum ipsum concedere dignaremur. Nos autem qui sectari salvatoris vestigia cupimus, & non solum optamus salutem Fidelium, sed instantem quærimus & sollicite intendimus procurare tam piis votis & felicibus auspiciis libenter annuimus Ecclesiam ipsam cum omnibus suis bonis, juribus, & possessionibus Cistercien. Ordini ad construendum ibidem monasterium concedentes. Verum ne per hoc alienari penitus aliorum jura credantur, compensationem congruam Lucan. Præsuli & Ecclesiæ suo tempore faciendam, si aliquando forsitan cives Lucan. meruerint restitui ad pristinæ dignitatis honorem nostræ providentiæ reservamus. Hinc est quod tuæ devotioni mandamus, quatenus personaliter ad Ecclesiam præfatam accedens, & pro Cistercien. Ordine omnium bonorum ipsius tam mobilium quam immobilium auctorita-

te

te nostra possessionem ingrediens disponas de ipsa prout exigunt tui ordinis instituta. Priorem autem, Clericos & Conversos ipsius Ecclesiæ moneas diligenter, ut pro animarum suarum salute ordinem Cistercien. assumant. Alioquin eos in aliis monasteriis sui ordinis collocare procures, contradictores & rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dictis vero nobilibus propriis nominibus exprimendis in dicta Ecclesia Domino servituris habitum ordinis tui tradas, dum tamen uxores illorum qui juncti sunt matrimonio liberam & spontaneam licentiam illis tribuant, & prius habitu Religionis assumpto aliquod Claustrum intrent voventes & publice promittentes sub regulari observantia se perpetuo moraturas. Nos enim Fratri Philippo de ordine Fratrum minorum visitatori monasteriorum pauperum inclusarum dedimus nostris literis in mandatis, ut ipsas nec non matres ac sorores ipsorum si voluerint debeat in monasteriis earundem inclusarum quæ minori gravata sunt numero collocare. Dat. Anagniæ XI. Kal. Febr. Pontific. nostri an. VI.

## GREGORIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Dilectis Filiis.... Abbati S. Michaelis de Guamo Lucanæ Dioec. & Fr. F. Ordinis Prædicatorum salutem & apost. bened.*

Ex Regest. an. VII. ep. 375.

Viam vitæ quærentibus libenter salutis materiam procuramus, ut nullis obstaculis, quin pro voto proficiant, impediti, æterna Christi munera liberius valeant adipisci. Hinc est quod cum quædam nobiles mulieres civitatis Lucanæ, sicut gaudentes accepimus, relictis contemptui mundi vanitatibus universis, lucis auctori laudibus se deputare, cupiant, & in monasterio S. Cerbonii ordinis beati Benedicti Lucan. Dioec. sub regulari habitu commorari; nos volentes ut tam ipsæ quam dilectæ in Christo filiæ moniales in eodem monasterio constitutæ, seu claustra consistant, & criminibus ex hominum frequentia consurgere consueris, ita sint salubriter alienæ sicut effectæ sunt seculo laudabiliter peregrino, præcipiendo mandamus, quatenus prædictis mulieribus juxta numerum, qui secundum facultates loci vobis competens videatur, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, in eodem monasterio collocatis, faciatis ipsas cum supradictis monialibus consistere sub clausura. Quod si forsan ex ipsis monialibus aliquæ claudi noluerint eas in locis aliis supradicti ordinis collocetis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, proviso nihilominus, quod duæ claves in ejusdem monasterii januis habeantur, quarum unam per te, Fili Abbas, & alteram per Abbatissam ipsius monasterii custodiri volumus & mandamus. Dat. Anagniæ VII. Kal. Septembr. Pontificatus nostri anno VII.

## GREGORIUS &c.

*S. tituli S. Laurenti in Lucina Presb. Cardinali Marchiæ Anconitanæ Rectori,*

Ex Regest. an. VIII. Ep. 300.

Coercere nequitiam, justitiam defensare, oculis Redemptoris acceptum non modicum creditur, sed catholicam fidem defendere, & ecclesiasticam protegere libertatem, tanto Deo gratius reputatur, quanto plus salutis in fide humanum genus consequi, quantoque fortius Deum in Ecclesiæ libertate credimus honorari; propter quod dignum esse decernimus si defensores Ecclesiæ scuto defensionis Apostolicæ protegamus, ut dum eis congruam meritorum vicem rependimus, alios ad apostolicæ sedis obsequia invitemus. Quocirca mandamus quatenus Ariminen. & omnes alios de Romaniola qui contra Fr. dictum Imperatorem fidem & Ecclesiasticam libertatem defendere, & ad devotionem Ecclesiæ venire juraverint, sub apostolica protectione, vice nostra recipias, & eos in hujusmodi proposito persistentes, super bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possident, non permittas ab aliquibus indebite molestari. Molestatores &c. Dat. Anagniæ VII. Kal. Aug. an. XIII.

## INNOCENTIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei dilecto Filio Joanni Cincii Canonico sancti Angeli in Piscibus de urbe salutem & apost. benedictionem.*

Ex Regest. an. I. Innoc. IV. epist. 20.

Sua nobilis Scholastica monialis S. Bibianæ de urbe petitione monstravit, quod cum inter ipsam ex parte una, &.... Abbatissam & conventum ejusdem monasterii ex altera super eo quod eadem petebat sibi de ipsius monasterii proventibus in vitæ necessariis, sicut uni ex aliis provideri coram dilecto Filio Archipresbytero SS. Cyri & Joannis dato auditore sedis apostolicæ partibus, auditore quo utebantur, idem Judex cognitis causæ meritis difinitivam pro ea & in partem alteram difinitivæ parere nolentem excommunicationis sententias promulgavit, quas apostolico petiit munimine roborari. Ideoque mandamus, quatenus sententias ipsas, difinitivam videlicet, sicut & justa, & excommunicationis sicut rationabiliter est prolata, facias auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota inviolabiliter observari. Datum Anagniæ XVII. Kal. Augusti Pontificatus nostri anno primo.

## INNOCENTIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Venerabili Fratri.... Episcopo, & dilecto Filio Archidiacono Trecen. salutem & Apostolicam benedictionem.*

Ex eod. ep. 125.

Exhibita nobis Agnetis Sacristæ Monasterii Romaricen. Ordinis Sancti Benedicti Tullen. Dioecesis petitio continebat, quod Monasterio ipso, quod ad Romanam Ecclesiam, ut dicitur, nullo medio pertinet mediante, Abbatissæ solatio destituto, Willhelma Decana, & universæ ipsius Monasterii Moniales, quæ debebant, volebant, & poterant interesse, die statuta convenerunt in unum ad habendum de futuræ Abbatissæ substitutione tractatum, & ne procederetur ad electionem, nisi Canonicam, fuit ex parte ipsius Decanæ & viginti sex aliarum Monialium ad Sedem Apostolicam appellatum. Cæterum cum earum corda essent in diversa vota divisa, nec possent in unam concordare personam, T. soror Agnetis de Psalmis, & quædam aliæ Moniales Monasterii supradicti per... Abbatem de Gratia Dei Bisuntin. Cistercen. Ordinis, & ejus Collegas, Visitatores in ea a Venerabili Fratre nostro I. Prænestino Episcopo tunc in partibus ipsius Legato Sedis Apostolicæ deputatos, ea ratione suspensæ, quod ibidem impendi ab eis Visitationis officium perturbabant, appellatione præfata contempta, eamdem Agnetem de Psalmis, quæ pro Moniali ipsius Ecclesiæ se gerit hac de causa suspensam alias Apostatam, utpote quæ fuerat in Ordine Cistercien. professa, & per plures annos Abbatissa extiterat in eodem, in suam Abbatissam de facto, cum de jure nequiverint, elegerunt. Porro Decana prædicta, & viginti sex de Capitulo ipsius Monasterii hujusmodi electionem a suspensis de suspensa & Apostata temere attemptatam, quæ non poterat, nec debebat tolerari, minime acceptantes, dictam Sacristam in Abbatissam ipsius Monasterii, Spiritus Sancti gratia invocata, canonice per formam scrutinii elegerunt; ne quisquam contra electionem suam aliquid attemptaret Sedem Apostolicam appellando. Cumque postmodum partibus Procuratores suos propter hoc ad Sedem Apostolicam destinantibus, interim eadem Apostata ibidem intrusa potentia sæculari, Thesauraria ejusdem Ecclesiæ nequiter fracta, arcam cum sigillo Capituli, & privilegiis ipsius Monasterii existentibus in eadem ad domum,

num, in qua morabatur, faciens asportari, dictis Decanæ, & aliis, electioni de se factæ, sicut nec debebant, consentire nolentibus, cotidiana earum stipendia temere subtraxisset, compulsis aliquibus ex ipsis miserabiliter exulare, Procurator a parte altera destinatus, ipsarum Procuratore propter impedimenta viarum nequeunte transire, ad Apostolicam Sedem accedens, super hoc contra eam, & partem ipsius ad Henricum Canonicum Sancti Salvatoris Meten. Literas Apostolicas reportavit, quo Abbati Sancti Naboris pro parte causam subdelegante prædictam, quia idem subdelegatus ipsius Sacristæ citatæ ad locum non tutum, alium securum assignare contra justitiam denegavit humiliter requisitus, eadem sentiens indebite se gravari, primo ad eundem Canonicum, & tandem ab eo nolente gravamen hujusmodi revocare, ad Sedem Apostolicam vocem Appellationis emisit, quam infra tempus legitimum prosequi, præfata Sede vacante, nequivit. Ne igitur Monasterium supradictum in bonis ejus per anfractus litigiorum hujusmodi laceretur, volentibus ex officio nostro eisdem litibus finem imponere, mandamus quatenus si est ita, eidem Monasterio bonis omnibus sic ablatis, nec non eisdem Monialibus ad sua loca & stipendia præfata, sicut justum fuerit, restitutis, vocatis quoque qui fuerint evocandi, & inquisitis super præmissis, & cognita diligentius veritate, causam sufficienter instructam ad Apostolicum remittatis examen, præficientes partibus terminum peremptorium competentem, quo per procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, justam, dante Deo, sententiam, seu provisionem Apostolicam recepturæ: Proviso prudenter, ne interim memoratum Monasterium occasione litigiorum ipsorum, bonorum suorum dispendium patiatur. Datum Anagniæ XV. Kal. Octobris Pontificatus nostri anno primo.

## INNOCENTIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei dilectis in Christo Filiabus Abbatissæ, & Conventui Monialium Monasterii Sancti Petri de Palliano Penestrinens. Diœcesis salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Ex cod. ep. 146.

Apostolicæ Sedis providentia consueta prudentes Virgines, quæ se parant accensis lampadibus obviam ire Sponso, tanto propensiori debet studio prosequi charitatis, quanto majori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dinoscantur. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Monasterium vestrum, utpote novella plantatio, Visitatore indigeat, ut personæ inibi commorantes disciplinis regularibus informentur, ac aliquorum religiosorum continua præsentia, ut vobis tam in Divinis Officiis, præsertim Missarum Solemnibus, quam etiam in habenda cura rerum temporalium obsequantur, providere vobis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Attendentes igitur, quod petitio vestra præsidio favoris adjuta, non est ab exauditionis gratia repellenda; ac volentes propter hoc taliter providere, quod idem Monasterium in Demanio Ecclesiæ Romanæ constructum, nullum in iis defectum futuris temporibus patiatur, ad instantiam Venerabilis Fratris nostri S. Episcopi Penestrini vestri Monasterii fundatoris vestris supplicationibus inclinati, auctoritate præsentium duximus statuendum, ut Abbas Monasterii Casemarii, qui pro tempore fuerit, singulis annis semel Monasterio vestro officium Visitationis impendat, corrigendo, & reformando tam in capite, quam in membris, quæ secundum Deum, ac Beati Benedicti regulam, atque Cistercien. Ordinis instituta, correctionis, & reformationis officio viderit indigere; qui una cum ejus Conventu duos Monachos ex eis approbatæ vitæ, ac religionis expertos faciant assidue, alios eis decedentibus, subrogando, apud vestrum Monasterium commorari, quorum alter confessiones vestras audiat, officia Divina, præsertim Missarum Solemnia, & in Solemnitatibus Evangelicam lectionem nocturnam celebret, ac ministret vobis Ecclesiastica Sacramenta. Reliquus vero rerum temporalium vestri Monasterii curam gerat, prout Abbatissa, quæ pro tempore fuerit, sibi duxerit committendum: neuter tamen aliquam jurisdictionem, seu correctionem habeat in eodem; ad quæ omnia sine difficultatis dispendio exequenda prædictos Abbatem, & Conventum teneri perpetuo volumus, non obstantibus contraria consuetudine ejusdem Ordinis, vel confirmatione super hoc, seu indulgentiis a Sede Apostolica impetratis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ Kalendis Octobris Pontificatus nostri anno primo.



## INNOCENTIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei dilectis Filiis .... Abbati Eliberacen. Cisterciensis Ordinis, & ..... Præposito S. Augustini in Hecfordia Maguntin. Diœces. Salutem & Apost. benedictionem.*

Succensa velut ignis quorumdam iniquorum iniquitas, usque adeo eorum excæcat consilia, quod solem justitiæ inspicere nequeuntes, nec dum quod velim ab iis quæ sunt Christi sponsæ Ecclesiæ inimica cessare, verum etiam contra ipsam linguam acuunt, manus armant, & vires impudenter effundunt, fidei defensoribus hostiliter occurrendo. Horum siquidem rebellium numero sicut nobis extitit intimatum, potest magister H. de Catania, qui Ecclesiæ Bambergensis electus dicitur aggregari, qui etiam Sedis apostolicæ excommunicationis sententia innodatus ad dictam Ecclesiam electus asseritur, quodque Professus & Monachus S. Burcardi in Herbipoli fuerit factus, exinde multis in scandalum & horrorem. Ne igitur si tam enormis temeritas remanserit impunita, materiam enormitatum pariat graviorem, mandamus, quatenus, habentes præ oculis solum Deum, inquiratis super iis & aliis sollicite veritatem, & quæ inveneritis, nobis vestris literis studeatis fideliter intimare, ut per vestram sufficienter instructi, procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum. Datum Laterani VI. nonas Maii, Pontificatus nostri anno primo. Ex cod. ep. 650.

## INNOCENTIUS &c.

*Dilectis in Christo Filiabus conventui monasterii Jotren. ordinis S. Benedicti ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Melden. Diœces. sal. & Apost. bened.*

Cum olim monasterio vestro Abbatissæ regimine destituto, vos ut moris est convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectam in Christo filiam Avellinam electam tunc Priorissam ejusdem monasterii duxeritis eligendam, nonnullis paucis tamen in Abbatissam monasterii Villaris dirigentibus vota sua, ac electionem eandem nobis præsentari feceritis cum instantia postulantes, ut eam utpote canonice a majori & saniori parte conventus de persona idonea celebratam confirmare, postulatione repulsa hujusmodi, curaremus. Nos attendentes, quod tunc de negotio plene nobis liquere non poterat, Abbati S. Genovefæ Parisien. & Conjudicibus suis nostris dedimus literis in mandatis, ut de electionis & postulationis modo, eligentium & postulantium studiis & tam electæ quam postulatæ meritis sollicite inquirentes, negotium ipsum sufficienter instructum remitterent ad apostolicæ sedis examen, præfixo partibus termino peremptorio competenti, quo per procuratores sufficientes & idoneos comparerent coram Nobis, justam, dante Domino, sententiam seu provisio- Ex regesto anno 11; ep. 168.

visionem apostolicam recepturæ. Et licet illæ, quæ ad postulandam prædictam Abbatissam processerant, pensantes provide quod erant numero & merito pauciores, postulationi hujusmodi non duxerint insistendum; duabus tamen in electionis contradictione persistentibus, ac eidem Electæ aliqua obiicientibus in personam, prædicti Judices tam super iis quam super toto negotio inquirentes sollicite veritatem, ipsum ad nos instructum, prout a Nobis in mandatis receperant, remiserunt. Cumque processum eorum examinari fecerimus diligenter, quia nihil de iis, quæ contra ipsam Electam objecta fuerant, quod ei obstare deberet, invenimus esse probatum; Nos considerantes quod rectis dispositionibus nihil debet difficultatis afferri, electionem ipsam utpote de persona idonea canonice celebratam, justitia, confirmavimus, exigente. Quocirca Universitati vestræ districte præcipiendo mandamus, quatenus eidem electæ plene ac humiliter intendentes exhibeatis ipsi obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejus salubria & monita & mandata suscipiendo devote ac inviolabiliter observando. Alioquin dilecto filio . . . . Abbati Resbacen. Melden. diœces. damus nostris literis in mandatis, ut vos ad hæc, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellens, eam auctoritate nostra in corporalem ejusdem monasterii ac omnium jurium ipsius cum consuetis solemnitatibus possessionem inducat, & tueatur inductam. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni Idibus januarii Pontificatus nostri an. II.

## INNOCENTIUS &c.

*Dilectis in Christo Filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii Jotren. ord. S. Benedicti ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Meldens. Diœcesis sal. & Apost. bened.*

Ex eodem ep. 317. Paci & tranquillitati vestræ ac monasterii vestri paterna volentes in posterum sollicitudine providere, auctoritate vobis præsentium indulgemus ut ad provisionem vel receptionem alicujus auctoritate Sedis Apostol. vel Legatorum ipsius compelli minime valeatis absque ipsius Sedis Apostolicæ licentia speciali faciente plenam de hac indulgentia mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni IV. Kal. Mar. Pontific. nostri an. II.

## INNOCENTIUS EPISC. &c.

*Dilecto Filio Decano Ecclesiæ Peronensis Noviomen. Diœces. salutem & Apostolicam benedictionem.*

Ex eodem 318. Paci & tranquillitati dilectarum in Christo Filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii Jotren. ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis ord. S. Benedicti. Meldensis Diœcesis ac ipsius monasterii paterna volentes in posterum sollicitudine providere, auctoritate ipsis præsentium indulgemus, ut ad provisionem vel receptionem alicujus auctoritate Sedis Apostolicæ vel Legatorum ipsius compelli minime valeant, absque ipsius Sedis licentia speciali faciente plenam de hac indulgentia mentionem. Quocirca mandamus quatenus ipsas super his contra idulgentiæ nostræ tenorem non permittas ab aliquibus indebite molestari. Molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni IV. Kal. Mar. Pontific. nostri an. II.

## INNOCENTIUS &c.

*Dilectis in Christo Filiabus . . . . . . . . Abbatissæ & Conventui Monasterii Jotrensis &c.*

Apostolicæ Sedis benignitas sincere obsequentium vota Fidelium favore benivolo prosequi consuevit & devotas personas quas in sui devotione promptas invenerit, & ferventes, quibusdam titulis decentius decorare. Ut igitur ex speciali devotione, quam ad nos & Romanam Ecclesiam habere noscimini, sentiatis vobis favorem Apostolicum non modicum accrevisse, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut nullus Delegatus vel subdelegatus executor, aut etiam conservator auctoritate Sedis Apostolicæ vel Legatorum ipsius in vos seu monasterium vestrum, excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam valeat promulgare absque mandato Sedis Apostolicæ speciali, faciente plenam hac indulgentia mentionem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni VIII. Kal. Mar. Pontific. nostri an. II. Ex eod. ep. 319.

*In eumdem modum scriptum est Decano Peronen.*

## INNOCENTIUS EPISC. &c.

*Dilecto Filio . . . . . . . Decano Peronensis Ecclesiæ Noviom. Diœc. salutem & Apost. benedictionem.*

Sua nobis dilecta in Christo Filia . . . . . Abbatissa monasterii Jotren. ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis ord. S. Benedicti Melden. Diœcesis, petitione sua monstravit, quod cum ipsa plerumque moniales suas & Clericos suæ jurisdictioni subiectos propter inobedientias & culpas eorum officio beneficioque suspendat, iidem confisi ex eo quod eadem Abbatissa ipsos excommunicare non potest, suspensionem hujusmodi non observant; propter quod ipsorum excessus remanent incorrecti. Quocirca mandamus quatenus si est ita, prædictas moniales & Clericos, quod Abbatissæ præfatæ obedientiam & reverentiam debitam impendentes, ejus salubria monita & mandata devote suscipiant & observent, monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Datum Lugduni IV. Kal. Mar. Pontific. nostri an. II. Ex eod, ep. 321.

## INNOCENTIUS EPISC.

*Dilectis in Christo Filiabus Abbatissæ & conventui Monialium monasterii Jotren. &c.*

Justis petentium desideriis dignum est nos facile præbere consensum & vota, quæ a rationis tramite non discordant affectu prosequente complere. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Abbatissæ & moniales monasterii vestri, quæ fuerunt pro tempore pluribus indulgentiis & privilegiis retroactis temporibus eidem monasterio ab Apostolica Sede concessis tum propter simplicitatem, tum etiam propter negligentiam longissimi temporis spatio non sint usæ, ne hujusmodi negligentia vobis & ipsi monasterio in posterum sit damnosa, vestræ ac ejusdem indemnitati præcavere paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur vestris precibus inclinati, ut hujusmodi lapsu temporis, vel aliquo actu contrario, per quem non sit acquisitum jus alteri, non obstantibus præmissis indulgentiis & privilegiis uti de cætero libere valeatis plenam vobis concedimus auctoritate præsentium facultatem, dummodo contra ea legitime præscriptum non fuerit, vel alio modo legitimo derogatum, Ex eod. ep. 335.

Nul-

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejusdem noverit incursurum. Datum Lugduni IV. Kal. Mar. Pontific. nostri an. II.

### INNOCENTIUS EPISC. &c.

*Carissimo in Christo Filio nostro..... illustri Regi Portugalliæ salutem & Apostolicam benedictionem.*

Ex eod. ep. 1017. Illum erga multos nobiles & potentes gerit Apostolica Sedes sinceritatis affectum, ut honoris eorum, & commodi zelatrix assidua indefessæ sollicitudinis studio satagat, quod hæc illis juxta sui desiderii plenitudinem valeant provenire, sed eo majori tuam inter alios prosequimur dilectione celsitudinem, eoque avidius ad tui exaltationem intendimus, quo progenitorum tuorum & tuis claris præcedentibus meritis te plus dignum & Ecclesiæ favore, ac ejusdem Sedis gratia reputamus. Sane literis tuæ celsitudinis affectuose receptis, ex earum tenore collegimus, quod per dilectum Filium nobilem virum ...... Comitem Boloniæ quamplura, carissime Fili, tibi tuoque Regno gravamina inferuntur, super quibus opportunum per Apostolicam providentiam adhiberi remedium petivisti. Verum sicut alias tibi scripsisse recolimus ad magnum diutinum & instantem clamorem Prælatorum, & aliorum tam religiosorum quam secularium, Clericorum, nobilium quoque, omniumque Fidelium Regni tui, præfatus Comes, qui de sollicitudine ac prudentia multipliciter commendatur ad ipsius Regni custodiam, quod propter periculosum & intolerabilem justitiæ defectum, ac alia multa gravia & enormia, quæ libere ac impune sine intermissione committebantur ibidem, quasi undique dissipatum cernitur, est assumptus; & nostræ intentionis non extitit nec existit, ut per hoc juri vel honori tuo qui ejusdem comitis est frater, seu legitimi filii, si aliquem vos habere contigerit, in aliquo derogetur, si ad eum statum celsitudinem tuam devenire claruerit, ut per tuam diligentiam & industriam possit prædictum Regnum utiliter & salubriter gubernari, sed potius, ut tibi, & eidem Regno destructioni exposito, ac in illo degentibus te vivente, per probitatem & circumspectionem memorati comitis consulatur. Unde dilectum Filium Fr. Desiderium Pœnitentiarium nostrum, virum literatum, probatæ vitæ ac in consiliis circumspectum ad celsitudinem tuam de Fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, ut ipse quem sollicite ac prudenter processurum speramus, de præfati tui Regni statu diligenter inquirens, nos plene de statu ipso certificare procuret, ut instructi per eum provideamus, auctore Domino, circa illum, prout extiterit opportunum. Ideoque celsitudinem tuam monemus, rogamus & hortamur attente, mandantes, quatenus eidem Fratri adhibeas in hujusmodi negotio firmam fidem, ejus acquiescendo consiliis, & monitis intendendo. Datum Lugduni V. Id. Maii Pontific. nostri anno IV.

### INNOCENTIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei venerabilibus Fratribus nostris Cesenaten. & Foropopulien. Episcopus salutem & Apost. benedictionem.*

Cum nobilis vir Taddæus filius quondam Montisfeltrani, & alii qui tenentes feuda a Feretran. & aliis Ecclesiis Feretran. Diœc. adhærendo & favendo Friderico quondam Imperatori Romanorum excommunicato, & Dei & Ecclesiæ inimico, & dictas Ecclesias persequendo ipsis feudis reddiderunt se indignos, mandamus, quatenus si est ita prædictos auctoritate nostra feudis privantes, eisdem privilegia & instrumenta omnia super his confecta, non obstante præscriptione aliqua penitus cassa & irrita nuntietis, contradictores per censuras Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni VI. Kal. Julii Pontificatus nostri anno IV.

### INNOCENTIUS EPISC. &c.

*eisdem.*

Ut Taddæus filius quondam Montisfeltrani vir nobilis genere, sed suis perversis actibus ignobilitans semetipsum super eo quod adhærendo & favendo Friderico quondam Imperatori Romanorum excommunicato, Dei & Ecclesiæ inimico, venerabilem Fratrem nostrum Episcopum & Ecclesiam Feretran. graviter persequi non desistit reatus sui pœnam reportet, mandamus, quatenus, si est ita, ipsum ea quæ in Urbinaten. & Feretran. Civitatibus habere dignoscitur, auctoritate nostra privantes privilegia & instrumenta omnia sibi super iis ab eodem Friderico concessa, cassa & irrita penitus nuntietis, contradictores per censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo. Datum Lugd. VI. Kal. Julii anno IV.

### INNOCENTIUS EPISC. &c.

*Venerabili Fratri ...... Episcopo Pensaurien. salutem & Apostolicam benedictionem.*

Miseranda domus dilectorum filiorum..... Prioris & Fratrum Hospitalis pauperum infirmorum Sancti Spiritus Ariminen. conditio exigit, ut eis favorabiliter assistamus. Hinc est quod nos ipsorum precibus benignius annuentes, ut cuilibet liceat absque contradictione cujusquam, & juris præjudicio alieni, in eleemosynam eis relinquere libere bona sua, ipsique occasione eis hactenus relictorum, vel reliquendorum de cætero ad solvendum aliquid communi civitatis Ariminensis, vel præstandas aliquas factiones per rectores civitatis ejusdem vel quoslibet alios laicos quavis auctoritate compelli minime valeant, ipsis auctoritate literarum nostrarum duximus indulgendum. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictos Priorem & Fratres non permittas super his contra concessionis nostræ tenorem ab aliquibus indebite molestari. Molestatores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Perusii II. Kal. Mar. Pontific. nostri an. IX. Ex autographo in Archivo monast. Scolc.

### INNOCENTIUS &c.

*Dilectis filiis ...... Priori & Fratribus loci Sanctæ Mariæ de Limata Ordinis S. Augustini Ariminen. Diœc. salutem & Apostolicam benedictionem.*

Justis petentium desideriis &c. complere. Cum igitur, sicut petitio vestra nobis exhibita continebat inter vos ex parte una & ...... Archipresbyterum S. Laurentii in monte, ac quosdam alios Ecclesiarum Prælatos & clericos civitatis & Diœcesis Ariminen. ex altera super taxatione facultatum & proventuum vestrorum & Ecclesiarum ipsarum facienda occasione procurationis exhibendæ dilecto Filio nostro O. S. Mariæ in Via Lata Diacono Cardin. Sedis Apostolicæ legato coram magistro Petro Canonico Ariminen. auctoritate venerabilis Fratris nostri Ariminen. Episcopi quæstio verteretur, idem magister cognitis causæ meritis & juris ordine observato, diffinitivam pro vobis sententiam promulgavit, quam Apostolico petiistis munimine roborari. Nos igitur vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, sententiam ipsam sicut est justa nec legiti- Ex autographa Bulla in arch. Scolc.

guima provocatione suspensa auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo. &c. Datum Perusii II. Kal. Maii Pontificatus nostri an. IX.

## INNOCENTIUS EPISC. &c.

*dilectis Filiis Electo Capitulo & Clero Civitatis Ariminen. salut. & apost. bened.*

Ex autographo in Arch. Cathedr. Ariminen.

Licet olim vobis nostris dederimus literis in mandatis ut Priorem & Fratres Hospitalis Leprosorum sancti Lazari de Tertio Ariminensis Diœcesis in generalibus nuntiorum Sedis Apostolicæ, vel aliis quibuscunque collectis gravare nullatenus deberetis, sed ipsos potius qui aliorum pulsant ostia dediti paupertati, haberetis in Domino commendatos, vos tamen mandatis nostris penitus quod vos non decet obaudiitis eos afflictionem afflictis addentes super præmissis opprimitis & gravatis. Quocirca vobis per iterata scripta in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus quatenus eosdem Priorem & Fratres occasione præmissa ulterius aggravare minime præsumatis absque mandato Sedis Apostolicæ speciali. Datum Perusii V. Id. maii Pontificatus nostri anno IX.

## HUGUIGIO MARCHIO

*Domini Papæ capellanus Massæ Trabariæ Rector in Romagnola Civitat. Aret. & Castell. apostolicæ Sedis Legatus Viris Religiosis dilectis in Christo sibi Fratri Jacobo Priori Hospitalis S. Spiritus de Arimino & Conventui ejusdem Ordinis S. Augustini salutem in Domino.*

Ex autogr. in Arch. Scole.

Exigentibus vestræ devotionis meritis, votis vestris libenter annuimus, & in iis quæ digne deposcitis vos favorabiliter exaudimus. Hinc est quod cum presbyter Guido Prior quondam loci qui donigalia dicitur, & Fratres sive conventus ipsius loci vobis & hospitali vestro submiserint & subposuerint se, & ipsum pure simpliciter & irrevocabiliter cum suis omnibus possessionibus, juribus & mobilibus & immobilibus liberaliter omnia conferentes obedientiam manualem tibi Priori tamquam Priori suo & successoribus tuis ejusdem hospitalis ac Fratrum nomine & reverentiam debitam, vivereque secundum mores jam dicti Hospitalis vestri Sancti Spiritus ac ipsius regulam ibidem institutam in posterum fideliter observare motu voluntatis spontaneæ solemniter promittendo, prout ex parte vestra fuit expositum coram nobis, devotionis vestræ precibus inclinati, quod per dictos Priorem & Fratres factum esse dignoscitur, in hac parte gratum & ratum habentes, id auctoritate qua fungimur ex certa scientia confirmamus jure Diœcesano in omnibus semper salvo, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum jurisdictionis nostræ hanc confirmationis nostræ paginam infringere liceat, vel ei ausu temerario contradicere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, ac iram se noverit procuidubio incursurum. Datum in Massa apud Plebem Sistini Idus Febr. Pontificatus D. Alexandri P. IV. anno III.

## ALEXANDER EPISCOPUS &c.

*Venerabili Fratri ..... Episcopo Faven. salutem.*

Ex autographo Bulla Alex. IV.

Dilectorum filiorum ... .. Prioris & Fratrum Hospitalis Pauperum S. Spiritus Ariminen. petitio nobis exhibita continebat, quod dilecti Filii ...... Potestas, Consilium & Commune Ariminense non attendentes quod disponendi de rebus Ecclesiasticis est prorsus laicis interdicta facultas, ne dicti Fratres de domibus, quasi in Civitate Ariminen. obtinere noscuntur, consuetas pensiones percipiant, neve illas aliis titulo locationis concedant, pro ipsorum impedientes arbitrio voluntatis ac alias quosdam ipsius hospitalis hortos auctoritate propria usui communis applicantes ejusdem, eis super præmissis & aliis damna gravia, & injurias non modicas irrogarunt. Quia vero dictis Priori & Fratribus in suo jure deesse non possumus, in quo sumus omnibus ex susceptæ servitutis officio debitores, ipsis Potestati, Consilio & Communi damus nostris literis in mandatis, ut, si ita est, prædictos Priorem & Fratres habentes pro nostra & divina reverentia in suis usibus commendatos ab ipsorum super iis molestatione indebita penitus desistant, statuto contrario Civitatis ejusdem & juramento de ipsius observatione a dicto Potestate & Officialibus suis præstito non obstante. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dicti Potestas, Consilium & commune mandatum nostrum neglexerint adimplere, tu partibus convocatis audias causam, & appellatione remota debito fine faciens quod decreveris per censuram Ecclesiasticam firmiter observari, provisione in universitatem Ariminen. civitatis excommunicationis vel interdicti sententiam proferas, nisi a nobis super hoc mandatum receperis speciale. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram Ecclesiasticam appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Later. II. Non. Maii Pontific. nostri anno III.

*Loco ✠ Bullæ plumbatæ*

## ALEXANDER EPISC. &c.

*Dilecto Filio ..... Præposito Ecclesiæ Urbinat. sal. & Ap. bened.*

Si excrevit quorundam malitia, quod nec Deum timentes, nec ad Romanam Ecclesiam habentes reverentiam debitam & honorem ducant pro minimo, immo totis insistant conatibus Ecclesiasticam infringere non absque damnandæ præsumptionis audacia libertatem. Sane venerabilis Frater noster ..... Episcopus, & dilecti Filii ..... Præpositus & Capitulum Ariminen. nobis significare curarunt, quod Potestas Capitanei & Commune Ariminen. in derogationem libertatis ejusdem statuisse dicuntur ut possessiones, quas Ecclesiæ civitatis & Diœces. Ariminen. aliquibus laicis earundem civitatis & Diœcesis ad certum tempus, sub censu aut ficto annuo concesserunt, nullatenus per lapsum consiliun temporis, vel defectum solutionis canonis ad Ecclesias revertantur, sed eædem Ecclesiæ teneantur pro certa pecuniæ summa contractum hujusmodi possessoribus terrarum ex possessionum hujusmodi renovare. Et quod magis est horribile atque grave si contingat Clericos Ecclesiarum ipsarum aliquos laicos civitatis & Diœcesis earundem extra illas auctoritate literarum nostrarum vel Legatorum Apostolicæ Sedis ad judicium evocare, iidem Clerici expensas, & sumptus quos laicos ipsos hujusmodi occasione subire contigerit, eis restaurare integre teneantur, Clericis ipsis ad id per commune Ariminen. irrefragabiliter compellendis. Quare iidem Episcopus, Præpositus & Capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut eis & Ecclesiarum civitatis & Diœcesis prædictarum indemnitatibus præcavere de benignitate solita curaremus. Nolentes igitur sustinere prædicta, sicut etiam nec debemus, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, prædictos, Potestatem, Capitaneos, & Commune, quod statuta hujusmodi & alia quæ contra Ecclesiasticam libertatem edidisse noscuntur, de Capitularibus suis abradant, nunquam in ipsis Capitularibus rescribenda, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellas. Non obstante si eis a Sede Apostolica sit indultum, quod iidem excommunicari, vel Ariminensis civitas supponi nequeant

Ex autogr. in Archivo Arim.

Ec-

Ecclesiastico interdicto per literas dictæ Sedis non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem. Datum Viterbii II. Id. Mar. Pontificatus nostri anno IV.

## ALEXANDER EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei dilectis in Christo filiabus.. Abbatissæ & Conventui Monialium inclusarum Monasterii Sanctæ Catharinæ Januen. Ordinis Sancti Damiani ad Romanam Ecclesiam nullo modo pertinentis salutem &c. & Apostolicam benedictionem.*

Ex Reg. Anni VI. Epist. 34.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Dudum siquidem intellecto, quod Monasterium Sancti Joannis de Logano Ordinis Sancti Benedicti Albinganen. Diœcesis in spiritualibus erat, & temporalibus deformatum, ejusque bona per habitantium in eo incuriam, seu malitiam potius in dispendia vergebant jugiter graviora, nos destructioni, & lapsui Monasterii præfati occurrere, vestramque de ipso volentes relevare inopiam, qua mortuæ mundo gravamini sub clausuræ claustralis angustia in voto voluntariæ paupertatis, & rem super hoc agere piam, & gratissimam Deo credentes, Venerabili Fratri nostro Episcopo Albinganen. per nostras literas primo in mandatis, ac postmodum in virtute obedientiæ dedimus in præceptis, ut dictum Monasterium cum pertinentiis, possessionibus, & appenditiis, ac ornamentis suis vobis conferre, & assignare curaret in usus vestros perpetuo retinendum. Sed idem Episcopus non solum id efficere non curavit, verum etiam propter quasdam frivolas exceptiones in elusionem mandati nostri contra nos propositas pronuntiavit non esse per hujusmodi literas procedendum. Unde nos postmodum venerabili Fratri nostro... Archiepiscopo Januen. nostris dedimus literis in mandatis, ut non obstantibus hujusmodi exceptionibus prædictum Monasterium de Logano vobis conferre, & assignare curaret, juxta priorum continentiam literarum, qui mandatum hujusmodi Apostolicum non solum exequi prætermisit, verum etiam pro suæ voluntatis arbitrio processum ipsius Episcopi contra justitiam confirmavit. Demum vero dilecto Filio Magistro Ragnaldo Canonico Theatin. dedimus per alias nostras literas in virtute obedientiæ districtius in præceptis, ut illuc accederet, & non obstantibus hujusmodi, & aliis frivolis exceptionibus, & minus legitimis processibus Episcopi, & Archiepiscopi prædictorum, aut constitutione de duabus dictis edita in Consilio Generali per se, vel per alium vobis seu Procuratori vestro, si suæ videretur discretioni, quod dictum monasterium de Logano non posset in suo ordine reformari, cum suis juribus & pertinentiis Monasterium conferret, & assignaret jamdictum, ac vos, vel dictum Procuratorem in corporalem possessionem ipsorum inducere, & inductos defendere procuraret; amotis exinde Monialibus, quæ ibi essent, & per alia Ordinis sui Monasteria congrue collocatis juxta priorum continentiam literarum. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo. Unde jamdictus Canonicus præceptum super hoc Apostolicum exequens diligenter, quia invenit dictum Monasterium de Logano ita esse in spiritualibus, & temporalibus deformatum, quod non poterat in suo ordine reformari, illud vobis propter hoc contulit, & assignavit cum prædictis possessionibus, juribus, pertinentiis, appenditiis, & aliis rationibus suis in usus vestros perpetuo retinendum, in corporalem possessionem ipsius Monasterii, & prædictorum omnium. procuratorem eundem nihilominus inducendo. Cum autem plena, & pacifica Monasterii, & omnium prædictorum gaudere possessione dicamini, nos devotionis vestræ supplicationibus inclinati, quod a præfato Canonico super iis factum est, gratum & ratum habentes, illudque tenore approbantes præsentium, & defectum, si quis in eo fuit circa juris solemnitatem, de plenitudine potestatis supplentes, Monasterium ipsum cum Ecclesiis, domibus, dictis possessionibus, juribus, & pertinentiis suis omnibus vobis, & per vos Monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenores Instrumentorum super hoc confectorum exinde præsentibus de verbo ad verbum inseri facientes, qui tales sunt.

= In nomine Domini amen. In præsentia mei Joannis de Castro Notarii, & testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum, Magister Raynaldus Cannnicus Theatinus executor Domini Papæ pronuntiavit, Monasterium Sancti Joannis de Logano Ordinis Sancti Benedicti Albinganen. Diœcesis ita deformatum in temporalibus, & spiritualibus, quod non potest in suo ordine reformari, & auctoritate Apostolica adjudicavit illud cum suis juribus, pertinentiis, appenditiis, ornamentis, & rationibus suis Dominæ Abbatissæ, & Monialibus Sanctæ Catharinæ de loculo Januen. Ordinis Sancti Damiani ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, & ipsi Monasterio Sanctæ Catharinæ in perpetuum usum. Actum in ipso Monasterio Sancti Joannis de Logann, præsentibus testibus Domino Episcopo Albinganen., Archipresbytero de Toravo, Girbaldo de Belestino, Presbytero Joanne Cappellano Sancti Joannis de Logano, Rubaldo Sacco de Logano, & Gentili Notario dicti Episcopi, & pluribus aliis Anno Dominicæ Nativitatis Millesimo CC. LIX., Indictione secunda, die nona Decembris inter primam, & tertiam. Ego Joannes de Castro Sacri Imperii Notarius interfui, & rogatus scripsi =. = In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis amen. In præsentia mei Joannis de Castro Notarii, & Testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum. Magister Raynaldus Canonicus Theatinus Executor Domini Papæ investivit, & induxit in corporalem possessionem Monasterii Sancti Joannis de Logano cum omnibus juribus, rationibus, ornamentis, & appenditiis suis Fratrem Obertinum Conversum Monasterii Sanctæ Catharinæ Januen. Ordinis Sancti Damiani Procuratorem Abbatissæ, & Monialium dicti Monasterii Sanctæ Catharinæ, dictarum Abbatissæ, & Monialium dicti Monasterii, & ipsius Monasterii nomine auctoritate Apostolica in perpetuum usum retinendum. Actum in dicto Monasterio Sancti Joannis de Logano, præsentibus testibus Domino Episcopo Albinganen. Archipresbytero de Torano, Girbaldo de Belestino, presbytero Joanne Cappellano Sancti Joannis de Logano, Rubaldo Sacco de Logano, Gentili Notario dicti Episcopi, & pluribus aliis. Anno Dominicæ Nativitatis M. CC. LVIIII. Indictione II., die nona Decembris inter primam, & tertiam. Ego Joannes de Castro Sacri Imperii Notarius interfui, & Rogatus scripsi. =

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, suppletionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ VI. Idus Februarii Pontificatus nostri anno sexto.

## ALEXANDER EPISCOPUS &c.

*Dilectis Filiis .... Priori & Fratribus Hospitalis Sancti Spiritus Ariminen. Ord. S. Augustini sal. & Apost. bened.*

Ex autographa Bulla in arch. Schole.

Exhibita nobis vestra petitio continebat, quod venerabilis Frater noster ..... Ariminens. Episcopus ob reverentiam Sancti Spiritus Plebem S. Laurentii in stram Sancti Martini Barzog. & Sancti Bartholomæi

Jomæi de Ladornajo Ecclesias vacantes Ariminensis Diœcesis, ad se & Ecclesiam Ariminen. pleno jure spectantes, H. Præpositi, & capituli Ariminen. accedente consensu cum juribus & pertinentiis earumdem pia vobis liberalitate concessit, quibusdam sibi & Ecclesiæ Arimin. in ipsi Plebeæ & Ecclesiæ juribus reservatis prout in publicis instrumentis inde confectis dicitur plenius contineri. Venerabilis quoque frater noster ..... Cephaludeu. Episcopus in Romaniola Sedis Apostolicæ legatus concessionem hujusmodi postmodum confirmavit. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem Episcopo & Legato super hoc provide factum est, ratum & gratum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: volumus autem ut eædem Plebes & Ecclesiæ debitis obsequiis non fraudentur, & animarum cura, si ipsis imminet, in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo &c. Dat. Anagniæ VI. Kal. Junii. Pontific. nostri an. VI.

*Nobili Viro .... Duci & Communi Venetorum.*

Ex regest. an. III Urbani P. IV. lib. III. ep. 48.

Gustavimus amaritudinis calicem intimato nobis obitu quondam Azonis Marchionis Esten. suæ puræ devotionis celebri hactenus opinione conspicue recordantes, quam dum in mente revolvimus, reputamus in ipso præcordialem Sedis apostolicæ filium perdidisse; cujus inclita merita circa propriæ fidelitatis constantiam & honorem ac exaltationem matris Ecclesiæ laudabilium operum exercitio claruerunt. Ex hoc profecto, nec mirum, in vobis etiam doloris debet causa consurgere, cum prosperum statum vestrum dilexerit, fueritque stabili vobiscum, ut credimus, unanimitate conjunctus. Propterea ne in conspectu eorum quos dilexisse comperitur, nomen ejus videatur periisse cum carne, nos & vos tenemur eum habere memoriæ quasi vivum, ac in dilecto Filio Opizone nepote ac hærede ipsius, per gratiosi favoris exhibitionem ostendere affectum habitum erga illum, maxime cum nepotem ipsum sub nostra & dictæ Sedis protectione reliquerit, ac eidem quod fideliter in Ecclesiæ devotione persistat in ultima, sicut accepimus, præceperit voluntate. Nos igitur sperantes quod naturæ dotes in eundem nobilem profluxerunt, & quod ipse veluti gemellus ex sincera radice progrediens, fructus amabiles virtutibus adhærendo producet, quia vos una cum multis aliis de Lombardia, Marchia Tervisin. & Romaniola Ecclesiæ Romanæ devotis, pro dicto Marchione rebus humanis exempto, eumdem Opizonem Capitaneum & defensorem fidelium ipsius Ecclesiæ unanimiter, sicut intelleximus statuistis, offerentes vos promptos expositos & paratos ad impendendum sibi contra ejusdem hostes Ecclesiæ, qui sui sunt inimici opportunum consilium, auxilium & favorem; nos animorum vestrorum super hoc promptitudinem, dignis exinde in Domino laudibus fore decrevimus attollendum, universitatem vestram rogamus attentius & hortantes quatenus id quod circa eundem O. laudabiliter inchoastis constantibus animis prosequentes ac habentes ipsum ejusque negotia ob reverentiam Apostolicæ Sedis & nostram propensius commendata, sibi contra ipsos hostes favorabiliter assistatis, ita quod eo vestris adjuto præsidiis, suscipiat robur fortitudinis status ejus, idemque Avi libentius imitando vestigia, se, posseque suum ad exaltationem vestræ civitatis semper exponere teneatur, nosque sinceritatem vestram condignis exinde gratiarum actionibus prosequamur. Datum apud Urbemveterem V. Kal. Mar. an. III.

*In eundem modum Potestatibus Consiliis & Communibus Ferrarensi, Mantuano, Paduano, Ariminensi; Archiepiscopo Ravennatensi; Capitaneis devotorum Ecclesiæ partis in Mutina; Capitaneis devotorum Ecclesiæ partis in Parma; Capitaneis devotorum Ecclesiæ partis in Bononia; Capitaneis devotorum Ecclesiæ partis in Regio.*

*Nobili Viro Malatestæ & Concordiæ uxori ejus Civibus Ariminens.*

De fervore sincerissimæ vestræ devotionis & fidei divina gratia inspirante provenisse dinoscitur, quod vos sicut vestra nobis petitione monstrastis, plura bona quæ ad vos, & etiam ad quondam .... patrem tuum, fili m. per rapinam & alios modos illicitos devenerunt, in sustentationem pauperum, & alios pios usus vultis cum integritate convertere, maxime cum eorum notitiam ad quos bona hujusmodi pertinent non possitis aliquatenus obtinere. Quare humiliter petebatis a nobis ut providere super hoc salubriter curaremus. Nos itaque hujusmodi vestram devotionem in Domino commendantes, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut postquam bona ipsa de Consilio Ven. Fr. nostri .... Episcopi Ariminensis in hujusmodi sustentationem pauperum & alios pios usus integre duxeritis convertenda, ad restitutionem aliam faciendam minime teneamini, sed exinde sitis penitus absoluti. Volumus tamen ut si eos aut aliquos eorum, quibus bona hujusmodi debeantur scire aut invenire potestis, eis de bonis sibi debitis satisfactionem plenariam tribuatis. Nulli ergo nostræ concessionis &c. Datum apud Urbemveterem VIII. Id. Novemb. Pontifi. nostri an. III. Ex eod. ep. 36.

*...... Episcopo Ariminensi.*

Significarunt nobis dilecti Filii .... Malatesta & Joannes ac Paulus filii ejus Cives Ariminen. quod licet nos eis pro sincera devotione quam gerunt ad Romanam Ecclesiam, volentes facere gratiam specialem tibi dederimus per nostras literas in mandatis, ut dictis Joanni & Paulo in quadam pecuniæ summa faceres a monasteriis & Ecclesiis Romaniolæ per te vel per alium provideri, ac a te, vel subdelegatis tuis viginti libræ de prædicta pecunia Ecclesiæ S. Salvatoris Dominici sepulchri Arimin. Diœcesis prædictæ Romaniolæ fuerint impositæ præfatis fratribus persolvendæ, quia tamen nos eandem Ecclesiam a solutione earum viginti librarum dicimur absolvisse, nondum eis de provisione hujusmodi est integre satisfactum. Quare ipsi humiliter petebant a nobis, ut providere super hoc de benignitate Apostolica curaremus. Quocirca mandamus, quatenus, si est ita, & Ecclesiam ipsam tibi constiterit per nostras literas a talibus absolutam, prædictas viginti libras eisdem Fratribus ab aliquibus aliis Monasteriis & Ecclesiis prædictæ Provinciæ Romaniolæ proportionaliter, sicut expedire videris juxta dictarum literarum tibi directarum continentiam facias exhiberi. Contradictores &c. Datum apud Urbemveterem VIII. Id. Novembr. Pontific. nostri an. III. Ex eod. ep. 56.

## CLEMENS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Potestati & Communi Ariminen.*

Quantum Deo pax placeat, quantum in vivis pacificis delectetur veritas, aperit Scripturarum testimonium perhibentium quod Rex novus nascens ex Virgine pacis, edictum proposuit Angelorum præconiis promulgatum, pacem reliquit discipulis moriturus, pacem resurgens a mortuis nuntiavit. Nos sane qui vices ejus in terris gerimus & ipsius nos cupimus voluntati quantum nostra fragilitas patitur conformare. Sicut de læsa inter vos charitate fuimus nec immerito conturbati, sic nuper rumoribus melioribus insonantibus vos ad mutuam rediisse concordiam magna Spiritus exultatione perfusi Deo gratias immensas exsolvimus, qui plebem suam tam salubriter voluit visitare. Quocirca vestram, dilecti filii, devotionem & fidem in Domino commendantes, hortandos vos duximus & rogandos quatenus omni ran- Ex lib. VII. Epist. Clem. nii P. IV. pag. 44.

core

gore deposito, sieque funditus extirpato, ne qua radix amaritudinis sursum germinans inter vos aliquando valeat innovare scissuram; scitis omnes unanimes & concordes, ut uno Spiritu in devotione Sanctæ Matris vestræ Romanæ Ecclesiæ inconcussa soliditate firmari valeatis ut expedit in pacis multitudine delectari. Sicque pacis Angeli vobis congaudeant, & nos qui vos sincere brachiis charitatis amplectimur in vobis sicut viris pacificis & pacis filiis delectabiliter gloriemur. Datum Perusii Nonis Octobris Pontificatus nostri Anno Primo.

C L E M E N S &c.

*Dilecto Filio Nobili Viro Taddæo Comiti Feltren. Potestati Arimin.*

Ex cod. pag. 10. Deo gratias agimus qui Civitatem Ariminensem sub tuo regimine reformavit pace reddita Civibus, quæ non solum in suum sed etiam in Provinciæ totius periculum vacillabat. Gaudemus, Filii, de tanto munere Salvatoris, & tuæ congaudemus industriæ, qui zelo fidei & ad nostram ac Romanæ Ecclesiæ devotionem accensus pacis consilia prudenter & fideliter iniisti, ut merito & in præsenti gaudium & in futuro præmium assequaris. Verum quia non minor est virtus quam quærere pacta tueri, nobilitatem tuam hortandam duximus & rogandam in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus ad initia tam grata Deo concordiam nutriendam omnemque materiam recidivi discriminis amputandam des opem, & operam efficacem, ut & in hoc tuo placeas Redemptori, & nos qui personam tuam ac domum sinceris brachiis charitatis amplectimur, ex hac causa diligere te propensius teneamur. Dat. Perusii VII. Kal. Novemb. Anno primo.

C L E M E N S &c.

*Dilecto filio Nobili viro Malatestæ Civi Arimin.*

Ex cod. pag. 16. Tuas nuper tribulationes audivimus & prout decuit compassi fuimus patienti; tuas postmodum consolationes audivimus in eis tecum pariter consolati dum ex fida religione didicimus te in civitate Arimin. a dilectis filiis, . . . . . Potestate & Civibus cum gaudio & honore receptum. Sicut igitur te ad pacem nuper facilem & tractabilem præbuisti, sic ad eam ex parte tua tenendam & in aliis nutriendam curam impendas pervigilem, nec injuriæ transactæ memineris, sed posteriorum oblitus, ad anteriora te conferas, & attendas non te tibi, sed multis generum privatis commodis debere publica anteferre. Nos vero, qui semper tuis profectibus congaudemus ad ea quæ tui sunt commodi vel honoris cum id hactenus actus tui meruerint promptam habemus per omnia voluntatem. Dat. Perusii VII. Kal. Novembr. anno primo.

C L E M E N S ec.

*Dil. Filio S. tit. S. Martini Presbyt. Cardinali, Marchiæ Anconitanæ & Ducatus Spoletani Rectori Apost. Sedis Legato.*

Ex cod. pag. 19. Quod Rex ille pacificus qui viros pacificos in speciales filios adoptavit pacis eisdem statuens testamentum Ariminen. Civitatem nuper misericorditer voluit visitare, reddita pace discolis unitate prius, deinde per dilectorum Filiorum virorum nobilium Taddæi Guidonis Guerre & G. de Salvat. Comitum literas insinuatione fideli recepimus magno perfusi gaudio magna consolatione refecti. Verum quia quantumlibet videantur extincta facile pullulant odia redivive, discretionem tuam hortandam duximus & rogandam, quatenus tam salubri concordiæ cunctis nostris fidelibus amplectendæ quæ pro data tibi a Deo prudentia & ab ejus vicario potestate videris necessaria adhibere non differas fulcimenta, cum specialiter inter cætera officio sacerdotis incumbat in fidelium cordibus ignem charitatis accensum subministratis lignis jugiter enutrire, quod prudenter implebis si personaliter ad locum accedens congratulationibus debitis, exhortationibus sedulis & cautelis idoneis, transactionibus solidis, & si tibi videbitur opportunum mutuis parentelis, sic pacem firmaveris inter partes, ut quantum potest fieri humani consilii providentia, nulla remaneat justa suspicio recidivi, & confidas in Domino, qui te, quod tuum est, exequente, quod suum est faciet, sine quo facere nihil potes. Dat. Perusii VII. Kal. Nov. An. primo.

C L E M E N S ec.

*Dilecto Filio nob. viro Malatestæ Civ. Arimin.*

Si propter malitiam temporis quam in brevi finiri speramus credis a novitatibus abstinendum, abstinere credimus esse bonum; si tamen inevitabile vides in dilatione periculum, scribimus Rectori Marchiæ, quod totum conferat super illo, & te ac tuos adjuvet, sicut & quantum viderit expedire. Dat. Viterbii II. Kal. Augusti, Anno IV. Ex cod. pag. 84.

C L E M E N S ec.

*Dilecto Fratri nostro . . . . . Veronen. Electo vel ejus Locumtenenti.*

Super iis quæ Dil. Filius vir nobilis Malatesta de Veruculo tibi per se vel per literas de statu Romaniolæ intimabit, benigne ipsum audias, & collatione habita cum eo in dando ei auxilio & consilio, sicut & quantum videris expedire sollicitudinem ad honorem Ecclesiæ habeas diligentem. Dat. Viterbii VIII. Id. Augusti Pontificatus nostri anno IV. Ibidem

C L E M E N S ec.

*Dil. filiis nob. viro Malatestæ de Verruculo & Comiti Matthæo de Montefiloro.*

Ad divinæ gloriam majestatis e cariss. in Christo Filio nostro C. illustri Rege Siciliæ literas in hac die prope nonam recepimus in hæc verba: Sanctiss. vos igitur tanquam Ecclesiæ devotissimos filios ad grates Altissimo referendas & congratulandum nobis & Romanæ Ecclesiæ nostræ ac vestræ sicut decet & expedit invitantes devotionem vestram monendam duximus & hortandam quatenus diligentius attendentes quo favore qua gratia sit tantus pugil fidei prosequendus tam nostri quam sui participes gaudii insolitæ devotionis constantia vos firmetis cum ex hoc cuncta vobis prospera sperare debeatis meritis, & eos qui rebelles esse voluerint ubique, dante Domino, concedentes, nisi quod cupimus errore veteri prorsus abjecto, matri suæ didicerint obedire. Dat. Viterbii VII. Kal. Septembris an. IV. Ex cod. pag. 85.

NICOLAUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Dilectis filiis . . Potestati, Consilio, & Communi Ariminen. Sal. &c.*

Levantes in circuitu oculos nostros ad singula, quæ nostris incumbunt humeris, ex debito commissi nobis officii tenemur in quantum patitur humana conditio aciem nostræ mentis extendere, sed circa conservationem jurium Romanæ Matris Ecclesiæ, cui licet immeriti præsidemus, intendere, ac ad filios nobis prærogativa specialitatis adjunctos præcordia nostra convertere nos præcingit cura sollicita, invitat affectus, & urget instantius debitum Apostolicæ servitutis, ut eadem jura refloreant, devotorum mentes quietis ubertate succrescant, devotione fœcundent, & in eis eadem Ecclesia delectetur. Profecto civitatem Ex lib. 1. Epist. Nicolai P. III. n. 253.

tatem vestram & nonnulla alia terras & loca partium Romaniolæ, quæ sub propriis & specialibus ad præsens non duximus exprimenda nominibus, cum generali vocabulo Romaniola hoc tempore nuncupantur, ac eorum incolas ipsi Ecclesiæ immediate subesse, ipsorumque dominium ad eamdem Ecclesiam pertinere longa Romanorum Imperatorum declaravit antiquitas, continuavit ipsorum prudentia Principum, & Carissimus in Christo filius noster R. Rex Romanorum illustris prædictorum Imperatorum super his acta recognoscens & recognoscendo confirmans, ea omnia ipsi Romanæ Ecclesiæ de novo concessit atque donavit, prout in nonnullis eorumdem Principum & Regis scriptis autenticis inde confectis plenius continetur. Et licet, sicut accepimus . . . . Cancellarius Regis ejusdem, seu quivis alius a vobis, & prædictarum terrarum ac locorum incolis certa juramenta sine dicti Regis, prout a nonnullis asseritur, conscientia, vel mandato, sibi ejusdem Regis nomine, vel ipsi Regi fecerit exhiberi; dictus tamen Rex quicquid contra prædictas declarationes, recognitiones, concessiones, atque dominationes, seu aliqua prædictorum per ipsum Regem, seu ejus nuntios, vel officiales suo mandato vel nomine, seu quemcumque alium, vel alias quocumque modo, quacumque via factum esset, vel promissum, sive juratum, revocavit, cassavit, annullavit, irritavit, & omnibus juribus vacuavit, volens expresse consentiens, quod tam circa possessionem, quam circa proprietatem per hoc nullum sibi jus in prædictis accresceret, vel in aliquo prædictorum ipsi Ecclesiæ deperiret. Concessit insuper atque consensit quod eadem Ecclesia per se ac alios accipiat nanciscatur intret, & apprehendat absque ulla ipsius Regis requisitione, auctoritate vel mandato, obtentis sive petitis, possessionem & quasi omnium prædictorum, & eorum quæ pertinent ad prædicta, promittens quod ipse per se, vel per alium, seu alios non impediet præfatam Ecclesiam in prædictis, sed eam in omnibus præfatis tam adipiscendis quam tenendis & habendis suo posse perpetuo adjuvabit; ac nihilominus per procuratorem suum plenum ad hoc exhibentem mandatum, prædicta omnia & singula in nostra, & fratrum nostrorom præsentia, & aliorum multitudine copiosa publice ac solemniter innovavit sicut apparet publicis & autenticis documentis. Digne igitur ad vos & alios partium earumdem nostros & ipsius Ecclesiæ filios speciales nostra studia convertentes, vos & ipsius Ecclesiæ jura favoribus conservare proponimus, fovere præsidiis, & a dispendiis præservare, ut vobis & aliis incolis prædictis in gremio recumbentibus Ecclesiæ memoratæ, dicta laretur Ecclesia, jura ipsa fructificent, devotio vestra concrescat, & exclusis animorum hæsitationibus, quibus languisse percipimus vos & incolas supradictos, vobis & illis optatæ tranquillitates adveniant, ac fugatis omnibus quæ nubilo præmissa contexerant, eadem jura & devotio perfecta reluceant claritate. Cupientes quoque, quod in hac parte nostris desideriis divina cooperante clementia satisfiat, dilectum filium Fr. Joannem de Viterbio Ordinis fratrum Prædicatorum latorem præsentium, de cujus fidelitate ac circumspectione confidimus ad vos duximus destinandum, devotionem vestram paternis monitis excitantes, ac vobis nihilominus per Apostolica scripta mandantes, quatenus informationibus dicti fratris, vestros animos in plena quiete spiritus applicantes, sic actus & sensus vestros ac aliorum earumdem partium, quantum in vobis extiterit, ad recognoscendum ejusdem Ecclesiæ dominium promtis spiritibus accingatis, quod ipsa vestræ promtitudinis exhibitio grata nobis auspicia de vestra devotione ministrat, vosque in pectore nostro filios devotionis ascribat, paternis benedictionibus confovendos, nec patiamini dissensibili varietate convinci, nam si, quod absit, contrarium sentiremus, compelleremur & merito per alias vias, quibus expedire viderimus, manum Apostolicæ provisionis extendere ad prosecutionem & conservationem jurium eorumdem, cum ad id ex incumbenti nobis officio teneamur. Dat. Viterbii X. Kal. Julii an. I.

## MARTINUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Dilecto Filio nobili Viro Malatestæ de Verruculo civi Ariminen. sal. & apost. bened.*

Devotionis tuæ literas gratanter accepimus & quæ continebant intelleximus diligenter tuam devotam sollicitudinem in Domino plurimum commendantes, quod dilectum Filium nobilem virum Joannem de Epa rectorem provinciæ Romaniolæ a Civibus Ariminen. fidelibus nostris procurasti honorifice recipi, ac eorum corda super impugnandis hostibus Ecclesiæ opportunis studiis direxisti. Cupientes igitur, ut turbatus status dictæ provinciæ reducatur ad statum prosperum & tranquillum, nobilitatem tuam rogamus & hortamur attente tibi per apostolica scripta mandantes quatenus præfato Rectori per te & tuos assistens viriliter eum salubribus dirigendo consiliis & opportunis favoribus prosequendo super impugnatione hostium prædictorum prout idem Rector ordinaverit apud ipsos Cives & quoscumque alios, sic prout cepisti, sollicite, & vigilanter assistas, & cuncta quæ utiliter agenda fuerint exequaris, quod hujusmodi negotio tuo & aliorum fidelium suffulto suffragiis annuente Domino feliciter procedente, tibi apud Deum divinæ retributionis præmium augeatur, & nos qui ex tuæ devotionis studiis præfatum negotium votivæ jucunditatis successibus speramus in Domino prosperari in tuis & tuorum profectibus nostram & Apostolicæ Sedis gratiam exinde uberius merearis. Dat. apud Urbem veterem VII. Id. Octob. Pontific. nostri anno primo.

Ex Lib. 2. Epistol. Martini P. IV. num. 70.

## M A R T I N U S ec.

*Dilecto Filio nob. viro Malatestæ &c.*

Et si ovis morbida ne alias inficiat excludenda est ab ovili, multo fortius, is, qui ab unitate Ecclesiæ segregatus, ne alios sua fœditate corrumpat est a consortio fidelium repellendus. Dudum siquidem prout intelleximus inter te & Guidonem de Montefiltro persecutorem Romanæ Ecclesiæ manifestum de tradenda quadam filia tua quæ nondum duos annos complevit nuptui uni ex ipsius Guidonis filiis quædam promissiones & pacta invicem intervenisse dicuntur super observatione ipsorum hinc inde præstitis juramentis: Et licet ad contrahendam hujusmodi parentelam pro habenda pace cum dicto Guidone qui tunc in devotione Ecclesiæ licet ficta existere videbatur forsan & certis causis duxeris aspirandum; quia tamen postmodum idem Guido per conceptum furorem suæ perfidiæ adversus S. R. E. matrem suam flatibus accendens pestiferis totam provinciam Romaniolæ pleno jure ad eamdem Ecclesiam pertinentem tyrannica rabie concitavit, honori tuo expedire non credimus nec saluti, ut tu qui inter alios fideles earumdem partium zelo sinceritatis & fide præcipuus reputaris, cum homine tam impio tam scelesto procedas ad consummationem hujusmodi parentelæ. Volentes igitur ex officio nostro super his tam tuæ saluti quam bono statui præfatæ Provinciæ paterna diligentia providere, tibi præsentium tenore sub pœna excommunicationis, quam, si mandatum nostrum in hac parte adimplere contempseris, ipso facto te incurrere volumus, & amissionis omnium gratiarum & libertatum quas a Romana habes Ecclesia, districte præcipiendo mandamus, quatenus eadem promissiones & pacta super parentela hujusmodi contrahenda sicut nostram & apostolicæ sedis caram habes gratiam, in aliquo non impleas nec observes, sed potius ea revoces & dissolvas, juramento si quod super illis observandis per te

Ex eod. n. 71.

vel

vel alium præstitisti aliquatenus non obstante. Nos enim te ab hujusmodi juramenti observatione apostolica auctoritate absolvimus, & te ad illud servandum perpetuo volumus non teneri. Dat. apud Urbem veterem VII. Id. Oct. Pont. nostri anno 1.

M A R T I N U S &c.

*Malatestæ. &c.*

Ex cod. n. 72. Si in literis nostris quas super quibusdam promissionibus inter te & Guidonem de Montefiltro occasione cujusdam parentelæ inter quamdam tuam filiam & ejus filium contrahendæ habitis tibi sub certa forma dirigimus, graves poenas dusimus inferendas tua devotio non turbetur, nam id ex causa fecimus videlicer ut exinde rationabiliori causa inductus devotius mandatis nostris obedias, & apud tuos æmulos reputeris propterea excusatus, Dat. III. Id. Oct. an. I.

M A R T I N U S &c.

*Malatestæ &c.*

Ex cod. n. 77. Transmissas nobis devotionis tuæ literas benigna affectione recepimus, & quæ continebant intellesimus diligenter, plenum sinceritatis affectum quem ad nos & Romanam habes Ecclesiam dignis in Domino laudibus commendames. Super eo vero quod in prosecutione instantis negotii Romaniolæ sic fructuose sic utiliter & vigilanter intendis, quod dilecti filii fideles nostri Commune Ariminen. tuis inductionibus excitati, contra hostes Ecclesiæ procedunt viriliter & constanter, prout dilectus filius Joannes de Epa rector ipsius Provinciæ nobis per suas literas efficaciter intimavit, plurimum tuam fructuosam sollicitudinem commendando votis nostris cumulus plenioris lætitiæ aggregatur, cum ex hoc reluctantium hostium obstinata superbia commodius conculcata præfatum negotium optatum desideriis nostris finem cum exultatione fidelium & tuæ laudis præconio in proximo, sicut speramus in Domino felicius sortietur. Quare constantiam tuam rogamus & hortamur in Domino tibi nihilominus per Apostolica scripta mandantes quatenus inceptis prosecutionis studiis perseverans sic præfato Rectori assistas, eumque dirigas & foveas consiliis & auxiliis opportunis, præfatis hostibus te viriliter opponendo, quod præfato negotio tuo cooperante studio laudabilium procedente nostra & Apost. Sedis benevolentia, quam exinde tuis profectibus vendicasti, augeatur magis ac magis in condigna vicissitudine specialis gratiæ ac honoris. Dat. apud Urbemveterem XVII. Kal. Novembris Pontific. nostri anno primo.

M A R T I N U S &c.

*Malatestæ &c.*

Ex cod. n. 87. Tuo, fili carissime, studio quod in promovendis Ecclesiæ Romanæ servitiis in ipsis partibus habuisti, & filiorum tuorum probitate auditis qui pridem in hostium hostili congressu nobili viro Joanni de Epa rectori provinciæ Romaniolæ, sic intrepide astiterunt quod personarum periculum & vicinam inimicorum prælantium multitudinem non paventes ipsum in necessitatis articulo constitutum nullatenus reliquerunt, sed potius eis pro Christi causa pugnantibus, ipso duce de inimicis palmam victoriæ reportarunt in Domino exultantes tuam & eorumdem filiorum constantiam dignis prosequimur actionibus gratiarum. Ideoque nobilitatem tuam rogamus & hortamur in Domino per Apostolica tibi scripta mandantes quatenus in nostra & Apostolicæ Sedis devotione concrescens sic laudandæ promptitudinis studia quæ sunt prosecutioni instantis negotii Romaniolæ, quod præ manibus agitur opportuna continuare favorabiliter studeas, quod apud nos tua devotio continuatis actibus semper crescat. Datum apud Urbemvet. V. Kal. Nov. Pontific. nostri an. primo.

M A R T I N U S &c.

*Potestati, Consilio & Communi Ariminen.*

Meminimus olim devotionem vestram ad præcordialis & præcipui negotii Romaniolæ, quod præ manibus agitur, prosecutionem continuam literis exhortationis Apostolicæ excitasse, ut tanquam devotionis filii nostris exhortationibus animosius excitati per gratæ & fructuosæ devotionis obsequia vos nostris desideriis coaptantes, rectori præfatæ provinciæ, in iis quæ honorem Ecclesiæ matris vestræ statum vestrum pacificum & aliorum fidelium nec non & repressionem rebellium respicerent obedire fideliter deberetis, quod sicut ejusdem rectoris accepimus literis, & probatæ fidei vestræ integritas exhibitione operum clarius manifestat, ad id vos & vestra liberaliter offerentes cepistis, executione laudabili adimplere, propter quod dignum merito reputamus vos apostolicis repleri benedictionibus, & potioris prærogativa honoris & gratiæ in charitatis visceribus confoveri, fidelitatem vestram exinde in Domino multipliciter commendantes. Quocirca universitatem vestram rogamus & hortamur, attente vobis per Apostolica scripta mandantes quatenus cum præfati negotii prosecutio adhuc vestris & aliorum fidelium viribus & favoribus roboranda, sic usque ad ipsius negotii consummationem felicem quam speramus in proximo studeatis captæ sollicitudinis studia circa prosecutionem eamdem continue exercere, quod hostium conculcata superbia celebre famæ vestræ præconium apud Deum & homines in sempiternis benedictionibus augeatur, & nihilominus Apostolicæ Sedis favor reddatur vobis promptior in condigna vicissitudine præmiorum. Dat. IV. Kal. Novemb. anno primo. Ex cod. n. 90.

M A R T I N U S &c.

*Dilectis filiis ...... Potestati Consilio & Communi Ariminen. &c.*

Attendentes fidei vestræ sinceritatem, quam in prosecutione negotii Romaniolæ contra hostes Ecclesiæ inconcussam habuistis hactenus, & habere vos credimus in futurum, cogimur quodammodo vehementius ammirari, quod sicut accepimus centum stipendiarios equites quos tenebatis in favorem prosecutionis ejusdem ac repressionem hostium prædictorum licentiasse dicimini, non advertentes quantum devotionis vestræ zelo & tepeditati hujusmodi derogetur si fervor, quem hactenus in expugnandis dictis hostibus indefessis animis habuistis, instanti tempore minuatur, quo vestris & aliorum Fidelium adauctis viribus deinceps opportunitate temporis succedente dil. filius nobilis vir ..... Rector Romaniolæ proponit, sic bellicosis studiis vexationi intendere hostium prædictorum ut eorum confractis cornibus & capitibus conquassatis cum honore nostro & exaltatione R. E. ac totius pace provinciæ, demum negotium finem laudabilem in brevi, tribuente Domino, cujus negotium agitur, sortiatur. Quare universitatem vestram rogamus & hortamur, & attente vobis nihilominus per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandantes quatenus provide attendentes quod in his vestrum & totius provinciæ negotium geritur vestrumque & aliorum Fidelium commodum procuratur, devotionis vestræ studia erga nos & eamdem Ecclesiam, sic de bono in melius in antea continuare curetis, quod tam super retinendis dictis militibus & pluribus conducendis sicut videritis opportunum quam etiam super tenendo & armando uno ligno in mari secundum quod eidem Ex cod. n. 130.

Rectori per literas ejus vos promisisse accepimus per effectum operis evidenter appareat vos in promptitudine liberali votis nostris annuere ac ea secundum spem nostram prout negotii qualitas exigit executioni celeri demandare. Ita quod exinde devotionem vestram dignis in Domino laudibus prosequentes reddamur vestris & terræ vestræ suo loco e tempore profectibus promptiores. Dat. IV. Id. Mar. Pontific. nostri an. I.

## MARTINUS &c.

*Malatesta &c.*

Ex cod. an. III. n. 38. Intellecto ex tuarum serie literarum, quod tu in Apostolicæ Sedis reverentia solita & devotione accensus assumptis tecum dilectis filiis militibus & populo Ariminen. nec non stipendiariis nostris apud Ariminum deputatis grata continuando servitia quæ semper hactenus dictæ Sedi laudabiliter impendisti......Cæsenates rebelles nostros vexationibus persequens & pressuris quas eorum rebellio & incauta temeritas meruerunt contra ipsos in eorum territorium & districtum potenter & viriliter accessisti damna ipsis in rebus eorum gravia inferendo ut dinoscerent sic vexati se in improvidam erexisse superbiam contra matrem, ac errorem deponerent sic attriti quibus se improvide involverunt, super quibus devotionis tuæ plenitudinem, quam laudabilium operum manifestat effectus, dignis laudibus commendamus, per quæ scias quod nos tibi constituisti in tuis profectibus & honoribus promptiores. Dat. apud Urbemveterem V. Id. Junii Pontific. nostri an. III.

## MARTINUS &c.

*Malatestæ &c.*

Ex cod. n. 99. Per tuas & dilecti filii nobilis viri Guidonis de Monteforti capitanei exercitus Romanæ Ecclesiæ in provincia Romaniolæ intellecto quod tu erga nos & eamdem Ecclesiam in solitæ devotionis constantia perseverans eidem Capitaneo adversus homines de Urbino hostes Ecclesiæ antiquatos cum hominibus de Arimino nostris & Ecclesiæ præfatæ fidelibus ferventer & gratanter assistis ope & opere fructuosis. Nos ex hoc tuæ devotionis studia in Domino commendantes, nobilitatem tuam rogandam duximus attentius & hortandam, tibi per Apostolica scripta mandantes quatenus circa vexationem & impugnationem prædictorum hostium tui tuorumque favoris præsidium sic vigorose continuare studeas eidem capitaneo favorabiliter & viriliter assistendo quod in brevi, Domino tribuente ipsorum rebellium conculcata superbia tibi & aliis devotis Ecclesiæ partium earumdem commodum & tranquillitas optata pacis proveniat, & nihilominus tua devotio exinde de bono in melius valeat commendari. Dat. apud Urbemveterem IV. Non. Octobris Pontific. nostri an. III.

## MARTINUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Universis hominibus Civitatis Sancti Leonis, nostris, & Romanæ Ecclesiæ fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem Spiritum Consilii Senioris.*

Ab olim iniquitatis filius pravitatis alumnus Guido de Montefeltro persecutor Ecclesiæ manifestus intentore malorum omnium instigante, inter vos, ac in partibus Romandiolæ, tantæ discordiæ virus evomuit, & rancoris materiam seminavit, ut ipsarum partium Incolæ personarum, & rerum multimodi pericula substinentes ad prosperitatis statum reduci studiis humanis non possent, nisi de promptuario pleno Divinæ Misericordiæ proveniret. Sed Omnipotens Deus ex alto corda nostra perspiciens, quæ diu erroris caligine involuta fraudibus, ac metu persecutoris Ecclesiæ per conceptum affectum, quem ad Romanam habeatis Ecclesiam ad effectum perducere non andebatt, in vobis ad ea, quæ recta sunt agere Spiritum salutaris Consilii, spiritum fortitudinis, & vigoris, sic misericorditer, & mirifice inspiravit, ut in illius virtute, qui in paucorum fidelium manibus concludit facile contumacem multitudinem superborum resumptæ devotionis vestræ ad vos, & Romanam Ecclesiam ministerio faventè præfati Persecutoris sequacibus, qui Civitatem vestram tamquam singularem, & inexpugnabile receptaculum vallarant congerie ipsorum in manu forti, exclusis vos, & eam ad votivam unitatem devotionem Ecclesiæ reduxistis, de quo circumspectionis vestræ prudentiam in Domino tanto præconiis dignarum laudum attollamus, quanto id nostris desideriis exquisitum pro nostro, ac aliorum fidelium ipsarum partium bono statu affectabamus desiderabilius pervenire: cum igitur in his tam devotionis gratia vestræ studia nulla oblivione delenda sic in nostris, & matris vestræ Ecclesiæ visceribus tenaciter sunt impressa, ut quæcumque vestrum, & vestræ Civitatis honorem, & prosperum statum respiciant intendimus ad requisitionem vestram efficaciter, & favorabiliter promovere. Universitatem vestram rogamus in Domino, & hortamur, vobis per Apostolica scripta mandantes quatenus in nostra & Apostolicæ Sedis benevolentia firmam spem, & fiduciam obtinentes sic devotionis conceptæ studia per effectum operis aucta ipsius Civitatis perseverantiam in votis Apostolicis de bono in melius solidandam indefessis animis continuare curetis: ad id nostrum, & Apostolicæ Sedis subsidium, sicut fuerit opportunum cum obtinendi fiducia requirentes quod vos ex hoc in vobis potiora gaudia assequentes, nostris, & dicti loci profectibus reddamur in gratiarum munificentia promptiores, & ut efficacius advertatis, quia specialiter nobis cordi negotium insistat memoratum ævo dilectum filium Nobilem virum Hermannum Civem Urbevetanum latorem præsentium, de cujus fide, ac probitate confidimus; propterea ad vos duximus destinandum per quem de intentione nostra reddi poteritis certiores. Nec vestra miretur devotio, si præsentibus benedictionem non omittimus consuetam, cum nondum nobis constiterit vos a processibus, & sententiis in dictum persecutorem, ac ejus complices, ac loca, & adhærentia auctoritate Apostolica promulgatis absolutionis beneficium obtinere. Datum apud Montem Flasconem VI. Kal. Augusti Anno Secundo.

## MARTINUS &c.

*Eisdem.*

Ex parte dilectorum filiorum Guelforum civit. Ex cod.
Urbini nostrorum, & R. F. fidelium fuit nobis ex- n. 120.
positum quod cum Guido de Montefiltro R. E. persecutor manifestus, ac Guibellini ejusdem civitatis adhærentes eidem civitatem ipsam magno tempore detinuerint, & detineant occupatam, ibique rebelles nostri continue se receptent, propter quod in officiales & majores ipsius civitatis excommunicationum, in ipsam vero civitatem interdicti sententiæ auctoritate apostolica fuerunt pluries promulgatæ quas longo tempore sustinuerunt & adhuc sustinent animo indurato, iidem Guelfi humiliter supplicarunt ut eis qui propter fidelitatem qua tenentur nobis & Ecclesiæ ab ipsis infidelibus recedentes se in castro Saxi Corbarii receptarunt & illud non sine laboribus & expensis retinent ad impugnandam civitatem & rebelles prædictos, a vobis ac fidelibus circumpositis faceremus de opportuni favoris præsidio provideri. Nos igitur ipsos, qui pro fidelitate servanda ab eisdem Guibellinis multipliciter molestantur dignos favo-

vore apostolico reputantes, universitatem vestram rogamus monemus & hortamur attente per apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes quatenus nullum eisdem persecutoribus favorem vel præsidium exhibentes eis ministrare victualia vel habere cum ipsis aliquod commercium seu participium nullatenus præsumatis, sed potius præfatis Guelfis ad retinendum prædictum castrum & alias prout fuerit opportunum ad requisitionem eorum præstetis auxilium consilium & favorem, ita quod vestris muniti præsidiis in ipso castro tute remanere valeant, ac ipsos rebelles ferventius impugnare. Dat. apud Urbemveterem Kal. Apr. Pontific. nostri an. III.

## MARTINUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Dilectis filiis Consulibus, Consilio, & Communi Civitatis S. Leonis Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Nuper ad nostrum pervenit auditum, quod Potestas Montisferetri sine nostra connivencia, immo potius præter nostrum beneplacitum, diebus illis præteritis aliquos ex vobis sæpe propria temeritate præsumpsit, de quo tanto turbamus amarius, quanto dulcius gentem nostram diligimus, & vos inter alios Romanæ Ecclesiæ devotos, & filios oculo benignori respicimus, vestrosque successus prosperos affectamus, & ut apertius paternum, quo vos prosequimur sentiatis affectum, Dilecto filio Rectori Romandiolæ per alias nostras literas scribimus, ut absque difficultate qualiber captivos hujusmodi restitui faciat libertati. Vos autem sicut viri prudentes, & providi quietis ubertatem, & gratiam amplexantes, mentes vestras, fugatis quibuslibet hæsitationibus servetis ita, quod in gremio Sedis Apostolicæ recumbentes, grate devotionis successibus de bono in melius vigeatis, nam potestis secure confidere, quod pro his, quæ prosperitatem vestram respiciant sollicite vigilamus, & ecce dilectum filium Magistrum Christophorum Priorem de Salciau, Cappellanum nostrum latorem præsentium ad vos duximus destinandum, per quem de intentione nostra circa præmissa poteritis plenius informari. Datum apud Castrum Plebis Idibus Julii Anno Quarto.

## MARTINUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Venerabili Fratri B. Episcopo Portuen. Apostolicæ Sedis Legato salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Sicut nuper ex insinuatione dilecti filii G. Rectoris Provinciæ Romandiolæ, ac Massæ Trabariæ, & aliorum quamplurium fide dignorum relatione accepimus, nonnulla Castra in eisdem Provinciis, & maxime in Monte feretro constituta, de quorum rebellione præsumitur, vel potius dubitatur. Verum quia hujusmodi Castra quæ sint penitus ignoramus, tuque locorum, & terrarum commissæ tibi Legationis, & conditionem, earum præsertim partium prædictarum habere possis, & debeas notitiam pleniorem, tibi auctoritate mandamus quatenus ne ex prædictis Castris, vel aliquibus ex eis in dictis Provinciis, & terris possit aliquod scandalum, seu turbatio provenire, sic maturam adhibeas diligentiam, & cautelam, quod ex defectu aliquo, vel neglectu non possit sinistrum aliquod evenire, sed potius expertæ tuæ sollicitudinis studium de bono in melius valeat commendari. Datum Perusii Idibus Januarii Pontificatus nostri anno IV.



## NICOLAUS EPISCOPUS

*Servus servorum Dei. Venerabilibus Fratribus.... Ravennat. Archiepiscopo ejusque suffraganeis ac... Ferrarien.... Ariminien..... Sancti Leonis &... Urbinat. & cæteris aliis Episcopis in Anconitana Marchia, Massa Trabaria & Romaniola, nec non dilectis filiis Electis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, Capitulis, Collegiis, & Conventibus Cistercien. Cluniacen. Præmonstraten. S. Benedicti, S. Augustini, Cartusien. Grandimonten. & aliorum Ordinum, nec non Prioribus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitan. Domorum Militiæ Templi, & Beatæ Mariæ Theotonicorum præceptoribus & Magistris, cæterisque omnibus personis Ecclesiasticis regularibus secularibus ex exemptis tam in Archiepiscopatu & provincia Ravennat. quam in ipsius Anconitana Marchia, Massa Trabaria nec non Ferrarien. Ariminen. S. Leonis, & Urbinat. Civitatibus & Diœcesibus ac in Pomposian. & Galliatæ, Monasteriis S. Mariæ de Balneo & S. Agathæ plebibus ac eorum & etiam Monasterii Farfen. terris, in eadem Marchia & Romaniola partibus constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.* Ex lib. I Ep. ſt Nicolai P. IV. n. 310.

Divulgantis ab olim famæ relatibus jam ad totius fere orbis notitiam creditur pervenisse qualiter lapis ille offensionis & petra scandali, quin immo iniquitatis filius, nequitiæque minister quondam Petrus olim Rex Aragonum velut in contemptum dampnabili temeritate deducto, quod ratione Regni Aragoniæ Romanæ Ecclesiæ a claræ memoriæ Avo ipsius Petri oblati & censualis tam ab illo, quam ab aliis ejus prædecessoribus constituti ad fidelitatis debitum ad quod idem Avus, sicut & suos cæteros in Regno successores eodem oblationis hujus tempore obligarat ipsi Ecclesiæ tenebatur de procedendo in Affricam prætento colore, concinnatis dolis & insidiis machinatis contra eamdem Ecclesiam, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ tunc viventem, nulla diffidatione præmissa, quod perditionis non caret nota, procedens post infandas crudelitates rebellium Siculorum, Insulam Siciliæ terram utique peculiarem ipsius Ecclesiæ licet jam memorato Siciliæ Regi rebellem adhuc tamen ejusdem Ecclesiæ recognoscentem dominium, & nomen publice invocantem, militum & peditum caterva stipatus, invadere ac occupare præsumpsit, turbationem gravem & seditionem nefariam contra eandem Ecclesiam inibi concitando prout in Apostolicæ Sedis processibus super hoc habitis plenius continetur. Demum, jam dicto Petro sublato de medio suisque scelestis actibus fine dato, Jacobus ipsius Petri filius erroris paterni prosequens invium, propria & Siculorum ductus insania non sine divinæ majestatis offensa & Apostolicæ Sedis ac heredum claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ præjudicio, injuria & contemptu, coronari, vel verius execrari se fecit in Regem Regni Siciliæ, soliumque Regale inverecunde conscendere attemptavit, se Regem Siciliæ in suis litteris nominando. Quare felicis recordationis Honorius Papa prædecessor noster ejusdem Jacobi præsumptionem tam temerariam & superbam non indigne detestans, ac ipsum declarans & denuntians excommunicationis vinculo innodatum, de fratrum suorum consilio de quorum numero tunc eramus, cassavit & irritavit vel potius cassum & irritum nuntiavit quicquid circa præfatum Jacobum fuerat per unctionem, immo verius execrationem & coronationem hujusmodi, quas recipere de facto non metuit, & quas utique constat nullas esse præsumptum. Nos autem, postquam disponente Domino, assumpti fuimus ad apicem Apostolicæ dignitatis, intendentes benignius experiri, utrum ali-

qua devotionis scintilla in eodem Jacobo remansisset, ac processus per Sedem Apostolicam hactenus habitos contra eum in suis roboris firmitate manere volentes, præfatum Jacobum & etiam Siculos monere curavimus, ut ipsi sibi salubriter consulentes ad nostra & Ecclesiæ Romanæ mandata redirent, & super commissis ab eis contra Ecclesiam prædictam excessibus & offensis nostris & ipsius Ecclesiæ beneplacitis humiliter & efficaciter parerent. Alioquin contra eos prout contumacia ipsorum exigeret & videremur expediens, spiritualiter & temporaliter procedere curaremus. At ipsi, animis in contumacia obfirmatis, & Apostolicæ Sedis monitione contempta, redire ad nostra & ipsius mandata Ecclesiæ non curarunt, quin immo contra nos & eamdem Ecclesiam, ac etiam carissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem suos conatus nefarios procurat multipliciter exercere, prout famæ clamor enontiat & facti evidentia manifestat. Cum autem ad propulsandam tantæ præsumptionis, tamquam infesti persecutoris instantiam, sicut expedit, intendamus, ac præfatus Rex Carolus a nobis nuper in Regem Siciliæ coronatus hujusmodi negotium duxerit assumendum; nos volentes ipsum ut efficacius, favente Domino, prosequi valeat, quod incepit, opportunis auxiliis adjuvare sibi pro ejusdem prosecutione negotii ac etiam pro necessitatibus eisdem Regi & Regno Siciliæ imminentibus decimam omnium Ecclesiasticorum redditicum in eodem Regno Siciliæ Beneventana Civitate ac Diœcesi non exclusis per tres annos ab instanti festo nativitatis Beati Joannis Baptistæ numerandos de fratrum nostrorum consilio duximus concedendam. Universitatem itaque vestram attente monemus affectuose rogamus & obsecramus in Domino Jesu Christo, vobis nihilominus per Apostolica scripta mandantes ac in remissionem peccaminum injungentes, quatenus magnam & instantem necessitatem negotii memorati, quam multam prout ex ipsa potestis evidentia facti cognoscere accelerationem promotionis exposcit, ac etiam non modicam indigentiam Regis ejusdem sedula consideratione pensantes & attendentes sollicite quod eidem regi absque nostrarum precum instantia, cum vestrum agi noscatur in hac parte negotium, debetis pro facultatum vestrarum viribus subvenire. Compatientes quoque ab intimis doloribus afflictionibus injuriis gravaminibus & jacturis memoratæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ ob divinam & ejusdem Sedis ac nostram reverentiam vestrorum omnium Ecclesiasticorum redditunm proventuum & obventionum decimam ut præmittitur per hujusmodi triennium ven. Fratri nostro Petro Episcopo Vicentino, quem ad vos & partes vestras pro hujus collectione decimæ destinamus aut illi vel illis, quem vel quos ipse deputaverit ad collectionis hujus ministerium exequendum in præfigendis vobis terminis liberaliter persolvatis, alioquin ipsi Episcopo vos ad id & contradictores quoslibet auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam compescendi plenam per alias nostras sub certa forma literas concedimus potestatem. Nos enim sententias sive pœnas spirituales, quas ipse propter hoc rite tulerit in rebelles ratas habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstante si vobis vestrum aliquibus ab eadem Sede indultum existat quod interdici suspendi vel excommunicari non possitis per literas Apostolicas quæ de indulto hujusmodi ac tota ejus continentia de verbo ad verbum & de propriis locorum & personarum nominibus plenam & expressam non fecerint mentionem sive quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis vel literis quibuscumque dignitatibus, ordinibus, locis vel personis generaliter aut specialiter sub quacumque forma vel conceptione verborum ab eadem Sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris literis specialis plena & expressa mentio sit habenda. Cæterum Clericos illos ad præstationem ipsius decimæ teneri nolumus quorum Ecclesiastici redditus & proventus summam septem librarum Turonen. parvorum annis singulis non excedunt. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem VI. Kal. Decem. an. II.

## NICOLAUS EPISCOPUS &c.

*Ven. Fratri nostro..... Episcopo Ariminensi &c.*

Clamore valido revelante didicimus, quod Gerardus Prior monasterii Camaldulensis per priorem soliti gubernari Aretin. Diœc. suis finibus non contentus, quinimmo extendens temere ad illicita manus suas S. Petri ad Vincula & S. Sepulchri S. Benedicti & Camaldulen. Ordinum Mon. Ravennat. & Civit. Castelli diœc. & quædam alia loca Sedi Apostolicæ immediate subjecta occupare sibique subiicere non veretur in ipsius sedis injuriam præjudicium & contemptum, aliasque gravia & enormia contra Romanam Ecclesiam, & alias temerariis ausibus commisisse dicitur, & committere non desistit, qui Deum offendunt, saluti famæque suæ non modicum derogant & fidelium animos quamplurimum scandalizant. Cum itaque tam graves & enormes ejusdem prioris excessus tantæque præsumptionis audaciam nolumus sicuti nec debemus conniventibus oculis pertransire, ne quod absit, hæc virga debitæ disciplinæ neglecta gravios & periculosios invalescat, Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus sublato more dispositio super præmissis per te vel per alium seu alios summarie de plano & sine strepitu ac figura judicii auctoritate nostra inquirere studeas diligenter. Et si forte præfatum Priorem per inquisitionem hujusmodi fuisse vel esse in hac parte culpabilem contigerit inveniri, eum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra unum mensem post citationem tuam immediate sequentem compareat personaliter coram nobis pro meritis recepturus; diem vero citationis & formam & quicquid fieri contigerit in hac parte nobis per tuas literas harum seriem continentes fideliter studeas intimare. Datum Reate nonis Sept. anno secundo. Ex cod. n. 482.

## BONIFACIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Electis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, Capitulis, Collegiis, & Conventibus Cistercienlium, Cluniacensium, Præmonstratensium S. Benedicti, S. Augustini, Cartusiensium, Grandimontensium, & aliorum Ordinum, nec non Domorum B. Mariæ Theutonicorum Prioribus, Præceptoribus, sive Magistris, cæterisque omnibus personis Ecclesiasticis, Secularibus, & Regularibus exemptis, & non exemptis in Mediolanensi, Jenuensi, & Ravennatensi Archiepiscopatibus, ac Ariminensi, Papiensi, Placentina, & Feretrana Civitatibus, & Diœcesibus, ac Provinciis, vel intra eorum finibus constitutis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Foret enarrare superfluum quanta, & quam gravia, quamque ignominiosa injurias, perturbationes, offensas, rerum damna, personarumque pericula, & expensarum onera Sacrosancta Romana Ecclesia cunctorum mater Fidelium, & magistra, & Claræ memoriæ Carolus Rex Siciliæ, & carissimus in Christo filius noster C. natus ejus ipsius Siciliæ Rex illustris per invasionem, & occupationem Insulæ Siciliæ peculiaris terræ ipsius Ecclesiæ per quondam Petrum, olim Regem Aragonum damnabili temeritate præsumtam, & per Jacobum, & Frede- Ex Lib. I. Epist. Bonif. P. VIII. n. 497.

ricum

cum ipsius Petri filios damnatis continuatam ausibus pertulerunt, cum hæc jam potuerint diuturnitate temporis in apertam pervenisse notitiam singulorum. Verum etsi post oostræ promotionis auspicia super concordia & pace inter Ecclesiam, & Regem, ac Jacobum supradictos, & etiam Fredericum fratrem ipsius Jacobi reformanda, tractatus fervens, ac sedulus, non sine multis personæ nostræ vigiliis cogitationibus, laboribus, sudoribus, & sollicitudinibus habitus, & per gratiam Salvatoris scripturis, promissionibus, pœnis, juramentis, & obligationibus firmatus, ac vallatus existat, ex quo votiva quies Ecclesiæ, accelerata terræ Sanctæ subventio, grata Christianitati tranquillitas, bonaque innumera poblica sperantur firmiter proventura, tamen propter præterita, graviaque dictorum Ecclesiæ, & Regis onera relevanda, & alia etiam, quæ necessaria facienda, & exequenda supersunt, ut tractatus tam arduus, tam solemnis plenum, & efficax, prout Mundi status exigit, suscipiat complementum magnum, immo permaximum, si solerter attenditur, pecuniarum subsidium noscitur oportunum. Sicque nos sollicita meditatione pensantes insufficientiam, & impossibilitatem quodammodo dicti Regis, considerantes etiam onera plurima, & non facile numeranda, quæ Regem ipsum, pro hujus consummando negotio subire in antea oportebit, decimam omnium Ecclesiasticorum redditnom, & proventuum in totius Italiæ partibus, Civitate Romana, nec non & Civitatibus, cum Diœcesibus earum, quibus præesse Cardinalis Episcopus consuevit exceptis, & in nonnullis aliis Provinciis, atque locis per tres annos a festo Nativitatis B. Joannis Baptistæ proximo præterito numerandos de Fratrum nostrorum consilio ipsi Regi duximus concedendam. Quocirca universitatem vestram attente monemus, affectuose rogamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, dantes vobis nihilominus in mandatis, ac in remissionem peccatorum injungentes, quatenus vos magnam, & instantem negotii memorati necessitatem, quæ multam accelerationem promotionis exposcit, ac etiam non modicam indigentiam Regis ejusdem diligentius attendentes, & compatientes, ab intimis laboribus, dispendiis, & jacturis memoratæ Ecclesiæ Matris vestræ ob Divinam, & Apostolicæ Sedis, ac nostram reverentiam omnium vestrorum Ecclesiasticorum redituum, proventuom, & obventionum decimam, ut præmittitur per hujus triennium dilecto Filio Joanni Electo Parmensi, quem ad vos & partes vestras pro hujusmodi collectione decimæ destinamus, aut illi vel illis, quos ipse deputaverit ad collectionis hujus ministerium exequendum in præfigendis vobis terminis liberaliter persolvatis. Alioqui ipsi Electores ad id, & contradictores quoslibet auctoritate Apostolica per censuram Ecclesiasticam compescendi plenam per alias nostras literas sub certa forma concedimus potestatem. Nos enim sententias, sive pœnas spirituales quas ipse propter hoc rite tulerit in Rebelles, ratas habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstante si vobis, vel vestrum aliquibus ab eadem sede indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possitis per litteras Apostolicas, quæ de indulto hujusmodi, ac tota ejus continentia de verbo ad verbum, & de propriis locorum, & personarum nominibus plenam, & expressam non fecerunt mentionem, sive quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis, vel literis quibuscumque, dignitatibus, ordinibus, locis, vel persoois generaliter aut specialiter sub quacumque forma, vel conceptione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumve totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis, plena, & expressa mentio sit habenda. Cæterum Clericos illos ad præstationem ipsius Decimæ teneri nolumus, quorum Ecclesiastici redditus, & proventus summam septem librarum Turonensium parvorum annis singulis non excedant.

Datum Romæ apud S. Petrum 5. Kal. Novembris Anno primo.

*In eundem modum dilecto Filio Joanni electo Parmensi Collectori Decimæ in Mediolanensi, Januensi, & Ravennatensi Archiepiscopatibus, atque Provinciis, nec non in Ariminensi, Papiensi, Placentina, & Feretiana Civitatibus, & Diœcesibus, cæterisque locis infra eorum fines constitutis pro negotio Regni Siciliæ deputatis.*

## BONIFACIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Dilecto Filio Nobili Viro Malatestæ de Verrucolo.*

Cum Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Papiensem pro quibusdam Ecclesiæ Romanæ negotiis statum Provinciæ Romaniolæ, ac regionis circumpositæ contingentibus destinemus, nostræque intentionis existat ea quæ sint tranquillitatis, & pacis ipsarum Provinciæ, ac regionis, in quibus procurante inimico humani generis solito superseminare zizaniam, guerrarum turbines, & gravia scandala sunt exorta sollicitis studiis promovere, ac ut celerius, & efficacius ad hæc procedere valeamus, tua & diversorum nobilium, & aliarum personarum partium earundem sit nobis præsentia opportuna, nobilitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus infra Kalendas Martii proxime futuras compareas personaliter coram nobis, ut te, ac aliis nobilibus personis hujusmodi, in Curia nostra præsentibus nos per te ac illos de prædictarum partium conditionibus informati, tractare, ordinare, disponere, ac providere possimus, ea quæ ad vestrum, & aliorum ipsarum partium bonum statum tranquillitatem, & pacem viderimus expedire. Ex Lib 2. num. 667.

Datum Romæ apud S. Petrum 7. Kal. Februarii Anno Secundo.

*In eundem modum Guidoni Co. de Monteseletro, Galasso, & Corrado Comitibus de Monteseletro Raynerio de Calbulo, & Maynardo de Gusignano, Cons. & Com. Arimin. Ravennat. Cesenat. Foroliviens. Foropopulien. Cervien. Faventin. Imolen. S. Leonis.*

## BONIFACIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Episcopo Mimatensi Marchæ Anconitanæ, ac Romaniolæ Rectori.*

Inducti non modica precum instantia Dilecti Filii Nobilis viri Guidonis Comitis Montisfeltri, tunc apud Sedem Apostolicam constituti, nosque Patris more benivoli ad exercenda misericordiæ opera gerentes in pectore piæ promptitudinem voluntatis, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Galassinum natum quondam Cignacte de Arimino sub tua carcerali custodia constitutum, cujuslibet obice difficultatis amoto Comiti prælibato restituas, cum ab ipso super hoc fueris requisitus, nobis enim firmiter Comes ipse promisit oraculo vivæ vocis, quod eundem Galassinum nobis absque mora restituet sive reddet quemcumque nostræ super hoc tibi voluntatis beneplacitum innotescet. Ex Regest. Bol p. 15. n. 59.

Datum Romæ apud S. Petrum 12. Kal. Aprilis anno secundo.

## BONIFACIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Guardiano, & Fratribus Ord. Minorum de Arimino.*

More pii Patris, quem non prætereunt incommoda filiorum, pietatis, & Misericordiæ opera libenter complectimur, & ea circa Romanæ Ecclesiæ Ex Lib. 11. Epist. an. 111. n. 313.

clesiæ subditos efficacibus studiis exercemus. Nuper siquidem nobis ex parte Dilectorum Filiorum Communis Ariminensis, & Nob. viri Malatella de Veruculo nostrorum, & Ecclesiæ prædictæ fidelium humiliter extitit supplicatum, ut eis Galassinum natum quondam Cignacle de Pereitatibus, quem Dilectus Filius Maximus de Piperno miles Rector Provinciæ Romaniolæ vobis assignare curavit sub vestra custodia retinendum, exhiberi, seu dari de Apostolicæ benignitatis clementia mandaremus, ut ejus restitutionem factam Galasso de Montefeltro, & aliis amicis ipsius recuperare, seu rehabere valeant Albergertinum Francisci de Manfredis de Faventia filium, & nobilis supradicti nepotem datum pridem in obsidem tempore, quo venerabilis frater P. Montis Regalis Archiepiscopus ejusdem Provinciæ regimen exercebat. Nos autem qui circa vassallos, & fideles Ecclesiæ supradictæ pium gerimus animum, & ipsorum quietum statum, & prosperum benivolis studiis procuramus, tædiosis molestiis, & afflictionibus captivorum paterno compatientes affectu, volentes quoque...... & nobilis eorundem benigne annuere precibus in hac parte discretioni vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus quatenus præfato Albergertino ipsius nepote nobilis liberato, & etiam restituto eidem prædictum Galassinum sub vestra custodia constitutum abire libere permittatis. Sic vos in hoc solerter & provide habituri quod exinde possitis a nobis non immerito commendari.

Datum apud Urbemveterem 2. Nonas Augusti anno tertio.

## BONIFACIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Ex Reg. Anni III. Bonifacii PP. VIII. Tom. II. Ep. 466.

Cum Dilectis Filiis Fratribus Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, quod felicis recordationis Innocentius Papa tertius Prædecessor noster prope Basilicam Principis Apostolorum Ecclesiæ Romanæ sumptibus, ad receptionem Infirmorum & Pauperum in strata publica construi fecit piæ memoriæ Alexander Papa quartus duxerit indulgendum, ut semel recipiantur in Ecclesiis ad eleemosinas colligendas, quidam vestrum avaritiæ ardore succensi, confratrias suas confratriis illorum eadem die in ipsorum adventu proponunt, & sic Fratres ipsi confusi aut nihil exinde, aut modicum consequuntur. Quia igitur hoc indecens est, & in contemptum Dei, & Ecclesiæ Romanæ redundat ad instar ejusdem Prædecessoris Alexandri Universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus cum Fratres ipsi ad Loca vestra pro eleemosinis accesserint colligendis benigne recipientes, & honeste tractantes eosdem ipsos in Ecclesiis vestris admonere Populum, & eleemosinas libere quærere permittatis, confratrias vestras, quas facere potestis quotidie, confratriis illorum, quæ semel in anno fiunt nullatenus præponentes, ne occasione illarum eleemosinæ Pauperum Christi depereant, & impediantur opera pietatis. Sane cum ab eodem Prædecessore Alexandro statutum extitit, ut nemo excommunicet Fratres ipsos, vel ipsorum Oratoria interdicat sine mandato Sedis Apostolicæ speciali, ad exemplar ejusdem Prædecessoris Alexandri præsentium vobis auctoritate præcipimus, ut ipsos excommunicare, aut eorum Ecclesias interdicere nullatenus præsumatis. De Parochianis autem Vestris, qui Domos illorum invadunt per violentiam, vel infringunt, aut indebitis molestiis opprimunt Fratres ipsos, & tam deposita, quam res diripiunt eorundem, cum exinde querimoniam deposuerint coram Nobis tam distinctam, eis justitiam faciatis, ac ita jura eorum defendere, ac manutenere curetis, quod ipsi ad nos pro defectu justitiæ sæpe recurrere non cogamur, sed nos sollicitudinem, & obedientiam vestram debeamus merito commendare, vosque beneficiorum, quæ in sancta illa Domo fiunt participes. Propterea liberas, & absolutas Personas, quæ se domui eorum in sanitate, vel infirmitate reddiderint, libere, ac sine molestia recipi permittatis ab eis, nec ipsas tentetis super hoc aliquatenus impedire. Illud autem non mediocriter movet nos, nec modicum derogat Ecclesiasticæ honestati, quod quidam vestrum contra constitutionem Sanctorum Patrum in Turonen. Concilio editam Fratrum ipsorum Corpora cum decedunt nolunt sine pretio sepelire. Verum quia tam prava exactio, & iniqua non est aliquatenus toleranda, in obedientiæ vobis virtutem præcipimus, ut nullo modo a Fratribus ipsis, vel aliis pro sepultura quicquam exigere, aut accipere, nisi quod spontanea decedentium liberalitas, vel Parentum devotio vobis contulerit attemptetis, sed absque ullo pretio sepeliatis Corpora Mortuorum, & si quis hoc ulterius attemptaverit, taliter animadvertatis in eum, quod amplius similia non præsumat. Ad hæc præsentium vobis auctoritate præcipimus ne ab eis contra tenorem privilegiorum Apostolicæ Sedis de nutrimentis Animalium suorum, sive de ipsis Animalibus Decimas exigere præsumatis. Cum autem Oratoria dedicare, ac Cimiteria benedicere procuretis, nec aliquis vestrum contra tenorem privilegiorum ipsorum id impedire valeat aliquatenus, vel turbare. De cætero quoque Fratres Hospitalis ipsius in vestris Episcopatibus constitutos, qui Crucem, & suum habitum deponentes per illecebras sæculi, & vitiorum abrupta vagantur, & illos etiam, qui Prioribus suis contumaces, & rebelles existunt, & ballivas detinent contra voluntatem ipsorum, moneatis instanter, & pro officii nostri debito compellatis, ut habitum depositum resumentes in obedientia Prælatorum suorum devote, ac humiliter perseverent, & ballivas, sive alia officia per violentiam nullo modo detinere præsumant. Quicunque autem mandatorum vestrorum extiterint contemptores, eos excommunicationis sententia percellatis, quam faciatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Præterea quicumque de facultatibus sibi a Deo collatis Fratribus subvenerint supradictis, & in tam sancta Fraternitate statuerint se Collegas, eisque beneficia persolverint annuatim, eis de Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, septimam partem injunctæ pœnitentiæ relaxamus. Apostolica quoque auctoritate ob reverentiam ipsius Hospitalis statuimus, ut in hiis, qui eorum fraternitatem assumpserint, si forsan Ecclesiæ ad quas pertinent a Divinis fuerint obsequiis interdictæ, ipsosque mori contigerit, nisi excommunicati, vel nominatim interdicti fuerint, aut etiam publici usurarii, sepultura Ecclesiastica non negetur. Volumus autem, ut liceat eis Confratres suos, quos Ecclesiarum Prælati apud Ecclesias suas malitiose non permiserint sepeliri, nisi excommunicati, vel nominatim interdicti fuerint, aut etiam publice usurarii, tumulandos deferre ad Ecclesias Hospitalis ejusdem, & oblationes tam pro eis, quam pro aliis, qui in ipsorum Cimiteriis requiescunt exhibitas sine alieni juris præjudicio retinere, hoc etiam addito, ut receptores fraternitatis ejusdem, seu etiam collectarum salvo jure Dominorum suorum sub Beati Petri, & nostra protectione consistant. Adjicimus insuper, ut si qui eorundem Fratrum, qui ad easdem Fraternitates missi fuerint, vel collectas in quamlibet Civitatem, Castellum, vel Vicum advenerint, si forte locus ille fuerit a Divinis Officiis interdictus in eorum jocundo adventu semel aperiantur Ecclesiæ annuatim, & excommunicatis, & nominatim interdictis ejectis Divina ibi officia celebrentur salva in omnibus supradictis declaratione Concilii Generalis. Ad majorem quoque vestræ mercedis cumulum nihilominus vobis mandando præ-

cipi-

cipimus, quod hanc constitutionem nostram per Parochias vestras denuntiari propriis literis faciatis. Mandamus etiam, ut si qui de Clericis Ecclesiarum vestrarum Hospitalis Fratribus cum licentia Prælati, & Capituli sui sponte, ac gratis per annum, vel biennium decreverint deservire, nequaquam impediantur, & interim sua beneficia non amittant. Datum apud Urbem veterem Idibus Octobris Pontificatus nostri Anno tertio.

## BONIFACIUS EPISCOPUS

*Dilectis Filiis universis Christi fidelibus in Urbe Romana manentibus salutem & Apostolicam benedictionem.*

Ex eod. 467. Quamvis ex injuncto nobis Pastorali officio de universis Christifidelibus curam & sollicitudinem gerere debeamus, specialiter tamen circa Romanum Clerum & populum, viros & mulieres Pastorale tenemur officium exercere, qui præter Romanum Pontificem nullum alium habent omnino pastorem. Remissionis igitur gratiam quam aliis Christifidelibus Apostolicæ Sedis benignitas impertitur, tanto copiosius debet effundere in Romanos, quanto diligentius eorum tenetur procurare salutem. Cum igitur ad delenda peccata & indulgentiam obtinendam nihil valeat efficacius apud Deum quam pias eleemosynas indigentibus elargiri secundum quod veritas ipsa testatur: Date, inquit eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et Raphael Angelus ad Tobiam: Bona est eleemosyna magis quam thesauros recondere, cum a morte liberat & purgat peccata, & facit invenire vitam æternam, cum ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Nos ad eas liberaliter erogandas tam verbo quam exemplo vos cupimus exhortari. Licet autem multi laudabiliter, exequantur opera pietatis, illi tamen ea student laudabilius adimplere, qui hospitalitati vacantes non solum recipiunt hospites, sed & trahunt, illud propheticum exequentes, frange esurienti panem & egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum operi eum, & carnem suam ne despexeris: Hi enim eum pascunt esurientes, sitientes potant, colligunt hospites, nudos vestiunt, & non solum infirmos visitant, sed eorum in se infirmitates assumunt, ministrant in carcere positis, & quibus participant in infirmitate degentibus communicant in sepulturam defunctis, illa omnia exequuntur propter quæ. Dominus in ultimo districtionis examine remuneraturum se bonos, & malos asserit puniturum. Cum igitur dilecti Filii magister & Frater hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe, quod olim felicis recordationis Innocentius P. III. Prædecessor noster ad receptionem pauperum, & infirmorum, Ecclesiæ Romanæ sumptibus prope Basilicam Principis Apostolorum in strata publica construi fecit, ad hoc totis viribus elaborent, & undique confluentium egenorum pariter & ægrorum necessitatibus se exponant, ad instar ejusdem Prædecessoris monemus universitatem vestram & hortamur in Domino, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quibus & cooperatores sitis operum pietatis, accedentibus ad vos eorum nuntiis grata subsidia & pias eleemosynas conferatis, ut quod pauperibus contuleritis, per manus eorum in terris, vobis per manus pauperum thesaurizetis in cælis, cum Apostolo sentientes, quod qui parce seminat parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam. Nos autem de Omnipotentis Dei misericordia & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate, ac ea quam nobis Dominus indulsit potestate confisi, omnibus qui de facultatibus suis ipsis subvenerint, & in tam sancta Fraternitate statuerint se collegas eisque beneficia præstiterint annuatim septimam partem injunctæ pœnitentiæ relaxamus, auctoritate Apostolica statuentes, ut iis qui eorum Fraternitates assumpserint, si Ecclesiæ ad quas pertinent fuerint interdictæ, ipsosque mori contigerit, nisi excommunicati vel nominatim fuerint interdicti, sepultura Ecclesiastica non negetur; faciatis itaque vobis de Mammona iniquitatis amicos, qui cum defeceritis, in æterna tabernacula vos admittant. Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi fures non effodiunt nec furantur, terrena in cælestia, & transitoria in æterna felici commercio commutantes. Dat. apud Urbemveterem XIII. Kal. Nov. Pontificatus nostri anno III.

## BONIFACIUS &c.

*Dilectis filiis Magistro & Fratribus hospitalis S. Joannis Jerosolymitani salutem & Apostolicam benedictionem.*

Imminens Ecclesiæ Romanæ necessitas quam Columpuen Scismatici & ipsius rebelles & hostes Ecclesiæ suis detestabilibus & perversis inducunt actibus, & damnaus contemptibus & nequitiis, velut filii maledictionis imponunt, nos multipliciter urget, ut ad eorum damnabilis præsumptionis plectendam audaciam & nequitiam conterendam apostolicæ partes auctoritatis eo efficacius apponamus, eoque fiducialius celerius & ferventius fidelium ipsius Ecclesiæ convocemus subsidia, quin potius ministremus, quo eidem Ecclesiæ ac orthodoxæ fidei & causæ Dei, quæ super hoc agitur, nisi provideretur celeriter majus inspicimus maxime per exempli mali perniciem periculum imminere. Cum igitur ex justis & rationabilibus causis Jacobum & Petrum de Columpna quondam ipsius Romanæ Ecclesiæ Cardinales exigentibus ipsorum culpis & demeritis a dignitate Cardinalatus, de Fratrum nostrorum consilio deposuerimus, ipsosque privaverimus omni Cardinalatuum commodo & honore, ac judicaverimus eos scismaticos & blasphemos, & in hujusmodi scismate persistentes tamquam hæreticos puniendos; exercitum quoque fidelium contra ipsos, & terras, quæ tenebantur & tenentur seu etiam tenebuntur per eos sive per alios pro eisdem duxerimus aggregandum quampluribus ad ipsius stipendia conductis & retentis Ecclesiæ ac ad impugnationem & destructionem ipsorum Columpnen. adjutorum & fautorum ipsorum & terrarum hujusmodi, donec nobis & ipsi Ecclesiæ omnino subsint voluntarii vel coacti, procedere successive fortius intendamus, & ex iis nos & præfatam Ecclesiam subire oportuerit, & oportet adeo gravia onera expensarum, quod recurrere ad bona ecclesiastica, & maxime vestri ordinis ex inevitabili quodammodo necessitate cogamur pro hujusmodi expensarum oneribus sublevandis, dignum duximus, æquitati consonum arbitramur, ut vos & Ordo prædictus velut honorabile ac magnum ex multitudine personarum & Ecclesiasticarum abundantia facultatum ipsius membrum Ecclesiæ communicantes & participantes in tantæ necessitatis articulo onera nostra nobiscum indigentiæ nostræ & Ecclesiæ prælibatæ eum decenti subsidio filiali promptitudine succurratis propter quod vobis & eidem ordini universaliter 12000. Florenorum auri pro hujusmodi subsidio expensarum solvenda nobis de bonis vestris & Ordinis memorati ad præsens duximus auctoritate præsentium imponenda. Universitatem itaque vestram monemus, & affectuose rogamus ac hortamur in Domino per apostolica vobis scripta mandantes in remissionem peccaminum injungendo quod magnam & instantem necessitatem negotii memorati, quæ multam accelerationem & promotionem exposcit, & etiam indigentiam ipsius Ecclesiæ sedula consideratione pensantes, & ad ulciscendas in hac parte injurias, & jacturas ipsius Romanæ matris nostræ, ac ad prædictorum scismaticorum & rebellium exterminandam perfidiam promptis affectibus consurgentes ob divinam & apostolicæ Sedis ac nostram reverentiam præfata 12000. Florenorum auri nobis pro præfato subsidio absque moræ dispendio persolvatis. Sic vos in hac parte Ex Reg. an. IV. Ep. 37.

prom-

prompte ac efficaciter habituri, quod devotionem vestram exinde commendare merito valeamus. Dat. Romæ VII. Kal. Mar. Pontific. nostri an. IV.

## BONIFACIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei Dilecto Filio nobili viro Malatestæ de Veruculo.*

Ex Lib. III. Ep. an. V. n. 408.

Strenua tuæ fidelitatis opera & sinceræ devotionis firma constantia quibus gratum nobis, & Romanæ te præbuisti hactenus, & præbes Ecclesiæ promerentur, ut personam tuam gratiosis favoribus & muneribus congruis honoremus, ut per hoc & tua videatur hujusmodi remunerari devotio, & aliorum fidelitatis fervor in Ecclesiæ memoratæ Servitiis fortius animetur. Dudum siquidem ex justis & rationabilibus causis Jacobum, & Petrum de Columna quondam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales exigentibus culpis, & demeritis eorundem a dignitate Cardinalatus deposuimus, & eosdem privavimus omni Cardinalatuum commodo & honore, ac contra eos, & alios fratres ejusdem Petri tam Clericos quam laicos, nec non contra singulos, qui eisdem Columnensibus Scismaticis, & rebellibus consilium, auxilium, vel favorem impenderent publice vel occulte processus varios fecimus, diversasque in eis excommunicationis, privationis, nec non confiscationis bonorum, aliasque sententias & pœnas duximus promulgandas, prout in processibus, & sententiis ipsis plenius, & seriosius continetur. Unde cum Bernardus quondam Guidonis de Montienlo Bandorum de Pensauro laicus præfatis Schismaticis, & rebellibus in scismate, & rebellione persistentibus alicui, vel aliquibus ipsorum adhæserit, ac dederit auxilium, consilium, & favorem præsertim morando cum eis, & serviendo illis, vel aliquibus eorum in Civitate quondam Penestrina, vel terris aliis, quæ pro dictis Schismaticis in nostra, & eiusdem rebellione hactenus perstiterunt, & per hoc idem Bernardus in ipsis processibus involutus, sit, omnibus bonis suis mobilibus, & immobilibus rebus, & juribus, quæ tempore hujusmodi depositionis, & privationis Civitate vel Diœcesi Pensauriensi, seu etiam ubicumque locorum habebat, vel possidebat per se vel alium, seu alios, seu ad eum quomodolibet pertinebant privatus, ac ipsa bona res & jura Romanæ Ecclesiæ publicata ac etiam confiscata noscantur, nos intendentes personam tuam ob tuorum exigentiam meritorum speciali prosequi gratia, & favore prædicta bona mobilia, & immobilia, res, & jura ubicumque locorum existant, quibus ad pleniorem notitiam omnium præfatum Bernardum omnino privatum, & ea omnia præfatæ Ecclesiæ privata, ac etiam confiscata auctoritate Apostolica ex officio, & de Apostolicæ plenitudine potestatis fore censemus, cum omnibus viribus, & pertinentiis suis tibi, & hæredibus tuis per rectam lineam descendentibus in perpetuum prædicta auctoritate & de Apostolicæ plenitudine potestatis in feudum duximus committendum, ac tuis, & hæredum ipsorum usibus totaliter applicamus de gratia speciali, revocantes omnino locationem, obligationem, distractionem, alienationem, donationem, venditionem, concessionem, contractum vel quasi contractum factas vel factos post prædictam ipsorum Jacobi, & Petri depositionem quocumque modo, causa, vel titulo, cuicumque, vel quibuscumque per Bernardum prædictum, vel alium ejus nomine de prædictis. Volumus autem quod annis singulis infra quindenam festivitatis nativitatis cum ostensione litterarum hujusmodi solidos duos usualis monetæ nomine census ratione prædictorum bonorum Cameræ nostræ persolvas; quod si forte facere contempseris, seu neglexeris, omne jus, quod tibi ex hujusmodi nostra concessione, donatione & applicatione debetur, ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur, Nulli ergo &c. nostræ Constitutionis, concessionis, applicationis, & revocationis &c. siquis &c.

Datum Laterani 14. Kal. Jan. an. quinto.

*Item scribitur Abbati Montis S. Juliani, & præposito Ecclesiæ Ariminensis, ac ..... Archipresbytero Plebis de S. Laudetio Ariminensi Diœcesi pro illius executione.*

---

## JOANNES EPISCOPUS

*Servus servorum Dei dilecto filio Bertrando tituli S. Marcelli presbytero Card. Apost. Sed. Legato salutem & Apostolicam benedictionem.*

Multæ necessitatis oneribus, quibus olim Romana Ecclesia premebatur, sicut adhuc gravari dinoscitur in considerationem adductis, & ad subductionem illorum, personarum Ecclesiasticarum civitatis, & diœcesis Placentinorum, promptum & liberalem sperantes subventionis auxilium invenire, decimam omnium reddituum & proventuum Ecclesiasticorum, per easdem civitatem & diœcesem consistentium usque ad triennium a Kal. Maii tunc proximo præteritis numerandum certis terminis singulis annis eiusdem triennii persolvendam juxta morem solitum in relevationem onerum convertendam hujusmodi, auctoritate Apostolica de Fratrum nostrorum consilio duximus imponendam; quamvis ex certis causis fuerit usque modo collectio decimæ supradictæ suspensa. Quia vero nedum quod onera necessitatis hujusmodi minuantur, verum etiam adeo per successus temporum excreverunt, quod ad subductionem illorum, personarum ipsarum cogimur auxilium implorare, dilectos Filios ..... Vicarios seu administratores Episcopatus & Capitulum Ecclesiæ Placentinensis, nec non & Abbates, Priores, Decanos, Præpositos, Archidiaconos, Archipresbyteros, & alios Ecclesiarum Prælatos & Rectores, Capitula quoque, Collegia, & Conventus, Cistercienses, Cluniacenses, Præmonstratenses, Grandimontenses, Cartusienses, Vallis umbrosæ, Camaldulenses, Humiliatorum, Sanctorum Benedicti & Augustini, & aliorum Ordinum, ceterasque Personas Ecclesiasticas tam Regulares, quam Seculares exemptos, & non exemptos, nec non & Sancti Joannis Jerosolymitani, S. Mariæ Theutonicorum, & Calatravensium, Magistros, Priores & Præceptores, eorumque locatenentes, per easdem civitates & Diœcesim Placentinensem constitutos per alias nostras literas rogandos, & monendos duximus attentius, & hortandos, eis mandantes expresse, ut necessitatem hujusmodi devota consideratione pensantes, & per humilia obedientiæ virtutem eorum vota vestris in hac parte conformantes effectibus dicti Vicarii seu administratores tam de suis quam de aliis ad mensam Episcopalem Ecclesiæ Placentinensis spectantibus, ipsique Abbates, Priores & alii supradicti decimam supradictam de ipsorum redditibus & proventibus in duobus terminis per singulos annos eiusdem triennii, quos eis ad hoc duxerimus præfigendos pro medietate videlicet in Domini nostri Jesu Christi, & pro reliqua medietate in festo B. Joannis Baptistæ Nativitatum festivitatibus juxta morem prædictum in exonerationem convertendam onerum hujusmodi, ut præfertur absque difficultate persolvant. Quare discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel subcollectorem aut subcollectores, quem vel quos ad hoc deputandum duxeris, vel etiam deputandos, quos fide ac facultatibus fidos deputari volumus, decimam supradictam ab eisdem administratoribus, Capitulo, & Abbatibus, Prioribus & aliis supradictis petere, exigere, ac recipere diligenter cum integritate procures, faciens tibi decimam supradictam per eosdem subcollectorem seu subcollectores exactam in singulis eisdem terminis assignari, & de illa tibi plenum reddi computum, & integram rationem, sedis Apostolicæ Cameræ postmodum assignandam; subcollectorem seu subcollectores eosdem ad hoc si necesse fuerit per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, de assignationibus hujusmodi confecta publi-

Ex Reg. an. V. Johannis P. XXII. Ep. 200.

publicis instrumentis per quæ cum opus fuerit valeat plene constare quid & quantum, & a quibus & quando de illa, & pro quo tempore per dictos subcollectorem, seu subcollectores sibi extiterit assignatum. Nos enim petendi exigendi & recipiendi decimam supradictam, nec non & contradictores ac rebelles, & impedientes quoslibet per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendi illis etiam, qui occasione dictæ decimæ tempore debito non solutæ excommunicationum suspensionum vel interdicti fuerint ligati sententiis post satisfactionem de illa exhibitam absolutionis beneficium impendendi ac dispensandi cum eis, qui dictis ligati sententiis celebrando divina, vel immiscendo se illis irregularitatis maculam contraxerint, dictosque subcollectorem vel subcollectores mutandi quoties tibi videbitur, plenam tibi concedimus tenore præsentium facultatem, & ut tam tu, quam dicti subcollector, aut subcollectores commodum de vestris laboribus reportetis præmissa tibi & eis in remissionem injungimus peccatorum. Non obstantibus si Episcopo Placentino, qui est pro tempore, seu Vicariis seu administratoribus, Capitulo Abbatibus & aliis supradictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod ad solutionem alicujus decimæ minime teneantur, & ad id compelli aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi & toto ejus tenore, ac propriis ordinum locorum ac personarum nominibus mentionem, & quibusvis privilegiis indulgentiis gratiis & literis Apostolicis, quibuscumque dignitatibus ordinibus, locis vel personis generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel conceptione verborum a Sede memorata concessis, per quæ effectus collectionis & solutionis hujusmodi decimæ impediri posset quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus in nostris literis specialis plena, & expressa mentio sit habenda. Præterea volumus & mandamus quod subcollectorem, vel subcollectores prædictos de præfata decima colligenda & assignanda fideliter jurare facias in hac forma: juro ego...... a vobis Domine..... auctoritate Apostolica deputatus collector ad exigendum & colligendum decimam omnium redditunm & proventuum Ecclesiasticorum ab omnibus personis Ecclesiasticis exemptis & non exemptis in Placentinenli Civitate & Diœcesi vel...... parte seu locis ejusdem Diœcesis constitutus pro oneribus & necessitatibus Ecclesiæ Romanæ ab Apostolica Sede impositam, quod fideliter exigam, colligam, recipiam atque custodiam ipsam decimam non deferendo in iis alicui personæ cujuscumque ordinis, status, conditionis aut dignitatis existat, prece, pretio, timore, gratia vel favore seu ex quacumque de causa, & eam integre restituam & assignabo prout a vobis recepero in mandatis, & super omnibus & singulis plenam & fidelem rationem reddam vobis, & si contigerit vos officium, quod in præmissis geritis, dimittere, hæc eadem faciam juxta mandatum illius, qui substituetur in eodem officio: sic me Deus adjuvet & hæc Sancta Dei Evangelia.

Datum Avinioni octavo Idus Julii Pontif. nostri anno V.

## JOANNES EPSCOPUS

*Servus servorum Dei, Dilectis filiis nobilibus Viris universis Dominis temporalibus per Regnum Alemaniæ constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.*

Ex Reg. an. VII. Joannis P. XXII. Pars I. ep. 631.

Licet, dilecti Filii..... Magister & Fratres universis vobis & singulis cæterisque Christifidelibus juxta suarum exigentiam facultatum de bonis a Deo collatis eisdem prout ex eorum assertione didicimus curiali affectione complaceant reddantque se omnibus cum caritate debita liberales; quia tamen, ut asserunt, vos aut aliqui vestrum eum ad expeditiones & Raisas, ut vocabulo Patriæ utamur, inceditis vecturas & equitaturas, ac exactiones alias a personis, Domibus sive locis Hospitalis ejusdem exigitis. Nos qui ad eosdem magistrum & Fratres, cum se contra Crucis hostes murum defensionis opponant zelo paternæ caritatis afficimur cupientes ipsorum bona jugiter augeri & non minui cum ipsorum, quod absit, defectus rerum esse posset, quod avertat omnipotens, Terræ Sanctæ negotio nocumentum, universitatem vestram rogamus, & hortamur in Domino, quatenus Domos ipsos seu loca eum ad expeditiones & raisas prælibatas pergere, vel ab ipsis regredi vos continget, præfatas personas seu loca hujusmodi vecturis & equitaturis ac exactionibus aliis cum ex ipsis Domus & loca ipsa læduntur, enormiter non gravetis, & cum in offensionibus Hospitalium Piorumque locorum offendatur altissimus, a dictarum personarum, domorum & locorum exactionibus quibuscumque, ob Divinam & Apostolicæ Sedis reverentiam atque nostram effectualiter abstinere velitis, ut sit vobis & vestrum cuilibet exinde meritum apud Deum & a nobis digna proveniat actio gratiarum.

Datum Avinione Nonis Septemb. Pontificatus nostri an. VII.

## JOANNES EPISCOPUS

*Servus servorum Dei Venerabili Fratri..... Episcopo Abulensi salutem & Apostolicam benedictionem.*

Ex parte Sugerii Petri Magistri Domus de Alcantara Cisterciensis ordinis Cauriensis Diœcesis fuit expositum coram nobis, quod quondam Gundisalvus Petri ipsius Domus magistri prædecessor suus tempore, quo castra de Capiella & Garlicos, ac Alamarton Toletanæ Diœcesis, quæ fuerunt quondam ordinis Templariorum, a claræ memoriæ Fernando rege Castellæ recepit, Regi prædicto promisit sibi castra præfata restituere, quando eadem castra repeteret ab eodem. Verum...... Priore hospitalis S. Joannis Jerosolymitani in Hispania asserente, dicta castra ad ipsum hospitale spectare, ortaque præterea inter magistrum & Priorem præfatos materia quæstionis: tandem idem Magister excommunicatus, & terra sui ordinis Ecclesiastico interdicto supposita auctoritate nostra publice denunciati fuerunt, ex eo quod dicta castra hospitali non restituit memorato. Nos autem finem litibus cupientes imponi, Fraternitati tuæ committimus & mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, hujusmodi causam per te vel alium audias, & debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram Ecclesiasticam firmiter conservari, excommunicationis in ipsum Magistrum & interdicti sententiam in Terram præfatos auctoritate prædicta præmissa occasione prolatas, si & prout de jure fuerit juxta Ecclesiæ formam relaxando. Ex eodem Part. II. ep. 1483.

Datum Avinione IV. Non. Septem. Pontific. nostri an. VII.

# PROFESSIO FIDEI

*Edita a Bonifacio* VIII. *postquam Pontifex renunciatus est*

Ex MS. Cod. Biblioth. univers... Taurinens.

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Anno Dominicæ Incarnationis 1294. indictione 8. Ego Benedictus Gaitanus S. R. E. Diaconus Card. & electus ut fiam per Dei gratiam hujus Sanctæ Apostolicæ Sedis humilis minister profiteor tibi B. Petre Apostolorum Princeps, cui claves Regni Cælestis ad ligandum atque solvendum in Cælo, & in Terra creator ac redemptor omnium Jesus Christus tradidit dicens quæcumque ligaveris super Terram &c. Sanctæ Ecclesiæ tuæ, quam hodie præsidio tuo regendam suscipio, quod quaudiu in hac misera vita constitutus fuero ipsam non deseram, non derelinquam, non abnegabo, nec abdicabo aliquatenus, neque ex quacumque causa, vel & cujuscumque metu vel occasione dimittam, nec me segregabo ab ipsa, sed veræ fidei certitudinem, rectitudinem quam, Christo auctore tradente per te, & B. Apostolum tuum, quam per discipulos & successores vestros usque ad exiguitatem meam perlatam in tua S. Ecclesia reperi, totis conatibus meis usque ao animam & sanguinem custodire tam de S. & individuæ Trinitatis mysterio, quæ unus est Deus, quam pro dispensatione, quæ secundum carnem facta est unigeniti Filii D. N. Jesu Christi & de cæteris Ecclesiæ Dei dogmatibus sicut in universalibus Conciliis & Constitutionibus Apostolicorum pontificum, probatissimorumque Ecclesiæ doctorum scriptis sunt commendata, idest quæcumque vere mereque orthodoxæ Fidei a te traditionem accipiunt conservare. Item quoque octo universalia Concilia Nicænum Constantinopolitanum Ephesinum I. Chalcedonse Quintum quoque & Sextum. Item Constantinopolitanum & Septimum. Item Nicænum VIII. quoque. Item Constantinopolitanum usque ad unum apicem immutilata servare & pari honore, & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt, statuerunt omnimode sequi & prædicare, quæque condemnaverunt condemnare ore & corde. Diligentius autem & vivacius quandiu vixero omnia decreta Canonum prædecessorum Apostolicorum Roman. PP. quæcumque vel Synodaliter statuerunt & probata sunt, confirmata & indiminuta servare, & sicut ab eis statuta sunt in sui vigoris stabilitate custodire. Quemque vero, vel quosque alios quoscumque condemnaverunt, vel abdicaverunt, simili sententia condemnare vel abdicare. Disciplinam vel ritum Ecclesiæ sicut inveni, & a SS. prædecessoribus meis canonicum traditum reperi quandiu vita mihi comes fuerit, illibata custodire. Et indiminutas res Ecclesiæ conservare, neque alienare, seu in feudum, aut censum, vel emphiteosim dare quomodolibet ex quacumque causa, & ut indiminutæ custodiantur operam dare. Nihil de traditione, quam a probatissimis prædecessoribus meis traditam & servatam reperi diminuere vel mutare aut aliquam novitatem admittere, sed ferventer ut eorum verus discipulus & sequipeda totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice comperi, observare & venerari. Si qua vero emerserint contra canonicam disciplinam filiorum meorum S. R. E. Cardinalium, cum quorum consilio, consensu, directione, & rememoratione ministerium meum geram & peragam, consilio emendare, aut patienter, excepta Fidei, aut Christianæ Religionis gravi offensione, tua & B. Apostoli tui Pauli patrocinante intercessione tolerare, sacrosque Canones, & canonica statuta Pontificum ut divina & Ecclesiastica mandata Deo auxiliante custodire, utpote Deo & Tibi sciens me redditurum de omnibus, quæ profiteor, & quandiu vixero egero vel omisero districtam in divino Judicio rationem. Cujus scilicet fidei divina dignatione, te patrocinante præsidio & vicem intercessionibus tuis adimpleo. Eris autem mihi in illa terribili die propicius hoc conanti, & diligenter servare curanti. Adiutorium quoque ut præbeas, obsecro in hac terribili vita constituto, ut irreprehensibilis appaream ante conspectum judicis omnium D. N. Jesu Christi dum terribiliter de commissis advenerit judicare, ut facias me dextræ partis participem, & inter Fideles discipulos ad successores tuos esse consortem. Hanc autem professionem meam per notarium, & scriniarium S. R. E. me jubente scriptam propria manu subscripsi, & tibi B. Apostole Petre & Apostolorum omnium Princeps pura mente, & devota conscientia super S. Corpus & Altare tuum sinceriter offero. Actum Romæ, Mense, Anno. Indictione ut supra.

## NOTA.

Hanc professionem in Francia vidi asserentes, qui eam exhibebant quod Bonifacius Papa VIII. ipsam sub bulla miserat Regi Franciæ scire volenti, an ipse habuisset introitum canonicum in Papatu &c.

# EDITORIS
# ADNOTATIO.

*Supervacaneum fuisset fidei confessionem Bonifacii* VIII. *hic excudere cum plus vice simplici apud alios occurrat. Verum adnotatio, quam offendi in Cod. MS. Biblioth. Universitatis Taurinensis, induxit me, ut hic iterum vulgandam curarem. Fateor tamen dubium perseverare num reipsa hanc scripserit Bonifacius* VIII. *sive illi afficta fuerit ab ejus seu benevolis, seu adversariis. Ex superiori Nota tamen discimus unde fundamentum de illius sinceritate petatur.*

MAR-

# MARTINI V. PAPÆ

*Citatio contra hæreticum Comitem Armeniaci, & suos complices, & sequaces.*

## AD FUTURAM REI MEMORIAM

Ex Cod. Ms. Biblioth. olim Em. D. Card. Dominici Passionei.

ROmanus Pontifex in terris Christi Vicarius adversus enormes, & detestabiles conatus malignorum, qui in reprobum sensum dati, temeritate pestifera unitatem sacrosanctæ universalis Ecclesiæ, cui, licet immeriti, auctore Domino, præsidemus, quamque unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam sancta Romana profitetur Ecclesia, & docet, sponso clamante, una est columba mea, una est dilecta mea & quam scindi non posse demonstrat; indivisa, & inconsutilis nostri Salvatoris tunica; scindere, divisionemque hæreses, & schismata de novo suscitare, & nutrire venenosis, & viperinis operationibus moliuntur, tanto ferventius in virtute Altissimi debet extinguere, quanto ex ipsorum malignorum conatibus post spretas monitiones paternas, & divinorum mandatorum directiones sequi potest, non solum in ipsa Ecclesia, & contra catholicam, & immaculatam fidem dogma perversum, sed & plurimorum simplicium animarum christi fidelium perditio, ne sanguis eorumdem de manibus suis in extremo judicio exquiratur. Sane dudum post obitum Felicis recordationis Gregorii Papæ XI. prædecessoris nostri inimico humani generis procurante, schismate in Dei Ecclesia introducto, quo proh dolor universus Christianus populus, & duos pro Romanis pontificibus in suis obedientiis habitos extitit miserabiliter divisus, pro cujus schismatis extirpatione, & ejusdem populi reintegratione cum post multorum temporum curricula in diversas Regum, principum, prælatorum, & communitatum insignium ambassiatas ad contendentes de papatu, & aliorsum factas, postquam varios, & longos tractatus per quos ad unitatem Ecclesiasticam deveniri, & schisma prædictum extirpare possent, ac postquam per viam mutuæ cessionis, velut faciliorem, & conscientiarum servatorem, ac pro tali extirpatione dicti tunc inveterati schismatis, & antiquæ schismi, & divisionis utiliorem electam, & fere ab universo Christiano populo receptam, schisma hujusmodi extirpari, ac unio hujusmodi haberi non potuerunt, via generalis Concilii tunc prorsus celebrandi aperta extitit, per quam & unio sacra (*sic*) & schisma prædicta tunc minime tolli potuerunt, sic quod non plene dictus populus ad unitatem redactus, sed magis proh dolor divisus extitit, cum Petrus de Candia ibidem in Alexandrum V. sic in sua obedientia nominatum, assumptus extiterit, quo sublato de medio Balthassar Cassa Episcopus Tusculanus, Joannes XXIII. sic in eadem obedientia nominatus electus extitit, propter quod ipsius generalis Concilii via tanquam melior, & utilior iterum recepta, ordinatum fuit, quod in futuris tunc calendis Novembris anni domini MCCCCXIV. in civitate Constantiæ provinciæ Maguntinæ generale concilium universalis Ecclesiæ pro extirpatione, reintegratione, & unitate prædictis celebraretur; quibus advenientibus calendis, & ipso Episcopo Tusculano tunc Joanne XXIII. in sua obedientia nominato cum ipsius collegio Cardinalium, ac charissimo in Christo filio Sigismundo Romanæ & Hungariæ rege venerabilibusque fratribus nostris patriarchis Archiepiscopis Episcopis, & dilectis filiis electis administratoribus abbatibus & aliis prælatis, & viris ecclesiasticis in multitudine copiosa, necnon charissimorum in Christo filiorum nostrorum Franciæ, Angliæ, & aliorum regum principum, ac universitatum generalium studiorum, multarumque communitatum ambassiatoribus, & nunciis, aliisque de obedientia dicti Joannis, quæ longe aliis duabus latior existebat, convenientibus Constantiam, compræsentibus, multisque ibidem utilibus actibus, præsertim cessione, & depositione dicti Joannis ac etiam Angeli Corario, Gregorii XII. in sua obedientia nominati, cessione de papatu, quem quilibet ipsorum Joannes, & Gregorius prætendebat, necnon unione, seu aggregatione obedientiarum Joannis, & Gregorii prædictorum invicem ac aliis quantum ad ipsas iam unitas obedientias, unum, & idem corpus facientibus ad Ecclesiasticam unitatem obtinendam, & schisma prædictum tollendum, rite peractis, sic quod non restabat nisi obedientiam Petri de Luna, qui cum non compareret, via mutuæ conventionis cum eo & dicto Sigismundo Romanorum, ac claræ memoriæ Ferdinando Aragonum regibus in Narbona vel in Perpiniano Elnensis diœcesis ad certam diem faciendam aperta extitit, & conclusa, ad quam ipse Petrus cum suis in sua obedientia nominatis cardinalibus, ac reges ipsi, dictorumque Franciæ, & Angliæ, ac charissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellæ, & Navarræ regum ambassiatores, necnon quondam Bernardus Covascaubarius (*sic*) Franciæ, & dilecti filii nobilis viri Joannis Fuxi Comitis, & tres de qualibet natione dicti Concilii, & unus pro dilectis filiis universitate Studii Parisiensis, multique alii prælati, & viri Ecclesiastici, ac sæculares dictarum obedientiarum in dicto loco Perpiniano obedientiam dicti Petri convenientes, & diversis diebus, & vicibus pluribus, ac variis tractatibus super pace danda Ecclesiæ, & schismate prædicto extirpando, cum eodem Petro, & sine eo inter ipsos reges, & principes, ambassiatores, prælatos, & alios præfatos hujusmodi, cum nulla via eidem Petro accepta reperiri posset super pace, & extirpatione hujusmodi, nisi ipse non solum in suo perversu, sed toto papatu, ac Romano & summo pontificatu remaneret. Idem Sigismundus rex, ambasiatores, & alii prænominati, obedientiæ dicti Concilii Constantiensis sic ab eodem Petro de Luna illusi, tantum bonum, veluti devoti filii Ecclesiæ nolentes relinquere imperfectum, cum dictorum Castellæ, Aragoniæ, & Navarræ regum ambassiatoribus, & aliis obedientiam dicti Petri de Luna, seu illius saniorem, & majorem partem facientibus, seu repræsentantibus Narbonam convenientibus certa nomina obedientiarum Concilii Constantiensis, & Petri de Luna prædictorum pro extirpatione, reintegratione, & unitate præfatis ediderunt capitula per quæ inter cætera obedientia dicti Petri de Luna Concilio prædicto Constantiensi uniri, & aggregari, sic quod ipsi omnes utriusque obedientiarum insimul aggregati unum generale facere deberent Concilium, universalem Ecclesiam catholicam repræsentans, cujus auctoritate Petrus de Luna moneri, requiri pariter, & citari deberet, ut per viam cessionis per ipsum super omnes mortales tempore (*sic*) & in persona sui prædecessoris Clementis VII. sic in sua obedientia nominati adinventæ, & posse suo practicatæ, ac per eum ipsiusque proprium votum etiam promissæ, ac per Christi fideles dictarum obedientiarum receptæ, & acceptæ pacem christiano populo daret. Quod si monitus, requisitus, & citatus renueret, contra ipsum ad depositionem sui prætensi papatus, & alias prout juris, & rationis foret procederetur. Cumque Constantiensis Concilii, & dicti Petri de Luna obedien-

tiarum unione, & aggregatione rite invicem facta generale totius Ecclesiæ militantis concilium ibidem ex præmissis debite, & canonice in Christi nomine formatum, in quo mundus, reges, & principes universi, & alius Christianæ religionis populus consenserunt. Videns quod præfatus Petrus de Luna, nec personaliter ad ipsum venire, nec mittere ut tenebatur, conabatur, volens adhuc mitius agere cum eodem contra ipsum Petrum de Luna citationem decrevit legitimam, per quam certos suos nuncios ad locum de Panescola Detrusensis Diœcesis misit, ubi per duos ex eis decretorum doctores ipse Petrus de Luna obstinatus existens, personaliter repertus, auctoritate concilii monitus, requisitus, & citatus extitit, ut certa die Constantiæ coram ipso generali concilio legitime compareret, pacem Ecclesiæ Sanctæ Dei per suam liberam cessionem uti promiserat, juraverat, & voverat daturus, aut rationabiles causas si quas haberet daturus, cur ad hoc non teneretur. Unde cum ipse Petrus de Luna dicta die per se vel alium comparere, nec causas hujusmodi dicere, seu allegare curaverit, idem generale concilium ipsum Petrum diu expectatum contumacem merito reputans, & ad ulteriora causæ stirpationis schismatis illi finem imponere cupiens, & unitatis Ecclesiæ super omnia a Christi fidelibus concupitæ unanimiter, & concorditer rite, & legitime procedens, ipsiusque Petri de Luna culpam cernens, & ejus pertinaciam ulterius, cum jam ad ipsius schismatis introductionem quadraginta fere anni effluxissent, sustinere non valens, servatis servandis adversus eumdem Petrum de Luna, Benedictum XIII. tunc ab aliquibus ut præmittitur nuncupatum, fuisse & esse perjurum, universalis Ecclesiæ scandalizatorem; & sententiam diffinitivam in scriptis tulit, per quam inter cætera eumdem Petrum de Luna Benedictum XIII. tunc ab aliquibus ut præmittitur nuncupatum, fuisse periurum, universalis Ecclesiæ scandalizatorem, fautorem, & nutritorem inveterati schismatis, & divisionis Ecclesiæ Sanctæ Dei, pacis, & unionis ejusdem Ecclesiæ impeditorem, & turbatorem schismaticum, & hæreticum, a fide catholica demum, & articulo fidei unam videlicet Sanctam catholicam Ecclesiam violatorem pertinacem cum scandalo Ecclesiæ Dei incorrigibilem notorium & manifestum, ac omni titulo, gradu, bonore & dignitate se reddidisse indignum, dejectum, & præcisum omni jure sibi tunc in papatu, & Romano, ac summo pontificio, & Romana Ecclesia quomodolibet competenti ipso jure privatum, & ab Ecclesia catholica tamquam membrum aridum præcisum pronunciavit, decrevit, & declaravit, dictumque Petrum de Luna quatenus de facto papatum secundum se tenebat, eadem generalis synodus papatu, & Romano ac summo pontificio omnique titulo gradu honore dignitate, beneficiis, & officiis quibuscunque ad omnem cautelam privavit, deposuit, & abiecit, eique inhibuit ne deinceps pro papa, & Romano, ac summo pontifice sese gereret, seu nominaret, omnesque & singulos Christicolas ab ejus, & omni debito, obedientia ipsius, atque juramento, & obligationibus eidem quomodolibet præstitis absolvit, & absolutos fore declaravit. Eisdem etiam episcupali, patriarchali, cardinalatu, regali, aut imperiali dignitate fungentibus sub fautoriæ schismatis, & hæresis, excommunicationis aliisque juris, necnon omnium beneficiorum, dignitatum, & honorum ecclesiasticorum, & mundanorum, privationis pœnis inhibendo, quibus si contra inhibitionem hujusmodi facerent, essent auctoritate decreti, & sententiæ prædictorum ipso facto privati, & alias juris incurrerent pœnas, ne eidem Petro de Luna schismatico, & hæretico incurrigibili, notorio, declarato, ac deposito tanquam papæ obedirent, parerent, vel intenderent, aut eum, vel ei faventes, vel adhærentes quovis modo contra præmissa sustinerent, vel receptarent, eisdem præstarent auxilium, consilium vel favorem, prout præmissa, & nonnulla alia in instrumento publico sententiæ prædictæ maioribus sigillis, & subscriptionibus omnium, dictum constituentium generale concilium roborato plenius continetur. Et cum secundum præmissa Romana vacaret ecclesia, dictum generale concilium ne ipsa quæ diu caruerat indubitato pastore, eius vacationis ulterius deplorarct incommoda, ad electionem futuri, & indubitati pastoris, de quorum numero tunc eramus procedere volens, de consilio, & expresso consensu dicti collegii statuit, & ordinavit, quod in electione dicti futuri Romani, & summi Pontificis, & pastoris gregis Dominici, de qualibet omni natione dictum generale concilium faciente cum dicto Collegio sex notabiles personæ Deum timentes, zelumque sincerum, & nostram intentionem ad unitatem ecclesiasticam habentes conclave tunc pro hujusmodi electione ordinandum intrarent, qui una cum ipso collegio papam Romanum, & summum pontificem, ac in terris Christi vicarium eligerent; ita tamen quod in electione duæ ex dictis cuiuslibet nationis personæ & duæ ex dicti Collegii partes necessario in eligendum consentirent. Præmissis itaque, & aliis pro dicta electione iuxta rei decentiam necessariis, & opportunis dispositis, die ad hoc statuta collegium, ac per huiusmodi conclave ad hoc decenter ordinatum intrarunt, ubi paucis diebus permanentes die XI. Mensis novembris Anno Domini 1417. post devotæ Missæ S. Spiritus celebrationem, & illius gratiæ humillimam invocationem, hora fere tertiarum dum ipsa generalis Synodus processionem solemnem in honorem B. Martini Confessoris, cuius solemnia universalis ecclesia ea die venerabatur, ut sancti Spiritus gratia cur diligentium ad unitatem provocaret, per eamdem civitatem faceret, & locum dicti Conclavis circuiret, ipsius Paracliti gratia, qui sua nescit dum opus est tardare molimina, disponente nos Odonem tunc S. Georgii ad Velum Aureum Diaconum Cardinalem, unanimiter rite, & canonice Romanumque summum Pontificem, ac in terris Christi Vicarium, nemine etiam discrepante, sed plena aligentium omnium concordia, elegerunt, & intronizarunt; de qua non solum canonica, sed quasi miraculosa, ac divinitus rite, & legitime facta electione ipsa generalis Synodus exultationis, & gaudii signa emittens, & nos, qui non tantum de nostræ imbecillitatis virtute, quam suffragio, ac devotione veri capitis ecclesiæ universalis Christi cujus res agebatur confisi, onus hujusmodi quanquam nobis importabile nostris imposueramus humeris, collumque jugo servitutis subjeceramus, ad ecclesiam cathedralem Constantiensem conducens, electionem ipsam Cleri, & populo more solito publicari, & nunciari fecit, & demum per urbem universum ipsam electionem tanquam rite, & legitime celebratam per suas, & nos per nostras literas præfatis principibus, & aliis multis intimavimus, & notificavimus, quæ ab ipsis, & aliis cunctis Christifidelibus recepta fuit, & approbata. Etiam a dilecta in Christo filia nobili muliere Bona de Biturro Comitissa, & nobili viro Joanne Comite Armeniaci ejus nato, nos per eorum solennes nuntios & procuratores sufficienti potestate fulcitos verum, unicum, indubitatumque Romanum & summum pontificem, ac in terris Christi vicarium profitendo, & recognoscendo eorum nunciorum tardum adventum, ac dictum quondam Bernardum Comitem, ipsius Joannis patrem, eoque sibi dum viveret impnuebatur, quod dicto generali Concilio, eiusve terminationi non adhæsisse in publica audientia solemniter excusando inter cætera etiam dicendo, quod ipse quondam Bernardus Comes ante ejus obitum audita sententia dicti generalis concilii contra dictum Petrum de Luna lata ante nostram hujusmodi electionem, sibi per suos intimari fecerat nuncios, & literas quod ex tunc in antea eidem non obediret, sed generali Concilio, & ejus determinationi adhæreret, quodque etiam ante dictum obitum ipsos ad nos ubicunque essemus ambassiadores veni-

venire ordinaverat, erantque ipsi nuncii tempore quo dictum obitum audiverunt prope Gebennam, ubi tunc eramus ad nos veniendo pro excusatione prædicta, & plena obedientia nobis ipsius nomine danda, & præstanda. Sed hujus percepto obitu unum de suis cum literis opportunis ad ipsos comitissam, & Joannem comitem ad sciendum an vellent quod ad nos dicto obitu non obstante iter continuaretur, miserunt. A quibus congruo recepto responso ad nos . . . . . . prælibati venientes nuncii nobis humiliter supplicarunt, ut excusationes prædictas, velut veras, & notorias benigne admittere vellemus; nos vero de ipsis ante nostram de Geben. ingressu per dilectum filium nobilem virum Amedeum ducem Sabaudiæ ipsius Joannis Comitis fratrem informaó, eas gratiose admittentes, ac Bernardum defunctum, & Joannem comites, dictamque comitissam, & dilectum filium nobilem virum Bernardum ipsorum quondam Bernardi, & Bonæ Comitissæ etiam natum, ipsius Joannis germanum, omnesque & singulos eorum subditos utriusque sexus, tam clericos sæculares, & regulares, etiam in dignitatibus quibusque constitutos, ac nostram, & dictæ sedis gratiam, & benevolentiam recipientes, eos omnes, & singulos a quibusque pœnis, & sententiis spiritualibus, & temporalibus, ac de dictis excessibus, reatibus, & criminibus occasione præmissorum quomodolibet contractis plenarie, & integre absolvimus, cum ecclesiasticis dispensando, & honorem eisdem comitissæ, & comiti debitorum in ipsorum personas servando, & servari faciendo, ac ipsis Comitissæ, & comiti, ac Bernardo, eorumque subditis ecclesiasticis, & laicis, dictisque nunciis, & aliis, pro quibus nobis supplicarunt, plures, & diversas gratias, & privilegia, & indulta concessimus, quibus ipsi præcipue Aymerici de Castro Petro unius ex dictis liberi, & aliis quibus facta extitere usi fuerunt, & adhuc paucissimis exceptis utuntur, & uti volunt, ut intendunt in nostra & Romanæ ecclesiæ obedientia, velut devoti filii nostri ecclesiæ sanctæ Dei extra quam non est salus, permanere cupientes. Et licet præmissa, quæ Comitum, ac Comitissæ, & Bernardi, suorumque subditorum prædictorum, honorem non mediocriter concernunt; & ipsius defuncti comitis, & aliorum superstitum post huius ævi labores, animabus remedia salutaria existunt, vera notoria, & manifesta sint, ipsique Comitissa, & Bernardus frater dicti Joannis Comitis, ac maiores, & fere omnes subditi eorum in nostra permanserint, & permaneant obedientia, & devotione; ipse tamen Joannes comes propriæ salutis immemor, & oblitus, in sensumque reprobum datus, & cornua in tempore damnata erigens per devium horribilis cæcitatis oberrans, & non metuens contra stimulum recalcitrare, præfato iniquitatis alumno Petro de Luna schismatico, & hæretico, a fide catholica devio, ab ecclesia præciso, & delecto declarato, justoque Dei judicio, ac dicti generalis concilii auctoritate, ut præmittitur damnato, favere, obedire, eique auxilium, consilium, & favorem præbere, & alias adhærere palam, & publica, & notorie præsumpsit, & præsumit, ipsum Petrum de Luna verum Romanum, & Summum Pontificem, in terris Christi vicarium profitendo, & appellando, in suis terris, & dominiis profiteri, & nominari faciendo, ac ipsum pro tali tenendo, tenerique ac ut & tanquam tali eiusque præceptis, & mandatis parendo, parerique posse tenus faciendo, ac eius literas, & præcepta recipiendo, & recipi faciendo, & beneficia, etiam prælaturas magnas, & notabiles, illos quos ad ea promovit, seu verius profanavit, admittendo, illorumque fructibus frui, & gaudere faciendo se nobis Romano, & universali ecclesiæ, nostrisque, & ipsius ecclesiæ præceptis, & mandatis, ac fidei orthodoxæ, & dictæ generalis synodi determinationi, omnino opponendo, obedientesque nobis, ecclesiæ, & fidei prædictis suis beneficiis per ipsum Petrum de Luna privari procurando, & permittendo, & eos quibus idem Petrus de Luna illa contulit plenarie eisdem fructibus gaudere permittendo, nec non quondam Guidonem Flandrini, Joannem prætensum Bonævallis, & Petrum olim Bonæcumbæ Cisterciensis Ordinis, Ruthenensis Diœcesis Monasterii Abbates, Joannem Canerii antiquiorem Joannis Fabri Ordinis Prædicatorum, Bernardum Guarnerii, Joannem Servili, & Hugonem Ano, necnon Americum assertum dominum de Castro Petro, Antonium de Busco, Bernardum, & Reginaldum de Tornanina, Ruffinum Raffini, & Ludovicum Raffini, Antonium de Caslario, Berengarium Sulas, Joannem Carnerii Juniorem, Bernardum de Moreto Ordinis S. Augustini professum, Joannem Resegnerri de Ruthena, Guillielmum Fabri de Cordovis, & quosdam alios notorios schismaticos, ipsi Petro de Luna palam publice & notorie adhærentes in suis terris, & dominiis domoque, & servitio recolendo, & alias cum eis continue, ac si veri forent catholici participando & pro talibus eos habendo; alios vero etiam sibi subiectos, qui eidem in hac damnata opinione consentire nolunt, sed merito recusant tanquam schismaticos habendo, ac eos ut tales vitando, & nobis obedientes diversis poenis, modis, & multis gravibus persequendo, & persequi faciendo. Quibus ad nostrum notitiam deductis, nos de tanta immutatione, tam leviter, & inconstanter facta non mediocriter admirantes, & ex affluenti ecclesiæ pietate monitionibus, & exhortationibus gratiosis, ad instar illius, cujus licet immeriti vices gerimus in terris, quique neminem perire vult, sed omnem hominem salvum fieri, primitus uti volentes, ipsumque Joannem Comitem, & aliorum damnatorum animos lucri facere cupientes, eidem comiti dilectum filium Magistr. Geraldum Brie, alias de regno legum doctorem, referendarium nostrum, canonicum Narbonensem nostrum, & Sedis Apostolicæ nuncium, scientia, & moribus adornatum, & ad ipsum Joannem Comitem, ejusque domum Armeniaci multipliciter affectum, cum literis & sufficienti potestate, eum a præmissis absolvendi, & ad nostrum, & sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ suæ pietatis filiis cum humilitate post excessus redeuntibus ad eam, nescit ubera denegare, gremium reconciliandum, & omnia præmissa abstergendi duximus, jam est triennium & ultra, transmittendum. Et quamvis idem Joannes comes eumdem nuncium nostrum in principio sui illuc adventus cum maxima tamen difficultate ad suam præsentiam admiserit, literasque nostras sibi directas absque fere honore & reverentia de manibus ipsius nuntii receperit, aures tamen more aspidis surdæ obturans, *fic* eumdem nuncium que eleganter, & prudenter perseveravit, & quamquam idem nuncius juste, & legitime contra eum ad declamationem sententiarum, & pœnarum prædictarum procedere potuisset, nihil tamen contra ipsius personam attentare voluit, sed contra aliquos ex prædictis, quos schismaticos, & hæreticos per suam difinitivam sententiam jam rite declaravit, sperans quod dictus Joannes Comes ad cor reversus a præmissis desisteret. Ipse tamen Pharaonis mutuata duritia, & continue magis induratus a prædictis non cessavit, nec cessat. Propter quod nos adhuc mite agere volendo cum eidem literas ad ipsum, & ad præfatos genitricem, & germanum, dictumque Ducem fratrem suum transmisimus multiplices; & quamvis ipsi omnes literas nostras velut devoti filii Ecclesiæ cum honore, & reverentia receperint, ipse tamen solus eas penitus recipere recusavit, & venerabilem fratrem nostrum G. Episcopum Sancti Populi, *S Pauli:* quem ad ipsum postea destinavimus, ad sui præsentiam admittere denegavit, materuisque, ad dictorum regis Navarræ, & Ducis Sabaudiæ, qui bis, vel ter ad ipsum ad id miserant, & nobis sæpius rescripserant, supplicando, ut a quocunque processu contra eumdem Joannem Comitem supersederemus, de ipsius sperantes reductione, mandatis, & monitionibus acquiescere noluit, nec vult, sed con-

tinue

tinue magis obſtinatus in damnata ſua malitia perſeverat, quemdam filium, quem nuper dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Iſabellis ejus uxor, ex eo habuit per præfatum Joannem Carrerii juniorem, hæreticum, & ſchiſmaticum, & cum Chriſmate in dicto loco de Paniſcola profanato, pro quo illuc miſit, in fide, & credentia dicti Petri de Luna in ſuæ evidentem animæ damnationem baptizari fecit, & nuper monaſterio Bonecumbæ prædicto per dicti P. obitum vacanti, quemdam filium dicti Aimerici, qui ut monaſterium ipſum uſurparet, cum antea clericus ſæcularis, nec in ætate legitima conſtitutus foret, in monachum Ordinis Ciſtercienſis poſt ipſam vacationem immediate receptum in Abbatem ipſius Monaſterii promoveri, ſeu verius profanari, cumque ſic profanatum in dicto Monaſterio quantum potuit intrudi procuravit, ac alia quamplurima, certa, ac enormia crimina, & exceſſus commiſit, & committit, & committi; ac fieri mandare non ceſſavit, nec ceſſat in Prælatos etiam & alias perſonas Eccleſiaſticas, & laicales, quæ in hujuſmodi crimen concurrere cum eo nolunt multipliciter.... & continue mala malis accumulando, ſimplicium, & aliorum non audentium ſuæ voluntati reſiſtere animas in baratrum & profundum malorum ſecum intrudere non veretur; & quamvis præmiſſa omnia, & alia multa, quæ inſtans procurator fiſci per advocatum ſuum coram nobis in Conſiſtorio publico propoſita fuerunt, & petitum per nos ſuper eis debite provideri, adeo ſunt notoria, quod nulla poſſunt tergiverſatione celari, noſque abſque alia informatione in eumdem Joannem comitem, potuiſſemus animadvertere; ad cautelam tamen, & majorem præmiſſorum certitudinem Ven. fratri noſtro Jordano Epiſcopo Albanenſi bo. me. Alamanno tituli S. Euſebii dictæ Eccleſiæ Cardinalibus commiſimus, ut de præmiſſis ſe informarent, & quæ per informationem hujuſmodi reperirent nobis referre curarent, iidemque Cardinales nobis poſtmodum in Conſiſtorio retulerunt ſe repeniſſe præmiſſa omnia, & alia multa fuiſſe, & eſſe vera, notoria, & etiam manifeſta. Ideo nos qui ardenti deſiderio ſalutem quærimus ſingulorum, attendentes quod error cui non reſiſtitur, approbari videtur, & latum pandit delinquendi aditum, qui perverſis eorum conatibus non reſiſtit, ac nequeuntes tot, & tanta crimina, delicta, & exceſſus abſque gravi Dei offenſa, animarum periculis, ac univerſalis Eccleſiæ ſcandalo, & remorſu conſcientiæ noſtræ amplius tolerare, adverſus ipſum Joannem Comitem in virtute Altiſſimi, de Fratrum noſtrorum conſilio duximus exurgendum, & contra ipſum ſuper præmiſſis juſtitia mediante procedendum, quia per præmiſſa & aliam ſummariam informationem reperimus dictum Joannem Comitem pro hujuſmodi noſtra citatione perſonali in ejus propria perſona, ſeu in domo habitationis ipſius exequenda, tute adiri non poſſe, per hoc præſens publicum edictum in Romana Curia, & in noſtra audientia publica literarum contradictarum legendum & in Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Palatii Apoſtolici, necnon extra dictam Romanam Curiam, & in partibus in Avenionenſis, vel Toloſanæ Eccleſiarum valvis, ſive portis exequendum, & affigendum præfatum Joannem Comitem peremptorie, & perſonaliter citamus quatenus nonageſima die poſt hujuſmodi noſtræ citationis perſonalis executionem, ac lecturam in audientia publica literarum contradictarum, necnon publicationem, & affixionem in valvis, ſeu portis prædictis factas immediate ſequentes, ſi ea die Conſiſtorium publicum fuerit, alioquin prima die ex tunc ſequenti, qua conſiſtorium publicum per nos teneri continget, compareat perſonaliter, & in ejus propria perſona coram nobis ubicunque tunc fuerimus viſurus, & auditurus per nos decerni, & declarari ipſum ſecundum tenorem decreti, & ſententiæ dicti generalis concilii Conſtantienſis in fautoria ſchiſmatis & hæreſis, ac privationis comitatuum Armeniaci, & Ruthenenſis, ac omnium aliarum terrarum, & dominiorum ſuorum, ac in excommunicationis, & alias pœnas aut ſententias, tam ab jure, quam ab homine in talia perpetrantes inflictas, & promulgatas incidiſſe, ac eas meruiſſe, ipſumque fuiſſe, & eſſe & per nos ut tales ab eiſdem, & quibuſcunque dignitatibus, honoribus, & baronibus, fæudis, & retrofæudis, ac bonis, aliiſque a quibuſcunque perſonis, tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus obtinet, ex abundanti privari, ipſiusque bona fuiſſe, & eſſe confiſcata, & per nos confiſcari. Et nihilominus viſurus, & auditurus per nos etiam decerni, & declarari omnes & ſingulos ipſius Joannis Comitis, vaſſallos, & ſubjectos, ſive vicecomites, barones, milites, aut alios inferiores, nobiles, communitates quoque, & univerſitates, civitatum, villarum, caſtrorum, & aliorum quorumcunque locorum fuerint, ac alios quoslibet, qui ſibi fidelitatis juramento, homagii, aut alterius cujuſcunque obſequii debito, ſubmiſſione, fœderatione, vel pacto quocunque firmitate vallato tenentur adſtricti, & hujuſmodi juramento, fidelitate, homagio, ſubmiſſione, fœderatione, obligatione, ac pacto abſolutos, & religatos fuiſſe, & eſſe; & per nos abſolvi, & relaxari; ita ut nullus eidem Joanni comiti in judicio, vel extra obedire, intendere, vel parere, nulluſque ſibi debita ſolvere teneatur; ac alias ei pœnas infligi, prout nobis viſum fuerit, & juſtitia ſuadebit, aperte prædicantes ipſi Johanni comiti, quod ſive venerit, ſive non, nos in dicto termino ad declarationem, denunciationem, confiſcationem, & relaxationem hujuſmodi, & alias tanquam ſuper notorio, prout juſtum fuerit procedemus, ejus abſentia, ſeu contumacia non obſtantibus. Cæterum volumus, & auctoritate apoſtolica decernimus, quod hujuſmodi citatio perinde valeat, & plenum robur obtineat firmitatis, dictumque Joannem comitem arctet quacunque conceſſione contraria non obſtante, ac ſi ei intimata, & inſinuata perſonaliter, & præſentialiter extitiſſet; & licet venientes ad Romanam curiam, viventes in ea, & ab illa recedentes plena debent ſecuritate gaudere, ac in ſpoliantes, capientes, & detinentes eoſdem excommunicationis, & anathematis ſententiæ ſint per proceſſus apoſtolicos promulgatæ, ne tamen præfatus Joannes comes ipſam curiam coram nobis omnibus propriam (*ſic*) locum ſibi minus tutum, & propter inimicitias, vel ex cauſis aliis imminere ſibi periculum in itinere veniendo ad ipſam Curiam ad excuſationis ſuæ velamen forſan allegat, univerſos & ſingulos Patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos & alios Eccleſiarum, & monachorum prælatos, electos adminiſtratores, & alias perſonas Eccleſiaſticas, necnon cariſſimos in Chriſto filios noſtros, reges, & nobiles viros, duces, marchiones, comites, principes, poteſtates, capitaneos, & quoslibet alios officiales, ac etiam civitatum, univerſitatum, oppidorum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum tenentes, & ſingulares eorum perſonas tenore præſentium requirimus, & hortamur, ipſiſque patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, ac aliis prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, cæteriſque ſubditis noſtris diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus præfatum Joannem comitem, ejuſque comitativam in veniendo ad dictam curiam, morando in ea, & ab ipſa recedendo, in perſonis, rebus, vel bonis ipſius, vel ſuæ comitivæ nullam inferant injuriam, vel offenſam, ſeu aliis quandiu in eis fuerit permanebit inferri. Ut autem hujuſmodi citatio ad dicti Joannis comitis, & aliorum, quorum intereſt, notitiam deducatur, cartas, ſeu membranas citationum eamdem continentes, in prædicta audientia legi ac in dictis valvis ſive portis prædictis faciemus affigi, ſeu appendi, quæ citationem ipſam ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo judicio publicabunt, ut idem Joannes comes, quod ad ipſius non pervenerit notitiam, vel quod eamdem citationem ignoraverit, nullam poſſit excuſationem prætendere, vel ignorantiam allegare,

gare,

gare, cum non sit verisimile, quod ad ipsum remanere possit incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Quas, seu earum transcriptum, seu copiam, seu copias sub præfati notarii sigillo affixas, seu vidimus, si quis, vel seu qui ausu temerario reponere, amovere, vel laniare, per se vel alium seu per alios, ducere, vel inducere publice, vel occulte præsumpserit, pœnis, & sententiis supradictis quas ex nunc in eos, & singulos ipsorum, quacunque Ecclesiastica, vel mundana præfulgeans dignitate, promulgamus ipso facto subiacere. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. Apud S. Mariam Maiorem IV. Kalendas Decembris &c. Anno sexto &c.

# BULLA EUGENII IV.

## *in favorem Beneficiariorum majoris Ecclesiæ Lucanæ.*

*Eugenius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Lucano salutem & apostolicam Benedictionem.*

Ex archiv. Archiep. Lucensis.

IN apostolicæ sedis specula licet immeriti dispônente Domino, constituti, Ecclesiarum omnium, quarum nobis cura imminet generalis utilitatibus & profectibus consulere cupientes, ad ea libenter intendimus, per quæ ipsarum præsertim Cathedralium Ecclesiarum statui, & personarum in eis virtutum Domino famulantium personarum necessitatibus salubriter valeat provideri. Sane, sicut pro parte dilectorum filiorum Vexilliferi justitiæ & anxianorum populi nec non Communitatis tuæ civitatis Lucanæ nobis nuper exhibita petitio continebat, mala temporum conditione causante, fructus, redditus & proventus perpetuis Capellanis Ecclesiæ Lucanæ & aliis mansionariis nuncupatis in eadem Ecclesia beneficiatis pro tempore cedentes, adeo tenues facti sunt & exiles, quod ex eis quilibet ipsorum decem florenos auri non percipit annuatim, propter quod Capellani & Beneficiati prædicti non habentes unde sustentari, & alia ipsis incumbentia onera commode valeant supportare, compelluntur a residentia apud ipsam Ecclesiam facienda se retrahere, & apud alia loca vitæ & victus necessaria quærere cum gravi jactura præfatæ Ecclesiæ & evidenti diminutione divini cultus in eadem. Et sicut eadem petitio subjungebat si monasterium Sancti Panthaleonis extra muros Lucanos Cisterciensis ordinis, quod in suis ædificiis & structuris penitus ruinæ subactum cernitur, & a tempore, cujus contrarii memoria non existit, divinis officiis orbatum, ac aliqua domini Abbatis regimine destitutum remansit prout remanet de præsenti ordinis & Abbatialis dignitatis nominibus in eo penitus suppressis & extinctis, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, præfatæ Ecclesiæ sub talibus modo & forma incorporaretur, annecteretur, & uniretur, quod illius fructus, redditus & proventus eis dumtaxat ex capellanis & beneficiatis prædictis, qui in ipsa Ecclesia divinis diurnis pariter & nocturnis sedulo vacarent officiis, pro quotidianis distributionibus cederent, ex hoc præfati Capellani & Beneficiati uberiori ipsis pro suis necessitatibus relevandis, provisione succedente, ad residentiam apud dictam Ecclesiam invitarentur, & venustati & decori ipsius Ecclesiæ consuleretur cum hujusmodi cultus in ea incremento. Quare pro parte vexilliferi, Anxianorum & Communitatis prædictorum asserentium, quod dudum apostolica auctoritate unum ex membris præfati monasterii in dicta civitate consistens ab ipso monasterio separatum & nonnullis pauperibus mensuatis nuncupatis in eadem civitate commorantibus appropriatum extitit; ac quod fructus redditus & proventus monasterii hujusmodi, qui quadraginta florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, aliquando per unam & quandoque per aliam dicti ordinis personam percipiuntur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut præfatum monasterium cum omnibus juribus & pertinentiis supradictis ipsi Ecclesiæ, modo & forma præmissis, in perpetuum unire annectere & incorporare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus super ipsis præmissis omnibus & singulis ac eorum circumstantiis universis, auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ea veritate subniti repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ordinis & abbatialis dignitatis nomina in præfato monasterio penitus supprimere & exstinguere, illisque suppressis & extinctis, ipsum monasterium cum eisdem juribus & pertinentiis præfatæ Ecclesiæ sub talibus modo & forma in perpetua incorporare annectere & unire dicta auctoritate procures; quod extunc liceat Capellanis & Beneficiatis prædictis per se vel alium seu alios possessionem monasterii juriumque & pertinentiarum prædictorum auctoritate propria libere apprehendere, ac ejus fructus redditus & proventus percipere & levare, & juxta providam per te desuper, prout tibi secundum Deum, pro venustate & decore Ecclesiæ ac in ea augmento cultus hujusmodi, videbitur faciendam ordinationem in Capellanorum & Beneficiatorum prædictorum apud ipsam Ecclesiam residentium, & præfatis officiis in ea vacantium pro tempore, ut præfertur usus dumtaxat convertere & perpetuo detineri Dioecesani loci, & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac Ecclesiæ, monasterii & ordinis prædictorum confirmatione apostolica, vel quacumque alia firmitate roboratis statutis & consuetudinibus contrariis quibuscunque, nec non quibuslibet privilegiis, indulgentiis ac literis apostolicis, specialibus vel generalibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, de quibus quorumcunque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, proviso quod monasterium prædictum velut hæreditas ad profanos usus non redigant, sed ejus consueta onera debite supportentur. Volumus autem quod Capellani & Beneficiati prædicti singulis annis in festo dicti Sancti in illius honore missam cum notis solenniter decantare, & ipsum festum celebriter observare teneantur. Et insuper exnunc irritum decernimus & inane si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptare. Dat. Florentiæ anno Incarnat. Dom. 1440. X. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno X.

# ALEXANDRI VI. LITERÆ

Has Literas manu Alexandri sc. memoria descriptas misit cl. Joannes Baptista Schioppalalba Venetus Sacerdos. Ex MS. exist. apud me

## *Carissimis in Christo filiis nostris Ferdinando regi & Helisabeth reginæ Hispaniarum catholicis.*

Carissimi in Christo Filii salutem & Apost. &c. Cum jam pridem multorum literis sermoneque omnium perferretur ad nos immanissimos Turcas Crucis Christi ac religionis nostræ acerrimos hostes, quasi nondum eorum rabies, subactis tot Christianorum regnis ac provinciis christiano Sanguine satiata atque expleta esset, variis expugnationibus, popula-

pulationibus atque incursibus in plerisque Christianorum locis truculentam eorum feritatem sævitiemque exercere, ac variis calamitatibus jacturisque christiana republica debilitata atque imminuta, suas vires opesque augere, pauloque post subjugata insigni Neupacrensi metropoli, nuntiatoque terra marique eorum apparatu, creberrimis nostris literis & nunciis pro nostro Pastorali officio Christianos Principes ad providendum subveniendumque huic tanto tamque imminenti discrimini omni studio, curaque excitare, sollicitareque non cessavimus; sed cum peccatis obsistentibus, privatæ dissensiones & discordiæ plusquam publica communisque causa, nostræque voces adhortationesque valuerint, & hactenus frustra vota in vanumque reciderint conatus nostri; nihilque nunciis nihil tot literis profecerimus, intellecta recenti crudelissimaque expugnatione civitatum Modonæ ac Coronæ, Videntes ipsos Turcas alia super alia Christianis illata strage, assidua elatos insolentesque victoria, reliquis Christianorum locis capitibusque insultare, ac, nisi quam celerrime succurratur, de tota Italia, quæ ab ipsis Turcis fere obsessa est, mox de reliquis Christianorum locis actum esse. Quod salubre & præsentaneum remedium afferre in medium potuimus, sine ulteriori mora id quod factu opus erat præstitimus, tresque legatos a latere nostro in consistorio nostro secreto creavimus tres dilectos Filios nostros (a) Raymundum presbyterum Cardinalem Gurcensem ad cariss. in Christo Filium nostrum Maximilianum Romanorum regem Ill. Electores imperii, universamque Germaniam, ac (b) Joannem presbyterum Card. Salernitanum in Galliam ad cariss. in Christo Filium nostrum Ludovicum Francorum regem Christianissimum, & in Angliam, mox in Scotiam, demum ad majestates vestras & Portugalliam ac Petrum (c) presbyt. Card. Regen. in Hungariam, Boemiam, Poloniamque, aliasque provincias illis adjacentes, brevi hinc quanta poterunt celeritate profecturos. Quibus Legatis inter cætera commisimus, ac amplas desuper facultates concessimus, ut imprimis ipsos & alios catholicos Principes invicem unire concordare conciliare procurent, pacemque inter eos sive treugas aut confœderationes si quæ urgeant privatæ discordiarum aut dissensionum causæ, componere, tractare, operari, denique totis viribus intermittantur, ut sancta hæc expeditio liberius suscipi, nulloque privato impedimento suscipi, nulloque privato impedimento publica communisque hæc causa postponi aut intermitti valeat, ab ipsisque Principibus subventionem necessariam ac modum contribuendi exquirant, concludant, atque ad effectum optatum portumque deducant, & ad celerem expeditionem proximo sequenti vere, Deo favente, sumendam, subsidia oportuna requirant, ipsisque legatis Cruciatam, Jubileum ac Decimas a nobis pro hac Turcarum causa decretas atque concessas in ipsis regnis & locis publicandi facultatem concessimus, qua facilius sumptus hujus expeditionis suggeri & huic sanctæ expeditioni melius valeat provideri; nihilque propterea intentatum aut inausum relinquemus, quod ad maturandum & properandum & in commune consulendum, subveniendæque huic rei conducere posse judicabimus, prout debito & officio nostro scimus plane convenire; quod si rem Deo in primis acceptam, rei necessitati opportunam, nomini famæque nostræ gloriosam ac perennis memoriæ facere vellemus, ut cæteri Principes Christiani exemplo nostro facilius ad hoc gloriosum opus incitarentur, expediret ut personaliter in eam expeditionem proficisceremur, ad quod nos, tametsi ab ineunte ætate sacris initiati, iisque semper intenti, & in hac demum sacrosancta pontificalique Sede locati, ingravescentibus annis nihil minus quam arma & res bellicas tractare possumus, & arma nostra, ut scriptum est, esse potius deberent preces & lachrymæ; considerata tamen evidenti & ante oculos omnium posita Christianorum necessitate, ac quantum præsentia nostra Christianos Principes ac populos disponere, exercitum animare, hostium animos, audaciamque confringere poterit, matura in consistorio nostro cum ipsis venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus consultatione, modo idem Francorum Rex & Tua Majestas vel alter vestrum personaliter nobiscum venire velint, ultro libenterque una cum ipsis cardinalibus, qui & ipsi omnes sponte ac personaliter nobiscum ire polliciti sunt, in propria persona cum classe nostra in hoc sanctum adversus ipsos perfidos Turcas negotium ire decrevimus, proprio sanguine, si expediat christianum sanguinem vindicaturi, & pro fide Christi, cujus vices licet immeriti substinemus & religione sua tuenda, ovibusque suis pastorali nostræ vigiliæ curæque commissis a rabido luporum ore eripiendis, precibus, orationibus, ac quoquomodo toto etiam, si casus ferat, corpore certaturi; confidimus, non deseret Deus, cujus causa agitur, sperantes in se, nec tantos talesque Reges nobiscum Christianoque exercitu dabit videre corruptionem. Et quia tanta rerum moles prinsquam eam aggrediamur, magnam considerationem, magnum ordinem ac præparationem expostulat, de modo ac viæ ipsos hostes invadendi nostro judicio in primis necessario putamus esse cogitandum. Quare tripartito exercitu contra ipsos Turcas impeditio hæc sumenda videretur, navali . . . . , & bifariam diviso exercitu, maritimum autem nobis, per nos ac Italicos potentatus, ipsum Francorum Regem V. Majestatem ac Venetorum dominium esse sumendum; in quo instruendo animandoque quisque nostrum pro virili esset contributurus, eamque classem parari oportere hac hyeme, quæ sola tanto discrimini, quod a Turcis toti Christianitati impendet, intercedit & talem classem, quæ proximo mense Aprilis ex tunc parata magnitudine periculi ad Turcorum (*sic*) potentiæ tutelæ Christianos honori ac viribus illam instruentium conveniet. Et tot secum pedites equitesque cum tormentis machinis, ac instrumentis bellicis deferret, qui data opportunitate eos ab ipsa classe in continentem educere, hostiles terras adoriri atque invadere, cum Turcis confligere, & deinde si casus ferat, christiano terrestri exercitu Imperiali aut Hungarico se conjungere non dubitaret; & jam nos, quod pertinere ad nos putavimus, triremes navesque aliquot conquisivimus, atque ut in tempore paratæ sint, sedulo operam dabimus. Alter esset exercitus terrestris ab ipso Romanorum Rege & natione Germanica per ea loca, quæ dictioni suæ Turcis finitima sunt, deducendus, & ex illis locis teterrimis invadendus hostis, ad quem exercitum parandum bellumque sumendum, eaque omnia nunciandum ac disponendum Legatum a latere nostra ipsum Cardinalem Gurcensem, ut diximus, propterea ad ejus majestatem destinamus. Tertius similiter esset etiam terrestris exercitus ab Hungaria Boemia, Polonia, ac reliquis illis Principibus notissima in Turcas & consueta via per illos catholicos, Reges traducendus; ad quos Reges & Principes in hoc sanctum negotium incitandos hortandosque, atque ex animo obsecrandos præfatum Card. Regiensem legatum similiter a nostro latere transmittimus. Mariti-

(a) Raymund. Berandus Germanus, qui revocatus ab eod. Alex. VI. confirmatus fuit a Julio II. tandem red. a legat. 2. Octob. 1504. Ex Diario Joannis Burchardi pag. 164.

(b) Joannem Veram Hispanum &c. De apparatibus bellicis, qui ob hanc causam hoc anno a Ludovico XII. in Gallia habebantur, videre est, præter Historicos Petri Alexandri Senioris, qui tunc ibi morabatur.

(c) Petrum Isvalies Siculum Archiepisc. Regiensem in Calabria, qui rediens a legatione Hungarica Romam pervenit 24. Octob.

Ex Diar. sup. cit. pag. 67.

rittimo navalique bello, quod per nos & Italicos potentatus ipsumque Francorum Regem, V. Majestatem & Venetos sumendum esse censuimus, nos omnes qui eam classem armabimus contribuere deberemus, sumptusque omnes ipsius exercitus substinere: exercitum vero Regis Rom. & German. in Turcas deducendum ipse Rex Rom. Electores imperii Principes, ac inclyta illa natio instruere alereque satis possent. Tertius vero exercitus ab Hungaris, Boemis, Polonis & aliis finitimis Principibus conducendus, quem soli illi Reges qui continuum cum Turcis bellum gerunt, eo antemurale quoddam Christianorum ac propugnaculum existunt, tantus belli tamque diuturnos sumptus sufferre non possent, a nobis & ipsis Italicis potentatibus, præfato Francorum Rege ac VV. Majestatibus necnon e remotissimis Regibus & Principibus quales sunt Reges Angliæ, Scotiæ, Portugalliæ, nisi is Rex Portugalliæ classem aliquam instruere vellet pro sua expeditione pro virili & juxta cujusque facultates adjuvandi viderentur, & mutuis subventionibus collectisque sublevandi. Hoc igitur, ita ut diximus, in tres partes diviso exercitu, confidimus Turcarum impetus non solum compesci, & ne progrediantur, cohiberi posse, sed ab eis recuperatis rebus ablatis eos in suos fines fore retrudendos. Et licet considerata VV. Majestatum in hoc sancto negotio promptitudine piaque mente supervacaneum existimemus, eas aliter ad ipsam expeditionem adjuvandum aut promovendum hortari; magnitudo tamen manifesti periculi ac necessitatis facit ut etiam sponte ut ajunt currentes excitemus, & nos in hac maxima cura sollicitudineque constanti Majestates VV. nobiscum anxias sollicitemus. Quare Celsitudines VV. ex animo rogamus, ut quibus possunt viribus, consiliis, auxiliis, omnibus denique curis & studiis in hanc S. expeditionem quam celerrime, seclusaque omni mora accingant, aliosque tum suos tum exteros Principes & Proceres, qui videbuntur secum advocent & alliciant. Si quid ergo unquam Cariss. Filii, Majestates VV. pro fide, pro gloria, pro memoria æterna in hoc sæculo facere concupiscitis; si denique rempublicam Christianam a manifesta evidentique eversione salvam incolumemque vultis, in hanc unam curam, animum, cogitationem, mentemque omnem una nobiscum traducite; opem ac consilium in commune ferre non desinite, & si personaliter in tam memorabile opus Tua Majestas venire decreverit, indecorumque, ut credimus, putaverit, ut Rex tantus tam potens, florente ætate, tantis rebus domi forisque gestis petiatur nos inter sacra educatus, Pontificia cura eaque ætate gravatus sine sua præsentia in id bellum prodire, atque itidem indignum duxerit; ut ipse domi in pace & quiete, nos contra in classe & bello contra Turcas marinis jactemur fluctibus, ut Catholicus Rex clamantis Pastoris vocem non audiat, euntem non sequatur, periclitantem non adjuvet; hortamur & attente rogamus, ut quam classem propterea tenere quove loco deducere quando personaliter venire, & quid ex toto facere deliberet, quamprimum nobis significare velit, ut hoc responso intellecto possimus in hac tanti momenti totiusque Christianitatis necessitate, quid facturi simus consultius providere, nec Majestates Vestras in hac legati expectatio remoretur, qui tot regna ac provincias antequam illthuc trajiciat, peragraturus est, sed quam primum his acceptis, nos faciant de omni sua voluntate deliberationeque certiores. Datum Romæ die XX. Octob. 1500. Pontific. nostri anno IX. (*sic*)

# ALIÆ ALIORUM PONTIFICUM LITERÆ.

Ex MS. exist. apud me.

PIus Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ex Apostolicæ Sedis provisione ac personarum eidem sedi divotarum sincero affectu pervenire dinoscitur, ut Romanus Pontifex quamquam prædecessorum suorum Romanorum Pontificum innovet, approbet & restauret, & auctoritate Apostolica fulciat innovata, sane pro parte dilectorum filiorum Manni de Cavalcatibus præpositis Ecclesiæ sancti Genesii terræ sancti Miniatis Lucanæ diœcesis ad præsens capitulo carentis ac Francisci de Lancillottis H. doctoris per dilectos Filios universitatem & homines dictæ terræ ad nos super hoc specialiter destinatorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut quasdam felicis recordationis Innocentii Papæ III. prædecessoris nostri literas dilectis Filiis Præposito & capitulo dictæ Ecclesiæ concessas, quibus in toto vel in parte quanquam usi non sunt, cum incipiat vetustate consumi, confirmare & approbare de benignitate Apostolica dignaremur, quarum tenor, figuis, supplicationibus & caracteribus exceptis, sequitur in hæc verba videlicet.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis Filiis Bonaccursio præposito S. Ginesii, ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris canonice constituendis in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis affectu debet prosequente compleri, ut & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur, o filii in Christo carissimi vos per divinam gratiam aspirati mores vestros cohærere & sub vitæ canonicæ disciplina & communiter secundum Sanctorum Patrum institutionem disposuistis omnipotenti Domino servire, nos votis vestris paterno congratulamur affectu, unde etiam prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Alexandri II. Paschalis, Eugenii, Anastasii, Alexandri, Lucii, Clementis & Cælestini Romanorum Pontificum instituta sequentes, vitæ canonicæ ordinem, quem estis professi, præsentis privilegii auctoritate firmamus, & ecclesiam vestram sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus; statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præsentante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hic propriis duximus vocabulis exprimenda. Locum ipsum in quo plebs ipsa sita est cum omnibus pertinentiis suis, quartam partem decimarum totius vestræ Plebis, & omnia quæ felicis memoriæ Johannes episcopus canonicus vestræ concessit Ecclesiæ, Domum, & leprosorum cum Ecclesia S. Lazari juxta eamdem Plebem cum pertinentiis suis, universa etiam quæ a Langobardis de S. Miniato vobis legitime data sunt ac chyrographis confirmata, eleemosynarum etiam quæ pro defunctis alicubi intra Plebis spatia sepultis offeruntur tertiam partem, quemadmodum a bona memoria Paschalis prædecessoris nostri vobis concessum est & scripto suo firmatum. (*sic*) In Burgo quoque Ecclesia S. Ægidii cum pertinentiis suis, Ecclesia S. Christophori & S. Justi & S. Angeli supra Burgum cum omnibus pertinentiis suis. In eodem etiam Burgo Ecclesiam S. Petri, & in castro Sancti Miniatis Ecclesiam S. Mariæ cum pertinentiis suis, in quibus duabus per eos qui ibi fuerint per nostram providentiam ordinati divina semper officia celebrentur, & quidquid juris habetis in eadem Ecclesia S. Mariæ per Ecclesiam Sanctæ Christinæ, item Ecclesiam S. Bartholomæi cum pertinentiis suis, Ecclesiam S. Blasii, Ecclesiam S. Stephani, Ecclesiam S. Laurentii de Nocida, Ecclesiam S. Petri supra Fontem, Ecclesiam S. Andreæ juxta Castrum Ciculum, Ecclesiam S. Michaelis infra muros, Ecclesiam S. Jacobi & S. Luciæ, Ecclesiam S. Donati de Faugnana, Ecclesiam S. Martini de Castilione, Ecclesiam S. Hippoliti de Marzana, Ecclesiam S. Mariæ de Calenzano, Ecclesiam S. Quintini, Ecclesiam de

de Colle, Ecclesiam de Capriano, Ecclesiam de Canneto, Ecclesiam S. Mariæ de Montarso, Ecclesiam de Monterotundo, Ecclesiam de Planatole, Ecclesiam de Bruściano, Ecclesiam S. Stephani de Turre, Ecclesiam S. Petri de Marciguana, Ecclesiam S. Donati de Insula, Ecclesiam S. Angeli de Rophia, Ecclesiam S. Philippi de Pinu, Ecclesiam S. Prosperi de Montalprandi cum omnibus pertinentiis earum, & si quis imposterum infra unius Plebis spatium ædificare contigerit. Quicquid etiam juris habetis in curte Sanctiminiatis de Empulo de Monterappoli, & in curte de Marrignana, ad hæc ad exemplar Cælestini Papæ prædecessoris nostri adiiciendo statuimus, ut nulli omnino liceat præfatas Ecclesias ab Ecclesiæ vestræ solita obedientia & debita subjectione subtrahere. Nec ulli unquam fas sit in parrochia vestra de novo Ecclesiam seu oratorium vel xenodochium sine Lucani Episcopi & vestra successorumque vestrorum conniventia & assensu aliqua temeritate construere, vel constructam sine ipsius Episcopi & vestro consensu alicujus subiicere potestati, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui a sacro ordine fuerint promovendi, & cætera Ecclesiastica sacramenta per Diœcesanum Episcopum sine juramenti exactione vel qualibet pravitate vobis præcipimus exhiberi. Porro sepulturam ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui, si illic sepeliri deliberaverint nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Constituimus etiam, ut si aliquis Parochianorum vestrorum apud aliam Ecclesiam elegerit & receperit sepulturam, canonica vobis in testamento, quæ matribus debetur Ecclesiis, portio reservetur. Cum autem generaliter interdictum Terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Apostolica quoque auctoritate sancimus, ut in Ecclesiis vestris absque vestra conscientia & consensu, nullus Pastor audeat ordinare, sed eorum ordinatio juxta sanctiones canonicas, sicut hactenus mansisse dinoscitur, in vestra semper maneat potestate: præterea tibi & successoribus tuis corrigendi subditos tuos, fili præposite, sicut prædecessores tui consueverunt habere, liberam concedimus facultatem; jura vero, antiquas & rationabiles consuetudines Ecclesiæ vestræ hactenus observatas, sicut jam juste & canonice habetis, vobis nihilominus confirmamus. Prohibemus insuper ne Episcopus vester in vos vel in Ecclesias vestras interdicti sententiam absque justa & manifesta causa promulgare præsumat: compositionem autem quam bonæ memoriæ Laufrancus Fesulanus Episcopus de mandato felicis memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri cognoscens super Ecclesiam S. Christophori fecisse dinoscitur inter B. antecessorem tuum & magistrum Guidonem ab Abbate S. Petri in Cælo aureo constitutum sicut rationabiliter facta est, & ab utraque parte sponte recepta & in scripto authentico continetur, auctoritate Apostolica confirmamus. Prohibemus insuper ut nullus laicus audeat aliquam Ecclesiam vestri Plebatus alicui presbytero assignare, vel etiam in Sede ponere, & nulli fas sit presbytero Ecclesiam de laica manu recipere vel aliquatenus retinere. Diffinitionis autem sententia, quam felicis recordationis Paschalis Papa super controversia promulgavit, quæ inter bonæ memoriæ Aoselmum Ficeclensam Abbatem & Guidonem prædecessorem tuum, fili præposite, super Ecclesia de Grimagneto & aliis quibusdam Ecclesiis vertebat, sicut hactenus est servata, & scripto authentico continetur, auctoritate Apostolica confirmamus; obeunte vero te ejusdem loci præposito vel tuorum quolibet, successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel major pars consilii sanioris, secundum Dei timorem providerint eligendum: electus vero Lucano Episcopo præsentetur, & ei, sicut prædecessores sui consueverunt, promittat obedientiam, patronis loci solo justæ defensionis patrocinio permanente. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, imminuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quibus gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodo profuturas, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesani ipsius canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ (A) constitutionis paginam scienter contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, a Sanctissimo Corpore & Sanguine Domini & Dei Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Romæ apud S. Petrum per manus Joannis S. Mariæ in Via Lata Diaconi Card. Nonis Decembris indict. VIII. Incarnationis Dom. MCCV. Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ III. an. VIII.

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati literas ipsas quas inspici & examinari fecimus diligenter, quatenus ipsi Præpositus & Capitulum illis usi fuerant, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, ac vim & vigorem habere decernimus, non obstantibus præmissis ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Approbationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc hactenus obstare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Senis an. Incarnat. Dom. MCDLXIII. tertio Id. Martii Pontific. nostri an. VI.

JOANNES DE SALA.

## CÆLESTINUS EPISCOPUS

*Servus servorum Dei dilectis filiis Gregorio Præposito S. Genesii subdiacono nostro ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum.*

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut & devotionis sinceritas laudibus enitescat, & veritas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur &c. *ut supra in Bulla Innocentii III.....sed hic non sunt ea quæ in eadem Bulla Innocentii habentur ab illis verbis* ad exemplar Cælestini *usque ad* nulli omnino. *In fine vero legimus has subscriptiones.*

Ego Cælestinus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Petrus tit. S. Cæciliæ presb. Card.
Ego Ufide S. Prudent. presb. Card.
Ego Joannes tit. S. Clementis Card. Viterbiens. & Tuscan. Episcopus.
Ego Guido S. Mariæ in Transtyberim tit. Calisti presb. Card.
Ego Hugus tit. S. Martini presb. Card.
Ego Joannes tit. S. Stephani presb. Card.
Ego Cintius tit. S. Laurentii in Lucina presb. Card.
Ego Soffredus tit. S. Praxedis presb. Card.

Ego

Ego Bernardus S. Petri de Vincula presb. Card.
Ego Fidus tit. S. Marcelli presb. Card.
Ego Joannes tit. S. Priscæ presb. Card.
Ego Albinus Alban. Episc.
Ego Octavianus Belletrensis Episc.
Ego Joannes Prænestinus Episc.
Ego Petrus Portuensis S. Rufinæ Episc.
Ego Gratianus SS. Cosinæ & Damiani Diac. Card.
Ego Gherardus tit. S. Adriani Diac. Card.
Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu Diac. Card.
Ego Gregorius S. Mariæ in agro Diac. Card.
Ego Gregorius tit. S. Georgii ad Vellaurentis (*sic*) Diac. Card.
Ego Locterius SS. Sergii & Bacchi Diac. Card.
Ego Nicolaus S. Mariæ in Carmeld. (*sic*) Diac. Card.
Ego Gregorius S. Angeli Diac. Card.
Ego Bobo S. Theodori Diac. Card.
Ego Petrus S. Mariæ in Via Lata Diac. Card.

Actum Laterani per manum Cirini S. Luciæ in Hortea (*sic*) Diac. Cardinalis Domini Papæ camerarii VIII. Kal. Maii indictione XIII. Incarnat. Dominicæ MCXCIV. Pontificatus vero dicti Cælestini Papæ III. anno IV.

*In eodem Cod. sunt sequentia quæ hic danda censui.*

Dominus Ugo de Malpiglia Reverend. præpositus Plebis S. Genesii & Mariæ de Sancto Miniato Lucanæ diœcesis dedit, donavit, & in perpetuum concessit ordini Fratrum Prædicatorum Ecclesiam S. Jacobi de Fonsporta de Sancto Miniato. Die 3. Mensis Maii an. 1330.

Idem Dominus Ugho præpositus dedit & concessit ordini Humiliatorum Ecclesiam S. Martini de Faugnana de Sancto Miniato die 23. dicti Mensis an. Dom. MCCCXXXV.

# BULLA SIXTI IV.

*Data Lucensibus pro alienatione bonorum Stabilium, quorum fructus non excedunt valorem quatuor florenorum auri de camera.*

Ex cod. apud me.

SIxtus Episcopus Servus Servorum Dei Venerab. Fratri Episcopo Lucano salutem & apostolicam benedictionem. Super universas orbis Ecclesias & alia pia Loca, meritis licet insufficientibus divina dispositione constituti ad ea nostræ vigilantiæ studia propensius extendimus, per quæ Ecclesiarum & locorum eorumdem, nostræ provisionis ministerio utilitas valeat salubriter procurari. Dudum siquidem a felicis recordationis Paulo papa II. prædecessore nostro literæ emanarunt tenoris subsequentis videlicet.

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus judiciis sit rectitudo justitiæ & conscientiæ puritas observanda, id multo magis in commissionibus alienationum rerum Ecclesiasticarum convenit observari, in quibus de Christi patrimonio & de dispensatione pauperum, non de proprio cujusque peculio agitur, aut tractatur, quapropter oportet ut in examinandis hujusmodi alienationum causis, quæ a sede apostolica in forma, si in evidentem utilitatem cedant, oneratis Ecclesiasticorum judicum conscientiis delegantur, nihil favor usurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio præmii justitiam conscientiamque subvertat.

Monemus igitur, & sub interminatione divini judicii omnibus commissariis & Delegatis districte præcipimus, ut caute & diligenter attendant causas in literis apostolicis per supplicantes expressas, illasque sollicite examinent, atque discutiant testes & probationes super narratorum veritate recipiant, & solum Deum præ oculis habentes, omni timore & favore deposito, Ecclesiarum indemnitatibus consulant, nec in læsionem aut detrimentum earum decretum quomodolibet interponant. Si quis autem commissarius aut delegatus conscientiæ suæ prodigus, in gravamen aut detrimentum Ecclesiæ per gratiam, timorem vel sordes alienationi consenserit, aut decretum vel auctoritatem interposuerit, inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat, Episcopus vero aut superior ab executione officii per annum noverit se suspensum; ad æstimationem detrimenti Ecclesiæ illati nihilominus condemnandum sciturus: quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se in divinis, irregularitatis se laqueo involvet, a quo nonnisi per summum Pontificem poterit liberare. Is vero qui dolo vel fraude aut scienter in detrimentum Ecclesiarum alienationem fieri procuraverit, aut per sordes vel impressionem alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurrat, a quo nonnisi per Romanum Pontificem possit absolvi, ad restitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus quandocumque de præmissis constiterit condemnandus. Volumus autem quod delegati & commissarii prædicti de pœnis constitutionis nostræ specifice moneantur, & in quibuscunque literis commissionum hujusmodi hoc statutum nostrum inseratur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ monitionis, præcepti, & voluntatis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dominicæ 1465. V. idus mai. Pontificatus nostri anno primo.

Et deinde pro parte dilectorum Filiorum Communitatis & populi civitatis Lucanæ nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in civitate & diœcesi Lucana sint quamplures domunculæ, ædificia, terrarum petiolæ, pluraque alia bona immobilia ad diversas Ecclesias, monasteria, cappellas, domos Religiosorum, hospitalia & alia pia loca civitatis & diœcesis prædictæ legitime pertinentia, ex quibus legitima admodum percipitur utilitas, quodque si bona ipsa permutari, aut in emphytheusim, seu livellum sub aliquo convenienti canone, seu annuo censu perpetuo concedi aut etiam vendi, vel aliter alienari possint, profecto multi homines civitatis & diœcesis prædictæ invenirentur, qui pro bonis prædictis, alia immobilia bona majoris annui fructus ex causa permutationis assignarent, seu illa in emphytheusim seu livellum hujusmodi sub congruo annuo censu reciperent, aut illa emerent & ex eorum precio alia bona utiliora emi possent, quod profecto in Ecclesiarum, monasteriorum, cappellarum, domorum, hospitalium & aliorum locorum prædictorum, (*) bona hujusmodi pro aliis utilioribus bonis permutandi, seu in emphytheusim vel livellum sub congruo annuo censu concedendi aut etiam vendendi licentiam concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Ecclesiarum monasteriorum, ac aliorum locorum piorum omnium utilitates & commoda libenter procuramus, de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint vocandi,

(*) f. deest. majorem cederet utilitatem.

di, ac præinsertarum literarum forma diligenter servata, designatis prius ac specificatis coram te bonis permutandis seu concedendis, vel vendendis prædictis, bona ipsa dummodo singularum domuncularum, ædificiorum, & locorum alienandorum hujusmodi fructus, redditus & proventus quatuor Florenorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excedant in evidentem utilitatem pro aliis immobilibus bonis magis utilibus permutandi seu in emphytheusim vel livellum hujusmodi pro convenienti censu vel canone annuo concedendi, cui, seu quibus personis, cum quibus Ecclesiarum, monasteriorum, Cappellarum, domorum Religiosorum, hospitalium & aliorum piorum locorum huiusmodi conditionem efficere poterit, meliorem vendendi & alienandi plenam & liberam facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium elargimur non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & statutis & consuetudinibus Ecclesiarum & monasteriorum prædictorum, ac quorumvis ordinum, juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod precium ex vendendis bonis hujusmodi perveniendum apud ædem sacram vel personam fide & facultatibus idoneam cum cautelis opportunis deponatur, in emptionem aliorum bonorum immobilium magis utilium omnino fideliter convertendum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dominicæ 1482. Kal. Februarii Pontificatus nostri an. XII.

# IN SEQUENTEM EPISTOLAM

# PRÆMONITIO.

*AD Clementem VII. electum in schismate adversus Urbanum VI. pertinere arbitror quas hic subiicio literas a me repertas in MS. Cod. Biblioth. Capituli majoris Ecclesiæ Lucensis. Quamquam enim in titulo nequaquam repererim a quo Clemente, ex iis qui Avenione sederunt, data sit, attamen liber in quo continebatur ætate Clementis datus est, & multa continet eorum quæ sub hoc Pontifice gesta sunt.*

## CLEMENS SERVORUM DEI

Ex MS. Cod. Eccl. Maj. Luc.

ETsi Judæorum sit reprobanda perfidia, eorum tamen conversatio utilis est christianis; nec ipsi cum salvatoris imaginem habeant, & sint ab universorum creatore creati debent a suis concreaturis videlicet christifidelibus indebite molestari; nam quantumcumque sit eorum credulitas perversa, amici Dei sunt ipsorum patres effecti, ut eorum reliquiæ salvæ fiant. Sane petitio pro parte universorum Judæorum in civitate nostra Avenionensi commorantium nobis exhibita continebat, quod licet Judæi & Judææ qui in civitate prædicta pro tempore moram traxerunt pro quibuscunque causis etiam criminalibus coram judicibus causarum temporalis curiæ civitatis ipsius dumtaxat consueverunt conveniri, tamen Judæi, & Judææ in civitate commorantes eadem frequenter in causis ipsis etiam contra statuta & libertates civitatis prædictæ coram diversis aliis judicibus ad judicium pertrahuntur, & per eosdem alios judices personaliter arrestantur, eorumque bona capiuntur, distrahuntur, seu alienantur, & alias male tractantur, quamvis de facto in ipsorum maximum præjudicium & gravamen. Quare pro parte dictorum Judæorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis in præmissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati universis & singulis Judæis & Judæabus in civitate prædicta commorantibus, & in posterum moraturis auctoritate apostolica præsentium tenore concedimus, quod ipsi civiliter etiam in causis usurariis, etiamsi res ipsa de qua ageretur, esset Ecclesiastica aut civiliter per quasvis Ecclesiasticas, seculares vel regulares aut laicales personas cujuscunque status, gradus, ordinis, vel dignitatis existant; etiamsi personæ nostri vel S. R. E. Cardinalium familiares fuerint, coram alio judice Ecclesiastico vel sæculari, sive apostolica sive ordinaria sive quavis alia auctoritate fungantur, etiamsi in hujusmodi causis usurariis deputato vel deputando imposterum, etiam auditore causarum curiæ, cameræ apostolicæ, quam coram eisdem judicibus dictæ curiæ temporalis vel camerario nostro conveniri non debeant nec respondere aliquatenus teneantur, nec ad id compelli possint invito, etiam per literas apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ac universas & singulas causas civiles etiam usurarias & criminales, etiam contra eosdem Judæos eorum quocunque alio Judice tam dicto auditore quam coram eisdem judicibus præfatæ curiæ . . . . pendentes ad nos tenore advocamus prædicto, & ipsas prædictis judicibus ejusdem curiæ temporalis præmittimus audiendas per eos & fine debito terminandas. Nulli ergo &c. si quis autem &c. Datum Avenioni VIII. Idus Martii pontificatus nostri anno VII.

## IN SEQUENTEM EPISTOLAM

# PRÆMONITIO.

*Labente seculo XIII. Pisani commissis pluribus cum Lucensibus præliis varie marte pugnarunt. Capta sunt utrinque plura oppida & loca ditionis alterutrius. Inter occupata a Pisanis quædam fuerunt, quæ licet in territorio Lucensi, temporali dominio Episcopo Lucensi parebant. Reclamatum ab Episcopo fuit ad legatum Sedis Apostolicæ, itemque ad Pontificem; quisnam ille fuerit sive Nicolaus III. seu Martinus IV. qui per hæc tempora regnarant, ignotum est. Ille rem totam commisit expediendam Guifredo tit. S. Marci Presbyt. Cardinali, & in universa Tuscia legato. Munus ille suum præstitit egregie, sed cum surdis occinere se intelligeret, variis præfixis terminis intra quos parerent, & ne obedirent, censuras minitans, tandem interdicto Pisanam urbem subjecit. Huc pertinent hæ literæ. Qui vero hic fuerit Guifredus Card. tit. S. Marci, silente Ciacconio, ignotum mihi esse profiteor. Notus est quidem circa hæc tempora Guifredus tit. S. Sabinæ Card. sed an idem fuerit cum nostro, qui tit. S. Marci præferebat, affirmare non ausim. Cæterum literas erui ex Archivo Archiepiscopatus Lucensis. Episcopum vero Lucanum Paganellum extitisse non dubito; qui ab an. 1276. usque ad 1299. in ea cathedra sedit.*

### GUIFREDI CARDINALIS EPISTOLA

*De censuris in Pisanos ferendis.*

Ex Archiv. Archiepiscopatus Lucensis ✠ ✠ D. S.

VEnerabili in Christo Patri Abbati Sancti Pauli de Ripa Arni Pisarum. Petrus prior Sancti Fridiani Lucani salutem in Domino. Litteras domini legati recepimus in hæc verba. Golfredus miseratione divina titulo Sancti Marci presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus. Dilecto in Christo filio Priori Sancti Fridiani Lucani, salutem in Domino. Ad tuam credimus notitiam pervenisse, quod dudum tulimus excommunicationis sententiam in vicarios Potestatis Pisarum & ipsius Civitatis consilium pro eo quod possessionem castrorum Ecclesiæ Lucanæ juxta præceptum nostrum Venerabili fratri Episcopo Lucanum restituere non curabant, deinde crescente contumacia eorumdem una cum eis excommunicavimus Potestatem & consilium ejus, iterum Judices omnes, tabelliones & omnes officiales & quoslibet alios ipsius Civitatis qui eis in hoc præstarent consilium auxilium & consensum seu favorem, nisi infra festum omnium Sanctorum proxime nunc præteritum possessionem ipsam restituerent dicto Episcopo juxta interpretationem nostram petitam & acceptatam ab ipsis. Omnes quoque cives Pisarum denunciavimus esse periuros, pro eo quod præcepto nostro facto sibi sub debito juramenti præstiti non parebant. Alias nihilominus pœnas eis nisi resipiscerent comminantes: Ad hæc Civitatem Pisarum subiecimus interdicto, districtius inhibentes ut præter baptismata parvulorum & pœnitentias morientium aliquid ibi celebretur divinum officium vel exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, ac in virtute obedientiæ districte præcipientes..... Archiepiscopo & Capitulo Pisarum ut publicarent omnia supradicta, ipsamque interdicti sententiam observarent, & facerent observari. Sed nec Cives Pisarum possessionem dicto Episcopo curaverunt restituere supedictam: nec iidem Archiepiscopus, & Capitulum prædictam publicarunt, nec ipsam interdicti sententiam servans vel faciunt observari, præceptum nostrum sic indurata facie contemnentes ut eis vere possit adaptari propheticum illud. Erit sicut populus sic sacerdos. Unde Dilecto filio... Abbati Sancti Pauli de Ripa Arni Pisarum in virtute obedientiæ perscripta nostra districte præcipientes mandavimus, ut nisi dicti Archiepiscopus & Capitulum hæc omnia, prout eis literum mandavimus, duxerint adimplenda infra terminum eisdem assignatum a nobis ipse per totam Civitatem & ditionem Pisarum publicet & publicari faciat omnia supradicta. Clericos quoque Pisarum si, postquam eis denuntiatum fuerit, præsumpserint celebrare, inhibitione nostra contempta, eadem sententia cujuscunque sint dignitatis vel ordinis auctoritate nostra denuntiet involutos, præcipiens Abbatibus, Prioribus & universis Prælatis ejusdem Civitatis, ut in personis propriis sic excommunicati & interdicti ad præsentiam nostram accedant. Ideoque discretioni tuæ, auctoritate qua fungimur, in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus si eisdem Archiepiscopo & Capitulo infra præfixum eis terminum in præcepti nostri executione cessantibus, Idem Abbas adimplere neglexerit supradicta, tu eum excommunicatum & interdictum auctoritate nostra publice nuntians, præcipias ei ut ad præsentiam nostram in persona propria sic excommunicatus & interdictus accedat. Datum Mediolani XVI. Kal. Decembris.

# PLACITUM ECCICCONIS

## MISSI OTHONIS I. IMPERATORIS

*Habitum in Synodo provinciali Ferrariæ celebrata a Petro Archiepiscopo Ravennæ. A. 970.*

Ex Archiv. Ferrariens. Eccl. MSS Rev. D. Canonic. Joseph Antenor Scalabrini,

IN Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Anno Deo propitio pontificatus D. Johannis summi Pontificis & universalis papæ in apostolica sacratissima B. Petri sede quinto, sicque imperante D. perpetuo Augusto Octone a Deo coronato pacifico magno imperatore anno Regni Pietatis ejus in Italia vero Nono, & D. Othone item a Deo coronato Imperatore ejus filio anno tertio, die sexto Mensis ..... Ind. XIII. Ferrariensi dum resideret in judicio, & in generali placito D. Ecciceo Comes

missus

missus & missus imperialis, simulque cum eo Liucius Ep. S. Cremonensis Ecclesiæ in mansione Pedeplana . . . . , quæ est posita in ipsius burgo Ferrariensis singulorum hominum justitias faciendas, & altercationes deliberandas residentibus & adstantibus cum eis maxima pars populi multitudo bonæ opinionis & laudabilis famæ pariter eorum omnina plura notantur, idest in primis D. Petrus Archiep. S. Ravennatis Ecclesiæ, Adelbertus Ep. Bonomensis, Hubertus Ep. Luviensis, Johannes Ep. Corneliensis, Leo Ep. Ferrariensis & cum eis residebant D. Paulus dictus de civitate Ravenna, Dudu Saxenas, Dudunas . . . . . Ferrariensis, & Johannes dictus . . . . cives Ferrariensis, Addo judex sacri palatii. Guarino & filio supradicto Guarino, Tarrardus, & Arardus Sigigonia comitis, Romualdus . . . . germanis Ducibus, Romualdo . . . . . dreas de Amabilis, Deusdedit de Ponte Augusti, Petrus consul qui vocatur de Gregorius, Antonius qui vocatur Acius, Leo qui vocatur de Andrea, qui dicitur filio Severi, Ursus Dati germanis Ducibus . . . . abodo & alio Petrus Sabellius similiter de Ferraria, Petrus Filius Romanus Consulis qui vocatur de Teudo, Johannes Judice de Caput. Sandali, & alio Johannes, qui vocatur de Ardoino. Johannes, qui vocatur russo. . . . qui vocatur de Brasida, Petrus de Rainfredus, Martinus qui vocatur preconario, & me præsente Dominicus Tabellius de Civitate Raven. & aliis & cæteris in nostrorum istorum hominum præsentia . . . . . tus est supradictus Liucius Ep. Cremonensis Ecclesiæ de parte pro Comitato Ferrariense adversus prædictus D. Petrus Archiepiscopus S. Ravennatis Ecclesiæ ei = quero tibi commodo habet detinet Arimanni habitatoribus in locos, quæ vocantur Curolo & Tammara & de Caput Sandali usque hic Ferraria, seu & Arimanni quod habuerunt in Castro Ficariole vel infra plebe S. Mariæ quæ vocatur Trenta venire custodire debeat & ipsius servitium vel ipsam ministrationem, quem ad meis antecessoribus qui illum comitatum Ferrariense detinuerunt fecerunt & vos mihi aliis . . . . . ditis. Ad hæc respondens supradictus D. Petrus Archiep. dicens: Ad cum de ipsis hominibus, qui vos dicitis ad Curolo & Tamara & de omnibus aliis meis colonis & residentibus habitatoribus in rebus, quod est juris S. nostræ Ravennatis Ecclesiæ; ego de illis habeo contentiones D. Apostolicis, quas mihi continent D. Marini Sanctissimi Papæ & D. Agapiti, & Joannes seu Leonis nec non modo postea supradicto D. Joannes Sanctissimo Apostolico, & mihi exinde confirmavit D. Ottones Rex quando in Italia ingressus est, & postea illum coronatus fuit. Similiter illum alia vice per suum præceptum confirmavit ut nullus meus residentes habitatoribus in rebus Sanctæ nostræ Ravennatis Ecclesiæ nec liberos, nec servos ad nullius alius placitum perpetere debeat, neque per nullam ministrationem publicam facere, nec tibi supradicto Liucio Ep. neque ad istu tuum comitatum Ferrariense, neque ad nullam aliam distructionem nisi ad meum placitum tam illi venire debeat, & in meam districtionem stare secundum meam contentionem, & confirmationem, quæ mihi concessa sunt, & etiam tu ipso Liucio Ep. in eodem placito fuistis quando meo Senior Ottonem imperatorem placitum janit detinere ad Sanctum Georgius, & ego illis per legem vincere viso fuit, & in ipsa noticias, quem exinde abere viso sum inibi scribere viso fuistis. Hæc audiente supradicto D. Heccico Missus & Missus Imperialis jussit ad supradictum D. Archiepiscopus ipsas suas præceptosas & suas confirmationem, quem exinde dicebant abere coram suam præsentiam ostendere & relegere fecisse quia ipso D. Misso diligenter volebat ipsas suas spontionem audire; statimque hoc audiente D. Petrus Arch. jussit & constituit & suum missum nomine Sergius presbyterum S. Ravennatis Eccl. & direxit illum usque in Civitatem Raveno. pro ipsas scriptionem adducendum. Quæ ita factum est. In die autem tertio seu & stante ipso D. Imperialis misso de Civitate Ferrarien. venit in vico qui vocatur Caput Sandali residente in placito in mansione de Guiltetio propter definitionem faciendam unde altercationem habebat supradicti Joannes Evangelista cum Guarino de Ferara & Guarino filio suo, Romualdus Dux, Adelbertus & Sergius Germani seu Romualdo Filio supradictus Sergius Dux, Petrus subdiaconus S. Raven. Eccl. & filius quon. Joannes Ducis, Paulus de acto, Andreas de Amabilis, Deusdedit de ponte Augusti, Petrus consul de Gregorius de Ferraria, Leo de Andreas, Dominicus, qui vocatur Sirinign, Joannes de Arduino . . . . . . & Leo qui vocatur Lincio germani Goalt . . . Joannes judice de ipso loco, qui vocatur Caput sandali, Dominicus qui vocatur Guto seu & alis cæteris, quæ longum est ad scribendum & . . . . constitutus supradicto D. Petro Sanctissimo Archiepiscopus, & appresentaret suas præceptosas & confirmationem in eodem placito, qui superius dictum est & ipso D. misso relegere jussit & volens eum . . . . . quæ relectæ sunt in eodem placito per Georgium presbyter & notarius S. Raven. Eccl. & in ipsa præceptosas D. Apostolici & confirmationem D. Joannes relegebant quod . . . . . . sidentes in rebus S. Ravennatis Ecclesiæ ad nullius placitum publicum ire debeant neque nullam ministrationem publica facere, nisi ad Pontifex S. Raven. Eccl. in perpetuum stare, & permanere . . . . . . perlectæ fuissent statim pro ipso D. Misso dixit quia istam contencionem, & confirmationem bonæ sunt & in perpetuum debeant permanere & ipso D. Paulus dictus similiter cepit . . . . . dare & dicere judicamus nos in ipsas præceptosas quæ Domni Apostolici constituerunt & privilegii D. Imperatore confirmaverum in suprascripta vestram sanctam Ravennatem Ecclesiam, & stabilissimas permaneat de quantacumque inibi relegitur ad jura & dominium S. Ravenn. Ecclesiæ . . . . . . pus D. Ottoni Imperatoris in oh dijudicatum subscripsi

. . . . . . dijudicatum subscripsi
. . . . . . oc dijudicatum subscripsi
. . . . . . dijudicatum subscripsi
. . . . . . in ho dijudicatum S. . . . .
. . . . . . . . . subscripsi
. . . . . . n de Ferraria in hoc dijudicatum subscripsi
. . . . . . drea in hoc dijudicatum subscripsi
. . . . . . de Amabilis in hoc dijudicatum subscripsi
. . . . . . de ponte agusti in hoc dijudicatum subscripsi

✠ Adalbertus Ep. Bonoliensi in hoc dijudicatum subscripsi

✠ Ubertus Ep. Livieosis in hoc dijudicatum subscripsi

✠ Joannes Ep. Corneliensis in hoc dijudicatum subscripsi

✠ Leo Ep. Ferrariensi in hoc dijudicatum subscripsi

✠ Sergius Presbyter S. Ravenn. Eccl. in hoc dijudicatum subscripsi

✠ Georgius Presbyter Notarius S. Ravennatis Ecclesiæ in hoc dijudicatum subscripsi.

# PRÆMONITIO IN SEQUENTES LITERAS.

*GEminas hasce literas eo consilio hic subdo, quod in mſ. cod. continente historiam Sanctiminiatis eu alio mſ. cod. a me in priori volumine vulgatam offenderim. Idcirco tanquam additamentum ejusdem historiæ nequaquam hic omittendas censui.*

## COPIA DI UNA LETTERA

*A Messer Nicolò de' Guidotti da Saminiato a Fano.*

*Soprascritto di detta Lettera*

A Nicolò de' Guidotti Judice del Vicario di Fano in nella Marcha.

Ex MS. Cod. extstante apud me.

RIcevvi una lettera figl'o cariſſimo de' XXX. di Gennajo & sono paſſati più di X. meſi che in non ſeppi novalle di Te. Sappi che li Fiorentiei & li uſciti entrorono in Samminiato a dì IX. di Gennajo, tra il mattino & l'aurora furtivamente per una certa roptura di muro che eglino ruppeno da la parte di San Biagio, tra il muro nuovo e vechio. Lo trattato fece un homo di vile conditione che ha nome Luparello. Li Saminiateſi fenno pocha reſiſtenza, in perciò che ſi contraſtavano male & erano affannati & ei reſtaroo morti circa tre huomini & non più. Meſſer Lodovico, Biaglo di meſſer Ridolpho, Ser Philippo Lazzermi, Antonio di Philippo Maghagnini, Ser Niccolò di Ser Salvi, & altri tre furono menati a Firenze & decapitati. Niccolò di Ser Bernardino fu menato a Firenze & è ſtato a gran pericolo, ma credeſi che la ſcamperà. Meſſer Franceſco il Conti e li Figli di meſſer Ridolfo in fuora che Biagio Philippo Maghagnini & certi altri minacciarono, meſſer Primiano, & Jacopo di ſer puro Irano con meſſer Bernardo, la ruberia è ſtata grandiſſima e preſſura di huomini, & fatti ſmarrire molti huomini. Univerſalmente tutti li Saminiateſi ſono rimaſti quaſi tutti poveriſſimi & diſfatti & in male ſtato per tanta guerra, & tante tribolationi che hanno havuto, & hanno diſfatto tutte le loro poſſeſſioni & apena poſſono rimanere la fetta del pane, ma coo lo ajuto di Dio haranno oggi mai pane a bontà del Comune di Firenze che ha cavati li Saminiateſi di mano del Tiranno. Io per la ditta entrata de li Fiorentini non ho ricevoto danno alcuno; Ser Duccio ha ricevuto grandiſſimo danno. Che ſe tu foſſi ſtato qua con lo haverebbe ricevuto; a ſappi che Ser Duccio e Ghirardo ſe ne andarono a caſa noſtra e quivi ſtetteno naſcoſti certi dì, Mimalo Giovanni & Madonna Beatrice & tutti li noſtri ſi portorono bene di Ser Duccio & di Ser Gherardo, & feceno bene ciò che potereno; ma non di meno ſer Duccio rimanè in Saminiato ſano & ſalvo & in buono ſtato ſi come perſona giuſta & amator del Comune & populo di Firenze che glie ſtato ſempre in tutte quelle advarſità. Et di queſto tutti li buoni huomini di Saminiato gle ne ſono ſtati buoni Teſtimoni. Li fatti tua di qua & di fare governare li tua poſſeſſioni faronne mio debito come li mia propri, imperocchè li tua ſono mia & di fare acconciar la tua camera farollo a mio potere, ma ſappi che io ho disfatta tutta la mia caſa che io ho fuori di Saminiato inſino quaſi a fondamenti & tutte le mie poſſeſſioni male inaſſetto & ſono ſenza pane & ſenza vino & non ho denajo neſſuno ſi come ſono generalmente tutti li Saminiateſi & caro & grandiſſimo, & ſi vedeſſi modo alcuno el quale fuſſi poſſibili mandarmi qualche poco di denari qua in preſtanza farei contenta che me li mandaſſi, & io te li renderei alpiù preſto che poteò. La terra noſtra non ſi ſa anchora come debba rimanere, ma credeſi quaſi per tutti che rimarrà ſotto al Comune di Firenze; & lo ſindico del comune di Samitiato e ito a Firenze con pieno mandato a far & dire cio che al comune di Firenze vorrà; altro non ſi ſa per ancora, diceſi qua che ſabato che viene il comune di Firenze farà Cavaheri Philippo di Meſſer Bartolomeo & Malpiglio & che li gentilhomini li quali ſono ſtati fuora di Saminiato haranno proviſiooi & niſuno di loro poterà ſtar in Saminiato o in nel Contado. Non altro. a di XXX. di febraio M. CCC. LXIX.

## ALTRA

*al medeſimo.*

Io ti ſcripſi el primo dì le novità di Saminiato, & detti le lettere al fondaco di Lantella; non moſtri haverle haute, & ancora ti ſcripſi & detti le lettere al fondaco di Lorenzo di maſtro Bellotti lanajuolo. A dì X. di Gennajo tra el mattino el dì li uſciti con la forza di Firenze entrorono in Saminiato per una rana la quale fece uno Luparello homo di poca conditione, & fecela da lato di fuori di verſo la Rocha di ſopra a lo pezo che era rimpetto a Verghaja, & corſeſi in ſulla piazza de' Carioni, & meſſeſi fuocho in caſa Ser Giovanni Naldino & di Amengo, Pallaleoni, dove ſtavano li figliuoli di meſ. Ridolfo, eglino ſi genorno.

Li palagi ſi vinſeno, & tutta la Terra, la Rocha ſi ebbe el terzo. Nel palagio del Capitano fu preſo uno Panichino da Paniglio, el quale era capitano in Saminiato per meſſer Bernabo, & uno ſuo figliuolo fu laſſato chiamato Panichino, lo figliuolo rimaſe pngione. Meſ. Pavolo Portigiani & Alzio entrorono da caſa Meſ. Bartholozio per uno muro, el quale noi rompemo: Io fui a caſa Ser Duccio di mad. Lena per riparare non fuſſi rubati meſ. Lodovico & Biagio di meſ Ridolfo de' Curioni. Ser Philippo Lazzermi. Antonio di Philippo Magagnini, Ser Niccolo di Ser Salvi, Nardo Monachelli da Marognana & uno nipote del Prete di Canneto furono menati a Firenze e fe tagliato loro el capo, & a Zuchoni fu tagliato el capo in ſù l'uſcio ſuo. Meſ. Jacopo Mangiadori, meſ. Primerano de' Conti & Jacopo di Ser Piero ſi ſono iti a Milano. Queſti ſono gli altri uſciti, Ser Niccolo di Ser Federigo, Ligidagnolo, Ser Brano di Ser Baldo ſi cansò, & ora è tornato & ita celato in caſa Ciaferi ſuo ſuocero. Niccolo di Arrigo, Michele di Maſ. Rinaldo, Meſ Jacopo di Ser Guido e fatto frate di S. Domenico, meſ. Gregorio & Nanni di mad. Bollaeria, Guido del Maeſtro, Jacopo di ſer. Betto, Antonio Monachelli; meſ. Franceſco di meſ. Ugholino, Guglielmo di Guido, Naldino Pallaleoni, Piccolino Tonbertelli, ſer Ceccho di ſer Salvi, Philippo Maghagoini, & ſer Philippo di ſer Giovanni, Pite. . . . Meſſer Franceſco de' Conti, Andrea di Geri, loro & tutti è Conti di Collegarli ſi dice ſon'iti a Milano. Li Fiorentini li hanoo legati molto ſtretti. Qui ſono commiſſarj Migliore Guadagni & Simon di Rinieri Piruzzi. Ne altro.

PRÆ-

# PRÆMONITIO

## IN SEQUENTES LITTERAS

### *Gasparini Barzizii.*

*CUm palantia quædam folia, quæ mihi fortuita in manus venerant, scrutassem, incidi in nonnullas Gasparini Barzizii Bergamensis epistolas, eusque statim contuli cum nuper editis ejusdem a viro Eruditissimo Josepho Alexandro Furietti nunc S. R. E. Card. meritissimo Romæ anno 1723. ac reperi nonnullas quidem diligenter ab eodem referri, adhuc tamen & geminas assendi quæ ibi desideruntur. Has ergo hic dandas censui, non quod aliquid referant scitu necessurium vel utile, sed ne integrior callectio earum epistolarum diutius desideretur. Porro Gasparinus ætate sua Grammaticæ & Rhetoricæ doctor insignis habebatur, ejusque meminit cum laude Blandus in Italia illustrata, ubi de Romandiola, Raphael Volaterranus, Poggius, necnon & Tritbemius aliique ætatis ejus Historici. Obiit Mediolani ubi publice docuit latinas literas anno 1431.*

*Ad Egregium & Eloquentem Virum D. Andream Julianum Fratrem & Amicum Optimum.*

Gasparinus Pergamensis Andreæ Juliano salutem.

Ex MS. Cod. apud me.

CUm vix dolori quem ex acerbissimo casu tuo conceperam, finem adhuc aut ullum modum facerem, illa me particula tuarum literarum hoc propemodum timore & mœrore confecit, qua mihi scribis fere te ab illo certe non tuo sed divino proposito cecidisse. Lugebam tecum & ægerrime ferebam quod viro tali orbatus esses, in quo viro spes omnis tum & consilium & auxilium vitæ non injuria locatum erat. Sed hoc ipso me solabar quod & sibi nihil mali præter hunc ipsum ex hac vita recessum accidere sciebam, & te illum arbitrabar, in quo ut aliæ multæ sunt virtutes, sic & constantiam & robur inesse confitebar. Verum postquam intellexi te dolori terga dedisse, vel tuas & lacrimas tanti pendere, ut potius tibi pereundum sit, quam eas destituere. Sane quantum animo potui dolorem & perturbationem concepi. Persuadebat sæpe mihi te illum brevi futurum esse, quo tua Respublica & amici tui aptissime uterentur. Sperabam eo te jam pervenisse, ut hoc nullius tuum amodo tibi casus posset consilium extorquere. Sed omnes illæ, ut video, cogitationes meæ me destituunt, & spes intercidit, mutandæ sunt lacrymæ; & is qui naturali quodam affectu etsi fortassis non æquo, mihi pro Patre tuo luctus inciderat, ad te ipsum revocandus est. Merito igitur vivum adhuc te, & Patrem tuum defleo; te desidero quod eum credis mihi esse cum illum ingentem tui animi ardorem, cum illas noctes tuas, cum tot labores & studia tui reminiscor. Jeceras quidem talia quadam incredibili celeritate fundamenta, quæ nihil non . . . . . tantum mihi de te sponderent. Ubi nunc illæ tuæ lucubrationes; ubi tot conatus? An tuus ille Genitor optimus non sua tantum sed etiam secum tua detulit? Erras profecto si hoc autumas. Non est quod cuiquam, a te hoc imputes. Noli quæso infamare naturam, quæ illum tibi; noli incusare fortunam quæ te, ut reris, detinet; tu ipse indicio es. Consule virum optimum nunc tibi & tutorem fidelissimum dominum Paulum, consule amicos, quos tibi moriens pater & tuos & fideles reliquit. Nemo tibi impedimento erit; quin omnes tibi persuadebunt obsecrabunturque, ut te virum facias; quoniam & patriæ tuæ decoris possis esse; & in hac sententia maneas. Quis vel inscius virtutis vel invidus dissuadebit, ut te illum efficias, quin & patriæ tuæ & tuis decoris possis esse? Collige ergo teipsum, Andrea mi carissime, & ad te excita virtutem tuam. Noli oblivisci te illum esse, qui, ut apud Ciceronem extat, sæpe dicere & sentire soleas nihil esse quod tam deceat quam in omni re gerenda consilioque capiendo servare constantiam. Fac ut valeas, teque ipsum de primis, hinc me diligas.

*Gasparinus Pergamensis Laurentio suo.*

Quod me literis tuis ad frugalitatem & continentiam hortatus fueris, magnas tibi habeo gratias. Sed tale, ut ajunt, mihi antidotum miseris, etsi mihi gratissimum fuerit amorisque tui magnum indicium, tamen consilii tui non satis ratio constat. Teneo me quibusdam tuis literis olim reprehensum, quia te & virum optimum dixerim & errasse contendebam. Accusabo ergo me quasi repugnantia copulassem; de qua re satis abunde verbis apud te orationem meam exposuisse, velim nunc si fieri posset, quamquam ad partem orientis festines, idipsum mihi solveris. Quid est, mi Laurenti, quod me ad stoicos accuratis & gravibus sententiis notas, & ex adversa parte accentiva libidinis & epatis inflammativa velut temperamentum aliquod adjecisti? Voluisti, ut arbitror, tanquam apostillam quamdam addere literis, non aliter quam alicujus obscuri aut Aristotelis contextus, aut ejus Ercliti, cui sicut antiquitas tradit, obscurias orationis cognomen Scothonoimicon fecit. Quæ autem major potest esse pugna, quam ut me tuis corripias verbis, dehinc me factis perversum agas? Nescio an illius tuæ verbis medici sic ægritudines & morbos curent. Novissimum certe sanandi genus illud est, non tamen ingratum; sive enim tua hæc aromata male me habeant sive bene, tamen amor tuus id facit, ut quoquo modo se res habeat, tibi gratificem & ex animo diligam. Hæc nimia facilitas te frequentem reddat in consimili erroris genere. Unum quæso stoice mecum agas vel si me Epicurum vis esse, loquaris epicuree aliquando. Fortassis præstat eumdem in rebus omnibus tenorem & modum semper habere quam ex aliqua parte non recte constare, Video tamen ad manum esse, quod mihi respondeas: illud dices, utraque parte providisse ut animum fugientem revocares & deficientia membra restaurares. Incipio de tua prudentia melius cogitare, muto sententiam, laudo ingenium, sed magis liberalitatem tuam. Dii igitur tibi, Danieli & Andreæ pro tali pietate quantum æquum est retribuant; Te & natas tuas diu velint esse incolumes, augeant si placent earum numerum. Dedisti mihi animos ad virtutem, nec me in infirmitate destituisti. Vale, & si in te loquutus sum, idem de me quantum vis facias.

IN EPI-

# IN EPISTOLAS
## CAROLI VICECOMITIS EPISCOPI
*Vintimiliensis & Nuncii Apostolici ad Concilium Tridentinum.*

# JO. DOMINICI MANSI
# PRÆMONITIO.

*Caroli Vicecomitis epistolas eo tempore scriptas quo ablegatum seu Nuncium apostolicum sub Pio IV. Pontifice ad Concilium Tridentinum agebat, evulgarunt Heterodoxi, typis Amstelodamensibus an. 1719. geminis parvis voluminibus. Quo vero commodius legerentur ab omnibus Italico auctoris Gallicam versionem e regione adjecerunt, ratis permultum interesse ut obviæ pluribus fierent, quod ex illis intelligeretur quanti faciendum sit concilium, magni ab Orthodoxis habitum, cujus definitiones perinde habent, ac si spiritus ipse sanctus pronunciasset. Ex his porro literis, ajunt, non ambigue intelligimus nil nisi humanum Patres Tridentinos sapuisse; nec ad Evangelium, sed ad humanum sensum oracula illa sua attemperasse. Verum falsi illi quidem sunt; nec enim satis attendere voluerunt, Deum, cum Ecclesiæ suæ prospecturum se pollicitus est, ne quid in dogmatibus tradendis falleret & falleretur, hanc se sponsionem fecisse non hominibus quidem privatis, sed Petro ut caput est Ecclesiæ, & ipsi pariter Ecclesiæ, cui Ecclesiæ se non defuturum pollicitus est. Quocumque igitur spiritu Patres singuli ducti fuerint in suis definitionibus & Canonibus componendis ac promulgandis, profecto ab Ecclesia prodierunt, & ab Ecclesia recepti sunt, cui se Deus speciali providentia affuturum, fidem suam obligavit. Cæterum ex his Vicecomitis literis nil novi evincitur, quod non aliunde ex ipsis etiam Orthodoxis scriptoribus ac præsertim Pallavicino didicerimus; tantum abest nos obtegere studuisse clamores quorundam pro supprimendis illis verbis* Proponentibus Legatis, *de quibus etiam Pallavicinus* To. II. Lib. XV. Cap. XVI. *Quod vero Romanus Pontifex reformationi Ecclesiæ, quam a Concilio nonnulli efflagitabant, pro viribus obstiterit; id vero nonnisi per calumniam impactum esse Pontifici, ex ipsis etiam Vicecomitis literis evincitur. Ex illis enim novimus Pium IV. summe optasse, ut tandem concilio, ad definienda fidei dogmata potissimum coacto, ac jam per tam multos annos protracto, finis imponeretur. Cum vero intelligeret, reformationis tractationem extracturam in multos annos fore concilii absolutionem, ideo urgebat, ut dogmatum definitioni Patres supra omnia incumberent, nec tolerabat, ut sub obtentu reformationis maturandæ res in longissimam moram producerentur. Norat enim, ut ex his Vicecomitis literis intelligimus, id consilii agitasse plures, qui huic Reformationis consilio plurimum insistebant.*

*Vitio Pontifici Pio IV. cæterisque Tridentinis Patribus vertit Amstelodamensis harum literarum editor, in Canonibus formandis unice studuisse ne quid hominibus displicerent, Evangelio neglecto. Quæro tamen ab illo unde hanc calumniam hauserit; num forte ex literis Vicecomitis an ex alio quopiam? Profecto ille certiorem Pontificem facit, quantum induciis adhibitum in concilio sit, ut canones ad consensum Patrum proponerentur, ne quem offenderent, ac a nemine respuerentur. Cum enim definitio concilii ex consensu Patrum pendeat; ita res exponenda erat ut probaretur; alioquin numquam ad definitionem processum fuisset. Sed in eo quod potior pars probabat & conveniebat, numquid in aliud quam in Evangelium legemque Christi respexit? Opinabantur quidam ex. gr. residentiam Episcoporum juris esse Divini, alii humani; utrique sententiam suam probabant ex Evangelio, quod omnes admittebant, nec satis constabat utri parti staret veritas; ita ergo definitio Concilii temperanda erat, ut quod certum erat ex doctrina Christi luculenter proponeretur, cætera in quibus necdum satis apud Patres illos convenerat, relinquerentur in medio, verbis ita temperatis, ut in neutram partem Concilium inclinare videretur. Nunquid hoc est canones ad hominum voluntatem componere? Verum hæc satis, neque enim controversias scribo, sed literas Vicecomitis recito.*

*Quod autem literæ istæ hic iterum inter anecdota recudantur, fecit codex ms. in manus meas casu incidens, quem cum edito conferens, intellexi hujus literas satis mendosas esse, sive quod ex minus curato codice acceptæ sint, sive ex imperitia Italicæ linguæ Amstelodamensis editoris. Mancam etiam editionem interdum comperi integris periodis, quin & integris paragraphis, ex meo codice supplendis. Addit etiam meus iste codex fragmentum seu potiorem partem alterius epistolæ in editis desideratæ, quam epistolam ego in hac editione post priorem epistolam, etiam in edito legendam, constitui. Quod vero epistola hæc integra hic non exhibeatur, fecit avulsio folii in eodem meo codice. Succedit epistola secunda cujus exordium, & plura deinceps usque ad paragraphum:* Il Sig. Duca di Lorena, *in meo omnino ab edito discrepant, deinceps inter utrumque convenit. Demum nonnullæ hic præcedunt epistolæ quas e ms. codice Bibliothecæ Publicæ Senensis transmisit ad me cl. Joseph Fabiani in ejusdem Urbis Universitate professor, quæ nec in edito nec in meo codice mutilo comparent.*

## FRAMMENTO DI LETTERA

*Scritta da Trento il dì 10. Dicembre 1562.*

Ex MS. Cod. Bibl. Sen.

DI Lorena chiamò quelli Prelati Francesi, che havevano a dir' i Voti, e gli commise, che havessero da esprimere liberamente tutto quello, che haveano in animo senza timor' alcuno, e si presuppone, che habbi detto questo, dubitandosi forte, che da SS. Legati gli dovesse esser risposto alcuna cosa. E sono di quelli, che pensano, che il Cardinale se ne restasse in casa per questo effetto, perchè dicono, che gli Oratori havevano disegnato di uscire di Congregazione, e fare ancora protelle, se per caso fosse stato portato poco rispetto alli Prelati loro. Si dubita, che questo motto, che va attorno del morbo Gallico, & altre parole di leggierezza, ch'escono di bocca d'alcun Prelato, non cagionino qualche diffidenza a quella nazione; che di natura è pur troppo suspettosa, e siccome scrissi a VS. Illustrissima, che il Cardinale se n'era doluto, hoggi ancor'ho inteso, che diversi di loro ne restano mal sodisfatti. Da Trento li 10. di Dicembre, nel 1562.

## ALTRA

*Di detto giorno.*

Illustr. e Rev. Sig mio Padrone Osservandiss.

Non hier l'altro l'Arcivescovo di Praga celebrò la Messa dello Spirito Santo per l'Elezione del Re de' Romani; & il Vescovo Tinnenien fece un sermone in laude di sua Serenità; e dopo l'Illustrissimi SS. Cardinali di Lorena, e Madruccio con gli altri SS. Ambasciatori andorno a pranzo col detto Arcivescovo. Il medesimo dì giunse la nuova della Coronazione; e si è inteso, che essendo stata sua Serenità ricercata da Prencipi Germani a favorire alcune cose della religion loro, c'ha risposto, che voleva vivere, e morire nella fede, e religione de suoi antecessori.

Il Vescovo delle cinque Chiese m'ha detto, che il Duca di Sassonia, & il Conte Palatino erano stati ingenocchiati pubblicamente alla Messa tanto che si cantorno le litanie. S'è detto, che l'Ambasciator di Francia, che risiede presso l'Imperadore, haveva in nome di S. Maestà scritto al Cardinal di Lorena pregandolo a volersi trasferir fino ad Ispruch, quando S. Maestà vi fusse stata; e si dice, che S. S. Illustrissima habbi pensieri d'andarci.

Per Lettere di Mantova s'intende, che s'era fatta la restituzione di Chz, e Villanova d'Asti, e che Monsignor di Bordiglione haveva havuto novamente ordine dal Prencipe di Condè, che non volesse procedere più oltre nella restituaione delle Terre.

Martedì non si fece Congregazione, & hierj mattina disse il Vescovo Andegavense, e tre Generali de Frati, e la sera il Generale Laines. Doppo fu detto alli Prelati, che mandassero a pigliar copia del decreto della residenza riformato, il quale è stato partecipato col Sig. Cardinale di Lorena, prima che si pubblicasse, & hoggi nella Congregazione innanzi che si cominciassero a dir'i Voti il Secretario Filesio dichiarò che si levarano quelle parole nel Decreto = *Atque in mensibus sibi concessis vacantia* = signate nella copia, che mando a VS. Illustrissima, sopra li quali il S. Cardinale di Lorena disse nel voto suo, che aveva disegnato di ragionare, ma poichè si levavano, non gli occorreva dir'altro. Soggiunse poi, che era necessario, che li Vescovi potessero etiamdio assolvere nelle Diocesi loro casi riservati in *Cœna Domini*, perciochè li Francesi peccando in essi, non sono per andare a Roma per l'assoluzione. E che ciò diceva non per minuire l'autorità di S. B. ma perchè pareva peggio a lasciarli in peccato. Mostrò ancora che non gli piacesse, che si restringessero tanto li Vescovi alla residenza che non potessero assentarsi per giuste cagioni, le quali si havevano da' rimettere al giudizio di S. Santità. Aggiunse molt'altre cose, le quali lascio da canto per non occupare VS. Illustrissima, e perchè s'allargò molto, non potero seguire se non pochi Prelati. Onde non si può far'altro giudizio se non che vi si tratterà sopra per parecchi giorni.

Ringrazio quanto più posso VS. Illustrissima dell'amorevolezza mi mostra nella sua de ij. la quale se bene mi è carissima desidererei più presto, che mi desse occasione di potermi affaticare di più, non reputando io a fatica alcuna il servirla, anzi ricevendo infinita consolazione. A' quello che mi scrive apparte risolvendosi questi SS. di adoprarmi io non mancherò d'usar ogni diligenza quì, e per il camino, come che mi comanda. E non m'occorrendo dirle più di quello che vederà per l'alligata Scrittura, a Vostra Sig. Illustrissima, e Reverendissima bacio umilmente le mani. Da Trento li X. di Dicembre nel M. D. LXII.

## SCRITTURA.

Martedì sera il Cardinale di Lorena fu da Monsignor Illustr. di Mantova, e stette seco fino alle tre hore di notte pigliando occasione della morte del Re di Navarra, e discorse sopra la presta spedizione del Concilio, mostrando che tornerà molto appropolito per l'evidente bisogno, che ha quel Regno della persona sua, e ragionando di diverse altre cose, il Cardinale di Lorena si contentò, che Monsignor Illustr. Seripando trattasse seco le cose pertinenti al Concilio, onde S. Sig. Reverendissima non mancarà di farlo, ancorchè desideri di averne ordine da Sigg. per essergli stato riferito, che di già si è cominciato a mormorare, che volesse far troppo intrinseca amicizia col Car. di Lorena.

Hieri Sua Sig. Rev. fece radunare in casa sua li Vescovi Francesi, e li Oratori, e ragionarono sopra li capi della riforma pertinenti all'ordine, li quali gli erano stati dati da vedere dagl' Illustr. Sigg. Legati: onde deputorno li Vescovi Parigi, Savojense, Eborniense, & Amians, che li considerassero, e pensassero quello, che se gli poteva aggiungere per servizio del paese loro; li quali questa mattina si sono trovati insieme in casa del Vescovo Eboricen; E l'amico Teologo ha promesso di usare in ciò diligenza, & avvertire. Da Trento li xiiij. di Decembre nel M. D. LXII.

## LETTERA.

Ill. e Rev. Sig. Mio Padrone Osservandiss.

Venerdì, e Sabbato si fecero due Congregazioni per giorno; e nelli voti de Prelati si vede diversità, perciò che alcuni vorriano, che si alterasse il Decreto proposto, altri dimanda il Decreto che fu fatto in questo Concilio nel tempo di Paolo terzo di fan. mem. colla dichiarazione delle cause dell'assenza de' Vescovi dalle Chiese loro, altri dice la resid. essere de *jure divino*, de quali alcuni ricordano, che così si dichiari, e fin'ora la più parte sono stati lunghi nel dare i voti.

Non si è fatta dopo altra Congregazione se non una questa sera; e fin'hora han detto oltra li due Cardinali 37. Prelati. Hiersera Mons. Ill. Seripando mi mandò a chiamare, e mi disse che io dovessi fare scusa in suo nome con VS. Illustr. se non li scriveva, che era per non havere occasione necessaria, e mi disse di più quanto vederà nell'alligata Scrittura

L' Arcivescovo di Praga nel voto suo dimandando instantemente la riforma in nome di tutti gl' altri Oratori, sopra di che ragionando io poi coll' Ambasciadore di Portogallo S. S. mi confermò, che tutti concorrevano a voler riforma in generale; ma che poi circa le particolarità erano molto dif-

to differenti, che quanto per la parte sua egli non desiderava, nè voleva, se non quel tanto, che fusse stato di servizio a S. S. come di già aveva altre volte scritto a cotesto Ambasciadore, che ne certificasse sua B.

Giovedì al tardi giunse l'Ambasciatore Fabro, che dicono ha portate nove commissioni intorno la riforma, e li quattro Prelati Francesi, che furno deputati, non solamente attendono alla riforma particolare circa la materia dell'ordine, ma ancora al resto, che essi disegnano di mandare. Il Vescovo di Civita di Penna è giunto; e la settimana passata venne il Vescovo Monderbin.

L'Illostr. Sigg. hanno questa mattina ragionato di prorogare la Sessione, però non hanno fatta alcuna risoluzione volendo prima aspettare, se però verrà in tempo, la risposta sopra l'ultimo Cardinale mandato.

L'Arciv. Turino doppo il male, che gli soggiunse di podagra non s'è mai levato di letto, e da dui dì in quà è peggiorato. Oggi al tardi Monf. di Vercelli l'ha fatto portare in casa sua. E con accusar quelle de' v. di VS. Illustr. le bacio humilmente le mani. Da Trento li xiiij. Dicembre nel 1562.

## SCRITTURA.

## LETTERA LXVI.

Illuftrifs. & Reverendifs. Sig. & Padron mio.

Di xviij. d'Agofto.

Gli Ambafciatori di Francia, e Portogallo non han rifpofto cofa alcuna ai capi di Riforma, che ultimamente fi diedero loro da vedere, non havendo che dirmi. Il Conte di Luna però ha notate alcune poche cofe ma (per quanto intendo) di poco momento. Effendo ftato hieri il Sig. Cardinal di Lorena a pranfo con Monfignore Illuftrifs Morone, per trattare feco fopra detta Riforma, fù rifoluto dopoi da Sigg. Legati di farne dar fuora copia domani a i Padri. De fodetti capi fe ne fon lafciati fei da parte, ne quali reftano ancora delle difficoltà onde reiteranno in (*c*) xxxvj. capi, mettendo quella parte, che tocca ai Principi fecolari in numero per un folo, & è opinione del Sig. Cardinal di Lorena che fi poffi abbreviar la feffione. S'adducano tuttavia nuove ragioni, & argumenti fopra quefta materia de clandeftino matrimonio, tanto da quelli che approvano, quanto da quei che impugnano il Decreto, del quale ne fono ftate propofte diverfe forme da Padri, & havendone tra l'altre il Vefcovo de Mets fatta una che ad alcuni Vefcovi, che l'hanno veduta non è difpiacciuta, m'è parfo de mandarlene la copia alligata. Il numero de' Padri, che hanno detto fin qui è 147. tra quali circa 10. hanno approvato il decreto, & 40. tanti l'hanno riprovato: fi ftima che fra tre giorni fi fpedirà di dire i voti in quefta materia. Ritornò martedì dalla Corte di fua Maeftà Cefarea un Gentiluomo mandato dal Sig. Cardinal di Lorena già molti dì fono per negotij del Re Chriftianiffimo & per alcuni fuoi particolari, & il fodetto partirà dimattina per Francia. Quefta mattina Monfignor di Sinigaglia & d'Adria, (i quali difegnano accompagnare il Sig. Cardinale di Lorena a Roma) fon partiti *per Verona*: Sinigalia và dirittivamente a Padova per un poco d'indifpofitione, & Adria fi rifermerà a Rovigo infino alla partita di detto Cardinale, che (per quanto fi dice) deve alloggiare lì una fera. L'Ambafciatore di Polonia fi trova fuori già cinque dì fono a un luogo detto Civirano, dove fendoli

fopra-

Marginal notes:
In Edit. defunt.
Defunt in Edit.
(a) Ed. fe non poi.
(b) Ed. ch'e- dere.
(a) Ed. Vigor.
(b) Ed. Comingue.
(c) Ed. [illegible] due.
Defunt in Edit.

sopragiunto la Febre non è ancora tornato in Trento, subito venuto non mancherò di far seco l'officio che VS. Illustriss. mi comanda con la sua di xvij. con che non mi occorrendo altro le bacio humilmente la mano.

Gli Ambasciatori Venetiani sono stati dopo la congregatione d'hoggi dalli Sigg. Legati a quali hanno significato il gran desiderio, che tiene quella serenissima Republica della fine di questo Concilio, pregandogli a fare ogni sforzo per la presta speditione, & offerendo loro a nome di essa Republica tutto quello ajuto, che loro possono dare: di che essi Sigg. Legati, ne son rimasti molto sodisfatti, dicendo di voler avvisar VS. Illustriss. di questo amorevole animo loro.

---

## LETTERA LXVII.

Illustriss. & Reverendiss. Sig. & Padron mio.

Dì xxiij. Agosto MDLXIIJ.

Il Sig. Sforza Brivio giunse quà hieri mandato dalla Città di Milano per procurare da Monsignor Illustriss. (a) Morone & Cardinale Simonetta lettere favorevoli a VS. Illustriss. sopra il negotio dell'Inquisitione, per il quale intando, che manda ancora da sua Santità li Sigg. Conti Sforza Morone & il Vicario di provisione, & da sua Maestà Cattolica, il Sig. Cesare Taverna, & il Sig. (b) Prendivalle Bisozzo, & havendone il sodetto portata a me ancora una littera della Città scritta in questo particolare, non posso mancare d'avisare VS. Illustrissima del travaglio & pena, che sentono generalmente per sì mala nuova, la quale ha portato anco dispiacere quà alli Prelati di questo Concilio non solo a quei di Lombardia, i quali mettendosi in ellecutione quello animo di sua Maestà lo sentivano gravemente, ma a quelli del Regno ancora dubitando essi che imponendosi tal giogo allo stato di Milano non si venisse a metterlo al Regno di Napoli ancora. Di che ragionandone a quelli di meco alcuni di loro risposi, che essendo sua Santità sì amorevole a quella Città, come si è visto chiaramente per le tante dimostrationi, che la ha fatto, & per l'animo che mostra tuttavia de farlene delle maggiori, io non poteva credere ch'ella permettesse, che si venisse a questo, sapendosi massimamente che in Milano non ci sono quelle cause & quei rispetti che sono nelle parti d'Ispagna da porvi sì rigorosa Inquisitione, & *che oltre l'evidente rovine, che appartarebbe tale inquisitione* a quello stato, saria veramente di gran pregiudizio a quella santa Sede, percioche ogni volta che sua Santità concedesse che si mettesse in Milano la inquisitione all'usanza di Spagna non si potria negare che non se mettesse a Napoli, & essendosi già concesso a quelli della Inquisitione di Spagna il Breve, che habbiano auttorità sopra i Prelati, difficilmente si potria negare di non concederlo anco agli Inquisitori degli altri stati, dove si servasse l'usanza di Spagna, dandosi in oltra occasione agli altri Principi Italiani di riecercare da sua Santità di poter far il medesimo ne loro stati, onde ne seguirià grave diminutione dell'auttorità di quella Santa Sede per la poca obedienza che dariano i Prelati, i quali per causa di detta inquisitione, cercheriano sempre di star bene con Principi secolari, a quali trovandosi essi come sogetti ne nasceria ancora che il Papa in occasione di nuovo Concilio havria pochi Prelati di che fidarsi, & a chi potesse liberamente comandare, & li Principi in simili occasioni haveriano i loro intento, & ancorche li Ministri del Re Cattolico possino dire, che tale inquisitione sarà suttoposta sempre a quelli di Roma, si vede però per essempi, che si mostrano poco obedienti, come nella causa dell'Arcivescovo di Toledo, & si può farne giuditio dall'obedienza, che mostrano gli Inquisitori di Spagna in mandar li Processi, se son lor richiesti, il che intendo che occorre anco nel Regno di Sicilia circa l'havere processi, che lor si domandano con grandissima difficoltà. Molte altre considerationi si fanno sopra di ciò da diversi Prelati, le quali ancorche io sappia che son notissime a VS. Illustriss. potendo alla giudicar meglio di me quel che da ciò potria seguire non ho voluto restare di darle conto di queste poche, si come anco non posso mancare per mio debito di soggiangere che tutto l'ajuto & favore, che quella Città può sperare in questo suo travaglio l'ispetta solo dalla benignità di Nostro Sig. & dall'amorevolezza di VS. Illustriss. alla quale bacio humilmente la mano.

(a) Ed. Altemps. & di Lorena.

(b) Ed. Presidente Bisosso.

In Edit. Desunt.



---

## LETTERA LXVIII.

Illustriss. & Reverendiss. Sig. & Padron mio.

Dì xxjv. Agosto.

Questa mattina si son finiti i voti sopra la materia de Matrimonio, & quei che hanno approvato il Decreto sono stati 133. & gli altri che hanno contradetto 56. Sabbato furono avvisati i Padri a pigliare copia della Riforma, la quale s'è cominciata a dar fuora, avvertendogli però, che si fariano mutati facilmente alcuni capi di detta Riforma, nella quale usano i Sig. Legati ogni diligenza, & industria per accordare le Nationi, acciocchè con maggior facilità, & prestezza si venghi alla speditione, affaticandosi continuamente in pensare qualche modo sì del levar le difficoltà, che ci sono, come in persuadere ai Padri d'esser brevi ne' loro voti, & a questo medesimo fine il Sig. Cardinal di Lorena sollecita quanto può dal canto suo, Onde hieri cominciò a far congregation' in sua presenza de prelati Francesi per essaminare i capi di detta Riforma. Hoggi doppo pranso ha fatto il medesimo & domane seguirà insin tanto che l'habbiano considerata tutta, & dettovi sopra il lor parere, & per quanto ho inteso da M. Filippo Musoti il Sig. Cardinal di Lorena gli disse hiersera che li Spagnuoli per la più parte converriano in tutti i capi di Riforma eccetto in quello della collatione de' beneficij, siccome gli havevano detto i Vescovi di Segovia, di Vico, & Aarien, i quali furono hieri da Sua Sig. Illustriss. per dir quelche sentivano essi, & altri Spagnuoli circa detta Riforma, nella quale si fa da i Sigg. Legati ogni opera per accomodarla a commune sodisfattione prima, che se ne parli in congregatione generale; facendo anco usar diligenza sopra di ciò con Prelati Italiani, da Monsig. Colonna & di Parma, che hanno preso cura di trattarne ciascuno di loro separatamente nelle loro case con diversi Pralati, & di già hanno cominciato a essaminarla, & continueranno fin che l'habbino finita di vedere per riferir poi a lor Signorie Illustriss. quel che ne sentiranno i sodetti Prelati. Arrivò quà hieri (a) M. Lodovico Antinori doppo pranso. Il Sig. Cardinal di Lorena stà tuttavia in isperanza, che si possi abbreviar questa sessione. Il Conte di Luna è stato trè giorni fuori di Trento dal Sig. Nicolò Madruccio & ritornò hieri.

L'Ambasciator di Polonia non è ancora ritornato, l'ispettano però i suoi di giorno in giorno. Il Vescovo delle Cinque Chiese ha havuto a questi dì una febre efimera, & hora si truova indisposto per una grattatura di gamba; Con che non mi occorrendo più di quel che VS. Illustriss. vedrà per l'inchiuso foglio le bacio riverentemente la mano.

(a) Ed. Monsignor.

## POLIZA.

Havendo visto quanto VS. Illustriss. mi commanda per la poliza della sua di xvij. circa il particulare della collatione de' beneficij curati, & della Inquisitione, io riferij il tutto a Monsig. Illustriss. Morone, il qual sopra la collatione mi ha risposto, che egli usava ogni opera per trattenersi con suoi colleghi, & che in questo particulare de' benefcij trovava il Sig. Cardinal Simoneta molto duro, nondimeno, che non havria mancato d'essere insieme di nuovo con Sigg. Legati facendo quanto havesse potuto per sodisfar VS. Illustriss. giudicando essere spediente & necessario d'accomodarsi in questo alla volontà degli Ambasciatori, & de' Prelati acciocchè una volta si venghi a capo della Riforma & si liberi Sua Santità da i travagli di questo Concilio. Nel particolar poi dell'inquisitione egli ha mostrato gran sodisfattione di quanto gli ho detto in nome di VS. Illustriss. il che è stato ancn molto a proposito, & a tempo opportuno ritrovandosi hora quì il Sig. Sforza (a) Brivio, mandato dalla Città di Milano, per ottener da esso Sig. Cardinale Morone, & Monsig. Reverendiss. Simoneta lettere favorevoli a VS. Illustriss. sopra questo negotio. Onde Sua Sig. Illustriss. è rimasa molto sodisfatta di havere occasione di potere in ciò scrivere più liberamente il parer suo, con certezza di non far cosa che a lei possa dispiacere. Hieri trovandosi da me il Musotto venne nuova, che M. Ludovico Antinori era giunto, onde egli mostrò di dubitare, che la sua venuta non dispiacesse al Cardinal di Lorena, perciocchè havendoli a dì passati il Vescovo di Viterbo scritto di questo, gli rispose che non sapeva a che fare, se volesse incommodar questo Gentiluomo, (a) accennandoli inoltre, che potevano hormai assicurarsi dell'ationi sue; onde havendo io di tutto avvisato il Sig. Cardinal Morone, mi disse Sua Signoria Illustriss. di havere avvertito l'Antinoro, che parlando con Lorena, gli dicesse che non era venuto quà ad altro effetto, che per accompagnarlo in questo viaggio di Roma, ordinandoli ancora che per non dargli da suspicare, comparisse di rado in casa sua: ho poi dal sudetto Musotto inteso, che Lorena, se bene io quel primo, che intese la venuta dell'Antinoro, disse in presenza de' suoi Prelati, che non sapeva a che fine fosse venuto, & mostrasse anche qualche ombra nel dir di queste parole, nondimeno dopo che l'Antinoro gli hebbe parlato restò sodisfatto. Raccontandomi il predetto Musotto, che Lorena poi la sera gli disse che l'Antinoro era venuto solo per fargli compagnia in questo viaggio, mi ha soggiunto anche il Musotto, che Lorena per assicurarsi meglio di questa Riforma passasse presto ad opinione, che non si lasci dire i Padri su non sopra quei capi, che non havranno difficoltà alcuna, & che havendo egli visitato a nome di esso Cardinale il quinque ecclesien. che è indisposto. *Gli ha raggionato sopra di questo* significandogli, che non dispiaceria al Cardinale acciò che si potesse fare la Sessione, con maggiore sodisfatione, & m'ha detto, che lo trovò ben disposto mostrando, che per lui non si sarebbe restato.

(a) Ed. Brivio.

(a) Ed. avvertendogli.

Desunt in Edit.

Non sono mancati de Prelati così Italiani, come Spagnoli, che secondo il loro solito hanno cominciato a mormorare delle Congregationi, che si fanno d'Italiani per causa della Riforma.

*Hic desinit Codex meus MS. ac desideratur ab pagina 294. ad finem usque; scilicet ab Epistola* lxix. *ad* lxxiij.

# SCRIPTA

## *Proposita Concilio Tridentino vel ad illud pertinentia ex MS. Cod. Illustrissimæ Domus Cerviniæ Senis.*

### COPIA DELLA SCRITTURA INDICATA

= *Quæ acta fuerunt per legatos ab eorum discessu ab Urbe usque ad primum actum primæ sessionis inclusive* =

Scritta di mano del Cardinale S. Croce.

JOannes Maria Episcopus Prænestinus Cardinalis de Monte nuncupatus: Marcellus Cervinus tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Cardinalis Presbyter de Monte Politiano: Reginaldus Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Anglus, deputantur Legati a SS. D. N. Paulo III. Pont. Max. in pleno consistorio, ut moris est, ad Concilium Tridenti indictum, nomine Sanctitatis suæ celebrandum, & eidem Concilio præsidendum cum mandato ejus. Tenor talis est. Crux eis data, & de more extra portam ab omnibus Cardinalibus, associati & dimissi sunt die....

Discedunt ex Urbe M. Cardinalis Sanctæ Crucis die 23. Februarij. Jo. Maria Cardinalis de Monte die 24. hoc est die sequenti, Reginaldus Cardinalis Polus, qui propter nonnullas suspiciones insidiarum non videbatur tunc posse tuto itineri se committere, substitit in Urbe usque ad diem....

Tridentum perveniunt Dominus Jo. Maria Cardinalis de Monte, & M. Cardinalis Sanctæ Crucis die 13. Martii: Excepti publice ab Episcopo, & Clero Tridentino ad Ecclesiam majorem recta procedunt. Unde facta oratione, & benedictione super Populum de more cum indulgentiis..... annorum..... Discedentes domum, quam antea parari curaverant, petierunt, dimittentes omnes, qui eos prosequebantur.

Expectant Tridenti speciale mandatum de incipiendo Concilium usque ad diem xj. Decembris 1545. quo medio tempore supersedere, & differre necesse fuit.

Die xj. Decembris acceptis litteris a SS. D. N. in forma brevis subsequentis tenoris..... intimarunt eadem hora omnibus Episcopis, Prælatis, & Generalibus Ordinum, qui jam Tridentum venerant, ut die sequenti hora xx. conveniant in Domo eorum, causam nihilominus significantes omnibus sigillatim.

Item per publicum Preconem indixerunt jejunium, & rogationes pro die sequenti, quæ fuit sabati xij. Decembris.

Die xij. cum omnes ad horam præstitutam convenissent, Legati legerunt Patribus Breve SS. D. N. quod pridie acceperant, de Concilio tertia Dominica Adventus inchoando, ut superius notatum est; quo lecto dixerunt se esse paratos ad mandatum exequendum, proinde si quid haberent, quod ad rem faceret, proferrent, & suggererent, quando ad hoc fuerant convocati. Proposuerunt tamen Legati antea, quæ ceremoniæ viderentur servandæ ea die, qua Concilium inchoatur: & quod post ceremonias agendum. Deinde Episcopis omnibus juxta tempus suæ promotionis sigillatim sententiam suam dicentibus, tandem hæc fuerunt uno omnium consensu

ſenſu conſtituta, & ſancita. Ut tertia Dominica Adventus juxta mandatum SS. D. N. hora prima diei omnes conveniant in Eccleſia Trinitatis, quæ erat prope Domum Legatorum, ibi paramenta cum pluvialibus accepturi; Et ad Eccleſiam Cathedralem cum proceſſione Cleri totius profecturi. In Eccleſiam poſt peractum ſacrum, quod Cardinalis de Monte facere debet, habendus eſt ſermo ab Epiſcopo Butuntino, poſt ſermonem benedicatur Populus cum plenaria Indulgentia. Deinde cantabuntur Letaniæ majores, & inter eas indicetur ter Concilium, cum orationibus ſolitis. Demum legantur litteræ Apoſtolicæ tres, Indictionis Concilij Tridentini.

## COPIA DELLA SCRITTURA INDICATA

*= Acta in principio Concilij, antequam incipientur Seſſiones =*

CHe 'l Concilio è ſtato aperto con ogni ſacra pompa poſſibile, & conſueta di proceſſione, & paramenti &c. Meſſa, ſermone, ſupplicationi, & cerimonie, con grandiſſima allegrezza non ſol dell' huomini, ma ancor del Cielo, che non è ſtato il più bel giorno da due meſi in quà, nè maggior temperamento d'aria.

Che s'è fatto decreto il Concilio eſſer cominciato a laude de Dio &c. & indita la prima ſeſſione per il primo giorno doppo l'Epiphania, parendoci (poiche ſua Santità non ci n'haveva aviſato) pigliar un termine, che non poteſſe eſſer ripreſo di troppa allongatione, nè di troppa brevità, & infra il quale ſua Beatitudine ci poteſſi fare aviſar di quel che gl'occorrerà.

Che è ſtato letta la Bolla ſola della revocatione della ſuſpentione, & il mandato noſtro ultimamente ricevuto.

Che letta la Bolla, & il noſtro mandato comparſe un Dottore con una lettera di Don Diego, della quale ſe manda copia, & col mandato dell' Imperatore in perſona ſua già produtto dinanzi di noi in ſu la noſtra venuta qui in Trento.

Che la reſpoſta noſtra fu, che l'eſcuſatione per l'impedimento dell' infermità s'ammetteva come notorio, & quanto al mandato potevamo reſpondere, che perſiſtevamo in le reſpoſte già fatte, niente di manco poichè eſſo Don Diego domandava in la ſua lettera, che s'eſaminaſſe, pareva a noi ancor il medeſimo, & così fu ordenato al Notaio, che 'l pigliaſſe, & ſe vedeſſe, & s'eſaminaſſe.

*Cætera ſuppleat prudentia Reverendiſs. D. mei. Non n. Sus minervam &c.*

## COPIA DI UNA LETTERA

*Scritta da M. Fabio Mignanelli, Veſcovo di Lucera al Cardinal S. Croce a Trento.*

Reverendiſs. Illuſtriſs. Monſig. mio Colendiſs.

QUeſta mattina mi fu conſegnata la lettera di VS. Reverendiſs. Illuſtriſs. de li xiij. Et quanto alle ragioni gravi, & prudenti, ch'ella ſcrive circa la deliberatione fatta da N. S. di aprir il Concilio, a me non occorra replicar altro. Ma ſolo Dio ſia pregato, che tutto ſia a ſuo ſanto Servitio, & dia buona volontà alli principi, che poſſann di caminare per la ſtrada del Concilio vero Ecumenico.

Oggi è ſtata Congregatione in Caſa di Monſignore Reverendiſs. di Trani, & SS. Reverendiſs. inſieme con li altri Sigg. Deputati, fatto ſedere, & coprir tutti li Prelati ha propoſto, & comandato di nuovo in nome di S. Santità, che ſi venghi a Trento come ſiamo obligati: & che l'aperitione ſarà alla terza Domenica del Advento. Li Prelati, che ſono in Roma, non arrivano a quaranta, delli quali ce ne ſono Zoppi, infermi, vecchj, & poveri una parte. Nondimeno penſo, che chi potrà ſarà figliuolo d'obedientia. Si deſideraria, che la S. Beatitudine deputaſſe de Reverendiſs. Deputati, chi aveſſe da udire le eſcuſationi, impedimenti & neceſſità de particolari. Non ſo quel che ſi riſolverà.

Intendo da alcuno, che l'Amiraglio di Francia ſi trova alla Corte dell' Imperatore molto ben veduto. Io temo così male in arneſo come mi truovo mi biſognerà trottare a Trento. Laudetur Deus. Non manca in Corte chi dice, che la Tregua col Turco non è concluſa, nondimeno l'Imperiali, & li Franceſi la confermano. Et con queſto fine baſo humilmente la mano a VS. Reverendiſs. Illuſtriſſima. Di Roma xxij. di Novembre 1545.

*Umiliſs. Servitore*
Il Veſcovo di Lucera.

## GENTIANI HERVETI

### DE MATRIMONIIS CLANDESTINIS.

*Sanctæ Synodo Tridentinæ Gentianus Hervetus Aurelius ſalutem in Chriſto Jeſu dicit plurimam.*

CUm Bononiam translato Concilio, cæteris jam examinatis Sacramentis, ventum eſſet ad Sacramentum Matrimonii, inter cætera, de Matrimoniis Candeſtinis fuit non parva controverſia. Quo quidem tempore cum ego quoque ſtatuiſſem de ea re meam dicere ſententiam, hoc ne facerem obſtitit id, quod inceptum Concilii curſum tunc retardavit. Nunc autem cum, unde prius diſceſſerat, redierit Concilium, & quæ intermiſſa fuerant Chriſto duce rurſus feliciter tractentur, ſitque, ut audio, propediem de Matrimonio agendum, id ipſum, quod Bononiæ dicere conſtitueram, ſtatui Reverendiſſimi Patres Tridentum ad vos mittere, ſperans fore, ut id legiſſe minime pœniteat. Vos autem oro, & obſecro, ut rem pro veſtra prudentia diligenter conſiderantes, id quod a me dicitur in bonam partem accipiatis; dico plane, & aperte quod hac in re controverſa tam videtur veriſimile, ut id verum eſſe omnino mihi perſuadeam. Quidquid tamen dico, id totum veſtræ ſubiicio cenſuræ, ut qui ſim ſemper ſecuturus quidquid Spiritui Sancto videbitur, & vobis. Valete in Chriſto feliciſſime.

Romæ xx. Januarij 1552.

QUoniam magna eſt de Clandeſtinis Matrimoniis hodierno die controverſia, nec deſunt qui ea omnino infirmanda, & irrita declaranda eſſe cenſeant: alii vero, jure quidem prohibita eſſe cenſent, ſed rata tamen eſſe, & valida, ſi ea fuiſſe contracta probari poſſit; operæ pretium primum fuerit videre quæ nam dicuntur Clandeſtina Matrimonia. Ea autem ego eſſe ſtatuo, quæ non publice, & cum iis quæ a jure requiruntur ceremoniis, ſed clam, & in occulto contrahuntur. Ea autem eſſe prohibita nulli erit dubium, qui 30. q. 5. & totum titulum de Clandeſtina Deſponſatione legerit. Sed quæritur an ſint firma, & valida. Si autem prohibitionis ratio attendetur quæſtio facillime ſolvetur. Cum enim ideo prohibeantur Matrimonia Clandeſtina quod, cum ea non adhibitis teſtibus contrahantur, ſi alterutra pars velit a pacto convento reſilire, alteri deerunt probationes, clarum eſt, quod ſi vel uterque confiteatur contractum eſſe matrimonium, vel id aliqua ratione plane probari poſſit, verum, ratum, & minime diſſolvendum erit matrimonium, addo etiam legitimum. Nam etſi ideo forte dici poteſt illegitimum, quia non Hoſt: in Summa.

cum

cum iis, quæ a jure requiruntur ceremoniis sit celebratum, legitimum tamen est quatenus est a jure permissum, adeo ut ex eo filii nascantur legitimi, quos ex illegitimo posse nasci matrimonio dicere, esset plane stultum, & ridiculum. Hæc autem omnia ita demum vera sunt, si inter eas personas contrahatur matrimonium, inter quas jure licet contrahere. Ad hoc enim, ut verum sit, & legitimum matrimonium, necessario requiritur, ut ii contrahant, qui jure non prohibentur contrahere; & hoc merito dici potest esse, ut loquuntur de substantia contractus. Si itaque cum persona prohibita contrahatur, sive sit publicum, sive clandestinum matrimonium semper est illicitum, nec potest consistere ut quod sit ipso jure nullum. His nunc ita jactis fundamentis, accedamus ad id quod hac in re videtur omnium difficillimum. Quæritur an si filiafamilias clandestinum cum aliquo matrimonium contraxerit, & uterque eorum id confiteatur, adeo ut probatione non sit opus, & per solemnes ritus, & ceremonias id confirmari petat, an id satis sit ad hoc ut firmum, & legitimum matrimonium, etsi parentes non consenserint, dicatur, & habeatur. Ego quidem in hac sum sententia, ut existimem matrimonium sine consensu parentum, qui filios habent in potestate, nullo modo posse consistere, & inter eos inita conjugia esse fornicationes, & stupra, eaque tum demum legitima futura, si neutra pars ab eis resilire statuerit, & accedens parentum consensus id comprobaverit. Ac primum quidem in Filiisfamilias esse necessarium parentum consensum ( id enim primo loco planum faciendum est ) tum Veteri, quam novo Testamento, & tam Jure Civili, quam Jure Pontificio, facile ostendi potest. Quantam diligentiam adhibuerunt Veteres illi Patriarchæ, ut quas e re eorum existimabant filii sui uxores ducerent? Quam rursus pudice, & verecunde se gesserunt puellæ, ad quas petendas missi erant, quæ nunquam dum de suo matrimonio ageretur se ingesserunt, sed quod suis parentibus visum erat secutæ sunt? Adjurat Abraham jam provectæ ætatis seniorem suum servum, ut de filiabus Chananæorum filio suo Isaac uxorem non accipiat, sed ex terre, & cognatione sua. Qui servus ad Bathuelem profectus, cum ei Abrahæ mandatum exposuisset, responderunt Laban, & Bathuel = a Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum ejus quicquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus. = Cum is autem jam esset abiturus dicunt parentes = Vocemus puellam, & quæremus ipsius voluntatem; cumque vocata venisset, sciscitati sunt, vis ire cum homine isto? quæ ait, vadam = hæc est ut antiquissima, ita longe pulcherrima matrimonii forma cum præeuntem parentum voluntatem filiorum voluntas sequitur, non cum, quod inconsultis parentibus stulte, & insolenter a filiis gestum est, parentes velint, nolint, comprobare coguntur, dum id nulla possunt ratione rescindere. Misit etiam Isaac Filium suum Jacob ad Laban in Mesopotamiam, ut ab eo filiam suam uxorem peteret. Qui cum septem annis pro Rachel servisset, non legitimum tamen, nec firmum duxit esse matrimonium, nisi eam a patre petiisset. = Da mihi inquit uxorem = In cujus locum cum Lia fuisset ei supposita, septem aliis annis servire coactus, a patre tandem Rachelem accepit. Porro autem non fuisse eo tempore verum matrimonium, nisi filiæfamilias voluntati paternus etiam consensus accederet, eos quoque sensisse, qui erant a Dei cultu alieni, testatur Sichem, qui cum Dinæ Jacob, & Liæ filiæ stuprum attulisset, & blandis verbis ad eius amorem pellexisset, a patre contendit, ut eam sibi uxorem ab Jacob Filiæ patre petat, non facturus, si solum puellæ consensum, quem amatoriis verbis, & illecebris jam sibi conciliaverat, satis esse putasset. Quid autem consecutum sit non est quod hic persequamur. Possent hic multa alia afferri; hæc tamen satis esse existimo, ut intelligatur in Veteri Testamento fuisse necessarius parentis consensus. In Novo autem Testamento, licet nullus inveniretur locus, quo id probari posset, satis tamen esset, si ostenderetur id nusquam fuisse immutatum. Sed cum ex Divo Paulo aperte constet in potestate fuisse patris, filiam suam vel dare nuptum, vel non dare; quis negare potest tam novo, quam veteri Testamento necessarium fuisse patris consensum? Quid igitur dicit Paulus? = Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat, non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo servare virginem suam bene facit. Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, & qui non jungit, melius facit. = An non clarissime dicit his verbis Paulus, jungendi, vel non jungendi matrimonio filiam in patris arbitrio potestatem esse sitam? Jure autem civili quid clarius quam filium, vel filiamfamilias, non posse legitime conjungi matrimonio, nisi ii consentiat qui eos habet in potestate? Si tamen filiam 25. annos natam pater matrimonio locare distulerit, ea se ipsam libere poterit jungere matrimonio. Quod autem ex eo quod Justinianus inter exhæredationis causas enumerat, si filia fornicetur, vel se vili, & abjectæ, & infami personæ matrimonio conjungat, ex eo inferre volunt, non esse omnino necessarium patris consensum, eum nodum Theodorus Balsamon doctus Canonum interpres pulchre explicat. = Debemus, inquit, dicere, & fornicationi, & matrimonio quandoque posse patrem veniam dare. Si enim filia nupserit, sive ante perfectam ætatem, sive post, viro qui infamia laborat: ita ut pater per matrimonium non afficiatur atroci injuria; matrimonium quidem patre interveniente solvetur, ut quod non possit consistere, filia autem non exhæredabitur. Quod etiam fiet, si similiter fornicata sit. Sin autem patri atrocem injuriam attulerit, sive dum nubit, sive dum fornicatur, omnino exhæredabitur. Idem etiam fit in filio. = Constat ergo Jure civili esse in filiorum, filiarumve familias contrahendo matrimonio parentum necessarium consensum. Qui si tollatur, patria certe potestas, quæ olim tanta fuit, ut filiorum vita, & mors in manu parentum sita esset, ad nihilum propemodum redierit. Restat nunc ut ad nostrum Jus Pontificium descendamus, a cujus constitutione matrimonium, ut quod sit Ecclesiæ Sacramentum, dependeat oportet. Atque hoc quidem in loco hoc mihi videor jure posse dicere, quod cum inter leges, & Canones tanta sit convenientia, & concordia, ut nonnulli Juris Pontificii Interpretes, non vereantur eos Fratres, & Sorores appellare, si quid in Jure Pontificio non fuerit correctum, ut Juri Civili stetur tacite decretum videri. Cum igitur Jure Pontificio nec patria potestas sublata sit, nec parentibus ademptus, qui in filiorumfamilias matrimonio necessario requiritur consensus, an non aperte patribus injuriam facimus, dum eos patria potestate privamus? Hæc dici possent, si Jure Pontificio de ea re nihil fuisset constitutum, cum autem ipsi Canones, vel præcedentem, vel subsequentem parentum consensum omnino exigant, quid indignius, quam per falsam Juris interpretationem quampiam jure suo privare? Videamus quæso, quid dicat SS. Pontif. Evaristus = aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab iis qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & a quibus custoditur uxor petatur, & a parentibus, & propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur. = An non clarum est Evaristum exigere non solum ut Parentes consentiant, sed etiam ut filiam tradant? Sed operæ pretium est videre quid nonnulli afferant, ut hoc in loco, qui est longe apertissimus, parentibus consensum adimant. Quæ, inquiunt hic, ab Evaristo posita sunt, non esse de

Gen. 24.

Gen. 29.

1. Cor. 7.

Inst. de Nu. 1 ff. de ri. Nu. C. de Nup.

Novell. 115. Auth. Ut cum de Appell. Cogn.

L. in fuis ff. de lib. & posth.

se de substantia contractus ex hoc intelligi potest, quod pleraque fere omnia exoleverint, ut quod de Paranymphis dicitur, de precibus, & oblationibus, de vacando biduo, vel triduo orationibus. Imo vero ea exoleverunt, quæ ad rei ipsius constitutionem non erant necessaria, & quæ propter aliud constituta erant, id certe propter quod constituta fuerant, exolevisse non potuit. Cum itaque ad declarandum parentum consensum hæc maxima ex parte instituta fuerant, ipsa quidem exoleverunt, quæ non erant de substantia; parentis autem necessarius omnino remansit consensus, nisi ei fiat injuria, qui quomodocumque declaretur, modo de eo constet, non refert. In primis considerandum est, quod nam sit legislatoris institutum, quo intellecto, & diligenter servato, si quæ sunt minus necessaria forte prætermittantur, aut exolescant, id facilius ferendum; a toto vero legis scopo omnino recedere, hoc vero minime est permittendum. Sed quam est, ut eis videtur, subtile, & acutum quod adferunt ad tollendum quod dicit Evaristus non esse legitimum conjugium. Verum est inquiunt, matrimonium quod fit sine consensu parentum, & si non sit legitimum. Admittamus posse esse aliquod verum matrimonium, quod non sit legitimum, dum constet non nasci filios legitimos, nisi ex matrimonio legitimo; verum autem matrimonium esse qui potest, cum ab Evaristo non conjugium, sed adulterium, contubernium, stuprum, & fornicatio dicatur? An non sunt hæc verba Evaristi? = ita peracta legitima scitote esse connubia, aliter vero præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius quam legitima conjugia esse non dubitate = Hæc ne vobis videntur vera esse matrimonia? Video quid dicant, me ultimam partem Canonis omittere, & incivile esse, nisi unaquaque legis parte perspecta judicare. Nolo incivilis, aut agrestis videri, ea quoque proferatur: Quid dicit? = nisi voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima = erunt, inquiunt, fornicationes, & stupra, nisi inter se consenserint, & in vobis habuerint matrimonium solemniter celebrare. Hæc si interpretatio vera sit, ut ego eam falsam esse non dubito, aut ego plane desipio, aut viro sanctissimo, & sapientissimo stultitiæ nota plane inuritur. Ita enim agam cum Evaristo. Quid tibi vis, Sanctissime Evariste? ita præsumpta conjugia stupra, & fornicationes appellas, hanc autem addis exceptionem, quæ totam eam rem in eorum qui contrahunt arbitrio ita collocet, ut quomodocumque contrahant, & quomodocumque inter se habitent, & versentur fornicationis crimen semper evitent. Nam si consensisse, & solemniter celebrandi matrimonij votum habuisse sufficit, quis nescit sine consensu nunquam contrahi matrimonium, & in potestate eorum esse positum, ut dicant se celebrandi matrimonij votum habuisse? Si ergo consensisse, & votum habuisse satis est, nunquam stupri, & fornicationis ita accusari poterunt, quin tuum possint canonem, circumvenire, & eludere. Nunquam hæc fuit D. Evaristi sententia. Quæ si esset tamen cum in matrimonii celebrationa hoc inter cætera, atque adeo in primis contineatur, ut parentes filiam tradant, in voto quoque eorum erit, ut parentis consensus qui præcedere debuerat sequatur. Quæ est ergo Evaristi sententia? Ego, salvo semper meliori judicio, hanc esse existimo, ut dicat duo requiri ad hoc, ut clandestinum matrimonium inter filium, aut filiam familias sine consensu patris initum, confirmetur, & legitimum efficiatur: unum ut priori consensui sequens eorum voluntas suffragetur, adeo ut, cum sine consensu, parentum consistere non potuerit matrimonium, liceat alterutri, si velit, ab eo recedere. Alterum, ut id patris consensu confirmetur, & comprobetur; patris enim consensum legitimum votum vocat, at quod a lege necessaria requiritur; alioqui si dicas illud quod dicitur, *propria voluntas suffragata fuerit*, intelligi de primo, illo contrahentium consensu, quid ea opus erat exceptione, cum constet sine consensu nullum unquam matrimonium perfici, & si per votum legitimum intelligatur voluntas quandoque matrimonij celebrandi, quis non videt rem esse plane ridiculam, & ludificatoriam? Accedit his, quod hæc duo vocabula, licet suffragata fuerit, & occurrerit, plane significant alicui rei jam quidem factæ, sed quæ aliquo adhuc patrocinio, & auxilio indiget, postea remedium afferri, quod non fieret, si per ipsum iit contrahendo consensum, & de celebrando votum verum, & ratum fieret matrimonium. Ut autem intelligamus hanc esse veram, & germanam Evaristi sententiam proferam tres Basilij Cæsariensis Canones ex Græcorum nomocanone desumptos, qui sunt Evaristi canoni usque adeo similes, ut alter ab altero accepisse videatur. Basilius certe Evaristum interpretatur aperte, unus autem ex eis Basil. can. 38.
ita habet. = Puellis, quæ præter patris sententiam fornicatores secutæ sunt, reconciliatis parentibus videtur res remedium accipere, sed non protinus ad commu- Basil. Can 40.
nionem restituantur, sed triennio puniantur = Hunc Canonem ita exponit Theodorus Balsamon = Puellas hic sanctus eas appellat, quæ sunt in potestate parentum = dicit ergo quod si alicujus puellæ seipsas suis amatoribus tradiderint præter suorum parentum sententiam, & ab illis vitium ipsis allatum fuerit, etiamsi matrimonio sibi esse conjunctæ videantur, matrimonium ejus, quæ est in parentis potestate, non possit consistere; sin autem parentes ipsarum eis reconciliati fuerint, & eas cum amatoribus cohabitare voluerint, ei rei illa ratione videtur remedium afferri, quod enim ab initio male factum est, parentum postea consensus reparare videtur. Sed ea non est statim recipienda ad communionem, sed post tres annos. Multa alia dicit hic Balsamon notatu digna quæ longum nimis esset hic adducere. Est & alius Canon, cujus hæc verba sunt. = Quæ præter Domini sententiam se viro tradidit fornicata est, quæ autem postea libero matrimonio usa est, nupsit. Quare illud quidem fornicatio, hoc verum matrimonium; eorum enim qui sunt in alterius potestate pacta conventa firmitatis nihil habent = Alius quoque ejusdem canon ita habet = Quæ sine iis qui habent potestatem fiunt matrimonia, sunt fornicationes, nec ergo vivente patre, nec Domino sunt ab accusatione liberi, donec conjugio ii, quorum est potestas, annuerint, tunc enim firmitatem accipit conjugium. = Planum ne vobis factum est idem cum Evaristo sentire Basilium, adeo ut si utrique credendum sit, ut certe credendum est, sine parentum consensu non possit consistere matrimonium? Est etiam Canon Concilii Carthagin. qui sponsum, & sponsam cum sunt benedicendi a sacerdote a parentibus, vel paranymphis offerri jubet sacerdoti. Dicit etiam Leo Papa = paterno arbitrio fœminæ viris junctæ carent culpa = quod exponens idem Gratianus, qui eum adducit, ita dicit = cum ergo dicitur paterno arbitrio fœminis junctæ viris, datur intelligi quod paternus consensus desideratur in nuptiis, nec sine eo legitimæ nuptiæ habeantur, juxta illud Evaristi Papæ; aliter non fit legitimum conjugium, nisi a parentibus tradatur = Quo magis mirum est, quid idem sibi, ut videtur, contrarius dixerit, clandestina conjugia contra leges quidem fieri, contracta tamen non posse dissolvi, quia ea legitimo voto subsequente corroborantur, unde Evaristus cum dixisset = aliter præsumpta non sunt conjugia, sed adulteria, addidit, nisi voluntas propria = Quod tamen dicit, ita demum verum esse potest, si inter eas personas contractum fuerit matrimonium, inter quas potest consistere; filium autem familias, aut filiam familias non posse contrahere matrimonium sine consensu parentum jam satis ostensum est. Qui si hoc etiam de iis, qui sunt in potestate intellexit, quod tamen non satis constat, ea eo deceptus est, quod quid sibi vellet ultima clausula non intellexerit. Ei autem, quamquam hoc nomine multum debeamus, quod in colligendis antiquis,

tiquis Canonibus Christianæ Reipublicæ egregiam operam navaverit, ei tamen non usque adeo addicti esse debemus, ut si qua in re arraverit, ejus errorem defendere velimus. Eum autem in multis erraffe, vel hoc, ut cætera omittam, satis argumento est, quod & de Confessione ita disputat, ut & dubium relinquat an soli Deo satis sit confiteri, eumque errorem Græcis tribuat, quod tamen est falsissimum. Cum autem de jure quæritur, non quid dicat Gratianus, sed quæ sit eorum, quos adducit, canonum sententia, spectandum est. Hanc etiam de necessario parentum consensu sententiam, præter veteris, & novi Testamenti auctoritatem, Jurisque Civilis, & Pontificii constitutionem, veterum etiam Ecclesiæ Doctorum scripta confirmant. Pulchre profecto Tertullianus in exhortatione ad uxorem, ut si eum priorem decedere contigisset, non alii viro, sed Christo nuberet, ita scribit. = Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renunciant, pater rato habet? nam nec in terris filii sine consensu patrum, rite, & jure nubent = audis ne sine consensu patrum non verum, justum, ac legitimum matrimonium? Ambrosius in Lib. quoque de Patriarchis exemplo Rebeccæ probat electionem mariti esse a virgine deferendam parentibus. Quo in loco adducit pulcherrimum illud Euripidis in Andromacha, in quo ita dicit Hermiona Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μέριμναν ἕξει. οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε. =

Matrimonii mei curam meus geret pater; neque est enim hæc judicare meum. = Sed videamus, quæso, quibus nam auctoritatibus, aut rationibus nitantur, qui contrariam sententiam defendunt. Afferunt auctoritatem Chrysostomi, quæ habetur 27. q. 2. quæ ita habet = matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas = Quid tum? quasi vero negetur proprium consensum esse necessarium ad matrimonium contrahendum. Hoc nemo unquam dixerit. Vere tamen omnino dicendum est esse ita necessarium patris quoque accedere consensum ( de iis loquor, qui sunt in potestate ) ut sine eo non possit consistere matrimonium. Citant etiam eum, qui statim sequitur Nicolai Papæ canonem, qui ita dicit. = Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum, quarumque consensu, & conjunctionibus agitur, qui solus si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrentur. = Videtis, inquiunt, sufficere solum contrahentium consensum, nec aliquid aliud requiri, & non animadvertunt, hæc ipsa quæ adducunt secum ferre solutionem; Cum enim dicitur = secundum leges consensus = quis non clare perspicit, in filio, aut filia familias non posse dici consensum secundum leges, nisi cum consensum pater ratum habeat. Est & Decretalis Epistola Innocentii III. ad Episcopum Brixientem, quæ ita habet = Postulasti utrum ex solis verbis, & ex quibus matrimonium contrahatur. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum, sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti; nam surdi, & muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis, & pueri ante annos legitimos per verba sola non contrahunt, cum intelligantur minime consentire. = Nonne clarum est, inquiunt, Innocentium præter solum consensum nihil requirere? nec itidem animadvertunt eum non de quovis consensu loqui, sed de legitimo, cum dicit = legitimum consensum. = In filiis autem familias non est legitimus consensus, nisi qui pater ratum habuerit, & suo consensu confirmaverit. Alioqui si quemvis consensum ad matrimonium contrahendum sufficere existimant, non intelligunt se consanguinitatis, & affinitatis omne discrimen tollere, & promiscuam conjunctionem ubique introducere. Quod si non ita sentiunt, sed legitimum consensum a jure prohibitas personas excludere definiunt; cur non eum etiam ad filiosfamilias extendunt, quos leges diserte, & dilucide vetant sine consensu parentum matrimonium contrahere, & nisi id ratum habeant, pronunciant non posse consistere? Hæ sunt quas pro se ferunt auctoritates, quas non solum pro eis facere, sed etiam adversus eos pugnare, nemo est paulo consideratior, qui non clare intelligat. Et tamen ex earum male intellectarum ineptis glossematibus, maxima Christianæ Reip. incommoda, & incredibiles offensiones, nescio quot jam annorum curriculis promanavere. Nam quod nonnulli existimant primam illam legem statim latam post creationem, quæ dicit = propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ = pro hac eorum sententia facere; quam hoc verum sit ex hoc facile potest intelligi, quod ea jubeat suæ adhærere uxori. Uxor ergo sit oportet priusquam ei adhæreatur. Uxor autem esse non potest, nisi inter virum, & mulierem legitimus consensus intercesserit; sine patris autem consensu non est, ut jam diximus, legitimus filiorumfamilias consensus; rite autem hoc modo procedit argumentatio. Uxor est, ergo propter eam relinquendus est pater, & mater. Quod si contra ab aliquo dicatur, propter uxorem relinquendus est pater, & mater, ergo uxor est; an non is statim audiet, si probes esse uxorem, rite sequetur esse relinquendum patrem, & matrem; numquam autem efficies ut quia propter uxorem relinquendus est pater, & mater, ea uxor dici possit, cum qua non legitime contractum est. His frivolas nescio quas, & plane inanes rationes conjungunt; dicunt enim non coacta, sed libera matrimonia esse oportere, quod quidem fatemur, nec ullum cogendum esse censemus, ut matrimonium contrahat. Velit, & consentiat quidem necesse est qui contrahit, sed consensus ille legitimus sit oportet. Legitimus autem esse non potest, nisi pater, qui habet in potestate eum, comprobet, ac confirmet. Indignum esse, clamant, si quis non sit membrorum suorum dominus. Egregium vero dominium, si cui quod libet licet. Impune ergo scortemur, adulteremur, & quælibet flagitia admittamus, ut membra in nostra potestate habere videamur. Quod si qui ad vitia præcipites feruntur impotentes merito appellantur, filii quoque familias, qui patris auctoritate contempta, quem eis optime prospicere consentaneum est, illicite contrahunt, id per nimiam mentis, & consilii imbecillitatem facere censendi sunt. Deterioris autem conditionis esse filiosfamilias, quam servos, cum his, invitis dominis, liceat uxorem ducere, illis, invitis patribus, non liceat, ægre ferre, aliquid fortasse rationis haberet, si non paterna in filios benevolentia omnem hunc scrupulum tolleret; In servis enim domini omnia ad suam utilitatem referunt, propter quam jura indignum visum est, ut qui plurimas servitutis molestias perferrent, naturali etiam uxoris conjunctione privarentur, & peccare vel inviti cogerentur. Parentibus autem natura insitum est, ut non minorem, atque adeo majorem liberorum suorum, quam sui ipsius curam gerant, & rationem habeant. Est ergo stulta, & supervacanea hæc illorum querela. Proferunt etiam ipsi, immo potius confingunt nescio quæ incommoda. Tyrannum qui in patrem imperium habeat, patrem qui puellam, vel invitam cogat alicui nubere. Sed hæc locum haberent, si non ad contrahendum matrimonium ejus qui contrahit expressus requireretur consensus, quo fit ut cogi non possit. Quod si forte pater est adeo negligens, & dissolutus, quod raro tamen usuvenit, ut nec rei, nec honoris rationem ducens, eam alocare non curet, poterit puella post 25. annum ipsa sibi maritum, patre inconsulto, procurare, nec pater propterea poterit eam exhæredare. Nec tamen negari potest, aliqua fortassis nonnumquam posse evenire incommoda, sed quæ sint levissima, si cum eis conferantur, quæ

quo-

quotidie videmus accidere, nempe parentes, quibus post Deum Opt. Max. plurimum debemus a filiis contemni, puellas honesto loco natas ab indignissimis hominibus circumventas, in servitutem abduci, & amatoriis blanditiis delinitas turpissima quæque probra, & quasvis ignominias pati. Quæ omnia cessabunt, Patres, si non dico novam aliquam, quæ tamen in tantis incommodis jure ferri poterat, feratis, sed Veteris, & Novi Testamenti, Jurisque Civilis, & Pontificii longe antiquissimam, & antiquorum Patrum suffragiis comprobatam legem, vestra sententia comprobetis, & confirmetis, nempe, ut in contrahendis matrimoniis parentum, quos par est filiis optime consulere, requiratur consensus. Quod si Clandestina Matrimonia vestra sententia ita comprobetis, ut parentum non esse requirendum consensum statuatis, & eum qui contra dixerit, vestra sententia anathemate notetis, videte, inquam, & diligenter considerate, Patres, quanta audacia filios alioqui satis hodie insolentes in parentes armetis. Quos ego nunc mihi videor audire unumquemque suo patri ita dicentes: Ego, te vel invito pater, cum qua volo matrimonium inibo, & si tu contradixeris, ego te non solum, ut excommunicatum, sed etiam ut anathemate notatum, vitabo. Miseri autem parentes hoc unum solatii habebunt, quod si sint revera anathemate notati, Evaristum, Basilium, Tertullianum, Ambrosium, Viros longe sanctissimos, eodem anathemate secum comprehendi videbunt. Qui omnes aperte dixerunt in contrahendo matrimonio paternum omnino requiri consensum.

---

## COPIA DI UNA LETTERA

### SCRITTA DA FR. RICCARDO CENOMANO MINOR. AL CARDINAL CERVINI,

intorno alla diversità del Testo Greco dal Latino del Nuovo Testamento.

*Reverentiss., ac Illustriss. Domino D. Cardinali Sanctæ Crucis Apostolicæ Sedis in sacrosancta Synodo Legato F. Richardus Cenomanus Minorum Infimus.*

NOn præsumpsisset mea exiguitas ad vestram celsitudinem alioqui occupatissimam literas dare, nisi negotia partim Sacræ Paginæ, partim domestica sollicitassent, ac compulissent; & prius quidem tangam quæ me respiciunt, ut postea latius, liberiusque quæ pertinent ad sacrorum sensa pro nostra tenuitate discutiamus.

Imprimis ergo necessarium mihi obtigit, ut ad breve saltem tempus ad Gallias properem, mox reversurus, præsertim ubi sacrum Concilium liberum habuerit progressum, Domino tranquillitatem reddituro post tot tempestates Ecclesiæ navim jactantes, excitato Christo; qui non dormitabit, neque dormiet, utpote qui custodit Israel, si tamen videretur mea parvitas aliquatenus utilis, ut jusserit vestra Reverendissima Dominatio me reverti, quia non solum polliceor regredi, imo accurrere anhelo, spiritu gaudens conabor cum Dei gratia, & auxilio. Itaque Dominatio Vestra Reverendiss. nihil cunctetur mihi copiam facere abscedendi, aut potius peregrinandi pro tempore, & causa urgentiori, quam vellem abesse.

Deinde quantum ad Sacræ Scripturæ considerationem collegimus loca Novi testamenti (quantum potuimus cum nostra pugnare memoria) in quorum nonnullis Græce legitur affirmatio, & Latine negatio, vel e diverso Græce negatio, Latine affirmatio.

Dehinc subjecimus non infirma argumenta, quæ faciunt pro Editione Latina, ne quis statim deputet errori scribæ, quæ omnia transmittimus ad Reverendissimam Dominationem vestram, ut dignetur jubere visitari Romæ Codices vetustiores tam Græcos, quam Latinos, ut omnibus hinc inde collatis, & cum judicio pensatis appareat veritas Lectionis.

Scio esse apud ædem divi Pauli exemplar Latinum tantæ antiquitatis, ut pro reliquiis ibi asservetur, quod tentavi semel & iterum, cum essem Romæ visere, sed non potui votum meum consequi propter absentiam scilicet Æditui, seu sacristæ.

Dominatio Vestra Reverendiss. pro zelo, quem semper gessit erga Ecclesiasticam translationem, dignum duserit illud exemplar, & alia revolvenda pro locis infrascriptis.

Primus locus Matth. 8. ver. 30. lectio latina habet. = Erat autem non longe ab illis grex porcorum multorum pascens. = Græca lectio absque negatione = Ἦν δὲ μακρὰν ἀπ' αὐτῶν ἀγέλη χοίρων πολλῶν βοσκομένη. Et licet commentaria D. Hieronymi in textu habeant negationem, quæ etiam repetitur in glossula, quia tamen in expositione nihil attingit, adversarius facile causaretur erratum Typographi. Vero aliud argumentum haud obscurum adducemus ex ipso Hieronymo in locis Hebraicis sic scribente. = Gergesa ubi eos, qui a dæmonibus vexabantur, salvator restituit sanitati, & hodieque super montem veniens demonstratur juxta Stagnum Tyberiadis, in quo porci præcipitati sunt. = Cernis igitur Hieronymum asserere juxta Stagnum Genesareth porcos præcipitatos. Juxta vero, & non longe æquipollent. Certum est autem ex Evangelio miraculum illud factum fuisse in Regione Gerasenorum, seu Gergesenorum, quod idem est, in qua etiam est Stagnum Genesareth, sive Tyberiadis, in cujus littoribus Bethsaida, Capharnaum, & Tyberias juxta illud ejusdem Hieronymi in locis præfatis. Bethsaida Civitas est Galileæ, Andreæ, & Petri, & Philippi Apostolorum prope Stagnum Genesareth, & rursus, Genesareth mare, ubi est terminus Judææ in Tribu Nephtalim, sed & oppidum, quod in honorem Tyberii Cæsaris Herodes Rex Judeæ postea instauratum appellavit Tyberiadem. Adde, quod Hilarius in eum locum Matthæi negationem intellexerit. Postquam enim, exposuit duos homines Dæmoniaços, duarum Gentium origines, pergit deinde exponere, qui significentur per porcos, in quos permittente Deo dæmones intraverunt. „ Adiacebat (inquit) eis duobus gentium Populis „ plebs ex Sem genere, quorum hæresis ex Judæis negare resurrectionem piaculum est. Videntes igitur Dæmones non sibi jam locum in „ Gentibus derelinqui, ut patiatur habitare se in „ hæreticis deprecantur, quibus occupatis totus in „ mare impetu rapido per præceps grex coactus „ est, in cupiditatum scilicet secularium Dæmonum præcipitatur instinctu. „ Hæc Hilarius, qui dicens *Adiacebat*, satis innuit se legisse *non longe*. Quin etiam Evangelistæ Marcus, & Lucas, licet minus aperte habeant negationem, tamen magis ad eam appropinquat continentia Lectionis sive Græcæ, sive Latinæ. Marcus 5. ver. 11. = Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens. = Græce = Ἦν δὲ ἐκεῖ πρὸς τῷ ὄρει &c. & Lucas 8. ver. 32. = Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte. = Græce = Ἦν δὲ ἐκεῖ ἀγέλη &c. Ex his videntur potius Græcos Codices mendosos, quam Latinos. Nolim tamen dicere judicium.

Secundus Locus. Latina lectio Lucæ 9. ver. 4. habet = Et in quamcumque domum intraveritis, „ ibi manete, & inde ne exeatis. = Græce = Καὶ εἰς ἣν ἂν οἰκίαν εἰσέλθητε, ἐκεῖ μένετε, καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε. &c. scilicet = in quam domum intraveritis, ibi manete, & inde exite. = Cæterum Ambrosius eum locum interpretatus subindicat haud obscure nobiscum legisse: Ait enim = Quibus primo omnium datur pacis, atque constantiæ ge-


„ nerale

„ nerale mandatum, ut pacem ferant, constantiam „ servent, hospitalitatis & necessitudinis jura custodiant, alienum a Prædicatore Regni Cælestis astruens cursitare per domos, & inviolabilis hospitij jura mutare. = Hæc ille, qui eum adduxit = Constantiam servent, alienum a Prædicatore cursare per domos = satis innuit se legisse = ne inde exeatis. = Plurimum juvat, quod sequenti capite ver. 7. Lucas mandata Evangelica recensens data Discipulis sic habet & Græce, & Latine „ In eadem autem domo manete edentes, & bibentes „ quæ apud illos sunt. „ ἐν αὐτῇ δὲ τῇ οἰκίᾳ μένετε &c. Cæterum sive legamus affirmative juxta Græcos, sive inficiatorie juxta Latinos, vario respectu eodem tendit sensus. Lectio quippe Græca affirmativa respicit finem expectatum mansionis hospitii, ut sit sensus = Qui ingredimini domum aliquam, ingressus vester sic in ea perseveret, ut inde exeundo tempore suo, nempe completo Evangelij negocio, appareat vos nequaquam violasse jura hospitii per varias domos discurrendo. =

Latina vero spectat initium ingressus, videlicet ne statim postquam ingressi fuerint hospitium exeant quasi melius, & diutius quæsituri despecto paupere: Adeo ut utraque lectio in hoc conveniat, ne scilicet Prædicatores Evangelii hinc inde vagando diversa mutent hospitia, donec sibi inveniant commodiora carni, quam spiritui, in scandala Evangelicæ prædicationis, si videretur quæstuosa. Et hoc est quod prope dicit Matthæus 10. ver. 11. = In quamcumque Civitatem, aut Castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit; & ibi manete, donec exeatis = Græce = εἰς ἣν δ' ἂν πόλιν ἢ κώμην εἰσέλθητε, ἐξετάσατε τίς ἐν αὐτῇ ἄξιός ἐστι· κἀκεῖ μείνατε ἕως ἂν ἐξέλθητε.

Tertius locus Joannis 6. ver. 64. = Sciebat enim ab „ initio Jesus, qui essent credentes, & quis traditu„ rus esset eum. = Græce = ᾔδει γὰρ ἐξ ἀρχῆς ὁ Ἰησοῦς τίνες εἰσὶν οἱ μὴ πιστεύοντες, καὶ τίς ἐστιν ὁ παραδώσων αὐτόν. Sciebat enim a principio Jesus qui non essent credentes &c. Porro Augustinus multis in locis nostram lectionem sequitur. Duo tantum Augustini loca citabo brevitatis gratia. Nam in eum locum postquam exposuit sententiam præcedentem, videlicet = sed sunt quidam in vobis, qui non credunt. = Credant (inquit), & aperiant, aperiant, & illuminabuntur, infert, sciebat enim ab initio qui essent credentes. Sed posteaquam dixit, & distinxit credentes a non credentibus expressit causam, quare non credant. = Hæc ille: quod si utrobique legisset = non credentes = frustra assignasset distinctionem inter credentes, & non credentes. Item in Epistola 56. „ Fides igitur ad Christum nos „ trahit, quæ nisi desuper gratuito munere nobis da„ retur, non ipse diceret, nemo potest venire ad „ me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum. „ Unde & paulo post ait = verba, quæ ego lo„ cutus sum vobis, spiritus, & vita sunt. Sed „ sunt quidam ex vobis, qui non credunt. = „ Deinde Evangelista subjungit = sciebat enim ab „ initio Jesus, qui essent credentes, & quis esset „ traditurus eum; & ne quisquam existimaret cre„ dentes sic ad ejus præsentiam pertinere, quomo„ do non credentes, idest ut non eis fides ipsa „ desuper daretur, sed tantum voluntas eorum, „ mox adjecit, atque ait = & dicebat, propterea „ dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi „ fuerit ei datum a Patre meo. = Hæc Augustinus, qui illic etiam ponit distinctionem inter credentes, & non credentes propter illas duas auctoritates sibi respondentes ex oppositis.

Quartus locus Joannis 9. ver. 27. Habemus = Dixi „ vobis jam, & audistis; quid iterum vultis audi„ re? = Sed Græce = εἶπον ὑμῖν ἤδη, καὶ οὐκ ἠκούσατε τί πάλιν θέλετε ἀκούειν, Dixi vobis jam, & non audistis &c. Non habeo quid huic scrupulo opponam sufficienter, licet etiam textus Augustini, & Canones Eusebii ab Hieronymo collecti, & designati, simul & quidam codices vetusti habeant affirmationem, ut legimus, quia tamen nihil invenio interpretatum pro hujusmodi lectione, non satisfit animo meo, donec aliud repercro. Præsertim cum Chrysostomus in eum locum apertissime legat, & interpretetur negative. Ait enim = Quasi dicat, „ mendaces, verbis meis non attenditis. Ideo ni„ hil amplius dicam, nec respondebo, cum me „ sæpius frustra interrogaveritis. = Hæc ille. Donec igitur validius argumentum occurrat, non auderem asserere locum mendo vacare in nostris codicibus.

Quintus locus Joannis 14. ver. 10. Latina lectio post illa verba = Pater autem in me manens, ipse facit opera = sic habet = Non creditis, quia ego in „ Patre, & Pater in me est. = Græce sine negatione = πιστεύετέ μοι, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ &c. Huic loco plene satisfacit editio Aldina, quæ instar lectionis latinæ habetur per interrogationem οὐ πιστεύετε &c. Quod etiam aperte & legit Augustinus in eum locum; postquam enim adduxit *non creditis &c.* Infert = Antea solus Philippus arguebatur, nunc „ autem non ibi eum solum fuisse, qui esset ar„ guendus ostenditur. = Hæc ille. Cæterum quando arguebatur Philippus, legebatur etiam Græce negatio per interrogationem οὐ πιστεύει &c.

Sextus locus ad Hebræos 10. ver. 1. legimus = Numquam potest accedentes perfectos facere, „ alioquin cessassent offerri. = Græce = οὐδέποτε δύναται τοὺς προσερχομένους τελειῶσαι. Ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι. Pro nostra lectione facit exemplar quoddam vetustum Græcum, quod est apud me, quia non habet οὐκ. Licet omnino sit *non*, sensus enim Græcus legendus interrogative, non negative = Nonne cessassent offerri? Ubi dices alioquin cessassent offerri,

Septimus locus Petri 2. ver. 23. = Tradebat autem judicanti se injuste. = Græce = παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως. Tradidit (subaudi vindictam) ei, qui judicat juste. Verum Cyprianus est a nostra lectione in libro de Bono patientiæ, = Qui dicit se „ in Christo manere, debet, quomodo ille ambula„ vit, & ipse ambulare. = Item Petrus, super quem „ Ecclesia Domini dignatione fundata est, in E„ pistola 1. c. 2. v. 21. Epistola sua ponit, & di„ cit, = Christus passus est pro nobis relinquens „ vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus; qui „ cum malediceretur, non maledicebat, cum pa„ teretur, non comminabatur: tradebat autem se „ judicanti se injuste. = Idem simili modo 3. lib. ad Quirinum cap. 39. Nobiscum legit etiam Augustinus serm. 4. de Natali Domini, licet alibi secus legeris, videlicet Tract. 8. in Joannem.

Octavus locus legimus prima Joannis 5. ver. 17. = Omnis iniquitas peccatum est, & est pecca„ tum ad mortem. = Græce = Πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐστί, καὶ ἔστιν ἁμαρτία οὐ πρὸς θάνατον. Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum non ad mortem. Cæterum nobiscum totus est Beda: ait enim in eum locum. = Tanta est diversitas peccatorum, ut o„ mne, quod ab æquitatis ratione discrepat, inter „ peccata numeretur, quamvis minima peccata ju„ stis suæ justitiæ meritum nequaquam auferre, „ vel minuere possint: Illa dumtaxat, sine quibus „ hanc vitam nullatenus transigere valent. Et item „ quædam peccata tantam ab omni justitia sorte „ discordent, tanta iniquitate patrentur, ut absque ulla contradictione factorem suum, nisi cor„ rigantur, æternam mergant in pœnam. Et etiam „ concludit: Omne itaque, quod inique commit„ titur, vel cogitatur, ad peccatum referendum est. „ Sed sunt peccata quædam ad mortem, de qua„ libus dicit Apostolus, quoniam qui talia agunt, „ Regnum Dei non consequentur.

Nonus locus Apocalypf. 6. ver. 10. = Usque„ quo Domine sanctus, & verus non judicas, & „ non vindicas sanguinem nostrum. = Græce = ἕως πότε ὁ δεσπότης ὁ ἅγιος, καὶ ἀληθινός, οὐ κρίνεις, καὶ ἐκδικεῖς τὸ αἷμα ἡμῶν. Et ea est sententia. Negatio enim,

enim, quæ non legitur secundo loco Græce, subaudiri debet, ex priori. Et in illo Joannis 15. ver. 22. = Si non novissem, & locutus fuissem eis, „ peccatum non haberent = Item Græce = εἰ μὴ ἦλθον, καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς. Ubi negatio debet resumi.

Hæc igitur sunt loca, Reverendiss. Domine, quæ mihi occurrerunt in Novo Testamento, quasi discordantia a Græcis per affirmationem, aut negationem in latinam editionem, quæ digna videntur diligenti scrutinio in vetustis exemplaribus tum Græcis, tum Latinis, quæ audentius pia importunitate Reverendiss. Dominationi Vestræ paucis volui inscribere, licet modum Epistolæ excesserim.

De loco autem I. ad Corinthios c. 15. ver. 51. = Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur = superfluum fuisset tangere, quoniam Hieronymus ad Minerium, & Alexandrum ex professo de hujusmodi disseruit. De loco etiam ad Rom. I. ver. 32. = Non intellexerunt, quoniam qui talia agunt &c. in nostra apologia attigi, nec desunt nobis alia suffragia. Cæterum sunt aliquot alia loca, quæ quidem non opponuntur per affirmationem, & negationem espressas, sed in virtute videntur sibi mutuo adversari. Exempli gratia Apocal. XI. ver. 2. ubi legimus *foris*, Græce *intus*. Math. 4. ver. 16. = Populus qui ambulabat = Græce = Qui sedebat. = Lucæ 12. var. 49. Latine = Ignem veni mittere in viam, & quid volo, si jam accensus est. = Græce = Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur. = Judæ Epistola ver. 22. = Et hoc quidem arguite judicatos. = Græce = Et hos quidem misereminì dijudicantes. = Actor. 20. ver. 24. = Nec facio animam meam preciosiorem quam me. = Græce = Nec habeo animam meam preciosam mihi. = Et si quæ sunt similia modo non succurrunt, et si succurrerent, ad aliam transferenda sunt tractatum, & aliud tempus. Non enim arbitrabar scripturus Epistolam in tantum protendendam. Cæterum, Reverendiss. Domine, jam parabam respondere Erasmo de omnibus locis, de quibus taxaverat Interpretes in Matthæo, & qui sæpenumero Interpretes vocat in jus in rebus minutulis, nempe in *&*, in *quia*, in *enim*, in *autem*, in *Jesus*, in *Christus &c.* quæ non habent Græci, vel contra. Ideo relegatur totus Hieronymus; cum enim alias revolverem hujusmodi minuscula, negligebam, nec modo curarem, nisi quia Erasmus sibi triomphat in hujusmodi minusculis, quæ maxima debent haberi in sacris, ut contendit. Et revera interdum Sancti doctores in Græcis versionibus maximam faciunt causam, sicut Augustinus 3. de Doctr. Christ. C. 2. de coniunctione *enim*, & Ambrosius 3. de Fide Cathol. de coniunctione *&*; ideo adhuc differam nostrum opusculum, ut completum esset per D. N. J. C. Interea tamen non vacavi otio ad notanda loca majoris momenti in novo Testamento, & in Prophetis omnibus, quantum adverti, quæ omnia speramus digerenda in tempore gratia Spiritus Sancti. Itaque, Reverendiss. Domine, iterum supplex exoro quantum possum modestissime, Dominatio Vestra Reverendiss. haud dedignetur assentiri nostræ profectioni, seu festinationi, ut produxi, & pollicitus sum. Porro noverit, Reverendiss. Domine, Amplitudo vestra nostrum Sacerdotem secularem, qui nostri curam gessit, officiosissimum, in triennio a Festo Paschæ hactenus pene usque ad mortem ægrotasse; Dominus tamen misertus est illius, & mei, revaluit enim per Omnipotentis misericordiam: Verum tamen adeo debilis est ex diutino languore, ut cogamur aliud comparare jumentum pro ejus itineratione. Nisi autem diebus elapsis manus vestræ largitatis succurrissent, nequaquam poteramus subsistere; unde perpetuo addicti sumus Reverendiss. vestræ Dominationi, cui gratias agimus, & actori sumus quantas quantas possumus. Nunc autem magis indigemus pro comparando altero jumento; ob id cogimur recurrere ad vestram misericordiam, licet veremur plurimum, ne nimio simus oneri Vestræ Reverendiss. Dominationi, quæ alioqui haud gravatim, imo promptissime omnia nobis semper sufficit. Denique redigeremus duos Codices; quos novit Reverendiss. Dominatio Vestra, & quoniam sæpius oportet me etiam invitum legere libros Hæreticorum, ut commodius possim eorum maledictis obviare, dignetur Dominatio Vestra Reverendissima mihi facultatem concedere lectionum talium, animo quidem confutandi, ne incurram Censuram Bullæ in Cæna Domini. Ignoscat tandem exiguitati meæ sublimitas vestra, quam his literis insulsis oneravi. Exosculor pedes Sanctiss. Domini Nostri, atque manus Vestræ Reverendiss. Dominationis, quam semper bene valere peroptamus. Bononiæ anno Domini 1548. die vero Mensis Julii 25.

*Vestræ Reverendiss., & Illustriss. Dominationis*
humilis Servus Fr. Riccardus Cenomanus Minor.

*Reverendiss. & Illustriss. Domino*
Domino Cardinali Sanctæ Crucis
In Sacrosancta Synodo Apostolicæ Sedis Legato.

## THOMÆ CAMPEGIJ

*Episcopi Feltren. Translationis Concilij ex Trid. Bononiam defensio.*

IMprimis impugnatur translatio quod non debuisset congregatum, & cœptum Tridenti Concilium Santiss. D. N. indictione, flagitante Imperatore, Principibus Christianis assentientibus, nisi summa & urgenti necessitate, tractatibus præcedentibus, & diligenti discussione, consultis etiam Sancta Sede, & Cæsarea Majestate alio transferri; factam autem tam immaturo, præcipitique consilio, ut Præsidentes nullo dato Principibus ad deliberandum spacio, pridie proposuerint, postridie decreverint, perinde discesserint.

Secundo causas translationis fuisse minus legitimas, vano inanique timore simulato: procuratum medicorum, ancillarum, vilissimorumque hominum testimonium, ac arreptam quæ se primum obtulit, discedendi occasionem.

Tertio paucorum sententias, quod firmiores, graviores & saniores essent præferri debuisse. Potuissetque Patres, qui recessum detestabantur, & si multitudine aliis impares, translationem mere voluntariam eandemque Reipublicæ Christianæ perniciosam impedire.

Quarto ex translatione imminere scandala, rixas, contentiones in Ecclesia Dei, damna, tumultus, diffidia, clades, excidia Populorum exinde provenire posse.

Quinto quod si translatio fieri oportebat, fuerant Sacrorum Conciliorum decreta servanda, ne discederetur a terminis ejus regionis: propterea deligendum fuisse locum in Germania, idque fieri oportuisse, ut Germani, de quorum causa præcipue agebatur, possent tuto ad concilium venire. Idque nunc eo maxime quod Germani pollicentur se libere, & absque ulla conditione, aut prætextu Tridentinam Synodum suscepturos: nulla autem ratione defendi posse delectam Bononiam in medio Italiæ collocatam, subditamque Imperio Ecclesiæ, quo nemini dubium, non adituros Germanos locum, quem possent omnes merito recusare.

At ostendemus non præcipiti consilio decretam translationem, nec opus fuisse consulere Romanum Pontificem, aut Cæsarem: Causas fuisse justas, & probabiles: rite receptos fide dignos testes, iure notoria etiam minus necessarios. Non præferendas paucorum sententias; nec illas saniores, aut firmiores extitisse: Non Patrum qui se Bononiam contulerunt, culpa imminere clades, & alia, quæ enumerantur, pericula: non contra Sacrorum Conciliorum decreta delectam Bononiam, & minime recusandum Concilij iudicium, si alibi, quam in Germania

mania habeatur, satis omnibus persuasum legitimam fuisse translationem, ac omni culpa carere Patres, qui se Bononiam contulere.

Non immaturo, præcipitique consilio decretam translationem ex eo cognoscitur, quod tertio ea de causa convenere Patres & auditis singulorum sententiis mature quantum urgens necessitas patiebatur sumpta est deliberatio. Imminens enim vitæ periculum majorem non admittebat cunctationem, ne viderentur Deum tentare, si saluti suæ non consuluissent, teste Nicolao Pontifice ad consulta Bulgarorum, cum inquit, = videtur homo Deum tentare si habet quod faciat, & suæ & aliorum saluti consulere non procurat. = At omnibus palam est, non tentandum Deum, nec inveniri Deum, ab his qui tentant eum. Sapientia probat. = Eadem ratione carent Patres omni culpa, si de translatione, nec SS. D. N. nec Cæs. Majestatem consuluerunt, quod scilicet imminens periculum longiorem cunctationem non admitteret. Sed nec opus fuerat ea consultatione; quam quod ad Sanctitatem Suam attinet, jam inde provisum fuerat eo diplomate, quo Præsidentibus, & Patribus data est transferendi auctoritas. Supervacaneum enim fuisset, quam diximus auctoritatem, & potestatem dedisse, si advenlente transferendi necessitate expectandum fuisset, ut de ejus voluntate certiores fierent. Ipse etiam, quod suorum Legatorum consensus, & auctoritas intercesserit, affuisse censeri potest (a) juxta illud Leonis primi Epistula 45. ad Synodum Chalcedonensem. = In his fratribus Paschasino, & Laurentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio patribus, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo fraternitas vestra existimet præsidere. =

C. si nulla xxiii. q. viii.

(a) L. sj. C. de vete. Jur. enucl.

De Cæsarea Majestate idem foret judicium, si sui affuissent Oratores, qui si interfuissent, & translatio displicuisset, potuissent alios in suam trahere sententiam, maxime si de Cæsaris voluntate docuissent, de qua alii quavis insigni dignitate præditissimo mandato fidem gerere minime tenebantur. Nec Cæsari molestum esse debet, quod eum non consuluerint, cum omisissent & SS. D. N. consulere. Et si non desint, qui asseverent hoc ad officium & auctoritatem Majestatis suæ in sacris Conciliis minime pertinere.

Translationem vero factam fuisse ex legitimis causis quod secundo proponebatur, deducitur ex eo quam si Aeris intemperies, & contagiosi morbi causæ sunt legitimæ indicendi justitiam, si excusat vocatos, quod Judicio sistant, quod fortuita sit calamitas, quæ venienti periculosa reddit præsentiam (b) si est legitima causa cedendi regimini Ecclesiæ (c) si est legitima causa non residendi (d) si excusat a juramenti observatione, quod jure Domino debetur (e) multo magis, aut saltem pari ratione excusabit Patres Concilii, qui recessum statuerunt, si metu mortis quo terrentur & constantissimi Viri (f) ad salubriorem locum concessere.

(b) L. II. §. cum glo: ff. si quis caut. (c) C. ad supplicationem cum glo: in §. moreri de renunt. glo: in C. cum si. lius in §. suorum infirmitas xxiij di. c. Quorundam lxxiiij. dist. (d) Clem. ne in agro §. si de statu mona. (e) C. si vero cum glo: de Jur. jurand. (f) Bal. in tract. scis. ma. col. 5.

Quod autem ea fuerit vis morbi, quæ justum timorem incutere potuerit, satis constare potest, si meminerint qui vanum timorem, & inanem fuisse formidinem illis obiiciunt, obiisse Episcopum Caputaquen. virum gravem ac probatum. Ministrum generalem Ordinis Minorum virum multæ auctoritatis, religionis, & doctrinæ; Balduinum Canonicum Tridentinum, ac alios plures minoris æstimationis; Medicos monuisse eos, qui officii causa Caputaquen. Episcopum visitabant, ne propius accederent, aut ne diutius morarentur. Ipsos Medicos usos his antidotis, quibus tempore pestis se præmunire consuevere: eisdem diebus ægrotasse Episcopum Vercellensem Cardinalis Viennensis consanguineum, Pompejum Magistrum cæremoniarum, JacobumMagistrum domus Archiep. Panormitani, & alios ignobiles vi morbi mente alienatos in maximo vitæ periculo constitutos fuisse. Erat ne vanus timor, cum nulla fere domus, vel funere, vel ægroto careret? Si nocte efferebantur mortui ne conspectu homines deterrerentur, si campanæ funebres silere jussæ ne auditu. Referebant nonnulli Cardinalem Tridentinum suos monuisse, ne Balduinum ægrotantem familiarem gratissimum, & quem ipse Canonicum fecerat, officii causa visitarent, quod morbo læthali contagioso laboraret. Ipsum ob aeris intemperiem Tridento abeste. Fracastorius Medicus ille insignis a Patribus pluribus ante mensibus magno stipendio accersitus ægrotos visitare recusabat, quod non ad curandos pestiferos, & contagiosos morbos vocatus fuisset, palam contestatus nec centum quidem aureorum in singulos dies stipendio tantum periculi, ac laboris subiturum.

Recesserant eo metu perculsi plures Episcopi discedendi venia, nec habita, nec petita. Fiebat aliorum ad Romanos Præsidentes concursus protestantium se nolle cum vitæ periculo Tridenti manere: festinabantque recessum, ne si morbi fama crebresceret, hospitiis, & tectis vicinorum arcerentur, si major discedendi necessitas advenisset. Memores superiori anno cum vix duo, nec Tridenti quidem sed Rogoreti (quod oppidum ad xij. mil. passuum distat) peste periissent a Venetorum dominio interdictum commercium Tridento venientibus. Quo factum fuit, ut nonnulli ad quos edicti notitia minime pervenerat, eo se contulissent, cogerentur, aut retrocedere, aut sub dio cum maximo eorum dispendio pernoctare. Nec enim tunc licuisset, nec recessus tempore sese in Germania recipere, quod laboraret Germania morbo, & bello arderet, militibus ultra citraque commeantibus, quorum prædæ expositi fuissent: fremebant omnes, nisi communi consilio, communi periculo consulerent, singulos saluti suæ consulturos. Quibus querelis permoti Reverendiss. Præsidentes, ac deseri se formidantes, nec enim cum paucis Concilium habendum censebant; præsentibus ad consultandum vacarunt, auditisque, & his qui magnis clamoribus contradicebant, cum non placeret Patribus, nec dissolvi, nec suspendi Concilium, eo deventum est, ut Bononiam transferretur.

Comprobavit translationis causam Episcopi Portugallensis recessus. Is cum facto translationis decreto, cum abire constituisset, multis precibus exoratus, ac deterritus ab his, qui translationi non consenserant, quod rem ingratam Cæsari, & Regi suo faceret, si ab Hispaniarum Episcopis dissentiret, mutata sententia substiterat; At eo ipso die, & sequenti nunnulli ex familiaribus suis, eo morbo correpti, ac uno ex eis sibi gratissimo triduo vita functo, in causa fuere, ut nec vale quidem dicto fugienti similis discederet. Excusat & Patres, quod uno, aut altero ex eis morbo illo, seu febre assumpti discedendi consilium sumpserint, aliorum Conciliorum exempla secuti. Unius enim Dionysii Sarden. Episcopi obitu adeo deterriti sunt Græci, qui ad Ferrarien. Concilium accesserant, ut opus fuit Concilium Florentiam transferre. Papien. quod quinquennio post Constantien. ex illius decreto situm est, nec uno quidem ex Patribus peste sublato, sed quod plebem afficere cœpisset, Senas translatum est. Minore etiam quandoque ex causa Concilii locus mutatus est, ut cum per terræmotum ex Nicæa Seleuciam concesserunt, qui Concilium Nicææ habere constituerant, & si hæretici in eo prævaluerint.

Quod dicitur procuratum medicorum, ancillarum, & vilissimorum hominum testimonium, longe a vero distat. Fracastorius enim medicus priusquam consultus fuisset, ultro vim morbi demlerat, dein consultus, & scripto confirmavit febres fore pestiferas, & contagiosas, quæ & si a principio leves videantur, virtutem tamen prosternere, mox delirium, aut furorem subsequi, quod Capetaquen. acciderat, ejusdemque generis fore, quæ maculas in dorso, & brachiis exprimunt, cum his quæ bubones circa emunctoria, aut aures, hoc solo distantes, quod non ita subito, & facile perimunt. Testes autem recepti, non ancillæ, nec viles homines,

sed

sed probi viri, & integræ famæ mulieres, quæ quod ægrotantibus servierant certius testimonium dare poterant; quos, & circumvenire, & affectare non oportebat, ut qui minus necessarii essent in re (a) notoria, & manifesta. Sat enim fuisset Præsidentes pronunciare causam fore notoriam, quod & (b) fecere. At ab eo recepi testes, qui a Reverendiss. Legatis, ad quorum officium id spectabat, mandatum acceperat, ut reciperet, & ea forma, & solemnitate, quam angustia temporis, & instans periculum admittebat, cum tamen nulli formæ, nulli solemnitati astringerentur.

Non autem ideo vana fuit formido, quod mox vis morbi refriaerit, quia nemo futuri præscius esse poterat, quin potius si ex præteritis futura conjicere voluerimus, juste timere potuerunt crassaturum Epidimialem morbum, quod hæ febres, hi lenticulares morbi præuuntii sæpius fuere Epidimialis morbi: quod etsi non semper eveniat, id propter cujus timorem res aliqua fit, non propterea asserendum defuisse periculum (c). Navis enim sæviente tempestate mari ventis agitata, non ideo caruisse naufragii periculo censeri deberet, quod mox posuerint venti, serenitas affulserit, in portum incolumis pervenerit. Non ideo quis, & fide data se committere debet capitali inimico, quia is non semper, aut etiam quia raro fidem fallere consueverit.

Sed demus eam non omnino legitimam caussam fuisse transferendi Concilium, non ne licuisset Patribus pro arbitrio, aut alia de causa, sed præcipue cessante causa, qua indictum fuerat Tridenti Concilium se alio transferre, vulgata illa regula = cessante causa cessare debet effectus (d). Postulante enim Cæsare, expetente Germania, ut commode convenire possent Germani ad componendas religionis controversias indictum fuit Tridenti Concilium; bis a SS. D. N. Papa missi legati, qui primum ad menses septem, deinde ad aiiij. præstolati sunt Germanorum adventum. Aderant Galliarum Episcopi, Hispaniarum, & qui longius distant Lusitani, propiores vero Italiæ: cœptum Concilium, & ad menses decem continuatum. Germanorum via duo procuratores, aut tres, qui nec omnes perstitere, & nondum bellum erat in Germania, quod eos detineret, & plures longe aberant a periculo belli. Decebat etiam, quin potius debuerant, si aliquo detinebantur impedimento, excusatores mittere, ut sacri decernunt Canones: (e) primum fuisset judicium, an legitima forent impedimenta: nec neglecta videretur Concilii auctoritas. Incerti erant Patres de Cæsaris voluntate, an sibi cordi esset Concilium celebrari: quia Oratores sui via sese ostendebant, & abibant, nec singulis sessionibus intererant: quia nullus ex Principibus (ut mos est) datus fuerat Concilii custos & aliis de causis. Quid mirabatur igitur, si data, & si levis fuisset abeundi occasione, decreta est Concilii translatio.

Arreptam vero quæ primum sese obtulit abeundi occasionem desinent Patribus objicere, si meminerint non modo occasionem sed causam, & necessitatem prius oblatam fuisse. Cum scilicet Cæsaris hostes occupata universa Romani. Augusten. ditione cum arce Clusæ, quæ quia non longe Tridento distet, ejus Civitatis antemurale dici potest, in maximo fuerunt Patres periculo ne rustici, (& quod alias fecere) tumultu & seditione facta, correptis Armis, urbem obsiderent, aut hostes, si magnam occasionem agnovissent cum omnibus Copiis ultra progressi Tridentum oppugnarent, & occupato saltu Tridentino, cum nondum Cæsar exercitum comparasset, viam præcluderent his Copiis, quæ a SS. D. N. in illius auxilium mittebantur: perstiterunt Patres, & periculum sustinuerunt, ne eorum discessu Cæsari, cui omnia prospera, omnia felicia cupiebant, & cupiunt, obessent, cum sæpius in re militari etiam parvæ res maximi sint momenti, Potuissent enim hostes ex patrum recessu, quam

(a) Notorium n. non indiget probatione. sed sufficit illud allegare, & proponere glo. in Clem. appellanti de app. C. ij & ibi Jo. And. Us lis non contest. imo nec in notoriis opus est citatione C. Boue & ibi Abb. in 3°. §. not. de elect. & de ordi. juris super notorio & Tex. in C. ad nostram il. §. de jurejur. ubi si & aliquis index juravit in omnibus causis ordinem judiciarum servare, illum in notoriis servare non tenetur.

(b) Secuti monita Abb. in C. ad nostram d. Jur jur ubi dat judici Cautelam, quod pronunciet crimen esse notorium, quia cui non esset notorium, valeret processus ordine non servato, ex quo procedit tanquam super notorio. Clem. pastoralis de re judi.

(c) ad supplicationem de renuntiat. juncta glo. p. & C. si. cum glo. in § periculum de heretic. l. vj. ubi colligitur quod quoties est justa suspitio mortis, timetur esse periculum mortis. C. accedens. d. 2. n. 14. nos concef.

(d) C. Cum cessante de App.

(e) C. Episcopus Synodo u. c. placuit xviij. dist.

fugam appellassent, animum sumere, & id animadvertere, quod inscitia omisere.

Ut diluamus quod tertio loco proponebatur, non negamus quamquam minoris partis sententiam proferri, ut cum majorem continet pietatem ea sententia Augustini ad Casulanum cum dixit = digniora sunt imitatione, quæ excellentiora sunt (a) pietate. = Concordat illud Isidori ad Massan. Episcopum cum ait, = Si in Conciliorum gestis discors sententia inveniat, illa magis teneat cujus major, & potior fuerit auctoritas (b) = Non autem dixit, quæ a majori parte fuit decreta, quoniam etiam minori parte adest auctoritas & meritum, dignitas major, & zelus melior, propter quæ Gregorius IX. irritam fecit electionem Cathalanens. Episcopi (c) idem, quando agitur res communis pluribus, ut singulis qualis sunt jus agendi, aut eundi per alienum (d) fundum, jus derivandi (e) aquam, jus (f) sepulchri, & pupilli (g) arrogatio, in qua non sufficit majoris partis consensus: nec etiam sufficit majoris partis consensus, cum derogandum foret ordinationi factæ in honorem, & utilitatem (h) Ecclesiæ, aut id decernendum, quod foret contra (i) Ecclesiæ utilitatem: Non præfertur per majoris partis judicium, cum major pars scienter indignum eligit: Non præfertur majoris partis judicium, cum major pars scienter indignum eligit, non (k) quando per viam compromissi transferenda est in aliquem eligendi potestas; (l) non cum sit quod ex mera voluntate, non autem ex necessitate, aut (m) utilitate & aliis quibusdam casibus. Non negamus inquam quandocumque, & multis casibus pauciorum vel etiam unius sententiam. Sed dicimus non devolvi collegii auctoritatem a majori parte ad minorem, nisi in casibus a jure expressis, (n) Nullibi vero cautum fuisse Sacri Concilij translationem a majori parte ad minorem devolvi, propterea necessario subsequi pauciorum sententiam in ea facienda vel non facienda præferri: quod nec per locum a simili in casibus prædictis deduci potest, nec enim illa pauciorum sententia majori prædita est pietate, non ipsi melioris zeli, non majoris autoritatis, aut meriti, ut quæ Concilium, quod unicum esse debet, quod uno regitur Spiritu Sancto, dividebat, & in diversas partes distrahebat. Quod & si pro comperto habeamus venerandos illos Patres, qui Tridenti remansere, cum singuli vocati ab Ill. F. Toleto Cæsaris Oratore singulis de aliorum vocatione ignaris convenissent, palam contestatos fuisse non eo animo illic esse, ut congregationem facerent conciliarem; Ea tamen divisio, & distractio abeuntium Fratrum piis mentibus timorem incussit & imminentis scismatis horrorem, ne altare contra altare erigerent. Quæ res quanti fuerit scandali nemo est, qui ignoret. Quod ipsi paucioribus non majori parti imputandum est. Nullius etiam scandali fuisset suspitio, si minor pars secuta fuisset judicium majoris non diffidij, non scismatis, quod omnium est maximum. Et si quod fuisset scandalum recedente integro concilio, (quod tamen negamus) longe minus fuisset, quam videre illud lacerum, & divulsum, propter quod non videmus quonammodo pauciorum sententiæ firmiores dici possint, si infirmius reddidere Concilium: qua ratione, etiam liquet, nec antiquiorem, nec potiorem fuisse pauciorum sententiam. Non, & res ista erat communis pluribus, ut singulis qualis fundi, aut derivandæ aquæ servitus, servi manumissio, aut ordinatio, pupilli arrogatio, mortui in alienum sepulcrum illatio. Sed & si fuisset communis omnibus, & singulis, potuisset pars major in præjudicium minoris decernere: quemadmodum canonicis cum Episcopo conferre partem suorum redditunm pro Ecclesiæ instauratione ad omnes pertinet ut singulos: valuit tamen decretum majoris partis in singulorum detrimentum pro ut rescripsit Inno. III. Archiep. (o) Rothomagen.

Si dein obiiciatur extare exempla plurimorum Conciliorum, in quibus a Romanis Pontificibus, & subsequen-

(a) C. Sane ix dist.

(b) C. Domino sancto l. dist.

(c) C. Ecclesia de elect.

(d) L. fundi ff. de servit. rusticall.

(e) L. concedendo ff. de aqua pluv. arcen.

(f) Instit. de Rer. divi: §. in cum.

(g) L. veterum C. de auctoris. præstan.

(h) Inno. in C. accedentibus de privil.

(i) C. j. de his quæ fiunt a ma. part. cap.

(k) C. cum Wintorien. de elect.

(l) d. c. cum Wintorien.

(m) C. cum omnes de Constit.

(n) notant Doct. in d. c. cum omnes.

(o) C. j. de his quæ fiunt a ma. par. cap.

sequentibus Conciliis damnata, & explosa majoris partis sententia recepta fuit, & approbata quæ fuerat pauciorum, quemadmodum in Ephesini secundi, Ariminen. sub Constantino, Leonis III. filio, & Carthaginen. Conciliorum actis legimus. Respondebimus Ephesini secundi non damnatam majoris partis sententiam a Leone Primo quem Tubam Evangelicam vocarunt, & a Chalcedonen. Concilio, quia vis a Dioscoro, & militari manu illata fuerat Patribus, ut Eutycis vesaniæ subscriberent, quod contra decreta Niceni Concilij decrevissent, quod in eo reclamassent Apostolicæ sedis legati, quod Flavianus Constantinopolitanus Episcopus dedisset appellationis libellum. Ariminensis vero quod invito Liberio per Taurum præfectum jussu Constantij Imperatoris convocatum fuisset, quod occidentalis Episcopi astu, & fraude Orientalium circumventi fuerant: quod errorem dein agnoscentes revocassent, quæ decreta fuerant; quod eum Damasus Papa damnaverat. Constatiniani vero (sic n. vocatum est illud Constatinopolitanum Concilium) quod reclamante Gregorio vj. congregatum fuisset, quod a Scismatico, & Hæretico Imperatore vis Patribus illata fuerit; quod ea Catholicis Episcopi plures venire recusaverint, prævidentes omnia arbitrio Imperatoris decernenda. Et propterea in VI. Synodo Niceæ congregata sub Irene Imperatrice merito damnata fuit majoris partis sententia, & Sacrarum Imaginum usus restitutus. Primo autem Carthagin. Concilium non universale fuit, & particularia Concilia quæ per singulas Regiones, vel Provincias fiunt teste Augustino li. 2. con. donat. plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano sine ullis ambagibus cedunt. Nimirum sic decretum majoris partis Concilij Generalis derogavit decreto majoris partis provincialis, quod fecere sequentia Concilia Carthaginen. illi primo, cui & interfuit, & præfuit D. Cyprianus.

Quod si rursus obiiciatur, nedum pauciorum sententiam, sed unius & solius quamquam prolatam ut de Osio Corduben. Episcopo legimus in (a) Nicæno Concilio. Cum enim Patres vellent statuere ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi cum conjugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent, prævaluit unius Osii sententia, & unius Hieronymi decreto Aquisgran. Concilii non licere raptori, cum rapta matrimonium jungere (b). Respondebimus non unius Osii sententiam aliis prælatam, sed ipsum tantæ auctoritatis, ut alios in suam sententiam pertraheret. Decretum vero Aquisgran Concilii posthabitum unius Hieronymi sententiæ, quod Hieronymus jure divino juvaretur, cui nec plurium sententia derogare poterat. Cum enim consensus conjugium faciat, si rapta de non consentiente facta est consentiens, copulatum erat matrimonium, quod jure humano dirimi non poterat. Sed quid in hoc laboramus, quasi subsequatur, Aliquo casu prælata est pauciorum sententia, ergo præferenda paucorum sententia in translatione Concilii. Infirma est ab exemplis ratiocinatio, quod ex particularibus inferatur.

(a) C. Nicæna xxxj. dist.

(b) C. placuit. xxxvj. q. vj. c. de libellis xx. dist.

Unum tamen non est prætereundum, quod etsi quandoque pauciorum sententia præferatur, non tamen, cum longe major est numerus ex altera parte: eo enim casu tantum præsumunt jura pro majori parte, quando non admiuunt probationem in contrarium, quam præsumptionem vocant, jure pro ut de jure, ut statuit Gregorius X. in Lugdun. Concilio (c). At casu nostro si exacte colligantur suffragia, & his, qui sine conditione translationem decernebant, adjungantur hi, qui sub conditione, si de voluntate SS. D. N. certi essent, assentiebant; quodcumque mox lecto S. S. diplomate plane constitit, quod ejus auctoritate transferebatur, sane indubium erit etiam longe majorem partem quam sint duæ ex tribus partibus in eam sententiam venisse ut transferretur. Sine his autem a longe majori parte omnium suffragiorum, & fere a duabus partibus ex tribus.

(c) C. si quando de election. li. vj.

Quod ex translatione immineant scandala, rixæ, contentiones, & quotquot enumerantur mala, non satis nobis constat, nec pro verisimili habetur; nec enim a Cæsarea Majestate formidanda sunt, qui ejus in Deum pietatem, in homines charitatem, eam probitatem, eum animi candorem, eam in rebus omnibus prudentiam, & omnium consiliorum maturitatem agnoscamus, ut minime formidanda sint, quod scimus officii Majestatis Suæ esse Ecclesiam tutari, & defendere, tumultus sedare, seditiones compescere, & alia mala, ac pericula propulsare (a) non inferre; quem novimus Deum timentem; gloriæ cupidum, honoris zelo ardentem, matrem suam Ecclesiam, cujus est primogenitus, & ejus in terris Vicarium venerari, & suspicere. Minus etiam ea formidamus a veræ fidei, & religionis nostræ hostibus, quod eorum vires Omnipotentis Dei ope, Summi Pontificis auxilio, Cæsaris invicta virtute, fortuna, & viribus adeo attritæ, & debilitatæ sunt, ut de eorum salute, non de injuria nobis inferenda sit ab eis cogitandum. Nec in Italia religionis causa timemus rusticorum tumultus, popularium seditiones, nobilium conspirationes, quod paucissimi sint ea labe infecti, & si qui sunt, in dies resipiscant, qui in potestate Principum sunt, quod facilius compesci, quam oriri possunt. Et si qui Principes, quod non credimus, Ecclesiam Dei, ejusque in terris Vicarium, armis, aut aliis quibusvis modis offendere, & injuria afficere tentaverint, non deerunt potentissimi Reges, & Principes, non liberi populi, & Civitates, qui veluti ad commune incendium extinguendum opem ferent, & tumbuntur.

(a) C. non ad fidem xcvj. dist. C. noli- re q. iij. C. principes xxiij. q. v. C. quali ea ea. &c. q. C si Ecc. xxiij q. iiij.

Cum deinde dicitur, quod si translatio fieri oportebat, fuerunt sacrorum Conciliorum decreta servanda, ut non discederetur a terminis ejus regionis: propterea deligendum fuisse locum in Germania: facile diluitur, si diligentius perspiciantur verba Constantiensis Decreti innovati a Basiliense: nec enim alia extant de mutatione loci Conciliorum Decreta. Nam providet Decretum illud eo casu, quo in fine unius Concilii dasignatus est locus subsequentis; quod si ante exitum decennii nondum cœpto Concilio causa obsidionis, guerrarum, pestis, & similis necessitatis adveniat mutandi loci necessitas, liceat Summo Pontifici de fratrum suorum, aut duarum partium ipsorum consensu, & subscriptione alium locum viciniorem, & aptum sub eadem natione deputare. Non autem loquitur cum cœptum est Concilium: quod colligitur ex subsequentibus decreti verbis, cum dicitur, = quam tamen loci mutationem, vel termini abbreviationem per annum ante præfixum terminum teneatur Summus Pontifex publicare, & intimare. = Nec enim verba illa conveniunt jam cœpto Concilio, nec etiam deceret propter loci mutationem tantam fieri intermissionem. Quin nec decretum illod Concilium jam cœptum adligat; cum pari fungantur auctoritate, nec par in parem habeat jurisdictionem, possitque Concilium sua auctoritate locum deligere. At nec Basiliense Decretum illud observarunt, cum delegerunt Civitatem Avenionens., ad quam se transtulissent, si Græci ad eam accedere voluissent. Sed nec Bononia alterius est nationis a Tridento, cum utraque Civitas intra fines Italiæ describatur.

Cum vero subijcitur quod id nunc maxime fieri oportebat, quod Germani polliceantur se libere, & absque ulla conditione, aut prætextu Tridenin. Synodum suscepturos: non impugnatur translatio. Quoniam cum facta est, non se submiserant, nec ulla spes erat Protestantes Synodum suscepturos. Incerti etiam eramus de Catholicis, cum ad Concilium non venissent: sed & nunc quidem incerti sumus quam Synodum ipsi Protestantes se suscepturos profiteantur. Tergiversari enim poterunt, (ut sunt flexiloqui) se quidem obtulisse Synodi judicium subituros, sed non ejus, quæ sit Episcoporum,

qui

qui Romani Pontificis juramento obnoxii sint, non ejus, quæ ab eo indicta sit, cum nimis timerent, & impudenter ausi sint Summum Pontificem partem appellare, & se ex adverso partem constituere, somniantes nescio quam Christianam, & liberam Synodum ea omni gentium, & ordinum colluvione, ad quam clerici, laici, nobiles, ignobiles, populares, plebei, & quoscumque voluerint, admittantur, ut facile dissentione, seditione, ac tumultu omnia perturbentur, opusque sit re infecta discedere, ipsis interim in suo errore confirmatis, qui a Concilio subisti non sint, nec damnati. Propterea explicandum foret quam Synodum se recepturos profiteantur: præsertim cum editis libellis Trident. Synodum detestentur, singula quæque in ea decreta, & sancita carpentes, & improbantes, ac etiam Tridentin. Civitatem, ut eis suspectam, & minus tutam recusantes.

Deceret etiam quin potius oporteret Patribus, qui ad Concilium convecturi sunt, eas securitates præstari, quæ dari consoevere, cum alia celebrata sunt Concilia, nec solum Tridentini Principis, sed & Romani Regis sub cujus protectione est Civitas Tridentina, & aliorum Principum, per quorum ditiones esset iter faciendum, ut S. accedere, morari, recedere, Concilium transferre quacumque majori parti libuerit libere possint, & valeant. Quod maxime in præsentiarum fieri oporteret, quod Patres pro comperto habeant cum de transferendo Concilio facta est deliberatio, non defuisse, qui requirerent Dominum Trident. Patres Tridenti retineret, nec discedere permitteret quoad Cæsari foret gratissimum, & nisi constantia, inconcussaque fides illius nunquam satis laudati Principis nobis præsidio fuisset, omnes, ut beliuæ in cavea, in Civitate Tridentina inclusi fuissemus. Quod modo & nos deterret, ne ad Tridentinam Civitatem revertamur, etiam si a Reverendiss. Præsidentibus facta fuisset oblatio, si refrixisset morbi vis Tridentum redituros: quæ tamen non pure, sed sub conditione facta est, si SS. D. N., christianissimo Regi, & aliis Principibus placuisset reditus, & ea etiam tacita conditione, si omnes Bononiam convenirent, nec fieret Patrum Concilii divisio; qui si venissent, nec factæ fuissent contra nos acres, & contumeliis plenæ protestationes, quæ nobis augent suspitiones, & metum: nescimus quonammodo postulante Cæsare, expetentibus Germanis, id negare potuissemus, aut SS. D. N., & alii Principes assensum negare. Sed his & condonatis, præcipue oporteret Patres, qui Tridenti permansere Bononiam accedere, ut horribile illud scandalum, quod ex patrum divisione universo orbi datum est, tolleretur: quod si dixerint scandalum dedisse eos, qui levi ex causa, ut prætendunt, recesserunt, ad eos pertinere reditu suo Tridentum scandalum tollere. Facile diluitur objectum ex his, quæ diximus, omnem jure præsumptionem fore apud longe majorem partem, majorem omni culpa carere. Quod exemplo comprobatur. Dicant quæso hi Patres, qui Tridenti permansere, si dux exercitus sublato vexillo duxerit castra mutare, detrectansque aliquis ducem sequi, & in castris manere, eaque de causa dux cum hostibus confligere, aut urbem, quam expugnare proposuerat debilitatis viribus oppugnare destiterit, cujus culpa censebitur retardata expeditio? Certe eorum, qui contra omnem militarem disciplinam detrectarunt ducem sequi. Nos Præsides nostros secuti sumus: nos Crucis vexillum: ipsi in castris mansere: ipsi vexilli desertores fuere, quo retardata est omnis Concilii actio.

Quod vero delecta sit Bononia in medio Italiæ collocata, subdita imperio Ecclesiæ, quo nemini dubium sit non adituros Germanos, desinent reprehendere, si meminerint quot præclara Concilia Romæ celebrata sint, in quibus hæreses longe distantium Provinciarum confutatæ fuere, & prolapsi mores novis legibus restituti; quæ non solum est ditionis Ecclesiæ, sed Caput, & Sedes Rom. Pontificis. Et Græcos Gregorio X. Rom. Pontifice Lugdun. & Eugenio IV. Ferrariam, dein Florentiam ad Concilium accessisse legimus, nec contendisse tam instanter in Græcia fieri Concilium: non declinasse, nec recusasse Gallos, Græcos, Germanos, Hispanos, Britannos, & alios urbem Romam, quod ditionis sit Ecclesiæ, aut quam longe ab eis distaret. Quod etsi decere videatur, ac etiam consuevisse medicum ad infirmum, non infirmum ad medicum accedere, sæpius tamen in chronicis ægritudinibus, & propter magnam medici auctoritatem, & præstantiam non dedecet infirmum ad medicum accedere, idque sæpissime fieri vidimus: cum præsertim adsunt justissimæ causæ, quibus medicus prohibetur ægrotum accedere. Quin potius deceret inibi habere Concilium, ubi residet verus medicus in terris animarum nostrarum Romanus S. Pontifex Christi in terris Vicarius. Quod plurimum expediret, ne res tanti momenti eo absente tractarentur, cujus præsentia, & auctoritas plura commoda præstaret, & ejus absentia incommoda, & pericula.

Ex his plane sublata censeri possunt quæcumque translationi obiiciebantur, sed quia nulla res est tam clara, & perspicua, quæ si in controversia ponatur, dubia non reddatur, demus rem dubiam fore: Judicem habemus SS. D. N. & Reverendiss. Cardinales nobis auditores datos, quos in Judices agnoscere debemus juxta illud Deuteron. = Si videris in portis tuis judicum verba variare inter causam & causam, sanguinem & sanguinem, vade ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venietque ad Sacerdotes levitici generis, & ad Judicem in illo tempore, qui judicabit justitiæ veritatem. = Et juxta illud Moysi, quæ figura tenuit Summi Pontificis, ut inquit D. Bernardus ad Eugen. cui mandatum fuerat, ut constitueret judices in Populo, & si quid mali ortum foret, deberent judices referre ad eum, quem etiam Cæsar judicem agnoscit, qui Reverendiss. Præsidentes, & Patres, qui Bononiam concessere Sanctitati suæ ut reos detulit illegitimæ translationis.

Miramur etiam, & dolemus Reveren. illos Patres, qui Tridenti perstitere, quæ & si in litteris ad SS. D. N. datis illum judicem agnoscant, judicium tamen diffugiant, eo prætextu quod nolint se litibus implicare, quod si causa propria est, parati sunt potius iniuriam pati quam judicem subire: si Dei est, ad ejus Vicarium pertinere defensionem. Miramur inquam, & dolemus, quod cum litigare servos Dei non deceat, vocati non accedant ad eum cujus est litem tollere, ut a litibus expediantur quibus seipsos implicuere; nec n. lis ista, discordia, contentio inter Patres Concilij tolli, non ipsi sine lite esse possunt, nisi ab eo, ad quem spectat judicium, sopiatur; quandiu ab eo non decernatur, translationem validam, aut invalidam, lis erit inter nos, & contentio. Miramur etiam, quod si ea propria est, malint iniuriam pati, quam judicium subire. Propria n. est, quod ipsi magno scandalo causam dedere. Sed etiam est Ecclesiæ, quam facto suo laceram, & divulsam fecere, & Dei, quem offenderunt: nec propterea et judicio eximuntur, quod ad ejus Vicarium, si Dei est pertineat: cum ad Dei Vicarium pertineat, ut judicem ad eos, qui magni criminis rei sunt, scismatis scilicet & divisionis Ecclesiæ; quo nullum majus, nullum horribilius est. Iniuriam autem ferre, velle est honorem suum negligere: silere, non judicio sistere est crimen faveri, est contumacem esse, contra quos (vulgato adagio) omnia jura clamant. Præterea si causa Dei est, cur ipsi, qui cum Summo Pontifice vocati sunt in partem sollicitudinis, causam deserunt, eum potius cum eo defensionem suscipere debeant: Si hanc in Sanctitatem suam reiiciunt, cur non & alias quæ Dei sunt, cur non sese ab Episcopali munere abdicant? Quum causa Dei sit, animarum Curam gerere, populos virga, & baculo regere, & gubernare? Cur Sacerdo-

tiorum

tiorum collationes, reorum judicia, & alia similia ad Sanctitatem Suam non reiiciunt? Cur tantum lamentantur, quod & his Sanctitas S. manus apponat, si Dei causæ ad eum reiiciendæ sunt?

At si nolunt se litibus implicare, si taciti volunt judicium expectare, cum adeo a Sancta S. vocati sint, ut scilicet lis illa, aut concordia aut jure per celerem sententiam terminetur, cur si nolunt vocati accadere, ne litibus sese implicent, cur non accedunt, ut amicabili concordia, servata christiana charitate monstrum hoc dissensionis, & Scismatis in Ecclesia prorsus tollatur, ut constituta pace, vel omnes concordi animo, & mutua charitate Tridentum redeamus, vel de alio loco concordiam sumamus. Huc dirigit virga directionis, virga regni sui errantem gregem Paulus VI. Pontifex maximus, & Optimus. Cur vocati ad concordiam, ad pacem, ad pascua Synodalia vocem ejus non agnoscunt? Cur pascua non Pastor sed ipsi sibi deligunt? Cur dissimiles esse volunt majoribus suis, qui semper obedientes fuere Apostolicæ Sedi, semper Rom. Pontificem, Beati Petri successorem coluerunt, & venerati sunt. Non est eum colere, non venerari, ad eum non accedere, præsertim ad pacem; ad concordiam, & dandam, & recipendam vocati.

---

## COPIA DI UNA LETTERA

### SCRITTA DA M. GIOVIO AL CARDINAL CERVINI A TRENTO.

*Reverendiss. & Illustriss.*

GIO: Battista è sì dolce, che si degna farmi il Cancelliere, poichè la sciesa m'è calata in quella luna giù per una spalla, & per il braccio, sorella uterina del mio Sig. Cardinale de Monte, & tutto per dare segno d'emendatione del silentio passato, & in effetto vorrei burlare con VS. Reverendiss. così severa come ella è imitando la ladra fortuna, quale se burla delli disegni delli homini, facendo di gran torti, come chiara di non stare assinticato. Voi vedete, Sig. mio, che stando Carlo V. sopra l'orlo del pericolo di perdere o l'honore, o lo stato di Milano, andandosene Orliense, e restato salvo, e netto di gabella, hora resta il discorrere se 'l dare, o 'l non dare la tregua il gran Soliman, sarà utile, o contraria occasione all'intronizzare delli felicissimi Gemelli col Padre & con la Madre sopra l'Altare di M. S. Ambrogio, & io son di parere, se Carlo V. non otterrà la detta tregua, ch'harà bisogno del agresto, qual tiene imbottato M. Mario Rofino, & la S. regola Paulina canta, dicendo do ut des, manualiter, & vere, & non in carta pecora tantum, acciochè Cloto non calaccoccasse, inter calicem, & labra. Perchè non è cosa secura stare sopra le promessione di Luca gaurico, maxime in negotio pecuniario, nel quale non suole stare forte il resoluto Pallore. In questo mezzo se dice quà, che la chiave del Concillo è stata gittata in un pozzo molto profondo, & che el cieco d'Ibernia Armacano se difida, ch'ella se ripeschi; ma portà essere, che di levante venga uno uncino, che la ritrovi, senza riversare il pozzo, cosa che deve parere difficile al M. Monf. Casella, che Dio li dia un buon pellicione per questa invernata, & facci venir voglia al gran Lucullo di donarli uno carratello di vernaccia, perchè questa espettativa non li sia in forma pauperum. Questo dico perchè le lettere de 26. d'Agosto di Costantinopoli dicano, che non è aqua per macinare quella tregua, essendo solito il Turco di macinare a ricolta, come fanno i frati, secondo Gio: Boccaccio. E questo recogliere dell'aqua durerà un pezzo, & poi in uno colpo verso l'ariere idest ad primaveris signa, la piena se ne venirà via, di quelle resolutioni di non dare la tregua assoluta. Et mi pare di vedere il nostro Cavaliere secco in uno Castano di broccato d'azzimia recitare a tavola nella stufa dell'arme di Trento la malignità d'alcuni, quali hanno fatto la traversìa a questa tregua assoluta, ma sia come se voglia Sig. mio, Papa Paulo è fresco, & snello, & giojoso, & può molto bene aspettare, che si chiarisca questa posta avanti che metta mano al sopradetto asperges.

Hoggi è arrivato l'Arcivescovo di Napoli, (a) quale parrebbe, s'havesse l'ale, & la bilancia, il bel Angelo Michele, & a S. Lucia l'incappellaremo come uno falcone pellegrino, & l'anderanno in groppa undici non già Angeli, ma visi chi di Merlucci, chi di Striverghe, & chi di Botlanza, & sì con voi n'havete più di tre, alla barba de' chierici di camera, in segno pendocanti, & perchè nissuno famutini, cene sarà omnium ordinum, & nationum, & alla seconda fornata ci vorrà essere el nostro Calmer della Corte Puliasca, dicando, se 'l povero Sfondrato more, non c'è il più pratico di me, alla barba del Vescovo di Cesena. Sig. mio senza burla v'ho fatto un giocondissimo libro dell'immagine, qual sono al mio Museo, con le quale s'è celebrati 160 homini eccelsi morti, quali non sono stati eunuchi, & forse faremo il secondo delli vivi, & sono d'Alberto Magno fino ad Alberto Pighio per buona sorte di Germania, & se VS. Reverendiss. ne vole uno saggio, nomini li tre homini eccellenti a suo gusto, & li mandarò la vita, & l'epitaffio. Resto solo a supplicarla, mi raccomandi al mio Cardinale de Monte, & al divin Reginaldo, & sopra sopra tutti al gran Lucullo vostro hospite, & tiranno dulcissimo dell'Alpe. A tutto l'ordine pedestre de' Prelati bacio le fimbrie delle mozzette. Et B. V.

(a) Ranuccio Farnese Nipote di Paolo III.

Da Roma trionfante a quattro pagnotte al bajocco, dico di quelle di S. Niccola di Tolentino. Il dì x. d'Ottobre 1545.

Deditiss. Sig. el Vescovo Jovio.

*Al R.mo & Illustriss. M. & Sig. mio Colendiss.* Il Cardinale S. Croce Legato a Trento.

---

## COPIA DI UNA LETTERA

### DEL NUNZIO DI VENEZIA,

Scritta a' Legati del Concilio, la quale contiene la nuova della Tregua fatta dal Turco.

*Reverendiss. & Illustriss. Sigg. Padroni miei Colendiss.*

HIeri sera vennero due brigantini di Costantinopoli con lo avviso della conclusion della tregua con lettere de' xxiij. in questa forma per quanto ho potuto intendere dalla parte Francese. Che la tregua sia per cinque anni con tutti i Principi Christiani, la quale s'intenda stabilita quando saranno stati posti i confini all'Ungheria, i quali si debbiano porre fra termine di uno anno, & il Re Christianissimo debbia esser arbitro a porli, & fra questo anno siano sospese l'armi con tutti i Christiani, ma passato l'anno se non saranno terminati non s'intenda cominciata la tregua. Questa termination di confini par, che tenda a far, che rimanghino al Turco alcune terre possesse da Christiani in quel Regno. Dicono ancora, che Monsig. di Monluc, & il Sig. Gerardo (b) erano partiti per la via di Ungherìa. &c.

(b) Costoro furono inviati al Turco per trattare la detta Tregua.

Di Venezia alli xvij. di Novembre 1545.

*Deditiss. Servitore il Nuntio di Venetia.*

CO-

## COPIA DI ALTRA LETTERA

Scritta da M. Giovio
Al Cardinal Gerini a Bologna.

*Reverendiss., & Illustriss. Domine.*

EGli è pur vero, che lande facta ferunt, laudato sia N. Sig. Dio, & M. San Rocco degno d'una statua, & d'uno peculiare altare in Basilica Santi Petri; ma in effetto voi siete stati archi cima d'homini, in agasare questa sancta inexpettata occasione della salute publica: è ben vero, ch'havere rotte l'ova nel panier a quel cima d'arrosto freddo per non dire M. Christophorus. Questo colpo è degno d'una bella tirata di broccato riccio nell'illoria, speramo ch'il generoso Papa Paolo harà salvo condotto dalle parche abastanza per finire, & serrare questo male aperto, & ben translato Concilio; bisogna bene, che se faccia una riforma con quella destrezza, & temperantia ch'ella non guasti la coda al fagiano di questa Santa Sede, & in parte chiudi la bocca a quelli blasfematori di Germania, & chi mira bene in questo toccarà con mano, che M. Niccolo Bonello non patirà molto, & se potrà poi con un volto invetriato chiamare a simile riforma questi Sigg. grandiss., quali son sì bramosi di vedere la giustiria a casa d'altri non volendola a casa loro, & venga pure Solrà Salimano, perchè come disse M. Antonio da Venafro a Pandulfo nel gran dolore chiamando esso in soccorso il Diavolo, ogni ajuto è bono, rispondeva. Adunque doveranno sioccare Prelati, & uscirne, & chi non venisse per maligna infiogardia cominciando a scappellare, & se li Tridentini prelibati vorranno ponere sedem ab aquilone, fulminateli Sig., & scappellateli come meritano quelli, che scomunicati vogliano celebrare la pasqua, & ve so dire, che bisogna fare da Papa Julio per non dire d'Innocentio IIII. & Alessandro II. di troppa lontana memoria, & Papa Paulo dice di non volere fare la morte della pecora; & bravino pure a sua posta, perchè Iddio pie audentes luculenter adiuvabit, & dica VS. Reverendiss., & Illustriss. al suo collega da mia parte, che Ceccone vole essere uno homo, poiche l'amica di bel vedere è diventata una seudogazza di color di pettine di busso vechio, & così fo fine ringratiandole publico nomine di tutta l'accademia nostra, quale tutto questo anno ha molto bene cognosciuto le ragie di quel cima, & credo, ch'ormai che Ephestione se ne aveda ancora che habbia hauto un poco di glaucoma all'ochio dritto, concetta fine dalli congressi di Busseto, & questa è una vertù di quell'amico non intesa da grossolani, & cavalieri erranti. Bacio humilmente la mano di VS. Reverendiss., & Illustriss. da Roma a xxix. di Marzo 1547.

L'Autore oppresso dal suo catarro non ha possuto scrivere di mano propria.

Deditiss. Sig. el Vescovo Jovio.

*Al Reverendiss. & Illustriss. Sig. mio Colendiss.*
M. il Cardinal Santa Croce in Bologna.

---

## COPIA DELLA MINUTA LETTERA

Scritta dal Cardinal
Santa Croce a M. Giovio.

REverendiss. Monsig. Vescovo la Lettera di VS. Reverendiss. de 29. del passato ricevuta hoggi m'è stata carissima contenendosi in essa non solo il judicio suo circa alla translatione del concilio, del quale io fo molta stima per ogni respetto; ma ancora la risolutione di N. Sig. della quale fino a questa hora non eravamo stati avvisati così chiaramente; onde M. Reverendiss. de Monte, & io ne la ringratiamo. Il mistero del Concilio Tridentino è come il Pozzo di San Patritio. Non so se in la historia di VS. Reverendiss. c'era nisun miracolo, quando nò, il primo essendo ben descritto come non dubbito che sarà da lei, che intende benissimo queste cose, & sa quante braccia d'acqua. Et ci raccomandiamo, & offeriamo a lei continuamente.

Di Bologna alli IIII. d'Aprile MDXLVII.

---

## COPIA DI UNA LETTERA

Scritta dall'Eletto di Terracina al
Cardinal Santa Croce a Trento.

*Reverendiss., & Illustriss. Sig. & Padron mio Osservandiss.*

SE più tosto havessi inteso il desiderio, che VS. Reverendiss., & Illustriss. ha di vedere quelle due forme del Decreto della giustificatione stampate in Alemagna con l'espositioni contrarie alla Dottrina nostra, & che almeno al partir mio da Trento me n'havesse fatto un piccol cenno, haverei fatta ogni opra, acciò chè Ella ne fosse stata sodisfatta. Ma hierisera solamente il molto Reverendo Monsig. di S. Marco mi disse, che per tutto hoggi cercassi di haverne copia, imperocche pensa partir domane senza fallo; ond'io per molta diligenza c'habbia usata, non ho potuto servirla, anzi mi vien detto, che quasi tutte quelle copie stampate ch'erano in questa terra, si sono mandate fuora a diversi loro amici, ma afferma publicamente Baldassar Altieri Agente de' Protestanti, che queste Copie non vagliono molto a pari di quelle, che d'hora in hora aspetta, che gli siano mandate dal Bucero sopra tutte le forme di questo Decreto; & dice, che ne harà in quantità per servire agli amici. Io sarò diligente per haverne subito qualch'una per mandar a VS. Reverendiss. & Illustriss. fra tanto non resterò di dirle, che in Venetia si è di nuovo stampata quella Tragedia del Libero Arbitrio, & si vende segretamente. Et Baldassar sopradetto ha fatti vestire molti di quei libri del Lutero adversus Papatum Romæ a Sathano inventum, & insieme quell'opera del Bucero contra il Concilio di Trento. Et questi libbri (se non li ha veduti) a tutte l'hore li potrò mandare a VS. Reverendiss. & Illustriss. Presso di questo le fo ancora a sapere, che un M. Giorgio Corintio greco, nipote della felice memoria di Monsig. Arcivescovo di Napoli di Romania, mi ha portato un libro di Theophilatto sopra i Profeti, qual dice havere fatto copiare per nome di VS. Reverendiss & Illustriss. & la scrittura dice, che vale x. ducati per essere 35. quaderni, & mi ha detto, che ha un libbro nelle mani antichissimo contro il Primato della Chiesa Romana, il quale è d'un suo amico, & ne potrà haver copia insieme con molti bellissimi libbri, onde se VS. Reverendiss., & Illustriss. si degnerà dar ordine al Gionta Libbraro, che gli paghi la scrittura solamente, all'uso comune, promette di farli trascrivere. Ho inteso anchora, ch'egli è pervenuto nelle mani d'un gentiluomo greco molto ricco, & patricio parimente di questa Città per esser nato in Candia, un'Opera di Dante contro il Primato della Chiesa Romana, & è stata tradotta da Marsilio Ficino in lingua volgare, & questi è l'esemplare istesso di mano del Ficino, & per esser questo gentiluomo poco amico della sede Romana, dubito che la darà a qualche stampatore in Venetia. Non mancherò di affaticarmi per haver

copia di questa parimenti, quando ch'io sappia di farle cosa grata.

Monsig. Reverendiss. Patriarca mio Zio si trova per la Dio gratia in buono stato, ond'io fin'hora ho aspettato, che Monsig. Reverendiss. & Illustriss. Camarlengo mi facesse haver modo qui, per potermi levare, & ritornare a Trento, & perchè sua Sig. Reverendiss. & Illustriss. mi scrisse, che aspettassi il suo aviso, però la non prendi meraviglia, se non ho sodisfatto alla promessa, ch'io feci di ritornare, perchè in vero io da me non havrei pur modo per hora di farmi le spese nel venire a Trento. Non ho mancato di ricordar, che mi sia proveduto, che non mancherò di fare il debito, che mi si conviene; & fra tanto bascierò humilmente le mani di VS. Reverendiss. & Illustriss. & il Sig. Patriarcha riverentemente se le raccomanda.

Di Venetia alli 4. di Gennaro del 47.

Di VS. Reverendiss. & Illustriss.

*Umil Servitore*
L'Eletto di Terracina.

# EPISTOLÆ
## JOANNIS BAPTISTÆ AMALTHÆI

*Nomine Caroli Cardinalis Borromæi in Pontificatu Pii IV.*

### I.

*Cardinali Varmiensi.*

Ex MS. Cod. Illustr. Dom. Francisci Florentini Luc.

DUabus tuis epistolis, quarum alteram ad XI. alteram ad VIII. Kal. Apr. dederas, cum multa me negotia impeditum haberent, non potui antea scribere: & quia summis occupationibus distinebar, nunc rescripsi breviter. Narro tibi; ab Internuntio Philippi regis proxime ad Sum. Pontificem misso, neque de ecclesiasticorum bonorum venditione, nec de alia hujusmodi re, quæ ad propria Regis commoda ac fortunas amplificandas pertineat, quidquam hactenus est auditum. Quam ad rem explorandam etiamsi magnam curam diligentiamque contulerim, tamen investigare, atque odorari nihil potui. Hæc vero ex ejus sermone intelligi, conjecturaque prospici potuerunt, Regis mandata ad publicas rationes spectare omnia, ut non modo quæ plerique timore, ac nullo certo consilio suspicantur, periturus ea non sit, sed ne tantula quidem suspicioni locum reliquerit. De Bario quod scribis, ne in mentem quidem Pontifici venerat cogitare, nihilque ab illius vel consiliis vel institutis hoc præsertim tempore esse alienius puto, quam ut ulla ex hoc fonte molestia ad Poloniæ Regem permanet. Quamobrem cum Pontificis animus in ea cogitatione sit defixus, ut christianæ Reipublicæ jam afflictæ medeatur incommodis, omnesque Reges, quorum auctoritate & præsidio religio nititur, & ornare & augere optimo jura possit, hoc tibi persuasissimum esse velim, nullam Regi tuo causam fore, cur, qua pietate & observantia erga Pontificem semper fuit, in eadem minus perseveret. Illud autem Pontifici gratissimum accidit, quod Abbatem Clarevallensem præclare sibi constare sentit, cujus religionem, ac voluntatem cum amplectitur, tum etiam probat. Quod ad verborum mutationem attinet id ad te, ac cæteros legatos, vestramque sapientiam, integritatem, & fidem retulit, dum commodo christianæ Reipublicæ fiat, neve de Pontificiæ dignitatis splendore aliquid detrahatur. Equidem fore confido, ut vestra facilitate, prudentia, virtute nostræ causæ, vestro officio & omnium expectationi satisfiat. Quorsum consilium tuum sermoque reciderit, quem cum Cardinale a Lotharingia habuisti plane perspicio. Recta vero & egregia de Cardinalis Borbonii proposita ratione responsio; qua in causa nil dissolute, nil ramisse, sed graviter omnia & constanter, Pontificem esse facturum certo scio, ut & jura religionis, & Pontificatus amplitudinem sancte ac pie tueri videatur. Deus te incolumem quam diutissime nobis servet.

Romæ III. Non. Apr. MDLXIII.

### II.

*Senatui Regio Mediolanensi.*

MAriani Curtii pia & egregia voluntas mihi in eo maxime probatur, quod præfecturæ suæ fructus ad communem nobilium puerorum Mediolanensium utilitatem statuat conferre, qui ab opibus non satis firmi in ludo Zægio sancte ac liberaliter instituuntur. Itaque animum induxi, ne religiosi viri optimo consilio vel labore vel gratia apud Pontificem Maximum deesset, qui cum præsertim & natura ad hujusmodi officia sit propensior, & quæ pietatis & liberalitatis sunt munera, ea non modo adjuvare, sed etiam amplificare consueverit, facile mihi hoc roganti dedit, ut Curtius præfecturæ suæ eidem ludo renuntiandæ haberet facultatem. Ego vero tum ut meam erga vos observantiam, qui mihi totum hoc negotium diligentissime commendastis, aliqua in re declararem, tum ut ingenuorum puerorum commodis & disciplinæ consulerem, inopiamque sublevarem, libenter & petitoris & rogatoris personam suscepi; quo in officio præstando, quia & vestræ & Curtii voluntati satisfeci, & ex annuis præfecturæ fructibus fore perspicio, ut ad Zægium ludum & dignitatis & discipulorum summa fiat accessio præclare operam posuisse mihi videor. Pontificem vestro nomine suppliciter salutavi, cujus ex sermone, & vultu plane intellexi, vestri illum ordinis esse cupidissimum, atque amantissimum. Valete.

Dat. XIII. Kal. Apr. MDLXIII.

### III.

*Cardinali Varmiensi.*

QUÆ de Episcopi Quinquecclesiensis integritate, religione, & summa in Deum pietate cognoscimus ex tuis literis, eo jucundiora Pontifici acciderunt, quo alienior, atque incommodior subesse opinio videbatur; etenim subvereri nonnullos fecerat, is ut multa perturbaret, & quæ firmissimis christianæ reipublicæ præsidiis munienda sunt hoc tempore, & labefactare, & convellere contenderet. Et quoniam in suspicionem controversiæ, ac dissidiis eum nobis ferme adduxerat, qui istinc efflarat quidam rumor, tuo testimonio, in quo summa auctoritas est & splendor, Pontificis animus est confirmatus. Ergo quæ in hanc sententiam scripseras, scite, & commode scripta sunt

omnia

omnia, ut eximiæ probitatis virum optimumque religionis custodem, atque administrum eum fore judicamus. Illius virtutis, & constantiæ est impiorum hominum nec consilio, nec auctoritate a studio divinæ religionis, & præstantissimo officio deterreri. Abbatis Clarevallensis rationem egregiamque voluntatem a Gallis fuisse minus probatam, cum Pontifex viderit, tuæ neque dignitatis, neque amplitudinis esse existimat, ut de hujusmodi rebus cum Musoto quidquam agas, eumque Abbati anteponas: quod si quando Cardinalis a Lotharingia animum ad has controversias sedandas erexerit, tum & diligentia, & facilitas in omnium sermonibus audiendis erit adhibenda: id autem ab industria, pietate, & sapientia tua, in qua Pontificis mens præcipue requiescit, nulla causa est, quin expectem. Quæ tuæ literæ Cal. Apr. datæ de Germania renuntiant, fuerunt Pontifici non injucundæ; quamquam hoc illi multo est optatius, ut qui depravatæ, & seditiosæ disciplinæ sunt duces, tandem errores agnoscant, ac deponant suos, sicque ad pristinam consuetudinem, & pietatem conveniant, ut eorum impetu jactata, & perculsa religio oculos tollat, & recreetur. De profectione ad Episcopatum tuum, quod scribis, tibi Pontifex non assentitur: nam in hac temporis difficultate, cum prudentissimorum, & sanctissimorum hominum tui similium, tanta sit paucitas, quæ ad doctrinæ christianæ patrocinium, ac defensionem adhiberi possint, tuum consilium, gravitatem, fidem, & in omni genere præstantiam res propemodum ipsa efflagitat: qui si hoc tempore longissime abfuisses, tamen eras non modo accersendus, sed ad tantam publici muneris functionem etiam impellendus, cogendus: itaque omnem hanc curam abs te pie, sancteque susceptam Pontificis vel judicio, vel mandato abiicias, necesse est, atque opportuniori tempori reserves, cum præsertim, quam fructuosus in provinciam adventus tuus futurus sit, non dispicias, quæ vero ex ista tua permansione consequitur utilitas, cum cæteris, tum ipsi Pontifici sit exploratissima. Quamobrem cum universam religionis causam in florentissimorum hominum conventu complecti videaris, de unius Ecclesiæ statu noli tam esse sollicitus, ut quod sanctissimum est, & in omnes partes maxime valet, ab officio declines: proinde istic præclare consistes quoad tanti negotii exitus Deo Optimo Maximo approbante expediatur: id erit pergratum Pontifici, tibi perhonorificum, & bonis omnibus salutare. Canonicorum qui tuæ fidei, ac potestati crediti sunt, literas, quas ad me miseras, ad te statui esse referendas, easque addidi in fasciculum litterarum mearum: quæ vero sejuncta ab hac epistola tibi nota esse cupio, ex iis litteris, quas communes tibi cum reliquis legatis miseram perspicies. Habes ad tres epistolas tuas, quarum unam iiij. cal. alteram calendis, tertiam v. Non. Apr. dederas. Vale.

Romæ XVIII. Cal. Maij MDLXIII.

---

## IV.

### *Cardinali Varmiensi.*

Rerum, quæ istic geruntur statum, & varietatem perspexi ex tuis litteris, & quamvis permista mala cum bonis incurrant, tamen & Dei benignitate, & tua cæterorumque legatorum vigilantia, & consilio fore arbitror, ut quia pro religione, vel adornanda, vel augenda tanta a nobis adhibetur contentio, optimi etiam exitus consequantur. Profectionis tuæ tempus non tam ad Pontificis nutum, & voluntatem, quam ad officium susceptæ provinciæ video fuisse accommodatum: nam si publicam utilitatem spectabas, quid erat, cur te illinc tam, quam ex communium temporum custodia commoveres? si honestatem, non præclare agitur, dum in tanta rerum perturbatione totius Christiani orbis causa Varmiensi diœcesi anteponitur: tuum igitur animum & Pontifex amicissime amplectitur, & ego pro eo quanti te semper feci, amo plurimum. Multa Germanicæ litteræ præcipue vero de Heidelbergensi conventu attulerunt. In Argentinensi disceptatione cum subinania plura, & nugatoria fuerint, ad nihilum recidisse omnia non miror. In novis canonum decretis interpositis, magni interfuit, quanta cautio adhiberetur, ne quid temere aut celerius emanaret: itaque quorum opera provisum est, ne pugnare inter se, ac pari in proposito disparem sententiam significare viderentur, ii suam & prudentiam, & fidem Pontifici vehementer probarunt: quo in officio cum Oratoris Poloniæ Regis pietas, & doctrina duxerit, quemadmodum cognovimus ex tuis litteris, & si illius virtuti, & probitati plurimum semper tribuit, nunc tamen acrior ad declarandum judicium suum fuit. Cardinalis Naugerii adventum tibi fore perjucundum scio: tanta est enim viri sapientia, & integritas, & in consuetudine suavitas, ut gratissimum officij, & industriæ socium sis habiturus. Quæ ad Cardinalis Moroni reditum reservari commode possint, tu, ac reliqui legati pro vestra prudentia videritis: neque enim tam in ejus reditu quam in aliqua temporis inclinatione, posita deliberatio est. De Staphilo nihil dum nobis renuntiatum erat, cujus sanctitas, eximiaque doctrina cum Pontifici spectata est, tum dici vix potest, quanti sit apud me ponderis. Ad Epistolam tuam, quam ad V. Cal. Maii dederas nunc hoc rescribam: quæ in isto publico consensu proponenda erant hoc tempore, ea & vidisse Pontificem, & rerum delectum comprobasse. Istic ne quid perturbate, ne quid parum constanter fiat, te, cæterosque, quorum prudentiæ, atque arbitrio istarum rerum moderatio, & administratio permissa est, diligentissime curaturos esse confidimus. Vale.

Romæ III. Non. Maii MDLXIII.

---

## V.

### *Cardinali Varmiensi.*

Non ignoro, quam multas laboris, & officij partes suscipias, quæ cum in conspectu Christianæ Reipublicæ gerantur, Deique voluntati, & religionis usui sint maxime consentanea, non tam ægre sustineri, quam gloriose præstari possunt: quare tuo instituto sic utere, ut soles; ne enim agi præclarius, nec commodius confici res potest, quam si abs te, atque ab reliquis legatis administretur. Quæ Episcopo Quinqueecclesiensi, quæ comiti Lunensi, quæ Lusitano, itemque deputatis responderas, non prudentiæ minus, quam humanitatis habuerunt, neque a Pontificis consiliis diffidere visa sunt. Illud autem Pontifici permirum videtur; cum ejus curæ, & studia omnia in religionis dignitate retinenda, & amplificanda evigilent, tantam esse nonnullorum hominum pertinaciam, ut communi in causa, ad quam omnium animi conspirant, magna sententiarum dissimilitudo sit & varietas. Sed quoniam plura publicis litteris sum persecutus, hæc per quam breviter perstrinxi. Te velim rectissime atque optime valere.

Romæ IV. Idus Maii MDLXIII.

## VI.

*Cardinali Varmiensi.*

AD eas litteras, quas a te proxime acceperam nihil fere habebam, quod responderem, ut quod sæpius scripseram, quam tuum consilium, & in omni genere vigilantia, assiduitasque Pontifici probaretur, vel quia quæcumque ad istius provinciæ moderationem, & tranquillitatem pertinent, tuæ cæterorumque legatorum fidei, & virtuti commendata sunt omnia. Quæ istic nonnulli moliuntur atque contendunt, in eam partem accipimus, ut duci spe optimi exitus, quam istorum officio, aut constantiæ diffidere malimus: tamen si studia, si operam suam ad vestrum arbitrium, ductumque conferrent, existimationi suæ fortasse commodius publicis rationibus, certe quidem melius consulerent: Cardinalis Moroni si maturior fuerit reditus, negotiorum omnium ratio erit expeditior, & vestram quoque diligentiam illius adiuvabit industria. Sed quæ impedimentorum causæ intercurrunt, ne procurationem etiam necessariam retardare videantur nostri est judicij. Litteræ tuæ cum ad me biduo, nonnunquam etiam triduo serius, quam publicæ litteræ perferantur, & quod caput est in minimo temporis momento non minima interdum vis insit; statui hac de re te esse admonendum, ut qui eas non statim reddunt, horum negligentiam tuo consilio corrigas, curesque ut post hac cum publicis litteris conjungantur. Vale.

Romæ Idibus Maij MDLXIII.

---

## VII.

*Cardinali Varmiensi.*

NUllum video abs te diligentiæ, & pietatis officium prætermissum, vel quod Villalpandum adhibuisti ad Lunensis comitis consilia, sensumque explorandum, fieri nihil accuratius poteras; cujus tamen gravitas atque constantia cum Pontificis perpetuo judicio mirifice congruit, qui non eum modo religionis propugnatorem judicare, sed etiam prædicare semper consuevit. De Oratore Poloniæ regis quod scripseras, id quidem Pontifici gratissimum fuit; quem enim de sua fide, & de communi Christianæ Reipublicæ causa esse tam sollicitum sentit, eum fore intelligit non minus alienæ integritatis auctorem quam testem suæ. A Canisio quæ improbentur cognovi ex aliorum litteris; ea cujusmodi sint a Cardinale Morono plane intelliget: incredibile est, quanta cura, ac sollicitudine vir pius sit, ut Dei immortalis cultum, sanctimoniamque omni animi impetu tueatur, ac cæteris præstet.

D. Ceronio, quem mihi diligenter commendas, nec studio sum defuturus, nec gratia: Cardinalis Moronus nisi me conjectura fallit jam istuc rediit, cujus opera apud Ferdinandum Imperatorem designatum præclare posita adducor, ut sperem omnium rerum expeditissimam rationem, nisi forte in homines incidimus contentionis cupidiores, qui ad christianas institutiones dijudicandas invidiæ plus quam religionis attulerint. Sed qui omnia gubernat, Deum hæc præcipue curaturum esse confido. Ex Germania, quæ afferebantur erant omnino turbulenta. Sed quia plura in communes litteras incluseram, longiorem facere epistolam nolui. Vale.

Romæ XI. Cal. Junij MDLXIII.

## VIII.

*Francisco Bernero Saxoni.*

ET curam Pontifici, & solicitudinem mihi tuarum rerum direptiones, & calamitates, quas ab impiis hominibus accepisti, eo majorem attulerunt, quo tuam, & tuorum omnium fidem, atque constantiam exploratius cognovimus: nam in quorum bona nefarii homines, & hæretici impetum facere consueverunt, vel ut a vero Dei cultu deterreant, vel ut de religionis possessione deturbent, si ab officio nihil deflexerint, incredibile dictu est quanta studii contentione eos sibi Pontifex sublevandos, & augendos esse semper duxerit, cui si tui juvandi facultas dabitur, mihi crede, liberalitatis, & benevolentiæ fructus ab eo percipies maximos. Ego vero & studio, & opera tibi nunquam deero. Quæ ad petitionis tuæ rationem spectant, reliqua intelliges ab Hadriano Candido, qui nobis, & litteras a te reddidit, & mandata exposuit. Vas crystallinum, quo a te sum donatus, non tam sua pulchritudine, quæ summa est, quam amoris tui testimonio, quo mirabiliter sum delectatus, mihi gratissimum fuit: quare operam dabo, ut grati animi, & liberalis nullum erga te officium iis in rebus prætermisisse videar, quas vel ad commodum, vel ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor. Vale.

Romæ VIII. Cal. Junii MDLXIII.

---

## VIIII.

*Cardinali Varmiensi.*

AB Oratoribus regiis ne qua fiat de honoris gradu contentio, id Pontifici fore video curæ: nam quod tu scripseras, idem ex aliorum legatorum litteris perspexit: ut vero istic omnia placide, & tranquille procedant tum sui consilii, tum vestri etiam judicii, atque prudentiæ esse arbitratus. Sed quia hujus rei non ita facilis deliberatio est: quid enim constitui potest quin alteruter asperius accipiat, quod optimum factu sit, cum decreverit, vos faciam certiores. Reliquum est, ut me tui cupidissimum, & observantissimum esse, & tibi ipsi, & cæteris persuadeas. Vale.

Romæ VII. Cal. Junii MDLXIII.

---

## X.

*Cardinali Varmiensi.*

SCripseram superioribus publicis litteris, quod statutum Pontifici esset de Oppidensi, itemque aliis, si discedere alii cogitarent hoc tempore dimittendis, quod pia tua & cæterorum legatorum auctoritati, arbitrioque commissum est, qua sapientia estis, qui non tam graves, quam speciosas caussas afferrent, eos ita in officio continebitis, ut ne religionis curam abiicere, aut communem caussam negligere videantur. Oppidensis Episcopi fratrem commendare non destiti; daboque operam, ut eius non modo saluti, sed etiam existimationi quantum in me est semper subveniam. Vale.

Romæ IV. Cal. Junii MDLXIII.

XI.

## X I.

*Cardinali Varmiensi.*

SOllicitum, & præcipue quidem Pontificem cum haberent multæ religionis partes, quibus omnino subveniendum putat; tamen accessit de cancellarii obitu recens cura, cujus virtus, & in Poloniæ regno, vel splendor, vel auctoritas ab impietate deterrere multos potuit; quod vero suspicari visus est, si quis in ejus locum succedat ab religione alienior, ne longius malum serpat, & omnes provinciæ partes occupet, hæc auxit illius dolorem suspicio, nihil enim habet antiquius, quam ut Dei cultus, qui jam pene exaruit, aliquando efflorescat, & ad pristinam dignitatem revocetur. Ad Bavariæ ducem, quæ meditaris, quia sanctissime suscepta sunt omnia, fore illa quidem salutaria, & cum Christianæ Reipublicæ causa conjunctissima confidimus, ac si quanti erunt tantidem ii æstimabunt, apud quos ponderetur, nullum erit studium, in quo præclarius animum, & cogitationes tuas ponas, & quamvis accuratissime in cæteris rebus tua elaboret industria, tamen percommode etiam in hujusmodi meditatione versabitur. Vale.

Romæ IV. Junii MDLXIII.

---

## X I I.

*Cardinali Varmiensi.*

ACcepi exemplum litterarum, quas ad Bavariæ ducem scripseras, in quibus Pontifici perspecta sunt ea, quæ non minus sapienter, quam pie, ac graviter præcipis: utinam quantum ipse animi, & fidei ad consilium attulisti, tantum ille afferat voluntatis, ut res ad religionis tranquillitatem, & ad commune otium fluant. Hunc vero exitum non tam cupido, quam suspenso animo expectabimus; video enim quid tibi in mentem venerit suspicari, & quid tempora ipsa denuntient plena timoribus. Quod si eos, quorum dignitas, & auctoritas in christiana republica maxime floret, ut causæ sic officii societate conjunctos haberimus, profecto Dei Optimi Maximi Ecclesia, quam impii homines perturbare, ac convellere conantur, ab his tempestatibus conquiescet, & firmissimis præsidiis utetur, quæ in cogitatione, & cura dies, & noctes Pontificis mens excubat. Reliqua ex iis literis quas publice miseram, cognosces. Te incolumem esse quam diutissime vehementer cupio. Vale.

Romæ VII. Idus Junii MDLXIII.

---

## X I I I.

*Episcopo Usellensi in Sardinia.*

QUA voluntate erga me sis, perspexi ex tuis litteris, quas mihi Julius Constantinus familiaris meus reddidit; qua vero sapientia, & fide in religione versari consueveris, quamque egregie hanc curam sustineas, permolti ad me detulerunt. Et cum benevolentiæ tuæ, & officio plurimum tribuam, in Usellensis Episcopatus rationibus explicandis, ut tibi quibuscumque rebus posset commodaretur, curassem. Sed quia in integro res non erat, & quæ ad te pertinent, ea jam habebas confecta, nullum meum studium potui interponere, quod si mihi tui juvandi alia facultas dabitur, amicissimi hominis officium præstabo. Ad Tridentinum Concilium quantum attuleris studii, & pietatis mihi plane est exploratum: qua in re quid ego te horter, aut moneam, cum potius laudandus sis, quam excitandus. Equidem sic statuo, eam causam agi, in qua omnium fere gentium otium, & salus posita est, ut si vel sua æquitate, vel alienis commodis ponderetur, optimi cujusque consilio, & opibus sit maxime defendenda. Vale.

Romæ Pridie Id. Junii MDLXIII.

---

## X I I I I.

*Cardinali Varmiensi.*

NEocastrensis Episcopi doctrinam, & in optimo officio integritatem, atque constantiam, & si faciebam plurimi, tamen tuum de illius virtute judicium maximi fuit apud me ponderis: video enim quantum ei tribuas, quem mihi tam graviter, & diligenter commendas, nec vero minus Pontifici, quam mihi ejus probitas, & in religionis causa egregia voluntas nota semper fuit; quapropter fore arbitror, si quam occasionem nactus erit idoneam, ut rationem ineat quemadmodum commendationi tuæ, & optimi viri commodis satisfaciat. Vale.

Romæ XVI. Cal. Julii MDLXIII.

---

## X V.

*Cardinali Varmiensi.*

CUM publicis litteris epistolæ tuæ IIII. Idus Junii, & XVIII. Cal. Julii datæ de sancto optimo canone, & Abbatis Clarevallensis sermone plane consentiunt. Ego vero nihil Pontifici video esse antiquius, quam ut suo consilio, & aliorum virtute religionis incommoda subleventur, cujus animum nisi aliqua hominum contentio retardavit, mihi quidem ita persuadeo, mature omnia optimum exitum esse habitura. Ac si tua prudentia aliorumque legatorum judicio prospicitur ne pugnandi cupiditas hujusmodi controversias alat diutius, cum omnes sua studia a dissensione ad causam recte dijudicandam traduxerint, tum profecto quæ perculsæ, & afflictæ sunt christianæ reipublicæ partes erigent, & confirmabunt, ea ut aliquando in religiosorum hominum præsidio, & sanctitate acquiescat. Vale.

Romæ Non. Cal. Julii MDLXIII.

---

## X V I.

*Valentino Poloniæ Regis Oratori.*

SUmmum studium, singularemque integritatem, atque constantiam adhiberi a te in illo publico munere, & in religionis causa egregie tuenda Cardinalis Varmiensis litteræ, & multorum sermones ad Pontificem detulerunt: itaque officium tuum, & virtutem is maxime probabat, & ego faciebam plurimi, cum in hoc temporum perturbatione nec fidem optimorum, & gravissimorum hominum, neque præsidium christianæ reipublicæ deesse intelligerem. Mirifice vero delectatus sum tuis litteris; ex quibus animi tui sensus mihi quidem antea exploratus tamen notior fuit, atque illustrior, vel quod a te ipso præclarius erat expressus, vel quia eadem, quæ de tua in hanc sanctam sedem pietate ex multis audiveram, tua commemoratio jucundiora potuit efficere. Ludovico Montio Pontifi-

cis

eis erga te voluntatem eo consilio declaraveram, ut illius de tua doctrina, & probitate judicium tibi non esset obscurum, meam autem benevolentiam ut quanti apud me sis non modo intelligeres, sed si qua occasio daret etiam posses experiri. Vale.

Romæ Non. Cal. Julii MDLXIII.

---

### XVII.

*Cardinali Varmiensi.*

GEntiani Herveti Epistolam legi: sed cum tua innocentia, & virtus in ea luce versetur, ut nec ignorari sine suspicione stultitiæ, nec reprehendi sine impudentia possit, in nonnullorum hominum dictis fortasse aut connivendum, aut minus laborandum erit; neque enim hujusmodi querelis, tam tuam laudem oppugnari, quam existimationem, & gratiam augeri, intelligis præsertim apud eos, qui de religione optime sentiunt, quorum judicio quantum semper tribueris, quid est, cur quisquam dubitet, cum videat, quid acerrime tuearis? tamen quidquid vel purgandi tui, vel aliorum sententiæ refellendæ causa commentaberis, id si ad me miseris erit mihi vehementer gratum. Vale.

Romæ Pridie Cal. Julij MDLXIII.

---

### XVIII.

*Cardinali Varmiensi.*

CÆsari Firmano nec studio sum defuturus, nec gratia, ut is intelligat quantum auctoritati, & commendationi tuæ tribuam. Quæ de imbecillitate valetudinis tuæ ad me scripseras, equidem graviter tuli; & cum apud te recte omnia esse velim, ut ad vim morbi repellendam non diligentiæ minus, quam curationis adhibeas, te etiam atque etiam hortor. Plura persecutus sum publicis litteris, ex quibus Pontificis sententiam commodius cognosces. Cura ut valeas.

Romæ Pridie Non. Julij MDLXIII.

---

### XVIIII.

*Maximiliano Romanorum Regi.*

PRo mea eximia erga te observantia, & pietate Cæsaris Lombardi, quam mihi studiose commendas, aliquem juvandi locum nactus, ejus nec commodis, nec rationibus sum defuturus; ut quoties officio meo fructum capiet, intelligat se mihi ab eo rege esse commendatum, cui omnia non modo tribuam, sed etiam debeam: eadem erit Pontificis maximi in illum voluntas, præsertim cum tibi, cui paternam singularemque benevolentiam præstat, sentiat fore pergratum, quodcumque in eum benignitatis genus contulerit. Equidem nihil habeo optatius, quam ut quidquid vel officio, vel gratia, vel auctoritate valeo, id ad tuum arbitrium, & nutum accommodem, quo facilius omnes perspiciant, & me tui esse cupidissimum, & observantissimum, & nihil in mea potestate esse positum, quin ipse tuo jure a me petere, atque expectare possis. Deum Optimum Maximum oro, ut tibi regiam istam amplitudinem fortunet, teque incolumem, & florentem quam diutissime nobis servet. Vale.

Romæ Pridie Non. Julij MDLXIII.

### XX.

*Cardinali Varmiensi.*

UT ex publicis litteris, tuaque item Epistola proxime acta S. D. N. cognovit, Deo maximas gratias egit, qui gravissimorum hominum mentes ad religionis sua commoda, & ad communium temporum tranquillitatem traduxerit, & quæ perdifficilem exitum habere videbantur divinitus explicarit: cumque omnium, ac præsertim Hispanorum Episcoporum, quos ad tantæ rei procurationem adhibuit fides diligentiaque plurimum tribuisset, tum te nominatim, & Lunensis Comitis optimum consilium extulit summis laudibus, qui quanti te faciat, quantumque in tua sapientia, atque integritate ponat S. D. N. non est ignotum. Quæ restant fore arbitror, ut quemadmodum volumus procedant: nam & hujus negotij explicatio, & communis causæ ratio, & tua, ac cæterorum legatorum prudentia, atque constantia me in hanc sententiam adduxerunt. Vale.

Romæ Non. Cal. Augusti MDLXIII.

---

### XXI.

*Cardinali Varmiensi.*

QUæ in proxima sessione acta sunt, ita Pontifici grata acciderunt, ut gravissimis curis, quas pro religionis incolumitate, atque amplitudine susceperat, magna ex parte sit levatus: multæ vero sunt causæ, cur tuæ reliquorumque Legatorum virtuti, & felicitati gratuler, & Lunensis Comitis piam atque egregiam voluntatem imprimis commendem, quod sua prudentia, & auctoritate Hispanos Episcopos confirmavit, nec adiutor solum, sed quasi moderator eorum consiliorum fuit, quæ Ecclesiæ propemodum afflictæ sanare possunt incommoda. Nunc quoniam illo auctore multorum consensus ad optimam causam conspiravit, credibile via est, quantum illi vel in maximarum rerum administratione, vel in optimi animi sensu Pontifex tribuat. Villipandum constantissima voluntate complectar, eumque si se occasio dederit, ita tractabo liberaliter, ut commendationis tuæ diligentiam meis officiis exæquasse videar. Vale,

V. Cal. Augusti MDLXIII.

---

### XXII.

*Ferdinando Imperatori designato,*

UT mea summa erga te observantia, & pietas, vel nota omnibus, vel multis rationibus testata etiam officiis esset illustrior, optatissimum mihi semper fuit; & cum ad tuam voluntatem potui meum studium, operamque conferre, nullum observandissimi, & diligentissimi hominis officium prætermisi. Nunc quoniam honestum, & sanctum, collegium societatis Jesu, quod Romæ est mihi majorem in modum commendaras, meque intercessorem apud Pontificem adhibueras, tua commendatio, & auctoritas, & ipsius collegij dignitas tanti apud me fuit, ut præcipuam quandam cogitationem, & curam pro religiosorum virorum commodis, atque utilitate susceperim. Sed ubi a Pontifice multis & supplicibus verbis petij, ut horum fortunis firmum aliquod præsidium constituerit, qui etiam in magna egestate vitæ splendorem retinent, visus est pergraviter ferre ereptam sibi facultatem, qua & tibi obsequi petenti, & optimorum hominum inopiam subleva-

levare posset: multo enim antea ejus abbatiæ, quæ Cardinali Montio adempta est, fructus aliis religiosis locis dicaverat, atque assignaverat, qui si integras sibi hujus beneficentiæ rationes reservasset, tuæ petitioni profecto non defuisset. Ego pro eo, quanti te semper feci, in te observando & colendo principem locum videor meo jure deposcere, & quia propensum animum tuum in hanc universam societatem facile perspexi, quibuscumque rebus potero piis hominibus commodare, eos amice, liberaliterque tractabo, ut intelligant Imperatoria commendatione maximum sibi momentum fuisse; & quidquid vel officij, vel studij, vel gratiæ apud eos ponam, me sancte, & præclare posuisse arbitrabor, quod ii ab opibus imparati, & divinæ religionis cultores, liberales, ac multiplices disciplinas, atque in primis sanctissimum Christi sermonem in omnes propemodum regiones disseminare consueverint. Quod reliquum est, Deum Optimum Maximum oro, atque obsecro, ut te in ista florentissimi imperij sede incolumen quam diutissime tueatur, & servet. Vale.

Romæ Pridie Cal. Augusti MDLXIII.

## XXIII.

*Sigismundo Poloniæ Regi.*

PAulo Stempojusco qui mihi tuas litteras reddidit, omne meum studium, & operam prolixe sum pollicitus: & quidquid vel auctoritate, vel gratia valeo petenti ita præstabo, ut facile intelligat, nihil esse, aut tam magnum, aut in officii genere tam excellens, quod tuæ dignitati, & amplitudini meæque summæ in te observantiæ, & pietati a me non debeatur. Ejus autem tam accurato sermone, tam suavissimis moribus sum magnopere delectatus, & Neapolim cogitanti nihil volui certius, quam commendationem tuam maxime apud me ponderis fuisse, tuaque causa me velle omnia, quod ut ea ipsa probem, non tam in meo officio, ac liberalitate, quam in Pauli voluntate, & petitione positum est. Quod ad meum consilium proprie referri potest, ego cumulate perficiam, & ut egregie observem, atque in primis diligam, cui ut regium, & florentissimum statum Deus Opt. Max. fortunet, vehementer opto. Vale.

Romæ pridie Cal. Augusti MDLXIII.

## XXIV.

*Gaspari Villalpando.*

CUM probitati & sapientiæ tuæ Pontifex plurimum semper tribuerit, ubi de morte Petri Sotti est certior factus, te eo consilio in ejus locum subdidit, ut demortui officium doctrinam, & innocentiam sanctitate exæquaris: neque tibi aut divinarum rerum cognitionem, aut in isto publico munere ullam facultatem defuturam intelligebat. Ego vero, qui de tua virtute, integritate, & fide apud Pontificem sæpius commemoraverim, testimonii fructum videor cepisse uberrimum, quod eam dignitatem es consecutus, cum qua honestissima religionis causa conjungitur, quæ non modo ut tibi integra servetur, sed ut honoris, & laudis ad eam etiam fiat accessio, si quam ero occasionem nactus diligenter curabo. Vale.

Romæ VII. Id. Augusti MDLXIII.

## XXV.

*Cardinali Varmiensi.*

COmmotus sum tuis litteris, nam quod ad me scribis, qui catholicam fidem incorrupte, sancteque colunt, eos impiorum hominum crudelitatem effugere non potuisse, & apud Britanniæ Reginam publicis custodiis indignissime asservari, mihi acerbum accidit, quorum salus cum tibi tantæ curæ sit, agnosco tuam humanitatem, & pietatem, pergratumque Pontifici est, quod etiamsi tam longe absint, tamen de iis vehementer labores: neque enim ii abesse a nobis possunt, qui in christianæ religionis gremio sunt, quos autem fames misere necavit, eorum interitum pergraviter tulimus, cæterorum inopia ut sublevetur nostri consilii est, quæ de ea publicis litteris diligenter perscripsi. Vale.

Romæ tertio Id. Augusti MDLXIII.

## XXVI.

*Cardinali Varmiensi.*

BInas uno tempore litteras tuas accepi ad V. Idus Augusti datas. Villalpandi librum mihi abs te missum, ejusque summam pietatem, & perspectam ingenii laudem vehementer probo. Pontifici Jo. Franc. Commendonus maxime visus est idoneus ad Poloniæ negocia obeunda, cujus fide, & virtute adducitur, ut hanc profectionem utilem & salutarem fore confidat: eam vero abs te vult, atque a reliquis legatis omnibus rebus institui, quas hujus muneris procuratio requiret, atque ita commoneri, ut vestro consilio adjutus, suo usu, & plurimarum rerum tractatione instructus religionis dignitati facile consulat, eorumque animos, qui a sacrosanctis Ecclesiæ institutis desciverint, ad rectum Dei cultum revocet, & reflectat; cui vos pecunias pro ratione itineris, ego diplomata, ac si qua erunt præterea necessaria, ut primum me certiorem feceritis, diligentissime curabo: reliqua iis litteris, quas publice miseram, uberius sum prosecutus. Vale.

Romæ XII. Cal. Sept. MDLXIII.

## XXVII.

*Cardinali Lotharingio.*

DIlectissime fili salutem &c. Ad litteras tuas, quas XVII. Cal. Septembris dederas, mea(a) manu non rescripsi (b), cum in tuum adventum, atque in præsentem sermonem integre fere omnia reservem (c), quæ tibi respondenda essent hoc tempore; quibuscumque autem rebus possumus, nostram in te propensam voluntatem, paternamque benevolentiam declarabimus, ut & dignitatem, & amplitudinem tuam nobis esse carissimam, optime intelligeres. De studio, & diligentia, quam adhibes, ut interposita sessio quamprimum fiat, optimumque exitum, & uberiores religionis fructus consequatur, valde te amo, & officium tuum libenter amplector. Te vero avide exspecto, nihilque mihi propemodum longius videtur, quam ut conspectus & sermonis tui suavitate perfruar; summam enim delectationem habitura est nostra congressio, cujus in spe quodammodo acquiesco: da igitur operam, ut sessione & celeriter & commode confecta, te istis negotiis expedias, & Romam properes, erit adventus tuus mihi eo gratior, quo fuerit maturior. Quod Patriarchæ Aquiliensium causa prospere qui-

(a) nostra
(b) rescripsimus.
(c) referremus.

re quidem processeris, iste eventus mihi fuit quam gratissimus, qua de re quid nostri legati pro sua æquitate, sapientiaque statuerint æquissimo animo cognoscam. Reliqua in nostrum congressum reservantur. Vale.

Romæ V. Cal. Sept. MDLXIII.

### XXVIII.

*Comiti Lunensi.*

Dilecte fili &c. Qua observantia, & pietate erga nos, & hanc sanctissimam sedem semper fueris, vel præclara tua in ista legatione officia, vel multorum sermones ad nos sæpius pertulerunt, itaque ex tuis litteris, quas a te proxime accepi animi tui sensum mihi quidem jucundum, sed tamen non ignotum perspexi, quæ benevolentiæ, & voluntatis constantia magnum momentum apud me est habitura. De statu collegii fratrum meorum S. E. R. Cardinalium, & conclavis conformando, de quo nihil significabant tuæ litteræ, quæ hujus rei proposita mihi ratio sit, quidque statuendum putem, ex legatis, quibus consilia nostra sunt plane cognita facile intelliges, ex quibus tuo arbitratu omnia sciscitabere. Vale.

Romæ V. Cal. Sept. MDLXIII.

### XXIX.

*Cardinali Varmiensi.*

Scripsi ad te antea in ea esse Pontificem voluntate, ut Commendonus in Poloniam mittatur omnibus rebus instructus, quas vel officii, vel itineris ratio postulat. Peto igitur a te itemque a cæteris legatis, ut is quamprimum istinc expediatur, ne quid aliud ex alio interpellet; multorum dierum profectio est, longeque necessaria ad eas religionis partes sanandas, quas hominum perversitas labe fœdavit, quare adhibenda celeritas est. Diplomata & si quid aliud opus esse Commendono sentiam ego curabo; nihil enim video majori curæ esse Pontifici, quam ut Dei Ecclesiam, quæ perturbata & afflicta ejus fidei, & potestati credita est, aliquando levet, & omni præsidio muniat; qua de re uberius ad Cardinalem Simonetam scripsimus. De comitiis a Rege habendis, si quid præterea intelliges, meque certiorem facies, erit mihi pergratum. Vale.

Pridie Cal. Sept. MDLXIII.

### XXX.

*Maximiliano Romanorum Regi designato.*

Nihil esse potuit illustrius, quam tua vel benignitas, vel animi altitudo, quæ etiam in amoris officio perspicitur, mihi ex iis litteris cognita, quas ad Cæsarem Oratorem miseras, eas vero perlibenter legi, cumque is sim, qui in te colendo nullum locum, nullum studium prætermittam, tua voluntate erga me adducor, ut in hoc observantiæ, & pietatis genere diligentius evigilem, mihique identidem institerim ut cæteri intelligant, & tibi a me deberi omnia, & me ea quæ debeam, cum præstare non possim, tamen non minus grate quam studiose contendere; ac mihi quidem persuadeo fore, ut in te religiose sancteque observando non modo officium, & constantiam probem meam, sed etiam omnium benevolentiam, & diligentiam videar superare. Deum Optimum Maximum precor, & quæso, ut te in isto tuo florentissimo regno ac fortuna diu incolumen nobis servet. Vale.

Romæ X. Cal. Novemb. MDLXIII.

### XXXI.

*Eadem commutata S. R. Majestati.*

Cæsareus orator summæ integritatis, & prudentiæ vir litteras a te iv. Non. Octob. missas tibi ad me detulit, credo ut tua vel clementia, vel animi altitudo, quæ etiam in amoris officio cernitur, mihi esset spectatior, atque illustrior; eas vero perlibenter legi; cumque in te colendo nullum locum, nullum studium prætermittam, tua voluntate erga me adducor, ut in hoc observantiæ & pietatis genere alios vincam, quo facilius omnes intelligant, & tibi deberi a me omnia, & me ea, quæ debeam non minus grate quam studiose contendere. Ego nihil video Pontifici esse antiquius, quam ut sanctæ hujus sedis dignitatem, & amplitudinem tum sua vigilantia, & consilio, tum præstantissimorum regum præsidio, & opibus tueatur, & augeat, & religionis jura nonnulla ex parte perculsa, Deo approbante, optimorum virorum conspirante consensu plane confirmet; qua in re cum te socio atque adjutore potissimum utatur, id si prospere procedet (cur enim quod valde expeto, ejus optimum exitum non augurer?) tu præcipue a Deo pietatis, ab hominibus gloriæ ac prope immortalitatis fructus consequeris. Reliquum est, ut cum tibi tam sim deditus, & obstrictus, quamque maxime in te sancte observando non modo officium, & constantiam probem meam, sed omnium benevolentiam, & diligentiam videar superare; Deum precor, & quæso, ut florentissimum tuum regnum, ac fortunam amplificet, teque nobis diu incolumen servet. Vale.

Romæ III. Cal. Novemb. MDLXIII.

E. S. Majestatis tuæ.

### XXXII.

*Cardinali Varmiensi.*

Tua sapientia, & auctoritate adducor, ut quos mihi diligenter commendas, in iis naturæ bonitatem, & ornamenta virtutis esse existimem. Itaque Stanislaum Noveum tuo judicio, & tuis moribus mihi probatum, si qua ejus juvandi occatio dabitur, libenter amplectar: cum enim sancte, accurateque in religione, & in litteris versetur, siva in Plocensi, sive in Guarnensi Ecclesia me adjutore sacerdotij munus obierit, beneficium præclare posuisse videar, quod tu commendationis tuæ fructum, isque probitati & doctrinæ suæ debitum commodum capiet. Sed quia res non tam ex meo sensu, quam ex eventu dijudicanda est, alterum quidem quod a mea voluntate proficiscitur, & Noveo & tibi exploratissimum esse confido; alterum autem quod fortuna & tempora præstare possunt plane non dispicio. Vale.

Romæ IV. Idus Novemb. MDLXIII.

XXXIII.

### XXXIII.

*Episcopo Usellensi.*

QUanti apud Pontificem sis, & ex eo sensi quod cum utriusque petitionis tuæ rationem exposui, tuis incommodis, domesticisque difficultatibus nisus est commoveri; & cum illud dedit, ut in quotidiano cultu, ac precibus Deo adhibendis contractiore, ac novo, ut dicitur, breviario utereris, tum aureorum nummum sena millia testamento tibi liceret legare, quo facilius quidquid æris alieni contraxeris dissolvi, & tuorum familiarium vel rationibus, vel commodis prospici possit. Ac si sancta hæc sedes, quæ summis opibus semper floruit, suum statum retineret, non minus hoc tempore tuis rebus subsidii attulisset, quam gratiæ. Sed vides quæ tempora inciderint, quam turbulenta, quam difficilia, & dum multorum inopiam, & tenuitatem sua liberalitate sustentat, quos faciat sumptus, quam necessarios, quam prope infinitos. Ego quæ ad tua vel ornamenta, vel commoda pertinere arbitror, summo studio diligentiaque perficiam, nec ullum erga te amicissimi hominis officium prætermittam. Tu quoniam istic es, & in sapientissimorum virorum conventu tuas partes, idest Dei cultum, & Christiani nominis curam defendis, suscipe cogitationem dignam tua virtute, ut quantum aliorum fraus religioni detraxit, tantundem tua fide, atque constantia, tuique similium studio redintegretur. Vale.

Romæ IV. Idus Novemb. MDLXIII.

### XXXIV.

*Cardinali Varmiensi.*

DE tua profectione, quo te vehementius sensseram laborare, hoc egi cum Pontifice diligentius, a quo non tam mea oratio, quam tua virtus omnia impetravit: nam quantum prudentiæ consilii, gravitatis, religionisque in isto publico munere adhibueris, commemoravit cum quadam illustri suæ erga te voluntatis testificatione, ut tibi quantum tribuat, & si sæpe antea, tamen nunquam exploratius perspexerim. Quod vero tibi per Pontificem liceat in Poloniam remigrare cognosces ex ejus litteris: te tamen oro, atque obsecro, ne tam longis itineribus te des hoc præsertim anni tempore, nisi plane confirmata valetudine: cui ne parum inservias dum aliis officiis implicaris, adducor ut suspicor. De clandestinis matrimoniis res accuratissime expendetur. Consiliariorum epistolam, quam ad me miseras & legi, & tibi remisi. Claravallensis Abbatis litteras accepi. Villalpandi studium per mihi gratum est; quem de sua industria, itemque de novo opere absoluto valde amo; ut vero pietatis, & diligentiæ fructum consequatur, id erit mihi summæ curæ. Ego ubi ubi eris, tibi non modo in omni genere eximiæ doctrinæ, & sapientiæ testimonium impertiam, sed singularem amorem susceptique amoris officium, & constantiam cumulatissime præstabo. Vale.

Romæ Pridie Non. Decembr. MDLXIII.

# L I B E R
## EPISTOLARUM SECUNDUS.

### I.

*Episcopo Bambergensi.*

CArolum apostatam superioribus temporibus usque a Saxonia missum Villavi, quod in tua ditione oppidum est, jam pridie consedisse audio, totumque fere populum perversa, & hæretica disciplina depravasse, & a recta religione avertisse, cujus sectatoris impietas, & temeritas eo provexit, ut religiosos sacerdotes, qui apud eos pauci admodum sunt, non solum a re divina, sacrisque detineant, sed publico civium consilio, atque edicto ex oppidi finibus exterminandos curent, ut iis sublatis religionis præsidia piis hominibus desint & sacramenta, & cætera Ecclesiæ instituta intercidant; quod scelus cum ad multos etiam fluxisse intelligam, qui sacerdotio præditi sunt, credibile non est quam me hujus rei indignitas commoverit, quod & Ecclesiæ jus negligunt, quod perquam grave dictu est, ut qui sacrarum rerum administratione esse debeant firmamenta religionis, evertant, & labefactant: quare mihi hoc sumpsi pro mea in christianam rempublicam pietate, & in te benevolentia, & observantia, a te ut peterem ne hoc malum serpere longius patereris, quod prudentia, consilio, gravitate, virtute tua reprimere, & corrigere adhuc potes; quem etsi pontifex tanta de re litteris monuit, tamen pie me facturum putavi, si meum quoque officium interponerem. Tu vero hoc incommodum facile sanabis, si summam curam, atque operam ad hæreticorum conatus cohibendos, spesque infringendas contuleris: illud enim contendunt, nec se assequi posse diffidunt, ut catholicis sacerdotibus pulsis, simul sanctimoniam, omnesque Ecclesiæ ritus, ac ceremonias abjecisse videantur; quam pestem tu, qui potes, cum Episcopus sis in religionis quadam vigilia collocatus, & Episcopatu dignissimus, idest maximis, & naturæ & sapientiæ bonis instructus ab aris, a templis, a tuo municipio per Deum Immortalem depelle: nam ad tuorum civium nil ornamenta, vel commoda, nihil est tam splendidum aut tam salutare, quam religio, quam sanctitas: qui autem a Deo diffident, inter se otium, & concordiam tueri qui possunt? vel ejus sequi consilia, cujus fidei, potestatique crediti sunt; itaque ne vitiorum sementis ab uno facta se ad multorum perniciem efferat, noli, amabo te, abjicere hanc curam, quæ cum tuo officio, & dignitate, tuarumque gentium incolumitate est conjunctissima; & ad præfectum, seu vicedominum; qui tua auctoritate, ac mandato illud oppidum tenet, itemque ipsis Villacensibus civibus non minus severe, quam diligenter scribe, manda, jube, ut probatos sacerdotes retineant, & pro religiosis hominibus contra impios perpetuam cogitationem, contentionemque suscipiant, ne cujusque furori, aut invidiæ subjiciantur, vel religio eo in loco extinguatur, ubi maxime est necessaria, & ad usus, & ad documenta sanctissimarum rerum, neque tam eo in oppido, quam in cæteris Carinthiæ locis omnia ad pristinam Ecclesiæ consuetudinem, & cul-

cultum, non modo cohortationibus, ac præceptis, verum etiam, si opus erit, terrore, ac minis revocentur; quod cum præstiteris tum plane intelliges quam te Pontifici probaris, quantique apud me sis, qui & tuo muneri, & eorum, quibus præesse te Deus voluit, rationibus, & religionis publicæ causæ optime satisfeceris. Vale.

Romæ Non. Januarii MDLXIV.

---

II.

*Gerardo Groesbech Leodiensi Episcopo designato.*

BOnoniæ esse audio Bavariæ ducis nepotes duos, qui litteris operam dant, apud quos Hermanus de Plas Tongrensis est eximii ingenii vir, optimisque moribus, ac disciplinis præditus, & tuæ ditioni subjectus, cujus egregia virtus fecit, ut hunc tibi commendare non dubitarem. Commendo autem eo studiosius, quo & me operam, & te officium tuum, si complecti hominem velis, præclarius positurum esse confido. Quia Concilii Tridentini constitutionibus sancitum est duos decanatus habere posse neminem, intellexi te ut pium religionis cultorem, & custodem decet, alterum ex duobus decanatibus, quos tenes resignaturum. Ego vero tibi maxime optandum censui, ut rationes ineas, quemadmodum alterutra optime colloces: itaque hujus officii vel adjutor, vel hortator tibi esse volui, Hermanumque ipsum proponerem, quem si tuo beneficio ornaris, atque auxeris, mihi plane commendationis meæ fructus constabit, quod & tu judicii, & liberalitatis laudem, & is probitati, ac doctrinæ suæ debitum commodum capiet. Quanti hujusmodi delectus sit, vides tu, qui recta vides, nec solum Episcopus es, sed opera tu dignissimus: quamquam commode fiat, ut religiosis, ac doctis viris sacerdotia deferantur, neminem esse arbitror qui ignoret; quamobrem si optimum virum hoc novi officii genere tibi devinxeris, tuæ beneficentiæ, ut illius virtutis uberrimos fructus percipies, cui quidquid commodaris, erit mihi pergratissimum. Vale.

Romæ VI. Id. Aprilis MDLXIV.

---

III.

*Maximiliano Romanorum Regi designato.*

CUM me omnia tibi debere intelligam, hujusque rei justissimæ, & gravissimæ sint causæ, sic ut mandata tua summo studio persequar, nec ullum officium observantissimi, & diligentissimi hominis prætermittam; illud enim mihi in primis est optandum tibi ut obsequar, ac me totum commodem, quo in obsequio, & pietatis fructum, & judicii laudem capere videor. Quare tibi plane constare existimo, quæ ad Delphini Nuntii rationes pertinebant, ea me diligenter curasse; de quibus XIII. Cal. Apriles ad me scripseras: huc autem omnia mea consilia, omnemque meam operam referebam, ut tibi mos gereretur, atque omnino satisfieret. Sed quoniam de hac ipsa re uberiores a Pontifice litteras accepisti, ex iis omnia explorate perspicies. Ego pro eo quanti te facio in te observando, ac colendo principem locum videor meo jure deposcere, tibique promitto, atque confirmo, quidquid in mea potestate unquam erit, te tuo arbitrio, & nutu a me semper consecuturum. Quod reliquum est, Deum precor & quæso, ut te in isto florentissimo regno nobis diu conservet.

Romæ XIII. Cal. Majas MDLXIV.

IV.

*Hieronymo Ruverio Taurinorum Archiepiscopo.*

HAbet hoc virtus, ut in quo elucet, eum optimo cuique non solum commendet, sed etiam probet; quod nunc in te honestando, atque augendo perspexisse me valde gaudeo: nam cum de Taurinorum summo sacerdotio in te transferendo ageretur, tanta & Pontificis, & omnium Cardinalium consensio, & approbatio fuit, tamque præclarum de tua virtute, innocentia, pietate, & multiplici rerum doctrina, atque usu testimonium, ut pene plus gloriæ ex hujus judicii laude, quam ex dignitatis fructu sis consecutus. Deum vero precor & quæso, ut hujus honoris lætitiam tibi perpetuam esse velit; tibique cur vere, & ex animo gratuler, justissimæ sunt causæ, ac gravissimæ, vel quod nactus es majus quasi theatrum, in quo ingenii, & sanctitatis tuæ lumen ostendas; vel quod inest in virtute hoc boni, ut quo illustriori loco excolitur, plura hominum studia ad se alliciat; vel quia fore confido, ut, in religionis studio & officio dum excubaris, omnesque, quorum religionem tuæ fidei prudentiæque creditam esse senteis, sanctæ huic sedi præstabis, maximam gratiam a Deo ineas, & ad amplissimos honores tibi aditum patefacias; quamquam cum hac mea gratulatione conjunctissimæ sunt aliæ præterea causæ, quas tu si diligenter circumspexeris, plane intelliges, quantum tibi a Pontifice sit tributum hoc præsertim tempore, cum non ita facile Episcopatus ad alios transferantur. Sed tuæ bonitati, ac sapientiæ hoc dedit, ut tuo consilio, & vigilantia prospicias, ne qua hæresum fraus, aut perversitas illuc aliquando pervadat, optimisque institutis, ac disciplinis omnes in officio, & Ecclesiæ sinu contineas: quod tum tua diligentia, & sanctimonia, tum divina quadam providentia, & summa auctoritate Allobrogum ducis ejusque uxoris sanctissimæ ac sapientissimæ fœminæ conspirante consensu facillimum factu fore arbitror; quorum utrique salutem, si meis verbis nuntiaris, meque tui peramantem esse statueris, erit mihi vehementer gratum.

Romæ III. Idus Maij MDLXIV.

---

V.

*Cardinali Lotharingio.*

DIlectissime fili salutem, & Apostolicam Benedictionem. Nobis erat in animo Hadrianum Tounellierem, de quo ad nos accurate scripseras, ut pium hominem, & eruditum, ut de religione optime meritum, ac judicio tuo probatum penitus cognoscere, voluntatemque te nostram deferre, quo præclarius intelligeret quantum suæ virtuti, & commendationi tuæ tribueremus; nec vero satis commode fieri putavimus, quando una cum aliis Carmelitis Sacerdotibus ad nos venit, litterasque a te nobis reddidit, si in ipso plurimorum hominum concursu eum diutius detineremus: non enim erat illius loci, aut temporis officium: deinceps cum Carmelitici Ordinis delectus, & auxiliorum descriptio Romæ fieret, veriti ne in tanti conventus celebritate, & suorum munerum tractatione idem esset occupatior, interpellare hominem noluimus. Pauci dies intercesserant, cum acciri ad nos Hadrianum jussimus, hoc scilicet consilio, ut multis de rebus cum eo colloqueremur, at is jam Roma discesserat, cujus præpropero discessu non tam sum commotus quam in hanc sententiam adductus illius te probitate, ac doctrinæ, non amicitiæ, aut gratiæ gravissimum testimonium dedisse, qui abs te, quam unice diligo, mihi quam diligentissime commendatus vel suæ vir-

tuti,

tuti, vel tuæ commendationi, vel constantissimæ erga te benevolentiæ debitum officium non postularit, neque expectarit: itaque in eo ut summam integritatem, multiplicemque doctrinam te auctore, ac teste esse judicamus, sic mirificum pudorem, dum communem ambitiosorum hominum consuetudinem repudiavit vehementer probavimus. Tu vero ita tibi persuadeas volumus, tua causa non modo eos, in quibus vel sanctitas, vel doctrina elucet, nobis semper fore commendatissimos, cum suis ipsi vel moribus, vel litteris optimo cuique commendari videantur: sed etiam quos diligis, quia ex tua benevolentia maximarum virtutum, optimarumque disciplinarum laudem consequuntur, eorum nos dignitati, & commodis nunquam defuturos. Et cum Hadrianus, quem tibi probatissimum, amicissimumque esse novimus, in nostrorum fidem sit receptus, quod ei liberaliter in omnibus rebus commodavissemus Romæ si aliquandiu substitisset, vel a tuo sensu, vel a nostro erga te paterno amore judicare facillime potes. Vale.

Romæ XIV. Cal. Jul. MDLXIV.

V I.

*Bartholomæo Archiep. Bracharensi Primati.*

QUantum religiosi hominis officium susciperes, jam tum nosse mihi videbar, cum ex tuis ædibus, atque ex tua Ecclesia discedens ad Sanctum Tridentinum Concilium profectus es, & Christianæ Reipublicæ causam dignitatemque respiciens, nihil habuisti antiquius, quam ut te ad Pontificis Max. voluntatem, & ipsius prope religionis ductum applicares: non enim tam tui commodi, quam officij rationem iniisti, cum te nec difficultas itineris, nec labor a tam longa peregrinatione retardaret. Ut vero Tridentum accersisti, in sanctissimorum virorum celeberrimo conventu tua pietas, & excellens doctrina ita se ostendit, ut ex ultimis terris eximiæ virtutis lumen iis illuxisse videatur. Tandem confecto dimissoque Concilio, dum Romæ fuisti, in omnibus tuis dictis factisque integræ sanctitatis vestigia observabam; lætabarque mirandum in modum tot nobilitatis, divitiarum, & sapientiæ ornamentis insignem virum divinam illam humilitatem, quæ Deo maxime nos conjungit, præcipue colere, & Christianæ disciplinæ, veræque religionis exempla cæteris proponere: Quin præpotenti Deo agebam gratias, quod in tanta hæresum varietate, ac licentia, tamque perturbatis temporibus, tamen amplissimorum virorum auctoritas, & innocentia floreret, qui impiorum hominum temeritatem comprimere facile possent. Nunc pium tuum animum, ac summæ sanctitatis quasi imaginem recognovi in iis litteris, quas a te proxime accepi; video enim quod sis solicitus, ut quæ optimorum Patrum multis consiliis, laboribus, vigiliis decreta, & Pontificis assensu comprobata sunt, in tua Ecclesia præstentur, neve cæterorum sacerdotum intemperantia, aut aviditas, quæ fixa esse oportet eadem convellat. Verum ego tibi hoc polliceor, quicumque canones, & decreta Concilij Tridentini minus observarint, eos nullum perfugium in Pontificis clementia paratum esse habituros. Quare te etiam atque etiam rogo, ne quid de tua constantia deflectas, neve quid prætermittas, quantum omni studio, & opera consequi poteris, quin eos, qui ab officio deliquant, in cursum revoces, & in religionis officio contineas. Erit hoc tibi perhonorificum, Ecclesiæ gloriosum, iisque, qui nunc asperius accipere videntur, cum salutare, tum si suis cupiditatibus imperarint, etiam non iniucundum. Deum immortalem precor, & quæso, ut te incolumen nobis perpetuo conservet. Vale.

Romæ Cal. Jul. MDLXIV.

V I I.

*Sebastiano Lusitanorum Regi.*

EX tuis mandatis hunc capio fructum, ut cum me ad tuorum hominum rationes aliqua in re procurandas adhibeas, impertiri mihi testimonium amplissimæ laudis videare, mecumque agi honeste, & liberaliter putem, quoties ab illo Rege, quem summo cum honore colo, & observo, opera, & studium meum requiritur. Ego Juliani Mirandesium Episcopi consilium apud Pontificem exposui, quidquid decerni ea de re tu maxime velis, quod item ab Alvaro Castrio præstantissimo viro oratore tuo commode factum est. Sed hoc officium qua diligentia, & fide præstiterim, quamque propensa in te fuerit Pontificis voluntas, & benignitas, & de resignando Episcopatu, quid statutum habeat, te malo ex ipsius oratoris litteris, quam ex meis intelligere. Unum hoc a me sic habeto, nihil mihi majori curæ esse, quam ut in omnibus meis studiis, quæ tibi jampridem dicavi, præcipua quædam extet testificatio mea in te observantiæ & pietatis. Vale.

Romæ Cal. Jul. MDLXIV.

V I I I.

*Henrico Card. Infanti Portugalliæ.*

ETsi omnes, qui mihi commendantur libenter soleo atque ex animo amplecti, tamen de Egidio Fernandez præcipuam quandam cogitationem, & curam suscepi, eique studium, & officium meum ita sum pollicitus, ut facile intelligeret, me vel judicio, vel commendationi tuæ plurimum, & meæ in te observantiæ, & pietati omnia tribuere: quæ igitur ab optima voluntate, & fide proficiscantur, ea omnino a me expectabit; nihilque habebit aut tam probatum, aut tam expositum, quam gratiam & operam meam: illud autem imprimis curabo, ut in ejus causa cognoscenda, atque explicanda, quid jus, quid ratio, quid æquitas postulet plane spectent, qui judicaturi sunt, ne adversarij aut fraudi, aut fallaciis, quemadmodum scribis, ullus sit locus. Quæ omnia cum mea sponte soleam prospicere, quid a te admonitus faciam? præsertim cum sui Egidium mores, & pudor, & optimarum disciplinarum cognitio mihi etiam commendent. Quamobrem hac causa me monitore, si consilium adjutore, si officium meum requiret, uti poterit, ac tum operam præclare videbor posuisse, cum hominis tibi carissimi rationibus, & commodis prospexero. Ego tibi, cui omnia debeo, vix audeo quidquam polliceri: tamen fore confido, ut quia in te observando, & colendo principem locum appeto, tuam dignitatem, & amplitudinem nemini cariorem esse statuas, quam mihi.

Romæ Cal. Jul. MDLXIV.

I X.

*Henrico Card. Infanti Portugalliæ.*

MAgno dolore affectus sum ex iis litteris, quas de obitu Ferdinandi Menesii Olysipponensis Archiep. ad me scripseras, cum in eo non solum multa bonitatis, & virtutis ornamenta tum a natura, tum ab industria fuerint, sed in religione tam rectus sensus, tantaque pietas, ut vix quidquam esse potuerit sanctius: accedebant propinquitatis illa vincula, quibus tibi erat conjunctus, ut alterum

rum natura ipsa, alterum non dissimilis officiorum ratio astrinxisse videretur. Sed quoniam piis, sanctisque hominibus mors non vitæ finem, sed divinitatem affert, est cur potius illius viri memoriam celebremus, quam interitum lugeamus. Quod Olysiponense sacerdotium in demortui locum petis, id vero quantum possum conjectura prospicere, in plures partes valet, ac de singulis rebus egi cum Pontifice diligenter, & ea, quæ prudentissime, gravissimeque collegeras in tuis litteris, sum persecutus. Et quia omnia cum oratore regio communicavi, de quibus eum scio ad te accurate perscripsisse, ejus diligentiæ, & fidei, ne videar diffidere, ea ipsius litteris quam ex meis tibi hæc nota esse malui. Deum Opt. Max. supplex oro, ut incolumen te, & omnium bonorum copiis florentem diu conservet, & tueatur. Vale.

Romæ Cal. Jul. MDLXIV.

---

## X.

*Sebastiano Lusitaniæ Regi.*

CUM Summus Pontifex ad te cum sacri Tridentini Concilii decretis tabellarium mitteret, adductus sum ratione officii mei, ut omnes Episcopos, reliquosque, qui ex isto regno ad ipsum Concilium convenerant, in primis vero Ferdinandum Martinensium oratorem tuum tibi studiose commendarem: eorum enim tanta fuit pietas, & in christiana fide constantia, ut nullum aut ornandæ, aut augendæ Ecclesiæ locum prætermiserint: quamquam video prohiberi me quo minus Ferdinandi laudes subtilius explicem, præsertim apud te, cujus virtuti præclarum testimonium dedisti, cum unus delectus est ex omnibus, qui in illo celeberrimo hominum conventu, ac pene terræ orbis theatro tanto officio fungeretur. Sed tamen non committam, ut virtuti præstantissimi, & de religione optime meriti laudes omnino videar præterire; qui & publicæ causæ, & tuæ amplitudini, & existimationi suæ ita cumulate satisfecit, ut cum permulti essent Tridenti, quorum sapientia, & integritas excelleret, tamen nemini concederet, qui majorem, aut prudentiam, aut pietatem præseferret. Ejus vero egregiam pietatem atque operam, quia Pontifex vehementer probavit, statuerat hominem aliquo præcipuo munere cohonestare. Sed quæ illius modestia est, nihil voluit accipere. Nunc in eam spem sum ingressus, ut quos fructus sancta hæc sedes, a qua constantissime semper stetit ei debeat, eos Pontifice intercessore, me etiam deprecatore cumulatius accipiat, si in præceptoria, quam habet militiæ D. Jacobi tuo concessu, ac beneficio unum ex nepotibus sibi successorem possit deligere. Qua de re etsi Pontifex ad te diligenter scripsit, tamen pro mea in Ferdinandum benevolentia, mihi hoc sumpsi, ut præstantissimo viro, nihil tale cogitanti, ne dum petenti, idem officium ego item præstarem. A te igitur suppliciter peto, quod ipsius Ferdinandi meritis, & singulari erga nepotes suos charitati debetur, ut id ei per regiam tuam beneficentiam, ac liberalitatem consequi liceat; quod si abs te impetravero, summum me beneficium adeptum esse arbitrabor. Deum precor, & quæso, ut te nobis perpetuo incolumem conservet. Vale.

Romæ Cal. Jul. MDLXIV.

## XI.

*Henrico Card. Infanti Portugalliæ.*

OMnium, qui ex Lusitaniæ regno ad Tridentinum Concilium convenerant, ea fuit religio, isque in religione sensus, atque constantia, ut facere non possim, quin & tibi eos plurimum commendem, & gratias agam, quod in publicam Ecclesiæ causam tam bene animati accesserint. Sed Ferdinandi Mascarennæ, qui regius fuit orator, præcipua quadam industria, ac pro christiana fide suscepta defensio extitit; de cujus egregia voluntate, atque officio cum ad Pontificem multa essent allata, amabat præclari hominis ingenium, qui in optimo proposito non modo integram mentem, sed etiam auctoritatem retineret; deinde confecto, dimissoque concilio ad eum ita scripsit, quasi de religione benemerito gratularetur; neque id suscepi, ut apud te Ferdinandum laudem, cujus virtutem habes, & spectatam, & probatam. Unum illud si tacitum relinquam, peccare mihi videar, præsertim cum a summa laude sejungi non possit, tantam ejus fuisse modestiam, tantum in singulari magnificentia, & magnitudine animi pudorem, ut se a Pontifice etiam atque etiam contendente donari noluerit: itaque digna causa visa est, cur Pontifex vellet, quam in Italia commoranti non potuit, absenti, nec quidquam tale suspicanti gratiam referre, petitque a rege per litteras, ut Ferdinando præceptoriam ordinis D. Jacobi, quam jampridem obtinet, liceat ad nepotem transferre. Cupit hoc dare non tam ejus commodo, quam dignitati, nec tam ejusdem fructum, quam suum officium spectat. Etenim se & memorem, & gratum cum omnibus, tum iis maxime semper præbuit, qui pro Apostolicæ Sedis incolumitate, ac splendore laborarunt. Huic Pontificis consilio conjunctissima est voluntas mea. Quamobrem ego quoque in hanc sententiam ad Regem scripsi; & quanquam fore confidimus, ut hoc a liberalissimo, & justissimo Principe facile impetremus, tamen ut facilior, & illustrior ejus liberalitati aditus detur, statuimus tibi rem ipsam etiam commendare, cum apud Regem sis ea vel auctoritate, ut excellas, vel gratia, ut illi nemo sit conjunctior. Gratissimum igitur mihi feceris, si Ferdinandi causam ita susceperis ut honestissimam; ita juveris ut perdifficilem; ita tractaris, ut Pontifici, & mihi acceptissimam, de qua tibi scripsisse antea, nisi huic tabellario, quem cum publicis Concilii decretis istuc misimus, quam ignotis hominibus litteras meas committere maluissem. Reliquum est, ut me tui amantissimum, atque observantissimum esse non solum tibi, sed etiam tuis omnibus persuadeas, nihilque mihi fore statuas optabilius, quam ut in omnibus negotiis, quæ ad tuam dignitatem spectant sine ulla exceptione temporis adhibear. Vale.

Romæ Cal. Jul. MDLXIV.

---

## XII.

*Cardinali Lotharingio.*

DIlectissime Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem &c. Serius accepimus litteras tuas: datæ enim iv. Id. Maij nunc tandem ad nos perlatæ sunt. Sed tamen dici via potest, quam nobis earum lectio visa sit plena suavitatis, ex quibus Regis in religionis propugnatione consilium, & institutum, & Reginæ egregiam voluntatem, conspirantemque consensum cognovimus. Et quoniam istius Regni tranquillitas, & salus in Principum virtute, & pietate posita est. Deum immortalem supplices precamur, ut quæ pie, & sancte instituerint, ea feliciter eveniant,

niant, utque impiorum hominum insolentia, & perversitas reprimatur, sed etiam acerbissimas pœnas luant; ita enim Dei cultus facile efflorescet, nec Christianorum populorum animi a regia auctoritate & nutu discrepabunt; quod factu quidem erit proclive, si id unum spectabitur, ut Tridentini Concilij decreta plane observentur, iique in primis quorum fidei, & diligentiæ administratio Ecclesiarum concredita est, suam custodiam, & officium nunquam intermittant, sed populum sanctissimis disciplinis assidue instituant, & ab hæreticorum hominum consuetudine, & moribus avertant, quo nihil nobis potest accidere optatius. Hæc tu in Christi militia quasi antesignanus præ te ipse fers, & quia admodum salutaria esse ducis, etiam identidem adhibes, cæterisque sapientiæ, & vigilantiæ, & sanctitatis documentum statuis. Et quidem vel ad retinendam, vel ad augendam religionem nihil esse aut commodius, aut utilius arbitramur. Qua in re operam, & studium tuum nobis magnifice probas. Itaque te de isto officio incredibiliter amamus. Nec vero quidquam nobis est antiquius, quam Ecclesiæ nonullorum vel stultitia, vel scelere aliqua ex parte deformatæ suam pristinam dignitatem, splendoremque restituere, quod, si favente bonis consiliis Deo, prospera nobis processerit, videbimur nostrorum laborum, & vigiliarum amplissimos fructus ferre. Quamobrem Episcopis, & Prælatis omnibus nominatim id mandavimus, ut sua quisque in Ecclesia resideant, & a commisso sibi grege, quemadmodum fideles pastores decet, oculos nunquam deiiciant. Quæ ad nos de confessore tuo, itemque de Ebriocense Episcopo scripsisti, cum in iis commendandis tam sis diligens, eorum commoda quantæ tibi curæ sint, probe novimus: utrumque igitur in fidem, & patrocinium nostrum ita recipiemus, ut commendationem tuam plurimum apud nos valuisse sentiant. Qua de re cum Card. Bordesseria, & cum Musotto sumus collocuti, qui tibi omnia explanabunt. Uberiorem Epistolam haberes a nobis, si manu commode uti ad scribendum possemus, quam non mediocris articulorum dolor impedit. Nos paterno in te animo sumus, quæque ad tuam vel utilitatem, vel laudem pertinere maxime existimabimus, ea nullo loco prætermittemus.

Dat. Romæ apud S. Marcum MDLXIV. XIV. Augusti.

---

## XIII.

*Archiepiscopo Bremensi.*

ALlatum ad Sum. Pont. est, nonnullos ex societate Canonicorum Ecclesiæ D. Mariæ Hamburgensis ea in se admisisse, quæ a pietate, ac divino cultu longe abhorrent. Itaque conjunctas cum hac epistola litteras ad te perferri voluit, ut ii sui facinoris pœnas dent. Decani vero, & senioris Canonici rationibus consulatur, ne quid capiant aut incommodi, aut detrimenti; nam cum religiose, & constanter in officio permanserint, digni sunt, qui a Pontifice gratiam ineant. Et quidem fore confido, ut istiusmodi honos, qui sanctæ Ecclesiæ habitus est, ad eorum ornamenta, & fructum redundet. Præterea S. D. N. mandato decreta Tridentini Concilij ad te missa sunt incorrupta illa quidem nulloque errore, vel vitio depravata, uti tua cura, atque opera in istis Germaniæ oppidis caste, & integre imprimantur, ac divulgentur, & impiorum hominum fraus, a quibus jam impressa, multaque falsa effecta sunt, & deprehendi, & evitari facile possit. Vale.

Romæ MDLXIV. iv. Cal. Sept.

## XIV.

*Cardinali Varmiensi.*

AD binas tuas litteras rescribam, quarum altera pridie Cal. Martii altera xj. Cal. Augusti dederas. Palatini Culmensis filio, quem mihi diligentissime commendas, a me si quid petet, nec studio defuturus sum, nec gratia, ut facile intelligat me nobilitati, ac virtuti suæ multum, patris vero fidei, & sanctitati, tuoque testimonio, ac auctoritati plurimum tribuere. De suo ad Regem adventu scripsit ad me Nuntius Commendonus, scripsit item ad Sum. Pont. Rex perhumaniter Tridentini Conc. decreta sibi fuisse gratissima, curaturusque, ut ab iis, qui in suo imperio sunt plane observentur. Utinam, qui potestate, & opibus maxime florent, suas cogitationes conferant ad hanc curam, ut hæreticis hominibus explosis, & ejectis, vel potius male mulctatis, omnes quibus eos præesse voluit Deus in Ecclesiæ gremio contineant, iisque ad innocentiam, & sanctitatem duces sint; quo ex fonte non minor ad Principes, quam ad populos manaret utilitas, cum imperij fundamenta in religione polita sint, qua bene constituta, & tranquillo, & perpetuo dominatu perfruuntur; tum suis virtutibus, & ornamentis exaggerata religio, etiam barbaris, atque impiis nationibus eluceret, quam in causam quod tota mente incumbis agnosco pietatem, & sapientiam tuam. Itaque exemplum litterarum, quod ad me misisti legi perlibenter, quod apud me asservabitur, ne quid forte emanaturum suspicere. Quidquid nummorum abs te numeratum est Nuntio, statim Pontifex curari jussit. Quamobrem Laynez Proposito Societatis Jesu trecentos jam taleros solvimus, reliqui ducenti, ut propediem solvantur ego præstabo, qua ex societate certorum hominum delectus est habitus, qui istuc mittantur, quorum partim se in viam dederunt, partim mox subsequentur. Reliquum est, ut me tibi unice commendem, qui ut incolumis sis, & omnium bonorum copiis perpetuo circumfluas, Deum immortalem supplex rogo, atque oro. Vale.

Romæ xiv. Cal. Octobr. MDLXIV.

---

## XV.

*Imperatori Maximiliano.*

QUantum mihi mœrorem Ferdinandi Imperatoris patris tui mors attulerit, cum omnibus qui meam in illum observantiam, & pietatem norunt, tum tibi quem unum maxime semper colui, perspicuum arbitror. Et quidem hoc sanctissimo Principe tanquam lumine, alieno Christianæ reipublicæ tempore extincto, magnam rerum perturbationem hominum generi a Deo impendere suspicabamur. Verum ea consolatione sustentor, quod ad te non tam imperij potestas, & dignitas, quam paternæ virtutis, & sapientiæ hereditas pervenit, ut religioni, & sanctæ huic sedi propugnator non ademptus, sed commutatus videatur: Quare a te peto, ut præstantissimum parentem tuum, cum & gloriæ, & innocentiæ, & omnium præcellentissimarum virtutum gradibus in Cœlum ascenderit, non extinctum, sed ad beatissimam vitam traductum esse existimes. Tibi vero istam imperatoriam omnibusque ornamentis auctam amplitudinem Deus fortunet, ut ad te non tam dignitatis, quam omnium secundissimarum rerum fiat accessio. Cætera, quæ ad te perferri velim a Carolo Vicecomite Episc. Vintimiliensi, quem ad te Pont. Max. legavit, intelliges, cui meis verbis colloquenti, fidem habebis. Reliquum est, ut cum te in colendo, amando, venerandoque omnium studia vincam, hujus etiam officij laudem adsciscam mihi. Vale.

Romæ x. Cal. Octobr. MDLXIV.

## XVI.

ILLUSTR. ET REVEREND. DOMINO

VIGILIO ZIACHENIO

*Præposito S. Babonis Gradensi Concilij secreti Statuum Flandriæ Præsidi &c.*

SUmmæ pietatis, & virtutis testimonium tibi Pont. Max. dedit, cum te in Protonotariorum Apostolicorum ordinem cooptavit; nec enim nisi probatissimis, & sanctissimis viris hujusmodi honores deferuntur; & quibus deferuntur, ii præclari judicij fructum ferunt: qua de re cum Pontificios codicillos ad te mitterem, facere non potui, quin amicissimo animo tibi gratularer; quam dignitatem tibi ita Deus fortunet, ut ex tua sententia procedant omnia: & quoniam tua & studia, & officia in Dei, in Ecclesiam Romanosque Pontifices egregia constiterunt, quamvis tua fide, atque constantia nullum hortationi meæ locum relinquas, tamen ut amans, non ut dubius ad religionem vel tuendam, vel augendam te ita adhortor, ut non modo tui similis sis, sed alios in societatem hujus muneris convocare videare, quod cum pie, & constanter facies, tum fore perspicio, ut ab immortali Deo, & ab omnibus, qui Christianam rempublicam salvam esse volunt, maximam gratiam ineas. Vale.

Romæ x. Cal. Octobr. MDLXIV.

## XVII.

*Archiepiscopo........*

CUm Carolus Vicecomes Episc. Vintimiliensis, quem ad Maximilianum Imperatorem Pont. Max. internuncium misit, id ab eo mandatum habuerit te ut etiam conveniret, ac salutaret, & hanc ego occasionem nactus nolui amicissimi hominis officium prætermittere; ab eo igitur petij ut tibi non modo plurimam diceret salutem meis verbis, sed propensam etiam voluntatem meam, & observantiam plane ostenderet, quantique tuam sapientiam, consilium, & vitæ integritatem omnium virtutum ornamentis auctam, atque illustratam semper fecerim, etiam significare: quæ quia Carolum oratione sua omnia persecuturum confido, idcirco ad te minus multa scripsi. Vale.

Romæ x. Cal. Octobr. MDLXIV.

## XVIII.

*Episcopo Quinqueecclesiensi.*

CArolo Vicecomiti, quem ad Maximilianum Imp. Pont. Max. internuncium misit, etiam id mandavit, ut te inviseret, quæ se mihi cum daret occasio, eum proficisci sine meis litteris nolui; nam ex quo tempore pietas, fides, & sapientia tua in celeberrimo doctissimorum virorum conventu ita se ostendit, ut religionis quasi patrocinium suscepisse videreris, te non solum habui carissimum, sed absentem maximis, & verissimis laudibus sum prosecutus. Itaque a Carolo petii ut te meis verbis amicissime salutaret, tibique omnia mea studia, & officia prolixa promitteret, cui multo majora de mea erga te voluntate deferenti fidem habebis. Vale.

Romæ x. Cal. Octobr. MDLXIV.

## XIX.

*Carolo Austriæ Archiduci.*

EX Ferdinandi Imperatoris patris tui morte tanto sum dolore affectus, quantum mihi mea perpetua in illum, atque in te observantia, & pietas afferre debuit; cum enim excelso, invictoque animo Dei Ecclesiam ab impiorum hominum impetu semper prohibuisset, graviter, & acerbe ferebam firmissimo præsidio Christianam Rempublicam esse orbatam; quo incommodo eo commovebar magis, quo in communium temporum calamitates soleo dolentius deplorare: sed tamen cum præclarissimus, & omnium maximus Princeps frater tuus paternæ virtutis, & dignitatis hæres mihi veniebat in mentem, tum vero hac levabar cura, quod sapientissimo, & fortissimo Imperatori simillimum filium, sanctæque hujus sedis acerrimum propugnatorem videbam successisse; quam cogitationem si tu item susceperis, non dubito quin omni te ægritudine, & luctu levet, ac plane confirmet, præsertim cum augustissimum parentem non mors nobis eripuerit, sed divinitas exceperit, pluresque sint causæ, cur non minus in fraterna auctoritate, quam benevolentia conquiescas. Reliqua, quæ ad te perferri velim, Carolus Vicecomes Episcopus Vintimiliensis, quem ad Maximilianum Imperatorem Pont. Max. internuncium misit, ipse persequetur, cujus orationi ac testimonio eandem fidem adhibebis, quam præsenti mihi, ac tecum colloquenti tribueres. Vale.

Romæ x. cal. Octobr. MDLXIV.

## XX.

*Ferdinando Austriæ Archiduci*

NOn dubito quin animi mei sensus, & dolor, quem Ferdinandi Imperatoris patris tui mihi mors attulit, tibi fuerit exploratissimus, cujus mærore ipso commoveor, & religionis incommodo, quam sanctiss. & omnium præstantiss. Imperator in primis tuendam susceperat, vehementer conturbatus; videbam enim unius viri interitu tantum splendoris, & roboris christianæ reipublicæ esse detractum, quantum multorum industria, atque opera restituere vix posset. Nunc tamen ab hac ægritudine illa me ratio revocat, & recreat quod patri eum filium successisse video, in quo omnes vigent imperatoriæ virtutes, atque ornamenta, ut Dei quasi ductu in ejus locum repositus esse videatur: quod tibi magno solatio esse debet, cum præsertim intelligas augustissimo parenti tuo nihil mali obtigisse, qui ita in terris vixit, ut Regum omnium atque Imperatorum fortunam, & virtutem superarit, ita excessit a vita, ut mors illi ad cœlum, & ad immortalitatem ascensum dederit. Quæ sejuncta ab iis litteris tibi nota esse cupio, ea Carolo Vicecomiti Episc. Vintimiliensi, quem Pont. Max. ad Maximilianum Imperatorem Nuntium misit, diligenter exposui. Ex eo igitur omnia cognosces, eique summam fidem tribues. Vale.

Romæ x. cal. Octobr. MDLXIV.

## XXI.

*Senatui Regio Mediolanensium.*

EX Francisci Parisii morte, quo jamdiu scriba, & publici officii administro usi sumus, magnum profecto cepimus dolorem, cum & operam nobis dederit egregiam, & summam fidem, diligentiamque

que semper præstiterit; erat enim bonitate naturæ, & morum integritate maxime insignis, nec quidquam habebat antiquius, quam ut se nobis in omnibus rebus probaret. Is quoniam civis vester fuit, digna causa visa est, cur non modo ejus domum tanto spoliatam præsidio, atque ornamento in nostram fidem reciperemus, sed vobis etiam, quos mirifice observavit, & coluit, studiose commendaremus. Nunc cum Florius ejus filius magno pudore, & probitate adolescens Mediolanum proficisceretur, ut paternorum prædiorum fructus exigeret, & a procuratore, in quo Franciscus uno acquiescebat, rei gestæ rationem reposceret, pro nostra erga vos benevolentia, & observantia nobis hoc sumpsimus, ut illum justitiæ, & liberalitati vestræ commendaremus. Itaque a vobis etiam atque etiam petimus, ut negotia omnia, quæ is in vestra provincia habiturus est, vestro consilio, & auctoritate, si id æquitas causæ postulabit, expeditissimum, & optimum exitum consequantur; adolescentemque contra hominum injuriam, & perfidiam tuendum suscipiatis: quo in officio vestra non solum dignitas, & fides, sed propensior in nos voluntas, & in calamitosos humanitas facile constabit, quod honestissimæ, & egentissimæ, nobisque multis nominibus commendatissimæ familiæ commodis consuletis, & nostræ commendationi plurimum tribuisse videbimini. Valete optimi, & præclarissimi Senatores.

XVIII. cal. Augusti MDLXIV.

---

XXII.

*Archiepiscopo Bracharensi Primati*

FUit, si aliud quidquam Pontifici Max. summæ curæ, ut Tridentini Concilii decreta sapientissimorum virorum firmata consensu, suo judicio, & auctoritate corroborata ad communem omnium fructum in christianas gentes distribueret, quod eodem, cujus consilio hanc voluntatem susceperat, auctore, atque adjutore Deo quotidie secundiores habuit eventus; nam & probantur optimis, & servantur fere ab omnibus: Quos vero cupiditas, aut liberior vivendi licentia, ab ejusmodi officio retardat, ii & monendi, & cohortandi quidem ad suum munus sunt, & si res postulat, etiam compellendi. Et quoniam SS. D. Nostro nihil esse optabilius potest, quam ut ecclesiæ ministri in quadam religionis custodia ad præpotentis Dei cultum, & gloriam excubent, omnes ad suum studium, atque officium vel revocat, vel retrahit non tam severe, quam pie. Ego pro eo quanti causam publicam, & sacerdotii dignitatem semper feci, hoc præclarum imitationis exemplum mihi proposui, neque ullo hominum obsequio, aut amore impedior, quo minus in Ecclesiæ gremio, idest in officio eos contineam, qui meæ fidei potestatique crediti sunt. Tu vero tuas partes quam diligenter tueare vel ex eo intelligo, quod subvereri videris in tuis litteris, ne Summus Pontifex iis rogantibus obsequatur, qui vel in suis Ecclesiis residere nolint, vel plures Ecclesias velint una administratione gubernare. Sed tantum abest, ut de iis legibus, quas sacrosancta Synodus statuit, quidquam vel remittat, vel detrahat, eas ut etiam firmioribus præsidiis munierit. Quod ad sacerdotem attinet, de quo ad Pontificem, itemque ad me scripseras, id Pontifex tuæ virtuti, probitati, & prudentiæ tribuit, ut quatenus delictum sit occultum, salva fide in foro conscientiæ cum eo dispenses, pioque homini injectum scrupulum non solum eximas, sed pristinum officium, & procurationem, quemadmodum per litteras petiveras, etiam restituas. Vale.

IV. Non. Decembr. MDLXIV.

---

# EPISTOLARUM

## LIBER TERTIUS.

I.

*Henrico Cardinali Lusitaniæ.*

ILlum cepi fructum ex tuis litteris maximum, vel quod mihi tantum judicio tuo tribuisti, quantum ipse verecunde appetere vix possum, vel quia tua auctoritate, consilio, exemplo excitatus id contendam, ut in hoc publico munere, in quo mentem, & operam meam primum Deo Opt. Max., deinde Summo Pontifici dicavi, sancte, & constanter me semper geram: Video enim, quid tua cohortatio, quid fides mea, quid hæc tempora, quid SS. D. Noster, quid ipsa pietas, & religio a me deposcat. Quare in eam curam dies, & noctes incumbam, ut Catholicæ Ecclesiæ, quam omnium rerum habeo carissimam, rationibus nunquam desim: Deumque, id quod facio, frequenter & assidue orabo, ut me non modo religiosum & pium, sed novum, & industrium in suo cultu, & famulatu esse velit, neve aut diligentia mea cuique ingrata, aut negligentia dissoluta esse videatur. Quæ in Tridentino Concilio ad propagandam religionis nostræ veritatem decreta sunt, quia & regis, & tuo testimonio comprobantur, fore confido, ut ex iis multa utilitas apud vos efflorescat, cumque omnes, qui in tua tutela sunt, ad Evangelii legem conformaris, & ab istis Occidentis partibus, virtutis, & sanctitatis tuæ lumen ostenderis, non solum mihi, qui ad tuam sapientiam imitandam sum acri studio incensus, verum etiam cæteris S. R. E. Cardinalibus magno documento sis, quemadmodum divinæ res administrari, & amplissimi sacerdotii dignitas caste, atque integre sustineri possit. De commissario societatis observantium S. Francisci, quæ mihi regius legatus exposuit, statim SS. D. N. renunciavi, cujus animum illiberalitas hominis non mediocriter commovit, me vero etiam suboffendit, quodque a te dissensit mihi visus est officium suum ab optimo consilio sejungere. Itaque faciendum putavi, ut, cum Sanctiss. D. N. de hac tota re ejusdem societatis præfectum per litteras monuerit, quarum exemplum ipsius mandato ad te misimus, ego item meam auctoritatem interponerem, separatimque ad illum scriberem, cum præsertim ejus ordinis omnium jam curam, & patrocinium susceperim. Regii legati, qui se ad vos recipit, humanitatem, prudentiam, vigilantiam, incredibilemque vel in Regem suum fidem, vel in maximarum rerum usu consilium dici non potest, quam vehementer Pontifex probarit: me quidem eximia quadam naturæ suæ bonitate, & virtu-

virtutis præstantia, ac morum suavitate ita afficit, ut ornatissimi viri digressum difficillime tulerim. Ego te tam observo, atque colo, quam qui maxime: tam tibi omnia a me prompta, & parata esse volo, ut nihil sit in meis rebus, quin tuum malim esse, quam meum. Vale.

Romæ V. Nonas Decembris MDLXIV.

---

## II.

*Henrico Cardinali Infanti Lusitaniæ.*

NON potuit Summus Pontifex Præfecto Conventualium Ordinis S. Francisci roganti, & suo, & totius suæ societatis nomine supplicanti indulgentiæ munus negare, quod cum publicis litteris testatum sit, quarum exempla propediem istuc mittentur, religiosis, & meæ fidei, ac patrocinio concreditis hominibus deesse nolui. Itaque mihi hoc sumpsi, ut tibi eos intime commendarem non quod verear, quin æquissima in causa, & cum bonorum officio conjunctissima se ipsi probent; sed quia statui quidquid operæ, & studii in hac commendatione ponerem, me sancte, & præclare positurum, cum præsertim si quæ emolumenta ex hoc fonte ad eos fluxerint, ad ædificationem non tam magnificam, quam necessariam, & ad suorum cominorum rationes, quæ in Urbe haberi volunt, tradituri sint. Nam ædis, quæ est Sanctorum Apostolorum alteram partem exædificant, alteram reconcinnent necesse est, & in ipsa suffragatione sui ordinis, quæ plurimorum concursu, & frequentia celebratur, multa ad apparatum, multa ad hospitalitatem, multa ad victum publice administrare solent, quos sumptus nisi aliorum ope, & liberalitate adjuventur, facere nullo modo possunt. Quapropter te omnibus precibus vehementer oro, ut ad hanc salutarem veniam in Lusitaniæ Regno vel pervulgandam, vel etiam adornandam, tuum consilium, & gratiam, & auctoritatem adjungas, quo facilius multorum animos excitet ad pietatem, & honestissima societas, sua & sanctimonia, & doctrina mihi probatissima fructum aliquem a bonorum virorum officiis expectet: qua in re nihil alienum a præscriptione Tridentini Concilii decerni volumus. Quæ propric mei muneris sunt; ego tui memoriam cum jucundissimo animi sensu ita usurpo, ut divinæ cujusdam virtutis, & sapientiæ tibi laudem tribuam. Sed quoniam hæc habes plane cognita, minus est necessaria declaratio meæ voluntatis, ne uno officio videar plures amoris fructus velle promereri. Deum supplex oro, ut te incolumen, & florentissimo statu esse velit quam diutissime.

VI. Cal. Januarii MDLXIV.

---

## III.

*Cardinali Varmiensi.*

VAlde sum affectus ex tuis litteris: multa enim ad me scripseras, quæ istic gesta erant, multa item, quæ cæterorum hominum consilia conformarunt, quorum exitum non tam optare videbaris, quam metuere. Sed tamen postrema tua Epistola lætiora omnia nunciabat. Ego quantum opinione duce augurari possum, fore confido, ut cum minora istius regni comitia optimum eventum habuerint, quæ vel in majoribus comitiis, vel in ipsa Synodo statuentur ex nostra sententia procedant. Utrum vero haberi Synodum expediat Sanctissimo D. N. Maximo non erat plane exploratum: nam hujus rei deliberatio, & moderatio fere posita est in opportunitate, & quadam ratione temporum, quæ, & tuo, & nuntij judicio optime gubernabitur. Etenim plura in conspectu vestro exposita sunt, quæ minus perspicere possunt, qui longe adsunt. Quamobrem Archiepiscopo treis epistolas dedit, quarum una habendæ Synodi, ei potestatem facit, altera adimit, tertia id comprobat quidquid suo nomine nuntius cum illo acturus est, quas nuntio misimus, ut, quamcumque res exiget, statim reddat. Si tibi atque illi aliquid perturbationis, & incommodi Synodus videbitur illatura, Archiepiscopo eas litteras reddere opus erit, quæ decreto interposito Synodum Petri vetant, qui si in sua sententia perseverarit, & Synodum cogere maluerit, tum in hanc cognitionem, & curam, quæso incumbite, ut omnes Episcopos ab ista profectione, atque obsequio avocetis, & deterreatis, quo ne vobis quidem adeundum erit. At si ad Synodum Episcopi nihilominus proficiscentur, vestræ erunt partes, ut ipsi etiam præsto sitis, ne quid forte de religionis splendore, ac cultu detrahatur, teque in primis, qui tua vel gravitate prohibere, vel virtute corrigere, vel auctoritate consulere multa potes; sin commode Synodum congregari posse existimabitis, tu una cum nuntio adesse honestius poteris, quam abesse, cum præsertim id Summus Pontifex pervelit, teque Archiepiscopus liberalissime invitarit. Nec dubium mihi est, quin tu, si animum tuum ad Tridentini Concilii memoriam revocabis, quid in cœtu sapientissimorum virorum susceperis, curaris, contenderis, perfeceris, cogitans istius provinciæ munus libenter obeas. Catechismum habemus jam absolutum, doctissimorumque hominum ingenio, atque industria elaboratum, quem nunc perpoliunt, ut, cum manus extrema accesserit, opus concinnius, ac perfectius divulgetur. Missalis quoque, & breviarii nova institutio propediem emittetur, quæ fore arbitror, ut catholicorum hominum expectationi, animoque satisfaciant. Cætera, quæ ad Ecclesiæ dignitatem, & amplitudinem spectant, optimi Regis auctoritate, & consilio, tua Apostolicique Nuntij fide, constantia, & virtute, aliorumque, qui pie, & caste sacerdotij munus sustinent pietate, & vigilantia summam in spem venio, ut in istis locis pulcherrime procedant. Quod reliquum est, Deum Immortalem precor, ut te nobis incolumen quam diutissime conservet. Vale.

Romæ vj. Cal. Jan. MDLXIV.

---

## IV.

*Card. Crichio pro Cardinale Ambianorum Episcopo.*

FEcit Pontificis Maximi præclarum de te judicium, ut quo die in sacrum Cardinalium ordinem ab eo es cooptatus, te non minus auctoritate testimonij sui, quam amplissimi sacerdotij insignibus honestare videretur. Nam summi Principis bonitas, excellensque in omni genere prudentia facile ostendit, eum, cui absenti tantus honor decerneretur, ornamenta, quæ jampridem meritus erat, nunc demum esse consecutum. Quamobrem tibi vere, & ex animo gratulor, quod, cum opibus, nobilitate, & ingenio floreres, tamen summam amplitudinem es adeptus, ut multo plus tuæ virtuti, ac sapientiæ, quam fortunæ, vel gratiæ tributum esse intelligas: Deumque immortalem precor & quæso, ut tibi istum honorem perpetuæ voluptati, & felicitati esse velit. Ego quia una tecum in Cardinalium collegium sum ascitus, primum Pontifici omnium maximo, & sapientissimo, qui nostræ dignitatis fautor, & amplificator fuit, hanc habeo gratiam ut omnem meam operam, & studium, & industriam in illius veneratione, & cultu sim locaturus.

turus. Deinde cum me, vel societas dignitatis, vel officij ratio tecum nuper conjunxerit, tui absentis memoriam, singulari benevolentia prosequar, & cum Romam veneris, tibi præsenti omnia amicissimi hominis studia, atque officia præstabo. Vale.

Romæ xiij. Cal. Aprilis MDLXV.

---

## V.

### *Regi Lusitaniæ.*

OPtabam jampridem facultatem dari mihi, ut possem perpetuo aliquo officij genere meam erga te fidem, & pietatem declarare: sum enim semperque fui in eorum numero, qui tuæ amplitudini, & gloriæ admirabiliter serviunt, atque eo major me ad hoc studium cupiditas erexerat, quo habebam exploratius, dum optimo Regi, & Catholicæ Ecclesiæ conjunctissimo benevolentiam, & operam meam navarem, fore ut uno tempore præpotenti Deo, & Apostolicæ Sedi, in qua religio tibi domicilium collocavit....... & officium viderer præstare. Nunc clementia tua, & liberalitate perfecisti, ut nactus esse videar tempus valde idoneum, in quo se animi mei sensus, ac voluntas ostenderet; nam cum Regnorum tuorum procurationem mihi apud Summum D. N. detulisti, quid a diligentia mea, & fide postulares facile perspexi. Sed quibus verbis tibi gratias agam, vix reperio: Quod me non solum dignitate hujus muneris, quæ summa est, sed etiam judicij tui laude, in qua honoris fructus est uberrimus, auxisti, atque ornasti. Tamen in hoc ipso munere sustinendo hoc tibi polliceor, in meque recipio, quidquid fides mea, aut constantia voluntatis, aut diligencia requiret, me omni studio, & contentione animi curaturum, nihilque fore aut tam exiguum, aut tam difficile, quin pro tuis ornamentis, & commodis vel honeste suscipiam, vel expediam non gravate, in quo spero me integritatis, & vigilantiæ laudem consecuturum. Et quoniam multis & amoris, & observantiæ vinculis tibi jam sum astrictus, in hac administratione a me integre, religioseque suscepta dabo operam, ut tuæ expectationi, & officio meo nunquam desim. Deum oro, ut te incolumen, & florentem nobis diu conservet.

Romæ iij. Non. Aprilis MDLXV.

---

## V I.

### *Regi Lusitaniæ.*

FErdinandum Menesium, qui ad SS. D. N. a te missus est orator, summo studio, & amore sum complexus, eique omnem meam operam, & auctoritatem in publicis rebus, in privatis usum & gratiam proliae sum pollicitus, & si opus erit amantissime deferam. Nec sum inescius quid ipsius dignitas, quid fides mea, quid tua erga me liberalitas postulet, quæ mihi hæret in intimo animi sensu, meque ad omnem officii rationem excitat, nullum, ut tempus, aut facultatem prætermittam, ex qua aut memor, aut gratus, aut hac honoris possessione non dignus videri possim, in qua tuo judicio sum proxime collocatus. Quapropter quidquid in me est, aut esse unquam poterit, Menesio æque ac mihi erit paratum, atque expositum, & in procuratione earum rerum, quas ad te pertinere arbitrabor, eodem utar vel socio, vel adjutore, vel etiam auctore consiliorum meorum. Tam vero Sanctiss. D. N. perhonorifice, & peramanter accepit, & in dies habet chariorem; nam vitæ splendore, & dignitate, qua in ipsa legatione honestissime perfungitur, & egregia probitate, atque prudentia omnibus mirifice commendatur. Deum precor, & quæso, ut te tuis omnibus, & nobis, qui te maxime veneramur, & colimus, salvum, & incolumen diu conservet.

Romæ III. Non. Aprilis MDLXVi

---

## V I I.

### *Henrico Cardinali Infanti Lusitaniæ.*

EX litteris tuis, quibus Ferdinandum Menesium oratorem regium mihi graviter, & diligenter commendabas, præclari viri integritatem, & fidem prope singularem perspicere visus sum; sic enim existimabam, cui tantam judicii tui laudem impertires, eum esse omnibus rebus ornatissimum. Itaque in ipso primo congressu omnem meam operam, gratiam, auctoritatem Menesio sum pollicitus, & postea cum tuam commendationem, ac testimonium naturæ suæ bonitate, & multis ingenii ornamentis comprobaret, nullum amicissimi, & fidelissimi hominis officium erga illum prætermisi. Quam voluntatem a me certo consilio susceptam, & regis, & tua causa, & ipsius meritis, & ut tuear constantiam meam semper præstabo; cum præsertim Regis benevolentia, & liberalitate ita sim devinctus, ut jam illi debeam omnia, & ex iis, quos jampridem veneror, atque observo, tu principem locum obtineas, & ipsum Menesium sic diligam, ut paucos habeam æque in amore conjunctos, & ego in amicitia excellentium virorum mihi conciliauda sim cupidissimus, in retinenda constantissimus. Atque is a Sanctiss. D. N. liberaliter, ornateque tractatur, & in dies singulos etiam plus diligitur; facit enim sua dignitate, prudentia, & probitate, ut quo est usu conjunctior, & verior, eo majorem gratiam, & laudem a Summo Principe, & sapientissimo consequatur. Quod in aliis litteris de procuratione istius Regni ad me delata mihi gratularis, agnosco tuam perpetuam erga me benevolentiam, & magnificæ, regiæque naturæ liberalitatem; ipsa vero gratulatio, quæ ab optimo animo proficiscitur, non minus habet dignitatis, quam voluptatis: nam & probari a te mihi est honestissimum, & vere, constanterque diligi jucundissimum. Ego vero cum clementissimo Regi tantum debeam, quantum non videor posse persolvere, ita omnia mea consilia, & studia ad illius arbitrium conferam; ut neque amoris, neque observantiæ, nec pietatis, nec grati animi, ac fidelis ullas partes prætermittam. Quæ Fr. Antonius Patavinus commissarius in illam provinciam missus, egerat, quia a monitis præceptisque tuis discreparunt, temere acta Sanctiss. D. N. judicavit; & mihi hoc nomine etiam acerba acciderunt, in quo auxit dolorem meum generalis ministri pertinacia, qui ea tueri maluit, quæ debuit corrigere; ad quem tamen idem SS. D. N. ita scripsit, ut nec ille severius reprehendi, nec tua auctoritas, ac potestas gravius potuerit conservari. Qua in re satis tuæ voluntati factum esse arbitror. Reliquum est ut me tibi etiam atque etiam commendem. Quem Deus, & florentem, & incolumen quam diutissime conservet.

Romæ III. Non. Aprilis MDLXV.

### VIII.

*Henrico Card. Infanti Luſitaniæ.*

QUam graviter, & ſevere Summus Pontifex ad generalem miniſtrum ſcripſerit, quamoque ſtudio exiſtimationi, auctoritati, & gloriæ tuæ faverit, puto te animadvertiſſe ex iſtis litteris, quas ab ipſo Sanctiſs. D. N. accepiſti, cujus tanta in te benevolentia, & charitas extitit; ut pro tuis ornamentis maximam cogitationem, & curam ſuſcepiſſe videretur. Itaque vix interceſſioni meæ ac precibus locum reliquit. Nec vero mihi dubium eſt, quin iſta perficiant, cæteriſque illius generis hominibus documento ſint, quemadmodum in religionis procuratione, atque cuſtodia ſe gerant, ne quid temere agant, ne quid inconſiderate. Quamobrem ſi tibi hoc ſumes, ut in iſto regno Catholicæ Eccleſiæ ſplendorem, dignitatemque tueare, & intra fines modeſtiæ, temperantiæ, & pietatis ſacerdotes contineas, equidem fore confido ut a Sanctiſs. D. N. non modo gratiam ineas, ſed etiam virtutis, & ſapientiæ tuæ uberes fructus feras. Reliquum eſt, ut proſperis tuis rebus tranquille perfruaris, meque tui amantiſſimum, & obſervantiſſimum eſſe tibi plane perſuadeas. Vale.

Romæ III. Non. Aprilis MDLXV.

---

### IX.

*Archiepiſcopo Bracharenſi Primati.*

REdditæ mihi a te ſunt tres epiſtolæ, ſed uno exemplo duæ, quibus me de Diœceſana Synodo de certorum hominum diſſidio & querelis de Petro Tavareſio ad Urbem miſſo, & de diſpenſatione pro quodam tuo parocho a Sanctiſſ. D. N. impetranda certiorem facis. Equidem in eo te multum amo, quod ſanctiones, & decreta Sacri Tridentini Concilii ab eis integre recipi, & obſervari velis, quos intelligis tuæ fidei, poteſtatique a Deo eſſe concreditos, qui tamen ſi tibi adverſari maluerint, quam parere, non tibi auctoritatem, ſed conſilium ſibi ſentient defuiſſe; neque enim Sanctiſs. D. N. quidquid eſſe deliberatius video quam ea, quæ in celeberrimo Chriſtianæ reipublicæ conventu diu quæſita, agitata, excuſſa, a ſapientiſſimis viris in Spiritu S. congregatis judicata, & ſuomet judicio comprobata, & corroborata ſunt, ſic præſtare, ac ſuam vim & auctoritatem ſemper retineant; tantumque abeſt, ut hæc firmamenta catholicæ fidei ex ſua ſede dimoveri, aut convelli patiatur, ut etiam firmioribus præſidiis in dies muniat. Quamobrem, ſi qui erunt in religionis officio minus conſtantes, ideſt a tuis ſententiis præceptiſque alieni, in iis confirmandis adhibeas ſapientiam & gravitatem, quam debes; auctoritatem autem, & ſeveritatem in finibus quos tibi vides a divinis ſanctionibus, & legibus eſſe præſcriptos, quo gratius Pontifici maxime facere nihil potes. Nec vero aut ſuſpectam, aut dubiam tuam fidem, vel innocentiam vel pietatem unquam habuit; nec iſtorum hominum querelis, de quibus ipſe ſuſpicari viſus es aures dedit, cum illi nihil ſit tam exploratum, atque perſpectum, quam tua aut integritas, aut prudentia aut in catholica veritate conſtantia. Quod ſi vel ſexcentos in te calumniatores, & teſtes hominum invidia excitaſſet, cum in tantam virtutem cadere non poſſit ulla ſuſpicio, nihil eſſet vel de tua bona exiſtimatione, ac fama detractum, vel de Sanctiſs. D. N. benevola erga te voluntate imminutum. Nam quid dicam de me, cui in conſpectu pene animi ſemper ades, & propter excellentem in omni genere virtutis laudem unus es ad imitandum propoſitus? Mea quidem opinio, & cum opinione conſentiens hæc una eſt oratio, nihil eſſe in te quod abſit a ſummis laudibus, ut non modo iſtius provinciæ, ſed multarum præterea regionum integritate, & virtute primarius videaris. Itaque mihi nonnulli non tam conqueri de tuis factis, quam de ſuis delictis confiteri viſi ſunt, cum nihil fere ſit aliud a tuis conſiliis diſſentire, niſi ab religionis officio, & a probitate deſciſcere. Sed quoniam eos habuiſti non tam accuſatores ſeveritatis tuæ, quam ſanctitatis, & prudentiæ teſtes, erit tuæ humanitatis, ac ſapientiæ, iis etiam aliquid condonare, & remittere; cum præſertim voluntaria injuriarum oblivio, non minorem habitura ſit pietatis, quam clementiæ laudem, atque ego fore confidam, ut iis, quos in tuam priſtinam gratiam reſtitues, æquiſſimis, amantiſſimis, & omni animi ſenſu conjunctiſſimis utare. Ex quibus facere non poſſum, quin tibi Decanum tuum ſeparatim ſtudioſeque commendem, quem ego, quantum ex ipſius Sermone potui perſpicere, cognovi tui percupidum; non enim tuæ voluntati reſtitiſſe, ſed in tuam veterem gratiam per Sanctiſs. D. N. reduci voluit. Et quamvis apud te ſuboffenderit, tamen, ut humanæ naturæ eſt imbecillitas, quædam interdum vitia utilius eſt corrigere, quam vindicare, ne vel peccantibus acerbitas ſupplicii reditum ad virtutem intercludat, vel propenſiores ad iracundiam, quam ad lenitatem eſſe videamur, vel ut ſit apud nos non juſtitiæ ſolum, ſed aliquis etiam miſericordiæ locus. Nunc habes, in quo tua ſe humanitas, & virtus exerceat. Huic igitur, ſi te placabilem præbueris, & quem olim filii loco dilexeras, ad te reverſum paterna item charitate fueris complexus, edes præclarum exemplum ſapientiæ tuæ, quemque a recto officio culpa deflexerat; graviſſimis & monitis, & præceptis, in curſum ſuarum laudum revocabit, quod erit Sanctiſs. D. N. gratum, mihique gratiſſimum: at ſi forte (quod ſuſpicari vix poſſum) controverſiæ, quam cum nonnullis habes de tuo capitulo, erunt ejuſmodi, ut eas auctoritate, & ſapientia tua ſedare, ac dirimere non queas Sereniſs. D. Henrico Infanti Cardinali, & Apoſtolicæ Sedis legato Sanctiſs. D. N. ſcripſit, mandavitque, ut eas dijudicandas, & componendas ſuſciperet, quod optimum, & ſapientiſſimum Principem ſumma æquitate, & prudentia eſſe facturum mihi plane perſuadeo. Petrum Tavareſium tui ſtudioſiſſimum, & obſervantiſſimum cognovi, cui nec opera nec gratia, neque auctoritas mea apud Pontificem defuit. De diſpenſatione parochi tui, quod petis jamdudum ad te ſcripſeram Sanctiſs. D. N. tibi hoc dediſſe, ut, quatenus iſtius delictum eſſet occultum ſalva fide, & conſcientia, cum ipſo diſpenſares. Reliquum eſt, ut omnia amoris, & diligentiæ, & liberalitatis officia ſtatuas tibi eſſe a me, & fore ſemper paratiſſima, cui me etiam atque etiam commendo. Vale.

Romæ III. Non. Aprilis MDLXV.

---

### X.

*Cardinali Infanti Luſitaniæ.*

FRanciſcum Foreſium Theologum a Rege, & a te revocatum, cum a me dimitterem reverti ſine meis litteris nolui, ejus opera, & eximia, multiplicique doctrina SS. D. N. cum ad alia, tum ad ea præſertim uſus eſt, quæ Chriſtianorum animos vera religione imbuere, & conformare poſſint: adhibitus enim eſt cum ſapientiſſimis viris, ſui ſimilibus, ut quæ in Eccleſia Catholica ſunt ſcripta divinitus permulta explicaret, & quæ ſunt diſperſa quaſi ſub uno aſpectu proponeret. Quapropter magna ex parte illius diligentia, & induſtria cathechiſmum jam habemus abſolutum, præclarum opus, & luculentum, & in quo pie, ſancteque vivendi præ-

cepta

cepta, & documenta fere comprehensa sunt omnia. Quæ res fecit, ut eum tamdiu apud nos retineremus, quoad suum studium, & facultatem publicæ causæ impartiret. Atque hæc quidem officia ad communem christianæ Reip. utilitatem contulit. Quam vero mihi privatim operam tribuit, ita Deum velim habere propitium, ut ex ea maximam animi voluptatem, & mirabiles fructus percepi: nec enim aut melior, aut sanctior, aut amantior veritatis reperiri quisquam potest, neque in sanctissimarum doctrinarum usu, & tractatione subtilior. Equidem cœpi Foresium diligere antequam vidi, audieram esse optimis artibus liberaliter instructum, & perpolitum, esse multis ingenij ornamentis, & naturæ bonitate præditum, & in studiis sacrarum litterarum diu, multumque versatum. Etenim habet apud me hoc virtutis, ut quorum animum & vitam exornat, ii mihi omnium sint charissimi. Ubi hominem vidi, auxit amorem meum illius modestia prope singularis, qua una reliquas virtutes suas collustrare, & quasi in bono lumine collocare videbatur. Nec ita multo post mihi fuit usu, & familiaritate conjunctissimus. Tum vero ejus probitatem, fidem, & sapientiam ita perspexi, ut meus in illum amor etiam fieret ardentior. Alia deinceps facta est accessio benevolentiæ erga illum meæ, quod te ita veneratur, & colit, ut non modo cæteris hominibus anteponat, sed præcipuis laudibus in Cœlum ferat: nam quoties de tuis præclaris, divinisque virtutibus facta mentio est, quæ in nostris quotidianis sermonibus nunquam fere intermittimus, nihil esse statuit tam sanctum, tam excellens, tam omni honore, atque amplitudine cumulatum, quin in tuo ingenio, & moribus eluceat, ut natus præstantissimis Regibus, & generis nobilitate perinsignis, tuisque opibus, & amplissimo sacerdotio ornatissimus: tamen malit a virtute, quam a fortuna laudem quærere. Hæc quamquam mihi non essent inaudita, tamen, quia tuæ gloriæ mirabiliter faveo, multa sæpius de te prædicanti, aures meas libenter dabam. Ergo quoniam justissimæ, & gravissimæ sunt causæ, cur Foresium habeam in amore, atque in honore, non putavi esse alienum consuetudine mea illius virtuti hoc etiam testimonium tribuere, quod cum suum officium, & optimum in religione sensum atque constantiam nobis egregie probasset, statueretque Sanctiss. D. N. magnis eum præmiis cohonestare: tamen Pontificis liberalitate præbere se dignum maluit, quam uti. Unum illud a Pontifice suppliciter petiit, facillimeque impetravit sibi ut liceret exædificare locum, quo pios homines consortes sui ordinis posset in societatem religionis convocare, & ad Christi cultum divinarumque rerum cognitionem instruere. Itaque fore arbitror, ut te modo approbante, verum etiam adjuvante suam ædificationem absolvere quamprimum possit. Hujus autem a me digressum eo tuli molestius, quo magis testatam apud nos & integritatem & sapientiam suam reliquit. Quem ego nondum satis constitui quibus verbis tibi commendem, ne homini prudenti nullumque a me hujusmodi munus postulanti facere videar injuriam, vel tuo judicio ac liberalitate subdiffidere. Sed tum...... hanc commendationem aut vix, aut ne vix quidem possim salva fide prætermittere, agam moderate, ut serviam ingenuo ejus pudori, nec deseram officium meum. Quare te vehementer rogo, ut quæ in Foresium vel tua sponte, vel ipsius merito beneficia contulisses, eadem commemoratione mea non solum augeas, sed etiam exornes. Deum oro ut tibi perpetuam vitæ prosperitatem, & incolumitatem largiatur.

Romæ iij. Non. Aprilis MDLXV.

## X I.

*Regi Lusitaniæ.*

FAcit non solum fides mea, sed perpetua vitæ ratio, quam jam usque a pueritia habeo institutam, ut hominum virtuti, & laudibus libenter faveam, nullamque hujusmodi facultatem aut tempus prætermittam. Nunc vero cum Franciscus Foresius Theologus se istuc reciperet vir eximia pietate, & multis ingenii luminibus ornatus, non alienum esse duxi institutis meis ad te litteras dare, ex quibus plane perspiceres, quam idem egregie sit in religionis causa studioque versatus. Nam Tridentino Concilio dimisso in quo summam existimationem, & gratiam collegerat, ut Cardinalium Legatorum consiliis mandatisque pareret, statim Romam venit: nec ita longo intervallo a SS. D. N. ad alia munera est adhibitus, catholicæ fidei rationibus valde accommodata: tantumque industria, vigilantia, & divinarum artium cognitione perfecit, ut, quamvis Summi Pontificis judicio, & testimonio esset ornatus: tamen propriis virtutibus & meritis videretur ornatior. Itaque tibi cujus gloriæ incredibiliter servio, tacitus quodammodo gratulabar, quod ex tuo regno honestissimos viros, & doctrina, & innocentia præstantissimos in publicum terræ orbis conventum, veluti in theatrum christianæ religionis, & virtutis misisses: qui studium suum Catholicæ Ecclesiæ vel ornandæ, vel augendæ non minus quam sapientiam, integritatem, & fidem omnibus mirifice probaverant. Ex quibus ego Foresium usu, & consuetudine habui conjunctum, quod apud nos diutius est commoratus, & mihi propter singularem vitæ modestiam gratus, propter ingenii suavitatem jucundus, propter gravitatem, atque prudentiam ad multa fuit perappositus: nec enim aut melior sacrarum litterarum intelligentia præstantior, aut in impiorum hominum disputationibus oppugnandis, vel evertendis acrior, atque constantior quisquam esse potest, atque hoc testimonium virtuti, non gratiæ tribuo. Qua autem moderatione animi, & verecundia est ex multis, magnisque præmiis, quæ SS. D. N. ejus laboribus, atque vigiliis pro religione susceptis dabat, nihil voluit accipere. Id tantum velle visus est, quod a Pontificia liberalitate statim impetravit, ædificandi monasterii facultatem tibi concedi, in quo religiosos homines sui ordinis includere, & ad verum Dei cultum optimis disciplinis conformare posset. Quid autem vir optimus, ac maxime probatus spectet, vidit is, qui divina quadam mente alte prospicit, Pontifex Max. quod agere sanctissimi homines solent, ut ad religionis instituta adaugenda, & ad sempiternam posteritatis memoriam, atque utilitatem, propaganda sui similes velint habere quam plurimos: id Foresius præclare actione consequi vult. Quamobrem illi auctor etiam Pontifex fuit, ut in patriam reversus ædificationem suam quam primum describeret, & perficeret, & cujus consilii fore arbitror, ut tu pro tua pietate, & clementia fautor sis, & adjutor, in quem quidquid studii, & officii & liberalitatis contuleris pro eo quanti is a me fit, id omne apud me positum esse existimabo. Deum precor, & quæso ut te incolumem, & florentem diu nobis conservet.

Romæ III. Nonas Aprilis MDLXV.

---

## X I I.

*Cardinali Infanti Lusitaniæ.*

ACHyllem Statium omni liberali doctrina expolitum faciebam antea plurimi, & hoc tempore cum se nobis mirifice probaverit, dignum judicavi qui propter integritatem, & fidem non minus,

quam propter ingenii facultatem, quæ in eo summa est, diligeret: nam longo intervallo rediturus Lusitaniam eum SS. D. N. eum liberaliter invitaret, ut esset apud nos; hanc unam causam attulit profectionis suæ, quod a Rege accitus, in cujus imperio, & ditione sibi nasci contigerat, omnem vitæ suæ rationem ad illius auctoritatem, & arbitrium contulisset, & quasi voto obstrictus id consilii cepisset, quo nihil haberet sanctius, aut antiquius. Quam Statii voluntatem præsertim tam egregiam, tam gratam, tam plenam officii, & pietatis SS. D. N. pro eo quanti Regem semper fecit, in optimam partem accepit. Ego autem tanto amore sum prosecutus, ut non minora probitatis, quam doctrinæ ornamenta in eo perspexisse videar. Itaque faciendum putavi, ut doctissimo viro nihil tale a me petenti, ac ne quidem suspicanti hujus testimonii laudem tribuerem, non ut facilior, sed ut illustrior vel ad ipsum Regem vel ad te illi aditus daretur. Hominem habes, qui in nobilissimis Italiæ urbibus diu versatus magna ingenii gloria, & doctrinæ varietate ita floruit, ut sapientissimo cuique in oculis, in amore, atque in honore esset; nunc præclaris artibus instructus, suis laudibus ornatus, gratus Pontifici, mihi probatus, jucundus bonis omnibus operam, & studium suum Regi dicavit. Et quia in tuo patrocinio summum sibi præsidium, & dignitatem constituit, hoc te vehementer rogo, ut eum in fidem tuam recipias, & quibuscumque rebus poteris, augeas, atque ornes; non enim mihi dubium est, quin se memorem & gratum præbeat, qui tantum virtute perfecit, ut, a quibus est adjutus, ii suum officium præclare posuisse videantur. Deus florentem, & incolumem te diu nobis conservet.

Romæ III. Nonas Aprilis MDLXV.

---

## XIII.

*Cardinali Infanti Lusitaniæ.*

UBI SS. D. N. est certior factus, fratrem Antonium Paravinum, qui superioribus diebus in istam provinciam commissarius venerat, cum apud certos monachos datus in custodiam esset, tamen ab eis profugisse, id graviter sane, & moleste tulit; statimque Alexandro Cribello Cardinali, quo adhuc utitur Nuntio in Hispaniæ regnis per litteras mandavit, ut conquiri hominem, & ubi sit etiam comprehendi jubeat, & ad te per tutissimos custodes quam primum reduci, cujus auctoritate, ac jussu asservetur diligentius, quoad confecto illius ordinis generali capitulo, ejus causa cognoscatur, isque suæ temeritatis, ac fraudis debitas pœnas persolvat; quæ res cum me valde commoverit, ad ipsummet Card. itemque ad generalem ministrum in hanc sententiam plura scripsi, quem etiam non vi, ne illi aut consistendi in comitiis, aut suam causam agendi, aut Ecclesiasticam administrationem, ac dignitatem consequendi potestatem faceret, neve tuendum susciperet, qui ad sua crimina etiam fugæ turpitudinem voluisset adjungere. Reliquum est, ut tibi ipse persuadeas, me nullum unquam tempus, aut facultatem meæ erga te benevolentiæ, & observantiæ significandæ prætermissurum. Quem Deus salvum, & incolumem nobis conservet.

Romæ pridie Idus Aprilis MDLXV.

## XIV.

*Regi Lusitaniæ.*

PEtiit orator tuus a SS. D. N. suppliciter, ut certum consilium, & rationem iniret, quemadmodum in mandatis Apostolicarum litterarum in tuo regno litteris exequendis major diligentia, & cautio adhiberetur, quod multi essent apud te graviter conquesti, se ab improbis hominibus vexari, qui ubi ficte, & fallaciter litteras in Romana Curia impetrarunt, harum litterarum auctoritate muniti, eos injustissime oppugnant. Quod SS. D. N. indignum, & minime ferendum judicavit. Sed ut tantis incommodis facilius subveniat, id sibi plane constare vult, ad quas præsertim vel injurias, vel fraudes impuri homines hujusmodi litteras accommodare consueverint. Quod cum vel ex tuis litteris, vel ex legati tui oratione cognoverit, efficit profecto, ut quidquid iniquitas, & fallacia depravaverit, quamprimum ratio corrigat, & qui Sanctæ hujus Sedis præsidio ad bonorum calamitatem abusi fuerint, non modo hoc perfugio excludantur, sed etiam suis legibus, & judicio pœnas dent. Deum florentem, & incolumen te nobis conservet diu. Vale.

Romæ pridie Idus Aprilis MDLXV.

---

## X V.

*Cardinali Infanti Lusitaniæ.*

AD Prælatos ministros ordinis fratrum minorum regularis observantiæ, qui in istius regni provinciis sunt, scripsi diligenter, ut tibi in omnibus te rebus, quas curari per eos voles, obtemperent, & præsto sint, nullumque suum officium a tuis consiliis sejungant, cum SS. D. N. nihil sit deliberatius, quam tuam auctoritatem, & amplitudinem, cum ab universis, tum ab iis præsertim quos habet in sua ditione, ac potestate plurimi fieri. Itaque & ipsius Pontificis nomine iis mandavi, & meo item jure præscripsi, ut quidquid statueris, decreveris, jusseris, id ratum habeant, nec generalis ministri auctoritate, vel minus deterreantur, quo minus officium suum præstent. Eos præterea certiores feci SS. D. N. Fr. Christophoro, quem tu huic muneri præfeceras, id dedisse, ut provinciæ suæ comitia habere, ut sontes punire, ut qui in officio, atque administratione deliquerint, iis adimere potestatem suo jure possit, aliosque in eorum locum sufficere, quorum crimina ad generale capitulum postea deferantur. Scripsi etiam ad Alexandrum Cribellum Card. quo SS. D. N. apud Philippum Hispaniæ Regem utitur Internuntio, ut Fr. Emanuelem Cochilam, & Fr. Philippum Lusitanos, summo studio, ac diligentia conquiri juberem, & quocumque pervenerint comprehendi, & ad te per tutissimos custodes adduci, quod item D. Fr. Antonio Patavino antea ad eundem scripseram. Vale.

Romæ Pridie Idus Aprilis MDLXV,

---

## XVI.

*Regi Lusitaniæ.*

COgnovit SS. D. N. ex Ferdinando Menesio Oratore tuo, quid de iis comitiis, quæ in Hispania societas regularis observantiæ S. Francisci habitura est, requireres; tua enim mandata scite, & accurate exposuit, & prudenter ipse suo sermone subsecutus est omnes hujus petitionis rationes. Quo in officio pietatem, & fidem tuam Pontifex Maximus pro-

probavit, suscepitque eam curam, ut religiosorum hominum ordini prospiceret. Nam Alexandrum Cribellum Card. ipsis comitiis præposuit, quo eos facilius in officio retineret, & se tibi præsertim tam honesta petenti commodaret. Qua de re ad Henricum Card. patruum tuum plura scripsi. Porro ipse Menesius incredibile est, quam egregie, & magnifice legationis, ac muneris sui partes expleat, quem prudentia, quem bonitas, quem mores, & ingenii suavitas quotidie commendant magis. Itaque a SS. D. N. singulariter diligitur, & apud cæteros omnes summo in honore est. Ego vero tanti hominem facio, ut dignissimum esse judicem, in cujus virtute, integritate, & diligentia conquiescas. Vale.

Romæ Pridie Cal. Majas MDLXV.

## XVII.

*Cardinali Infanti Lusitaniæ.*

QUæ tibi in mentem venerant optare de comitiis a societate Fratrum Minorum Regularis observantiæ habendis, quia religiosorum hominum rationibus maxime fore accommodata SS. D. N. existimavit, Alexandrum Cribellum Card. iisdem comitiis præesse voluit; nec enim dubitat, quin recte, & ordine omnia persequantur, cum amplissimum virum habebunt testem actionum, & moderatorem consiliorum suorum, in quo illud spectavit, ut cum illius ordinis religioni prospiceret; tamen plurimum tibi tribuisse videretur, cujus postulationi deesse noluit, simulque istorum hominum conatus reprimere, qui a tuis gravissimis, & sanctissimis consiliis discreparunt. Quæ vero in hujus officii munere circumspicienda sunt, quæque præstanda, ex summi Pontificis sermone ad ipsummet Cardinalem accurate perscripsi, & cum Antonio Pinto communicavi, ut te de omnibus rebus faceret certiorem. SS. D. N. in re voluntas paternusque amor mihi ita est perspectus, ut pro certo habeam summam illi curam esse, & semper fore, dignitatem, & existimationem tuam. Ego vero ad te observandum, & colendum omnia mea studia, & perpetuæ benevolentiæ, & pietatis officia potissimum conferam. Vale.

Romæ Pridie Cal. Maii MDLXV.

## XVIII.

*Cardinali, Infanti Lusitaniæ.*

EX quo tempore SS. D. N. summam catholicæ Ecclesiæ dignitatem, & potestatem consecutus est, hoc unum spectavit, ut benemeriti de religione ipse non solum posset, sed alios etiam ad similem virtutem excitaret. Itaque & Concilium habuit Tridenti, & quæ sanctissimi homines in Spiritu S. congregati sanxerunt, ea comprobavit, & divulgari, atque in orbem terrarum, omnes gentes distribui, disseminari ad communem Christianæ religionis utilitatem voluit. Nunc id consilii cepit, ut quæ olim a Sanctissimis viris conscripta sunt, quia temporum injuria, vel librariorum inscitia, multis ea in locis depravavit, in suam pristinam veritatem restituantur: neque hanc curam, & cognitionem illi eripiunt aliarum rerum occupationes, cum hujus industriæ fructus sit præsens, & fore prospiciat, ut, ad usum posteritatis etiam redundet: sed litteratorum hominum copia opus est ad hanc rem, qui in veterum librorum tractatione sint multum, diuque versati, & ingenii, ac judicii laude excellant, ut vera a falsis dijudicare, & seligere facile possint. Quo in genere eminet Achylles Statius; quapropter egi cum Ferdinando Menesio Oratore regio diligenter, ut is tamdiu apud nos esset, dum æstas efflueret, eum præsertim ejus opera in d. Hieronymi libris inter se conferendis, & corrigendis uti SS. D. N. vellet, & ut tenui ipse est valetudine, periculosa tam longi itineris ratio videretur, si hoc tempore se in viam daret. Qua de re Menesium ad te scripsisse arbitror: fecit tua vel humanitas, vel in Pontificem M. pietas, ut Statium, quem jam in Lusitania revocaras, tamen adhuc Romæ teneremus. Te igitur rogo, atque oro, ut hoc in eam partem accipias quasi doctissimi hominis ingenium, operam, industriam religioni commodes; quas enim utilitates ipsius doctrina præbuerit, quæ certe erunt.... liberalitati tuæ acceptas referemus. Et quoniam videtur subvereri ne contra sui regis voluntatem, & præter opinionem tuam acciderit, ut Romæ diutius commoraretur, erit mihi vehementer gratum, si vir modestissimus intelliget, quod nostro consilio profectionem suam in mensem Septembrem rejecerit, illud, & Regem, & te non modo probare, verum etiam in optimam partem accipere. Deus te salvum, & incolumen nobis diu præstet.

Romæ pridie Cal. Maii MDLXV.

## XIX.

*Regis Lusitaniæ.*

HIeronymus Beccaria Cornatianus Papiensis est multis ille quidem animi, nobilitatis, & fortunæ bonis ornatus, sed ut tua liberalitate, & munere fiat ornatior, mirabiliter cupit in eorum equitum esse numero, qui tuæ potestati, & fidei commissi sunt, tuæque militiæ insignia præferunt. Quare SS. D. N. a quo valde diligitur, hoc studio incensum etiam ad optimam spem erexerit, cum ab Ferdinando Menesio legato tuo petiit, ut suo nomine Cornazanum tibi diligenter commendaret, a quo cum libentius in Jesu Christi religionem, idest in tuorum equitum ordinem ascriberes. Itaque non alienum duxi instituto meo ad te hac de re aliquid scribere, & ipsius Menesii commendationem prosequi officio meo, cum præsertim Cornazani maxima in me benevolentia, & observantia semper fuerit, & fore confidam, ut quæcumque ornamenta in eum contuleris, te perbene posuisse intelligas, & honestissimum, & gratissimum juvenem hoc beneficio in perpetuum tibi devincias. Vale.

Romæ v. Idus Iunii MDLXV.

## XX.

*Legi Lusitaniæ.*

FAcere non possum, quin aliquos tibi commendem, quibus cum mea in te observantia, & pietas nota sit, sibi quoque persuadent me apud te valere auctoritate, vel gratia. Jo. Antinorius civis est Florentinus in primis honestus, mihi autem & sua causa & amplissimorum hominum judicio, a quibus diligitur valde probatus: is, ut majorum suorum persequatur vestigia, nullum laudis studium prætermittit: sed tamen in ea opinione est, ut hoc præstare commodius, vel exequi splendidius possit, si tuo testimonio eum comprobaris, & in tuorum equitum ordinem asciveris. Mihi igitur hoc sumpsit, ut ornatissimum juvenem natum ad gloriam, & excelso animo præditum tibi commendarem, ne vel eum, cui libenter faveo, a virtutis cursu avocare videar, vel summis viris hoc a me officium postulantibus deesse, vel tuæ gratiæ, humanitati, ac beneficentiæ

diffi-

diffidere. Quod si Antinorium in tuam fidem, & clientelam accipere, hisque honoris insignibus cohonestare volueris, erit mihi vehementer gratum; nec vereor quin majorem operam, & curam in hac dignitate conservanda idem positurus sit, quam posuit in expetenda. Deus perpetuam tibi vitæ felicitatem, & incolumitatem largiatur.

Romæ V. Idus Iunii MDLXV.

---

### X X I.

*Cardinali Infanti Lusitaniæ.*

DEderam in præcipuis mandatis meis Franciscinorum societatis præfecto, ut in ipsis comitiis, quæ habiturus erat Florentiæ, spectatissimos sui ordinis homines in istam provinciam distribueret, qui alios moderari, & regere, facile possent, & religionis commodis tranquillitatique consulere. Nam videbam quo a nostro conspectu est Lusitania disjunctior, majorem diligentiam, & cautionem esse adhibendam in hac distributione officiorum, ac munerum. Nec vero mihi dubium est, quin dilectus habeatur, quem tu maxima videris optare, cujus ego consilium facio, ut debeo, plurimi; est enim tum salutare, tum plenum prudentiæ, & pietatis, & cum meo sensu mirifice congruit. Quoniam igitur quæ regius orator, & Antonius Pintus tuo nomine mecum egerant, ea me non solum prospexisse intelligis, sed etiam magna ex parte perfecisse, quidquid præterea religiosorum honestati, vel otio conducere existimabis, dabo operam, ut diligenter, accurateque præstetur: missurus enim sum in Lusitaniam ipsum præfectum, ut omnes suæ provinciæ partes obeat easque ad rationis, & officii normam dirigat. Is & sua sponte, & me etiam hortante, atque imperante perficiet, ut omnium consiliorum suorum te moderatorem, & ducem habuisse videatur. Vale.

Romæ V. Idus Junii MDLXV.

---

# LIBER QUARTUS.

### X X I I.

*Antonio Eparcho Corcyraeo.*

LIbros Græca manu scriptos, quos superioribus diebus Romam miseras, habemus in Vaticana Bibliotheca latinos, & impressos, neque idcirco voluntatem, & studium tuum Pontifici Maximo probasti minus; vidit enim id spectari a te dum monumenta sanctissimorum hominum, quibus Græcia semper floruit, ad Catholicæ religionis fidem, & auctoritatem augendam, & corroborandam studiose conquiris, ut quæ habemus, potius adaugeantur apud nos, quam temere quidquam depereat, quo in officio visus es non minus pie, quam diligenter versari. Hoc tamen perfice Eparche, ut quæ ab eruditissima natione tua sunt scripta divinitus, & in veteris Greciæ thesauris adhuc latent, investiges, eruas, in lucem proferas, & cum nostris hominibus, atque cum omni posteritate communices. Nihil habet nec virtus tua præclarius, nec industria tua uberius, quam in istiusmodi libris perquirendis, & ad usum omnium vel traducendis, vel revocandis a Deo gratiam, a SS. D. N. diligentiæ tuæ fructum, a cæteris, qui religioni, & litteris favent, existimationem, & laudem consequare. Quod ut efficere commodius possis L. aureos nummos tibi curari, ac menstruam, præterea pensionem aureorum nummum decem attribui Pontifex jussit. His de rebus feceram equidem te antea certiorem, sed quia ex epistola tua suspicabar tibi non fuisse redditas meas litteras, faciendum putavi, ut de eisdem rebus iterum ad te scriberem. Tu si procuratorem Romæ habueris, cui, quas curamus tibi pecuniæ recte dentur, efficiam, ut suo tempore omnino persolvantur. Vale.

Romæ xvj. Cal. Junij MDLXV.

### XXIII.

*Regi Lusitaniæ.*

QUod te meminisse arbitror, jandiu est cum a liberalitate tua impetravi, ut Ferdinandum Vistarinum, itemque alterum quemcumque mallem propinquum, & necessarium meum, tuorum equitum numero, qui in Jesu Christi militia sunt, velles ascribere: quam ego facultatem non ad meos ornandos arripui, sed ad ipsorum merita illustranda reservavi: non enim is sum, qui honoris fructum necessitudini, & gratiæ magis tribuam, quam virtuti. Verum accidit ut Villarinus aliam vitæ rationem ingressus, ea dignitate non tam uti, quam se dignum præbere voluerit, idque ut tibi facilius constaret, idcirco tuum ipsum diploma ad te remisit: tulit præterea casus, ut equestre munus, quod affini consanguineo meo reservabam, Georgio Cæsarino Juliani filio adolescenti, & generis nobilitate, & fortunæ muneribus amplissimis inter Romanos cives primario, mandato, ac prope coactu SS. D. N. concesserim: cum tamen antea Laurentius Piretinus Alvarus Castrius, quo tum internuntio apud summum Pont. utebare id confirmarit, in seque receperit, quod munus in Cæsarinum contulissem idem se mihi abs te impetraturum. Nunc quia ex iis, qui mihi maximis propinquitatis vinculis conjuncti sunt, duos præcipue cupio hujus generis dignitate esse insignes, te omnibus precibus vehementer oro, ut eorum alteri, qui Villarino datus non est, honorem deferas, alteri, quod mihi prolixe, liberaliterque promiserat id a te facile impetret. Atque hoc non ideo scripsi, quod ipsius vel amori, vel auctoritati diffiderem, sed ut ego quam sim meorum cupidus tu exploratius cognosceres. Vale.

Romæ v. Cal. Augusti MDLXV.

XXIV.

XXIV.

*Cardinali Infanti Lusitaniæ.*

DEderam ad Regem litteras, ex quibus non dubito quin perspiciat quantæ mihi curæ sit, ut duos mihi & propinquitate, & amore conjunctos in suorum equitum, qui in Jesu Christi militia sunt, numerum ascribat; tamen si ad meum officium, & tua auctoritas accederet, putavi Regis animum ad eos ornandos propensiorem fore. Te igitur rogo, ut hujus meæ voluntatis fautor sis, & adjutor, neque enim novum gratiæ fructum peto, sed quod jampridem impetraveram, id certo quodam consilio repeto, ne vel moram necessariorum laudem, vel summi, & optimi Regis liberalitatem neglexisse videar. Vale.

Romæ v. Cal. Augusti MDLXV.

---

XXV.

*Collegio Jurisconsultorum Mediolanensium.*

MAgnifici, & excellentes tanquam Fratres. Dubitare vos non existimo, quin vestra vel dignitas, vel utilitas SS. D. N. magnæ curæ semper fuerit: non enim aut tam levia aut tam obscura illius in vestrum ordinem sunt officia? ut non præclare perspici a vobis, & ponderari optime possint. Nunc aureos nummos mille vobis curari jussit, ut quod habetis inchoatum ædificium commodius atque splendidius extruatur. Qua de re scripsi ad Tullium Albonesium diligenter, litterasque certorum hominum ad eum misi, ut quantum pecuniæ Pontificis Max. liberalitas vobis attribuit, tantundem Mediolani ex permutatione accipiat, & quamprimum persolvat. Vos si operam dabitis, ut strenue omnia, magnificeque exædificentur, vehementer, mihi credite, probaturi estis SS. D. N. studium, & diligentiam vestram, eritque præclarum monumentum, ac publicum sapientiæ vestræ domicilium, usui, & ornamento non minus vobis, quam posteris. Ego quidquid valebo auctoritate, vel gratia, id ad vestra commoda potissimum conferam, & quæcumque mihi occasio dabitur benemerendi de vobis, eam non modo non dimittam, sed in loco beneficii, & laudis ponam. Valete.

Romæ iij. Augusti MDLXV.

---

XXVI.

*Margaritæ Duci Parmæ.*

CUm SS. D. N. & tuis, & aliorum litteris certior esset factus Cameracensi Archiep. cum suis canonicis plane non convenire quemadmodum decem præbendæ in ipsa Ecclesia primo vacaturæ essent applicandæ, ut hanc controversiam tolleret existimavit transigi inter eos posse commodius eisdem conditionibus, quæ abs te propositæ sunt, ex quo facile intelligis, quantum tuæ vel auctoritati, vel judicio tribuerit. Quid autem confici in hac causa, velit, ad ipsum Archiep. scripsit, quarum litterarum exemplum ad te misimus. Nec vereor, quin SS. D. N. sententiam, & judicium utrique æquissimis animis sequantur, & in ipsa societate officii & pietatis conjunctissimi sint, ut quæcumque præterea dissensiones hinc commoveri poterunt, eas facile extinguant. Quod vero tantæ tibi curæ fuit, ut religiosorum hominum discordiæ quamprimum sedarentur, eidem SS. D. N. gratissimum accidit, quam enim suavissimæ filiæ loco diligit, ab ea suscipi cogitationes non minus pias, quam præclaras vehementer gaudet. Ego te ita veneror, atque observo, ut concessurus sim nemini, qui ad tuam dignitatem, & amplitudinem omnia studia, & officia libentius conferat, quam summe cupio, ut florentem, & incolumen nobis conservet Deus.

Romæ Cal. Septembris MDLXV.

---

XXVII.

*Cardinali Domino de Granuella.*

ILlustriss. & Reverendiss. D. scripsit ad me Cameracensis Archiep. Jo. Pierrium Abbatem Monasterii S. Andreæ Castello Cameracensis e vita decessisse, quod sane dolui, tum ejus viri morte, tum istius Ecclesiæ incommodo, quæ optimum custodem, & moderatorem amisit. Et quia eo mortuo revertit ad me Abbatiæ possessio, & dignitas, nunc in hac cogitatione, curaque versor, ut hominem in demortui locum reponam, qui ad istius Ecclesiæ administrationem nullam cupiditatem, sed pium, & religiosum animum afferat: multi autem mihi proponuntur, ac præsertim Marcianensis monasterii sacerdos, cujus fidei, & virtuti Cameracensis Archiep. præclarum testimonium tribuit. Verum cum sit ex Atrebatensi Diœcesi, mihi hoc sumpsi pro mea singulari in te voluntate, & observantia, ut tuum consilium exquirerem, rogaremque etiam atque etiam, ut hominis conditionem, fortunam, existimationem, & auctoritatem scrutareris, & ad me diligenter omnia perscriberes; deinde, si quos præterea noris ad ejusdem Ecclesiæ gubernationem maxime idoneos, facias me certiorem, ut ex multis unum deligam, qui cum se in sacerdotii sui munere constanter religioseque semper geret, ego in illius prudentia, fide, & virtute acquiescam. Quod si a te impetravero vel potius quia impetrabo tuum officium, & diligentiam præpotenti Deo, cujus causa agitur in primis probabis, meque hoc nomine tibi in perpetuum devincies. Deus florentem te, & incolumen nobis diu præstet. Vale.

Romæ Cal. Septembris MDLXV.

---

XXVIII.

*Archiepisc. Cameracensi.*

PErillust. & Reverendiss. D. pietatem tuam, & in procuratione Ecclesiæ tuæ fidem, atque constantiam perspexi ex iis litteris, quas die xvj. Junii ad me dederas. Visus enim mihi es perquam graves curas, & cogitationes suscepisse, magnoque esse in metu ne si in pagum perremonstanum Cameracen. Metropoli proximum hæretici homines inducantur, multa perturbent, & errorum quasi sementem faciant. Itaque justissimam querelam tuam ad SS. D. N. statim detuli, ab eoque facile impetravi, ut tuam causam, sua auctoritate, & patrocinio tueretur, id autem ex Pontificis litteris, quas cum his conjunximus præclare intelliges. De decem præbendis in Ecclesia tua primo vacaturis, quod petisti illud etiam SS. D. N renunciavi, qua in causa cum a tuis canonicis dissentias, faciendum sibi putavit, ut quid agi, & servari velit, statim decerneret, ipsiusque decreti exemplum ad te mitteretur. Ego te vehementer rogo, ut quidquid ipse Pontifex statuit, nihil autem statuit, nisi paterno in istam Ecclesiam animo, & voluntate, non solum & tu, & canonici tui fixum, & in perpetuum ratum habeatis, sed cæteris etiam exemplum relinquatis in hujusmodi controversiis quid sequantur.

Ex

Ex alteris tuis litteris cognovi Jo. Pierrium Abbatem Monasterii S. Andreæ decessisse, doluique vehementer, tum ejus viri morte, tum istius Ecclesiæ incommodo, cui ut omni studio, & diligentia subveniam, equidem operam dabo. Et quoniam Jo. mortuo abbatiæ reversio facta est ad me, non minimi consilii deliberatio est, ut conquiram atque eligam, qui istius sacerdotii munus pie, & caste sustineat, cui ex abbatiæ fructibus tantum attribuam quantum ipsius dignitati, & commodis convenire arbitrabor. Qua autem ratione Prior cæterique religiosi homines istius monasterii id sibi sumere voluerint, ac concedi postularent, ut novum Abbatem deligere ipsi possent, hanc non despicio. Quamobrem te hujus totius negotii procuratorem, atque adjutorem constitui, quem etiam atque etiam rogo, ut me consilio, & opera juves, habeasque multorum delectum, quorum probitas, & virtus spectatissima sit, quosque ad hanc administrationem maxime idoneos fore judices, & ad me de uniuscujusque conditione, & moribus diligentissime perscribas, quæ omnia in Sacerdote Marcianensi Monast. quem mihi unum proponis video abs te esse observata, tum ego ex multis unum deligam, qui in demortui locum repositus, & mihi & suo muneri possit satisfacere. Vale.

Romæ Cal. Septembr. MDLXV.

---

## XXIX.

*Mariæ Scotiæ Reginæ.*

DIvino consilio factum esse arbitror, ut in istius regni administratione tuam prudentiam, & pietatem adhibeas, quam antea ex multorum sermone, nunc etiam ex Episcopo Dumblunense facile perspexi, ita enim fieri videmus, ut quos populos Deus tueri, & in Ecclesiæ suæ complexu continere vel ab officio declinantes corrigere vult, iis optimos, & sapientissimos Reges præficiat, quod in hac inclinatione temporum tuo regno contigisse hoc magis gaudeo, quo uberiores mihi virtutis, & sanctitatis tuæ fructus ostendis. Quod cum catholicæ fidei voluntatem, & operam præstas egregiam, a SS. D. N. non minus probaris, quam diligeris. Itaque quidquid opibus valet vel auctoritate, vel gratia ad tuam dignitatem, & amplitudinem conservandam, & augendam libentissime semper conferet. Nunc quod in Episcopatu Brechinense, & in matrimonii dispensatione maxime optare visa es, vel auctoritati tuæ, vel suæ in te beneficæ voluntati liberalissime tribuit, cætera amoris, & humanitatis officia tibi præstiturus suo tempore. Ego ipsum Episcopum omni comitatu, & officio sum complexus, sed hoc malo ex ipsius sermone, quam ex meis litteris te intelligere. Quod vero ad te spectat ita velim tibi persuadeas nihil esse, aut in facultatibus, aut in fortunis meis, quod cuiquam malim tam esse promptum, atque expositum, quam tibi. Cum hæc scriberem, ex Urbe jam discesseram Mediolanum proficiscens, ubi provincialem Synodum ex decretis Sacri Tridentini Concilii eram habiturus. Quapropter Bononiæ has litteras dedi. Deus te tum nobis, a quibus mirifice diligeris, tum tuis populis, qui in tua fide, & sapientia conquiescunt, florentem, & incolumem conservet diu.

XVII. Cal. Octobris MDLXV.

## XXX.

*Matthiæ Citardo Concionatori Cæsareo.*

REverende in Christo Pater. Hoc consilio ex Urbe discesseram, ut Mediolanensem Ecclesiam, quæ meæ fidei, & potestati commissa est recognoscerem, atque ad Sacri Tridentini Concilii instituta, & præcepta in omnes partes conformarem. Itaque accepi in ipso itinere tuas literas, quibus nepotem tuum mihi diligentissime commendabas. At sane dolui, quod tum præsertim Roma abessem cum illi apud SS. D. N. magno usui esse possem. Tamen faciendum putavi, ut ad Cardinalem Comensem amplissimum virum, ac mihi conjunctissimum statim scriberem, peteremque ab eo vehementer, ut sacerdotium, quod Martino Postello Canonico Leodiense mortuo vacarat, Leonardo Hartm. Nepoti tuo impetraret: noram enim illius viri erga me voluntatem, & in optimum quemque beneficum animum; deinde quanti vel te, vel probitatem tuam Summus Pont. faceret, habebam plane exploratum. Nec mihi dubium erat quin SS. Princeps nepoti tuo ipsum canonicatum deferret, si modo res fuisset integra. Sed alter, qui ex familia est Constantien. eum multo antea impetrarat, cui jam ipsius sacerdotii possessionem traditam esse existimo. Equidem tibi hoc confirmo SS. D. N. quamcunque illi occasionem dabis tui juvandi, ea usurum. Ego vero quidquid valeo, vel studio, vel gratia, id ad tuum commodum semper conferam. Vale.

Mediolani III. Non. Octobris MDLXV.

---

## XXXI.

*Archiepiscopo Bracharensi Primati.*

FUit si aliud quidquam Pontifici Max. summæ curæ, ut Tridentini decreta sapientissimorum virorum firmata consensu, suo judicio, & auctoritate corroborata ad commenem omnium fructum in Christianas gentes distribuerentur: quod eodem, cujus benignitate, hanc rationem, voluntatemque susceperat, auctore, & adjutore Deo, quotidie secundiores habuit eventus: Nam & probantur optimis, & servantur fere ab omnibus. Quos vero adhuc cupiditas, & liberior vivendi cupiditas ab hoc officio retardat, ii & monendi, & cohortandi quidem ad sanctum munus sunt, & si res postulat etiam compellendi. Et quoniam SS. D. N. nihil esse optabilius potest, quam ut Ecclesiæ ministri suas partes sancte, & diligenter tueantur, omnes ad suum studium, atque officium vel revocat, vel retrahit non tam severe, quam pie. Ego pro eo quanti causam publicam, & sacerdotii dignitatem semper feci, nullo hominum obsequio aut amore impedior, quo minus in Ecclesiæ gremio, idest in officio eos contineam, qui meæ fidei, potestatique crediti sunt. Tu vero tuas partes quam diligenter tueare, vel ex eo intelligo, quod subvereri visus es in tuis litteris, ne iis rogantibus SS. D. N. obsequatur, qui vel in suis Ecclesiis residere nolint, vel plures Ecclesias velint una administratione gubernare: sed tantum abest, ut de iis legibus, quas Sacrosancta Synodus Tridentina statuit, quidquam vel remittat, vel detrahat, eas ut etiam firmioribus præsidiis munierit. Quare hoc velim tibi persuadeas, nihil te summo Pontifici gratius facturum, quam si tuos omnes sacerdotes ad rectam religionis, & pietatis normam dirigas, & quos, aut improbitas, aut nequitia, a tuis monitis, præceptisque abduxerit, eos graviter, & severe coerceas. Vale.

Romæ IV. Nonas Decembris MDLXV.

XXXII.

## XXXII.

*Regi Lusitaniæ.*

MAgno ex mœrore, & luctu, quem Pontificis Max. avunculi mei mihi mors attulerat, tuis litteris sum recreatus, quæ cum essent humanissime, & gravissime scriptæ, summamque erga illum morum pietatem, & in me benevolentiam, & liberalitatem declararent, dupliciter ad consolandum valuerunt, quod pie, sane, & peramanter eum nobis ereptum doluisti, cui ego amoris & naturæ maximis, & sanctissimis vinculis eram conjunctissimus, & constantiam amicissimi in me animi, ut voluntatis demonstrasti, quo officio nil tali meo tempore mihi esse potuit, vel gratius, vel optatius. Itaque his litteris confirmatus meum casum feram moderatius, cum præsertim sanctiss. Avunculum meum virtutum suarum merito, ac divina in primis clementia ad immortalitatem, & beatissimam vitam translatum esse existimem, & ab excelso animo, ac regia, magnificaque natura tua, ea mihi deferantur, quæ non modo solatia ægritudinis, sed laudis etiam fructum impertiant. De novo Pontifice deligendo quod me monuisti, id mihi quam gratissimum accidit; vidi enim quam cogitationem, ac curam susciperes, quam plenam fidei, & pietatis, ac te idest Rege Maximo, ac sanctissimo vere dignam, cum de Universæ Ecclesiæ tranquillitate, & commodis laborares, Pontificemque fieri eum velles, quo rei Christianæ gubernacula tractante, summo catholicæ fidei otio, & dignitate frueremur. Quod consilium quia cum meo sensu mirifice congruebat, ita sum secutus, ut omnem meam operam, studium, officium ad Card. Alexandrinum contulerim, quem ad tantum imperium ac potestatem esse maxime idoneum sentiebam; nunc talem cum habeamus Pontificem, nec S. Apostolicæ fidei suum præsidium, nec nobis horum temporum SS. Moderator est defuturus. Qua de re tibi, quem publicæ utilitatis cupidissimum esse intelligo, etiam atque etiam gratulor. Ferdinandus Menesius Orator tuus humanitatem earum litterarum, quas ipsi ad me dederas, suo sermone egregie est subsecutus, nihilque prætermisit, in quo vel tuum studium erga me præseferre, vel suum officium mihi ipsi probare posset, quem ego propter excellentem bonitatem, prudentiam, modestiam gravitatem singulari quadam benevolentia sum complexus. Meus erga te animus idem est, qui semper fuit plenus eximiæ pietatis, & observantiæ; hoc enim a me postulat tua amplitudo, & fides mea, ut nemini vel in amore, vel in honore plus tribuam. Deus te tuis omnibus, & nobis, qui te maxime veneramur, & colimus salvum, & incolumem diu conservet.

Romæ V. Cal. Martii MDLXVI.

---

## XXXIII.

*Catherinæ Lusitaniæ Reginæ.*

QUanti semper feceris Pontificem maximum Avunculum meum antea plurimis tuis in eum officiis, & proxime his literis, quas ad me quam humanissime scripseras, facile declarasti; ex quibus perspexi quam moleste illius mortem tulisses, quamque acerbe & meo domestico luctu, & incommodo doleres, & optimo universæ Ecclesiæ Gubernatore ac Principe amisso, publicam Christianæ rei calamitatem deplorares. Mihi vero id magno solatio fuit, quod viderim te tantis ingenii & fortunæ bonis insignem, tanta præditam auctoritate & pietate, tantis virtutibus exornatam meo gravissimo casu commoveri, gratissimamque memoriam & pietatem ei vel mortuo præstare, cum quo me magna naturæ vis & sanguinis, sed majora amoris & voluntatis vincula conjunxerant. Quamobrem tuæ erga me humanitati, & in b. Avunculum meum benevolentiæ maximam habeo gratiam, atque hæc benignitatis significatio ita me obligavit, ut nihil sit vel in facultatibus, vel in fortunis meis, quod tibi non libentissime deferam. Quod de novo pontifice deligendo ad me scripsisti ita mihi curæ fuerat; quid autem præstiterim te malo ex Ferdinandi Menesii Oratoris Regii literis, quam ex meis cognoscere. Unum illud facere non possum quin tibi valde gratuler, quod Pontificem habeamus sapientissimum, & in Catholicæ fidei rem vigilantissimum. Deum omnibus precibus supplex oro, ut te salvam & incolumem nobis conservet diu.

Romæ V. Kal. Martii MDLXVI.

---

## XXXIV.

*Cardinali Infanti Lusitaniæ.*

CUM ex morte Pontificis maximi avunculi mei tanto essem dolore affectus quantum mihi vel mea erga illum summa pietas, vel illius in me paternus amor & voluntas afferre debuit; tamen nulla me acerbitas luctus a studio S. Sedis Apostolicæ potuit abducere, atque ad meum domesticum mœrorem duplex cura, & solicitudo accesserat, quod sentiebam multa mihi esse conjuncta cum reliquis Cardinalibus præstanda, & tamen in hac orbitate nostri Collegii quædam etiam proprie esse videbantur mei officii & muneris. Quoties enim mecum ipse cogitabam quam alieno Ecclesiæ tempore is e vita excessisset, qui admirabili consilio, vigilantia & virtute illius dignitatem, auctoritatemque servarat incolumem, & quæ in tanta conversione rerum vel ab hæreticis hominibus, vel a perpetuis hostibus Christiani nominis essent metuenda, si sancta hæc sedes suo moderatore, Principe diutius caruisset, vehementer commovebar animo nec majoris consilii, ac deliberationis quidquam esse arbitrabar, quam virum optimum ac sapientissimum in Pontificis demortui locum quamprimum reponi. Ubi vero in Conclave convenimus; ut more institutoque majorum novum Pontificem legeremus, ego quid potissimum in omnibus meis cogitationibus, curis, studiis, officiis, sermonibus spectarim, mihi quidem conscius sum; quid autem perfecerim non dubito quin & Tu, & cæteri omnes dijudicare facile possint. Nam cum in deligendo Pontifice præcipua quædam procuratio, & cautio a me adhibenda videretur, statui nihil plus valere apud me quam Religionis rationem, & fidem meam; neque enim ad ullum meum privatum commodum, aut cupiditatem, sed ad universæ Ecclesiæ utilitatem omnia mea officia & studia dirigebam. Et quia Cardinalis Alexandrini singularis pietas, integritas, solertia, sensusque omnes plenissimi sanctitatis mihi jampridem erant cogniti & probati, putavi ab eodem percommode & divinitus Christianam Rempublicam posse adjuvari si ad pontificatum esset evectus. Quare omnem meam mentem contuli ad eam curam, is ut Pontifex crearetur. Nec ita multo post universi nostri Ordinis incredibili consensu, & lætitia Pontifex Maximus est declaratus. Mihi autem ad levandum luctum major consolatio afferri nulla potuit, quam sanctissimo Avunculo meo eum successisse, qui in tuenda Religionis auctoritate similem sensum, eamdemque animi altitudinem, & constantiam esset habiturus, ut quæ in illo amissa non minus pie quam dolenter desideras in tuis literis, omnia in hoc uno Principe nobis restituta esse viderentur. Itaque hoc nomine tibi, & valde gratulor, quod sanctissimum, prudentissimum, & omni virtutum genere præstantissimum habe-

habemus Pontificem, qui etsi ita flagrat studio pietatis, ut nihil sanctius fieri possit, tamen auctoritate, & consiliis tuis interdum si non augeri, et certe excitari illius divina virtus poterit. Quæ ad me in meo gravissimo caso humanissime & prudentissime scripseras, ea mihi magnam levationem attulerunt; nam tuam & constantem erga me voluntatem adamavi, & Christianam sapientiam sum admiratus, quarum alteram me mea nimia ægritudine deterruit, altera etiam ad consolationem traduxit. Ego tibi officium & cultum, quem debeo, semper tribuam, in quo uberem amoris fructum, & judicii laudem me consecuturum certo scio. Interea Deum supplex oro, ut tibi perpetuam vitæ prosperitatem & incolumitatem largiatur.

Romæ die XXVI. Februarii. MDLXVI.

---

## XXXV.

*Cardinali Infanti Lusitaniæ.*

SUperioribus diebus Francisco Forerio Theologo in Lusitaniam revertenti literas ad Regem, & ad te dederam, ex quibus meum de illius virtute judicium cognosceretis: sed quoniam ex Antonio Pineo audivi, eum e latronibus in ipso itinere fuisse exceptum, rebusque omnibus indignissime expoliatum, casum optimi viri sene tuli, ut debui, graviter; nec prætermittendum putavi, quin in eamdem sententiam & ad Regem, & ad te iterum scriberem, cum præsertim non suspicarer nefarios homines, qui vitam vix reliquam fecerint, illi meas literas remisisse.

Reliqua vide in Ep. X. hujus libri.

Romæ V. kal. Martii MDLXVI.

---

## XXXVI.

*Regi Lusitaniæ.*

QUantum Francisci Forerii Theologi ingenio & virtuti faveam satis declaraveram in iis literis, quas ipsi ad te dederam perferendas. Verum quia casus ita tulit, ut in ipso itinere vir innocentissimus e latronibus male acceptus suis rebus omnibus expoliaretur, eique literæ interirent, non alienum esse duxi institutis meis de Forerio iterum ad te aliquid scribere.

Reliqua habentur in Ep. XI. hujus libri.

Romæ V. Kal. Martii MDLXVI.

---

## XXXVII.

*Archiepiscopo Cameracensi.*

PErillustris & Reverendiss. Domine nolo te veteri, ne, quæ es tua auctoritate & consilio in Monasterio S. Andreæ acta sunt, mihi vehementer grata acciderint, in quo nullum studium pietatis, nullum prudentissimi & fidelissimi hominis officium video esse prætermissum. Et quia tuæ in me benevolentiæ signa constare voluisti, istam propensionem animi ita sum complexus, ut, si usus venerit, ego in referenda gratia non minus diligens futurus sim, quam ipse fueris in promerendo. Eidem Monasterio ut vir optimus præficiatur, erit mihi sane curæ, quod sane expediam cum litteras ab Illustriss. Card. Granvellano hac de re accepero, quas propediem expectabam; sed tamen pro eo animi sensu, quem plenissimum humanitatis & officii tuis proximis literis mihi declarasti, facere non possum quin tibi maximas gratias agam. De me vero ita velim existimes quidquid vel opibus, vel studio, vel gratia possum, fore ut ad tuam amplitudinem id libenter conferam, tibique nihil esse tam paratum & expositum, quam voluntatem & operam meam. Deus salvum te nobis & incolumem conservet diu.

Mediolani die XXII. Maij MDLXVI.

---

## XXXVIII.

*Pio V. Pont. Max.*

SAnctiss. & Beatiss. Pater. Sanctitati Vestræ qui has literas reddidit Joannes Baptista Serenius civis Mediolanensis, eo consilio Romam missus est, ut Mirandulanam causam, quæ rursus in controversiam & disceptationem est vocata, omnino explicet. Quanquam autem multis de causis adducor ut his hominibus, quorum res, & negotium agitur, maximum præsidium esse existimem in S. V. sapientia, & gratia collocatum, tamen non putavi esse alienum a fide mea, summis precibus ab ea petere atque contendere, ut eisdem hominibus tantum curæ & benignitatis suæ impertiat, quantum hujus æquitas causæ & loci ratio & usus, qui omni egestati & inopiæ semper patuit, requirere videbitur, & Serenio, cujus diligentiæ & fidei ipsa causa commissa est, tantum officii tribuat, ut ipsa & volente, & jubente sua negotia omnia conficere, atque expedire quamprimum possit. Deus S. V. nobis, qui eam in primis veneramur & colimus, & universæ Ecclesiæ suæ, quæ in ipsius pietate, vigilantia, & virtute conquiescit, salvam, & incolumem diu conservet.

Mediolani die XV. Junii MDLXVI.

---

## XXXIX.

*Pio V. Pont. Max.*

QUÆ nuper a S. V. inita ratio est de Helvetiis Catholicis pueris in Seminario Italiæ ascribendis, ea cum reliquis ipsius gravissimis & sapientissimis consiliis consentit; est enim tota deliberatio plena pietatis, plena prudentiæ, cum eos, qui optimum in Religione sensum retinent, hoc liberalitatis, & officii genere prosequatur, & cæteris, qui a recta fide desciverunt, sanctissimæ doctrinæ exemplum proponat. Quo ex instituto fore confido ut ad S. V. laudis, & voluptatis fructus, qui ex recte factis percipi uberrimus solet, & ad ipsam Helvetiorum Catholicorum gentem maxima utilitas perveniat. Ego vero pro eo quanti S. V. faciam, nihil habere possum jucundius, quam mihi facultatem dari, in qua cum illius inserviam voluntati, etiam meæ erga ipsam pietatis & observantiæ aliqua significatio appareat. Itaque quos ejus nationis pueros Mediolanensi seminario attribuit, cum Mediolanum venerint, eos quamprimum recipiendos curabo, daboque operam ut in iis instituendis præcipua diligentia, morumque ac disciplinæ eximia quædam ratio adhibeatur. Deus S. V. perpetuam vitæ prosperitatem & incolumitatem largiatur.

Mediolani die V. Junii MDLXVI.

## X L.

*Archiepiscopo Cameracensi.*

PErillustris & Reverendiss. Domine. Dederam paucis ante diebus ad te litteras, quibus significabam mihi vehementer probari omnia, quæ in Monasterio S. Andreæ tuo consilio, & mandato gesta erant. Quem vero eidem monasterio præpositurus sim nondum habeo statutum; statuam porro cum Illustriss. D. Card. Granuella mihi ea scripserit, de quibus facturus erat me certiorem, sunt enim hujus deliberationis, & negotii. Nam cum cupiam religiosis istis hominibus virum præficere, qui non minus prudentia, fide, pietate, virtute, quam dignitate excellat, quia longe absum, nec eorum mores & sensus habeo exploratos, quibus hoc munus commodius deferri possit, idcirco aliorum utor consiliis, quibus nota hæc esse arbitror. Monachus, de quo nescire vis, is venit ad me, nec ita multus sermo inter nos, cum Abbatiam cupidius appetere mihi visus est, tunc cepi ex eo percunctari quæ Abbates cognita habere in primis debent; cumque ad singula vel tenuiter, vel non satis perite respondisset, ac minus instructus iis artibus & disciplinis videretur, quæ Abbatum sunt, hominem dimisi, neque dignum esse judicavi, qui religiosis hominibus præesset imperitus earum rerum, de quibus docere alios debuisset; postea ad me nunquam est reversus. Reliquum est, ut cum aliquid curæ & laboris pro ipsius monasterii rationibus mea causa susceperis, magnam tibi habeam gratiam, omniaque officia, quæ ab amicissimo homine atque eodem gratissimo expectari possunt, tibi a me sint paratissima. Deus te Ecclesiæ tuæ & nobis, a quibus & diligeris & observaris, salvum & incolumem conservet diu.

Mediolani die VI. Junii MDLXVI.

## X L I.

*Card. Crichio Episcopo Ambiensi.*

CUM ex familia tua juvenes duo, qui domi meæ subsederunt ægrotantes, nunc recuperata valetudine ad te reverterentur, faciendum putavi ut aliquid ad te literarum darem, cujus ego benevolentiam & amicitiam fideliter sancteque conservo, & quanquam antea vel propter splendorem & nobilitatem generis, ac vitæ integritatem, vel propter excellentem virtutum præstantiam & Collegii nostri conjunctionem te mirifice diligebam, tamen dici vix potest quantum ex hoc recenti nostro congressu, & paucorum dierum consuetudine meæ erga te benevolentiæ, & observantiæ additum sit; novi enim penitusque perspexi tuos sensus omnes plenissimos humanitatis, & veræ integræque pietatis, quo uno vinculo tibi sum incredibiliter astrictus. Quare velim existimes nihil esse vel in facultatibus, vel in fortunis meis, quin tibi futurum semper sit tam paratum & expositum quam mihi: in ipsos vero juvenes, qui ex tua sunt familia, quæ officia hospitalitatis & charitatis mei contulerint, quamque accurate & assidue eorum valetudini inservierint, malo te ex eorum sermone, quam ex meis literis intelligere. Vale.

Die XX. Junii MDLXVI.

## X L I I.

*Pio V. Pontif. Maxim.*

CUM literis Ill. Card. Alexandrini factus essem certior, Nicolaum Ormanetum, cujus ego opera in administratione universæ Ecclesiæ meæ eram usus, biennium a S. V. Romam vocari, ad eum statim nuntium misi, eumque ad hanc profectionem sum cohortatus; aberat enim Mediolano iter tridui in Ecclesiæ suæ sedibus; & quamvis qua modestia est, non tam meum consilium sequi, quam suum pudorem indicare videretur, quod qua ipse in re S. V. operam & officium suum probare posset, negaret se satis dispicere, tamen ei auctor fui ut tum S. V. imperio, & voluntati se totum accommodaret, tum nullam moram interponeret, quin se in viam daret hoc tempore, & Romam, idest ad S. V. pedes quamprimum accederet. In quo id me præcipue consolatur, quod video ad S. V. ex optimi viri industria non mediocrem usum, vicissimque ad eum ex judicio & amplitudine maximi & SS. Principis uberem laudem posse pervenire. Totius Ecclesiæ meæ qui sit status, is ad S. V. deferet, eidemque etiam pro ipsius Ecclesiæ rationibus quoties opus fuerit meo nomine supplicabit. Deus S. V. nobis, qui eam maxime veneramur, & universæ Ecclesiæ suæ, quæ in ejus pietate, & prudentia acquiescit, salvam, & incolumem conservet.

Mediolani die XXVI. Junii MDLXVI.

## X L I I I.

*Serenissi. D. Carolo Austriæ Archiduci.*

SErenisś. Domine superioribus mensibus cum de morte Hieronymi Frangipanis Canonici Aquilejensis Ecclesiæ factus essem certior, petii a Pontifice Maximo avunculo meo, ut Bartholomæo comiti Portiliarum eum canonicatum conferret, qui mihi propter suam probitatem ac vitæ modestiam, sanctissimarumque disciplinarum studia, in quibus magnos habebat progressus, eo dignissimus videbatur. Quoniam vero mense Januario Frangipanis decesserat, proptereaque illius Canonicatus collatio propria erat Pontificis, factum est ut ejus sanctitas juvenem nobilem & præditum optimis artibus eo canonicatu cohonestaret, quin illum & Sereniss. Archiduci Ferdinando suis literis commendavit, quo facilius in possessionem sui Canonicatus mitteretur; nec ita multo post literis Card. Delphini, quo tum Sanctiss. D. N. apud Cæsaream Majestatem Nuntio utebatur, factus sum certior perbenigne ac liberaliter Sereniss. Cels. V. fratrem possessionem Canonicatus Comiti esse pollicitum. Verum a Comite alia inita ratio est: nam cum videret Hieronymi mortem suis non modo luctum sed etiam rei familiaris magnum incommodum attulisse, factutum se non minus pie quam amice existimavit si Fulvio Hieronymi fratri optimæ spei adolescenti canonicatum resignaret. Quamobrem antequam Bullas a Sede Apostolica haberet eumdem Canonicatum illi cessit; quo consilio & pietate puto Celsit. V. jam perspicere. Sed dum hujus cessionis ratio Romæ explicatur & Bullæ impetrantur, repente exortus est quidam, qui Comitis beneficentiam & liberalitatem impediret, vel certe retardaret. Qua difficultate Fulvius affectus nondum Canonicatus sui possessionem



potuit

potuit adipiſci. Nunc vero, quia mihi renunciatum eſt Celſitud. V. auctoritate hanc totam controverſiam tolli poſſe, vel ut Comiti fidem meam, vel ut Fulvio benevolentiam præſtem, faciendum putavi, ut Fulvii rationes ipſi diligenter commendarem, eamque rogarem vehementer ne pateretur hujus liberalitatis gratiam, & fructum ab alio intercipi; cum præſertim beneficium ſit ejuſmodi, ut jure optimo datum a SS. Avunculo meo, a me impetratum, ab ipſo Comite ad amiciſſimum adoleſcentem, eumdemque modeſtiſſimum translatum eſſe videatur. Quare ſi hoc conſequar, ut Celſitud. V. fautrice, atque adjutrice, Fulvius ſui poſſeſſionem Canonicatus jam tandem capiat, id mihi erit quam gratiſſimum, ac ſi mihi aliquando facultas dabitur, ut ejus familiaribus aliqua in re uſui eſſe poſſim, efficiam profecto ut Celſitud. V. me illius officii memorem, & gratum fuiſſe intelligat. Deus Celſitud. V. ſuis omnibus, nobiſque, qui eam præcipue obſervamus & colimus, florentem & incolumen diu conſervet.

Mediolani die V. Junii MDLXVI.

### XLIV.

*Hieronymo Vidæ Ep. Albenſi.*

REverendiſſime Domine. Quod amplitudo tua petit, ut duos treſve ad ſummum proximos menſes abeſſe a ſua Eccleſia ſibi per me liceat, video quam habeat rationem valetudinis ſuæ cum velit hos omnes dies Cremonæ commorari, iiſque uti Medicis, quibus ſui corporis habitum & naturam jamdio cognitam eſſe ſcribit. Itaque hoc tempus traducere in patria ex decreto Tridentini Concilii poterit, qua enim eſt pietate fore confido, ut duntaxat eatenus abeſſe cogitet a ſuo grege, quoad valetudini ſuæ conſulat, atque eorum ſaluti, quos Deus ipſi tanquam parenti & paſtori commendavit, magis inſerviat, quam ſuis commodis. Quam vero ſalutaris & neceſſaria Civitatibus ſit Epiſcoporum præſentia & cuſtodia, nobis ipſa Tridentina Synodus præclare oſtendit, ad cujus præſcriptum & formulam non dubito quin amplitudo tua conſilia & officia ſemper dirigat, quam ſalvam & incolumen Deus nobis conſervet.

Mediolani die 24. Julii 1566.

# LIBER QUINTUS.

### XLV.

*Carolo Grimaldo Epiſcopo Vintimilienſi.*

REverendiſſime Domine. Gratiſſima mihi fuit amplitudinis tuæ voluntas plena officii & pietatis, quod diligenter curaverit ut S. D. N. diplomata, quæ ad eam miſeram, in ſua cathedrali Eccleſia divulgarentur, quæque in iis ſunt omnia integre & incorrupte ſervarentur, & operam ſe daturam ſpondeat, ut in reliquis partibus Vintimilienſis diœceſis idem præſtetur, in quo agnoſco ſanctiſſimum ejus conſilium, & ad benemerendum de catholica fide ſummam alacritatem. Quamvis autem hæc propria noſtri ſint muneris, quorum diligentiæ & fidei ſalus animarum concredita eſt, tamen ut quiſque ad hujuſmodi officia eſt promptiſſimus, ita mihi probari maxime ſolet. Quare nihil unquam prætermiſſurus ſum, in quo amplitudini tuæ vel adjutor, vel ſocius eſſe poſſim ad religionis exiſtimationem & dignitatem tuendam, ut ea amantiorem & fideliorem habitura ſit neminem. Siquid vero, ad ipſius privatam auctoritatem pertinere ſentiam, efficiam profecto ut pro mea in eam benevolentia, id & mihi ſummæ curæ eſſe intelligat. Deus amplitudinem tuam ſalvam & incolumen nobis diu conſervet.

Mediolani die 7. Auguſti 1566.

### XLVI.

*Pio V. Pontifici Maximo.*

SAnctiſs. & Beatiſs. Pater. Mediolanenſis Synodi conſtitutiones & Decreta Romæ cum eſſem S. V. ſummatim expoſui, ſed quia erant apud me conſcripta uberius, & diſtinctius, ea nunc primum edita ad S. V. miſi, ex quibus quidquid mihi cum Epiſcopis provinciæ meæ convenerit, ut prolapſam morum diſciplinam, quantum in nobis eſt, reſtitueremus, perſpicere facilius poterit, ſimulque expreſſam in his imaginem cogitationum, & conſiliorum noſtrorum recognoſcere, & quamvis ſperemus fore ut S. V. intelligat ad cultum Chriſtianæ pietatis in noſtra provincia retinendum & augendum omnia a nobis quæſita, excogitata, & decreta quæ cum ſua ſanctiſſima voluntate conſentiant, hæc tamen graviſſimo ipſius judicio & S. Sedis Apoſtolicæ, quæ hujus Eccleſiæ, & cæterarum omnium communis eſt parens & magiſtra, auctoritati poteſtatique in perpetuum ſubiicimus. Nunc S. V. vehementer oramus atque obſecramus ut conſtitutiones noſtras, quas ſuo conceſſu & munere cepit ornare, ſua auctoritate & gratia tueatur, & augeat, cum præſertim quid benignitatis & ſtudii in hanc provinciam contulerit, id etiam ad utilitatem finitimarum gentium permanare poſſe videatur. Deus S. V. nobis, qui eam in primis veneramur & colimus, & univerſæ Eccleſiæ ſuæ, quæ ipſius prudentia & virtute acquieſcit, ſalvam & incolumen diu conſervet.

Mediolani die xj. Septembris 1566.

### XLVII.

*Card. Chrichio Ep. Ambienſi.*

ILluſtriſs. & Reverendiſs. Domine. Adductus ſum ratione officii mei, ut conſtitutiones & decreta noſtræ provincialis Synodi, quæ nunc primum edita ſunt, ad Ill. amplitudinem tuam mitterem, quæ mihi propter bonitatem naturæ præcipuo in amore, propter eximias virtutes ingenii & doctrinæ ſummo etiam in honore eſt. Me quidem in hac tractatione graviſſimarum rerum & ſalutarium, cæteroſque Epiſcopos provinciæ meæ, quibus ſociis & adiutoribus uſus ſum, magna ſpes tenuit ſi certas quaſi leges pie & ſancte vivendi noſtris hominibus daremus, prope deſloreſcentem religionis cultum ad ſuam priſtinam

ſtinam dignitatem apud nos poſſe reſtitui, ſimulque eos, quorum ſalus nobis tanquam paſtoribus animarum concredita eſt, ad rerum divinarum ſtudia facilius perduci, quo nihil accidere nobis poteſt optatius præſertim his moribus atque temporibus. Sed quid in hoc toto genere perfecerimus, ipſe noſtrarum conſtitutionum liber Illuſtriſs. Amplitudini tuæ omnino, aut magna ex parte indicabit, ſi modo dignum putarit qui ſit legendus, ſuoque judicio expendendus. Illud vero nobis videmur eſſe dicturi, nos in hac provinciali Synodo noſtras cogitationes & conſilia omnia primum ad Deum, qui bonorum omnium fons eſt & caput, deinde ad noſtrorum civium fructum & utilitatem retuliſſe. Quare Illuſtriſs. Amplitudo tua habitura eſt ipſum librum quaſi obſidem noſtræ in hos populos voluntatis & caritatis, meæque erga ſe benevolentiæ & pietatis, cui Deus omnem vitæ proſperitatem & incolumitatem largiatur.

Mediolani die XI. Septembris MDLXVI.

## XLVIII.

### *Cardinali Lotharingiæ.*

ILluſtriſs. & Reverendiſs. Domine. Ex quo tempore acta Amplitudinis tuæ legi quæ in concilio Epiſcoporum provinciæ ſuæ pie excogitata, & ornate ac prudenter deſcripta ad me miſit, equidem cognovi quam præclaras cogitationes ſuſcepiſſet catholicæ veritatis apud ſuos retinendæ, habuique in conſpectu animi exemplum graviſſimæ & ſanctiſſimæ diſciplinæ, ſiquando mihi idem faciendum eſſet in mea provincia, quod ipſa effeceral in ſua. Poſtea vero cum Synodum provincialem coegiſſem, id ſpectavi maxime ut in hac exercitatione virtutis & pietatis, in qua Illuſtriſs. Amplitudo V. excelluit, quamvis diſpari cum laude, tamen pari cum fructu verſarer. Nunc hujuſmodi Synodi conſtitutiones & decreta ad eam miſi, cujus auctoritatem, judicium, & in omni ingenii ac naturæ laude præſtantiam facio unus omnium plurimi. Quid a me & ab Epiſcopis provinciæ meæ, quos meorum laborum habui ſocios in hac tractatione optimarum rerum ſit effectum ex ipſo facile libro judicabit. Illud non vereor quin plane intelligat ſi minus aliorum, qui in hoc genere elaborarunt, prudentiam erimus aſſequuti, facultatem quidem nobis defuiſſe, non voluntatem. Deus Illuſtriſs. Amplitudinem tuam florentem & incolumen nobis conſervet diu.

Mediolani die XI. Septembris MDLXVI.

## XLIX.

### *Cardinali Madruccio.*

ILluſtriſs. & Reverendiſs. Domine. Putavi ad meum fructum ſpectare ut conſtitutiones & decreta meæ provincialis Synodi in manus Illuſtriſs. Amplitudinis tuæ pervenirent, cujus poſſum & doctrinæ, & benevolentiæ erga me confidere ut in his legendis voluntatem adhibeat & judicium, quæ nunc primum edita ad eam mitto, atque illud fateor, nihil maluiſſe me & cæteros Coepiſcopos provinciæ meæ, quos habui ſocios & participes conſiliorum & laborum meorum, quam in hoc præſertim genere ſequi ſanctiſſima Tridentini Concilii inſtituta, ad eaque dirigere curſum induſtriæ meæ, ut depravatam morum conſuetudinem, quantum in nobis eſt, corrigeremus, & noſtros homines ad honeſtatem, ad pietatem, & ad ſpem beatiſſimæ immortalitatis perduceremus. Nihil enim officio noſtro magis conſentaneum eſſe duximus; quam eis, quorum ſalus noſtræ fidei cuſtodiæque a Deo commiſſa eſt, certam animarum medicinam adhibere, quæ maxime levare eas curas poſſit, quibus a ſtudio recte agendi avocantur. Quod utrum nobis e ſententia proceſſerit, ex ipſo noſtrarum conſtitutionum libro Illuſtriſs. Amplitudo tua facilius perſpiciet quam nos, nam & prudenter judicabit, & nullam afferet cupiditatem ad judicandum. Nos tamen quidquid ex noſtra diſciplina fluxit ad mores noſtrorum hominum corrigendos & confirmandos, ut ſe nunc res habet, non mediocres utilitates afferre poſſe confidimus. Deus Ill. Amplitudinem tuam florentem & incolumen nobis conſervet diu.

Mediolani die XI. Septembris. MDLXVI.

## L.

### *Cardinali Varmienſi.*

ILluſtriſs. & Reverendiſs. Domine. Quæ a me ſint & ab Epiſcopis provinciæ meæ ſuſcepta conſilia ut Religionis cultus caſte incorrupteque apud nos retineretur, non vereor quin Illuſtriſs. Amplitudo tua perſpectura ſit ex conſtitutionibus noſtræ provincialis Synodi, quas nunc primum editas ad eam mitto. Illud vero poſſum profiteri, nihil nos maluiſſe, quam cogitationes noſtras primum ad Dei gloriam, cui noſtra omnis inſervit induſtria, deinde ad certas leges & rationes benevivendi dirigere, reſque maxime ſalutares inducere in mores noſtrorum hominum, pietatem, juſtitiam, pudorem, innocentiam. Quod ſi nobis ex ſententia ſucceſſerit, id eſt ſi Ill. Amplitudini tuæ, & ſanctiſſimis & prudentiſſimis viris ejus ſimilibus noſtra conſilia probabuntur, multique, nobis auctoribus, ad ſtudium charitatis exarſerint, gratias agam Deo maximas, quod nos in ſua cauſa juverit, & gubernarit, lætaborque incredibiliter, diligentiæ, & officii noſtri fructus profuiſſe quampluribus. Cur vero conſtitutiones noſtras ad Illuſtriſs. Amplitudinem tuam ex loco tam longinquo miſerim, cauſas quidem habui & juſtas & multas, ſed illas præcipue, quod in omni virtute ingenii, morum, doctrinæ, judicii plurimum ei tribuam, in eaque obſervanda & amanda non ſolum amicitiæ fructum, ſed & officii laudem mihi conſtituam. Deus Ill. Amplitudinem tuam ſalvam & incolumen conſervet diu.

Mediolani die XI. Septembris MDLXVI.

## LI.

### *Mediolanenſis provinciæ ſingulis Suffraganeis.*

REverendiſſime Domine. Mihi erat in animo conſtitutiones & decreta noſtræ provincialis Synodi ad amplitudinem tuam antea mittere, ut eas ſuis hominibus quamprimum ederet, & ad Eccleſiæ ſuæ rationes accommodaret. Sed multa me ab hoc officio prohibuerunt. Primum enim adhibenda cura & diligentia fuit ut in iis alia dilucidiorem ordinem, alia etiam faciliorem explicationem haberent. Deinde jamdiu expectabam Pontificias literas, quas cum Romæ eſſem iccirco impetravi, ut ad ea, quæ a nobis definita & decreta ſunt major auctoritas accederet. Poſtremo ad cæteras difficultates hoc quoque adjungebatur incommodum, quod ii, a quibus impreſſus eſt liber, minus erant inſtructi rebus omnibus. Ergo cauſas habui & juſtas & multas cur meum conſilium differrem in hoc tempus. Illud præterea mihi erat propoſitum ut ad Amplitudinem tuam, itemque ad reliquos meæ provinciæ Epiſco-

pos ipsarum constitutionum librum mitterem, ac certum diem præfinirem, quo uno die a singulis nobis Ecclesiæ nostrarum valvis affigeretur. Tamen cum hujusmodi observatio minus esset necessaria, mihi autem necesse esset diœcesim obire atque invisere, & instaret tempus profectionis meæ, peropportune ac pene divinitus accidit ut ad primas Vesperas Nativitatis Mariæ Virginis, cujus nomine Metropolitana hæc Ecclesia est nuncupata, constitutiones & decreta nostræ provincialis Synodi possem pervulgare, quam occasionem nolui dimittere. VII. igitur die Septembris librum ipsum ad Valvas Metropolitanæ Ecclesiæ affigi jussimus, ut quemadmodum est in extrema parte constitutionum nostrarum, post XL. dies ipsos a nostræ editionis die liceret nemini, quæ in nostra provinciali Synodo sancita sunt, eorum ignorantiam excusare, quominus si contrafecerit eis pœnis teneretur, quæ in ipsis passim decretis descriptæ sunt; propterea que hujus editionis testificationem a nostro publico Notario descriptam atque obsignatam cum his literis conjunximus. Porro ad Amplitudinem tuam constitutiones & decreta nostra mittimus, expedireque arbitramur ut etiam valvis cathedralis Ecclesiæ suæ ea jubeat affigi ut proposita in publico notiora sint omnibus. Reliquum est ut Amplitudinem tuam horter ut quoniam ex Concilii Tridentini præscripto leges Christianæ Religionis consentaneas nostris hominibus damus, eas inviolate atque integre servandas curet. Etenim nos decet, quibus Dei grex est commissus, quique pastores & parietes sumus animarum, in hanc cogitationem & curam constantissime incumbere, & quantum corrupta morum disciplina Ecclesiasticæ dignitati detraxit, tantumdem nostra diligentia & industria restituat, quod de Amplitudine tua non modo sperare, sed cæteris etiam affirmare consuevi, quam salvam & incolumen Deus nobis conservet diu.

Mediolani XIII. Septembris MDLXVI.

---

LII.

*Cardinali Infanti Lusitaniæ.*

SErenissime & Reverendissime Domine. Jamdiu est cum pensiones meæ ab Illustriss. D. Antonio nullæ exiguntur, quod illud initio spectabatur ut quidquid mihi deberet hoc nomine suo commodo persolveret, putabamque istam exactionem eo minus difficultatis habituram, quo magis eidem me in hoc genere officii commodarem. Verum postquam ab eo petii per literas, ut pecunias multo antea debitas mihi curaret, equidem sum miratus, illum suo tempore non dependisse, tamen instare atque urgere illum nolui, ne vel ipsius fidei, vel Celsitudinis vestræ auctoritati viderer diffidere. Nunc quia istarum pensionum solutio rebus meis magnum adjumentum allatura est si quamprimum fiat, non alienum esse duxi ad Celsitudinem V. scribere, eam etiam atque etiam rogans ut Illustriss. D. Antonium de meis rationibus diligenter admoneat, quo facilius summam compleat promissi ac muneris sui; nec enim dubito quin, quod commoditati ipsius dederam ne pensiones statim exigerentur, mihi ad hoc impetrandum maxime valeat: cum præsertim quod ex literis Oratoris Regii Celsitud. V. cognovisse arbitror non exiguam partem de his fructibus eo consilio remiserim, ut quantum detrahi de meis commodis tantundem meæ erga eum benevolentiæ accedere videretur. Quam rem si Celsitudo V. sua humanitate & gratia adjuverit, operam & studium suum apud hominem memorem & gratum suique in primis peramantem posuisse intelliget. Deus Celsitud. V. florentem & incolumen nobis conservet diu.

Mediolani die XII. Martii MDLXVII.

LIII.

*Dominis Vranienſibus.*

ILlustres Domini. Ex literis DD. VV., quas die 12. Junii datas hodie accepi, facile perspexi quantæ ipsis curæ sit, ut sacerdotium, quod Ambrosius Marchellus in Ecclesia S. Antonii obtinet hoc tempore ad Jonam ejus filium transferatur. Sed cum sacri Concilii Tridentini decreta id plane vetent, quæ non modo istiusmodi beneficiis, verum etiam pensionibus ex annuis beneficiorum fructibus filiis non ex legitimo matrimonio natis interdicunt, nihilque tam optatum aut fixum S. D. N esse videam, quam ut ejusdem Concilii constitutiones & decreta inviolate atque integre serventur, auctoritatem aut studium meum in hanc rem interponere non potui. Quod mihi sane molestum accidit præsertim cum omnia summi amoris officia ex me DD. VV. prompta ac parata semper esse velim. Quamobrem puto aliud eis consilium ineundum, ut ipsi Ecclesiæ ex præscripto Tridentini Concilii prospiciatur. Ad reliqua vero, quæ cum omnibus ornamentis & commodis DD. VV. conjuncta esse sentiam, ita præsto ero, ut omnino intelligant, amiciorem, suæque dignitatis studiosiorem se habere neminem. Interim Deum precor, & quæso, ut DD. VV. florentes & incolumes conservet diu.

Mediolani Die XXII. Junii MDLXVII.

---

LIV.

*Card. Infanti Lusitaniæ.*

QUod Celsitud. V. meminisse arbitror jampridem a Rege impetraveram ut Ferdinando Vistarino itemque alteri, quemcunque ego ex meis familiaribus proponerem, insignia militiæ suæ deferret. Postea vero quam Vistarinus, qui ejusdem militiæ esse appetentior videbatur, commutata sententia ac voluntate, aliam vitæ ingressus est viam, diploma, quo in ipsa militia erat adscriptus, ut primum accepissem, ad Regem remisi, quo facilius cognosceret, Vistarinum eodem honore ac munere non esse usum. Tulit præterea casus ut alterum militiæ insigne, quod familiari meo reservabam SS. Avunculi mei hortatu & Laurentii Piretii Oratoris Regii rogatu Georgio Cesarino Juliani filio adolescenti inter cives Romanos primario concederem. Quod ut æquiore animo facerem adductus sum Piretii oratione, qui id Regi gratum fore affirmabat, eumque propterea alterum ex meis familiaribus in suam militiam adscripturum. Nunc quia ex his duos præcipue cupio hujus generis insignibus cohonestari, quorum nobilitas & virtus mihi spectata est & probata, Celsitud. V. vehementer rogo ut id mihi, vel meis potius a Regis benignitate quamprimum impetret; neque enim novæ gratiæ fructum peto, sed quod Vestarino datum non est, quodque a me Piretius sumpsit ut Cesarinum ornaret, id certo quodam consilio repeto, ne Regis liberalitatem, vel meorum familiarium ornamenta neglexisse videar. Deus Celsitud. V. florentem & incolumen diu conservet.

Mediolani. Die XI. Julii MDLXVII.

LV.

## LV.

*Card. Infanti Portugalliæ.*

SErenifs. ac Reverendifs. Domine. Cum hæc iter facerer D. Alvarus Castrius Romam proficiscens, magnam ex illius congressu cepi lætitiam, cujus ingenium, integritatem, singularemque erga Regem & Celsitud. V. fidem & observantiam feci semper plurimi. Is cum multa mecum egisset, illud etiam mihi injecit in sermone, constitutiones & decreta nostræ provincialis Synodi, quæ superioribus mensibus pervulgaram, ad Celsitud. V. nondum pervenisse. Quod cum præter opinionem meam accidisset, faciendum putavi, ut earum constitutionum librum ad Celsitud. V. nunc iterum mitterem, cui pro mea in eam eximia benevolentia & pietate hujusmodi consiliorum & actionum omnes rationes deberi a me existimo. Quæ autem hujus generis habet instituta in sua provinciali Synodo, si ad me perferri jusserit, fore confido, ut effigiem Christianæ vitæ & sanctitatis in iis intueri, & ad meam Ecclesiam accommodare facile possim: Quod mihi omnium rerum erit gratissimum, idque ut faciat ab ea etiam atque etiam peto & quæso. Deus Celsitud. V. florentem & incolumen nobis conservet.

Mediolani die XXVII. Augusti. MDLXVII.

## LVI.

*Regi Lusitaniæ.*

SErenifs. Rex. Ex sermone D. Alvari Castrii, qui Romam proficiscens mei conveniendi causa Mediolanum divertit ea plane cognovi, quorum significationem Majestas V. dederat in suis literis, quæ cum Majestati V. magnæ curæ esse sentiam quantum consilio, industria, auctoritate efficere potero daturus operam sum, ut meam erga se observantiam & fidem nunquam defuisse intelligat. Sed quoniam multas habeo causas easque necessarias in Ecclesia mea commorandi, nec mihi potestas datur hoc tempore cum SS. D. N. colloquendi, nolui prætermittere quin ad ejus S. scriberem, eamque orarem, atque obsecrarem vehementer, ut M. V. rationibus & commodis, atque istorum regnorum tranquillitati & amplitudini consultum vellet. Qua de re ad Cardd. mihi carissimos & conjunctissimos, qui Romæ sunt, etiam literas dedi, ut meo nomine agerent cum Pontifice. Quidquid autem officii vel meis studiis, vel amplissimis viris adjutoribus in M. V. conferam, eam malo ex ipsius Castrii oratoris sui literis, quo cum mea consilia omnia communicavi, quam ea meis intelligere. Interim Deum precor & quæso ut M. V. perpetuam vitæ prosperitatem & incolumitatem tribuat.

Mediolani die XXVII. Augusti MDLXVII.

## LVII.

*Archiep. Bracarensi Primati.*

ILlustrifs. & Reverendifs. Domine. D. Alvarus Castrius a Rege Lusitaniæ ad SS. D. N. Orator missus cum ad me divertisset, multaque inter nos essemus collocuti, casu accidit ut diceret, Constitutiones & decreta nostræ provincialis Synodi, quas superiori anno edideram nondum in Lusitaniam pervenisse. Quod equidem graviter tuli, suspicatusque sum, earum constitutionum librum R. Amplitud. V. non esse redditum. Quare statui alterum exemplum ad ipsam mittere, ut quæ a nobis excogitata & ad deflorescentem Religionis cultum in nostra provincia restituendum decreta sint, plane perspiceret, ac sique minus commode conscripta esse viderit, nos de iis libere admoneat. Nec tamen vereor quin R. Amplitudo V. cum intelligat, hanc provincialium Conciliorum consuetudinem a nostris hominibus jampridem intermissam, nunc a me revocatam, videatque me hunc locum multis difficultatibus circumseptum cæteris voluisse expedire, se nobis æquissimam præbeat, siquid fortasse in his constitutionibus non ita accurate conscriptum animadverterit. Illud ab ea in primis peto, ut suæ provincialis Synodi decreta ad me quamprimum mittat, ut præclarum exemplum habeam Ecclesiæ pie sapienterque gubernandæ. Deus R. Amplitud. V. salvam & incolumen nobis conservet.

Mediolani die XXVII. Augusti MDLXVII.

## LVIII.

*Archiepiscopo Bracharensi Primati.*

ILlustrifs. & Reverendifs. Domine. Proxime accepi litteras R. amplitudinis V. trigesima die Julii datas, in quibus animi sui sensum & pietatem mihi quidem multis argumentis jampridem exploratam & perspectam apertissime demonstravit; nam cum in Synodo provinciali sua id potissimum spectavit ut prolapsam morum disciplinam restitueret, quantæ illi curæ sit Ecclesiæ dignitas & religio plane cognovi; & quamquam multa sunt, quæ R. Amplitudinis V. constitutionibus ac decretis aliquam difficultatem afferre videantur, tamen nihil est cur hominum controversias aut injurias pertimescat, cum omnipotentis Dei causam agat, & tueatur. Ego vero priusquam ipsius litteras acciperem ad Illustrifs. D. Card. Alciatum scripseram in eam sententiam, quam R. Amplitud. V. maxime placere existimabam, & postea scripsi etiam diligenter ut non dubitem quin ei omnia perinde succedant ut volt. Quod siquid præterea in hac causa me præstare posse intelligam, efficiam profecto ut neque observantiam erga se meam, neque diligentiam & officium in rebus suis a me defuisse R. Amplitudo V. sentiat, quam salvam & incolumen Deus nobis conservet.

Mediolani die ultimo Septembris 1567.

## LIX

*Regi Lusitaniæ.*

SErenifs. Rex. Gratissimum mihi accidit ut D. Ferdinandum Menesium, qui legatione sua honestissime functus, nunc se ad majestatem V. recipit, antequam ex Italia discederet, haberem apud me aliquot dies, cujus ex congressu & sermone tantum cepi fructum, quantum amicissimi hominis benevolentia, & gratia mihi debuit afferre. Quanquam vero fore existimo ut mea erga majestatem V. observantia & pietas nullius testimonio indigeat, cum cognita fere sit omnibus, & ratione officiorum meorum semper eluxerit, tamen gaudeo, facultatem esse oblatam optimi atque ornatissimi viri, qui testatum relinquere apud eam poterit quam eximie majestatem V. observem & colam, quantique faciam ipsius dignitatem, & amplitudinem, quam rerum omnium semper habui carissimam. Quod omnibus meis officiis maxime ostendi, & cum usus venerit ita declarabo, ut nihil mihi esse antiquius non solum majestas V., sed & cæteri intelligant. Deus majestatem V. florentem & incolumen diu conservet.

Mediolani die viij. Novembris 1567.

### L X.

*Card. Infanti Portugalliæ.*

SErenifs. & Reverendifs. Domine. Ferdinandum Menefium legationis fuæ munere prudenter egregieque perfunctum eum ad Celtit. V. reverteus hac iter faceret, & apud me fuiffet aliquot dies, nolui prætermittere quin his literis profequerer tanquam teftibus meæ erga illum benevolentiæ & voluntatis. Nam & Romæ cum SS. Avunculus meus magna ex parte me publicis rebus & negociis præfeciffet, mihique occafio & facultas effet eum eo perfæpe agendi, fumma viri probitas, & prudentia, fingularifque vel in fuum Regem fides, amor, & pietas, vel in Celfitud. V. obfervantia & cultus me ad eum mirifice diligendum convertit, & hoc tempore cum amice & familiariter multa mecum effet colloquutus, totinfque legationis fuæ quafi curfum mihi ante oculos pofuiffet, equidem vidi nihil eum maluiffe quam Regi & Celfitudini V. ftudium, integritatem, & conftantiam probari. Itaque ex hoc recente congreffu, & fermone noftro meus in illum amor factus eft ardentior. Quamobrem facere non potui, quin ejus virtuti ac meritis hoc teftimonium darem. Qua vero obfervantia & amore Celfitud. V. complectar cum ex ipfius Menefii oratione, tum ex meis maxime actionibus atque officiis ei femper conftare cupio, quam Deus incolumem & felicem nobis diu confervet.

Mediolani die 8. Novembris 1567.

### L X I.

*Archiep. Salisburgenfi.*

PErilluftris & Reverendifs. Domine. Cum multa de Reverendifs. Amplitud. V. pietate & virtute, meaque erga eam obfervantia & benevolentia effem locutus cum R. Feliciano ipfius Theologo, peropportune accidiffe vifum eft ut eum revertentem illuc profequerer meis literis. Nam cum nihil audiam libentius, quam Dei Ecclefias ab iis regi & adminiftrari, qui in Religione optimum fenfum habeant & voluntatem, cæterifque exemplo fint ad fanctifs. vitæ, & morum difciplinam, mihi, reverendiffimæque Amplitud. V. gratulor hoc officium præfertim in tanta rerum ac temporum perturbatione ab ea magna cum laude præftari. Quare pro certo habeat velim, fe a me mirifice diligi, & obfervari, & quidquid facultate, ftudio, & gratia poffum, id fibi in omnibus rebus fore paratiffimum. Quamquam vero conftitutiones noftræ provincialis Synodi, quas fuperiore anno edideram mihi videor ad Revend. Amplitud. V. antea miffiffe, tamen facere non potui quin eafdem conftitutiones Feliciano darem, ut R. Amplit. V. ipfe redderet, ex quibus intelligere facile poterit quanta a me, itemque a reliquis hujus provinciæ Epifcopis adhibita diligentia fit, ut apud nos tum Ecclefiæ cultus & dignitas, tum pie fancteque vivendi confuetudo maxime vigeat. Deus Reverendifs. Amplit. V. felicem & incolumem confervet diu.

Mediolani die 13. Decembris 1567.

### LXII.

*Epifcopo Leodienfi.*

PErill. & Reverendifs. Domine. Quo animo in Dominicum Lampfonium femper fuerim ipfe optimus eft teftis, qui ob modeftiam & probitatem, & ingenii fui laudes jamdiu mihi eft cariffimus; tamen ad meam erga eum voluntatem tanta facta eft acceffio ex literis & commendatione Ill. Amplit. tuæ, ut ipfius teftimonio & judicio non minus quam fua virtute dignus mihi fit vifus, in quem amiciffimi, & diligentiffimi hominis officia conferrem. Itaque Lampfonii negocium & amanter fufcepi, & curavi diligenter, quodque maxime optabat a S. D. N. impetravi, cui & valde gratulor quod Reverendiffimæ Amplit. tuæ operam dat egregiam. Cum enim fuum ftudium, laborem, induftriam, fidem, cogitationes denique omnes ad ampliffimi viri arbitrium, voluntatemque contulerit, multis ornamentis videtur auxiffe virtutes fuas, & quafi in bono lumine collocaffe. Sed de Lampfonio hæc fatis.

Me vero Reverendiffimæ Amplit. tuæ magnis obfervantiæ, & amoris vinculis jam adftrictum fentio, cujus nomini & dignitati etfi eram antea præcipue deditus, tamen fumma ejufdem humanitas, & benevolentia erga me non obfcura fignificatio proxime effecit ut nihil pene cupiam ardentius, quam occafionem dari mihi, in qua me fui amantiffimum & obfervantiffimum effe intelligat. Quam Deus florentem & incolumem diu confervet.

Romæ die V. Martii MDLXIX.

# VENERABILIBUS FRATRIBUS

## *Archiep. Salisburgenfi & Epifcopis, & dilectis Filiis Abbatibus cæterifque Prælatis in Salisburgenfi Synodo congregatis.*

*Venerabiles Fratres, & dilecti Filii Salutem &c.*

EX literis Venerab. Fratris Epifcopi Salisburgen. cognovimus nuper ab eo initam effe Rationem quemadmodum Religio apud vos non folum integre & incorrupte retineri poffit, fed etiam uberiorem in dies fructum ferre. Nam cum de celebranda provinciali Synodo in fua Metropolitana Ecclefia cogitaverit, videmus quid fidelis Dei adminifter fpectet, ut provinciæ fuæ medeatur incommodis. Quam ad rem etfi eum nos, quibus univerfi Chriftiani gregis cura mandata eft, fumus per literas hortati, tamen nobis dubium non erat quin nactus idoneum provinciæque opportunum tempus, ipfam Synodum quamprimum indiceret, & celebraret, quod poft diem XI. Menfis Novembris facturum fe fcripfit ad nos. Itaque optimi viri talem mentem ac voluntatem valde quidem probavimus & intimo animi fenfu amplexi fumus, atque ea poteftate, quæ a fummo Deo communicata eft nobis illi Synodo benediximus, eique ut bene ac fœliciter omnia evenirent ab eodem ipfo Deo precati fumus. Illud vero accidit perincommode quod Archiepifcopi literas ferius accepimus ut prius nec ad vos fcribere, nec vos ad tam præclaram actionem æquiffimo animo fufcipiendam cohortari potuerimus, quod tamen etiam atque etiam nunc facimus. Et quoniam multa errore hominum aut nequitia, aut certe diuturna impunitate & licentia in Ecclefiam irrepferunt, quæ in ifta Synodo expendenda vobis funt, fi de corrigen-

tigendis ac reformandis moribus Sacerdotum graviter constanterque agetis, ut speramus, reliqua erit Christianæ vitæ disciplina perfacilis, nam & Sacerdotes sua innocentia & exemplo alios a peccatis & vitiis avertent, & Evangelicæ doctrinæ præceptis & rationibus res maxime salutares inducent in mores hominum justitiam, pudorem, continentiam, charitatem, quibus virtutibus erecti ad spem cœlestis, ac beatissimæ vitæ omnes cogitationes convertent ad Deum. Quare vobis, qui curatores estis animarum, erit tractandus hic locus diligenter, in quo fere sunt omnia. Nec vero divina illa vox magis terrere, quam de vestro officio monere vos debet: *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos; nonne greges a pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis*. Qua voce excitati, ea, quæ vestri propria sunt muneris, & cognoscere facilius poteritis & diligentius pertractare. Et cum hæreticorum hominum opinio & doctrina multas partes Christianæ Reip. tanquam contagio pervaserit, & a cœlesti pabulo ad venena impietatis gregem Dei avocarit, incumbite præcipue in hanc curam cogitantes quid Apostolicæ Sedis auctoritas, quid vestra administratio & dignitas, quid gentes, quæ in tutela vestri Sacerdotii sunt, quid denique hæc tempora a vobis requirant, contenditeque universi ut quantum corrupta morum disciplina & eorum fraus, qui catholicam fidem expugnant Ecclesiæ detraxerit, tantumdem vestra prudentia, & pietas, & vigilantia restituat; qua de re superioribus mensibus cum Feliciano Theologo hinc proficiscente nonnulla egimus ea ut perferret ad vos, atque ut non solum præsentia, & quæ ante oculos sunt spectare, sed posteritatis etiam commodis prospicere, videamini. Vobis etiam habenda ratio est ut apud vos puerorum optimæ spei seminaria constituantur, qui honestissimis moribus, liberalibusque disciplinis instituti cum ad suam maturitatem pervenerint, ipsi quoque verbum Dei prædicare & in alios disseminare facile possint, quæ utilitas quamvis strictius ad vos, atque adeo si universa ad postera redundaret, tamen hujus tam sancti & salutaris instituti vestra erit præcipua laus, quod & provinciæ vestræ incommodis, & detrimentis hoc remedio primi subveneritis, & fructus, qui ex iis locis percipiuntur amplissimi vobis etiam auctoribus cum posteritate sint communicandi. Qua de re nihil est cur vos plura admoneamus, cum in hanc sententiam Salisburge multa sint facta colloquia, & extent Tridentini Concilii SS. Decreta, quibus fore confidimus, ut & vos non gravate pareatis, & alii etiam vestro exemplo libenter inserviant. Extremum est ut vobis istam publicam provinciæ causam magnopere commendemus, quam, si ut volumus & speramus, consentientibus animis & voluntatibus sustinebitis, vos præcipua ac paterna charitate atque officiis prosequemur.

Datum Romæ &c.

---

*Episcopo Neostatensi.*

VEnerabilis Frater salutem. Ex quo tempore summam universæ Ecclesiæ potestatem consecuti sumus, hoc in primis spectavimus ut ex constitutionibus & decretis Concilii Tridentini provinciales Synodi haberentur, quod nobis exploratissimum erat quantum utilitatis & adjumenti catholicæ fidei afferre possent, si pastores ægras & graviter affectas suæ provinciæ partes curare ac sanare contenderent. Itaque Vener. Fratr. Archiep. Salisburgens. jam hortari & monere diligenter voluimus ne huic tam præstanti officio, ac salutari deesset, potius ut mentem & voluntatem nostram declarare, quam pii hominis studium & diligentiam excitare videremur. Quamobrem cum ad Nos scripserit, se totius provinciæ Synodum ad XII. diem Novembr. convocasse, gratissimum nobis fuit, quod id consilii ceperit hoc tempore. Illud satis mirari non possumus quidnam causæ fuerit cur Archiepiscopi literæ Mense Septemb. scriptæ nobis tam longo intervallo traditæ sint, ut neque ad eas respondere, neque ad Fraternitatem tuam scribere antea potuerimus. Nunc cum te eum esse videamus, qui vel ob locorum propinquitatem commode, vel ob eximiam pietatem & virtutem magna tua cum laude Salisburgensi Synodo interesse possis, erit nobis pergratum si in ista communi provinciæ causa ita verseris ipsique Archiepiscopo faveas ac præsto sis, ut te nihil maluisse quam Christianæ Religionis, & hujus S. Sedis auctoritatem tueri & ipse præferas, & cæteri etiam intelligant.

Datum Romæ &c.

---

*Archiep. Salisburgensi.*

VEnerab. Frater Salutem. Nostram de tua singulari pietate opinionem auxerunt eæ literæ, quas die XX. Sept. a te datas nos proxime accepimus, in quibus significabas, te post diem XI. Mensis Novembr. provincialem Synodum una cum tuis Episcopis Salisburge celebraturum, ut ea statueres, quæ ad corrigendos & reformandos mores sacerdotum pertinere arbitraris, simulque aliorum incommodis subvenires, quorum salus tibi tanquam pastori animarum concredita est. Et quanquam nos pro ea cura, quam universæ Ecclesiæ conservandæ gerimus, hujus consilii jam tibi auctores fuimus, tamen pro tua erga Deum mirifica pietate atque in hanc S. Sedem summa observantia nunquam dubitavimus quin tu nactus opportunam provinciæ tempus tua sponte id quamprimum ageres; quod consilium a te non minus prudenter quam pie susceptum hoc tempore vehementer probavimus, nec enim solum vidimus quibus ex rebus quam præclaris, quam salutaribus ac necessariis laudem quæras, sed etiam quid pro catholica fide, ac veritate contendas atque elabores, cum sancto quodam ardore incensus viam tibi ad æternam salutem munire velis & aliis etiam ostendere. Itaque tanta facta est accessio amoris nostri erga te ut maxime optemus, occasionem dari nobis de te benemerendi, quam nunquam prætermissuri sumus. Illud nobis jucundum fuit tam sero literas tuas ad nos esse perlatas, ut neque ad te antea nec ad cæteros provinciæ episcopos in hanc sententiam scribere potuerimus. Nunc tamen ea auctoritate, quam summi Dei gratia & benignitas nobis impertivit, Synodo provinciæ tuæ benedicimus Deumque ipsum auctorem, & parentem bonorum omnium vehementer precamur, ut quidquid fraternitas tua cum Episcopis pro dignitate & amplitudine Ecclesiæ excogitaverit, & decreverit, id ad fœlicissimum exitum perducat. Quod ad Episcopos attinet, separatim unumquemque per literas sumus hortati, ut ad Synodum promptissimo animo convenirent, tibique se ita adjungerent ut in ista societate officii ac muneris omnes ad publicam utilitatem conjunctissimis animis & sententiis consensisse videremini. Qua de re eos etiam conjuncte monuimus iis literis ad fraternitatem tuam, & ad ipsos Episcopos cæterosque Prælatos in eadem Synodo congregatos datis. Reliquum est ut in tam honesto provinciæ tuæ conventu, qui omnium consiliorum & actionum dux & moderator es futurus, cum te præbeas ut cum multorum judicio & testimonio sis ornatus, tamen propriis virtutibus ac meritis esse ornatior videare.

Datum Romæ &c.

*Episcopo Pataviensi.*

VEnerab. Frat. salutem. Quod ex literis Vener. Fratr. Archiep. Salisburg. intelleximus ei in animo esse Synodum provincialem suam habere hoc tempore, gratissimum nobis & optatissimum fuit, quem ad susceptionem hujus muneris quamvis antea sumus hortati, tamen ea spe semper fuimus, virum optimum provinciæ suæ vel ornandæ, vel augendæ nullum tempus prætermissurum. Id omnino incommodi accidit quod ejus literas Mense Sept. ad nos scriptas, nunc tamen accipimus ut antea nihil certi haberemus quod nobis ad illum & ad te quoque in hanc sententiam scriberemus. Quod vero Archiep. illud spectare in primis videretur ut ex præscripto Concilii Tridentini sua, & suorum Coepiscoporum vigilantia & diligentia ea corrigat & restituat, quæ corrupta morum disciplina depravaverat, cujus mentem, & consilium non solum valde probavimus, sed paterno etiam amore prosequti sumus, ac fore confidimus, ut ad hanc tractationem gravissimarum rerum & salutarium excitatus pulcherrimam occasionem habiturus sit de Ecclesiæ suæ dignitate atque auctoritate benemerendi. Te vero quo majore studio possumus, hortamur, ut omnibus in rebus, quas ad istam Synodum pertinere arbitraberis, ipsi Archiepiscopo socius sis atque adjutor, tuamque operam ac industriam ad ejus voluntatem accommodes. Cum enim provinciæ suæ commodis, & tranquillitati quæ cum Religione ac pietate est conjunctissima maxime prospecturus sit, quidquid officii illi præstiteris, erit tibi non minori ornamento, quam delectationi, nobis vero etiam quam gratissimum.

Datum Romæ &c.

---

*Episcopo Sevovenien.*

VEnerab. Frat. Salutem. Superioribus diebus Vener. Fratr. Archiepisc. Salisburgens. nostris literis sumus hortati, ut primo quoque tempore Synodum provincialem suam indiceret; & convocaret; eaque statueret in sua provincia, quæ hominum saluti, & commodis maxime conducere arbitraretur; nec tamen verebamur, ut primum tempora, & provinciæ status tulisset quin occasionem hanc gloriosam, sibi ac suis fructuosam arriperet. Nunc quoniam ad nos scripsit, velle se provincialem Synodum post XI. diem Mensis Novembr. celebrare, magnam ex illius viri tam pio, sanctoque proposito cepimus delectationem, gratiasque Deo egimus, quod in hac perturbatione morum & temporum, quibus in locis catholicæ fidei cultus, & auctoritas maxime observatur, in iis præsertim excitare doctorem justitiæ in lucem gentium. Illud quoque nostram lætitiam auxit quod confidebamus fore, ut omnes illius provinciæ Episcopi Antistitis sui consilium, & munus multis & necessariis caussis susceptum consentientibus animis, & voluntatibus adjuvare. Verum præter spem nostram accidit ut Archiepiscopi literæ mensis Sept. datæ nobis serius redderentur, ex quo neque ad eas prius quidquam respondere potuimus, neque de hoc toto negocio ad te perscribere, a quo cum omnia prudentissimi pastoris officia expectemus facere non possumus quin te ad tuam laudem etiam atque etiam adhortemur, qui in sacra quadam orbis custodia constituti videmus quid Apostolicæ Sedis dignitas, quid fides tua, quid hæc tempora, quid ipsa pietas & Religio a te deposcat, quæ cum tu idem videas non dubitamus quin in hac tibi oblata facultate Salisburgensi Episcopo Ecclesiæ suæ optime consulenti te ita commodes ut & nostræ voluntati, & tuo officio satisfacias.

Datum Romæ &c.

*Episcopo Guicensi.*

VEnerab. Frat. salutem. Scripsit ad nos Venerab. Frat. Archiep. Salisburg. eam se cogitationem & curam suscepisse ut post diem XI. mensis Novembr. Synodum provincialem suam ageret, quod nobis quidem gratum, & jucundum accidit, qui universæ Ecclesiæ curam agimus. Quanquam vero hujus rei auctores & suasores illi fuimus, tamen nunquam dubitavimus quin vir prudens, & optimo in religione sensu occasionem habendæ Synodi primo quoque tempore arriperet. Id tamen præter expectationem nostram factum est, Archiepiscopi literæ mense Septembr. scriptæ nunc tandem longo intervallo ad nos perferrentur, ut in hac sententia nihil antea ad eum, aut ad cæteros Provinciæ Episcopos scribere potuerimus, quos eum habiturus sit & participes consiliorum & laborum suorum, ut quod præcipue in hoc genere Tridentinum Concilium spectavit, & monuit, mores corrigat depravatæ consuetudinis, & ad suum pristinum statum, & splendorem Ecclesiæ dignitatem revocet, magna spe sumus quidquid ex ejus constitutionibus & decretis emanaverit, id fore hominum pietati, atque innocentiæ maxime consentaneum. Qua in re quantum cautionis & diligentiæ adhibendum sit præsertim in his perturbationis temporibus qualiter pro tua virtute, ac prudentia probe nosti, te etiam atque etiam in Domino hortamur, ut prompto animo atque alacri in hanc publicam curam incumbas, omnemque tuam operam & studium ipsi Archiepiscopo deferas, quo facilius tua auctoritate & exemplo alios etiam ad similem observantiam excites, quod de fraternitate tua non minus sperare volumus, quam optare.

Datum Romæ &c,

---

*Episcopo Lavatinensi.*

VEner. Frat. salutem. Venerabili Fratr. Archiep. Salsburgensi quantæ esset curæ ut tota ratio Concilii provincialis sui, cujus initium facturus erat post XI. diem mensis Novembr. ad præpotentis Dei gloriam, & catholicæ fidei dignitatem & amplitudinem dirigeretur ex ipsius ad nos literis accurate & prudenter scriptis facile cognovimus, magnumque lætitiæ fructum cepimus quod vir optimus id consilii ceperit hoc tempore. Et quamquam pro nostra universæ Ecclesiæ administratione, & cura eum hortati sumus, ut concilium provinciæ suæ convocaret, nunquam tamen dubitavimus, quin occasionem hujus negocii bene gerendi quæreret, atque captaret, quod tempus quia jam maturum videretur maximas gratias Deo egimus. Illud tamen præter opinionem nostram factum est, ut Archiepisc. litteræ mense Sept. scriptæ tardissime nobis redditæ sint, ut ad eas nihil prius respondere potuerimus, nec ad te scribere. Nos Archiepiscopo omnia prospere, & feliciter successura confidimus, cum præsertim adhibiturus in consilium sit Episcopos provinciæ suæ, quorum virtutem, & constantiam, sensusque omnes plenissimos pietatis jam perspeximus. Quo tu ex numero quia egregiam illi operam, & studium navare potes, quanquam tua fide, singularique observantia in hanc Sanctam Sedem hortatu nostro non eget, tamen te in Domino hortamur, ut quidquid consilio, diligentia, auctoritate vales, qua te valere plurimum scimus, ad ipsius arbitrium, & voluntatem id omnino accommodes, eique ita præsto sis, ut nullam benemerendi de ista provincia occasionem, & facultatem prætermisisse videare: multa vero in conspectu tuo sunt exposita, qui illic ades, quæ nos prospicere vix quidem possumus. Extremum illud est, ut tibi sic persuadeas, habeasque certissimum, quæcumque officia

apud

apud Antistitem tuum posueris, ea te bene, & præclare positurum, quo gratius facere nobis nihil potes.

Datum Romæ &c.

---

*Decano & Capitulo Ecclesiæ Ratisbonensis.*

Dilecti Filii salutem. Magnum Ecclesiæ usum, & adjumentum provinciales Synodi afferre solent, quibus ea est proposita ratio, ut malos mores provinciæ corrigant, & quæ rite, & sancte instituta sunt, ea etiam firmioribus præsidiis muniant. Quam consuetudinem vitio temporum jampridem intermissam sapientissimi viri in Tridentino Concilio congregati revocarunt, ut hac ratione Christianæ Reipublicæ incommodis, & detrimentis subvenirent, & religionis dignitati, & amplitudini maxime prospicerent ea ejus consilii institutis omnibus, & decretis, cum Salisburgen. Archiepisc. hortatione nostra, & suo officio adductus provincialem Synodum habiturus sit hoc tempore, ne dum in vestra Ecclesia certus Episcopus sit declaratus, & confirmatus, vos in Domino hortamur, & commonemus, ut ex vestra societate, ac collegio aliquem eligatis, qui natura bonitate, prudentia, doctrina, industria excellere videatur, & catholicæ fidei optimus cultor sit, & propugnator, eumque vestræ Ecclesiæ nomine ad ipsam Synodum deligatis, & mittatis, ut Salisburgensem Antistitem diligenter, & accurate admoneat de omnibus rebus, quas ad officium futuri Episcopi prope pertinere existimabitis, atque eidem Antistiti quacunque in re opus erit fautor sit, & adjutor. Hoc si feceris, quod vestra fides, & pietas, & hæc tempora a vobis postulant, omnino præstabitis, idque nobis, qui vos diligimus, & habemus carissimos, erit vehementer gratum.

Datum Romæ &c.

---

*Episcopo Chiemensi.*

Venerabilis Frater salutem. Quia magnopere cupimus, ut Catholicæ fidei cultus, & dignitas præsertim in ista provincia conservetur, atque uberius etiam efflorescat, nobis quidem accidit jucundissimum, & Salisburgensi Archiepiscopo provincialem Synodum habere hoc tempore, ut depravata morum consuetudine penitus sublata & Ecclesiæ auctoritate in suum pristinum statum restituta pie, incorrupteque vivendi disciplinam sacerdotibus traderet, quorum exemplo alii etiam ad studia, & officia pietatis, & in sequentis vitæ correctione excitentur, quam ad rem etiamsi eum jam hortati sumus per litteras, non tamen verebamur, qui nactus idoneum tempus, provinciæque opportunum ipsam Synodum statim convocaret, quod nunc quidem præstitit, cum ad xij. diem mensis Novembris eam indixerit, in quo illum subinoleste tulimus, Archiepiscopi litteras mense Septembris scriptas tam sero ad nos pervenisse, ut a nobis tibi in hanc sententiam nihil antea potuerit perscribi. Cum vero pro tua integritate, & doctrina non exiguam partem hujus negocii ipse sustinere possis, & gerere, qui & vocatu Archiepiscopi, & tuo officio adductus in ipso provinciæ conventu adfuturus es, & socius, & adjutor maximorum consiliorum, & laborum, gratissimum nobis feceris, si omnia ita egeris, atque administraveris, ut nihil tibi esse potius sentias, quam laudem, & gloriam Dei, & salutem earum gentium, quarum custodia vobis Episcopis tanquam animarum parentibus commissa est. Ageremus tecum hortatione, & monitis, si te ad hanc rem tuimus bene animatum esse dubitaremus. Verum cum tu is sis, qui nullum officium ab honestate, & pietate sejungas, videasque ab hæreticis hominibus magna imminere tempestatem Christianæ Reipublicæ, nisi nobis propitius sit Deus, qui pius est immo, & misericors, quod proprium est boni pastoris, & Episcopi id a paternitate tua expectare malumus, quam flagitare.

Datum Romæ &c.

---

*Decano & Capitulo Ecclesiæ Viennensis.*

Dilecti Filii salutem. Lectis litteris Ven. Fr. Archiepiscopi Salisburgens. quibus nos certiores facit, se totius provinciæ suæ Synodum indixisse ad xij. diem Novembris, magno quidem gaudio affecti sumus, quod consilium susceperit maxime dignum sua pietate, & virtute, quam ad rem etiam secum nos superioribus diebus essemus hortati, qui universæ Ecclesiæ curam sustinemus, tamen minime verebamur, quin suo tempore, idest cum opportunitate & provinciæ commodo posset, Synodum esset habiturus. Id quidem permirum nobis accidit ejus litteras præsertim tantis de rebus scriptas mense Sept. tam longo intervallo ad nos pervenisse, ut antea neque ad eas respondere, neque ad vos scribere potuerimus. Nunc quia magni refert cum vestra Ecclesia suo pastore orbata in illis provinciali Synodo aliquem ex vestra societate, & collegio adesse, qui Archiepiscopum moneat, & doceat diligenter de omnibus rebus, quæ emendationem, aut medicinam requirunt; vos in Domino vehementer cohortamur, ut ex vestra societate aliquem eo delegetis, qui istius Ecclesiæ nomine hoc munus fideliter obire, & constanter tueri possit, ipsique Archiepiscopo diligentissimi, & amantissimi hominis officium polliceatur, & deferant. Quod si feceritis, vestris rationibus optime consuletis, idque nobis erit tam gratum, quam gratissimum.

Datum Romæ &c.

---

*Frisingen. Ecclesiæ administratori.*

Dilecte Fili &c. Venerabilis Fr. Archiep. Salisburgensis gratissimæ nobis litteræ fuerunt, quibus significabat se provincialem Synodum suam ad duodecimam diem mensis Novembris indixisse, & convocasse. Et quanquam nos, quos pro sua benignitate, & clementia universæ Ecclesiæ Deus præesse voluit superioribus diebus ad id muneris eum per litteras hortati sumus, tamen minime verebamur, quin hanc pulcherrimam occasionem arriperet, ut primum provinciæ, & temporum status tulisset. Et quoniam ea & officio adductus, & pietate in isto celeberrimo conventu præcipue adfuturus es, cujus eximia indoles, & modestia sanctæ huic sedi jam spectata est & probata, pro nostra erga te singulari, ac paterna charitate monendum te, & in Domino cohortandum putavimus, ut in tam honesta causa, ac salutari probitatis, & ingenii tui lumen ostenderes; ac si prudentissimos, quibus datus es & comes & socius, rerum usu æquare tibi per ætatem non licet, eis saltem optimo in religione sensu, ac voluntate, quod omnino præstare potes, esse quam simillimus. Atque hæc antea a nobis scripta ad te essent, nisi Archiepiscopi litteræ mense Septembris datæ ad nos tardissime pervenissent: tibi in ipso ætatis flore oblata est facultas non solum bene de catholica fide sentiendi, sed etiam merendi; quod haud scimus an in ista ætate qua tu nunc es, alii contigerit. Quamobrem macte virtute unum illud spectare in primis debes, ut Ecclesiæ, cui maximis, & sanctissimis vinculis es astrictus, in omnibus tuis cogitationibus, & dictis, & factis dignitatem, & fructum quæras, & in hac tra-

tractatione maximarum rerum Salisburgen. Antistiti fidelem operam, & ministerium præstes, sic enim fiet, ut Illustris. Parentibus, & amplissimo loco natus non minora fidei, & pietatis, quam nobilitatis ornamenta, atque insignia præseferas.

Datum Romæ &c.

---

*Brixinens. Ecclesiæ Coadjutori.*

Dilecte Fili salutem &c. Non putamus opus esse ad te scribere, quam grata nobis fuerit deliberatio Salisburgensis Archiepiscopi, qui Synodum provincialem suam hoc tempore convocavit, cum tu qua virtute, & prudentia præditus es facile intelligas accidere nobis nihil posse optatius ab iis, quibus hæc cogendi, & habendi concilii cura est, & auctoritas, quam hujusmodi conventus ex præscriptione, & decretis sacri Concilii Tridentini quamprimum agi, nec sacerdotii sui officium prætermittere aut suorum hominum salutem, & commoda, quæ ex his fructibus fluunt maxima negligere videantur. Quam quidem ad rem, etsi pro nostra universæ Ecclesiæ custodia, & cura eum jam per litteras sumus hortati, tamen ab optimi pastoris virtute, & industria, quod nunc præstare vult, id prope diem expectabamus pro certo habentes benemerendi de sua provincia nullam eum occasionem admissurum. Unum illud præter expectationem nostram factum est, ut Archiepiscopi litteræ mense Sept. scriptæ nobis proxime sint redditæ, ut neque antea ad eas respondere, neque ad te scribere nobis licuerit. Quod vero tu in ista publicorum negotiorum tractatione Archiepiscopo socius futurus sis gaudemus quidem vehementer, tibi enim facultas dabitur de tua Ecclesia, atque adeo de universa provincia bene promerendi, qui ad communem fidelium causam non modo egregiam voluntatem, sed magnum etiam adjumentum afferre potes. Quare te quam maxime possumus in Domino hortamur, ut omnem tuam operam, & studium ad Salisburgen. Antistitis arbitrium eductum ita conferas, ut nullum ei abs te obsequium, aut fidem, aut gratiam defuisse omnes sentiant, & nos, qui hoc valde cupimus mirifice ariam lætemur.

Datum Romæ &c.

---

*Illustriss. & Reverendiss. Domino Cardinali Lotharingio.*

SAnctiss. D. N. quantæ curæ semper fuerit christianissimi Regis amplitudo, & dignitas equidem novi, & Illustris. Amplitudini tuæ satis esse exploratum arbitror. Nam cum in magna varietate, ac perturbatione rerum, & temporum illius regni fortuna sit versata, atque adhuc versetur, id spectavit sanctitas sua, ut non modo ejus incommoda sublevaret suis opibus, sed auctoritate, hortatione, & monitis alios etiam principes ad simile exemplum excitaret. Nunc autem ex abalienatis Ecclesiasticis bonis, tantum ad regis subsidium tradusit, quantum illius voluntas, vel belli necessitas requirere visa est. Quod ex Pontificio diplomate jam confecto, & ad Nuncium misso Illustriss. Amplitudo tua perspicere facile poterit; in quo plane ostendit, & quanti Regem fecerit, quem mirabiliter diligit; etiam qui cum valde cuperet catholicam fidem optime confirmatam videre in illis locis cum de religionis, & sanctitatis disciplina etiam ad cæteras gentes quondam transferri solita est. Quare SS. D. N. nomine hæc ad Illustriss. Amplitudinem tuam scripsi, ut cum magna apud Regem sis existimatione, & gratia, eum hortari, ac suadere assidue velis, ne ullam unquam occasionem amittat catholicæ veritatis, aut propugnandæ, aut conservandæ: quod si Ecclesiæ & Imperii sui hostes ab impietate, & perfidia ita avocare non poterit, ut incolumi religione, & regno salvo esse malit, quam iis neglectis, quorum impetus frangat potiusquam retardet, neve in aliud tempus victoriam differat, si negotii benegerendi facultatem sibi a Domino Deo exercituum oblatam viderit: est enim timendum in tantis malis, si Rex sua facilitate, & indulgentia hostium animos, & vires auxerit, & corroborarit, ne posteaquam unum omnium minime vellemus, cogatur cum eis iniquissime pacisci, quam indignitatem, quia superiore bello pertulimus, ejusdem recordatione esse cautiores debemus. Caput illud est, ut Regi Illustriss. Amplitudo Tua sic persuadeat, si christianæ religionis jura, auctoritatemque fortiter, & constanter defenderit, fore ut præpotentem Deum habeat semper benevolum, & propitium. Et SS. D. N. majora studio, & liberalitate suas opes conferat, & ad ejus Majestatem tuendam, ornandam, & augendam. Ego Illustriss. Amplitud. tuam tam observo, atque colo, quam qui maxime, Deumque oro, eam ut salvam, & incolumen diu nobis conservet.

Romæ dia ultima Novembris MDLXVIII.

---

*Illustriss. & Reverendiss. D. Cardinali Borbonio.*

SUmma, & vera paterna SS. D. N. voluntas, & charitas erga christianissimum Regem fecit, ut istius regni incommoda jam suis opibus benigne sublevaret, & hoc tempore ex Ecclesiasticis bonis alienatis tantum Regi attribueret, quantum visus est optare, quo exercitum habere, ac tueri commodius posset, eaque religionis firmamenta ac robora in omnibus regni partibus constituere, quæ ab impiis consceleratisque hominibus ullo modo convelli queant. Quod si forte non dubitabam quin ex pontificio diplomate ad Nuncium misso Amplitudo tua quamprimum cognosceret, tum pro mea in illum præcipua benevolentia, atque observantia dignam causam esse duxi, cur de hac ipsa re etiam certior fieret meis literis. Ea vero cum prudentia, & rerum usu plurimum valeat, & Regem vel consilio juvare auctoritate facile possit; pie recteque fecerit si ad perpetuam propugnationem catholicæ fidei eum ita excitarit, ut nihil statuat aut ad suam laudem esse præclarius, aut ad regni tranquillitatem, atque amplitudinem firmius, quam Dei atque Imperii sui hostes qui iidem sunt, coercere & comprimere: ac si ad Ecclesiæ & hujus S. Sedis cultum & observantiam reduci voluerint, Deo auctore, atque adjutore, & omnium bonorum animis in hanc S. Ecclesiæ causam consentientibus, Ecclesiæ injurias persequatur, nec ullum victoriæ tempus oblatum prætermittat, ne si facilis & indulgens in hostes esse maluerit, quam fortis & severus, quæ, ab eis pericula impendent, indigne subeat, vel, quod superiori bello contigit, iniquissimis conditionibus cum his transigere cogamur. Quibus de rebus ut hæc ad Illustriss. Ampl. tuam scriberem S. D. N. voluit. Extremum illud est ut pro certo Rex habeat si christianæ pietatis se custodem & propugnatorem præbuerit, a præpotente Deo fœlicissimæ, ac beatissimæ vitæ fructum, a S. D. N. omnia amoris, & liberalitatis officia sibi omnino esse expectanda. Deus Illustriss. Amplit. T. salvam & incolumen nobis conservet.

Romæ &c.

Peril

Perill. & Reverendiss. Domine. Cum sanctissimum D. N. illius regni incommoda, & pericula semper commoverint, suasque opes christianissimo Regi promptas, atque expositas esse in primis voluerit, & superiori bello illi nunquam defuit, & hoc tempore ex abalienatione Ecclesiasticorum bonorum tantum ad ipsius arbitrium, & potestatem transtulit, quantum aut Regia voluntas petere, aut belli usus postulare videbatur: in quo Sanctitas sua maxime ostendit & de incolumitate & fortunis istius Regni se esse vehementer sollicitum, ut nihil cupere ardentius quam catholicæ pietatis, quæ cum Regni imperio ac salute conjunctissima est, statum & sedem istic omnino esse firmissimam. Quod etsi Reverendiss. Amplit. tua ex ipso Pontificio diplomate ad Nuncium misso plane perspiciet, tamen S. D. N. jussu ac nomine hæc ad eam propterea scripsimus, ne monere & hortari Regem desisteret, & ad hostium impetus fortissimo animo propulsandos, qui Ecclesiæ jura ac libertatem violare contendunt; nam si ad pacem & concordiam reduci nolunt, & christianæ religioni, ac sanctæ huic Sedi se omnino subjicere, quacunque ratione flecti possunt, sunt comprimendi, ut hujus Ecclesiæ vulnus salutaribus, & necessariis remediis sanetur, nec eorum indignitatem & acerbitatem subire amplius cogatur. Illud autem Rex sic constituat, si Dei hostes & suos, quod præclare visus est optare, prorsus compresserit, Deum adjutorem, & fautorem omnium suarum cogitationum, & actionum sese habiturum, nihilque esse tam magnum, aut tam difficile, quin a S. D. N. & expectare & consequi facile possit. Deus Ill. Amplit. tuam Ecclesiæ suæ & nobis, a quibus mirifice diligitur, salvam, & incolumem diu conservet.

Romæ &c.

---

Dilecte Fili &c. Cum jam multorum literis, & nuntiis allatum ad nos esset Turcarum principem Cypro Insulæ hostiliter imminere, ad eamque invadendam, & occupandam maximas classes comparasse, quia pro universalis pastoris officio pie solliciti omnes Ecclesiæ partes integras inviolatasque esse cupimus, primum Duci, Senatuique Veneto eam Insulam obtinenti nostras opes polliciti sumus, & detulimus, deinde Ser. Philippum Catholicum Regem, cujus summa pietas & pro Christiano nomine perpetua propugnatio cognita nobis erat, etiam hortati sumus in Domino, ut se ad hujus belli societatem nobis adjungeret, qui ut semper fuit ad catholicam fidem optime animatus, paternæ nostræ voluntati, ac monitis non defuit, atque huic fœderi, ac sanctæ conspirationi ita se promptum & paratum præbuit, ut bona spe simus hostium non modo incursum sustineri, sed etiam ferociam atque immanitatem comprimi ac deleri posse, si quantum consilio & armis, & auctoritate efficere possumus, nihil a nobis fuerit prætermissum: nunc ut hujus rei exitus facilior sit & optabilior, quoniam omnes sumus unius Ecclesiæ membra, cujus caput Christus est, excubantes pro custodia Dominici gregis, reliquos item Christianos principes ad hoc sacrum fœdus statuimus cohortari, ac Majestat. Vestr. in primis, cui in tanta rerum & temporum perturbatione divinitus oblata occasio est de religione bene merendi, ut quam tibi Deus virtutem potestatemque concessit, eam a te exposcere videatur hoc tempore; neque enim ille humanas actiones ita administrat, ut conspici a nobis soleat, & nobiscum colloqui, sed cum pias cogitationes & curas suscipimus, cum jus & æquitatem contra impios homines tuemur, cum laboranti Ecclesiæ opem ferimus, tum Dei ipsius quasi voce ad eas res excitamur. Quamobrem Majestati vestræ materies dari nulla uberior potest, in qua & pietatem & rectos in Religione sensus ostendat suos, quam si in hac communi causa se nobiscum conjunxerit, & Christianæ rei incommoda etiam sua parte sublevarit. Nec vero alio unquam tempore bellum suscipere aut tam justum, aut tam præclarum poterit; nam etsi periculum non habes commune cum aliis, tamen quia Rex Christianus es, nullum habere commodum potes ab Ecclesiæ utilitate sejunctum. Porro in iis tempestatibus nunc Ecclesia jactatur, ut qui in ea sunt, omnibus pro illius incolumitate sit aliqua adhibenda contentio, pro qua profecto intelligis quam sit honestum pugnare, cum omnes, qui pro illa emori non dubitarunt, quam beatissimos esse judicemus. Itaque a M. V. vehementer petimus, ut cum Christianis principibus pro Ecclesiæ dignitate & quiete conspirantibus, magno animo consentiat, suasque vires & facultates ad Dei hostes reprimendos & profligandos conferat. Quod de ea non minus sperare volumus, quam optare.

Datum Romæ &c.

---

Dilecte Fili. Facit nostra universæ Ecclesiæ procuratio & paterna erga M. V. charitas, ut de te non minus assidue cogitemus, quam libenter. Cum autem nobis proxime nuntiatum sit, tua indulgentia & lenitate abuti nonnullos, quos perpetuus hostis humani generis, & omnium fraudum machinator sensim ad impietatem detorquet, tui admonendi partes suscepimus, cujus gloriæ semper favimus, teque hortamur in Domino, ut nunc primum nascentis mali radices evellas, ne & peccantes ipsi majores in errores inducantur, & eorum imitatione atque exemplo plures etiam depraventur. Nos vero præcipue illa divina vox moneat. *Filius honorat patrem, & servus dominum suum; si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si dominus ego sum, ubi est timor meus?* præsertim cum in rebus humanis nihil sit gloriosius aut firmius, quam eos, quos nostræ fidei ac potestati Deus commisit, ita ad normam divinæ legis dirigere, ut pietatis officium nunquam deserant, sic enim suus Deo honos tribuitur; & quoniam data est a Domino potestas nobis atque ii nihil appetunt, quod rectum honestumque non sit, icirco sumtua sua voluntate nobis obediunt velut Dei administris, & ipsi inter se communis vitæ societatem diligentius tuentur, & incorruptius. Quare necesse est, eos, qui sunt in catholica veritate minus constantes, etiam leges & principes, qui tanquam legum tutores sunt, negligere, ex quo vitæ oritur magna confusio. Ergo a pietate, & divino cultu, ut reliqua bona manant omnia, sic ratio & disciplina bene & fœliciter regnandi, & pax & tranquillitas ducitur. Excita igitur virtutis & prudentiæ tuæ omnes partes, nec te privati officii ulla ratio aut humana conditio impediat quominus illam peccandi licentiam coerceas ut, quæ piis principibus proposita sunt, divina præmia consequare. In quo danda opera est ne M. V. in aliquem sit indulgentior, quam peccati genus postulet, ne ipsius pietas unquam connivere videatur; etenim nostrorum consiliorum & actionum rationem severius a nobis reposcet Deus, qui illius benignitate & munere ad altissimum gradum dignitatis pervenimus. Sit autem M. V. hoc persuasissimum, si præclare, si tranquille, si beate suis populis præesse vult, ut a catholica fide nunquam desciscant, sequanturque eam viam, quæ sanctorum hominum signata vestigiis ad cœlestem beatitudinem perducit. Quod a Deo Patre luminum & gratiarum nos etiam M. V. assiduis precibus exposcimus.

Datum Romæ &c.

*Phi-*



*Philippo Regi Catholico.*

SErenifs. Rex. Facit mea erga Catholicam Majestatem Vestram perpetua observantia & pietas ut ex secundis ipsius rebus uberrimum lætitiæ fructum semper capiam. Quod etsi mihi commune est cum multis, quia M. V. privata fœlicitas ad plurimarum gentium tranquillitatem redundat, & cum publica utilitate conjungitur, tamen idem fortio magis proprie spectare ad me, qui illius potestati, & summæ erga me beneficentiæ jam debeo omnia. Quamobrem ut primum huc nuntius pervenit M. V. filio esse auctam, equidem tantam cepi voluptatem, quantam capere ex re optatissima potui, propterea quod ipse spem familiæ & heredem ditionis atque imperii sui, christiana autem Religio novum suæ dignitatis subsidium esset habitura. Atque hoc M. V. datum divinitus puto, ut uno pene tempore ex hostibus Christiani nominis victoriam, atque eam omnium præclarissimam reportaret, & filium susciperet, perinde quasi in possessione hujus gloriæ ei nasci contigisset, de quo quid liceat augurari vel ex hoc ipso perspici potest, quod Regis omnium maximi & potentissimi filius eo præsertim tempore est in lucem susceptus, cum tanta ad paternam gloriam & amplitudinem facta est accessio. Itaque primum præpotenti Deo bonorum omnium auctori maximas gratias egi, quod M. V., quam ego omni pietate semper colui, tanto munere auxerit, atque ornaverit, ab eoque precatus etiam sum, ut hunc benignitatis suæ fructum esse vellet quam maxime diuturnum. Deinde mihi faciendum putavi, ut M. V. per literas gratularer, quod tam vere facio, atque ex animo, ut intimis meis sensibus omnium gratulationem mihi videar superare. Atque utinam quod S. D. N. nomine & meo privatim officio in ipsius mœrore ac luctu jampridem feci ut præsens cum ea agerem, nunc quoque hoc gratulationis munus coram obire potuissem; nam & sermone ipso & vultu, qui mentis sensum interdum non minus exprimit quam oratio, meum gaudium omni ex parte cumulatum multo illustrius indicassem. Quod quia licitum mihi non fuit hoc tempore, M. V. suppliciter rogo, ut cum vel in honore, vel in amore nemini plus tribuam quam ipsi, ipsa etiam statuat, me ex sua ista, atque adeo ex communi omnium lætitia singularem voluptatem percepisse. Deus catholicam M. V. incolumen & florentem nobis perquamdiu conservet.

Romæ die vj. Januarii MDLXXII.

# FINIS TOMI III.

